

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS QUINTUS

Demonstrans adversus Judæos, & Gentiles divini Reparatoris adventum.



IVE illam Theologiæ partem spectemus, quæ virtutum, humanorumque Officiorum tradit institutiones, & in que perexiguas ingenii mei vires in superioribus libris exercui; sive inspiciamus partes scientiæ, atque sapientiæ nobiliores, in quibus illustrandis, viudicandisque versatur præcipuum studium clarissimorum Theologorum: oolla res est propter argumenti dignitatem, amplitudinem, etque utilitatem præstantior, nulla proinde, in quam intendere magis debeamus essiduam meditationem, mentisque conetus, quam redemptionis uostræ mirabilis Oeconomia, & divinæ *Incarnationis* altissimum, sacratissimumque mysterium. Quid enim nobis ad formandos mores, ad vitam instituendam, ad singularem virtutum percipiendam oormam, ac perfectionem potest majoris esse adjumenti, quam divinum reparandi homines consilium, Dei erga nos carites ineffabilis, æterui Verbi ex Virgine conceptio & oativitas, sanctissima cum hominibus couversatio, exinauitio & obedientie usque ad mortem crucis, gloriosa ad perennem vitam resurrectio, & essumptæ in consortium diviniteris naturæ humanæ ed Majestatis dexteram exeltatio? Iu his quidem epparet primum caritatis ordo, io quo ditimus omoem sitam esse virtutem; quouiam in Christi *Incarnatione* demonstratum est homini, quem ipse locum teueat iu rebus a Deo conditis, dum ite Deo conjungi potuit humane uetuta, ut ex duabus substantiis fieret una persona: commonstratumque quomodo deceptores spiritus uequeant eo tirolo, quod carent corpore, se nobis præponere, etque suadere, ut ipsis, tanquam immortalibus diis, cultum exhibeamus, dum in carne morteli oasci dignatus est ipse Deus. Deinde gratie virtutum effectrix, & quæ uullis præcedeutibus meritis rependiror, in ipso homiue Christo summopere commendatur; quia uec ipse, ut tanta uuitate Deo vero conjunctus uua cum illo persone, & naturalis Dei filius fieret, ullis est præcedentibus meritis affecutus, recte propteree ab Augustioo eppelletus præclarissimum lumen prædestinatiouis & gratiæ. Præterea superbie hominis, quæ maximo impedimento est, ne rationalis animus Deo inhæreat, & ne sceleribus iuquinatus atque depressus surgat ad pœnitentiam, per Iocarnati Verbi humilitatem redarguitur, & sanatur, animadverteus quam longe recesserit a Deo, & quam affici debeat medicinali dolore, quando tali Mediatore indiguit, etqoe is ad peccatorum oostrorum expiationem subiit teterrimom crodelissimumqoe supplicium. In hoc autem perferendo factus obediens Patri usque ad mortem, etiam maguum obedientiæ præbuit uobis exemplum: ejusdemque obedientiæ præmium ubinam, quæso, melius ostendi potest, quam in tanti Mediatoris ceme, quæ ad vitam resurrexit æternam, & iu augustissimo, sanctissimoque ipsius nomine, in quo omue flectitur geno, cælestium, terrestrium, & infernorum? Velde itaque affiuis est præcedentis voluminis lucubrationibus hæc de Verbo facto homioe pertractatio, qua edocemur præceptiones, adjumenta, exemplum, & retributionem virtutis. Atque his accedit tanta argumenti hujus dignitas & præstantia, ut istud præ ceteris trahat contemplantium mentes *in omnes divitias plenitudinis intellectus*, scribente ad Colossenses Apostolo, letere in Mysterio Christi Jesu thesanros omnes *sapientiæ & scientiæ*. Enimvero scientiam in iis, quæ Verbum caro factum temporaliter & localiter egit ac pertulit, sapientiam in iis, quæ sine tempore ipsi Verbo immortali, & obique toti conveniuot, bene sepienterque Augustinus in tertiodecimo libro de Trinitate distinguit. Revera ueque iu rebus, quæ temporaliter fiuut, potest aliquid mirabilius excogitari, quam partus Virgiois, Conditoris uuiversorum oativitas temporalis, mors quam pertulit Auctor vitæ, ec tanto pretio solute filiorum Adæ captivitas: neque in sempiternis divinisque eliquid difficilius inquiri, quem persistens in humilitete Virginei partus gloria antiquæ nativiratis, in corporis circumscriptione divinitatis immensitas, in carnis infirmitate potestas omuipoteutiæ: ita oimirum differentes de Christo acquirunt scieutiæ & sapientiæ thesauros, dum versantur in humanerum diviuarumque rerum sublimiori contemplatione. Id vero ut nos majori cum voloptate assequamur, extra Scholarum fines per spatia Scripturarum sanctarum, per loce Petrom, historicorum, uec uon impie dogmatizantium hæreticorum excurrentes cutabimus divine intueri mystetie, fidem Orthodoxam exponere, hæreses profligare, & maguom opus recolere perfectæ Reparationis. At cum Judæis adhuc ducem suum præstolantibus videamur anuunciare *scandalum*, Geutibus autem iguorantibus mysteria Crucis prædicare *stultitiam*; cumque iu qualibet disputatione primum iu quæstionem veniat rei, de que agitur, veritas & extantie: instiiui priori hoc libro ipsorum Judæorum pervicaciam retundere, & geotium refutare perfidiam, demonstrans invictis argumentationibus edveuisse juxta Prophetarum oracula prænuntiatum humeoi generis Redemptorem, & hunc esse eumdem Dominum Jesum Christum, in cujus Nomine, ut minimus filius Isai adversus Goliath minimus & ego Augustini discipulus contre veritatis hostes certabo.

CAPUT I.

Demonstratur ex Vaticinio Jacob Genes. xlix. *v.* 10. *venisse Messiam in lege promissum.*

ARDUAM priucipio hujus libri provineiem suspiclo, Propheticum de Christo vaticinium omnium celeberrimum explicandi, & ad vetam planissimamque reducendi intelligentiam. Illud namque primum pervivaces Hebræi interpretamentis compluribus tentarunt excutere, postmodum Christiani ipsi implexas instituendo disputationes obscuris-



DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS QUINTUS

Demonstrans adversus Judaeos, & Gentiles divini Reparatoris adventum.



IVE illam Theologiæ partem spectemus, quæ virtutum, humanorumque Officiorum tradit institutiones, & in qua perexiguas ingenii mei vires in superioribus libris exercui; sive inspiciamus partes scientiæ, atque sapientiæ nobiliores, in quibus illustrandis, vindicandisque versatur præcipuum studium clarissimorum Theologorum: nulla res est propter argumenti dignitatem, amplitudinem, atque utilitatem præstantior, nulla proinde, in quam intendere magis debeamus assiduam meditationem, mentisque conatus, quam redemptionis nostræ mirabilis Oeconomia, & divinæ *Incarnationis* altissimum, sacratissimumque mysterium. Quid enim nobis ad formandos mores, ad vitam instituendam, ad singularum virtutum percipiendam normam, ac perfectionem potest majoris esse adjumenti, quam divinum reparandi homines consilium, Dei erga nos caritas ineffabilis, æterni Verbi ex Virgine conceptio & nativitas, sanctissima cum hominibus conversatio, exinanitio & obedientia usque ad mortem crucis, gloriosa ad perennem vitam resurrectio, & assumptæ in consortium divinitatis naturæ humanæ ad Majestatis dexteram exaltatio? In his quidem apparet primum caritatis ordo, in quo diximus omnem sitam esse virtutem; quoniam in Christi *Incarnatione* demonstratum est homini, quem ipse locum teneat in rebus a Deo conditis, dum ita Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona: commonstratumque quomodo deceptores spiritus nequeant eo titulo, quod carent corpore, se nobis præponere, atque suadere, ut ipsis, tanquam immortalibus diis, cultum exhibeamus, dum in carne mortali nasci dignatus est ipse Deus. Deinde gratia virtutum effectrix, & quæ nullis præcedentibus meritis rependitur, in ipso homine Christo summopere commendatur; quia nec ipse, ut tanta unitate Deo vero conjunctus una cum illo persona, & naturalis Dei filius fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus, recte propterea ab Augustino appellatus præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ. Præterea superbia hominis, quæ maximo impedimento est, ne rationalis animus Deo inhæreat, & ne sceleribus inquinatus atque depressus surgat ad pœnitentiam, per Incarnati Verbi humilitatem redarguitur, & sanatur, animadvertens quam longe recesserit a Deo, & quam affici debeat medicinali dolore, quando tali Mediatore indiguit, atque is ad peccatorum nostrorum expiationem subiit teterrimum crudelissimumque supplicium. In hoc autem perferendo factus obediens Patri usque ad mortem, etiam magnum obedientiæ præbuit nobis exemplum: ejusdemque obedientiæ præmium ubinam, quæso, melius ostendi potest, quam in tanti Mediatoris carne, quæ ad vitam resurrexit æternam, & in augustissimo, sanctissimoque ipsius nomine, in quo omne flectitur genu, cælestium, terrestrium, & infernorum? Valde itaque affinis est præcedentis voluminis lucubrationibus hæc de Verbo facto homine pertractatio, qua edocemur præceptiones, adjumenta, exemplum, & retributionem virtutis. Atque his accedit tanta argumenti hujus dignitas & præstantia, ut istud præ ceteris trahat contemplantium mentes *in omnes divitias plenitudinis intellectus*, scribente ad Colossenses Apostolo, latere in Mysterio Christi Jesu thesauros omnes *sapientiæ & scientiæ*. Enimvero scientiam in iis, quæ Verbum caro factum temporaliter & localiter egit ac pertulit, sapientiam in iis, quæ sine tempore ipsi Verbo immortali, & ubique toti conveniunt, bene sapienterque Augustinus in tertiodecimo libro de Trinitate distinguit. Revera neque in rebus, quæ temporaliter fiunt, potest aliquid mirabilius excogitari, quam partus Virginis, Conditoris universorum nativitas temporalis, mors quam pertulit Auctor vitæ, ac tanto pretio soluta filiorum Adæ captivitas: neque in sempiternis divinisque aliquid difficilius inquiri, quam persistens in humilitate Virginei partus gloria antiquæ nativitatis, in corporis circumscriptione divinitatis immensitas, in carnis infirmitate potestas omnipotentiæ: ita nimirum differentes de Christo acquirunt scientiæ & sapientiæ thesauros, dum versantur in humanarum divinarumque rerum sublimiori contemplatione. Id vero ut nos majori cum voluptate assequamur, extra Scholarum fines per spatia Scripturarum sanctarum, per loca Patrum, historicorum, nec non impie dogmatizantium hæreticorum excurrentes enitemur divina intueri mysteria, fidem Orthodoxam exponere, hæreses profligare, & magnum opus recolere perfectæ Reparationis. At cum Judæis adhuc ducem suum præstolantibus videamur annuntiare *scandalum*, Gentibus autem ignorantibus mysteria Crucis prædicare *stultitiam*; cumque in qualibet disputatione primum in quæstionem veniat rei, de qua agitur, veritas & extantia: institui priori hoc libro ipsorum Judæorum pervicaciam retundere, & gentium refutare perfidiam, demonstrans invictis argumentationibus advenisse juxta Prophetarum oracula prænuntiatum humani generis Redemptorem, & hunc esse eumdem Dominum Jesum Christum, in cujus Numine, ut minimus filius Isai adversus Goliath minimus & ego Augustini discipulus contra veritatis hostes certabo.

CAPUT I.

Demonstratur ex Vaticinio Jacob Genes. xlix. v. 10. *venisse Messiam in lege promissum.*

ARDUAM principio hujus libri provinciam suscipio, Propheticum de Christo vaticinium omnium celeberrimum explicandi, & ad veram planissimamque reducendi intelligentiam. Illud namque primum pervicaces Hebræi interpretamentis compluribus tentarunt excutere, postmodum Christiani ipsi implexas instituendo disputationes obscuris-

simum reddiderunt. Animadvertentes enim sceptrum a domo Juda per longa temporum intervalla defecisse, præsertim tempore Babylonicæ captivitatis, & imperium tenentibus Hasmonæis, mirum est in quot opinationes deflexerint, ut probe tuerentur facto prophetiam cohærere. Quidam ideo de Juda sceptrum non defecisse propugnant, quod licet Hasmonæi paterno genere pertinerent ad tribum Levi, materno tamen essent ex Tribu Juda prognati: quas duas tribus Sacerdotalem, & regiam, idest, Tribum Levi, & Tribum Juda fuisse conjunctas liquet ex matrimonio Aaron, qui uxorem duxit filiam Aminadab, & ex Jojada, qui in matrimonium sibi copulavit filiam regis Joram. Hanc sententiam post Origenem tenuere complures, etiam Lyranus, Tostatus, & Dionysius Carthusianus. Ut facilius nodum hunc solverent Genebrardus & Baronius affirmarunt Machabæos ex Juda etiam paterno genere ortos, nonnullis Scripturæ verbis proculdubio decepti. At, alii opinantes faciliori negotio difficultatem omnem posse expediri, si Judæ nomen ob singularem prærogativam ad universam Hebræorum gentem extendatur, conati sunt propugnare nunquam nisi Herodis tempore ablatum sceptrum de Juda; quod tenuerunt Justinus, Eusebius, Diodorus Tarsensis, Casaubonus, Pererius, & alii; qui diversam tamen rationem explicandi propheticum vaticinium adinvenere. Alii quippe causam proferunt, quod Tribus Juda ceteris fuerit gloria, & dignitate præstantior; alii quod ceteris tribubus nomen dederit; alii quod in Tribu Juda solium, sceptrumque perstiterit, etsi persona regia non semper ex eadem Tribu duxerit genus suum. Denique permulti Tribum Juda singulari prærogativa distinctam agnoscunt, sed non ita, ut Rector ac Princeps Judaici populi ex femore Judæ prodierit; sed, vel quia Tribus illa semper jus habuit ad regnum cum temporale, tum æternum instaurandum a Christo, ut docuerunt Cajetanus, & Daniel Huetius: vel quia ipse Tribus Juda sponte Machabæis, quasi loco depositi, Imperium contulit, ut inquit Melchior Canus: vel quia Principes regnaturi, etsi externo sanguine procreati, priusquam regni insignia capesserent, in tribum Juda adlecti erant, & jure hæreditatis, honore germinis, atque civitate donati ut arbitratur Petavius: vel demum, quia sola tribus Juda fuit regno destinata, sola post captivitatem integra perseveravit, & de hac tribu erat major pars populi Regi Judæorum obtemperantis, in eadem tribu sedes Regni, Thronus, Magistratus, ac forma civilis regiminis, ita ut necessarium non sit ad demonstrandam sceptri Judaici in una Tribu Juda persistentiam, quod semper Moderator ac Princeps fuerint ex semine Judæ, sed sufficiat si una ex his conditionibus ad Messiam usque in ipsa Tribu perstiterit.

Quamquam vero hæc omnia a suis Auctoribus magna cum eruditione defendi videntur, unum est obvium, ac planissimum quod possunt Judæi pugnaciter contendere, promitti a Jacobo Legislatorem ac Ducem *ex femore Judæ*: quibus verbis & ego certissimum puto designari, non regionem, non thronum, non adlectum ex aliis tribubus Magistratum, sed virum aliquem Principem, & Jusdicentem vera & propria generatione ex lumbis Judæ progenitum. Quod verissimum esse paullo infra commonstrabo. Si ergo longe ante Jesum Nazarenum Persona hæc principatum tenens defecerit, poterunt Hebræi affirmare, etiam longe ante Christum Jacobi vaticinium fuisse completum; quandoquidem Machabæi, etiamsi dicantur de Tribu Juda ob genus maternum, si non sunt quoque ob paternum, nequeunt appellari *de femore*; & multo minus id competere potest aut Civitati, aut Throno, aut formæ Regiminis, aut Magistratibus ex omni Tribu conflatis: cum apertissima linguæ sanctæ expressione *Dux de femore* aliquam individuam personam principantem, & jus dicentam profectam carnali generatione ex lumbis Judæ, & nihil aliud designet. Hanc vero personam cum in serie plurimorum Regum viri Eruditi minime invenerint, varias opiniones superius expositas promulgarunt: quibus singulis cum non assentiantur Catholici, frustra conabimur, ut subscribant Judæi. Postquam ergo literalem Prophetiæ sensum tradidero, demonstrabo ex ipsis Hebraicis monumentis, nunquam a Davide ad Christum defuisse Principem aliquem ex femore Judæ prognatum, qui judicia exerceret, leges ferret, & sceptri teneret auctoritatem. Diluam postea innumeras Hebræorum cavillationes, & illorum quoque Catholicorum, a quibus recedo, argumentationibus satisfaciam.

VATICINIUM JACOB AFFERTUR ET EXPLICATUR.

Vaticinium itaque his verbis continetur: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Ita Vulgata. Hebraica autem lectio habet; לא־יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי־יבא שילה ולו יקהת עמים: *Non recedet virga de Juda, & Legislator de inter pedes ejus, usquequo veniat Silo, & illi congregatio populorum.*

Particula שבט *Sevet* vel significat sceptrum, & regiam auctoritatem, ut Ps. xliv. שבט מלכותך *Virga regni tui*. Item Num. xxiv. 17. & Ezech. xxi. 13. Vel significat Tribum, ut Judicum xviii. 19. & Esaiæ xix. 13. Ea enim vox שבט proprie significat baculum, ideoque vel accipitur per metonymiam signi pro indicio regiæ potestatis, & idem est ac sceptrum, vel per metaphoram pro stirpe a primo parente derivata, ut baculus germinat e radice, & idem est ac progenies vel tribus. Castigationem, & virgam tribulationis hoc loco significare contendunt Rabbinorum nonnulli. Verum apertissime revincuntur. I. Ipsorum Hebræorum testimonio: omnes enim veteres Rabbini, ipsumque Talmud *Sevet* pro Virga Dominationis accepere. II. Chaldæus pro שבט legit, עבד שולטן: *faciens potestatem*. III. Nullibi particula illa *Sevet* si solitaria sit, & absque adjuncto epitheto afflictionem, imperiumque tyrannicum sonat; sed tantum ubi ponitur cum adjuncto exprimente furorem, & indignationem, ut Psal. II. 9. & Isaiæ x. 5. IV. Cum illa particula conjungitur in cap. xix. Gen. altera demonstrans, ut mox dicam, Legislatorem, & quidem natum ex femore, ut nequeat intelligi Dominator exterus, & Tyrannus. V. Quæcunque Judæ promittuntur faustissima sunt, laus fratrum, victoria inimicorum, agrorum fertilitas, vindemiarum ubertas: perperam ergo fingitur infaustum aliquid prænuntiari. VI. A Davide ad Sedeciam, atque post solutam captivitatem usque ad Herodem non fuerunt Judæi sub virga tyrannici dominatus: ideoque non prædixerat Jacob perseveraturam usque ad Christum illorum servitutem & vexationem. Non ergo virgam tyrannici imperii, sed sceptrum, atque proprii Principis regimen particula illa שבט demonstrat. Quod si eamdem particulam accipias pro ipsa Tribu, ita ut sensus sit, tribum Judam usque ad adventum Messiæ nunquam ablatum iri, quemadmodum contigit ceteris in longinquas regiones asportatis; infertur apertissime Messiam venisse, cum jam ipsa tribus Juda patria, penatibusque relictis dispersa, & ejecta experiatur miserabile ac diuturnum exilium.

Sequitur in Prophetico Oraculo Hebraica vox ומחקק Latine *Dux* & Græce ἡγούμενος Auctore R. Kimchi significat *Dominatorem, qui legem sancit, & exercet judicia*. Juxta Rab. Salom. *Magnum Principem leges præscribentem*. Per Onckelon *Saphram*, idest, *Scribarum Magistrum*, vel *Doctorem*. Nequit hæc interpretatio in dubium verti. I. Ob communem Sapientum consensionem. II. Ob radicalem חקק, unde participium illud fluit, quæ idem est, ac *determinare, & præscribere*, unde a Græcis vertitur, ἀφορίζειν, διαγράφειν, διατάττειν, *describere, & ordinare*. III. Ex apertissimo Scripturæ contextu, videlicet Judicum v. 15. ubi מחקקים Mechokekim, *Duces*, appellantur *Scribæ* Issachar. Quare apertissimus Prophetiæ sensus est, permansurum semper in familia, ac progenie Judæ Legislatorem ac principem, sive amplissima præditum auctoritate, qualem habent absoluti Monarchæ, ac Reges, sed quam minime hæc Prophetia in Tribu Juda diuturnam fore promittit; sive Dominatorem virgam tenentem, & civilem potestatem judicia etiam capitalia exercendi, atque Scribarum Præsidem; sive fungentem Legislatoris officio. Quem virum si præfuisse Judæis usque ad Christum adinvenerimus, & de illo vaticinatum Jacobum, non de Principe, qui semper Rex fuerit, & arma tractaverit, id enim neque prophetica verba, neque ipsi Hebræorum Magistri ullatenus exigunt, obstructæ erunt omnes cavillandi rimæ, neque aliquod erit perfugium perfidis obcæcatisque Judæis.

At proxima verba מבין רגליו *De inter pedes ejus* commonstrant hunc virum principem, judicem, ac legislatorem, futurum ex stirpe, germine, ac semine Judæ: ideoque nunquam revinci poterunt Judæi, si contendas salvari sensum propheticum vel per Thronum, vel per Urbem, vel per Jura Magistratuum, vel per Principes Tribui Judæ adlectos: quod probatur I. Quoniam illa circumlocutio, *De inter pedes ejus*, significat posteritatem, & honesta phrasi genitalia ipsa describit, ut liquet ex Deut. xxviii. 57. ubi de secundinis legitur: *Quæ egrediuntur de inter pedes ejus*. II. Ex Latina, & Græca versione, quarum illa habet *de femore*, hæc vero ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, *ex femoribus ejus*. III. Ex communi Doctorum interpretatione. Vertit enim Thargum, *A filiis filiorum ejus*: Jonathan, *De semine ejus*; R. Kimchi, *de medio pedum ejus*: Talmud Jerosolymitanum, *De filiis filiorum ortis ex semine ejus*. Habeo consentientes fere omnes Hebræos, Latinosque.

Observandum hoc loco quinam fuerit ille Princeps ex Judæ femoribus ortus *virgam* tenens, atque *legem* perscribens, & quomodo auctoritatem exercuerit ad Christum usque. Præcepit Dominus ad Moysen Num. xi. 16. ut congregaret *septuaginta viros de senibus Israel*, quibus judicandi potestas, & regimen populi commissum est. Posteriores Judæi Græco vocabulo Synedrion appellaverunt. Cum autem Deuter. xvii. 9. fiat mentio Sacerdotis, & Judicis, duos Magistratus institutos esse colligitur, Ecclesiasticum unum, politicum alterum: quorum primum Synagogam dixerunt, secundum, ut dixi, Synedrion. Præfuisse Synagogæ Principem Sacerdotum ex Tribu Levi nequit in dubium

dublum revocari. Synhedrio præfidem fuiſſe ex Tribu Juda, & maximam ad Chriſtum uſque auctoritatem habuiſſe etiam tempore Machabæorum demonſtro.

Ac primo de auctoritate hujus principis dicturus ſum, & de ipſius genere, poſtmodum de duratione. Itaque in Chronico, quod inſcribitur *Sepher Olam*, & extat ad calcem Genebrardi legitur: *In templo ſecundo hæc fuit conſuetudo, ut Rex ex familia Haſmonæorum, & ſervie eorum filiis Herodis educeret & reduceret exercitum, curaretque omnia, quæ ad regnum pertinerent. Verum quæ ad legem ſpectabant ſtatuta ac judicia ad os, ſeu mandatum Principis de domo David fuere facta*. R. Zemach fol. 33. *Nam mos erat Hieroſolymis, quamdiu eſſet regnum ex familia Haſmonæorum, & poſt eos ex familia Herodis, ecce ſemper fuit Princeps de domo David. Nam Rex curabat exercitum, & res bellicas; ſed quæ ad legem pertinebant, ſtatutaque, ac judicia ad nutum Pontificis, & Principis ex familia Davidis adminiſtrabantur*. In Bereſcith Rabba ita explicatur Prophatia: *Non recedet*, &c. *Iſti ſunt ſedentes Jabbet, docentes ſententias in Sanhedrim magna .... Et quid eſt, Non recedet ſceptrum de Juda? Hoc plane ſibi vendicat, quod non eſt conceſſum Saabedrim poteſtas judicandi judicia, niſi omni tempore, quo ſedebant in camera dolata. Cum enim migraverunt inde ad locum alium, ceſſaverunt judicia animarum, ſicut ſcriptum eſt Deut.* XVII. v. 10. Atque ita omnia exſcribam, quæ legi poterunt apud Galatinum, Martinum Helvicum, Bartholaccium, Imbonatum, Raymundum Martini, alioſque; in Talmud Cod. Sanhedrim ita Prophetia explicatur, לא יסור שבט מיהודה אלו ראשי גליות שבבבל שרודין את ישראל בשבט: ומחקק מבין רגליו אלו בני בניו שלהלל שמלמדין תורה ברבים: *Non recedet Virga ex Juda: Hi ſunt Capita captivitatis, ideſt, qui ſunt in Babylone, & regunt Iſraelem virga, Et legiſlator de inter pedes ejus: Hi ſunt filii filiorum Hillel, qui multos docent legem*. De Principe ergo Synhedrii judicia exercente accipiendum eſt oraculum Jacobæum: quem principem ſemper fuiſſe ex progenie Davidis liquet ex dictis, & manifeſte fatentur Hebræorum Chronologiæ, nec non Rabbini complures apud Helvicum, & Imbonatum.

Illuſtriſſimus Daniel Huetius Demonſt. Evangel. Prop. IX. reſpondet hanc ſententiam ceteris eſſe infirmiorem, utpote ex Rabbinorum commentationibus derivatam. Sed primum quis facile ſibi perſuadeat concorditer Rabbinos omnes in ſui perniciem tam ſplendida fuiſſe mentitos? Deinde apud Joſeph Ben-Gorion lib. V. cap. 4. & Joſephum Antiq. XIV. cap. 9. habetur oratio R. Sameas Principis Synhedrii, qui compulit Herodem cædis accuſatum ad dicendam cauſam coram Hircano. Ex qua oratione apparet Synhedrium in judiciis etiam Capitalibus majorem habuiſſe auctoritatem, quam Regem. Vide orationem illam Tomo I. Operum Joſephi cum notis Hudſoni pag. 701. Præterea etiam Patres communiter docent uſque ad Chriſtum permanſiſſe Sceptrum apud poſteros David, quod niſi de Principe Synhedrii accipiatur, falſum erit omnino. *Davidica Sedes* (inquit Epiphanius H. XXIX., quæ eſt Nazaræorum) *perpetua ſucceſſione ad Chriſtum uſque permanſit, cum nullo unquam tempore de Judæ tribu Principes defiiſſent, donec ille venit, cui repoſita erant*. Tandem quem ex femore Judæ Principem ac dominatorem regnantibus Haſmonæis & Herode adinvenies, niſi ſit ille Dux, Aechmalotarcha, & Caput Synhedrii?

Demonſtrandum eſt jam hunc Ducem non defeciſſe niſi ſub adventum Meſſiæ, ideſt, Chriſti. In Codice Jotta pag. 53. habetur ſceptrum & honorem legis ceſſaſſe ſub Gamaliela, quem Julius Bartholaccius Tom. I. Biblioth. Rabbinicæ pag. 729. demonſtrat obiiſſe ante Jeroſolymitanum excidium an. 18. Hujus autem Gamalielis Epiſtolæ, & Decreta pleniſſimæ auctoritatis extant in Codice Synhedrim cap. I. p. 11. & in eadem Bibliotheca Rabbinica loco nuper citato. In Bereſcith Rabba, ut vidimus, habetur permanſiſſe uſque ad migrationem Synhedrii in alium locum, quod contigit juxta Talmud Jeroſolymitanum anno ante Templi excidium quadrageſimo. Quod Petrus Galatinus lib. IV. cap. 6. ex communi Rabbinorum traditione confirmat. Et ne hæc quoque ad fabulas amandentur; certum eſt ex Joſepho loco ſuperius citato, atque ex Hiſtoricis aliis fide digniſſimis, quod *Herodes regnum adeptus, omnes qui tum fuerant in Synhedrio, atque adeo Hircanum ipſum interfecit, excepto Samea: ipſum enim propter ejus juſtitiam magno habebat in honore: quod poſtea obſeſſa urbe ab Herode, & Soſio, populum monuiſſet, ut Herodem admitterent dicendo ipſos eum propter peccata effugere non poſſe*. Ita Joſephus lib. XIV. Antiq. cap. 9. Recte ergo Galatinus ibidem: *Tunc proprie & vere de Tribu Juda regni ſceptrum ablatum fuit, cum nemo de regio genere remanſiſſe crederetur: tunc etiam judiciaria poteſtas ab eis amota eſt, cum omnes Sanhedrim Herodes ipſe interimi fecit*. Sed revertendum ad textus expoſitionem.

Proxima verba ſunt עד כי יבא שילה, *Donec veniat Silo*. Quidam Hebræorum ſic vertunt, *In æternum poſteaquam venerit Meſſias*, ut ſenſus ſit, numquam ſceptrum poſt Meſſiæ adventum de Tribu Juda defuturum. Hoc probat Rab. Bachai, ex quo ſub particula עד *Aad* ſit accentus *Jethibh*, illam disjungens a ſequenti vocula כי *Chi*. Sed revincitur apertiſſime. I. Ex cap. XVI. Geneſ. v. 13. ubi non alium ſenſum habet utraque particula, niſi latinæ *donec*, *uſquequo*, aut conſimilis. II. Ex communi aliorum interpretatione: Onkelos enim, Jonathan, Jeroſolymitanus, Abenezra, aliique verterunt, *Donec*. III. Ex probata ab omnibus regula Davidis Levitæ circa accentus. Nam Hebraica ſcriptura ſex diſtinctionis accentus connumerat, *Silluc*, *Athnach*, *Segoltha*, *Zakeph*, *Rebhia*, & *Jethibh*. Diſtinguit *Silluc periodum*: *Athnach*, & *Segoltha* periodi membra; reliqui accentus ſigna ſunt minimæ diſtinctionis. Eſt autem in hoc textu ante particulam עד accentus *Athnach*; ideoque particula illa pertinet ad membrum conſequens.

Reſtat poſtrema particula שילה *Silo*. Aliqui hanc derivant a שיל & affixo feminini generis ה, ita ut ſignificet *Filium ejus*, ex femina tantum progenitum; idem eſt enim שיל ac operimentum, vel *ſecundina* mulieris: unde vertit Jonathan, *Donec veniat Meſſias, parvulus filiorum ejus*. Deducunt alii ab שלה, quod ſignificat *felicem*, vel *ſoſpitatorem eſſe*, ita ut idem ſit שילה, ac *Salvator*, & *Auctor felicitatis*. Propterea vertit Samaritanus, *Donec veniat Pacificus*. Permulti a relativo ש, ac pronomine לו ut ſenſus ſit; *Donec veniat cujus eſt regnum*, ut habet Onkelos; ſive, *Donec veniat cui repoſitum eſt*, aut, *Donec veniant quæ repoſita ſunt ei*, quomodo legerunt LXX. nec non antiquiores Eccleſiæ Patres, ut Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Euſebius, Cyrillus, & Auguſtinus. Arbitrantur permulti alii legendum eſſe שילח ab שלח quod eſt *mittere*, ut ſenſus ſit, *Donec veniat qui mittendus eſt*, quemadmodum habet Latina Vulgata; atque hinc inferunt mendum irrepſiſſe in Codices Hebræorum Huetius, Salmeron, & Morinus. Sed Hebraicum Codicem facile eſt hoc loco defendere. Primo quoniam Judaicæ Paraphraſes antiquiſſimæ & Græci, Latinique Interpretes videntur potius attigiſſe ſignificationem שילה quam שילח. Deinde quia non videtur Hebraicum Codicem habuiſſe hæc omnia verba אשר יש לו כלה *Qui mittendus eſt*. Tertio quia etiam participium *Miſſus*, non שילח ſcribendum videtur, ſed שלוח. Nec proinde detrahitur Vulgatæ verſionis auctoritati; quin maxime eſt commendanda, quod inter varias illius vocis שילה ſignificationes elegerit propriiſſimum characterem Meſſiæ, qui Iſaiæ XVI. 1. appellatur *Mittendus*: maxime, quod cum Vulgata conſentiat etiam præclariſſimus Doctor Hieronymus, Si tamen mavis ſcriptum olim שילה, probabo maxime. & Hæreticis Romanos arguentibus opponam Grotium in hunc locum, & in cap. IX. Joannis, & quod caput eſt, ipſa Evangelii verba, *Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur Miſſus*.

Verum quæcunque ſit origo illius vocabuli *Silo*, certiſſimum eſt ſignificare promiſſum in lege Meſſiam. I. Quia Onkelos reddidit *Donec veniat* משיח *Meſſias*; & Jeroſolymitanus, *Donec veniat* מלכא משיחא *Rex Meſſias*. II. Quia *Silo* eſſe nomen Meſſiæ fatentur R. Joahanan, & R. Schela cum cæteris innumeris, nec non ipſum Talmud Codice Sanhedrin cap. II. fol. 98. III. Quoniam omnis allata Interpretatio Meſſiæ quadrat, cum ipſe ſit *parvulus*, ac *filius Virginis*, Iſaiæ VII. 14. & IX. 6. Ipſe *Dominator, & throni Davidici heres*, Pſalm. CXXXI. 11. & Daniel. VII. 14. *Ipſe princeps pacis*, & *ſalvator populi*, Iſaiæ IX. 7. & Michææ V. 5. Ipſe *venturus* olim, *mittendus*, *ac deſideratus*, Habacuc II. 3. & Aggæi II. 8. De Meſſia ergo explicanda eſt particula שילה *Scilo*, undelibet derivata dicatur. Atque pro explicatione prophetici oraculi hæc dixiſſe ſufficiat.

PROPOSITIO: Ex laudato vaticinio invicte demonſtratur jam advéniſſe promiſſum in lege Meſſiam.

Jacobus enim prænuntiavit non receſſurum Principem ac legiſlatorem, ſive regia majeſtate fulgentem, nationemque Judaicam pleno regimine moderantem, ſive Synhedrii Rectorem ac Præſidem ex ſucceſſione ac germine Davidis, quoadusque veniret Silo, ideſt, deſideratus cunctis gentibus, Princeps pacis, cujus poteſtas æterna, & regnum quod non auferetur. Hunc quippe ſenſum exhiberi præmiſſo vaticinio liquet ex poſitis notationibus, Scripturarum divinarum contextu, linguæ ſanctæ proprietate, traditione Rabbinorum, cohærentia Verſionum, aliorumque documentorum præſidio firmatis. Atqui jam ab annis plurimis, atque a Regno Herodis Aſcalonitæ ceſſavit in Tribu Juda Dominator, Scribarum princeps, Synhedrii Naſci, nec remanſit aliquis ex Davidico genere, qui in poſterum polleret auctoritate, & exerceret judicia; ut pariter demonſtratum eſt. Ergo ab eo tempore Meſſias in lege promiſſus advenit.

CAPUT II.

Rabbinorum commenta dispelluntur.

SUNT quidem præcedenti capite interpretamenta quælibet Rabbinorum dispuncta: sed ut penitus refutentur, ipsos adversum nos arguantes æquo animo patiamur. Primum ergo eorum objectamentum est: Particula שבט *Scevet* Virgam significat, atque *Virgam* reddidere Pagninus, & alii, ideoque hunc sensum exhibet, Non recedet a Judæis afflictatio, Tyrannorum potestas, & calamitosa vicissitudo, quoadusque veniat Messias Sospitator, ac Dominator pacificus. At suere Judæi ad hæc usque tempora captivi, dispersi, Gentiumque ludibrium sub virga illa gementes. Non ergo venit Auctor illorum felicitatis, atque repromissus Dominator.

Resp. falsam esse hanc illius particulæ שבט interpretationem, ut supra argumentis pluribus demonstravi, 1. ex paraphrastis. 2. ex solitaria hujus particulæ positione. 3. ex adjuncta voce *Umechokek*. 4. ex prophetiæ contextu. 5. ex rerum eventu. Significat ergo ea vox vel Dominatorem, ut vertit Hierosolymitanus, *Non deficiet exercens dominium*, vel ducem scribarum, Synhedrii Magistrum, ut habet Berescith Rabba, *Non recedet Synhedrim*, & R. Rambam, *Non deficient Aechmalotarchæ*.

Deinde opponunt: *Sensus prophetici oraculi est perpetuum futurum esse Sceptrum in Tribu Juda postquam Messias adveniet, cum particula* עד *a sequenti accentu divulsa sit, præsertim cum Messiæ regnum Esaias, & Daniel sempiternum fore prænuntient. At perenne illud ac faustissimum regnum nondum consecuta est Tribus Juda. Jure ergo præstolatur gloriosissimum illum Dominatorem.*

Resp. a vero sensu particulam עד. detorqueri: quod pariter demonstratum est, 1. quod nullibi particulæ עד & כי reperiuntur ita divulsæ, ut una ad præcedens membrum, altera ad sequens sit referenda. 2. ex regulis accentuum. 3. ex veterum omnium interpretamentis. Explodenda est itaque illa Rab. Bachai commentatio, & somnium aliorum Judæorum expectantium perpetuum quoddam Imperium a Messia instaurandum, cum huic regnum spiritale, & alterius generis, ut post dicemus, fuerit repromissum.

Præterea objiciunt: Ad complexam illam particulam עד־כי sequitur verbum יבא, quod non significat *veniat*, ut communiter redditur, sed *destruatur*, ut liquet ex Psalmo LXXVIII. 61. *Et repulit tabernaculum Silo &c.*: ideoque sensus est, *Non auferetur Sceptrum de Juda, usque dum destruatur urbs Silo*, aut, *Transferetur sceptrum in Juda, postquam Silo vastabitur*. Non spectat igitur ad Messiam hæc Jacobi vaticinatio.

Resp. commentum istud ceteris esse deterius. 1. quia nusquam reperies verbum בוא pro *devastari*, aut *everti*. 2. quia Silo quando urbem significat, ac præsertim Psalmo ac versu citato, scribitur שילו, non שילה. 3. quia urbs Silo permansit etiam post Babylonicam captivitatem, ut liquet ex Jerem. cap. XLI. 5. Tandem quia, ut probatum est, nec Judæi inficiantur, ante dirutam urbem Silo regnarunt David, ejusque posteri, & post solutam quoque captivitatem ad Herodem usque imperarunt Aechmalotarchæ.

Quarto loco objiciunt: Particula עד *donec* non significat ubique rei, de qua sermo est, intermissionem vel finem, sed frequentissime continuationem, ita, ut in propositionibus affirmantibus idem valeat ac *semper*, & in negantibus idem ac *nunquam*. Usurpatur pro *semper* Ps. CIX. 1. *Sede a dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Esaiæ XLVI. 4. *Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo*. Matthæi XXVIII. 20. *Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Act. III. 21. *Quem oportet cælum suscipere usque in tempora restitutionis eorum*. His enim locis perpetuum Christi regnum, perpetuam protectionem, perpetuum cæleste habitaculum designatur. E contra usurpatur particula *donec* pro *nunquam* Genes. VIII. 7. *Non revertebatur donec siccarentur aquæ*. II. Regum VI. 23. *Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*. Matth. I. 25. *Joseph non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Certum quippe est nunquam corvum rediisse ad arcam, nunquam post mortem Michol peperisse, nunquam Deiparam fecisse jacturam virginitatis. Eapropter Helvidio hunc postremum locum objicienti respondet Hieronymus, *Scriptura, quod factum non sit, ostendit*. Illa ergo particula *donec* in Vaticinio Jacobi demonstrat *nunquam* a Juda post adventum Messiæ sceptrum ablatum iri.

Respondeo eamdem particulam *donec* significare etiam terminum temporis, quo exacto evenit, quod ante illud tempus removetur; ut Gen. XIX. 22. *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*. Levit. XII. 4. *Non ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ*, aliisque in locis. Porro in Prophetia Jacob ea particula non idem valet ac *semper*, aut, *nunquam*, quoniam aliquando sceptrum ablatum est. Significat ergo terminum temporis. Deinde, etsi particula illa *donec* nihil affirmet vel deneget post terminum prænuntiati temporis, definit tamen dubium quod maxime scire ex ipsa oratione cupimus, circa tempus præcedens. Ex hac enim Oratione, *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquæ*, etsi non inferatur quod corvus ad arcam redierit exsiccatis jam aquis, deducitur tamen apertissime, nunquam corvum in arcam introisse, priusquam aquæ exsiccarentur: quemadmodum ex altera enunciatione certe colligimus nunquam Michol peperisse; atque ex tertia perspicuum est Mariam semper virginitatem servasse ante partum. Quamquam ergo particula *donec* in prophetico Jacobi oraculo non enuntiaret quid de sceptro Judæ futurum sit post tempora adventus Messiæ, declarat tamen apertissime semper permansurum in domo Juda usque ad Messiæ adventum; ideoque si ablatum est, Messias jam venit. Omnia ergo allata exempla pervicaciam Judæorum redarguunt. Ad hæc supponit ista argutatio particulam *donec* idem valere ac *postquam*; quod refutatum est supra. Insuper etsi עד, *donec*, solitarium foret significationis ambiguæ, hic tamen conjunctum est cum כִּי, atque ad certum sensum contractum.

Præterea Rabbinorum omnium consensu Jacobi scopus fuit tempus futuri Reparatoris præfigere, certamque adventus ejus notam proponere. Prætermitto haberi in Hebræorum Codice de corvo Gen. VIII. 7. *Exiit exeundo, & redeundo*, יצא יצוא ושוב

Objiciunt rursus Judæi: *Tempore captivitatis Babylonicæ sceptrum a Tribu Juda recessit, atque post captivitatem regnarunt usque ad Herodem Machabæi, qui erant de Tribu Levi; nec tamen credunt Christiani eo tempore advenisse Messiam. Non ergo præbet certum hujus adventus characterem prænuntiatio Jacobi.*

Resp. Captivitatis tempore non solum Evilmerodachum iterum ad Thronum sublevasse Regem Joachin, ut habetur postremo capite librorum Regum, nec solum detento in carcere Joachimo constitutum super Judam & Jerusalem a Nabuchodonosore Sedeciam Joachimi patruum, ut legitur in fine Paralipomenon; quod argumento est Judæ sceptrum tunc imminutum fuisse, non ablatum: sed præterea tam in captivitate, quam ea soluta habuerunt Hebræi legislatorem, sive Aechmalotarcam & Caput Synhedrii, in quo perstitisse Judæ sceptrum, consentiunt, ut vidimus, Rabbini. De hac Sceptri continuatione explicat Targum ea verba, Cantic. VI. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum*, dicens, *Descendit in Babyloniam ad sapientes Sanhedrim*. Atque hujus Senatus Principes fuisse ex femore Juda usque ad Herodem exploratissimum est apud Hebræos. Et quidem usque ad Nehemiam præfuisse ex sacris literis invenimus Zorobabelem filium Salathielis, de quo 2. Esdræ XII. 1. & Aggæi I. 12. Commemoratur & Daniel, quem fuisse *de filiis Juda* constat ex cap. I. v. 6. adeptum vero summam auctoritatem & præfecturam Magistratuum, ex cap. II. v. 48. Nehemias autem Cap. V. 15. memorat alios ante se *Duces*, eosque appellat vocabulo פחה designante supremum Præfectum. Ipsum Nehemiam fuisse de Tribu Juda constans est opinio Hebræorum, a qua nec alieni sunt Græcorum Historici, scribente Eusebio Cæsariensi in Chronico: Νεεμίας ἐκ φυλῆς Ἰούδα, & Cedreno expressius, Νεεμίας ἐκ τοῦ σπέρματος Δαβίδ, *Neemias ex Tribu Juda, & ex semine David*. Qui enim Nehemiam adnumerant Sacerdotibus, ducuntur capite X. Esdræ, & 2. Machabæorum I. 18. ubi videtur cum Sacerdotibus recenseri. At in lib. Machab. asseritur tantum Nehemiam ædificato templo sacrificia obtulisse, & aperte distinguitur a Nepotibus Sacerdotum, quos misit ad requirendum ignem: & in Esdra adnumeratur sacerdotibus ut Princeps, & populi Rector, non ut unus eorum; scribitur enim ibidem fœderis literas obsignasse Principes, Levitas, & Sacerdotes. Sed & Scaliger respondet plures fuisse Nehemias, Principem unum, Sacerdotem alterum, & hunc laudari c. X. Esdræ probat ex adjuncto cognomine *Athersatha*: quod mihi nulla ratione probatur, cum juxta Abenezram *Athersatha* significet Pincernam regis, vel Persica lingua Ducem ac Principem; idque colligitur etiam ex 1. Esdræ I. 8. & II. 63. ubi eo vocabulo appellatur Zorobabel Princeps dubio procul ex Tribu Juda. Atque his magis corroboratur sententia nostra, quod Magistratuum Præfectus semper usque ad Herodem fuerit de Judæ femoribus: unde ait Rab. Salomo: *Scevet significat principatum inferiorem: suntque ii, qui gubernant populum indultu Regum Persarum*; & Rambam, *Aechmalotarchæ locum regis obtinent: iisque competit jus in populum dominandi, quia dictum est, Non auferetur sceptrum, &c.*

Præterea opponunt: Frustra detorquetur particula שילה *Scilo* ad significandum Messiam; cum potiori jure pluribus aliis conveniat. Ac primo designare potest Moysen, quem fuisse Legislatorem Hebræorum nemo ignorat. Competit & Sauli, is enim omnium primus regiam dignitatem obtinuit, cum in Silo servaretur sacrum oleum, & Arca. Propriissime etiam quadrat David; parvulo filio de tribu Juda, & minimo natorum Isai. Peculiari quoque charactere demonstrat Jeroboamum, a quo decem Tribus a regno Salomonis fuerunt discissæ: quod 3. libro Regum XI. 29. prædixit Ahias *Silonites* scindens in 12. partes pallium suum. Denique explicari potest Prophetia de externis Regibus

bus missis ad Judæorum scelera punienda; quales fuerunt Nabuchodonosor, Pompejus, Herodes, Vespasianus.

Resp. Per vocabulum *Silo* non nisi Messiam significari probat omnis etymologia, omnis scripturarum collatio, omnis Rabbinorum consensio. Legant pervivaces Hebræi Targum, Onkelon, Jerosolymitanum, Talmudistas, & quos superius commemoravimus. Legant & Masorethas, nec non Gematricæ Cabbalæ Auctores, qui eumdem numerum 358. animadvertentes in יבא שילה atque in משיח, vel ipsis ineptiis traditionem universorum comprobatunt. Revera Sauli nulla ratione competit particula שילה, I. quia ante Saulem non fuit sceptrum in Tribu Juda, sed ab ipso Saule pertransiit in Davidem. II. Sauli a Deo, a suis, a gentibus reprobato nequit competere speciosum illud cognomen *Expectatio gentium*. III. Saul inunctus fuit in Regem, ut habetur lib. I. Regum IX. & X. in Masphath, non in Silo. IV. Tempore unctionis Saul Arcam Domini viri Cariathiarim asportaverunt in domum Aminadab. Neque *Silo* designare potest Moysen. I. Quia non est Moses de femore Judæ, sed Levi. II. Quia ante Moysen nulla fuit penes Judæ tribum sceptri auctoritas, vel potestas. III. Quia non principium dominationis, sed ablationem ac terminum Jacob prænuntiavit. IV. Quia ab illo prædicta sunt, quæ compleri debebant *in novissimis diebus*, & exitum de Aegypto non solius tribus Judæ, sed Hebræorum universorum jam prædixerat Deus Abrahamo Gen. XV. 14. Quid vero de David? In Davide transit sceptrum ad tribum Juda, non inde divulsum est. Jeroboamus autem Judæ sceptrum diminuit, non abstulit, neque in *Silo* unctionem Regis accepit, sed in *Sichem*, ut liquet ex III. Regum XII. I. Ineptissimum præterea est *Silo* scriptum שילה pro viro *Silonite* accipere, cum ex hisce literis nec urbem, nec urbis civem possimus deprehendere. Ceteri neque *de femore Judæ* dici possunt, nec *desiderium gentium*: atque, ut vidimus, per Nabuchodonosor sceptrum de Juda non fuit ablatum, quemadmodum nec per Pompejum, qui devicto Aristobulo constituit regem Hircanum, nec Magistratuum jura delevit. Imperante Vespasiano, atque sub Herode sceptrum defecisse dictum est supra.

Arguunt ulterius Rabbini יקהת עמים, quod Latini reddiderunt *Expectatio gentium*, significat gentium *contusionem*, atque *oppressionem*; est enim a radicali קהה quod est *obstupescere & contundere*, ut sensus sit adveniente Messia gentes omnes evertendas, & conterendas. Id vero nondum completum est, & consequenter promissus Messias non advenit.

Resp. non commentum istud esse, sed crassum somnium, & singularem dementiam. I. Quia litera *Jod* demonstrat derivatam vocem יקהת a radicali יקה, quod est *audire & obedientiam præstare*; unde nulla extat Versio, quæ illam vocem *Ichead* non expresserit hac alia *expectatio*, vel *aggregatio*, vel *obedientia*. II. Onkelos diserte vocabulum illud exponit sequentibus aliis וליה ישתמעון עממיא *Et illi obedient populi*. III. in Bereschith Rabba, sive magna Expositione Geneseos ad illam dictionem legitur: *Futurum est, ut Gentes sæculi deferant munera Messiæ filio David*. IV. Cum de ablatione sceptri Judaici sermo sit, enuntiarentur pugnantia, si יקהת *oppressionem gentium* significaret, & non potius *aggregationem*.

Objiciunt alii: Si יקהת significat *obedientiam*, עמים non Gentes designat, sed Judæos. Expectandus est ergo Rex ad quem Hebræi omnes confluentes felicissimo, amplissimoque regno fruantur.

Resp. Judæos unum populum esse, non plures, ideoque appellari עם, non עמים, neque constare cum ablatione sceptri auspicium majestatis, & tribuum aggregationem.

Adhuc opponunt: Nondum de Juda sceptrum ablatum est; regnat quippe adhuc in Asia ortus de tribu Juda Aechmalotarcha: possident Judæi & regnum florentissimum in Syria ultra Sabbaticum flumen: ipse Turcarum Imperator aliique Principes maximi ex Judæorum populo originem trahunt. Extant alibi illustria Judaici regni insignia; & dato, quod nullibi regnarent, retinent jus ad regnum, eoque jure summa adhuc auctoritas perseverat.

Respondeo has recentiorum Judæorum fabulas etiam a suis irrideri. Refutantur autem I. Ex Talmude Jerosolymitano, cujus in libro Sanhedrim extat sincera confessio: *Væ nobis, quia ablatum est sceptrum*: & ex Rab. Bachai scribente, *Hodie non habemus regem, neque principem*. II. Ex proloquio Hebræorum, quod *mentiri dicendus est, qui procul facit testes suos*. III. Ex quo universi Orientis Principes, licet exorti forent ex decem Tribubus a Salmanasare trans Euphratem adductis, neque servant Mosaicam legem, neque pertinere ullatenus possunt ad Tribum Juda, quæ permansit in terra Chanaan. IV. Quia similia Judæis somniantibus circa annum Christi XCV. imperator Domitianus undique conquisitos qui ex regia Davidis stirpe genus ducerent, duos tantum reperit ex ipsa cognatione Christi, sed adeo pauperes, ut suis manibus arva colerent, ad tributa solvenda, & comparanda sibi ad vitam necessaria. De qua re vide Eusebium lib. III. H. E. c. XX. V. Jus, quod jactant se habere ad regnum, cum tota stirps Davidica cessaverit, & universa gens Hebræorum dirutis Jerosolymis, Temploque everso per orbem dispersa sit, nonnisi crassum stultumque figmentum potest censeri: maxime quod talia comminisci poterunt usque ad mundi finem, si fas sit somnia ejusmodi venditari. Propheticum denique vaticinium Oseæ III. 4. ימים רבים ישבו בני ישראל אין מלך ואין שר *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe*, quandonam, nisi forte in tam diuturna captivitate, complebitur?

Insuper objectant: Plures sunt in sacris literis prædictiones, quæ ob hominum peccata minime implentur, atque hujus generis esse promissionem Reparatoris, regnique Judaici perpetuam instaurationem.

Respondeo quandoque ab invitis pectoribus erumpere veritatem. Judæi utique ob gravissimum aliquod crimen tot, tantisque calamitatibus premuntur. Sed gravius erit peccatum filiæ Sion flagitiis Patrum suorum, qui adoraverunt idola, ac dæmoniis natos suos immolarunt, quoniam superat præteritas clades atque infortunia postremum Jerosolymorum excidium, & præsens captivitas. Peccatum istud maximum est occidisse Christum Domini, cujus mortem juxta Danielis oraculum IX. 26. subsecuta est *vastitas, & post finem belli statuta desolatio*.

Ex his Judæorum effugiis colligimus, etiam oppositionibus suis ipsos damnari, & refelli. Dum enim coarctantur tam aperta de sceptro Judaico prophetia, reponunt non de sceptro regni, sed de virga afflictionis locutum esse Jacobum. Exploso hoc mendacio, Mosi vaticinium attribuunt. Refutati Saulem intrudunt. Implicati magis in scenam producunt nunc Jeroboamum, nunc alios, coacti ad proprios hostes confugere. Dum vexationem maximam experiuntur, somnia narrant de felicitate regni, ad quod prohibentur accedere. Quasi a somno excitati pœnam non denegant, sed pervicaciam non frangunt. Frustra ergo excutere argumenta nostra conantur. Erit fortasse qui dicat, Eccur tam manifestum signum adventus sui Christus non prædicavit? cur sceptrum jam ablatum minime ostendit? Id miseri propriis oculis spectabant, & persuasum singulis erat proximum esse Christum venturum, aut jam advenisse. Nam & Judæorum quidam se Messiam esse ambitiose jactarunt, quidam alii Messiam latitare dixerunt. Etiam apud Gentiles percrebuerat fama egressurum eo tempore ex Judæa magnum Regem, qui rerum potiretur, ut inquit Hist. lib. V. Tacitus. In characteribus Messiæ dignoscendis decepta principio est Judaica superbia, quæ gloriosum, non humilem Regem præstolabatur, opibusque & armis clarissimum, non sanctitate & virtutibus. Propterea hortabatur illos piissimus Salvator, ut Moysi crederent, & scrutarentur scripturas, revocans, inquit Huetius Prop. IX. cap. IV. *in memoriam vaticiniorum ad se pertinentium*.

CAPUT III.

Respondetur Catholicis aliarum sententiarum auctoribus.

AT inquiunt quidam Catholici: Via ad revincendos Judæos magis expedita est, si dicamus usque ad Herodem sceptrum permansisse in Tribu Juda, quod ad ipsam Machabæi genere materno spectarent, & post ipsos regno potitus sit Herodes Ascalonita, sub quo idcirco regia potestas a Judæorum genere defecit.

Respondeo parum hac sententia urgeri Judæos. Nam I. Huetius demonstrat nullo numero apud Judæos ipsos maternam stirpem censeri. II. Incertum est, atque inverisimile omnes Sacerdotes mulierem de Tribu Juda in uxorem duxisse, spretis contribulibus suis nobilissimis. III. Quemadmodum Christus, licet Maria genere materno esset ex tribu Levi, non censetur nisi de Tribu Juda: ita Machabæi, licet materno genere ex Tribu Juda prognati, non possunt censeri, nisi de Tribu Levi. IV. Ea verba *De femore Judæ* paternam, non maternam stirpem commonstrant, cum designent generationis stipitem, rectamque posterorum germinationem.

Propugnemus, inquiunt alii, si prædicta sententia minus valida est, alteram longe probabiliorem, quod Machabæi ad tribum Juda paterna quoque linea spectabant. Nam id aperte deducitur ex libro I. Machabæorum cap. V. 63. ubi de Machabæis legitur: *Et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel*.

Resp. hanc alteram opinationem nec tolerabilem esse. I. Quia hoc loco *Juda* non significat aliquam Tribum, sed est proprium Machabæi nomen, ut constat ex præcedenti versu 61. *Non audierunt Judam, & fratres ejus*; & ex seq. 63. *Et excrevit Judas, & fratres ejus, &c.* II. Quia versus ille 63. ita habetur in Græco: Καὶ ἀνὴρ Ἰούδας, ϗ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ. *Et vir Judas, & fratres ejus*. III. Machabæi officio sacerdotali fungebantur, ut constat de Mathathia lib. I. cap. 2. 1. *In diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis, filii Simeonis, Sacerdos ex filiis Jaarib ab Jerusalem*: de tribu autem Judæ *nullus* (inquit Paulus ad Hebræos cap. VII. 13.) *altari præsto fuit*. IV. Quia non hæreditario jure, sed ex populi electione Machabæi consecuti sunt regnum, ut constat ex I. Mach. IX. 28. V. Quia etsi detur, quod falsum est tamen, Machabæos fuisse de Tribu Juda; quid de iis affirmabimus, qui ante Machabæos

bæos

bæos post solutam captivitatem, idest, ab anno mundi 3475. usque ad annum 3837. regnaverunt?

Ergo, dices, adhærebimus iis, qui tenent sceptrum non ablatum de domo David, quoniam ipsa Tribus Juda Assamonæos elegit, eisque quasi loco depositi proprium regnum asservandum commisit.

Resp. His nunquam Judæis satisfactum iri. I. Quia Sacerdotum Principes ante Mathathiam non electione Tribus Judæ, sed Regum Persarum concessione novum Templum atque res sacras curarunt. II. Quia Mathathias ipse Assamonæorum primus non electus a viris Juda thronum conscendit, sed collecto piorum exercitu, & cæso Antiochi præsidio, ut habetur cap. 2. prioris libri Machabæorum, versu 45. III. Quia Judas Machabæus, ut ibidem legitur v. *66.*, ab eodem Mathathia morti proximo constitutus est Dux belli, & Princeps militiæ: quæ provincia cap. IX. v. 28. commissa est Jonathæ ab omnibus amicis, & commilitonibus fratris sui, Simoni vero cap. XIII. 8. ab universo Exercitu, ac populo conclamante: *Tu es Dux noster loco Judæ, & Jonathæ fratris tui*. IV. Quia si defuit Tribui Judæ Contribulis ad regendum sceptrum idoneus, defuit dux מבין־רגליו *De femore*.

Cum ita res se habeat, ais, amplectamur pervulgatam sententiam eorum, qui tradunt in vaticinio Jacobi nomine Tribus *Juda* ceteras etiam comprehendi, eo quod fuerit illa præ aliis filiorum numero, divitiarum copia, regnique gloria præstantior, ita, ut Hebræi omnes fuerint *Judæi* ab hac una tribu promiscue appellati.

Resp. neque hac via insistentes nos aberrantibus Judæis obviam ituros. I. Quia Ducis & Legislatoris nomine non gentis suæ multitudinem, sed singularem personam de femoribus Juda exeuntem designari contendunt. II. Quia reliqua omnia a Jacob de Juda prænuntiata ita uni Tribui conveniunt, ut ceteris nequeant esse communia. III. Quia Duces diversarum Tribuum dici non possunt ex femore uno progeniti. IV. Quia nec certum est semper Tribum Juda fuisse ceteris præstantiorem, soluta præsertim captivitate, quando vix ei remansit pristinæ dignitatis imago. V. Quia iden Tribus Juda universæ Hebræorum genti de se nomen fecit, quia sola cum parte aliqua tribuum Simeon ac Benjamin, discisso sub Jeroboam regno, adhæsit Roboamo; non autem ob sceptri dignitatem, divitiarumque amplitudinem.

Accedamus itaque, asseris, ad scitum recentiorum affirmantium per ea verba, *sceptrum de Juda, & dux de femore*, significari vel personam Dominatoris, vel regiam urbem, vel thronum, vel formam regiminis, ita, ut semper salvetur aliqua illius Tribus proprietas sub Assamonæorum imperio.

Respond. Neque hoc ariete frangi pervicaciam Judaicam. I. Quia neque urbi, neque throno, neque regimini, neque adlectis aliunde Magistratibus competit esse *de femore Juda*. II. Quia vel hæc omnia Tribui Judæ conveniunt simul, & ablatum est sceptrum, cum pertransiit ad regiam alienæ Tribus personam; vel sat est si conveniant disjunctim, & sic neque ablatum est sub Herode: qui licet dicatur alienigena, quod non omnes consentiunt, Jerosolymis tenuit principatum, inter filios postea divisum; regnumqua in familia Herodis permansit usque ad Agrippam illius generis septimum, qui obiit tertio Trajani anno. III. Quia in Prophetia Jacob nomen *Juda* significat duntaxat unum ex filiis ipsius Jacob, quem Patriarcha alloquitur, & cui fratrum laudes, & terræ Chanaan possessionem prænuntiat, & consequenter ea verba *de femore ejus* commonstrant solam illius viri legitimam posteritatem.

Itaque asserendum erit eo sensu sceptrum permansisse in Tribu Juda usque ad Christum, quod illa Tribus a Jure sceptri ad illa usque tempora non exciderit?

Resp. non obsimi juxta hanc sententiam os Judæorum. I. Quoniam de hoc ad regnum jure etiamnum gloriantur. II. Quia, etsi modo per orbem dispersi jus ad sceptrum amiserint, fuerunt tamen usque ad annum Christi XCV., quo Domitianus Imperator jussit ad se adduci regiæ Judæorum stirpis reliquias, adinventi posteri quidam Davidis, penes quos comminisci poterunt extitisse jus sceptri. III. Quia etsi jus ad regnum sermonis consuetudine alicui tribuit Regis nomen ac dignitatem, quamvis regnum ipsum actu non administret; Hebraica tamen vocabula שבט & מחקק virum significant actu judicia exercentem, saltem juxta interpretationem veterum Rabbinorum.

Sed præmissa, inquis, de Synhedrio sententia multiplici capite excutitur. Primum derivata est a Rabbinorum commentis. Deinde Synhedrii Assessores non fuerunt ex una Tribu Juda selecti. Hi tandem, si Reges imperabant, sceptrum profecto non tenuerunt.

Resp. Sententiam nostram esse ceteris præferendam. Atque ad I. dico facilius retundi Judæos, si pro nobis pugnet Magistrorum suorum auctoritas; quamquam non hæc sola nos movet, sed propria Jacobæi oraculi interpretatio; & reliquarum opinionum incohærentia. Ad alterum vero respondeo, non de singulis Assessoribus a nobis Vaticinium exponi, sed de Nasci, sive Aechmalotarcha, quem in Captivitate, & usque ad Nehemiam fuisse de Tribu Juda colligimus ex sacris literis; de subsecutis autem temporibus ipsa Judæorum convenientia arripimus testimonia. Ad postremum denique asserimus, neque verborum significationem, neque antiquos interpretes, neque Rabbinorum aliquem a nobis exigere, ut de sola Regia persona interpretemur nomina *Legislatoris ac Ducis*, ideoque etiam sub alienis Regibus potuit in Tribu Juda perseverare שבט, & מחקק, usque ad dispersionem Synhedrii.

CAPUT IV.

Refelluntur Judæi ex vaticinio Danielis Cap. IX. v. 24. & seqq.

PERDIFFICILEM aggredimur dissertationem de LXX. Danielis hebdomadibus, quarum præscriptio ut invictissime probat Messiam venisse, ita Chronologorum illas supputantium magnopere torquet ingenia. Revinci enim enuntiato oraculo recutitos Hebræos fere omnes propugnant, sed ubi eos ad Chronotaxin appellas, adeo discordant, & nutant, ut conciliari non valeant. Putandas hebdomades ab anno primo Monarchiæ Cyri docuit Eusebius lib. VIII. Demonstrationis Evang. ita ut septem priores hebdomadæ expletæ sint anno sexto Darii, & consummato Templi ædificio, reliquæ LXII. exierint cum Hircanus jugulatus est ab Herode, post quæ tempora advenit prænuntiata Redemptio, postmodum sempiterna abominatio urbis ac templi. Idem opinatur circa initium hebdomadarum Jo. Frischmuth, nec est, ut quidam putant, hæc sententia fidei Christianorum adversa, cum minime deneget prædictum a Daniele adventum Christi post exactum circulum hebdomadarum, quamvis ad ipsum Christum definita supputatio non referatur. Joseph Scaliger, & Protestantium multi septimanas supputant ab anno 2. Darii Nothi, & producunt usque ad urbis excidium, cum tamen ab illo anno Darii fluxerint hebdomades LXX. principio regni Herodis, ut contra Scaligerum demonstrat Petavius lib. XII. de Doctr. Temp. cap. 35. Numerant alii ab exitu divini sermonis, sive a revelatione facta Danieli, ut Paulus Burgensis, Lyranus, Galatinus. Sed missis aliis sententiis duæ sunt inter Recentiores magis receptæ: quarum una septimanas putat ab anno septimo Artaxersis Longimani; cui subscribunt Jacobus, & Ludovicus Cappelli, Cornelius a Lapide, Nicolaus Abrahamus, Ayrolus, Gravesonius, noster Gulielmus Bonjour, & viri alii graves Chronologicæ disciplinæ peritissimi: altera supputat ab anno ejusdem Artaxersis vicesimo cum Usserio, Huetio, Natali Alexandro, nostro Bouges, Lamy, aliisque viris gravissimis. Ab his omnibus discrepat Chronologia Hebræorum existimantium Monarchiam Persarum vix annis LIV. stetisse, nec alios post Balthasarem habuisse Reges præter Cyrum, Cambysem, Assuerum, & Darium. Statuimus in tanta opinionum varietate tria præstare: primum erit Judæos revincere ex prophetico oraculo, missis tricis Chronologorum: alterum illos magis urgere Chronologica illa supputatione, quæ nobis videbitur magis exacta; tertium eos refutare ex propria etiam Chronologia, licet in multis falsa, ac merito reprobata.

PROPOSITIO. Ex Vaticinio Danielis constat Messiam jam venisse.

His verbis Prophetia comprehenditur. שבעים שבעים נחתך על־עמך ועל־עיר קדשך לכלא הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון ולהביא צדק עלמים ולחתם חזון ונביא ולמשח קדש קדשים: ותדע ותשכל מן־מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד־משיח נגיד שבעים שבעה ושבעים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק העתים: ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח ואין לו: והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד־קץ מלחמה נחרצת שממות: והגביר ברית לרבים שבוע אחד: וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה:

Hebdomadæ septuaginta decisæ super populum tuum, & super civitatem sanctitatis tuæ ad consumendum prævaricationem, & ad sigillandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum justitiam sæculorum, & ad sigillandum visionem, & prophetiam, & ad ungendum sanctitatem sanctitatum. Et scies, & intelliges ab exitu sermonis ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalaim usque ad Unctum ducem, hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexaginta & duæ: redibit, & ædificabitur platea, & fossa, & in coarctatione temporum. Et post hebdomadas sexaginta, & duas excidetur Unctus, & non ei: & civitatem, & sanctitatem corrumpet populus Ducis venturi, & finis ejus in inundatione, & usque ad finem belli decisa desolationes, & roborabit pactum multis hebdomada una: & dimidio hebdomadæ cessare faciet sacrificium, & munus, &c.

Differt aliquantulum ab Hebraico Codice Latina vulgata. Primo legit pro *decisæ*, *abbreviatæ sunt* recte exprimens Græcam versionem συντμήθησαν, idest, in unam summam contractæ, ac definitæ: unde parum, aut nihil occurrit hic discrepantiæ. Deinde habet pro *super urbem sanctitatis*

tuæ

tuæ Interpres noster, *super urbem sanctam tuam*; nec aliquid est discriminis: nam familiare est Hebræis substantivum pro adjectivo adhibere, atque hoc idem extat Ps. II. 6. & 89. XI. Pro verbis illis, *ad sigillandum peccata*, nos legimus, *ut finem accipiat peccatum*: quod idem profectu est, ut constat ex verbis proximis, *ut consummetur prævaricatio, & deleatur iniquitas*; unde ipsi Masorethæ legerunt לכלות ad *consumendum*, atque ita vertit etiam Aquila. Ubi legunt Hebræi *ad ungendum sanctitatem sanctitatum*, habent Latini, *ut ungatur Sanctus sanctorum*, nulla sane differentia, propter consuetudinem nuper laudatam substantiva locandi pro adjectivis. Verba Hebraici Codicis, *ad reverti faciendum & ad ædificandum Jerusalem*, nos reddimus, *Ut iterum ædificetur Jerusalem*, & profectu optime, nam infra reædificatio Urbis exprimitur iisdem verbis, *Redibit & ædificabitur platea*. שוב ergo hoc loco significat iterationem, & Vulgatæ consentit Syriaca quæ legit, *Ab egressu verbi usque ad reædificationem Jerosolymæ*. *Excidetur Unctus*, extat in Hebræo; in Latino autem, *occidetur Christus*; nam etsi Græcus reddit *Peribit unctio*, ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα, יכרת denotat mortem, neque de arboribus dicitur, nisi dum exciduntur securi: ideoque prænuntiata est a Daniele mors Christi, cui solum respondet vocabulum משיח *Unctus*, phrasi consimili, ac apud Jerem. XI. 19. Quod sequitur in Vulgata, *Et non erit populus ejus, qui eum negaturus est*, apposite exprimit hebraicas particulas, *Et non ei*: quid enim potest his denotari, nisi quod *non erit ei auxilium*? aut, *non obediet ei populus*? aut, *non servabitur illi judicium*? At hæc omnia quadrant optime lectioni Vulgatæ, & cohærent cum citato Hieremiæ loco. Reliqua Prophetiæ verba, si discrepare videantur, constat sensum non immutare, immo, ut infra dicam, hebraica manifestius commentationes Rabbinorum infringunt.

Præmissa Vulgatæ cum hebraico textu cohærentia, observandum est non alias a Daniele numerari hebdomadas, nisi annorum. Quod primo fatentur omnes Hebræi cum Abenezra scribente: *Hebdomades hic intelliguntur de annis, ac si dixisset Angelus, Septuaginta sabbatici sunt decisi*. Et demonstratur primo, nam שבוע *septimana* non significat hebdomadam dierum, nisi *dies* ipsi exprimantur, ut constat ex seq. cap. X. 2. & 3. atque ex Ezech. XLV. XI. Præterea Levitici XXV. 8. anni 49. appellantur *septem hebdomadæ*, sive שבע שבתות *septem sabbata*: ex quo apparet consuetum fuisse Hebræis supputare annorum hebdomadas. Insuper nil eorum, quæ Daniel prænuntiat, evenit intra dies 490. undecunque supputentur, cum sola Templi ædificatio spatio annorum viginti fuerit peracta, quamquam muri, & exteriores parietes fuerint excitati brevi temporum intervallo. Jubilæorum autem septimanæ, quas aliqui commenti sunt, nec ullibi a Scriptura recensentur, nec possunt in hoc vaticinio locum habere, cum a Daniele ad excidium templi impossibile sit connumerare annos MMMCCCCL.

Constat supputandas esse LXX. illas annorum hebdomadas ab *Exitu sermonis*; sed an per hæc verba intelligatur revelatio facta Danieli, an edictum Cyri, vel Darii, vel Artaxersis, res est, quæ aliquid habet difficultatis. Interim ergo incerta hæc prætermittimus, & adversus Judæos argumentum fabricamus. Prædixit Daniel ab exitu sermonis usque ad Christum præterlapsuros annos 490. sive hebdomadas, aut annos sabbaticos LXX., post quas hebdomadas, seu complere exactas, seu percurrente postrema, erat Christus ipse occidendus. At certissimum est jam definitum illud annorum spatium præteriisse, neque *Christi* nomine potest aliquis intelligi præter verum Messiam. Verus ergo Messias jam advenit. Probatur minor I. ex characteribus hujus Christi a Daniele prænuntiati: appellatur enim *Messias* absolute, & absque addito, quod nullibi, nisi de vero Messia scriptum adinvenitur. Dicitur & *Dux*, sive rector populi, quo nomine Messias appellatur apud Isaiam LV. 4. & Michæam V. 6. Vocatur *Sanctus sanctorum*, idest, summa sanctitatis excellentia præclarus, quod Messiæ scripturæ omnes attribuunt, Psalm. XI. 10. Is. XII. 6. XLV. 8. LXII. 1. Jerem. XXIII. 6., &c.

Probatur II. ex adjunctis, quæ Daniel commemorat. Ait septimanis illis transactis consumendam prævaricationem, delendam iniquitatem, & expiandum peccatum: id vero de Messia prædictum Is. I. 18. & IV. 4. Psalm. XXXIX. 7. &c. Ait ipsum Messiam firmaturum esse *pactum*: quod pariter de Christo ac Redemptore nasciturum ex stirpe Davidis prædixerat Psalmista Ps. LXXXVIII. 29. Eccl. XLV. 7. Is. LV. 3. Jerem. XXXII. 40. Bar. II. 35. Ait cessaturum eo tempore sacrificium, idque in textu Hebraico ita expressum est, ut ipse prænuntiatus Messias debuerit abrogare veteres expiationes; legitur enim pro *deficiet hostia & sacrificium* ישבית זבח ומנחה *Cessare faciet sacrificium & munus*: unde Syriaca, *Abolebit sacrificium & oblationem*. Hoc de promisso Liberatore prædictum quoque Is. I. 11. Jerem. VI. 20. Amos V. 21. Ait denique tunc adducendam esse justitiam sempiternam; atque id Messiæ temporibus futurum prædixit Psalmista Ps. LXXI. 7. Is. LIII. 11. & Jerem. XXXIII. 15.

Tertio probatur ex prænuntiata Christi morte. Occidendum enim Messiam prophetarunt David Ps. II. 2. Is. LIII. 8. Jer. XI. 9. Fore ut derelinqueretur a suis præmonuerunt Psaltes LXVIII. 21. Is. LXIII. 5. Zach. XIII. 7. Immolandum pro peccatis nostris diserte prænarrarunt Isaias LIII. v. 4. & seqq. ac Jerem. Thr. IV. 20. Christus ergo quem Daniel prædixit occidendum & deserendum a suis, est verus, atque olim expectatus Messias.

Insuper probatur ex desolatione, quam post Christi mortem Daniel prædixit, neque enim possumus aliam desolationem hic accipere, quam excidium Urbis sub Tito ac Vespasiano, juxta ipsius Domini expositionem Matth. XXIV. 15. Et probatur primo, quoniam desolationem Urbis post occisionem Christi prædixere etiam Isaias VI. XXV. 2. Zacch. XIII. 8. & XIV. 2. Confirmatur, quia starota desolatio usque in finem perseveratura prædicitur, quod nonnisi de hac desolatione completur: ut Orat. III. contra Judæos aperte demonstrat Chrysostomus ex quo *tam diuturnum tempus jam elapsum nullum Judæis vestigium vel initium felicis mutationis ad hunc usque diem ostenter; cum tamen instaurare templum sæpius tentaverint. Hoc enim semel, bis, ac tertio aggressi, sub Hadriano, & Constantino, & Juliano repressi sunt, tunc quidem a militibus, postremo tandem ab igne e fundamentis erumpente, & intempestive eorum conatus reprimente*.

Accedit Rabbinorum confessio. Nam in Berescit Rabba ad v. 18. cap. XIV. de Melchisedech, extat: *Rex Messias est, de quo scriptum Dan. IX. Ad adducendum justitiam seculorum*. R. Moses filius Nachman Gerondensis in idem caput Dan. *Sanctitas sanctitatum est Messias sanctificatus de filiis David*. Idem tradiderunt Rabbini reliqui, quorum testimonia suppeditabit Raymundus Martini in Pugione Fidei P. II. cap. 3. n. XVI. Raymundi expilator Galatinus lib. IV. cap. VIII. Hadrianus Fini lib. V. cap. 5. &c. Sive ergo in vaticinio Danielis attendantur Christi characteres, sive præstanda ab eo beneficia, sive mortis ejus supplicium, sive subsecuta Jerosolymæ desolatio, sive antiquorum Rabbinorum confessio, revincitur inde Judæorum cæcitas, ac pervicacia.

DISPELLUNTUR HEBRAEORUM CAVILLI.

Objiciunt Hebræi: Messias, de quo vaticinatus est Daniel, est Cyrus monarchiæ Persarum Fundator: de ipso enim legitur apud Isaiam XLV. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, &c.*

Resp. facile refundi hanc Judæorum insaniam. I. Quia Messias, de quo Daniel, est משיח נגיד *Messias principalis, & Dux Judæorum*. Cyrus autem non est ille, cui Messiæ nomen conveniat principaliter: II. Quia de Cyro citato cap. Isaiæ v. 4. legitur, quod non cognoverit Dominum; ideoque non est ille *Sanctitas sanctitatum*, & Auctor *sempiternæ justitiæ*. III. Quia Cyrus, neque oleo Spiritus sancti, neque oleo corporali inunctus est. IV. Quia ab eversione primi Templi, unde septimanas Hebræi supputant, usque ad templum secundum, nequeunt enumerari septem, & sexaginta duæ annorum hebdomadæ, cum septem exactæ jam fuerint postremo anno Evilmerodachi, reliquæ tantum post monarchiam Persarum, atque Græcorum. V. Quia præter allata Rabbinorum testimonia, Aben-Ezra Comment. in Danielem ait: *Opinio ejus, qui dixit Cyrum esse Messiam, non est congrua*. At cur Cyrus, inquis, apud Isaiam Messias appellatur? Aliud interroganti Catholico respondebimus, aliud Judæo objicienti. Catholicis respondemus Cyrum dici Christum, sive *Unctum*, allusione ad Reges Hebræorum, qui unctione consecrabantur; & quoniam erat figura Christi, qui nos a spirituali Babylonis captivitate redemit. Hebræis autem respondeo verba Isaiæ explicari in Talmud, libro qui inscribitur *Megilla*, ut nullatenus ad Cyrum, sed ad solum Messiam referantur: quod tamen non probo propter ea, quæ attulit in hunc locum Hieronymus. Septuaginta tamen, quos plures Patres sequuntur, reddiderunt & ipsi pro *Cyro*, κυρίῳ, *Domino*, quæ versio nequit a Talmudistis refutari.

Objiciunt 2. Dispescens Daniel septem hebdomadas a duabus & sexaginta, duos venturos Messias prædicit, unum post hebdomadas priores VII., alterum post hebdomadas LXII. Si autem quæras quinam sint duo illi Messiæ, diversa est, pro diversa supputatione hebdomadarum, responsio. Si supputandas censeas ab excidio templi prioris, juxta Hebræorum Chronicon, earum initium est repetendum ab anno M. 3338. quibus si addas septem annorum sabbata, erit annus M. 3387. ac primus Cyri. Si vero connumeras ab eodem anno M. 3338. hebdomadas 62. sive annos 434. pervenies ad annum M. 3772. cum Romani, qui templum vastarunt, Jerosolymam ascenderunt, & ad tempora Agrippæ, qui ante Urbis excidium occisus est. Ergo juxta hanc supputationem primus Messias erit Cyrus, alter Agrippa. Si vero supputes hebdomadas septem ab anno primo Darii, qui est in Chronologia Hebræorum an. M. 3389. pervenies ad tempora Josue & Nehemiæ, qui sub Artaxerse ad urbem reædificandam perrexerant, & ad annum M. 3438. Putatis autem ab eodem anno Darii septimanis LXII. sive annis 434. explebuntur in ipsa Jerosolymorum vastatione. Atque ita prior Messias erit vel Nehemias, vel Josue, posterior Agrippa filius Aristobuli.

Resp.

Resp. hæc omnia esse portentosa mendacia. Ac I. de Cyro satis dictum supra. II. Juxta Chronicon Hebræorum, ut ostendam cap. 6., si hebdomadæ supputentur ab anno septimo Nabuchodonosor, si ab excidio templi, si a verbo quod egressus est de ore Hieremiæ, si a revelatione facta Danieli, si ab Edicto aut Cyri, aut Darii, aut Artaxersis, neque divisim acceptæ, neque simul terminant sive in Cyro, sive in Nehemia, sive in Josue, sive in Hircano, sive in Agrippa, sive in postrema templi eversione. III. Illa Judæorum Chronotaxis erroribus, ut videbimus, scatet innumeris. IV. Expositi supra characteres Messiæ nequeunt commemoratis viris competere, non enim dici possunt vel Sancti sanctorum, vel Justitia sæculorum, vel Auctores novi fœderis, vel sacrificiorum veterum Abolitores; imo nec *Uncti*, cum non extiterit post primi templi eversionem apud Judæos oleum, vel chrysma. V. Repugnant etiam Rabbini, qui propheticum oraculum fatentur ad verum Messiam pertinere.

Objiciunt 3. Exactæ sunt septem ac sexaginta duæ annorum hebdomades, quomodo post Hebræorum perpaucos nititur demonstrare Auctor Chronici Ægyptiaci Marshamus, in Antiocho Epiphane, quem Sacra Jerosolymorum profanasse narrat liber primus Machab. cap. I. 23. & seqq. Quod probatur ex Chronologia; nam a visione Danielis usque ad finem captivitatis fluxerunt anni 49. sive septem priores hebdomadæ. A templo autem a Chaldæis incenso usque ad Antiochum præteriere Sabbarici anni lxii. idest an. 434. Nam templum a Chaldæis profanatum est anno P. J. 4107. M. 3397. quibus si addas annos 434. exurget annus P. J. 4541. M. 3831. Post decennium autem, idest anno M. 3841. & P. J. 4551. Judas Machabæus pollutum ab Antiocho templum purgavit, & in medio utique hebdomadæ, idest, tribus post profanationem annis, ac sex mensibus.

Resp. plurimis ac validissimis argumentis expungi opinationem Marshami. I. Prædicit Daniel post hebdomadarum circulum, & ante abominationem desolationis, peccati finem, ac sempiternam justitiam: quemnam vero ex his, aliisque præmissis characteribus in viro scelestissimo Antiocho invenies? quam sanctitatem adduxit, quam expiationem fecit, quam iniquitatem delevit? II. Si Judas post dimidium hebdomadæ purgavit Templum ab Antiocho pollutum, neque a Chaldæis civitas eversa est, ac penitus diruta; quo pacto sub Antiocho defecit hostia, & post illatum ab ipso bellum erupit sempiternum urbis excidium? III. Non ad purgationem Templi, sed ad reædificationem Civitatis referenda sunt verba temere a Marshamo e proprio loco divulsa, *Et rursum ædificabitur platea*; neque in Danielis prophetia hebdomades lxii. præcedunt Urbis ædificationem, sed mortem Christi. IV. Prædixit Daniel plateam ac muros ædificandos, postea occidendum *Unctum*; ideoque non tantum sententia Marshami falsa est, quod reædificationem ad purgationem, Civitatem ad Templum, & sacrorum abolitionem ad profanationem detorqueat; verum etiam quod pervertens Angeli verba comminiscatur prius defecisse sacrificia, postmodum Urbem ædificatam, cum nequeat ante profanationem constitui peracta a Juda purgatio. V. Cum Angelus unum demonstret hebdomadarum initium iis verbis, *Ab exitu sermonis*; quare hebdomadæ septem a Visione Danielis supputandæ sunt, reliquæ autem lxii. ab invasione Chaldæorum, Templique incendio? VI. Unde in nos Marshami obtruditur Chronologia, cui, ut in proximo evincam, repugnant cum Hebræorum calculi, tum accuratæ recentiorum Chronologorum rationes?

Ob. 4. Ad Templi excidium spectant hebdomadæ Danielis, ac de Templo accipienda sunt ea verba *excidetur Christus*, tum quia unctio *Sancti*, vel *Sanctuarii*, de qua v. 24., proprie spectat ad Templi consecrationem; tum quia v. 26. ubi legimus, *Occidetur Christus*, sive, *Excidetur Unctus*, habent Græci, *Peribit unctio*, idest, Sacerdotum ministerium, & series Pontificum, quemadmodum interpretatur etiam Eusebius tum demum, quia Christus Matth. xxiv. 15. & Marci xiii. 21. adhuc futuram ait abominationem desolationis, *quæ dicta est a Daniele Propheta*, ita ut referri nequeat, nisi ad eversionem Urbis ac Templi.

Resp. Non posse Danielis vaticinium ad Templi ruinas pertinere, I. Quoniam יכרת *Ichared* denotat supplicium mortis, ut diximus supra, & liquet ex collatione hujus loci cum Lev. xvii. 14. & iii. Regum xviii. 4., ubi eodem verbo designatur mors per Judicis sententiam inflicta. Etiam Rabbini, quos vide apud Raym. Martini loco cit. tradunt notari verbo illo mortem infamem, ac turpem. II. Quoniam Templum nullibi appellatur *Unctum*, vel *unctio*; nulla autem ratione dici potest *Messias Naghid*, Christus princeps. III. Quoniam reperitur Messiæ nomen v. 25. & v. 26. ac priori loco per Adversarios significat Cyrum, aut virum alium principem, ideoque non commonstrat secundo loco Templum, vel Urbem. IV. Quoniam secundum Templum unctione caruit, nec *Unctum* dici potest. V. Quoniam Sanctuarium sanctuarii non erat Templum, sed sola Tabernaculi pars interior. VI. Quoniam in excidio Templi non apparet peccati finis ac redemptio, sed supplicium, & pœna. Eusebium ergo in errorem impulit Græca versio, in qua debebat animadvertere positum hebraica phrasi nomen substantivum pro adjectivo, ut hic v. 23. *Desideria* חמודות pro *Cupidus*, sive *vir desideriorum*. Melius ergo Symmachus ἐκκοπήσεται χριστός, *Excidetur Christus*, & Aquila, ἐξολοθρευθήσεται ἠλειμμένος, *Peribit Unctus*: optime autem Vulgata, *Occidetur Christus*. Verum denique est, fuisse *abominationem desolationis* a Daniele prædictam literaliter completam in eversione Urbis ac Templi: sed hebdomadæ supputandæ sunt *usque ad Christum*; non usque ad inundationem Romani exercitus, & Jerosolymorum vastationem. Hanc prænuntiat Daniel recensita Christi occisione, & post hebdomadas jam exactas.

Ob. 5. Christus a Deo prænuntiatus est Onias summus Sacerdos, qui typus fuit Christi venturi; non ergo ad ipsum Christum, sed ad Oniam pertinent Danielis hebdomadæ. Antecedens probatur ab Harduino; qui tamen ad Christum prophetiam spectare non negat, etsi contendat in Onia, tamquam Christi typo, literaliter fuisse completam. I. Quoniam post occisionem Oniæ populus desertus est, & Antiochus invasit Hierosolymam, Templumque expoliavit. II. Quoniam post Oniæ cædem profanato Templo *periit unctio*. III. Quoniam ipse Onias *pactum confirmavit*, nam eo tempore Mathathias ait 1. Machab. II. 27. *Omnis, qui zelum habet legis, statuens Testamentum, exeat post me.* IV. Quoniam septimanæ supputandæ sunt ab *exitu sermonis*, scilicet a divina prædictione facta Jeremiæ de proximo fine captivitatis, idest, ab anno iv. Joakim, a quo usque ad Cyrum fluxerunt anni 49. & hebdomades septem; & rursus notatæ reliquæ septimanæ ab eodem anno 4. Joakim usque ad annum Græcorum 148. quo Judas constitutus fuit Dux populi, & pulso Antiochi exercitu Templum purgavit, anni sunt 441. sive hebdomades sexaginta tres. Templum, ut diximus, expoliatum ac profanatum fuerat ante dimidium hebdomadæ; Onias autem jugulatus ante integram hebdomadam anno Græcorum 141. Ita ergo omnia concordant adamussim; neque deest, neque redundat dies una: septuaginta hebdomades complentur in purgatione Templi, & in Juda Machabæo: septem in Cyro; sexaginta duæ in occisione Oniæ; dimidium hebdomadæ in Templi profanatione.

Resp. Illud novum Harduini systema esse aliorum omnium quæ refutavimus monstrosissimam compaginem; nam, si recte advertas, intrudit fere omnes Messias ab aliis confictos, Cyrum præsertim, ac Judam, simulque commentum Marshami de Templo, & de fine unctionis. In omnibus ergo suis partibus jam expunctum est & contritum. Addamus tamen in patrocinium veritatis aliqua. Ac primum detur Harduino Oniam gessisse Christi typum; quamquam id neget P. Lamy in App. Chronolog. P. 2. cap. 4. propterea quod Onias non Jerosolymis occisus sit, sed in templo Apollinis secus Daphnem; non suorum livore, sed insidiis Menelai; non ab amicis, sed ab Andronico; non derelictus a populo, sed vindicta, & lacrymis honestatus. Verum non est necesse, ut omnia in Typis conveniant. Dicimus ergo quod post Oniæ cædem populus non fuit a Deo derelictus, cum paucos post annos surrexerit Judas, qui debellavit impios, templumque purgavit; neque sub Antiocho defecisse sacra, & irrupisse statutam desolationem censendum est, si illa restituit Machabæus; hæc autem paucis annis perduravit. Atque hæc ad primum, & secundum dicta sunto. Nam quod sequitur nullius est roboris, cum loquatur Daniel de *pacto* firmando per Christum, & Mathathias de *zelo legis* demonstrando per populum.

Unicum restat argumentum Chronologicum, in quo non uno tantum capite peccat Harduinus. Principio non ait Daniel supputandas hebdomadas *ab exitu verbi*, quod fortassis foret ambiguum, sed ait, *Ad exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*. Neque enim verum est *exitum sermonis*, ut Harduinus contendit, non posse significare Regis decretum: cum verbum דבר significet *sermonem, rem, aliquid, caussam, negotium, præceptum, &c.* ut Pagninus, aliique demonstrant ex 2. Reg. III. 12. Deut. IV. 36. Exodi XVIII. 16. XXXIII. 4. &c. atque in hoc loco omnem ambiguitatem tollant ea verba, *ad reverti faciendum, & ad ædificandum, &c.* quæ nequeunt intelligi nisi de Edicto Urbem reædificandi. Deinde si velit expendere ea tantum verba, *Ab exitu sermonis*, ut ea detorqueat ad divinam revelationem; cur non potius refert ad revelationem factam ipsi Danieli, de qua Angelus eodem cap. IX. v. 23. inquit, *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo*? Aut cur non ad revelationem Isaiæ xliv. 28.? Rursus hoc idem Harduini somnium fuit quorumdam Hebræorum, quos confutarunt R. Aben-Ezra Comm. in Danielem, & R. Azarias in lib. Meor Enajim, eo quod non debeant anni captivitatis in decisis septimanis enumerari. Adde septem & sexaginta duas septimanas simul a Propheta comprehendi, atque ad unum referri terminum. Corruit itaque fictitium illud initium hebdomadarum a prophetia Jeremiæ. Male etiam constituitur terminus septem hebdomadarum in Cyro, pessime in exitu captivitatis, nam juxta Recentiorum Chronologiam annus IV. Joakim incidit in annum Mundi 3398. Cyrus Mediam occupavit an. 3460. & monarchia potitus est defuncto post biennium

Dario

Dario Medo, anno 3468. qoi est capitivitatis postremus; itaut IV. annus Joakim sit servitutis primus, & primus Cyri, ut dixi, servitutis ultimus; ideoque ab anno IV. Joakim usque ad Cyrum non fluxerunt anni 49. sed 70. Quam Chronologiam si respuas, saltem annorum 70. intervallum debes admittere.

CAPUT V.

Statuitur Epocha Regni Artaxersis, & demonstratur Hebdomadum Danielis initium, ac finis.

LIQUET ex præcedenti hebdomadas Danielis supputandas ab Edicto Regis Persarum de orbe Jerosolyma ieædificanda, & complendas in morte Christi, quam consignare necesse sit anno ab illatum hebdomadarum exordio 486. concurrente cum dimidio hebdomadæ septuagesimæ. Quatuor autem Regum Persarum pro Judæis decreta colligunt nonnulli ex Scripturis. Emaoatum est primum ioitio Regni Cyri conditoris Persarum Monarchiæ, de quo Isaias cap. XLIV. 28. & Esdras cap. I. 1. Promulgatum est alterum anoo 2. Darii, quem Scaliger Nothum putavit, constat autem fuisse Hystaspidem: de qoo edicto vide 1. Esdræ IV. 24. & VI. 1. Emissum est III. diploma anno Artaxersis VII, quo Esdras eum pleoa Regis facultate Jerosolymam ascendit, ut habetur eodem libro cap. VII. 6. & 7. Edictum postremum obtiouit Nehemias ejusdem Artaxersis pincerna aooo Regis vicesimo, ut habetur 2. Esdræ cap. II. 1. Nullom jam dubium est bune Artaxersem fuisse Loogimanum filiom Xersis filii Darii Hystaspidis.

Convenioot recentiores accurati Chronologi annos ante Christi nativitatem coarctantes ad 4000. fundatam a Cyro Monarchiam Persarum anno M. 3468. P. Juliaoæ 4178. ante Volgarem Æram, sive Natale Christi Dionysianum 536. & Darium Hystaspidem regnu potitum an. M. 3483. P. Jol. 4193. aote Æram Christianam 521. De Artaxerse aotem nequeunt Chronologi convenire. Nam sopputaores hebdomades Danielis ab aono ejus septimo, ajunt obtinuisse regnum an. M. 3540. P. J. 4250. ante Æ. Ch. 464. ita ut annus septimus sit M. 3547. P. Jol. 4257. ante Æ. Ch. 457. quibus si addantot anni 29. Æ. Dionysianæ, quo anno Christum affixum cruci Chronologi illi propugnant, resultat aonus ab initio hebdomadarum 486. qui dimidium est hebdomadæ septuagesimæ. Qui autem septimanas putant ab anoo Artaxersis vicesimo, contendunt regno potitum anno M. 3531. P. Jul. 4241. ante Æ. V. 473. ita ut annus XX. incidat in anoom M. 3551. P. Jol. 4261. ante V. Æ. 453. Ab hoc autem anno usque ad 33. Æ. V., io quo statuoot Christi mortem, floxerunt pariter anni 486. & rectissime eadem hebdomadarum coalescit supputatio. Pendet ergo totius difficultatis enodatio ab Epocha Regni Artaxersis Longimani, quam figere modo constitui.

PROPOSITIO I. Artaxerses regno potitus est an. M. 3540. P. Jol. 4250. ante Æ. V. 464.

Demonstratur 1. Eusebius in Chronico, quem sequuntur Sigonius de Republic. Atheniensiom, aliique complures, & quem in hoc oon errare commonstrant proxima momenta, statuit principiom regni Artaxersis Longimani an. 1. Olympiadis LXXIX. Annus 1. Olymp. LXXIX. omnium consensu est ante Æ.V.464.: & joxta supputationem, quam etiam Adversarii nostri seqountur, M. 3540. Ergo hoc ipso aono regnom iniit Longimaous. II. Julius Africanus antiquissimus temporum supputator, ut ait Hieronymus io cap. IX. Danielis, scribit anoum vicesimum Artaxersis esse *octogesimæ & tertiæ Olymp. annum quartum*. At si retro eoumeras ab anno 4. Olymp. LXXXIII. vigioti annos, pervenies ad ano. 1. Olymp. LXXIX. Igitur anno 1. Olymp. LXXIX. signandum est initium regni Artaxersis. III. Diodorus lib. XI. Biblioth. scribit Xersem patrem Artaxersis fuisse interfectum ab Artabano anoo 4. Olymp. LXXVIII. At Artaxerses omniom Historicorum testimonio statim defuncto Patri successit. Fuit ergo regni ejus primus annus ineunte Olympiade LXXIX. IV. Idem Diodorus libro XII. inquit Artaxersem vita functum *anno 4. Olymp.* LXXXVIII., *cum regnasset annos quadraginta*. Atqoi anni 40. non desinunt in anno 1. Olymp. LXXXVIII., nisi supputentur ab anno 1. Olymp. LXXIX. Ab hoc ergo anno Regnum Artaxersis iochoandum est. V. Xerses Darii filius, & Artaxersis pater juxta accuratam recentiorum chronotaxim adeptus est regnum anoo Mundi 3519. ante Æ. Vul. 485. At regnavit aoois XXI., aut saltem XX. meosesque aliquot, ut tradunt Eusebius in Chronico, Severus Sulpitius lib. 2. Georgius Syncellus pag. 76. edit. Parisiensis, Diodorus Siculos apud Salianum ad annum Mundi 3589. II. Sigonius in libro de Atheniensiom Temporibus, aliique communiter. Computati aotem anni XXI. aut XX. ab anno Mundi 3519. & aote Æram Volgarem 485. desinunt in anno Mundi 3540. aot io postremos menses anni præcedeotis. Anoo ergo Mundi 3540. sive P. J. 4250. regnare cœpit Artaxerses Longimanus Xersis filius. Atque id, inquit doctissimus Gravesonius dissert. XV. de Myst. & An. Christi, paragrapho primo, *extra omnem dubitationis aleam positum esse debet*.

PROPOSITIO II. Nullo pacto consignari potest annus vicesimus Artaxersis anno M. 3551. P. Jul. 4261. ante Æ. V. 453.

Demonstratur I. Initium regni Artaxersis est, ut vidimus, ao. M. 3540. P. Jul. 4250. ante Æ. Ch. 464. Ergo annus vicesimus Artaxersis erit an. M. 3560. P. Jul. 4270. ante V. Æ. 444. & labitur nova Chronologia annis IX. II. Xerses occisus est, ut liquet ex dictis, anno 4. Olymp. LXXVIII. postquam regnaverat annis XI. regoum enim auspicatus est juxta probatam ab adversariis nostris Chronologiam anno M. 3519. a qoo usque ad annum 3540. & ad 1. Olymp. LXXIX fluxerunt anoi 21. Igitur annus 20. Artaxersis est ano. M. 3560. III. Ut annus 20. Artaxersis statuatur an. M. 3551. vel, ot alii putant, anno proximo præcedenti, cum Xerses regnare cœperit an. 3519. consequens est, ut obierit anno 3531. vix exacto anoo regoi sui duodecimo. Atqui Xerses regnavit annos XXI. aot saltem XX. communi Veterum consensione. Ergo Xerses, ut etiam supra demonstratum est, obiit anno Muodi 3539. aut 3540. qui est annus 1. Regni Artaxersis. IV. Ut Adversarii oostri hooc nodum solvant, contendunt cum Usserio supputandum annum primum Artaxersis ab anno, quo Xerses omnes Græcos adversus se concitavit, & ante expeditionem ad Bellom Persicum designavit juxta patrias leges hæredem regni, ita ut Artaxersi regni sui anni 48. tribuendi sint, patri vix 12. At hoc unum Adversariorum nostrorum præsidium validissimis argumentis concutitur. Primo si fateamur Artaxersem jam ab anno XII. patris designatum fuisse Regni successorem: ergo oe ab eo anno regnavit? Deinde processit Xerses ad Bellum Persicum anno 1. Olymp. LXXV. regnare autem cœpit aono 3. Olymp. LXXII. interfectus est anno 4. Olymp. LXXVIII. ut constat ex præcedenti propositione, & ex Sigonio de Republ. Athen. & Meursio de Archontibus Athenarum, Igitur si regnom Xersis perduravit dumtaxat usque ad Bellum Persicum, quinque tantum annis regnavit, oon 12. si vero ad annum 4. Olymp. LXXVIII. regnavit anois 21. quod nos com probatissimis Chronologis affirmamus. Præterea detur usqoe ad Persicam expeditionem fluxisse Xersis anoos XII., nequeunt ab anno XII. Xersis supputari aooi Artaxersis 48. Vel enim asseris cum Pererio & Petavio a Xerse filium in regni communionem fuisse adscitum, vel cum Usserio detrahis ab anois Xersis annos 8. addeodos annis 40. Artaxersis. Atqui Artaxerses non fuit a Patre assumptus io regoi communionem, cum ex Justino lib. III. constet fuisse puerum cum Xerses occisus fuit ab Artabano. Quam ergo Artaxerses ætatem duxit vertente anno paterni regni duodecimo? Accedit quod Petavius sententiam suam nititur probare ex fuga Themistoclis, qui, ut demonstrat Huetius D. E. Prop. IX. cap. VIII., oon Artaxersem, sed Xersem, oondum imperante filio, convenit: &, si ad Artaxersem scribunt aliqui confugisse, id factum narraot post mortem Xersis. Neqoe statoenda est Epocha regoi Artaxersis cum Usserio an. M. 3531. P. Jul. 4241. ante V. Æ. 473. Nam Ptolomæus in Caoone Math. Diodorus lib. XI. Bibl. Eusebius in Chron. & omnes veteres tribuunt Xersi anoos XXI. Artaxersi XL. aot Artaxersi XLI. Xersi XX. Cur ergo uoi XII. alteri XLVIII. tribuamus? Denique mortem Xersis iocidere in aonom 4. Olymp. LXXVIII. apertissime a nobis demonstratum est supra, ideoque perperam anni hujus Regis detruncantur.

Ex his colligitur emendaodas esse tabulas Chronologicas, & supputatiooes Regum Persarum ad hunc modum:

Cyrus Monarchiam Persarum fundavit a.	3468	ante Æ. V. 536
Cambises iniit regnom.	3475	529
Darius Hystaspis.	3483	521
Xerses.	3519	485
Artaxerses Long.	3540	464
Xerses II.	3580	424
Darius Nothus.	3581	423
Artax. Mnemon.	3600	404
Ochus.	3643	361
Arsen.	3666	338
Darius Codom.	3668	336
Regnavit annis 6.	3674	330

Cyro itaque tribuuntur aoni VII. Cambisi VIII. in quibus comprehenduntur Magi 7. menses. Dario Hystaspidi XXXVI. Xersi XXI. Artaxersi Longimano XL. Xersi II. & Secundiano 1. Ocho, qoi & Darius Nothus, XIX. Artaxersi Mnemoni XLIII. Ocho XXIII. Arsen III. Dario Codomano VI. Hunc expugnavit Alexander Philippi Macedo.

PROPOSITIO III. Hebdomades Danielis initium ducunt ab an. VII. Artaxersis Longimaoi.

Demoostratur I. Anous Artaxersis VII. est annus M. 3547. ante Æ. V. 457. P. Jul. 4257. & aonus 4. Olymp. LXXX. Ab hoc anoo soppurandæ sunt hebdomadæ Danielis. Ergo hebdomadæ Daoielis supputandæ sunt ab aooo VII. Artaxersis. Probatur minor. Christos, ot suo loco demonstrabitur, mortuus est anno Æ. V. 29. P. Jul. 4742. anno 1. Olymp. CCII. mortuus est autem io medio hebdomadæ LXX. sive post annos 486. jam exactos ab hebdomadarum initio. Atqoi si ab anno Æ. V. 29. P. Jul. 4742. & primo Olymp.

ecti. retrocedas per annos 486. jam exacłos, pervenies ad annum M. 3547. P. Jul. 4257. & ad an. 4. Olymp. lxxx., qui est vii. Artaxersis. Igitur ab anno vii. Artaxersis hebdomadæ Danielis supputandæ sunt. Demonstratur 2. Quoniam prædictæ hebdomadæ, ut constat ex capite præcedenti, referuntur ad mortem Christi. Si ergo Christus, ut nunc supponimus, mortuus est anno Æ. V. xxix. debent supputari ab anno ante Æ. V. 457. Nam si annis 457. addas an. 29. resultat dimidium hebdomadæ lxx., incidens in an. 486. Hæc in nulla alia Chronotaxi possunt convenire, nisi aut pervertas Epocham Regum Persarum, aut retrahas annum Passionis Christi.

Idem demonstratur revocxndo nos ab abaco rationali ad prophetiam Danielis. Supputandæ sunt hebdomadæ ab amplo Regum Persarum diplomate, atque a facultate Judæis facta redeundi in patriam, reædificandi templum, urbemque Jerusalem: id enim sonant verba Prophetæ, *Ab exitu sermonis ad reverti faciendum & ad ædificandum Jerusalem*. Atqui plena illa, & ampla facultas facta est anno Artaxersis Longimani septimo. Igitur ab hoc anno sunt prædictæ hebdomades supputandæ. Probatur minor, Decretum enim concessum Esdræ anno Regis septimo est: *A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jerusalem, tecum vadat*. En facultas, ut omnes pro libitu reverterentur. Sequitur decretum: *A facie enim Regis, & septem consiliatorum ejus missus es, ut visites Judæam & Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua*. En data Esdræ Αὐτονομίαν, & potestas utendi suis juribus. Sunt in regio diplomate & hæc verba: *Libere accipe, & studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia, & libamina eorum, & offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem. Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento & auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite*. En restitutus Dei cultus, & data facultas in quodlibet opus erogandi pecuniam; & postremo concessa est Esdræ immunitas ab omni tributo, & plenissima judicandi auctoritas. Vide regium Edictum lib. 1. Esdræ cap. vii. a v. 12. ad 28. Dedit ergo Rex Esdræ omnem, ac plenissimam facultatem, atque, ut ibidem legitur v. 6., *omnem petitionem ejus*.

Qui repetunt hebdomadarum initium ab anno Artaxersis xx. inquiunt nullum in tam xmplo decreto extare verbum de Urbe reædificanda. Non extat quidem expresse; sed, si diploma expendas, extas majori, quam si expressum foret, munificentia. Primo enim, quid est *dare omnem petitionem*, nisi supplicationibus Esdræ nihil penitus denegare? Deinde cui populo a vectigalibus & tributis immuni, consistenti in patria, atque facto αὐτονόμῳ, suique juris, urbem construendi facultas aut lege aliqua, aut consuetudine denegatur? Præterea si potuit Esdras insumere argentum in omni opere, quod ei placuisset, cur non potuit sumptus facere in mœnibus construendis? Ad hæc revera ab anno Artaxersis vii. cœpit Jerusalem ædificari: nam ideo Nehemias anno Artaxersis xx. novum de reædificanda Urbe diploma impetravit, quod veniens Hananus retulit Judæos in afflictione magna esse, & murum Jerusalem dissipatum, & portas combustas: quo accepto nuncio Nehemias amare flevit, & ad Artaxersem accedens doloris sui caussam exposuit, obtinuitque facultatem proficiscendi in Judæam. Vide 2. Esdræ cap. 1. & 11. Sane non fuit hujus luctus, novique decreti caussa devastatio Urbis facta a Chaldæis sub Nabuchodonosore; cur enim de hac, quam noverat, Nehemias interrogasset Hananum? cur audita dissipatione murorum fuisset tam acerbe contristatus? Iterum ergo ab iis, qui ægre ferebant prosperitatem Israel, sive Moabitæ fuerint, sive alii finitimi, ædificium cœptum ab Esdra fuit dissipatum. Hinc anno xx. Artaxersis potius Nehemias facultatem obtinuit proficiscendi in Jerusalem, & vi decreti ab anno jam septimo emanati ædificandi Urbem, quam decretum novum, & a præcedenti diversum. Legimus quippe lib. 2. Esdræ cap. 11. 5. ita dixisse Nehemiam: *Si videtur Regi bonum, & si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam*. Legimus v. 6. Regem annuisse. Legimus v. 7. & 8. petiisse Nehemiam Epistolas Regis ad duces Regionis trans Flumen, ut nulla accepta molestia traduceretur in Judæam, & Epistolam ad Asaph custodem saltus, ut ei ligna concederet. Decretum non legimus, nisi promulgatum anno vii. Regis, & ad verbum in cap. vii. libri primi Esdræ enarratum. Vi ergo hujus Edicti Nehemias Jerosolymam ædificaturus a Rege Artaxerse discessit; aut si novum obtinuit diploma, fuit innovxtio prioris.

Demum in sententiæ nostræ confirmationem accedit, quod præter exactissimam hebdomadarum supputationem & exitum in anno passionis Christi, ac præter literalem prophetiæ sensum, absque ullo nexu distinguitur facta a Daniele hebdomadarum partitio. Primo enim Daniel absolute connumerat septimanas lxx. Deinde ab Edicto de reædificanda urbe usque ad Christum vii. & lxii. Postea ait occidendum Christum post hebdomadas lxii. tandem inquit confirmandum a Christo *pactum* in hebdomada 1. & in medio hebdomadæ esse occidendum. Revelavit quippe Danieli Gabriel Angelus decisa esse super populum & super urbem sanctam Jerusalem sabbata lxx. idest, a populo Israel in Urbe Jerusolyma celebranda fore lxx. Sabbata sabbatorum ante finem peccati, & humani generis Redemptionem. Atque ita celebrata revera sunt. Nam si primum sabbatum incipit anno ante Æ. V. 457. septuagesimum incipit an. Æ. V. 26. Posita ergo Judæorum *Autonomia* in anno vii. Artaxersis habes septuaginta hebdomadas decisas super populum Israel, & super Civitatem sanctam; nam proximo sabbato jam deleta erat iniquitas. Ab ea vero *Autonomia* usque ad manifestationem Christi, sive ab anno ante Æ. V. 457. usque ad annum xv. Tiberii Cæsaris Æ. Vulg. 26., quo Christus baptizatus est, sunt hebdomades vii. & lxii. idest anni 483. Si disjungas hebdomadas vii. ab lxii. illæ vii. comprehendunt annos 49. qui sunt inter unum & alterum Jubilæum. Posito ergo primo anno sabbatico in anno vii. Artaxersis ante Æ. V. 457. Jubilæum erit an. ante Æ. Vulg. 408. Porro si Christus passus est an. Æ. V. 29., passus est post hebdomxdas lxii. idest post annos 434. & in dimidio sequentis hebdomadæ. In ultima hebdomada confirmasse pactum, & in medio hebdomadæ fuisse affixum cruci, satis manifestum est. Igitur si constituas initium hebdomadarum anno Artax. vii. cohæret etiam illarum accurata sectio & partitio: & si hanc tribuere velis idiomati hebraico sæpe minorem numerum præponenti, adhuc habes ab anno vii. Artaxersis usque ad Christum præfixum annorum numerum, ut constat ex Chronologicis demonstrationibus paulo supra productis.

RESPONDETUR OBJECTIONIBUS.

Perpauca adversus productam Chronotaxin opponi possunt, eaque ex dictis facillime diluuntur. Oppones 1. Cyrus omnium primus facultatem fecit urbem reædificandi, quemxdmodum prædixerat Isaias xliv. 28. & completum esse constat ex cap. 1. lib. primi Esdræ.

Resp. non posse ab anno 1. Cyri initium ducere Danielis hebdomadas, sive spectata Chronologia, temporumque ratione, sive concessa ab eo facultate. Si expendas Chronologiam, ab anno 1. Cyri usque ad Christi Passionem fluxerunt anni 565. cum Monarchiam condiderit anno ante Æ. V. 536. Christus vero cruci affixus sit anno ejusdem Æræ 29. Si attendas factam a Cyro facultatem, extenditur illa duntaxat ad Templi ædificationem, non ad muros urbis, ut apparet ex laudato cap. 1. Esdræ v. 2. & 3. Nihilo tamen minus completum in Cyro est Isaiæ vaticinium, in quantum ipse facta Judæis potestate redeundi, fuit restaurationis Jerosolymorum primus auctor; & per ejus successores ac filios, quibus Prophetæ patronymice tribuere solent nomina patrum, ut Augustinus demonstrat octava ad Dulcitium quæstione, *completa est Dei voluntas*.

Opp. 2. Putabimus ergo septimanas cum Scaligero, & Drusio ab anno 2. Darii Nothi, quem dedisse eamdem facultatem Hebræis liquet ex cap. vi. libri 1. Esdræ.

Resp. Scaligeri sententiam iisdem momentis everti; quippe non cohæret cum ratione temporum, quoniam annus 2. Darii Nothi est ante Æ. V. 422. ideoque ab anno 2. Darii usque ad annum 29. ejusdem Æræ anni tantum 451. fluxerunt, & desunt usque ad complementum temporis prædefiniti a Daniele anni 35. Neque cohæret cum Prophetico Danielis oraculo, eo quod decretum Darii est idem ac decretum Cyri, cujus autographum inventum est in Ecbatanis, spectatque ad solam ædificationem Templi, ut patet ex cap. 6. libri 1. Esdræ v. 2. & 3. Addo absurditatem opinionis Scaligeri, ex qua sequitur Zorobabelem & Jesum Josedecidem superasse humanæ vitæ diuturnitatem. Etenim Zorobabel anno 1. Cyri, qui fuit annus M. 3468. erat dux Hebræorum: annus autem 2. Darii Nothi incidit in annum M. 3582. tenuerxt ergo Zorobabel Judæorum principatum regnante Dario an. 114. Adde incertos annos, quibus Zorobabel vixerat antequam principatum iniret, & reverteretur in terram Judæ, annosque vitæ suæ post annum 2. Darii Nothi. Quod argumentum valet de Josue, cum & ipse cum Zorobabele reversus sit in Jerusalem anno 1. Cyri, ut constat ex cap. 2. libri primi Esdræ, & superstes fueris sub Dario, & Artaxerse; ut liquet ex lib. 2. cap. vii. Lapsus est ergo Scaliger, quod legerit cap. iv. lib. 1. nomen Artaxersis, qui regnavit ante Darium, non animadvertens Artaxersem illum esse Cambisem, & Artaxersis nomen quod significat *strenuum bellatorem*, Regibus Persarum fuisse commune. Debuit ergo pro anno 2. Darii Nothi statuere annum 2. Darii Hystaspidis, idest, annum M. 3484. ante Æ. V. 520. Verum & ab hoc anno usque ad annum 29. Æ. Dionysianæ fluxerunt plus quam lxx. hebdomadæ, & anni 549. atque decretum Darii nil addidit decreto Cyri, ut dictum est modo.

Opp. 3. Repetendum est hebdomadarum initium ab anno xx. Artaxersis Longimani, qui Nehemiæ dedit amplissimam ædificandi Jerusalem auctoritatem, ut habetur 2. Esdræ cap. 11. 5. & 6. Non ergo ab ejusdem Regis anno septimo.

Resp. ab anno 20. Artaxersis ad annum 29. Æræ Vulgaris fluxisse annos tantum 473. ut constat ex propositione 1. haud recte alligari ab Usserianis vicesimum Artaxersis anno

anno ante Vulg. Æ. 453., ut liquet ex propositione 2. falso suppont Esdram non obtinuisse anno Artaxersis vii. facultatem ædificandi Jerosolymam, ut apparet ea Prop. 3. non bene poni passionem Christi anno Vulg. Æ. 33. ut nunc supponimus.

Opp. ultimo. Daniel enumerat hebdomadas annorum Lunarium ut post Africanum tenuerunt quamplures, præsertim Theodoretus, Zonaras, Pererius, Huetius. Nam hebræi annos numerant juxta cursum lunæ; & Propheta ait loqui se de hebdomadibus *abbreviatis*.

Resp. Hebræos juxta lunæ cursum numerare quidem menses, sed non annos. Etenim quotannis celebrant Pascha luna xiv. primi mensis, incipiunt autem annum suum a prima luna propinquiori Æquinoctio Verno; quod ni facerent, cum annus solaris superet annum lunarem diebus undecim, & lunæ cursus peragatur intra viginti novem dies, & sex horas; post certum annorum intervallum deberent in eodem anno bis Pascham facere: hoc autem incommodum devitant usu mensis embolismalis, sive intercalaris, quo luna complere possit annuam solis lustrationem. Præcepto etiam Exodi xxxiv. 22. singulis annis celebrant solemnitatem Tabernaculorum *quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*, & consequenter annum solarem observant; quoniam festum Tabernaculorum singulis annis septimis fiebat in Autumno sabbatum terræ. Igitur & Daniel solares annos spectavit, maxime quod lunares anni 490. nequeant præcise in annum Passionis Christi cadere, ut quisque ductis calculis deprehendet. *Abbreviatas* ergo Daniel appellavit hebdomadas lxx. quia numerus est *decisus* & definitus: neque in fine postremæ hebdomadis, sed *in dimidio* occisus est Christus. Subjiciam ad pleniorem hujus quæstionis intelligentiam numericum Hebdomadarum paradigma.

Incipit H.	i. Anno ante V. Æ.	457.	M. 3547.
	ii.	450.	
	iii.	443.	
	iv.	436.	
	v.	429.	
	vi.	422.	
	vii.	415.	
	viii., & i. ex lxii.	408.	M. 3596.
	ix.	401.	
	x.	394.	
	xi.	387.	
	xii.	380.	
	xiii.	373.	
	xiv.	366.	
	xv.	359.	
	xvi.	352.	
	xvii.	345.	
	xviii.	338.	
	xix.	331.	
	xx.	324.	
	xxi.	317.	
	xxii.	310.	
	xxiii.	303.	
	xxiv.	296.	
	xxv.	289.	
	xxvi.	282.	
	xxvii.	275.	
	xxviii.	268.	
	xxix.	261.	
	xxx.	254.	
	xxxi.	247.	
	xxxii.	240.	
	xxxiii.	233.	
	xxxiv.	226.	
	xxxv.	219.	
	xxxvi.	212.	
	xxxvii.	205.	
	xxxviii.	198.	
	xxxix.	191.	
	xl.	184.	
	xli.	177.	
	xlii.	170.	
	xliii.	163.	
	xliv.	156.	
	xlv.	149.	
	xlvi.	142.	
	xlvii.	135.	
	xlviii.	128.	
	xlix.	121.	
	l.	114.	
	li.	107.	
	lii.	100.	
	liii.	93.	
	liv.	86.	
	lv.	79.	
	lvi.	72.	
	lvii.	65.	
	lviii.	58.	
	lix.	51.	
	lx.	44.	
	lxi.	37.	
	lxii.	30.	
	lxiii.	23.	
	lxiv.	16.	
	lxv.	9.	
	lxvi.	2.	
	lxvii. An. Æræ Vulg.	5.	
	lxviii.	12.	
	lxix.	19.	
	lxx.	26.	

Hoc anno baptizatus est Christus.
Dimidium H. sive anni iii. 29.
Hoc anno Christus passus est.

SCHOLION.

„ SUnt inter recentiores viri doctissimi, qui sententiam subducentium hebdomadas Danielis ab anno Artaxersis septimo conciliare student cum sententia illorum, qui easdem hebdomadas supputandas esse contendunt ab anno prædicti Regis vigesimo. Complures etiam sunt, qui priori sententia refutata, pro altera pugnant acerrime, & hanc tabula depromta ex annis Sabbaticis, quasi ante conspectum omnium constituere, omnique nisu propugnare conantur. Est ulterius Auctor magno ingenio præditus, & summo studio novam planissimamque, ut putat, Chronologiam exornans, mihi pro sua humanitate communicatam, & quamprimum typis committendam, qui missis Chronologorum tricis, omnem nodum a se quamfacillime explicari arbitratur. De his quædam duximus esse adnotanda.

„ Scriptores illi recentiores parum, aut nihil in describenda Monarchia Persarum discedentes a Tabula a nobis propositione 2. prope finem præmissa, collocant initium principatus Artaxersis Longimani, quo solus cœpit regnare, in anno Mundi 3540. Annum ejusdem Regis vigesimum in anno M. 3560. veram Christi Nativitatem in anno M. 4000. initium Æræ Vulgaris in anno M. 4005. & Redemptoris nostri mortem in anno 4034. Nec latum unguem a Chronologis istis discessimus, ut constat ex præcedentibus propositionibus prima & secunda, & constabit magis magisque ex cap. 2. & 7. libri xxix. At hi docti viri putant Artaxersem Longimanum regnare cœpisse una cum Patre Xerse adhuc vivente, & secundam expeditionem parantem in Græciam anno M. 3531.; ideoque ajunt annum regni Artaxersis septimum, si ab anno 3540. quo regno solus potitus est, supputetur, concurrere cum anno M. 3548. secus, si ab anno 3531. subducatur.

„ Jam vero, inquiunt, ut Longimanus proficiscente patre ad bellum Rex initiaretur, postulabat lex & consuetudo Persarum, de qua Herodotus lib. 7. cap. 14. Verum non utitur hac Epocha Esdras referens libro 1. cap. 7. regis Artaxersis diploma emanatum anno 1548. nam si regni ejus computetur tempus ab anno 1531. septimus annus incidit in annum 1537. scilicet in præcedens decennium. A prædicto itaque anno 3548. deducti anni 490. seu septuaginta Danielis hebdomadæ, invenientur completi in anno M. 4038. & consequenter compertum erit Christum subiisse crucis patibulum in medio hebdomadis septuagesimæ, cum mortuus sit anno M. 4034. non vero, ut Usserius, Tillemontius, Natalis Alexander, & recentiorum complures contendunt, in anno M. 4037. vel 4036. supputantes hebdomades septuaginta ab anno M. 3550. vel 3551. Enimvero a prædicto anno M. 3548. usque ad annum Dominicæ Passionis 4034. fluxerunt anni solares 486. cum trimestri, adeoque incidit in eumdem annum dimidium hebdomadis septuagesimæ, in quo Christus prædictus fuerat moriturus. Atque idem plane consequitur, si dicatur annum 3548. concurrere cum anno 20. Artaxersis, regni hujus annos enumerando ab eo tempore, quo primum incœpit regnare cum Patre, dummodo id figendum dicatur in anno M. 3538. non vero in anno M. 3531. Quo enim anno præcise Artaxerses Longimanus assumptus fuerit a Patre in consortium regni, nequit liquido definiri.

„ Idem prorsus infertur, si deducantur 70. hebdomades, & anni 490. ab anno vigesimo Artaxersis computato eodem anno a tempore, quo solus cœpit regnare, Xerse patre suo insidiis Artabani e vivis sublato; & si anni prædicti 490. intelligantur *Lunares* esse, non autem *Solares*. Constituto enim initio regni Artaxersis in anno M. 3540. annus regni ejus vicesimus erit annus M. 3560. Ab anno autem mundi 3560. usque ad Christi mortem, sive usque ad annum 4034. computantur anni 474. & post annum alterum anni 475. qui ad *Lunares* reducti sunt anni 490. In hoc autem computu completur hebdomada septuagesima in anno M. 4035. & proximo post Domini crucifixionem. Neque enim quod ait Daniel Christum occidendum *in medio hebdomada*, ita arithmetice accipiendum est, ut cruci affigendus foret labente hebdomadis anno quarto: sed illud *in medio* positum recte dicitur, quod situm est inter extrema, scilicet in-

„ ter hebdomadæ diem, sive annum, primum, & ultimum. Hæc in *Apparatu Chronologico* Hadrianus Daude illustris Societatis Jesu Historicus, atque in Paradigmate Monarchiæ Persarum illinc deprompto, additoque Prolegomenis Bibliorum, quæ Remondinianis typis prodierunt in lucem.

„ Hæc nihil incommodi nobis adferunt: sed nihilominus non sunt ad complanandas difficultates idonea, atque ut existimantur ab auctoribus suis, expedita. Ac primum, si Artaxerses regnare cœpit cum Patre anno M. 3531. annus regni ejus vigesimus concurrere debet cum anno 3551. quod non tantum nos superiori propositione 2. refutavimus, verum etiam refellitur in *Apparatu Chronologico* nuper laudato. Deinde si primus annus principatus Artaxersis, ex quo solus regnare cœpit, est annus M. 3540. annus septimus debet esse annus M. 3547. uti nos affirmavimus prop. 3., non ut habetur in prædicta P. Daude Chronologia, annus M. 3548. Nec, dum eamdem sectamur Epocham, debemus diversa annorum statuere principia, quo tantum præsidio ista, alioquin levis, objectatio evanesceret. Præterea regnum Artaxersis cum patre, neque auctoritate Herodoti potest demonstrari, neque stabiliri ratione aliqua, neque ad solvendam de 70. hebdomadibus quæstionem quidquam valet. Præter ea namque, quæ produximus propositione 2. verba Herodoti libro 7. cap. 14. non significant Artaxersem regnasse cum patre, sed a Patre designatum fuisse, ut post sui obitum regnum administraret; immo loquitur de Dario Hystaspide, qui castra movens Xersem filium suum in regno sibi successurum declaravit. *Movente vero Dario*, inquit Herodotus, *contra Ægyptios, & Athenienses, ingens inter ejus Liberos de Principatu exorta dissensio est, quoniam ex instituto Persarum oportebat ita demum ire in expeditionem, cum regni successorem declarasset*. Quo in loco sententiæ oppositæ, regnique simultanei propugnatores, nescio an incogitantia, an opinationis suæ confidentia, pro illis verbis, *Cum regni successorem declarasset*, reddiderunt, *Cum regem constituisset*. Videatur Prop. 9. de Demonstrat. Evang. doctissimus Abrincensium Episcopus.

„ Ad Herodoti testimonium, quo depravato patroni oppositæ sententiæ abutuntur, accedunt momenta alia gravissima. Ac primum, Affirmant viri illi docti Artaxersem fuisse a Patre constitutum Regem Persarum anno 474. ante Æram Christianam, cum proficisceretur ad bellum, id postulante instituto Persarum. Verum longe difficilior pugna cum Græcis commissa fuit anno ante Æram Dionysianam & Vulgarem 480. idest, annis septem, antequam illa Artaxersis inauguratio, ut asseritur, eveniret. Eo itaque anno 480. Xerses successorem suum declarasset, si hoc postulasset lex & consuetudo Persarum. Concurrisset ergo annus vigesimus Artaxersis cum anno 460. ante Christum, atque is cruci fuisset suffixus hebdomada septuagesima jam transacta, exactisque annis 490. ante triennium ac trimestre, scilicet ante annum Æræ vulgaris 26. Quis autem ante annum Æ. V. 26. retrahat Domini crucifixionem? Profecto Xersem anno 1. Olymp. 75. qui fuit annus 480. ante Christum, & regni sui annus quintus, ingenti classe 800000. peditum, ratiumque 1200. invasisse Græcorum ditionem nequit in dubium revocari, id asserentibus Historicis probatissimis, nec iis, cum quibus dissertatur, repugnantibus. Illi præterea tradunt Xersem suscepisse anno 474. ante Christum expeditionem contra Græcos, eaque occasiona regem constituisse filium suum Artaxersem, ut ulcisceretur mortem Pausaniæ, quem Lacedæmones occiderunt obstructis foribus fani Minervæ, quo, ne violatæ fidei lueret pœnas, confugerat. At Pausanias occisus est *anno 4. Olympiadis* 75. ante Christum 477., ut scribit Diodorus Siculus libro undecimo. At nullum bellum fuit Persis adversus Græcos ante annum 470. præcedantem Christianam Æram. Belli itaque hoc anno suscepti causa dici nequit mors Pausaniæ. Cur enim rex potentissimus de vindicanda illius morte post exactum septennium deliberasset? Cur etiam quod Xerses extra Persidem profectus ad bellum fecisse dicitur anno ante Christum 470. protrahitur ad annum 474? Denique, (nec enim quæ dixi de Artaxersis ætate, repetam modo) in cap. 7. lib. 1. Esdræ versu 8. ubi legitur Esdram cum sociis adscendisse Jerosolymam cum edicto, magnisque muneribus regis Artaxersis *anno* hujus *septimo*, enumerantur anni ab eo tempore, quo cœpit solus regnare post mortem patris. Eadem ergo ratione computantur anni ejusdem Artaxersis libro Esdræ 2. cap. 2. 1. ubi habetur Nehemiam impetrasse regias litteras, quibus ædificare posset urbem Jerosolymam, eamque muris, portis, turribusque muniendi *anno vigesimo Artaxersis Regis*. Atque momentum istud eo videtur robustius, quod duplicem nullibi Epocham Artaxersis traditam inveniamus, tribuentibus Historicis omnibus eidem Artaxersi annos regni quadraginta, & consequenter annos istos supputantibus anno M. 3540. quo solus regnare cœpit. Fictitia est itaque duplex Artaxersis Epocha; neque hujus præsidio oppositæ de Computo Danielis hebdomadibus assertiones possunt conciliari,

„ Fateor tamen enumerantium annos Artaxersis a patris expeditione sententiam non esse omnino improbabilem. Neque enim flocci faciendum est momentum illud, quod post clarissimum Dionysium Petavium promunt quidam ex fuga Themistoclis. Themistoclem enim a Lacedæmoniis accusatum, & Athenis expulsum confugisse ad Artaxersem filium Xersis nuper regnantem, scribunt. Thucidides, & Charon Lampsacenus apud Plutarchum in Vita ejusdem Themistoclis. Hujus vero fuga juxta Diodorum Siculum contigit anno secundo Olympiadis 77. qui concurrit cum anno 471. ante Æram Christianam; at Diodorus non affirmat Themistoclem confugisse ad Artaxersem, quemadmodum asserunt apud Plutarchum Thucidides & Charon, sed ait asylum & refugium quæsisse apud *Xersem*. Hæc vero conciliari nequeunt, nisi dicamus Artaxersem anno ante Christum 471. simul cum patre suo Xerse regnavisse, mortuo autem patre regnum fuisse indeptum anno ante Christianam Epocham 465. & Mundi 3540.

„ Non est tamen momentum istud, ut primo apparet adspectu, validum ac robustum. Quid enim si dicamus pro *Xersis* nomen *Artaxersis* apud Diodorum irrepsisse? quid si reponamus tam *Xersis*, quam *Artaxersis* nomina fuisse regibus Persarum communia? Sed his prætermissis, quæ magna probabilitate assererentur, constat quid respondendum sit ex præcitatis verbis Herodoti, Themistoclem nempe confugisse ad Xersem eo tempore, quo processit ad gerendum bellum adversus Græcos, simulque ad Artaxersem, quem profecturus ad bellum declaraverat post se regnaturum. Et quidem hæc responsio dictis cohæret: siquidem inter Persas Græcosque dissidia & bella primum exorta sunt circa annum 470. ante Æram communem, ut dictum est supra; Themistoclem vero confugisse ad Regem Persarum anno 471. adstruunt ipsi contrariæ argumentationis architecti, innixi verbis Diodori fugam Themistoclis referentis ad annum secundum Olympiadis septuagesimæ septimæ.

„ Addunt insuper duplicis illius Epochæ assertores, non repugnare, si diversis inspectis initiis idem annus sit septimus, simulque vigesimus regni Artaxersis. Etenim in quarto Regum libro cap. 24. 8. legimus: *Decem & octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem*: in secundo autem libro Paralipomenon cap. 36. 9. habetur, *Octo annorum erat Joachin, cum regnare cœpisset, & tribus mensibus ac decem diebus regnavit in Jerusalem*. Plura hujus generis adduci possunt exempla: hoc autem adeo perspicuum est, atque expressum, ut frustraneum sit alia hujuscemodi in medium proferre.

„ Respondemus neminem esse, qui neget posse ejusdem principatus, & regni diversas constitui Epochas. Nam in hoc eodem volumine pertractantes de anno dominicæ nativitatis, & ad hunc annum definiendum explanantes annos Herodis, & Cæsaris Octaviani Augusti, varias utriusque Epochas explicamus: Herodis quidem a tempore, quo declaratus fuit rex a Romanis, & ab eo, quo debellatis Jerosolymis potitus est summa rerum; & Cæsaris Augusti a cæde Julii Cæsaris Dictatoris, ab inito Triumviratu, & a Pugna Actiaca regnum, imperiumque auspicando. Tiberii quoque binas admittimus Epochas, unam Imperii Proconsularis, alteram Augustæi; atque ut innumera prætermittamus exempla, etiam Natalis Dominici duplex tempus statuimus, unum secundem rei veritatem, alterum juxta Æram Dionysii Exigui. Itaque Joachin regnasse annis 18. ut legitur in libro 4. Regum, & a patre factum regni collegam decennio antequam a latrunculis Chaldæorum, Syriæ, Moab, & filiorum Ammon lacessitus moreretur, ultro concedimus; & regnasse Joachin a morte patris annis 8. ut habetur in 2. Paralipomenon libro, pariter verum esse arbitramur. Rationem quoque hujus rei producimus cum Sacræ Scripturæ Interpretibus: quoniam Joakim in tertio anno regni sui vinctus catenis captivus ductus est Babylonem; deinde rebus cum rege Chaldæorum compositis, Jerosolymam rediit, & pristinum regnum recuperavit. Ast iterum a Nabuchodonosore rebellans endecimo anno regni sui interfectus fuit a Chaldæis. Joachin itaque ejus filius regnavit annis 18. a tempore, quo Joakim solio pulsus, captivus abductus est Babylonem; & regnavit annis octo a morte patris. Quid enim magis credibile, quam Joakim captivo, & deturbato e regno, filius salutaretur rex Jerosolymorum? Potuit & Xerses parans adversus Græcos expeditionem committere filio regnum Persidis; potuit quidem: sed strenuus bellator discedebat, ductor exercitus, & victoriis onustus, non ut Joakim vinctus catenis, servusque miserrimus. Quamquam ab uno ad aliud exemplum non deducitur valida argumentatio: nec quæritur quid Xerses facere potuerit, sed quid fecerit. Fecisse autem Artaxersem regni Persici ante obitum suum, quocunque tandem anno dicatur id contigisse, collegam, seu consortem, gratis affirmatur; neque id ex Herodoto, vel ex instituto Persarum invicta demonstratione deducitur. Verum de fictitia Epocha regni Artaxersis, ejusdemque

Epo-

„ Epochæ ad ſeptuaginta hebdomadarum principium definiendum uſu fallaci, atque inutili, ſatis pro rei opportunitate mihi videor diſſeruiſſe.

„ At qui ſupputant annum Artaxerſis Longimani a morte Xerſis, atque 70. hebdomadarum initium conſtituunt in anno M. 3560. illarum vero exitum in anno M. 4035. non innituntur, ut patroni præcedentis ſententiæ, probabilibus momentis, & vero ſimilibus conjecturis: ſed longe aberrant a recta. Etenim autumant annos 490. ex quibus conſtantur hebdomades ſeptuaginta eſſe annos *lunares*, haud ignorantes annos *ſolares* 490. ſubductos ab anno M. 3560. pertingere ad annum M. 4050. & plurimum, ac ultra Paſſionem Domini nimio decurſu vagari. Sed abſurdiſſimum eſt in hebdomadibus annorum,: quales ſunt definitæ a Daniele Propheta, excogitare *lunares annos*. Enim vero, licet Hebræi menſibus utantur *lunaribus*; ad æquandos tamen annos *lunares ſolaribus* habent *intercalares*, adjecto interdum menſe decimotertio, ut explicatum eſt in Elementis Chronologiæ. Quod niſi facerent, nunquam Judæi haberent ſedem fixam initii annorum, ſive illos a *Tiſri* inchoari velis, ſive a *Niſan*, ſed nunc in uno, nunc in altero menſium figerentur anni primordia, quomodo evenit in Ægyra Arabum, in qua itidem *lunares* ſunt menſes, nec annus habet unquam certum fixumque principium. Neque Hebræi *intercalares* habent ex nova aliqua reformatione Calendarii, ſed ex antiquo inſtituto. In Levitici enim capite 25. 4. legitur legale illud præceptum. *Septimo autem anno ſabbatum erit terræ, & requietionis domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis.* Annus iſte ſeptimus vulgo appellari ſolet annus *ſabbaticus*. Eodem capite verſu 10. & ſequentibus annus *Jubilæi* hac ratione præſcribitur: *Sanctificabis annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipſe enim eſt Jubilæus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redibit ad familiam priſtinam: quia Jubilæus eſt, & quinquageſimus annus. Non ſeretis, neque metetis ſponte in agro naſcentia, & primitias vindemiæ non colligetis ob ſanctificationem Jubilæi, ſed ſtatim oblata comedetis. Anno Jubilæi redient omnes ad poſſeſſiones ſuas.* Eadem præcepta repetuntur cap. 5. Deuteronomii. In capite autem 16. hujus libri, verſu 1. ita tempus Paſchatis definitur: *Obſerva menſem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phaſe Domino Deo tuo.* Ibidem verſu 13. ita indicitur Feſtum *Tabernaculorum*: *Solemnitatem quoque Tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies, quando collegeris de area, & torculari fruges tuas.*

„ Quantum ſpectat ad annum *ſeptimum* præſcriptum cap. 25. Levitici, certum eſt eo tranſacto fas fuiſſe Hebræis terram ſerere, ac metere fruges: nam legitur verſu 22. *Seretiſque anno octavo & comedetis veteres fruges uſque ad annum nonum.* Hinc infertur annum *Sabbaticum* ſemper fuiſſe inchoatum ab autumno: nam ſi a verno tempore fuiſſet inceptus, & a menſe *Niſan*, cujus novilunium incidit in Martium, & a quo ſumit initium annus Hebræorum ſacer; nec anno octavo fruges collegiſſent, quibus veſcerentur anno nono ante tempus ſationis, & vindemiæ; incidiſſet enim tempus meſſis, & vindemiæ in medium ipſius anni *Sabbatici*, in quo prohibitum erat metere, & primitiarum uvas colligere. E contra poſito initio ac fine anni *Sabbatici* in autumno, & in menſe *Tiſri*, cujus neomenia incidit in menſem Septembris, & unde ſubducitur Hebræorum annus civilis; fuiſſet tempus ſerendi, & colligendi uvas, atque anno octavo habuiſſent Hebræi quod comederent, ac biberent uſque ad autumnum, ſeu uſque ad initium anni noni, qui inchoaretur a menſe *Tiſri*. Poſitis autem *annis lunaribus*, nec ad *ſolares* reductis, progrediente tempore principium anni *Sabbatici* ab autumno ad hiemem, hinc ad vernam, & ad æſtivam excurreret tempeſtatem. Ex lege etiam anni quinquageſimi, ſive *Jubilæi*, abſque ambiguitate infertur, in illo ſingulos ad poſſeſſiones ſuas rediiſſe, & præterito ipſius *Jubilæi* anno novos conducendos fuiſſe colonos: quod nullo anni tempore commodius fit, quam autumnali, in quo fructus omnes terræ collecti ſunt, & in horreis doliiſque conduntur. Si quis autem contenderet tam annum *Sabbaticum*, quam *Jubilæum*, non a *Tiſri*, ſed a *Niſan* ſupputandum eſſe, nobiſque diverſas proponeret opiniones, erudite ſapienterque a Scaligero, & a Petavio revocatas ad trutinam: non tamen evinceret annos *lunares* æquandos non eſſe *ſolaribus* medio *intercalari*: quippe hac adæquatione ſublata, non poteſt initium anni alicui menſium certo & immobiliter alligari, anniſque ſingulis tot diebus Calendæ primi menſis erunt retrahendæ, quot diebus annus *Lunaris* minor eſt anno *Solari*. Eſt autem minor diebus undecim; quandoquidem in anno *Solari* computantur dies 365. in anno autem *Lunari* enumerantur anni 354. Si ergo ſupponantur anni tantum *Lunares*, neque admittatur *intercalaris*; verum non erit menſem *Niſan*, in quo celebrandum erat *Phaſe*, fuiſſe perpetuo conſtanterque *menſem novarum frugum, & primum verni temporis*, prout aſſeritur cap. 16. Deuteronomii: nec verum erit menſem *Tiſri*, in quo celebranda erat ſolemnitas *Tabernaculorum*, fuiſſe immobilites firmiterque menſem, quo *de area*, & *torculari* collectæ ſunt omnes fruges, ut declaratur eodem capite 16. ſed cum iſtæ, tum aliæ omnes Judæorum ſolemnitates quotannis *Solaribus* intervallo undecim dierum a præſtituto tempore amovebuntur, & paullatim ab uno *lunari* menſe tranſmigrabunt in alterum. Quamobrem ii, qui adſtruunt hebdomades ſeptem annorum *Lunarium*, breviores hebdomadibus ſeptem annorum *Solarium*, non attenderunt ad menſem *intercalarem*, quo anni *Solares Lunareſque* coæquantur; nullamque rationem habuerunt Calendarii Judaici, veterumque Solemnitatum Hebraicarum.

„ Nullam aliam rationem explicandi oraculum Danielis de hebdomadibus conflatis ex ſeptem annis *lunaribus* proferre poſſunt refutatæ opinionis patroni, niſi quia Dan. cap. 9. 24. ſeptuaginta hebdomades dicuntur *abbreviatæ* quo vocabulo ſignificari putant hebdomades *breviores* communibus, & quæ ex annis ſolaribus componuntur.

„ Futilem autem eſſe, nec alicujus ponderis rationem iſtam oſtendunt viri præſtantiſſimi explicantes quid ſint hebdomades abbreviatæ lectione codicis Hebraici, & Verſionum Græcæ, & Syriacæ translatione, ad quas recurrendum eſſe ad ſenſum ſaltem grammaticalem exhauriendum monent Interpretes cuncti. Codex enim Hebraicus ſignificat dici *abbreviatas*, quoniam *deciſa* ſunt, ac *prædefinitæ*, eo quod tempus redemptionis, abolitio iniquitatis, & adductio juſtitiæ ſempiternæ non forent ulterius differenda. Idem ſignificat Græca Verſio, in qua hebdomades ſeptuaginta dicuntur *contractæ*: idem pariter Syriaca, ubi verba Danielis, *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*, ita redduntur, *Septuaginta hebdomades morabuntur*. Addunt dici etiam *abbreviatas*, quoniam iſtarum hebdomadarum ſpatio tanta in Judæorum Republica evenerunt, quæ ampliori temporum intervallo, niſi Deus aliter prædefiniſſet, viderentur eſſe peracta. In noſtra vero ſententia *abbreviatæ* dicuntur attento quoque rigoroſo ſenſu grammaticali, propterea quod Redemptor affixus eſt cruci poſt hebdomadas ſexaginta novem, & ſeptuageſima nondum completa. Nunc occurrit mihi alia expoſitio. Ætate Chriſti Phariſæi legem pervertebant, cæci, duceſque cæcorum ſeducebant plurimos, & circa eadem tempora ſurrecturi erant multi Pſeudoprophetæ, quomodo ipſe Chriſtus inquit Matthæi cap. 24. 11. Definitum igitur eſt, contractum abbreviatumque tempus peragendæ redemptionis, & foras ejiciendi principem tenebrarum, ne ſeducerentur qui erant prædeſtinati ad vitam æternam. Quare citato cap. 24. idem Chriſtus commemorata *Abominatione deſolationis prædicta a Daniele propheta*, & implenda omnino in urbis Jeroſolymitanæ ſubverſione, & excidio, ſubjicit verſu 22. *Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.* Ut ergo a domino dies illi dicuntur *breviati*, ita a Propheta Domini *abbreviatæ* dicuntur ſeptuaginta hebdomades.

„ Progrediamur modo ad explicandam ſententiam illorum, qui ſupputantes hebdomadas Danielis ab anno vigeſimo Artaxerſis Longimani, ante Æram Chriſtianam 446. illam ingenioſe, & accurate exponunt recurrendo ad annos *Sabbaticos*: quam ſententiam expono libenter, tum conſuetudinis, tum grati animi cauſa. Hanc enim ſententiam illuſtravit, propugnavitque diſſertatione præclara, & numeris omnibus abſoluta Thomas Bouges Auguſtiniani Ordinis Profeſſor Toloſanus, eamdemque diſſertationem Gallico ſermone conſcriptam in lucem edidit anno 1701. & rurſus Italice evulgavit Auguſtinianus alter anno 1721. eamdemque anno 1757. Mediolani in Univerſitate S. Alexandri tradidit egregius Theologus, & defenſor acerrimus noſtri de Gratia Chriſti ſyſtematis.

„ Hi ergo præter alios bene multos, qui eamdem ſectantur Chronologiam, & ſeptuaginta hebdomadas computant ab anno Artaxerſis vigeſimo, principio docent hebdomadas illas eſſe annorum, quod certiſſimum eſt; & inchoari ajunt ab anno *Sabbatico*, ſive ab anno *ſeptimo*, de quo diximus paullo ſupra; ideoque Danielis hebdomadas appellant *hebdomadas Sabbaticas*. Deinde ob oculos ponunt, & expandunt hanc annorum *Sabbaticorum* Tabulam:

Anni Sabbatici.	*Hebdomadæ.*	*Anni Artaxerſis.*
I. Ante Chriſtum 450.	I. Hebd. 1.	Regni Artax. 16.
449.	An. 2.	17.
448.	7.	18.
447.	4.	19.
* 446.	* 5.	* 20.
445.	6.	21.
444.	7.	22.

„ Conſtituunt itaque primum annum *Sabbaticum* in anno ante Æram Chriſtianam 450. & in anno 16. regni Artaxerſis: Diploma de reædificanda civitate Jeruſalem in anno ante Chriſtum 446. in anno 5. hebdomadis 1. & in

„ in anno Artaxerſis 20. Deinde vero enumerant annos *Sabbaticos*, & annos ante Æram Christianam hoc modo:

Anni Sabbatici	*Anni ante Æram Christianam.*
II.	437
III.	430.
IV.	423.
V.	416.
VI.	409.
VII.	402.
VIII.	395.
IX.	388.
X.	381.
XI.	374.
XII.	367.
XIII.	360.
XIV.	353.
XV.	346.
XVI.	339.
XVII.	332.
XVIII.	325.
XIX.	318.
XX.	311.
XXI.	304.
XXII.	297.
XXIII.	290.
XXIV.	283.
XXV.	276.
XXVI.	269.
XXVII.	262.
XXVIII.	255.
XXIX.	248.
XXX.	241.
XXXI.	234.
XXXII.	227.
XXXIII.	220.
XXXIV.	213.
XXXV.	206.
XXXVI.	199.
XXXVII.	192.
XXXVIII.	185.
XXXIX.	178.
lx.	171.
xli.	164.
xlii.	157.
xliii.	150.
xliv.	143.
xlv.	136.
xlvi.	129.
xlvii.	122.
xlviii.	115.
xlix	108.
l.	101.
li.	94.
lii.	87.
liii.	80.
liv.	73.
lv.	66.
lvi.	59.
lvii.	52.
lviii.	45.
lix	38.
lx.	31.
lxi.	24.
lxii.	17.
lxiii.	10.
lxiv.	3.

„ In hac hebdomada ſexageſima quarta abſolvitur enumeratio annorum ante Æram Christianam. Proxima enim hebdomada ſexageſima quinta incipit ab anno quinto ejuſdem Æræ: ideoque deinceps hoc modo Anni *Sabbatici* enumerantur.

Anni Sabbatici.		*Anni Æra Christiana.*
lxv.		5.
lxvi.		12.
lxvii.		19.
lxviii.		26.
lxix. anni		
	1.	27.
	2.	28.
	3.	29.
	4.	30.
	5.	31.
	6.	32.
	7.	33.

„ Hoc anno 33. Æræ Christianæ, quo terminatur hebdomada ſexageſima nona, conſignatur Paſſio & mors Redemptoris noſtri; quam Daniel ita prænuntiaverat, cap. 9. 25. *Ab exitu ſermonis, ut ædificetur Jeruſalem uſque ad Christum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt*: & verſu 26. *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus*, nempe poſt hebdomadas ſexaginta duas præciſas ab hebdomadibus ſeptem primo & ſingillatim definitas, ideoque poſt hebdomades ſexaginta novem.

„ Ad amuſſim omnia cohærent: ſunt enim hebdomades *Sabbaticæ* 69. anni 483. atque ad complendum numerum ſeptuaginta hebdomadum reſtant ſolummodo anni ſeptem conſtituentes hebdomadam ultimam. Additis enim annis 7. ſupra annos 483. reſultat ſumma annorum 490. Numerus vero annorum 483. in morte Chriſti perſpicue adinvenitur exactus: nam poſito initio prioris hebdomadis in anno ante Æram Christianam 450. eidemque anno 450. additis annis 33. ipſius Æræ, conflatur numerus prædictorum annorum 483.

„ Si petas, Ergone hebdomada ſeptuageſima completa fuit in anno Æræ Christianæ, & communis 40. & anno ſeptimo poſt mortem Chriſti? reſpondebunt, Nequaquam. Hebdomada ſeptuageſimæ, inquiunt, ab hebdomadibus 69. eſt avellenda, neque iis proxime & immediate ſubnectitur: ſpectat enim ad Jeroſolymitanum excidium, & ad *abominationem deſolationis* prædictam a Daniele, quemadmodum ait Chriſtus cap. 24. Matthæi. Hujus itaque poſtremæ hebdomadis initium & finis eſt hujuſmodi.

Hebdomada lxx.		*Anni Æra Christiana*
Annus	1.	69.
	2.	70.
	3.	71.
	4.	72.
	5.	73.
	6.	74.
	7.	75.

„ Anno enim Æræ Christianæ 69. Veſpaſianus miſit Titum ad debellandam Jeruſalem. Anno 70. Jeroſolyma expugnatur. Anno 71. Titus Romam reverſus de Judæa devicta triumphat. Anno 72. Jubente Veſpaſiano omnes terræ Judæorum venduntur, miſſo in Palæſtinam, ut id executioni mandaret, Liberio Maximo. Anno 73. coguntur omnes Judæi extorres, & per orbem diſperſi ſolvere Capitolio, & ædi Jovis Capitolini didrachma, quod Jeroſolymitano dirutoque templo impendebant. Anno 74. Judæi eadem lege premuntur. Anno demum 75. recurrente anno *Sabbatico* abſolvitur poſtrema, & ſeptuageſima hebdomada.

„ Duæ hoc in loco quæſtiones exoriuntur: quarum prima eſt, quibus momentis demonſtrari poſſit præmiſſæ annorum *Sabbaticorum* partitio: altera, quomodo ſuaderi queat poſtremam hebdomadam non eſſe connectendam cum præcedentibus.

„ Priorem quæſtionem ita reſolvunt. Inveniendi annos *Sabbaticos*, & initium hebdomadarum annorum, certam apertamque rationem ipſa divina Scriptura nobis ſuppeditat. Etenim in libro 2. Machabæorum cap. 13. legimus: *Anno centeſimo quadrageſimonono cognovit Judas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adverſus Judæam*. Certum eſt annum 149. Græcorum ab autumno inchoatum concurrere cum anno 164. ante Æram Vulgarem. Eumdem vero annum 149. Græcorum fuiſſe annum *Sabbaticum*, apertiſſime infertur ex libro Machabæorum 1. cap. 6. 53. ubi commemorata illa Antiochi Eupatoris expeditione contra Jeroſolymam, ſcribitur: *Eſcæ autem non erant in civitate, eo quod ſeptimus annus eſſet: & qui remanſerant in Judæa de Gentibus conſumpſerant reliquias eorum, quæ repoſita fuerant*. Eumdem annum fuiſſe *Sabbaticum* affirmat quoque Fl. Joſephus libro Antiq. 12. cap. 14. Habemus itaque *Sabbaticum* fuiſſe annum ante Chriſtum 164. a quo anno inchoatur hebdomada Danielis quadrageſimæ ſecunda. Rurſus libro 1. Mach. cap. 16. 14. narratur, Simonem Judæorum Sacerdotem ac principem cum Mathathia & Juda deſcendiſſe in Jericho, anno centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe undecimo, ideſt, menſe *Sabath*, aut *Sebeth*. Annus Græcorum 177. eſt annus ante Christianam Epocham 135. Tunc vero Simon convivio exceptus, & inebriatus occiſus fuit a Ptolomæo genero ſuo, incenſo dominandi cupiditate. Proximo autem anno 178. Græcorum, cum Hircano ſummi Sacerdotis munus in locum Simonis patris ſui fuiſſet commiſſum, parricida Ptolomæus in arce Dagon, in quam ſe receperat, arcta & diuturna obſidione concluſus patrati a ſe criminis pœnas perſolvit. Refert hanc hiſtoriam libro 13. cap. 15. Flavius Joſephus; qui etiam ait annum illum Græcorum 178. ante Chriſtum 136. fuiſſe annum *Sabbaticum*. Inquit enim: *Cumque hoc pacto traheretur diutius obſidio, ſupervenit ille annus, quo ſolemne eſt Judæis ceſſare ab operibus, recurrente anno Sabbatico*. Quare habemus alterum annum *Sabbaticum* concurrentem cum anno ante Chriſtum 136. in quo anno ſtatutum eſt initium hebdomadis quadrageſimæ quintæ. Addunt momentum tertium. Herodes Magnus copiis Soſii Romani ducis adjutus Jeroſolymam in ſui poteſtatem redegit *anno Sabbatico*, teſte prælaudato Joſepho libro 14. cap. 28. qui

„ illic

illic adnotet, hanc Jerosolymitanam expugnationem incidisse in annum, quo M. Agrippa & Caninius Gallus consulatum gerebant. Annus iste concurrit cum anno ante Christum 38. unde incœpit hebdomada Danielis quinquagesima nona. Habemus itaque tres hebdomades, alτr. xlv. & lιx. quarum exordium statuendum est in anno *Sabbatico*; & consequenter idem dicendum est de ceteris omnibus hebdomadibus Danielis, quoniam unaquæque hebdomada idem septennii spatium comprehendit: ac singulis septenniis vel ab anno ante Æram Christianam 164. vel ab anno 136. vel ab anno 38. adscendendo, aut descendendo suppotatis, compertum erit hebdomadam primam inchoandam esse ab anno ante Christianam Æram 450. & hebdomadam sexagesimam nonam ab anno ejusdem Æræ 33. Atque ad hunc plane modum quæstionem priorem expediunt.

Quæstionem alteram dirimunt hac ratione. Daniel prænunciata morte Christi *post hebdomades sexaginta duas* cap. 9. 26. prædixit Jerosolymitanæ civitati excidium, *Et civitatem*, inquit, *& sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio*; atque versu proximo 27. *Et erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio*. Vaticinium istud spectare ad vastationem Jerusalem constat ex capite 24. Matthæi. Christus mortuus est anno 33. Æræ vulgaris: Jerosolima devastata, templumque aversum anno ejusdem Æræ 70. Oportet ergo, ut hebdomada lxx. in quam incidit *abominatio desolationis*, non connectatur cum lxix. in qua crucifixus est Christus. Neque repugnat hebdomades dici *septuaginta*, etiamsi inter sexagesimam nonam, & septuagesimam, sive inter annum 33. & annum 69. quinque aliæ hebdomades, aut quinque anni *Sabbatici*, anni nimirum communes 35. intercesserint; quandoquidem etiam in Genealogia Christi cap. 1. Matthæi versu 17. recensentur *a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim*; & nihilominus tres illic omittuntur generationes, quæ sunt inter Joram & Oziam. Etenim Evangelista generationes illas quatuordecim enumerando ait versu 8. *Joram autem genuit Oziam*: sed ex libro 1. Paralipomenon cap. 22. 1. evidens est Joram genuisse Ochoziam: ex eodem capite versu 11. Ochoziam genuisse Joas: ex capite 24. 27. Joas genuisse Amasiam; & ex capite 26. 1. Amasiam genuisse Oziam, appellatum quoque Azariam. Prætermittit itaque Evangelista generationes Ochoziæ, Joas, & Amasiæ, ut a Davide usque ad transmigrationem Babylonis quatuordecim generationes enumeret. Potuit consimili ratione Propheta Daniel inter hebdomadam lxix. & lxx. interjectos annos 35. omittere, ut fixus maneret numerus septuaginta hebdomadum; præsertim cum mors Christi enunciata post hebdomades 69. & abominatio desolationis prænunciata in hebdomada 70. duæ res disparatæ sint, & longe distractis temporibus subsecutæ.

Videor mihi opinionem doctissimorum virorum, quos memor officii mei summa prosequor veneratione, dilucide explanavisse. Non tamen allata hactenus momenta talis sunt roboris, ut cogant me a priori sententia recedere. Si enim vel auctoritate vel ratione pugnandum sit, nisi prævaleat opinio statuentium initia hebdomadum Danielis in anno septimo Artaxersis opinioni eadem initia constituentium in anno ipsius Artaxersis vigesimo, certe valet cum ista æquiparari, nec facile superabitur. Salvatoris autem nostri mortem figendam in anno Æræ Vulgaris 29. non in anno 33. qui propugnant, Evangelicæ Historiæ, & Patrum antiquiorum traditioni, sunt proculdubio conformiores, nec oppositis argumentationibus petitis aut a celebri eclypsi commemorata a Phlegonte, aut a Chronologia Imperatoris Tiberii, aut a quovis alio capite, adeo obstringuntur, ut nequeant e laqueis adversariorum evadere. Quamquam cum anni Æræ Christianæ 33. 32. 31. 30. 29. 28. intra eamdem hebdomadam sexagesimam nonam contineantur; recepta quoque partitione annorum *Sabbaticorum* ingeniose disposita, ignoro cur dici debet Christus affixus cruci anno Æræ, qua utimur, 33. non potius anno 29. aut quolibet alio sex prædictorum, & pro quorum singulis adinvenimus virorum sapientissimorum judicia, aliis unum, aliis alterum existimantibus esse annum Domini emortualem.

Hebdomades Danielis esse *Sabbaticas*, & ab anno *Sabbatico* inchoandas, ultro concedimus. Vereor tamen, ne falso ex 2. libro Machabæorum inferatur annum Græcorum 149. esse annum 164. ante Christum, quum auctor illius 2. libri non utatur communi Æra Græcorum, sed Æra diversa ab illa, cui insistit Auctor libri 1. quod a nemine denegatur, & a nobis itidem demonstratum est in Elementis Chronologiæ, dum Æram Græcorum ab Æra Seleucidarum secernendam esse tradidimus: idemque a nobis præstabitur, ubi vestigia illustrium Chronologorum calcantes ostendemus utrumque librum Machabæorum esse Canonicum, etiamsi unus ab alio discrepet in annorum supputatione. Idem, quod asserimus de anno 149. de quo lib. 2. Machab. cap. 13. absque ulla hæsitatione affirmamus de anno 178. proximo ad annum 177. de quo lib. 1. cap. 16. 14. aut dicimus, annum istum, si *Sabbaticus* fuit, evidenter evincere non fuisse *Sabbaticum* annum 149. de quo in libro 2. quoniam utriusque libri est diversa Chronologia: atque in 1. libro a mense *Nisan*, in 2. e *Tisri* menses inchoantur. Verum ista prætermittamus.

Jam vero petam ab expositi Systematis defensoribus: Si initium hebdomadum Danielis figendum est in anno *Sabbatico* ante Æram Christianam 450. quare Edictum Artaxersis refertur ad annum quintum hebdomadis primæ inchoandæ ab anno *Sabbatico* 450. ante Christum? Responsio eorum in promptu est: Quoniam prædictus annus 450. concurrit cum anno 16. regni Artaxersis, & facultas reædificandæ Jerosolymitanæ civitatis Judæis concessa est anno Artaxersis 20. ideoque non ineunte hebdomada prima, sed anno hujus hebdomadis quinto concurrente cum 20. anno prædicti regis Persarum. Bene habet. At hoc in controversia positum est, an de anno illo *vigesimo* intelligendum sit propheticum vaticinium. Deinde eadem regula fundata in annis *Sabbaticis* demonstratur hebdomades, de quibus agimus, computandas esse ab anno Artaxersis *septimo*, & Christum fuisse cruci suffixum post hebdomadas 69. & anno Æræ Chr. 29. Ita enim ratiocinabimur: Annus 450. ante Christum fuit annus *Sabbaticus*. Fuit ergo annus *Sabbaticus* etiam annus ante Christum 457. At juxta prælaudatos viros clarissimos annus 450. concurrit cum anno 16. Artaxersis, annus autem hujus regis 20. quo anno decretum tulit de reædificanda Jerusalem, concurrit cum anno ante Christum 446. & nihilominus initium lxx. hebdomadum ab iis non constituitur in anno ante Christum 446. sed in anno *Sabbatico* 450. Consimili ergo ratione possumus nos inchoare lxx. hebdomades ab anno 457. atque mentem intendere in edictum Artaxersis emanatum anno 459. qui incidit in annum ipsius Regis *septimum*, quamvis annus iste *septimus* non concurrat cum anno *Sabbatico* 457. Et quidem si annus primus regni Artaxersis fuit annus ante Christum 465. & annus *vigesimus* ejusdem regis fuit annus ante Christum 446. necessum est, ut *septimus* annus Regis sit annus 459. ante Æram Christianam. Enim vero, quare lxx. hebdomades supputantur ab anno *Sabbatico* 450. ante Dominum, etiamsi annus Artaxersis vigesimus incidat in annum 446. & prioris hebdomadæ quintum, & supputari non debent ab anno ante Dominum 457. licet Artaxersis annus *septimus* concurrat cum anno ante Christum 459. qui biennio tantum præcessit prædictum annum *Sabbaticum* 457.? Sane potiori jure hebdomades lxx. inchoantur ab anno ante Christum 457. biennio tantum post decretum latum anno 459. & Artaxersis anno 7. quam inchoentur ab anno ante Christum 450. & anno quinto ante edictum ipsius Regis emanatum anno 446. & Regis 20. Cur enim remotum magis, quam proximiorem annum *Sabbaticum* statuamus initium hebdomadum septuaginta? Cur quinquennio præcedentem, non potius subsequentem post biennium? Insuper inquiunt: Christus affixus est cruci anno Æræ Vulgaris 33. Addantur anni 450. qui eandem Æram præcesserunt: conficietur summa annorum 483. idest, complebuntur hebdomades 69. sive 7. & 62. quibus transactis occidendum Christum Daniel prædixerat. A prædicto itaque anno 450. prædefinitæ hebdomades sunt inchoandæ. Verumtamen ita nobis ex opposito ratiocinari fas erit: Statuatur initium 70. hebdomadum in anno *Sabbatico* ante Christum 457. & addantur anni 29. Æræ Christianæ; resultabit summa annorum 486. & ita invenietur contigisse Crucifixionem Domini post hebdomades 69. quæ conficiunt summam annorum 483. ac ulterius Christus mortuus erit post alios tres annos: idque magis consentaneum est Prophetæ dicenti versu 27. *Confirmabit autem pactum hebdomada una, & in medio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*. Quæ postrema verba ad Christi mortem, in qua veteris legis sacrificia abrogata fuerunt, potius referenda sunt, quam ad Jerosolymitanum excidium, propterea quod *medium* significatur illius hebdomadis, in qua Christus prædicatione sua *confirmaturus erat pactum*, legem veterem aboliturus, consummaturus antiquas omnes figuras, & novum fœdus novumque Testamentum instituturus, confirmandum intercedente illius morte, & sanguine suo dedicandum.

Profecto quæ sequuntur, *Et erit in templo Abominatio desolationis*, quemadmodum & præcedentia: *Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio*; hæc, inquam, verba esse referenda ad vastationem eversionemque Jerosolymorum nemo unus inficiabitur. At hoc evenisse in hebdomade *septuagesima* ab aliis plurimo annorum intervallo sejuncta, negabunt jure quamplurimi. Propheta namque ita loquitur: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, &c.* Quando autem peccatum

con-

,, consummatum est, nisi quando Christus *chirographum affixit*
,, *cruxi*, factus ipse pro nobis *peccatum & maledictum*?
,, Quando deleta est iniquitas, nisi quando *iniquitates no-*
,, *stras ipse portavit*? Quando justitia sempiterna adducta
,, est, nisi quando ipse factus *est nobis justitia, sanctifica-*
,, *tio, & redemptio*? Itaque ad passionem Domini perti-
,, net quoque hebdomada *septuagesima*, in cujus *medio* su-
,, biit Dominus pro salute humani Generis teterrimum
,, Crucis patibulum. Satis dictum de iis, qui annorum
,, *Sabbaticorum* expensa tabula arbitrantur evidentissime de-
,, monstrari, quomodo a vigesimo anno regni Artaxersis,
,, & non a septimo, septuaginta Danielis hebdomades sint
,, supputandæ.

,, Chronologiæ novissimæ & ad prælum paratæ Auctor
,, enumerat ab Orbe condito ad excidium Jerosolymæ a
,, Tito expugnatæ atque eversæ annos 4000. nimirum ex
,, Scripturis Sacris supputat ab anno primo Adæ usque ad
,, ultimum Mathusalæ annos 1656.
,, Ab anno diluvii ad ultimum Thare 427
,, Ab obitu Thare ad Legem 430.
,, A Lege ad ædificationem Templi 480.
,, Ab ædificatione templi usque ad annum septuagesimum
,, Transmigrationis 486.
,, Ab anno ultimo Transmigrationis ad mortem Chri-
,, sti 483.
,, A morte Christi ad excisam Jerusalem 38.
,, Sunt omnes anni simul 4000.

,, Huic Chronologiæ magna eruditione ac diligentia con-
,, nectit supputationem annorum, quibus regnarunt Persa-
,, rum, Græcorum, aliarumque Gentium Reges, atque
,, Profanæ Historiæ Scriptores ad concordiam revocare ma-
,, gnopere adnititur. Excisam Jerusalem ait anno Urbis
,, conditæ 823. Coss. Vespasiano Aug. 1. & Tito Cæs. 1.
,, ut scribit Josephus lib. 7. de Bello cap. 18. Cum annus
,, ille 823. concurrat cum anno Mundi 4000. consequens
,, est, ut Roma condita fuerit anno Mundi 3178. Postre-
,, mus autem annus Transmigrationis Babylonicæ fuit jux-
,, ta præmissum computum 3480. ideoque annus Urbis
,, Conditæ 303. Hoc anno revelatum fuit Danieli Chri-
,, stum occidendum fuisse post hebdomades septem & sexa-
,, ginta duas, idest, post annos 483. Perspicuum est igitur flu-
,, xisse ab anno ultimo Transmigrationis usque ad Christi
,, mortem annos 483. Christus natus est anno M. 3929.
,, U. C. 752. mortuus autem anno M. 3963. ineunte, U.
,, C. 785. exeunte, Anno Juliano 78. Consulibus Sulpicio
,, Galba, & Cornelio Sulla, & anno 4. Olymp. 202. quo
,, anno hora sexta contigit eclypsis commemorata a Phle-
,, gonte. A morte Christi ad excisionem Jerusalem anni
,, 38. supputentur; compertum erit Jerusalem excisam di-
,, rutamque fuisse anno M. 4000. Hinc Dominus biduo an-
,, te ultimum Pascha, Matth. 23. Marci 13. & Lucæ 21.
,, adventuram prædixit desolationem Jerusolymorum, prius-
,, quam generatio illa præteriret: Generatio autem juxta
,, Scripturæ phrasim comprehendit annos quadraginta. Vi-
,, de Psalmum 94. Missis itaque de initio hebdomadarum
,, Danielis aliorum disputationibus obscurissimis ac difficil-
,, limis, constat supputandas esse ab anno M. 3480. nam
,, huic anno superadditis annis 483. sive, 7. & 62. hebdo-
,, madibus *Sabbaticis* resultat annus M. 3963. quo Christus
,, affixus est cruci. Ita vir doctus.

,, Ab hac autem Chronologia recedendum esse arbitra-
,, mur, quoniam, ne loquamur de supputatione annorum
,, a Creatione mundi, in qua supputatione tot inveniun-
,, tur sententiæ, quot capita, neque Christi nativitas con-
,, stitui potest in anno U. C. 752. neque Christi passio in
,, anno 785. exeunte, ut alibi demonstrabimus.

C A P U T VI.

Refelluntur Hebræi ex propria, licet corrupta, illorum Chronologia.

HEBRÆI legentes in sacris Bibliis nomina Regum Persarum Cyri, Assueri, Darii, & Artaxersis, non attendentes narrari ibidem sacram duntaxat historiam, & commemorari Reges, qui ad hanc spectant, ceteris prætermissis; ignorarunt Xerses duos, Arsen, Ochum, alterum Artaxersem, aliumque Darium: quos tamen extitisse profanæ omnes historiæ testantur. Falsa hinc Judaica Chronotaxis deprehenditur. Ex ea tamen pervicaces possumus refutare, pugnantibus adversus mendacia mendaciis.

Ex Judæorum Chronicis apud ipsos pervulgatis, & ab unoquoque Rabbinorum receptis, quæ legi possunt apud Genebrardum in libro *Sepher Olàm*, sive Chronologia Hebræorum, & 2. volum. Biblioth. Rabbinicæ Julii Bartolocci p. 313. liquet Nabuchodonosorem expugnata Ninive imperium suum fuisse auspicatum anno mundi juxta hebraicum computum 3319. Is anno tertio regni Joakim desinente obsedit Jerusalem, & rex Judæ anno quarto regni sui factus est servus illius, ac sub ejus potestate fuerit tribus annis. Anno tertio rebellionis Joakim, & septimo postquam a rege Nabuchodonosore subactus fuerat, octavo autem ipsius Nabuchodonosoris, idest anno M. 3327. Joachimus, sive, Jechonias filius Joakim, cum regnasset defuncto patre tribus duntaxat mensibus, IV. Regum 24. 8. ab ipso Nabuchodonosore in captivitatem abductus est: constituitque Rex Babylonis in Jerusalem regem pro Jechonia Matthaniam patruum ejus. Anno XII. Regis Nabuchodonosor, idest, Mundi 3331. Jeremias vaticinatus est finem captivitatis, cap. XXIX. 10. Anno Nabuch. XIX. ac Mundi juxta Hebræos 3338. a Nubuzardan principe exercitus Babyloniorum vastata est Jerusalem, templumque succensum, IV. Regum 25. 8. Regnavit autem Nabuchodonosor annis integris 45.

Post Nabuchodonosorem regnum obtinuit Evilmerodachus anno 3364. idest, tricesimo septimo a transmigratione regis Joachin, sive Jechoniæ, quem eduxit de carcere, & locavit in throno, 4. Reg. ult. 27. Regnavitque Evilmerodachus per annos 22. Ei successit anno M. 3386. Balthassar, de quo Daniel v. regnavitque tribus annis. Anno ergo 3389. obtinuit regnum Darius Medus, de quo idem Daniel cap. IX. Dario Medo successit Cyrus Rex Persarum proximo anno 3390. juxta communiorem Hebræorum Chronotaxin, aut post biennium, ut placet nonnullis. Cyro successit Assuerus maritus Esther an. 3392. cum Cyrus nondum explesset regni annum tertium. Assuero autem tribuuntur anni XIV. Regnavit post Assuerum Darius secundus filius Reginæ Esther annis 36. usque ad Alexandrum Macedonem, idest, ab anno 3406. usque ad an. 3442. Hujus Darii anno 2. idest M. 3408. reassumptum est opus ædificationis templi, quod & completum est an. 6. Regni ejus, id. an. 3412. ut habetur 1. Esdræ VI. 15. Posteriores annos necessum non est enumerare, quum omnes Judæi fateantur secundum templum stetisse an. 420. Igitur juxta hebraicam Chronologiam

Nabuchodonosor regnavit an.	XLV.
Evilmerodachus.	XXII.
Balthassar.	III.
Darius Medus.	I.
Cyrus.	III.
Assuerus.	XIV.
Darius ante consummationem Templi.	VI.

Discrepant Rabbini in computatione hebdomadarum Danielis; nam aliqui illas exordiuntur ab anno 7. Regni Nabuchodonosoris, quo venit Jerusalem, abduxitque in captivitatem Jechoniam: unde hi comprehendunt in hebdomadarum computu annos Nabuchodonosor 39. Incipiunt alii hebdomadas ipsas ab anno Nabuchodonosoris XII. quando Jeremias prædixit finem captivitatis; unde hi arripiunt annos ejusdem Nabuchodonosoris 34. Alii supputant a primo Cyri, alii a secundo Darii, templique structura; alii denique cum Rabbi Josè ab excidio templi prioris, sive ab anno Nabuchodonosoris XIX. omnesque completas autumant vel in excidio secundi templi, quod contigit an. 3828. vel in Hircano filio Aristobuli per Antigonum expulso an. 3721. vel denique in Agrippa occiso tribus annix ante excidium secundi templi, nempe an. 3825.

Itaque dicimus nullam ex supputationibus a Judæis excogitatis cum Prophetia Danielis consistere. Primo fieri nequit, ut Danielis hebdomadæ incipiant ab an. VII. Nabuchodonosoris, sive Mundi 3327. & absolvantur in excidio secundi templi, idest an. 3828. nam ab an. 3327. supputatis annis 490. pervenitur ad annum 3817., & a 7. an. Nabuchodonosoris ad Templi excidium sunt anni 501. Auctor Biblioth. Rab. Tom. 2. enumerat pag. 327. an. 511. at comprehendit annos ædificationis templi, & Evilmerodacho tribuit an. 23. Dario 3. quod non fecerat in præmissa Chronologia pag. 315. Si supputentur an. a XII. Nabuchodonosoris constat usque ad excidium urbis fluxisse an. 497. & juxta computum Julii Bartulocci 506. Quod si hebdomades septuaginta supputentur ab anno 1. Cyri; ab hoc anno nonne vides fluxisse ad cladem Jerosolymitanam annos 438.? Supputabuntur ne a templi structura & ab an. 6. Darii? At usque ad excidium anni tantum 416. connumerantur. Ab anno septimo aut vicesimo Artaxersis? At regnavit ille post Cyrum, & anni nimium decrescent. Undecumque ergo computentur hebdomadæ Danielis, juxte Chronicon Hebraicum nequeunt terminari in vastationem Jerosolymorum, neque in proximam Agrippæ mortem.

Si diceris completas hebdomadas in Hircano, iisdem supputationibus revinceris: sunt quippe ad Hircani expulsionem ab an. 4. Joakim an. 402. ab excidio templi an. 383. a Dario Medo an. 332. a Cyro an. 331. ab an. 2. Darii 313. ut manifestum est ex præmissis Epochis a Judæorum unoquoque receptis, & quibus eadem facilitate confutantur, qui hebdomadas referunt ad Antiochum, vel ad Herodem, cum Æra contractuum, sive Antiochi, fixa sit juxta Chronicum Hebræorum an. M. 3448. Herodiana autem an. 3724. In hos autem annos cadere nequit finis hebdomadarum sive ab anno 4. Joakim, sive a 12. aut 19. Nabuchodonosor, sive a Dario, vel Cyro supputentur.

Una remanet supputatio, quam Hebræorum nonnulli existimant expeditissimam. A templo, inquiunt, diruto, sive ab anno Nabuchodonusor XIX. usque ad finem captivitatis juxta præcedentem Chronologiam fluxerunt anni LXX.

quos

quos prædixerat Jeremias cap. xxix. 10. stetit secundum templum annis 420. En numerus hebdomadarum lxx. sive spatium annorum 490. At commentum hoc postremum refellitur non solum Rabbinorum auctoritate, verum etiam ipsa ratione temporum. *Quomodo commiscebitur exilium cum Templo secundo?* ait R. Aben-Ezra. *Hæc commixtio aliena a veritate apparet*, inquit in lib. Meor-Enajim R. Azarias. *Manifestum est annos exilii haud contineri numero hebdomadarum* lxx. scribit R. Saadias. Vide Joan. Frischmuth in ea, quam hac de re instituit, dissertatione, §. 2., & quæ nos diximus præced. cap. iv. ad 4. Objectionem. Sistendo autem in sola ratione temporum, & admissa Hebraica Chronotaxi, fateor inveniri lxx. hebdomadas prædictas a Daniele v. 24., idest annos 490. inter desolationem primi, & inter desolationem secundi templi: sed quomodo invenies hebdomadas 7. & 62. prædictas v. 25. quas non ambigue prædicit Daniel, ut fecit de lxx. versu præcedenti, sed ait supputandas ab *Exitu sermonis ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalem?* In his anni exilii, ut recte Rabbini observarunt, nequeunt comprehendi. Supputa etiam unde vis hebdomadas illas 7. & 62. post libertatem restitutam, numquam protrahere poteris ad secundi templi demolitionem. At de calculis Hebræorum rectæ Chronologiæ, & Prophetici Oraculi intelligentiæ repugnantibus, hæc dicta sunt.

CAPUT VII.

Quædam alia adversus Judæos proferuntur.

DUo, in quibus versati sumus, Prophetica Oracula sufficiunt quidem ad refellendam Judæorum perfidiam; sed plura sunt tamen alia, quorum nonnulla ex Deuteronomio, ex Daniele, ex Michæa, & Aggæo Prophetis in medium afferam. Moyses Deut. xviii. 15. & 18. promisit futurum aliquando Prophetam eximium, magnum, suique similem. *Prophetam*, inquit vers. 15., *de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Et v. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui.* Hebraice: נָבִיא אָקִים לָהֶם מִקֶּרֶב אֲחֵיהֶם כָּמוֹךָ׃ Hunc locum recentiores Rabbini post Abenezram contendunt accipiendum esse de Josue: R. Bechai de Jeremia: R. Abendena, & Lipmannus de omni propheta, prout opponitur Chananæorum præstigiatoribus. Ac primæ sententiæ fundamentum est, quod Josue post Mosem fuerit dux & rector Israelitarum: altera sententia hoc momento innititur, quod Jeremias tempore captivitatis magnæ fuerit existimationis, & invicti animi, *Excelsus Domini* propterea dictus: tertia autem sententia in eo fulcrum habet, quod ibidem Judæis præcipitur, ut devitent ariolos ac pythones. De omni propheta eumdem locum interpretantur etiam Christianorum nonnulli, ut Tostatus & Lyranus, qui tamen docent etiam Christum ipso vaticinio promitti, & hunc præcipue; quod & tenent ex hæreticis Calvinus, Fagius, Pareus. De Christo tamen expresse, & singillatim locutum Mosem propugnant ex Catholicis Bellarminus, Stapletonus, Paulus Burgensis, atque ex heterodoxis Junius, Drusius, Rivetus, versantque hoc testimonium præ ceteris Lorinus, Estius, & Calmet; quibus addendus ex Novatorum numero M. Georg. Meinhart.

Principio temeritatis nota suggillandus is foret, qui negaret Christum hoc oraculo prænuntiari: deinde etiam mirandum est tam præclarum ac celebre vaticinium e Scholasticis plurimis, qui data opera Judæos exagitant, prætermitti. Ad Christum itaque Mosis promissa spectare, interpretem habemus Spiritum sanctum Act. iii. 22. ubi Petrus eodem Spiritu afflatus testatur a Moyse Jesum Christum prænuntiatum iisdem verbis Deuteronomii: quod & confirmat Stephanus eodem libro cap. vii. 37. In eumdem locum intendisse Christum, dum ait de Moyse Joan. v. 46. *De me enim scripsit ille*, affirmant Patres, ac Interpretes prælaudati. Ex Patribus legi poterunt Auctor qq. ad Orthodoxos inter opera Justini q. 101. Irenæus lib. iii. cap. 12. Tertull. lib. iv. contra Marcionem cap. 22. Cyprianus lib. 1. contra Judæos cap. 18. Cyrillus lib. iii. cap. 7. contra Julianum, Athanasius lib. 2. contra Arianos, & præsertim Augustinus lib. xvi. adversus Faustum cap. 5. & seqq. Addamus Eusebium Cæsariensem lib. iii. de Demonstr. Evangel. cap. 2. & lib. ix. cap. 11. Hi omnes, aliique a Joanne Lorino collecti tradunt Christum e Mose prædictum: nec aliter Bibliorum Correctores, qui Deuteronomii verba distinguentes grandiusculis literis, monent lectores ut illa expendant, & citato in margine cap. 2. Actor. legitimum Mosis sensum indigitant. Quare nequit absque temeritatis nota in dubium revocari, an Christum Prophetam magnum, optimumque legislatorem Moses prædixerit.

Adversus autem Hebræos illud primum urgere possumus, quod nec Josue, nec Jeremias, nec ullus alius ante Jesum Nazarenum propheta potuerit Moysi comparari: quod post Eusebium citatis locis demonstrant Interpretes nostri ex cap. xxxiv. ejusdem libri Deut. ubi versu 10. habetur: *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses.* Præterea fuisse apud Judæos ætate Christi communem opinionem, venturum eximium aliquem Prophetam prænuntiatum a Mose evidentissime ostenditur: nam Sacerdotes & Levitæ permoti celeberrimo Joannis nomine eum interrogabant Joan. 1. 21. *Propheta es tu?* non vulgarem prophetam intelligentes, nam & etiam interrogabant, an esset Elias, an esset Christus? sed, ut dixi, prophetam ceteris digniorem, qualem ex ministratione baptismi suspicabantur esse Joannem. Notari hoc in loco insignem prophetam demonstrat etiam Græcorum articulus. Resuscitato quoque adolescentulo viduæ Naimi Judæi omnes Deum magnificantes dicebant, Lucæ vii. 16. *Quia propheta magnus surrexit in nobis*: & quinque panibus in deserto multiplicatis, dicebant omnes, Joan. vi. 14. *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Indubitatum est ergo Judæos Christi tempore præclarum aliquam prophetam expectavisse. Imo Judæos Africanos vivente Aben-Ezra magnos excitasse tumultus, quod numquam adveniret prænuntiatus a Mose propheta illi similis, notissime res est, & narrata e Paulo Burgensi in Scrutinio Script. D. viii. cap. 4. Præterea quisnam Moysi Jesu Nazareno similior, eoque simul longe præstantior? Pauperrimis uterque exceptus cunabulis: utrique puerulo mors intentata: fugam uterque arripuit; servavitque uterque quadraginta dierum jejunium. Quod si futurorum typos diligentius inquiramus, nonne in duodecim Mosis exploratoribus duodecim Christi Apostoli, in septuaginta senioribus Discipuli, in duplici Mosis descensu de monte duplex Christi adventus, in splendenti illius facie hujus in Thabor transfiguratio, & gloriosæ post resurrectionem apparitiones præfigurantur? Sed in hoc similitudo præcipua, quod uterque fuerit legumlator, populum a captivitate reduxerit, & facie ad faciem Deum viderit. Figuratam præterea in Petra, quam Moses percussit, Christi passionem, & in Mosis virga lignum Crucis, docet in 1. ad Corinth. Apostolus cap. x. 4. explanatque S. P. Augustinus citato libro xvi. contra Faustum cap. 17. At istud fortassis carnalium Judæorum captum superat. Christus ergo est eximius ille propheta prænuntiatus a Moyse: non Josue, non Jeremias, non quilibet Prophetarum.

Facile ex dictis diluuntur Rabbinorum cavillationes: ad quarum primam respondere etiam possumus cum Procopio locutum Mosem de Propheta in posterum suscitando, Josuem vero electum jam, declaratumque ducem populi supra cap. iii. Deuteronomii. Ad alteram dicimus eamdem esse de Jeremia rationem, ac de Isaia, Daniele, ceterisque prophetis, quorum nullus aut legislatoris charactere, aut populi liberatione spectatæ, Moysi potest æquiparari. Ad tertiam respondemus inter prophetas, qui ab ariolis discriminantur, principem locum tenere Christum Jesum; & dato etiam quod in prædictione Mosis prophetæ comprehendantur omnes, unum tamen assignandum esse Mosi similem: quamquam Burgensis advertit repeti Mosis prænuntiationem, ut si priori loco accipiamus quemcumque prophetam annunciantem futura, altero in loco nonnisi prophetam insignem, ac summum intelligere debeamus.

Si objicias, Quomodo Christus est similis Moysi, si ille Deus est, ex Virgine natus, & propria voluntate passus; hic autem homo, genitus ex concubitu, & jubente Domino mortuus in monte? Quomodo Christus propheta est si prophetæ in ænigmate futura viderunt, Christus autem omnia apertissima intuebatur? Respondemus cum Augustino citato libro xvi. contra Faustum cap. 15. *Non ea tantum, quæ unius ejusdemque naturæ sunt, inter se esse similia, sicut gemini homines, vel filii parentibus, vel omnes homines omnibus hominibus, in quantum homines sunt, similes utique sunt: quod & in ceteris animalibus intueri facillimum est, velut olea oleæ, laurus lauro similis dicitur; verum etiam natura dispares esse, & dici multa similia, ut oliva oleaster, & far tritico.* In quo autem Christi cum Moyse similitudo sita sit, facile ex dictis conjicitur. Nec ullius est ponderis objectio altera; enimvero *Qui propheta dicitur hodie, olim vocabatur videns*, ut legitur 1. Reg. ix. 9. unde Moses, quem novit *Dominus facie ad faciem*, Deut. xxxiv. 10. prophetas alios antecellit. Christus, qui est *Unigenitus* omnia *in sinu Patris* comprehendens, Joan. 1. 18. est Mose, ceterisque præstantior. Sed de textu Deuteronomii hactenus.

In Daniele occurrit somnium Regis Nabuchodonosor enarratum cap. ii. 32. & seq. explicatum vero versu 36. & seq. Somnium est visio statuæ, cujus caput aurum, pectus & brachia argentum, tibiæ ferrum, pedum pars erat ferrea, pars fictilis. Interpretamentum Prophetæ est, in auro designari Imperium ipsius Nabuchodonosor, quod extra Babyloniorum fines debellatis Ægyptiis, Assyriis, & superato etiam Euphrate, devictisque Judæis fuit mirifice propagatum. Tanta Assyrii ac Babylonii Regis fortuna, si illam ad invasionem Judææ referamus, initium habuit anno M. 3398. P. Jul. 4108. ante Vulgarem Æram 606. & desiit in infausta truciqne morte Balthassaris trucidati a militibus Cyri anno M. 3466. P. Jul. 4176. ante Æ. V. 538. Secundum Regnum, quod Daniel appellat argenteum, fuit Medorum atque Persarum, & perduravit a Morte Balthassaris usque ad annum 6. Darii Codomani, quem debellavit Alexander Rex Macedonum anno M. 3674. P. J. 4384. ante V. Æ. 330., & pugna in Arbelis data omnino Monarchiam Persarum delevit. Regnum tertium ferreum est Regnum Græcorum fundatum ab ipso Alexandro: qui post victum Darium Babylonem quoque expugnavit, atque *pertransiit*

transfit usque ad fines terræ, & accepit spolia multitudinis gentium, ut legitur in primo Machabæorum. Bene ergo de hoc regno ait Daniel imperaturum *universæ terræ*. Obiit Alexander anno Mundi 3681. P. Jul. 4391. ante Æ. V. 323. regnumque Græcorum inter pueros Regis divisum perduravit usque ad tempora Herodis, & Cleopatræ, ad annum scilicet M. 3958. P. Jul. 4668. ante Ch. Æ. 46. Quartum ergo Regnum est Regnum Romanorum, qui Occidentem, & Orientem domuerunt, & diversam formam regiminis tenuerunt: de quibus Livius, L. Florus, Eutropius, omnesque Historici.

Post quatuor Regnorum declarationem, inquit Propheta: וּבְיוֹמֵיהוֹן דִּי מַלְכַיָּא אִנּוּן יְקִים אֱלָהּ שְׁמַיָּא מַלְכוּ דִּי לְעָלְמִין לָא תִתְחַבַּל וּמַלְכוּתָה לְעַם אָחֳרָן לָא תִשְׁתְּבִק וְתָסֵף כָּל־אִלֵּין מַלְכְוָתָא וְהִיא תְקוּם לְעָלְמַיָּא: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum*. Hoc loco inter Vulgatam, ac textum Hæbræo-Chaldaicum nulla est discrepantia.

Ex hac Prophetia evidenter concluditur Messiam jam venisse, cujus regnum est spirituale, sempiternum, atque in sui obsequium trahens regna quælibet temporalia, virtute unius *Lapidis de monte abscissi sine manibus*, ut Daniel ibidem ait, idest, J. Christi, qui absque humana opera de Maria Virgine natus est. Enimvero jam quatuor illa regna consumpta sunt, & comminuta. Jam ergo vigat Regnum Christi in tempore regnorum illorum a Deo suscitandum.

Quod opponunt persistere etiamnum Regnum Romanorum, nec Regnum Christi vi & armis ceteris prævaluisse; nihil omnino probat. Nam Romanorum Regnum vix stat modo nomine-tenus, cum in Occidente eversum sit Vandalorum, Gothorum, aliorumque incursionibus; subjectæ sint quoque diversis Principibus Galliarum. Hispaniarum, Angliæ, & Italiæ provinciæ: in Oriente autem discissum sit Paganorum, Turcarumque tyrannide. Profecto quod dicatur Augustissimus Imperator Rex Romanorum, non evincit quarti Regni usque ad nos persistentiam; nam hoc pacto neque Chaldæorum, neque Persarum, neque Græcorum præteriisset Monarchia, cujus nomine Turcarum auctoritas insignitur. Præterierunt tamen, cum fuit forma Regiminis immutata. At Christi regnum non ferro, sed spiritualibus armis cetera omnia comminuit, prædicatione Evangelii, & eversione idolorum: neque illud potuit unquam avertere aut temporalis potestas, aut Satanæ machinatio. Floruit utique aliquamdiu post Christi adventum Romana Respublica, & regnat adhuc in Orbe plurimarum gentium iniquitas: sed non subacto domitoque, vigente adhuc quarto Regno Daniel venturum Christum prædixit; nec statim omnia regna subjuganda, sed in aliorum comminutione asseruit regnum ipsius Christi fore perpetuum. Nunc ergo statua confracta, regna quatuor comminuta, Christiani autem regni perennitas aperte declarant eventu somnium Nabuchodonosor, quod Daniel verbis Propheticis explicavit.

Alterum adventus Christi argumentum est, quod Propheta Michæas cap. v. 2. hoc de Bethlehem singulare oraculum protulit: וְאַתָּה בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל: וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressio ejus ab initio a diebus æternitatis*. Prædictus est a Michæa Dominator populi Israel de oppido Bethlehem exiturus. Is vero nequit esse nisi Messias: cumque oppidum Bethlehemi fuerit ab annis multis eversum; promissum Liberatorem jam venisse consequitur. Porro de Messia vaticinatum esse Michæam liquet ex specioso, neque ulli mortalium aptando charactere, *Et egressio ejus a principio a diebus æternitatis*. Idem probat Veterum omnium Rabbinorum traditio; Herodi enim sciscitanti *Ubi Christus nasceretur*, Sacerdotes omnes, & Scribæ responderunt, Matth. II. 5. *In Bethlehem Judæ; sic enim scriptum est per prophetam*. Et quidem Michæas nequit intelligi de Davide, aut Elimelech, aut alio antiquiori duce Bethlemitico, cum prophetaverit sub Joathan, & Ezechia, atque post annum M. 3246., prænuntiaveritque eo loci futurum quoque Jerosolymorum excidium. Neque ad Ezechiam, vel Zorobabelem referri potest vaticinatio, quibus convenire non potest proprietas æternitatis, nec in Bethlehem Juda nasci contigit, cum Ezechias natus sit Jerosolymis, Zorobabel Babylone.

Præteriri non debent quæ de secundo templo prædixit Aggæus cap. II. 7. & 10. futuram hujus templi gloriam ampliorem, quam templi a Salomone constructi, quod ad secundam Domum venturus foret Messias. *Et veniet*, inquit Propheta, *Desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus*, וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם וּמִלֵּאתִי אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה כָּבוֹד & infra, *Magna erit gloria Domus istius novissimæ plus quam primæ*: גָּדוֹל יִהְיֶה כְּבוֹד הַבַּיִת הַזֶּה הָאַחֲרוֹן מִן־הָרִאשׁוֹן: Christus ergo, qui venturus erat ad Templum sanctum suum, ante hujus devastationem advenit. Recentiores quidam Rabbini detorquent vaticinium ad tertium templum Herodianum; sed nihil excogitari poterat magis ineptum; nam pronomine demonstrativo Aggæus domum a Zorobabele constructam designat, imo ipsum Zorobabelem alloquitur: ut mittam Templum Herodianum non esse diversum a secundo, nullius gloriæ titulo primum superasse, & illud etiam solo æquatum esse, atque eversum. Verum de his infra.

Gloriam secundi Templi Judæorum alii autumant esse, quod usque ad Titum perduraverit, diuturnitate, quam steterit primum, majori; aut, quod magis fuerit ornatum, ac muneribus & divitiis onustum: aut demum, quod stante hoc templo pacem habuerint tranquilliorem. Sed ridenda potius hæc sunt, quam refutanda. Etenim quænam gloria censenda est stetisse Templi molem annis, quot ipsi enumerant, 420., via decem supra ætatem domus prioris? *At gloriam magnam*, & qua Templum *implendum* erat, legimus prænuntiatam. Falsum quoque est Domum novissimam fuisse ob opulentiam, sacramque supellectilem magis, quam fuerit prima, illustrem ac celebrem, præsertim cum neque extiterit in novo Templo Arca fœderis, neque ignis perpetuus, neque splendidiora domus primæ ornamenta. At pacem, nisi illam fateamur a Propheta enuntiatam, quam Christus attulit terris, qualem invenies in Templo sub Antiocho, Seleuco, Pompejo, C. Cæsare, ac Tito, omni profanationis specie polluto? Quomodo pacem dixeris prædictam a Daniele abominationem desolationis? Quam populi tranquillitatem in contrario bellorum exitu, in excidio Jerosolymarum, in clade, qua, aut fame, aut ferro absumpta narrantur Judæorum undecies centena millia, in captivitate, in quam venerunt devictorum reliquiæ?

Reponunt alii venisse ad hoc Templum invictissimum Regem Macedonum Alexandrum; sed inscite ac stolide tribuunt homini idololatræ, & se jactanti filium Hammonis speciosum Messiæ titulum חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם *Desiderium omnium gentium*: & impudenter atque audacter *magnam Dei gloriam* existimant, quam Rex ille Græcorum etiam Apollini exhibuit. Quid plura? *ad Templum sanctum suum* ait Malachias III. 1. venturum non Regem aut Græcorum, aut Persarum, aut Assyriorum, sed *Angelum testamenti, & Dominatorem*, quem Judæi ipsi expectabant. Id vero impletum dum Virgo mater sisteret Domino puerum Jesum, divini Spiritus revelatione agnoverunt, ut refert Lucas II. 25. & 36., justus Simeon, & Anna filia Phanuel prophetissa.

Sed oritur difficultas, quod Templum Christi ætate persistens, fuerit Herodianum ac tertium, ideoque non extructum a Zorobabele & secundum. Scribit enim Josephus lib. xv. Antiq. cap. xi. num. 1. Herodem cogitasse de novo construendo Templo, quoniam *secunda deerant ad altitudinem cubiti sexaginta, tanto quippe altius erat a Salomone ædificatum*. Addit n. 2. *Judæis anxiis ne si totum opus dissolveret, non satis opum haberet ad perficiendum*, dixisse, *non se prius templum diruturum, quam omnia, quæ ad novum absolvendum pertinerent, præparasset*. Hoc pacto Judæis acquiescentibus Herodes, ut Historicus inquit num. 3. *sublatis veteribus fundamentis, & jactis aliis, templum super eis erexit in longitudinem cubitorum centum, in altitudinem totidem, & viginti amplius*. Si ergo Christus advenit ad Templum tertium ab Herode constructum, non poterunt Judæi prælaudato Aggæi vaticinio revinci.

Facillima esset hujus difficultatis expeditio, si quemadmodum tenent cum Villalpando Tom. 2. in Ezech. lib. v. cap. 68. Salianus ad annum M. 4305. num. 5. omnesque fere recentiores, Herodes ornasset tantum secundam domum a Zorobabele constructam, non alteram excitasset. Quod viri docti adversus apertissimum Josephi testimonium nituntur sequentibus momentis demonstrare. Principio, inquiunt, si fides habeatur Josepho, non erat juxta prophetæ prædictionem secundum templum glorificatum præsentia Salvatoris. Deinde Templum, quod vivente Christo Domino stabat, Jo. II. 20. *quadraginta sex annis ædificatum est*: Herodianum vero constructum est annis novem, vel octo cum dimidio. Præterea Herodis reditus pares ad structuram tantam non erant, cum Regulus esset tenuissimarum opum, & in aliis amplissimis sumptibus thesauros exhaurierit, ut in Arce Antonia, ædibusque maximis prope fanum, magnificentissimo oppido in Samaritica regione, atque ædificiis aliis amplissimis. Tandem affirmant Patres venisse Christum ad Templum Zorobabelis, & de ipso accipienda Joannis verba paullo supra producta.

Ut verum fatear, non sunt hæc omnia tanti ponderis, ut valeant testimonium Josephi etiam a Gorionide, aliisque confirmatum evertere: nam prima, & postrema argumentatio, si cum Judæis disceptetur, videbitur esse, ut inquiunt Scholastici, petitio principii. Secunda nimis infirma est; quandoquidem sex illi & quadraginta anni non ad solam structuram parietum, sed etiam ad ornatum Templi debent referri: nec secundum Templum constructum fuit spatio annorum 46. ut nonnulli ex his Joannis verbis, falsisque supputationibus deduxerunt, sed annis viginti, quot fluxerunt ab an. P. J. 3468. ad an. ejusdem Periodi 3488. si-

ve a

ve e primo Cyri usque ed sextum Darii Hystaspidis, quo consummatum templi ædificium liquet ex 1. Esdræ VII. 15. Nec urget quod opponitur de Herodianis reditibus; primum quia tot alia immensi operis ædificia demonstrant haud exiguam ei fuisse copiam divitiarum: deinde defuncto Zenodoro nova illi regio, amplissimique reditos accesserunt: ad hæc scribit Josephus lib. VI. de Bello cap. 6. insumptos in Templi ornatu *omnes thesauros, quos toto orbe missa Deo munera repleverant*: tandem negari non potest Herodianum fanum non dici a Tacito lib. V. Hist. cap. 8. *immensæ opulentiæ templum*. Hæc tamen opulentia non tanta fuit, quanta templi Salomonis, ut e confessione Rab. Azariæ demonstrat Mich. Boccius in *Templo tertio ficto*; ubi etiam probat ex cap. Messechet libri Joma in hoc gloriam fuisse primi Templi, quod in eo fuerunt *Urim & Tummim, cælestis ignis, gratiosa præsentia Dei, & Arca fœderis cum propitiatorio & Cherubim*: quæ addo, ne quis eudeat ob opulentiam ipsum primum templum postponere Herodiano.

Difficultatem ergo superius positam sic arbitror diluendam, quod licet Herodes domum Dei a fundamentis extruxerit, erat tamen hæc domus eadem cum secunda, quia Herodiana non ea ruinis excitata fuit, sed paullatim per partes innovata, ita, ut semper persisteret Sanctum sanctorum; cum nunquam facer cultus, & sacrificia fuerint interrupta: quod non solum Ribera, aliique Catholici interpretes observarunt, sed etiam Grotius in cap. 24. Matth. & lib. V. de Verit. Rel. Christ. num. 14. Scaliger lib. VI. de Emendet. Temp. & in notis ad lib. XV. Antiq. Hudsonus. Profecto Judæi Herodianum Templum idem esse ac secundum ubique fetentur, nec eversum a Tito elio unquam vocabulo appellant, quam בית שני domum secundam. Videatur Talmud cap. ult. de Synedrio. titulo Joma, & titulo Rosch Haschana. Hoc ad Hebraicam pervicaciam frangendam videtur præcedenti opinione robustius.

CAPUT VIII.

Jesum Nazarenum esse Messiam in lege promissum.

ADVENISSE promissum Mundi Redemptorem ante eversionem secundi Templi prædictorum argumentorum vi superati quidam Judæorum confessi sunt. At ne faterentur Messiam illum esse Jesum Crucifixum, maluerunt Messias elios intrudere, ut Dositheum, Simonem Samaritanum, Barchochebam, Davidem Eldavidem, ac Vespasianum ipsum suæ perditionis auctorem. Alii latitasse putarunt aut in hortis Eden, eut in nosocomiis urbis Romæ, aut in locis aliis reconditis, tante manifestationis ejus fiducia erecti, ut ideo tenteverint Romanorum jugum excutere, quod ex eorum finibus profectus Dux inclytus Orbis terrarum habiturus esset imperium. Quod & Flavius scribit lib. VII. de B. J. Tacitus in V. Hist. in Vespasiano Suetonius. & ex Rabbinis Zemach David, Akiba, & Joannes, & Abraham Salmanticenses. Neque fallax fuit, quæ percrebuerat, opinio, si potestatem spiritualem antiquis Prophetarum literis prænunciatam intellexissent. At quoniam temporalem præstolabantur, neque Christum verum Messiam agnovere, neque in Pseudoprophetis illis impletum oraculum restitutionis Regni Israel videre meruerunt. Quoniam ergo experientie edocti testantur impostores fuisse, qui Herodis & Hadriani temporibus venerunt sub Christi nomine; id unum superest demonstrandum talem non fuisse Jesum Nazarenum, qui & suæ missionis veritatem ostendit, & eliorum prædiait calliditatem.

PROPOSITIO: Jesus Nazarenus est verus Messias e Deo Prophetarum ore promissus.

Sequitur ex dictis. Ille enim verus Messias est, qui advenit dum sceptrum ablatum fuit de tribu Juda, dum quartum Regnum potestatem Græcorum confregit, dum staret templum a Zorobabele ædificatum, dum Danielis hebdomadæ ad finem vergerent; & ille Messias est, qui in his temporum adjunctis ortus est in Bethlehem ex regio semine David, instituit regnum spirituale & æternum, venit ad Templum sanctum suum, atque in medio postremæ hebdomadis, ut deleretur iniquitas, mactatus est. Hæc autem omnia in Jesu Nazareno fuerunt completa. Ipse ergo est Rex Israel, ipse Benedictus Devidis, ipse Sacerdos æternus, ipse denique diu expectatus Messias.

Confirmetur ex universis Jesu Nazareni, & Messiæ characteribus. Ex Davidis posteritete nascitutum Messiam prædictum est Ps. LXXXVIII. 4. & Jesum esse filium Davidis constat ex Matth. 1. Concipiendum de Virgine prænuntievit de Messia Ezech. XLIV. 2. & Isaias VII. 14. quod impletum in Christo liquet ex Luca cap. I. 26. Messiæ patria est Bethlehem epud Mich. V. 2. & Jesum natum Bethlehemi constat ex Matth. II. I. Ad Messiæ incunabula delaturos aurum & thus ait Is. LX. 6., atque idem affirmat de Jesu citato loco Matthæus. Narrat ibidem Evangelista fugam Christi in Ægyptum prædictam ab Osea XI. I. nec non cædem perpetratam ab Herode, ac prædictam e Jeremia XXXI. 15. Ante Christi prædicationem Marci I. Joannes Baptista prædicavit poenitentiam in deserto, juxta vaticinium Isaiæ XL. 3. Evangelicam prædicationem inchoatam in Galilæa narrat Matthæus IV. 12. quod & Propheta vaticinatus fuerat IX. 1. Apostolos vocandos a captura piscium inquit Jeremias XVI. 16. idque de Christi Apostolis refertur ab Evangelista IV. 8. Fuerunt Christi discipuli illiterati ac rudes, ut vaticinatus fuerat Isaias XXIX. 14. in omnem tamen terram prædicarunt Evangelium juxta prædictionem Psalmi XVIII. 5. In Passione Christi omnia consummata sunt, quæ fuerant prænuntiata. Ingressus est Jerosolymam sedens super pullum asinæ, ut prædixerat Zacharias IX. 9. traditus fuit a discipulo, ut idem propheta vaticinatus fuerat XI. 12. nec non Psalmista LIV. 13. cæsus flagellis est, suffixus cruci, & reputatus cum sceleratis, juxta vaticinationem Isaiæ L. 6. LIII. 12. Revixit etiam, & in cœlum ascendit, ut in Psalmis III. 6. & LXVII. 19. fuerat prænuntiatum. Profecto in nullo alio singulas notas istas invenies. Atque his accedunt figuræ omnes cum personarum, tum sacrificiorum veteris Testamenti, quas in Jesu Nazareno completas diximus disserentes de Legibus cap. 6. & 9.

Addunt argumento robur Christi miracula non eo tantum titulo, quod nequeunt fieri in confirmationem erroris, ut probatum est alibi, sed etiam quod Messiæ adventum notis indicant singularibus. Cæcos enim illuminavit, surdisque reddidit auditum, uti vaticinatus fuerat Isaias cap. XXXV. 4. 5. roboravit genua debilium, claudosque sanavit, ut prædixit eo loci Prophete: revocavit etiem mortuos ad vitam juxta prædictionem ipsius Isaiæ XXVI. 19. Recte ergo interrogantibus discipulis Joannis an revera esset Christus, respondit Matth. XI. 4. *Renuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Sunt præterea plura miracula divinam Christi Missionem contestantia: stella quæ in oriente apparuit in ejus Nativitate haud obscure prænuntiate ab Isaia cap. LX. 3. visibilis Spiritus sancti descensus in Baptismate, de quo idem Isaias XI. 2. Solis obtenebratio in plenilunio, atque in meridie; quem innuit Amos VIII. 9. Itaque Jesum Nazarenum esse verum Messiam evincunt miracula, probant legis typi, commonstrant vitæ mortisque illius adjuncta, confirmant promissi Reparatoris characteres, atque declerant Propheticorum oraculorum eventa.

OBJECTAMENTA ELIDUNTUR.

At objiciunt Judæi. Sunt potius venturi Messiæ characteres confirmare pactum, & legem Mosaicam, Danielis IX. 27. perpetuum reddere Sacerdotium Leviticum, Jerem. XXXIII. 13. conterere gentes Moab. & filios Seth, Num. XXIV. 17. debellare Gog & Magog Ezech. XXXIX. 11. construere templum amplissimum, seq. cap. XLI. denique non gentibus, sed populo Israel salutem afferre, Is. XI. 12. Igitur Jesus Nazarenus, qui nec legem Mosis perennem reddidit, neque Sacerdotium firmavit, neque armis debellavit Gentiles, neque amplissimum templum erexit, neque congregavit profugos Israel, verus Messias habendus non est.

Resp. spiritali sensu hæc omnia fuisse adimpleta, literali autem impleri non debuisse. Legem, Sacerdotium, victimas, in Evangelium, in Ordinem Melchisedech, in sacrificium incruentum transtulit Christus, deletisque futurorum umbris, attulit justitiæ perennitatem. Subvertendo Apostolorum suorum prædicatione Gentium idola, gloriosum reportavit de omni natione triumphum, & in Ecclesie, quam acquisivit sanguine suo, longe melioris structuræ Templum erexit. Offerens autem semetipsum in Ara crucis, salvavit Israel, & congregavit profugos, atque fideles, qui reputantur in semine. Non alio sensu fas est promissa expectere, nisi velimus, quod ratio non sinit, credere repugnantia. Nam legem aliam *de Sion, & Verbum Domini de Jerusalem* ait promulgatum iri cap. II. 3. Isaias: *novum pactum* firmandum prædixit Jeremias XXXI. 32. *in corde*, non in tabulis, conscribenda esse præcepta, enuntiat eo loci Propheta. Novam ergo legem, eamque spiritualem sacræ literæ spoponderunt. Ubique terrarum, *oblationem mundam* summo Numini offerendam vaticinatus est I. II. Malachias: *Gentes* ad sacerdotale munus eligendas, inquit Isaias LXVI. 21. etiam *in Ægypto* erigendum *altare Domini*, tradit cap. XIX. 19. idem Propheta: abjicienda esse holocauste testis est cap. V. 22. Amos. Igitur non in sole Jerosolyma, non a solis filiis Aaron, non sola holocausta sanguine cruentata Domino Israel sunt immolande. Secundi templi desolationem perpetuam fore ait Daniel; ideoque a Messia reædificandum non certa spes Judæorum, sed phantasma est somniosorum, maxime cum ædificium Zorobabelis literaliter prænuntiet Ezechiel. Messiæ arma *justitiam & æquitatem*, & instrumenta ad impios perdendos *virgam oris, & spiritum labiorum suorum*, non ensem & gladium esse, auctor est cap. XI. 4. & 5. Isaias. Venit Christus ad salvandum Israel natus in Bethlehem, oblatus in Templo, prædicans in Galilæa, & crucifixus in Golgotha: *pro ovibus Israel* se venisse affirmavit Matth. XV. 24., præcepitque Apostolis, *ne abirent in viam gentium*, X. 5. neque ad illas conversi sunt, nisi vi a Judæis expulsi, ut constanter dixerunt Act. XIII. 46. Paulus & Barnabas. Hanc vocationem Gentium Deus repromisit Abrahamo Gen. XXII. 18., prædefinivit Christo Ps. II. 8. & confirmavit per

vit per ora omnium prophetarum. Recidunt ergo adversus Judæos singulæ illorum objectationes.

Præterea opponent Judæi: Repugnat gloriæ promissi Reparatoris humilis Nazareni fortuna, maxime mors contumeliosa, in quam omnes conspirarunt, viri etiam probi Synagogæ, & principes sacerdotum. Quis enim credat universos Regem suum ac ducem, illumque beneficum & optimum interfecisse?

Resp. & Jesum gloria & honore circumdatum. Excepit in cunabulis munera gentium, sedit puer in medio Doctorum, apparuit gloriosus in Thabor, fugit in montem ne raperetur ad thronum, percepit ex ore infantium hosanna, divites funus ejus curarunt, & factum est gloriosum sepulcrum ejus. Igitur gloria, quam de Messia literæ sacri fœderis nuntiant, humilis Nazarenus non caruit. Decipiuntur etiam Judæi, dum Christi duplicem adventum nolunt distinguere. Sed ut primus fuerit humilis; despectum & novissimum virorum appellaverat Isaias, percussum a Deo, & humiliatum, quasi agnum mactatione immolatum; *quoniam nos erravimus, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Legant miserrimi Judæi Prophetæ caput tertium ac quinquagesimum; atque in ipsa Redemptoris humilitate Messiæ majestatem agnoscant. Si adversus illum *astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*, prædixerat hoc David Psalmo II. 2. In hoc tamen est aliquid quod Judæi erubescant, Pilatum Ethnicum hominem nullam in eo adinvenisse mortis caussam. Sacerdotes quoque & Synhedrii principes adversus Regem suum stetisse, non est cur mirentur Judæi, si animum ad veterum vaticinia, atque facta præterita advertant. *In lapidem offensionis*, & in petram scandali domibus Israelis, atque in ruinam habitantibus Jerusalem, ponendum Christum, David & Isaias prædixere. Vide illum Ps. CVIII. & CXVII. hunc vero cap. VIII. Adde Jeremiæ Threnos cap. III. Reminiscantur præterea Judæi, majores suos etiam adversus Mosen seditiones fuisse molitos, rebelles fuisse Davidi, trucidasse Zachariam filium Jojadæ, Jeremiæ falso crimine mortem intentasse; sectum ab illis Isaiam membratim, Micheam traditum custodiæ, obrutos alios saxis. Ita illos, qui ad eam missi sunt, consuevit Jerusalem honoribus cumulare. Quid ergo mirum stetisse adversus Jesum Sacerdotes & Scribas, quos tunc temporis superasse majorum omnium flagitia narrat lib. XIV. & XVIII. Josephus, & ferina fuisse crudelitate fatetur R. Salomo in Synhedr. & Talmud De ponderibus.

Reponunt aliqui ob hæc peccata dilatum Messiæ adventum. Verum dormitant hi, vel delirant. Si enim propter iniquitatem delendam venturus erat Messias: cur peccata in caussa fuerunt quo minus tempore statuto adveniret? Si est, ut illum appellant, ISCH COPHER, *Placator*, & *Medicus*; quare post restitutam sanitatem, ac pacem appareat? Si denique ob Judæorum peccata post Messiæ adventum erat urbs exscindenda; qui fieri potest, ut venerit Justorum temporibus, non peccatorum? Dum ergo regnabat iniquitas, adstitit opportune Redemptor; & ipsa scelerum magnitudo perficiendam a Jesu Nazareno redemptionem demonstrat. Adde quæ cap. II. ad consimilem objectionem produximus.

Objiciunt denique adversus Jesu Nazareni miracula, primum hæc commentitia esse atque a Christianis conficta: deinde si vera sunt, fuisse patrata magicis artibus, & ope dæmonum: plura insuper Christum mirabilia fecisse sublato fraude de templo *nomine* quodam *arcano*: demum ab impiis quoque, & pseudoprophetis facta non semel mira ac stupenda.

Postremum hoc Judæorum præsidium absque operosa velitatione subvertitur. Sanioris mentis Rabbini patrata a Christo prodigia non denegant. Testem appellamus Josephum, de quo infra, libros Talmudicos Avoda Zara, & Midrasch Coholeth; & eos, qui Jesum accusabant, quod paralyticum sanaverit die sabbati. Accedit testimonium discipulorum Joannis, dæmonum quoque, ac perditissimorum hominum, ipsiusque Juliani Apostatæ apud Cyrillum libro VI., nec non Mahumetis in Alcorano Azoara V. XI. XIII. Quænam præterea veritatis argumenta sunt in patratis a Moyse miraculis, quæ non habeantur in rebus a Christo gestis? Utraque literis consignata sunt, & perfecta coram multitudine populi. Imo, si hæc fas ast reponere, facta Mosis ab ipso primum literis mandata sunt, Christi vero a quatuor Evangelistis. Plura ille gessit in Horeb, in Sina, in solitudine ab omnium conspectu segregatus; is omnia in templo, in urbe frequentissima, & universis, vel saltem inculpatæ vitæ plurimis spectatoribus. Facilius ergo est nobis prodigia Christi, quam Mosis tutari, licet utraque fateamur, neque valeant a Paganis ullatenus oppugnari.

Christi prodigia non esse perpetrata ope dæmonum, manifesto declarant notæ a nobis traditæ lib. X. cap. XX. præsertim quod ille dissolverit opera diaboli, unum Deum prædicaverit adorandum, & ejus discipuli idola confregerint, librosque Ephesiorum magicam artem continentes igne combusserint. Iisdem notis propugnamus veritatem miraculorum Moysis & Eliæ. Sed plura vide vicesimo capite laudato. Quod effutiunt de sublato a Jesu *Nomine Dei arcano*, principio hoc idem refellit, quod modo opponebant, probatque facta a Christo miracula in Dei virtute, non dæmonis. Fabulam tamen narrant mendaciter, impudenterque confictam, dum asserunt nomen illud arcanum inscriptum lapidi, cui imposita hærebat Arca, extitisse temporibus Reginæ Helenæ, & custoditum fuisse æreis canibus, aut leonibus. Nam, ut recte Grotius lib. V. de veritate Rel. Christ. n. IV. de re tam insigni, atque admiranda nec libri Regum, nec Paralipomenon, nec Josephus quicquam produnt, neque Romani, qui cum Pompejo Templum intrarunt ante Jesu tempora, tale aliquid invenerunt. Accedit Reginam Helenam Jerosolymam adiisse post regis Agrippæ obitum, & in fabulis istiusmodi insignem deprehendi ignorationem historiæ. Vide & Huetium Dem. Evang. Prop. IX. cap. XXXIX. num. V.

De miraculis, quæ patrata dicuntur ab Ethnicis, recole quæ scripsimus capite VII. libri primi.

CAPUT IX.

Autographum esse testimonium, quod de Christo perhibuit lib. XVIII. Antiquitatum Flavius Josephus.

ILLUD demum Judaicam perfidiam revincit, quod honorifice quoque de Jesu Nazareno mentionem fecerit Historicus Judæorum disertissimus Flavius Josephus: qui cap. IV. libri XVIII. de Judæorum Archæologia scribit: *Fuit autem hoc tempore Jesus, vir sapiens; si tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magister hominum qui vera libenter amplectuntur; & plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum cœperant: nam post tertium diem redivivus ipse apparuit, cum divini Vates hæc aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo genus Christianorum*. Quoniam vero insigne istud Christianæ Religionis monimentum non Judæi tantum, sed etiam Christianorum permulti labefactare tentarunt; de illius autographia institui hoc loco disserere.

PROPOSITIO I. Testimonium hoc Flavianum genuinum est, non suppositum atque insertum.

Demonstratur. Autographus censendus est locus ille Josephi, si illum ex vetustis, nec interpolatis Mss. exceperint Patres, & Historici præclarissimi: si perpetua traditione usque ad annum MD. fuerit probatus: si demum suppositionis notæ, quas submorosi Critici afferunt, nullius sint roboris, ac firmamenti. Hujus generis est productum Flavii testimonium. Igitur est autographum. Probatur minoris pars prima. Antiquissimus omnium, qui data opera vetustos libros perlegit, & Bibliothecas, restituta per Constantinum Ecclesiæ pace, incredibili diligentia lustravit, est Eusebius Cæsariensis. At is testimonium illud profert lib. III. Demonstrat. Evangelicæ cap. 5. & lib. I. H. Eccl. cap. 10. Fatentur id Adversarii, & respondent aut Eusebium in Mss. interpolata incidisse, aut fraude insignem locum supposuisse. Verum somnia hæc sunt, solemnesque imposturæ. Principio Eusebius usus est antiquissimo Codice Jerosolymitano, quem depravatum immerito suspicantur. Deinde extat hoc testimonium in Mss. omnium antiquissimis Bibliothecæ Palatinæ, in asservato in Bibliotheca Cæsarea, & olim Constantinopoli comparatum ab Augerio Busbequio, in duobus Bibliothecæ Mediceæ, quæ sedula animadversione versarunt docti viri Isaac Vossius, & Emericus Bigotius, in eo quod legit Hieronymus, alio ab Eusebiano, ut demonstrat Carolus Daubuz; in illo, quod latinam reddidit M. Aurel. Cassiodorus, qui profecto non arripuit deterioris notæ exemplaria. Ex quibus immotum stat judicium Baronii ad annum Chr. XXXIV. verosimilius esse a Judæis fuisse expunctum, quam a Christianis insertum, quod Historiæ Ecclesiasticæ Parens nititur etiam probare ex vetustis membranis cujusdam Codicis ex Græco in Hebraicum translati, ubi liquet fuisse abrasum: quamquam illius biulcæ periochæ ratio alia possit proferri, & Codex forte fuerit non Flavii, sed Gorionidis. Præterea si hunc textum supposuisset Eusebius, facillimum fuisset cum Judæis, tum aliis tam apertam fraudem convincere; erant quippe tunc temporis ad omnium manus Codices probatissimæ antiquitatis. Postremo, ut ratiocinatur Valesius, cui bono Eusebius id confingere voluisset? An ex testimonio Josephi pendebat Christi divinitas? Priorem ergo partem corroborant argumenta satis obvia, & palmaria.

Pars altera per se constat; nam testimonium Flavianum laudarunt S. Hieronymus de Script. Eccles. Hegesippus lib. 2. de Excidio Judæorum cap. 12. Rufinus in Versione Eusebii edita per Beatum Rhenanum. Isidorus Pelusiota lib. 4. Ep. n. 225. Sozomenus libro I. H. Eccl. cap. I. Nicephorus Callistus lib. I. cap. 34. Zonaras lib. I. cap. 4. Freculphus Tom. 2. Chronic. l. 2. c. 5. Vincentius Bellov. lib. VII. atque omnes alii usque ad Hubertum Gifanium, & Lucam Osiandrum, qui duo omnium primi communem hanc fidem conati sunt elevare. Posthac vero etsi varias fortunas subiit, & Osiandrum secuti sunt Salmasius, Blondellus, Tanaquillus, & alii: comprobarunt tamen vetustam sen-

ſententiam Picus Mirandulanus, Sixtus Senenſis, Bellarminus, Fenardentius, Poſſevinus, Huetius, nec non Centuriatores Magdeburgenſes, Georgius Calliſtus, Schikardus, Voſſius, Uſſerius, & alii innumeri, quos omnes collegit, & vindicavit Carolus Daubuz lib. 1. eruditi Operis de hoc argumento exornati. Nullus ergo ante ſæculum ſeatum decimum de veritate Teſtimonii Flaviani nutavit.

Tertie pars oſtenditur explodendo conjecturas Oſiandri, Tanaquilli & Blondelli, quas etiam attulit in nova Bibliotheca Elias Dupinius. Prima petitur ex ſilentio Veterum. Neque enim Joſephi teſtimonium urget adverſus Tryphonem Judæum S. Martyr Juſtinus, neque S. Clemens Alexandrinus, qui plura ex eodem auctore in præſidium Fidei Chriſtianæ produxit; neque Origenes, qui potius miratur in Commentariis ſuper Matthæum perhibere Joſephum magnificum de Jacobo teſtimonium, & Chriſtum Dominum præterire ſilentio. Sed objiciunt maxime ſilentium Photii, qui cum omnia, quæ ſcripſit Joſephus, recenſeat, de loco tam inſigni ne verbum quidem.

Verum hæc prior argutatio facile revincitur. Nam primo negativum argumentum eſt, nec ad faciendam firmitatem idoneum. Deinde quantum ad Juſtinum attinet, ejus cum Tryphone concertatio non erat, an Jeſus extiterit, patraveritque miracula, quod ultro Judæus fatebatur; ſed an illi divini deberentur honores, cultuſque latriæ: neque ullo profanorum Scriptorum teſtimonio Juſtinus impetit adverſarium, ſed illum provocat ad ſola oracula Prophetarum. Ob priorem rationem illud prætermiſerit S. Clemens Alexandrinus, cujus tamen opera complura deperierunt hoc fortaſſe teſtimonio minime deſtituta. Ea de cauſſa, quod priſcis ſæculis nulla Chriſtianos inter, Judæoſque verteretur quæſtio de Chriſti exiſtentia & patratis ab eo miraculis, ſed de miſſione atque divinitate, ac tantum ageretur de ſenſu divinarum ſcripturarum, Tertullianus, aliique illud teſtimonium prætermiſerunt. Origenes tam in comment. Matthæi, quam in primo adverſus Celſum ſcribit Joſephum noluiſſe credere in Chriſtum, atque id mirum eſſe, quod cum deſcriberet Urbis excidium, hujus cauſſam potius tribuerit neci Jacobi, quam ipſius Chriſti: quod arguit tantum Judaicam pervicaciam; nec elevat præcedens teſtimonium, ſed potius corroborat. Sunt enim Græca Origenis verba, quæ Faber haud recte latine profert: καὶ τὸ θαυμαστόν ἐστιν, ὅτι τὸν Ἰησοῦν ἡμῶν οὐ καταδεξάμενος εἶναι Χριστὸν, οὐδὲν ἧττον Ἰακώβῳ δικαιοσύνην ἐμαρτύρησε τοσαύτην· λέγει δὲ ὅτι καὶ ὁ λαὸς ταῦτα ἐνόμιζε διὰ τὸν Ἰάκωβον πεπονθέναι. *Atque illud mirandum eſt, quod Jeſum noſtrum noluerit fateri eſſe Chriſtum, & tamen Jacobo teſtatus ſit fuiſſe tam eximiam juſtitiam. Ait enim quod populus ratus eſt hæc ſe propter Jacobum fuiſſe perpeſſum.* Et ſane id mirum eſt; quoniam Joſephus & Chriſti celeberrimum nomen audierat, & paullo ante de eo ſcripſerat tam præclara. Colluſtret verba Origenis Theodoretus ſcribens in Comment. ad Danielem: Ἰώσηπος ὁ ἑβραῖος τὸ μὲν χριστιανικὸν οὐ δεξάμενος κήρυγμα, τὴν δὲ ἀλήθειαν κρύπτειν οὐκ ἀνασχόμενος. *Joſephus Hebræus Chriſtianam capere noluit profeſſionem, & tamen veritatem occultare non potuit*: quæ poſtrema verba ſumma fraude prætererierunt Adverſarii, ut etiam Theodoreti nomine abuterentur.

Ad Photium quod attinet, ſunt qui cum Hadriano Valeſio cenſent illius Bibliothecam eſſe tertia ſaltem parte interpolatam. Sed vera eſt reſponſio, Photium ſola librorum Flavii argumenta perſcribere. Videtur etiam hoc teſtimonium non ignoraſſe, cum iiſdem verbis de Chriſto loquatur Codice CCXXXVIII., quamquam Joſephi eo loco non meminit. Sed quæ ibidem addit de Jacobo omni procul dubio ex Joſepho mutuatus eſt, quoniam is ſolus tradidit ob Jacobum eveniſſe Jeroſolymitanum excidium. At id etiam Photius refert reticens nomen Hiſtorici. Quomodo ergo ex Flavio exſcripſit quæ habet de Jacobo, ita ex eodem Scriptore Chriſti teſtimonium excerpſit, ut colletis verbis eruditi Critici demonſtrarunt. Itaque ex ſilentio Photii aut nullum deducitur argumentum, aut retorquetur in Adverſarios. Sed inquiunt, Codice XLVIII. abjudicat Photius Joſepho librum *de Univerſo*, quod ibidem ſermo ſit de æterna Chriſti generatione. Reſpondet in Epiſtola ad Sebaldum Snellium Adam Rupertus Photium cum excerperet libros Belli Judaici, & alterum ſuppoſititium *de Univerſo*, nondum legiſſe libros Archæologiæ, in quibus extat celebre teſtimonium. Cur enim alii interpoſiti eſſent a Photio Auctores XXVII.? Addunt alii loqui Photium non ex propria ſententia, ſed aliena; inquit enim, *ambigendi fortaſſe cuipiam cauſam præbeat*, &c. Ut meam non omittam opinionem; potuit Joſephus credere in Chriſti ſapientiam, virtutem, & reſurrectionem, & non in generationem divinam, quæ ſuperat rationem omnem humanam. Ex quo ergo non potuerit homo a fide alienus ſempiternam Chriſti generationem ediſſerere, atque id ſit certum indicium ſuppoſitionis libri *de Univerſo*, nequit inferri ſuppoſitum eſſe teſtimonium, in quo Jeſus appellatur ſapiens, & mirabilium effector, & ejus divinitas ambigue tantum innuitur illis verbis: *Si tamen virum illum oportet dicere*. Porro denique qualem ſuper Euſebium Photius habeat auctoritatem, ut pluris hujus ſilentium, quam illius aſſertio, ſit faciendum?

Reliquæ notæ ſuppoſitionis ab Adverſariis confictæ ſunt, incredibile eſſe homini Chriſtianæ Religionis inimico tam ſingularem Chriſti commendationem excidiſſe. Primo, quia cum abſolute hujus loci conſarcinator ſcribat de Jeſu Nazareno, *Et hic erat Chriſtus*; manifeſte Chriſtianum ſe prodit. Deinde ea verba, *Si tamen virum illum oportet dicere*, Chriſti etiam divinitatem conteſtantur. Præterea Joſephus de Bello Judaico tribuit Veſpaſiano quæ de Meſſia prædixerant ſacri Vates: quomodo ergo potuit in libris Antiquitatum alium Chriſtum celebrare?

Reſpondemus Joſephum, etſi erat non ſolum Judæus, verum etiam Phariſæus genere, & a Chriſtiana religione alienus, potuit, ac debuit de Chriſto honorifice loqui, ut boni Hiſtorici impleret partes, ut illum, cujus cauſa tam mira contigerant, ſilentio non præteriret, ut ſcribens hortatu Epaphroditi Liberti Neronis, qui nomen dederat Chriſto, hunc fama percelebrem reticendo non videretur religionis cauſſa, & ſtudio partium rem notiſſimam, præclariſſimamque contemnere. Illius ergo, quomodo & præcurſoris Joannis, & Jacobi, debuit meminiſſe. Qui tamen non credebat in Chriſtum, non ait illum non fuiſſe revera purum hominem, ſed oratorio more, verſutaque oratione inquit, *Si tamen virum illum oportet dicere*. Propterea dum ait, οὗτος ἦν ὁ Χριστός, *Is erat Chriſtus*, ſubaudiendum eſt, λεγόμενος; ut ſenſus ſit, *Is erat, qui appellabatur Chriſtus*. Reſurrectionem Jeſu permultis teſtibus comprobatam, & Chriſtianorum multitudinem, quæ ſua ætate jam creverat, non poterat præterire qui aut ingenuus erat, aut talis ſaltem apud Flavios, ceteroſque haberi percupiebat. Quid inſuper, ſi acceſſit ſingularis divini Numinis impulſus, quo & Caiphas, & Judas, & Pilatus, & etiam dæmones teſtimonium Chriſto perhibuere? Veſpaſianum aut Meſſiam Joſephus crediderit, aut eumdem adulatoria laudatione devinxerit, noſtra nil refert. Fatemur quippe in Chriſtum non crediaiſſe, & de Jeſu Nazareno celebraſſe, quæ attentis rerum circumſtantiis non poterat occultare.

Poſtremæ notæ ſuppoſitionis ſunt ex ipſis Flavianis Codicibus depromptæ. Deeſt enim in quibuſdam exemplaribus teſtimonium, de quo diſſerimus. Et ne putes recentiora hæc eſſe, opponunt perantiquum Ms. Mediceum ex Græco in Hebraicum translatum, aliaque Hebræorum volumina, in quibus deſideratur. Addunt filum orationis interſecare, & loco prorſus alieno inſertum eſſe. Objectant denique ſtili difformitatem & diſſonantiam ab aliis Flavianis ſcriptis aberrantem.

Verum & hæc inania ſunt, & inſulſa. Quæcunque enim exemplaria proferant, nequeunt cum iis, quæ ſupra citavimus, comparari. Ms. Mediceum eo ipſo, quod hebraice redditum eſt, Judæi Interpretis damnat fraudem. At Codicem hunc laudavit omnium primus Hebræus Auctor *Prop. Veritatis*, cujus judicium nemo unus receperit. Judæi quippe, dum Joſephum laudant, ſolum Gorionidem intelligunt, hunc in manibus verſant, huic præſtant fidem: Flavium aut ignorant, aut deſpiciunt. Huic Gorionidi ſelis omnium Eruditorum confeſſo opponimus Græca autographa, Medicea etiam, quæ diximus verſaſſe Bigotium & Voſſium. Digreſſiones apud Joſephum frequentiſſimæ ſunt; quamquam hoc teſtimonium loco propriiſſimo aptatur, ubi de Pontio Pilato pertractat Hiſtoricus: paſſus eſt enim Chriſtus hoc præſide. Stili diſcrepantiam, quam nulli veterum ſubodorati ſunt, negamus: imo cum ſtilus ipſius teſtimonii tam ſit ſimilis ſtilo librorum Archæologiæ, quam frater fratri, ſive, ut inquiunt, ovum ovo, etiam ex ſtilo evincitur eſſe germanum. Cum itaque juxta præceptiones Criticorum e veteribus Mſs. libriſque editis nihil ſit expungendum, niſi adſint conjecturæ liquidæ, certæ, atque exploratæ: & quas afferunt Oſiander, Tanaquillus, Snellius, & alii, perleves ſint, infirmæ, & ambiguæ; non debet teſtimonium illud Flavianum expungi.

PROPOSITIO II. Stilus prædicti Teſtimonii genuinus eſt, & per omnia phraſi Flavianæ conformis.

Demonſtratur. Dignoſcitur alicujus Auctoris ſtilus ex verbis, verborumque complexu. At ſive attendantur verba, ſive illorum complexio, ſtilus hujus teſtimonii redolet phraſim orationemque Joſephi. Ergo ſtilus hujus Teſtimonii germanus eſt, ejuſque, cui tribuitur, Auctoris. Probatur minor. In antiquioribus Græcis Codicibus Teſtimonium illud ad hunc modum ſe habet. Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνήρ: *Fuit autem hoc tempore Jeſus vir ſapiens*. Utitur Joſephus propoſitione hujus phraſeos, γίνεται δὲ, quotieſcumque abrupto orationis ſtilo res alias inſerit. Ita lib. XVIII. cap. 12. convertens orationem ad res Babylonicas exorditur, Γίνεται δὲ περὶ τοὺς ἐν τῇ μεσοποταμίᾳ, &c. Κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον idem eſt, ac κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν lib. XIII. cap. 9. & κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον lib. XIII. cap. 21. Ἰησοῦς non ignotus Joſepho, cum de Jacobo ſcribat fuiſſe fratrem Ἰησοῦ λεγομένου Χριστοῦ. Σοφὸς ἀνὴρ ejuſdem generis eſt, ac δίκαιος ἀνὴρ lib. I. cap. VIII. & ἀγαθὸς ἀνὴρ lib. XVIII. cap. 7. Proximis verbis εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. *Si tamen virum illum oportet dicere* conſimilia ſunt, quæ habet de Moſe lib. III. cap. 13. & de Eliſeo lib. IX. cap. 9. Quæ ſequuntur, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, *Erat enim mirabilium operum effector*, conveniunt cum aliis lib. II. cap. 5. nec debent rejici ex quo Jo-

Josephus non crediderit in Christum; cum similia protulerint Pharisæi apud Joannem XI. 47. In iis, quæ subjiciuntur Διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, *Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur*, perperam causantur putidam eloquentiam; sunt enim similia iis XVII. cap. 14. τῶν ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ δεχομένων. Sequitur: Καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο, *Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit*. Extat phrasis huic simillima in libro Vitæ suæ, & in II. contra Apionem. Verbum autem ἐπηγάγετο, quod Adversarios nonnihil movet, eodem sensu usurpatur lib. XIII. cap. 22. XVII. 14. & XVIII. 8.

Sequitur, ὁ Χριστὸς αὐτὸς ἦν. Nil hic difficultatis, si subintelligatur λεγόμενος, ut diximus; quo sensu scripsit Pilatus: ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. In subjectis verbis de Christi damnatione ad Crucem objectant aliqui phrasim ἀνδρῶν τῶν παρ' ἡμῖν, non animadvertentes eamdem haberi lib. XV. cap. 3. & de Bello Jud. lib. III. cap. 25. Quod sequitur οὐκ ἐπαύσαντο οἵ γε πρῶτον ἀγαπήσαντες, *Nec deseruerunt qui primum diligere cœperant*, rejici non debet tanquam spurium, ob similem loquendi formulam lib. VII. cap. 10. & lib. VIII. cap. 6. Quæ ad Christi prodigia attinent τά τε θεῖα ταῦτα, καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ, *Hæc, aliaque plura admiranda de eo &c.*, inveniuntur partim lib. XVIII. Ant. cap. 10. partim in 2. contra Appionem. Postrema verba εἰς ἔτι νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένον οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον: *Ad hanc usque diem non defecit denominatum ab eo Christianorum genus*, præseferre genuinam phrasim liquet ex libro I. de Bello Judaico cap. 4. & lib. VI. cap. 13. Adeat, qui plura desiderat, librum secundum Daubuzii.

Opponit Faber: ait Auctor Testimonii Ἰησοῦς τις, *Jesus quidam*: cur utitur eo pronomine, si illum haud ignorabat? φῦλον vero, cum sit a φύω, *gigno*, convenire nequit sectæ hominum ex Judæis, gentibusque conflatæ. Cetera omnia præoccupavimus.

Resp. pronomen τις desiderari in pervetustis codicibus, & omitti ab Eusebio in Dem. Evang., Rufino, & aliis: quamquam si illud recipias, parum interest; cum idem pronomen a Josepho addatur Abrahamo lib. I. cap. 8. Jeroboam lib. VIII. cap. 2. & Nehemiæ lib. XI. cap. 5. Τὸ φῦλον autem usurpatur etiam de Judæis, & Idumæis ab Hircano in unam gentem coactis lib. XIII. cap. 17. neque debemus in Scriptoribus unumquodque vocabulum ad originis etymon tantummodo expendere.

CAPUT X.

Quibus argumentis Gentiles ad credendum in Christum sint pertrahendi.

UT Pagani & Gentiles convertantur ad Christum eadem argumenta idonea sunt, quæ pro veritate Christianæ fidei in libro XXII. fuere producta. Si enim abjicienda est superstitiosa plurium Deorum religio, Mahumetis secta, & Judaica observatio, consequens est tenendam esse fidem in Christum. Sed alia nunc argumenta proponam, brevique contexam, quæ poterit Lectorum ingenium reddere ratiocinio, & dialectica arte ampliora.

ARGUMENTUM I.

Primo demonstratur ex ipsa Christi persona nil falsi de se prædicasse, & divinitus formatam legem tradidisse. Hunc Jesum inter Judæos vixisse imperante Tiberio, testantur lib. XV. Historiarum Tacitus, Suetonius in Claudio, Plinius junior lib. X. Epist. 97. Judæi omnes hostes in Christum infensissimi, & Scriptores cujusque ordinis. Constat natum in Judæa jam a Romanis subacta, regio quidem genere, sed parentibus pauperrimis, exiguo Bethlehemi pago. Nulla ipsi humanæ gloriæ amplitudo, non Regum ac principum favor & gratia, non copia divitiarum, non Sacerdotum, ac Sapientum consuetudo, non plebis obedientia. Mariæ filius fuit, Fabri proles appellabatur, socios sibi adscivit pauperculos piscium captura victitantes. Præside Pilato in cruce pependit, atque inter latrones efflavit animam. Post tale genus mortis, pauperes illi, quos in sui contubernium vocaverat, cum essent antea timore perculsi, ignari ac despecti, extemplo facti Evangelii præcones hominem illum Crucifixum prædicantes Judæorum, atque Gentilium innumeros ad eum pertraxerunt. Propitio aliquo potentissimo Numine hæc perfecisse omnis ratio suadet. Si enim prædicatores ipsos intuearis, neque humana virtute, neque armis, neque muneribus sectatores innumeros nacti sunt. Si inspicias confluentes ad ipsos, erant prius Crucifixi hostes acerrimi, invitabantur ad ignominiam ac mortem, derelinquebant parentes, filios, uxores, agros, & inditam a prima ætate religionem. Ad hoc sane non trahebantur institutis majorum, non rerum terrenarum cupidine, & voluptate, non vi educationis, non Apostolorum sæculari dignitate & imperio. Trahebantur itaque occulta veritatis vi, & unius Numinis potestate.

ARGUMENTUM II.

Sensim a conditione Personæ descendimus ad prædicationem Evangelii, qua Apostoli Jesum Crucifixum universo Mundo annuntiarunt. In hac Christi veritas, atque divinitas demonstratur ab Augustino lib. XXII. de Civit. Dei cap. 7. quoniam Apostoli eo tempore, quo maxime florebat eruditio, annuntiantes resurrectionem Christi, & ascensionem in cœlum, & mysteria quæ humana ratio non percipit, terrentibus etiam, & contradicentibus tam magnis, & tam multis persecutoribus, effecerunt, ut a viris sapientissimis Christus adoraretur, & firmissime crederetur secutura ad novum sæculum resurrectio, atque immortalitas carnis. Corroborat idem argumentum Ambrosius scribens in caput V. Lucæ divino consilio factum esse, ut Christus eligeret non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, ne videretur aut prudentia, aut divitiis, aut potentiæ & nobilitatis auctoritate aliquos ad fidem suam traduxisse. Perpendit Chrysostomus in Oratione *Quod Christus sit Deus*, quod pro universi conversione Christi discipuli non moverunt arma, non impenderunt pecunias, neque exercituum multitudine usi sunt, sed verbo simplici, nudipedes & ignari potuerunt mutam reddere linguam Philosophorum, Rhetorum ora constringere, Principes ac Reges convertere, atque Barbaris Græcisque imperare. Addit divinum esse ad unam Religionem carni ac sanguini reluctantem pertrahere humanum genus absurdis moribus, atque malis innumeris irretitum. His accedit ratio D. Thomæ lib. I. contra Gentes cap. 6. deprompta autem ex Augustino citato libro XXII. de Civ. Dei cap. 5., quoniam vel Apostoli res credibiles prædicarunt, & stolidi sunt atque inexcusabiles qui non credunt: vel prædicaverunt res incredibiles, atque ita jam aliquod incredibile admittitur, nempe Mundum tam firmiter illud credidisse, quod est incredibile.

ARGUMENTUM III.

Non solum, inquit eadem Oratione Chrysostomus, illud stupendum divinumque, quod per totum orbem illiterati, ineloquentes, obscuri, & facultatibus, robore corporis, præcellentia gloriæ, atque vehementia rhetorices privati ædificaverint Christianam Religionem; verum etiam quod illam invictam firmissimamque reddiderint. Quantumvis enim Romani usque ad Constantinum Imperatores, aliique Tyranni infestaverint Christi Ecclesiam; prævaluit semper adversus portas Inferi, ut recte ad Tyrannos scripserit Tertullianus cap. I. Apolog. *Plures efficimur, quoties metimur a vobis*. In illis vero hostium machinationibus magis divina virtus apparet, si advertas vinctis, fugatis, & martyrio affectis Christi Apostolis & discipulis, Christianos perpaucos, timidosque indutos virtute ex alto evasisse studiosiores, & dum fluerent torrentes sanguinis suorum, redditos fuisse ferventiores. Illud etiam stuporem adauget, quod Christo nomen dederint persecutores, adversarii, carnifices, lictores ac milites Christianorum morti inhiantes. Tales fuerunt Paulus de cœlo prostratus, dum pergeret in Damascum adversus Christi fideles, Justinus Philosophus præstantissimus ad Christum conversus, dum spectaret martyres intrepide ad mortem deferri, Claudius Tribunus conversus ad Christum, dum Chrysanthum, & Dariam torqueret, Romanus in martyrio Laurentii baptismum flagitans, Evilasius idolorum sacerdos cum virgine Fausta obtruncatus, aliique propemodum infiniti. Crescunt portenta, dum recolimus etiam mimos, cum mysteria nostra irriderent, repente divinitus illuminatos pro illorum confirmatione subiisse martyrium: ut narrant de Ginesio sub Diocletiano, de Ardalione, & de Porphyrio sub Juliano Apostata. Tantum ergo fidei Christianæ incrementum in his circumstantiis, atque ex his principiis profectum Christi doctrinam, virtutem, divinitatemque corroborat.

ARGUMENTUM IV.

Invictissimum Christo testimonium perhibent miracula patrata ab ipso, & ejus discipulis: quæ a solo Deo fieri in confirmationem veritatis alibi demonstravimus. Narrantur complura in libris Evangeliorum, & in Actis Apostolicis. Facta non fuisse ope dæmonum, demonstratum est ex quo fuerint perfecta ad dissolvenda opera diaboli. Non fuisse præstigias & ludificationes sensuum, evincitur, quod patrata fuerint spectante omni populo, in urbe frequentissima, coram calumniatoribus ipsius Christi inimicis. Accedit, quod illorum nonnulla experimento comprobata sunt; nam Lazarus, quem e sepulcro quatriduanum Dominus suscitaverat, ne putaretur phantasma, coram omnibus loquebatur, & epulabatur, ut ad eum confluerent Judæi stupore perculsi. Vide Joannis caput XI. & Tractatus Augustini XLIX. & L. Cæcum quoque a nativitate illuminatum a Christo, de quo idem Evangelista cap. IX., post ipsius confessionem, ac testimonia parentum occultare non potuerunt Pharisæi. Conficta hæc, & alia plura a discipulis nulla ratione credi potest. Primo quia edita a Christo prodigia negare non audent inimici Christiani nominis, ut Celsus apud Origenem libro 2., & Julianus Apostata apud Cyrillum libro 6. Deinde quia Petrus commemorando Israelitis virtutes Christi, ut legimus in Act. Apostolicis cap. 2. & 4. convertit in una tantum concione tria millia virorum, in altera quinque millia: incredibile autem est, hos omnes fictis prodigiis fuisse commotos. Præterea cum Apostoli hæc prodigia narrarent, nunquam tamquam mendaces a populis, inter

quos

quos evenerant, repulsi sunt, sed potius tamquam præstigiatores, atque malefici. Ad hæc Evangelistæ, qui Christi miracula mandarunt literis, non prætermittunt illius paupertatem, ignominias, odium apud Sacerdotes ac principes, probra, derisiones, extremumque supplicium; ut plane constet nolnisse in Magistri gratiam mentiri. Tandem cui bono hæc discipuli confingere? Non utique ob temporale commodum, cum pro nomine Christi persecutiones, contumelias, & mala innumera paterentur; neque ob meritum, legisque suæ observationem, cum mendacium & falsum testimonium prohibeat omnis Religio, & præsertim Christiana.

ARGUMENTUM V.

Petitur firmissimum argumentum ex Christi resurrectione: quam tribuere non possunt contactui alterius corporis, quoniam Christus sepultus est in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat: nec affirmari potest sublatum Christi corpus per subterraneos cuniculos, cum fuerit monumentum illud excisum in petra: nec sublatum ex ostio, cum lapis signatus fuerit, & munitus custodibus. Quod vero custodes ipsi pecunia corrupti dixerint sublatum dum dormitarent, Judæorum pervicaciam fraudemque per se commonstrat. Quis enim, ut Augustinus ratiocinatur in Psalmum 63., *dormientes testes adhibet*? Nihil est quod huic argumento inimici veritatis reponant. Si enim dixerint Christum non fuisse mortuum, revincuntur ex guttis sanguinis & aquæ, quæ exierunt ex corde ejus lancea transfixo; nam impossibile est hominem, posteaquam sanguis totus effluxit, vivere corpoream vitam. Si resurrectionem ipsam pernegaverint, refutari poterunt nube testium; nam D. Paulus in 1. ad Corinth. cap. xv. 6. provocat ad quingentos. His addimus testimonium Flavii Josephi viri a Christiana Religione alieni. Adde quod Apostoli minime mentiti sunt, ut demonstravi superiori argumento. Discipulos ob simplicitatem credidisse rem falsam, nemo jure arbitrabitur, qui animadverterat diu & ipsos fuisse incredulos, donec vulnera Nazareni palparent. Corrupisse illos pecunia militem custodem sepulcri, ut magistri famæ consulerent, & emortui corpus subripuisse, nullam habet imaginem veritatis. Si enim ipsos discipulos intueamur, suffixo cruci Magistro, dispersi, timidique aufugerant, nec potuerunt post tam immane supplicium, qui ad satellitum adventum, & ancillarum vocem trepidaverant, tantum facinus aggredi, a falso etiam, nominisque gloria abhorrentes. Si vero ad Judæos animum convertamus, ii, annuente Pilato, *munierunt sepulcrum signantes lapidem cum custodibus*, cumque id fecerint quia Christus prædixerat se post tres dies resurrecturum, si Apostoli cadaver subripuissent, id facile comprobassent, eosque apud præsidem accusassent de fracto, violatoque sigillo. Si denique rei inspiciamus eventum, cum mora sit furtis contraria, accedentes ad monumentum non explicassent sudarium & linteamina, quæ disjuncta in sepulcro inventa sunt, sed absque mora asportassent corpus sindone involutum & colligatum. Sed plura de hoc argumento in laudata Oratione Chrysostomus. Vide insuper Danielem Huetium Demonst. Evangelicæ Propos. ix. cap. 142. Thyrsum Gonzalez de Verit. Relig. Christ. lib. 1, cap. 7. & H. Grotium lib. ii. n. 5.

ARGUMENTUM VI.

Proxima est argumentatio petita ex oraculis, quæ ab exordio mundi omni ætate Judaico populo Christum prænuntiarunt. Ea in præmissis disputationibus satis expendimus. Tam multa ac præclara habere solum Deum auctorem, qui solus futura omnia intuetur, neque comparanda esse cum ambiguis, & flexiloquis idolorum responsis, probatum est *de Angelis* capite xii. Nec Judæis tantum prænuntiatus est adventus Christi, sed etiam Gentibus, ut Moabitis a Balaam, & a Job Idumæis. Etiam in sui perniciem ex vaticiniis Prophetarum dæmones suam per Christum eversionem veritate cogente nuntiarunt. Proditurum ex Judæa dominatorem universi fuit, imperante Augusto, opinio tam pervulgata, ut de ea scripserint etiam profani scriptores Tacitus, & Suetonius, ut diximus capite libri hujus octavo. Orta hinc quorumdam opinatio Vespasianum esse Christum, sed quoniam in illum minime quadrabant oracula, his perlectis Jesum Nazarenum agnovere viri etiam percelebres, ut Verianus Pictor, & Marcellus Orator. Accedit ante Christum celebriora oracula obmutuisse, quod factum iri in signum adventus Messiæ prædixerat Zacharias xiii. 2. Hinc Apollo fertur Augusto causam silentii sciscitanti hoc dedisse responsum:

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι,
Λοιπὸν ἀπιθανωτὸν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.
Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum:
Aris ergo dehinc tacitis discedite nostris.

Vide Nicephorum lib. 1. Histor. cap. 17. Suidam in Augusto, & Baronium in App. Ab his se delusum queritur Hyacinthus Serry Exercit. xxxii. fidem mendacio dedisse aliquando. Etenim, inquit, jam ab ipsa Ciceronis ætate cœpit Delphicum oraculum esse minori in pretio, ut ait idem Cicero 2. de Divinat. perstitisse tamen etiam sub Trajano colligitur ex Plutarcho. Suetonius præterea narrat responsum datum Neroni, Philostratus Apollonio, Dio Chrysostomus Hadriano. Aliud oraculum festivissimum commemorat Spartianus. Eusebius denique lib. ii. de Vita Const. cap. 45. stetisse profitetur Oraculum Delphicum ad sua usque tempora. Ex quibus putant Critici complures falsissimum esse quod præmisimus de Augusto, quandoquidem longe ante Christum minore gloria erat oraculum Delphis, nec penitus post Christum obmutuit. Verum hæc, quæ putantur invictissima, nullius omnino sunt roboris. Nam etiam ab Anno 3589. desierunt Prophetæ in Israel, quod signum erat non diu perseveraturam legem Mosaicam: atque ita nonnullis ante Christum annis cessavit apud Idololatras oraculorum celebritas in signum divini Verbi proxime nascituri. Et quemadmodum, posteaquam cessarunt celebriores Prophetæ, nonnulli singulari Dei munere prophetarunt, ut Simon, Anna, Agabus: ita, postquam desiit Delphici oraculi frequens rumor, & celebris existimatio, aliqui impii, occulto Dei judicio, dæmoniorum responsis decepti sunt.

ARGUMENTUM VII.

Accedunt testimonia non solum virorum sanctitate ac religione illustrium, sed etiam hostium Christiani nominis. De Celso Epicureo, Juliano Apostata, Flavio Josepho, & Mahumete dictum supra. Addimus Acta Pilati, quo Præside Christus Jesus affixus est Cruci. In his Romanus Præses tam insignia de Jesu Nazareno nuntiavit, ut Tiberius de illius Apotheosi ageret apud Senatum. Haud me latet spuria & conficta hæc censeri a Criticis plurimis, quorum argumenta collegit in Apocryphis N. T. Fabricius, Clericus ad annum xxix. n. 94. & Samuel Basnagius ad annum xxxiii. num. 192. & seqq. sed pugnant adversus istos perantiqui, & celeberrimi Ecclesiæ Patres. Ad hæc enim Acta Gentiles provocavit S. Martyr Justinus in altera ad Antoninum Apologia, Tertullianus in Apologetico adversus Gentes cap. 5. & 21., & Lucianus qui sub Decio martyr occubuit. Eadem firmissime receperunt Eusebius Cæsariensis lib. ii. H. Eccl. cap. 2. Joannes Chrysostomus hom. 26. in Epistolam secundam ad Corinthios, Orosius lib. vii. cap. 4., & quotquot subsecuti sunt Historici ac Patres; ut merito scripserit Petavius in Animadversionibus ad Epiph. p. 87. contrariam suspicionem ne refutationem quidem mereri: & ipse Hyacinthus Serry tantæ in ventilando ambigua monumenta licentiæ, Exercitatione 64. non posse acta Pilati citra summam audaciam in dubium verti. Vindicat ea luculenter in Lect. in Act. sect. iv. Joannes Pearsonus. Occurram ego Basnagio, qui post Pearsonum edidit Politicos, Criticosque Annales.

Itaque Basnagius cit. num. 192. vellicat Tertullianum, quod cap. 21. Apologetici de Christi resurrectione scripserit, *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiavit*. At Pilatus non potuit Tiberium alloqui, cum Romam hoc jam defuncto pervenerit, ut liquet ex Josepho lib. xviii. cap. 1. Nuntiare autem non est scripto aliquem adire, sed verbis. Incredibile præterea est Pilatum narrasse Christi resurrectionem, quia tam Judæi, quam milites, apud Matth. xxviii. 13., nuntiaverant fuisse illum discipulorum fraude sublatum. Hæc fusiori stilo Basnagius. Sed falsum primo est verbum *nuntiare* interdum non usurpari etiam latinissime pro narratione facta per literas, ut constat ex libro 1. epist. 17. Ciceronis ad Atticum. Deinde quis ignorat Tertulliani stilum esse asperum & salebrosum, & ubique novatis verbis tumescentem? Quod attinet ad resurrectionem; si Præses milites interrogavit, & audivit cadaver Christi subreptum ipsis dormientibus, quod audito terræmotu, sparsoque tantæ novitatis rumore, proculdubio quæsivit; nonne statim illorum deprehendit malitiam, qui testes dormientes proferrent? Atque id reddidit Pilatum etiam propria conscientia perculsum in veritatis disquisitione sollicitum, atque in male curatas excubias severiorem. Non tamen affirmo Christianam fidem fuisse amplexatum, quandoquidem sua phrasi appellat Tertullianus *conscientia Christianum*, qui veritatem non denegat. Habes consimile exemplum eodem libro Apologetici cap. xvii. explicatum a nobis Tom. 1, pag. 18.

Nititur Basnagius seq. num. 193. demonstrare, nunquam Tiberium postulasse a Senatu Christi apotheosim, primo quia in Judæos infensus erat. Deinde quia si postulasset, proculdubio obtinuisset; & Senatus minime id denegasset. Ultimo quia principes mortuorum non invident dignitati. Ab his vero facile me expediam. Ad primum enim dico Tiberium petendo Christi consecrationem non rem gratam fecisse Judæis, sed ingratissimam, quippe hi Christi dedecus & ignominiam optabant, non exaltationem & gloriam. Ad secundum & tertium dico non potuisse Senatum obtemperare Tiberio, quia Christus unum solum Deum coli mandavit, & Deos alienos, quos Romani colebant, coli prohibuit; est autem Socratis sententia, unumquemque Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Vide Augustinum de Cons. Evang. lib. 1. cap. xviii. Adde divinum fuisse consilium, ne verus Deus haberet eumdem cum Idolis honorem, & ne Religio Christiana posset dici auctoritate Romani Senatus, & præsidio homi-

hominum propagata. Tertio argumento quid contendat Basnagius ignoro: nam petere apotheosim est honor erga mortuos, non invidentia; imo nec mortuo petebatur, sed redivivo.

Primo n. 194. vellicat Basnagius epistolas Pilati ad Tiberium, & conatur probare suppositas. Urget autem hæc argumenta. Primo, inquit, Sixtina vernat floribus, quos non afferebat latinitas ævo Pilati. II. In utraque, tam Sixtina, quam edita ab Hegesippo esse apertissima falsitatis indicia, ac præsertim miraculum Resurrectionis. III. Nullibi Tiberium dici Claudium Tiberium, sed Tiberium Claudium. IV. Incredibile esse quod Pilatus scripserit a se cælestem illum virum cruci damnatum. Verum & hæc futilia sunt. Quæ circumferuntur Pilati epistolæ neque a me apocryphæ dicuntur, neque genuinæ. Habemus tamen tertiam editam e Florentinis in notis ad Apostolorum indiculum, latinam, & sine vitiis, quæ opponit Basnagius. Aliæ sunt fortassis istius paraphrases. Illud tantum contendo Pilatum facta Christi conscripsisse ad Tiberium. Quomodo potuerit de Resurrectione mentionem facere, dictum est paullo supra. Causam mortis Christi potuit refundere in Judæos, qui accusarunt Jesum Nazarenum, tanquam subvertentem populos, & prohibentem ne Cæsari tributa persolverentur.

Tandem Basnagius num. 196. adversus Acta Pilati insurgit tribus argumentis. Primum est, quod Justinus Martyr accipiendus est de gestis Christi in Evangelio enarratis: scribit enim, *Atque hæc ita esse cognoscere potestis ex Actis, quæ scripta sunt sub Pontio Pilato*: ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, inquit non, ὑπὸ Πιλάτου. Alterum quod Præsides Provinciarum non scribebant ad Cæsares, quæ ad Religionem spectabant, sed quæ ad politicum regimen. Ultimum quod fuerunt Acta Pilati conficta primum a Maximino in contumeliam Christi, quibus opposuissent Catholici germana, si revere extitissent. At ad primum nego loqui Justinum de Evangelio: quis enim Gentiles ad illud provocet? Deinde Tertullianus nonne scribit hæc *Acta* apud ipsos Gentiles extare, & Lucianus Martyr reperiri in Romanorum Annalibus? Præterea nullum Evangelium, Præside Pilato, scriptum est. Sed, si Basnagius fidem habet Joanni Millio, Matthæus Evangelium scripsit imperante Nerone, & anno V. Æ. lxi. si Scriptoribus aliis, paullo ante: ceteri Evangelistæ post Matthæum. At Pilatus accersitus est Romam, & Judææ administratione privatus anno xxxv. Recte autem inquit Justinus, ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου non enim Præsides conscribebant Acta, sed Notarii. Ad alterum dico a Rectoribus provinciarum missos ad Cæsarem etiam rerum quotidianarum commentarios, ut constet ex libro Philonis de legatione ad Cajum, probatque ad an. xxix. ipse Clericus. In *actis* præterea Pilati spectat ad politicum regimen detegere Judæorum fraudem atque machinamenta. Postremum diluitur dicendo ante Maximinum conficta ab inimicis Christi alia *Acta* Pilati, ut demonstrat ex Passione Sanctorum Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici Hen. Valesius in Animad. ad lib. I. cap. 9. H. E. Eusebii. Non poterant ergo Christiani objicere Maximino eb eo primum fuisse Pseudo-acta Pilati conficta. Plura ergo hujusmodi *Acta*, etiam inter se pugnantia, olim vulgata fuisse, verissimum est, & optime adnotatum a Cotelerio Tom. 2. PP. Apost. pag. 162. sed nunquam extitisse Acta genuina, ad quæ priscis sæculis e Patribus provocabantur increduli, nullum Basnagii momentum evincit.

ARGUMENTUM VIII.

In Christi denique commendationem plurimum facit, quod nulla imbutus doctrina hominum Religionem instituit ceteris omnibus sublimiorem. In iis enim, quæ spectant ad Dei cultum, nullum apud nos invenies sacrificium aut humano cruore pollutum, quale Jovi Latiali novimus immolatum; aut obscœnitate turpissimum, quo Gentes Cereri, Liberoque litarunt. Neque observamus circumcisionem & cæremonias legales institutas ad coercendam Judæorum licentiam, sed Deum adoramus in spiritu, & veritate. Nostra erga homines officia, usumque rerum temporalium, damnent, si forte possunt, aut Gentes, aut Mahumetani. Interdicta nobis latrocinia, ultiones, adulteria, polygamia, & quidquid speciem refert injustitiæ, vel turpitudinis. Plura de his Clemens in Protreptico, Athenagoras in Apologia pro Christianis, & Arnobius adversus Gentes. In sola etiam doctrina Christi repromissum est præmium, quo expleri possit ardentissimum hominis desiderium. Nil nobis vel propter voluptatem, vel propter terrenarum rerum affluentiam, vel propter inanem gloriam agendum est. Si quid commune haberet Religio Christi cum superstitione, moribusque idololatrarum, facile posset reprehendi, nunc, quoniam nihil habet commune, non potest. Si pravæ in nobis consuetudines irrepserunt, pugnant illæ cum exemplo Christi, præceptisque Evangelicis: idem est de erroribus, & dissidiis, quæ sparserunt Hæretici, vel Schismatici. Qui Christi instituta servarunt, dicti primum ab Ethnicis homines superstitionis maleficæ, sed illorum vita, ac religione diligentius inspecta, habiti moribus inculpatis atque integerrimis. Extant adhuc, quibus id comprobetur, Epistolæ Plinii ad Trajanum datæ ex Bithynia, Trajani ad Plinium, Hadriani ad Minucium Fundanum, & Servianum Consulem: quas eruditis Commentariis illustravit Joannes Gerardus Vossius. His itaque argumentis poterit quisque Christum etiam Paganis & incredulis annuntiare. Vide librum xxii. cap. 3.

CAPUT XI.

Quæ Gentiles objiciunt adversus Christi Incarnationem, breviter refutantur.

VERBUM Dei factum carnem petitis a Christi doctrina, & e Christiana Religione argumentis possumus quidem evincere; sed ipsius mysterii altitudinem obviis humanisque ratiocinationibus *positivo*, ut appellant, argumento demonstrare non possumus. Si enim ratio proferatur, non erit mirabile: si exemplum adsit, non erit singulare. Ergo adversus Infideles, ut nos Augustinus docet Epistola 137. ad Volus. num. 15. fidem nostram propugnant ipse rerum ab initio gestarum ordo, & ipsa connexio temporum, præteritis fidem de præsentibus faciens, priora posterioribus, & recentioribus antiqua confirmans: completa in Christi ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione omnia præconia Prophetarum: Apostoli, qui repente linguis omnium gentium loquuntur, arguunt fidenter errores, & numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur: templa denique, & simulacra dæmonum, quæ paullatim secundum dicta prophetica subvertuntur. Continantur contractis hisce Augustini sententiis, quæ supra fusiori stilo produximus. Ad ea autem, quæ fides nostra in mysteriis occultat, juxta traditum ibidem Augustini monitum, mens tardiuscula & inerudita non audet accedere. Objectantibus tamen incredulis, quod leves nos conjecturæ permoveant ad præbendum pugnantibus rebus assensum, tenemur rationem reddere demonstrando nihil credi a nobis impossibile, rationique repugnans: quod præstamus argumentationibus *negativis*, iis scilicet, quibus suppositæ repugnantiæ explicantur, & complanantur.

Julianus Apostata objecit, nihil fecisse Christum præstantius, quam fecerint Socrates, Lycurgus & Alexander. Adjunt alii Vespasianum, & Apollonium. Objectant Jesum Nazarenum doctrinam suam persuasisse paucissimis, ac deterrimis, quos etiamnum potentiores oppugnant. Meliorem, inquiunt, subisse fortunam Simonem Samaritam præstigiatorem, cui erecta fuit a Romano Senatu statua, cum epigraphe, SIMONI DEO SANCTO: & Mahumetem, ad quem tanta populorum multitudo confluxit.

His respondemus Socratem, auctore Porphyrio, fuisse hominem mulierosum & iracundum, & ejus doctrinam ab Atheniensibus refutatam: nihil vero in ea, quod humanam excedat philosophiam. Lycurgi leges finitimi populi repudiarunt, emendaruntque Spartani, ipso Auctore superstite; & vix apud eos leges illiusmodi viguerunt. Alexander domuit orbem potentia & militum copiis, non mysteriorum divinorum prædicatione: ejus morte corruit Græcorum Imperium. Ecclesia autem ab inermi, & exiguo Apostolorum numero propagata est, perseverat, fitque nece Martyrum amplior. Vespasianum & Apollonium vera patrasse miracula negant ipsi Gentiles: Christum in Bethsaida, & Bethaniæ cæcos, claudosque curasse non ausus est negare Julianus. Simonem statua a Romanis honestatum negant plures, & inscriptionem in Insula Tiberina hanc profert Gruterus, SEMONI SANGO DEO FIDIO: hoc nomine inquiunt appellatum Herculem apud Sabinos: deceptum vero hac inscriptione Justinum. Dubia tamen hæc sunt; nam potuit alia statua erigi Simoni, alia Deo Sabinorum Sango: nec facile demonstrabis Justinum Martyrem eadem cum Simone patria natum, qui, ut scribit Eusebius lib. iv. H. E. cap. xi. Romæ domicilium habuit, & cui assentitur cum aliis antiquioribus Tertullianus cap. 13. Apologetici, fuisse deceptum. Quare dicimus Simonem agnovisse discipulorum Christi virtutem Act. viii. 18., nec diu illius cultum stetisse: ut interim omittamus Apostoli Petri cum Simone certamen. Mahumetes, Arabibus in Heraclii exercitu seditionem molientibus, vi armorum dilatavit imperium. Illum furti & latrocinii reum cives Mechæ ad mortem damnaverant: & suomet ore se in Alcorano impurissimum profitetur. Studuit vero ad sectæ propagationem indulgere omnium ingenio. Non male de Christo locutus est, ut gratificaretur Christianis: retinuit cum Judæis circumcisionem; & improbis, quorum populus major est, morem gerens permisit ultiones, polygamiam, & graviora flagitia; vetuit etiam, ne falsitatis convinceretur, divinorum exercitamenta studiorum. Christus innocens, & pauper abolitis Judaicis ritibus, & præscribens severiorem disciplinam firmavit Ecclesiam suam omnibus repugnantibus.

Objiciunt præterea: Nonne Jesus unus fuit ex subditis Cæsaris census sub Cyrenio, desertus a suis, & qui non potuit ad se amicos, & propinquos pertrahere? Quomodo ergo dicitur Deus? Si autem Deus, cur Deiparam Virginem appellamus? Si de Virgine Spiritus sancti virtute conceptus, quo jure filius Davidis, & de femore Juda exortus est?

est? At quomodo fieri potuit, ut ipse Deus nasceretur ex muliere? Et si id potuit, quid absurdius, & Deo indignius, quam fieri servulum, & in cruce immolari? Quantum insuper æquitati repugnat insontem ac justum plecti morte pro sceleratis?

Respondemus & hoc esse summæ potestatis Christi argumentum, quod nulla majestate terrena redimitus, & tanta e propinquis amicisque perpessus, a Gentibus tali honore habeatur. Fuisse autem beneficum hostibus suis, & cognatos Judæos reprobasse, quid est aliud, quam opus misericordiæ eo majoris, quo confertur indignis, & justitiæ eo perfectioris, quo carnali non præpeditur affectu? Non unam in eo confitemur naturam, sed humanam, atque divinam: in illa natus sub imperio Augusti, & conceptus de Virgine; in ista Rex regum est, & Creator universorum. Propagata, quam assumpsit, humana cam ex regali progenie Davidis sat est, ut revera pertineat ad Tribum Juda. Potuit & Deus nasci in tempore secundum naturam illam humanam: secundum divinam æternamque non potuit. Nequaquam indignum est, Deum, qui hominem condidit, hominum saluti prospicere, & Dei Verbum, quod mundum fabricavit, mundum redimere: sed opus est maximum, & divine majestate, ac justitia dignissimum. Dum innocens non raluctans sanguinem fundit pro impiis; apparet, ut scribit Ep. 190. Bernardus, *Iniquitas malignantium, & pietas patientis*.

Arguunt insuper: Repugnat rationi, quod Verbum Dei descenderit in uterum Virginis. Si enim Deus ubique est, quomodo factus est præsens ubi non arat? Præterea si est immutabilis, quo pacto illi accessit, ut vere & substantialiter fieret homo? Quod si mirabili nexu divinitas, & humanitas in une Persona copulatæ sunt, quid aliud erit divinitas præterquam pars quædam unius Christi? Illud denique imperceptibila est, humanam naturam esse in Christo perfectam, & nihilominus propria carere subsistentia, in duplici natura subsistere personam unam, atque tam dispares substantias, hominem Deumque posse simul substantiali vinculo colligari.

Respondemus hæc quidem soperexcedere acumen tardiusculæ mentis nostræ; sed ubi testimonia Domini eredibilia facta sunt nimis, captivari in obsequium fidei ratio debet humana. Ne hæc repugnantia videantur, dicimus Deum ubique præsentem esse per immensitatem, non tamen ubique semper eadem, si effecta sola attendantur producere. Præsentia illa per immensitatem constat ratione, effectuom divinorum variatio constat experimento. Explicabat Theodorus Abacure, cujus Opera extant Tomo Bibl. PP. XVI., horum cohærentiam exemplo humanarum perceptionum, & idearum, quæ sunt quidem nobis intimæ, & fiunt tamen alia ratione præsentes, dum eas mente revolvimus reminiscentia. Fuit ergo a creatione Virginis ei præsens Dei Verbum immensitate, & in incarnatione factum est præsens assumptione humanitatis. Nec tamen subiit aliquam mutationem, quoniam nec in naturam humanam divina conversa est, neque huic accessit cujuspiam formæ acquisitio: sed tota mutatio tenet se ex parte naturæ humanæ assumptæ in divinæ naturæ consortium. Non igitur mutatus est Deus, quemadmodum nec mutatus est dum mundum condidit, & accessit ei per rerum productionem denominatio Creatoris, & Domini. Recole quæ diximus de Divina immutabilitate lib. II. cap. 4. At, inquis, nonne factum est Verbom vere, ac substantialiter homo? Ita quidem: sed factum est homo *non conversione divinitatis in carnem*, *sed assumptione humanitatis in Deum*; in qua assumptione Verbum Dei non perficitur, sed perficit: non immutatur, sed mutet; veluti dum sapientia humanam mentem irradians, *non ipsa mutatur*, inquit Augustinus quæst. 73. inter LXXXIII., *sed hominem mutat*, *quem de stulto sapientem facit*.

Nexus, sive unio duarum in Christo neturarum non est vinculum duorum, quæ se mutuo perficiant, sed quorum unum perficiarer ab alio: in quo sensu absurdum non est divinitatem uniri humanitati; neque illa est pars recipiens ab ista existentiam, & complementum, sed est ipsum Verbum, ac Persona divina humanitatem adsumens, ac propriam illi communicans subsistentiam. Neque per hoc quod natura humana propria subsistentia careat, imperfecta dicenda est; non enim subsistentia addit ad substantiam formam aliquam, vel *entitatem*: sed illud dicitur per se subsistere, quod est sui juris, & alteri incommunicabile. Melius est autem esse juris divini, quam humani, & uniri communicatione substantiali divino Verbo, quam ab illo divelli. Percipitur quodammodo eamdem Personam duas in se habere naturas, si illius summa virtus attendatur; nam & eadem veritas in pluribus voluminibus conscripta est. Ita absque ulla contradictione disparas substantiæ possunt uniri, si una regatur ab alia, uti nectuntur in homine anima rationalis, & caro. His lucem afferent, quæ diximus lib. VII. cap. 6., & quæ infra dicentur in H. Eutychiana.

Ultimo objiciunt Saraceni: Venit Christus, sed non est ille Propheta, ac summus legislator, quem arbitrantur Christiani. Si sanctificatus est a Joanne, quomodo erat in eo plenitudo sanctificationis, & gratiæ? Deinde dum venit Moses, damnetus est cultus idolorum: dum venit Christus abolita fuit lex Mosis. Ergo dum venit Mahumetes, cessavit lex Christi; ideoque Mahumetes est Propheta magnus missus a Deo in lucem gentium, & in salutem populorum.

Resp. Baptizatum fuisse Christum a Joanne, non ut sanctificaretur ab illo, qui ipsum Christum condigna laude celebravit, sed ut exerceret humilitatem, ut sanctificaret sui baptismatis elementum, ut proximæ prædicationis divinum resonaret præconium. Nec implicat contradictionem tingi eodem baptismate Dominum, ac servum, quemadmodum Saraceni eodem in balneo abluuntur a famulis. Christus adveniens post legem Mosis est verus Messias, quoniam ab ipsa lege Mosis, in qua viguit Spiritus veritatis, habet testimonium. Mahumetes autem veniens post Christum nequit esse verus Propheta, quoniam in Evangelio Christi, in quo Spiritus sanctus locutus est, non prædicuntur nisi Pseudoprophetæ, a quibus ut caveamus præcipitur. Nam quod fingunt Turcæ dixisse Christum, *Mittam vobis Prophetam Mahumetem*, & hæc verba fuisse a nobis expuncta, facile revincitur provocando imperitos ad vaticinationes de perpetua Christi doctrina, & ad Codices ante tempora Mahumetis conscriptos. Debet autem, ut ajebat Abacura, quisquis producit chirographum adversus fœnoris debitorem, repelli a Judice, si nihil eorum inscripta fiet, quæ poscuntur. Sed contra Saracenos disputatum est lib. XXII. cap. 2. Tom. II.

CAPUT XII.

Messiæ, ut carnem sumeret, caussam fuisse peccatum Adæ, humanique generis perditionem.

QUÆRENTI cur divinum Verbum humanam induerit naturam, respondent una voce Theologi caussam fuisse Generis humani reparationem. Sed aliam quoque rationem Scotistæ assignant, ut scilicet magisterio suo, regimine, atque communione homines exornaret, atque ad consortium divinitatis eveheret. Imo prædefinitam arbitrantur Verbi *Incarnationem*, priusquam divino decreto statueretur productio hominum; postea vero prævisa Adami culpa definitum fuisse, ut filius Dei jam in mundum venturus universarum creaturarum Caput, & Princeps adveniret assumpto mortali corpore, ut morte sua hominem perditum repararet. Amplexati sunt opinionem Scoti etiam Catharinus, Suarez, & Ysambertus; sed illam major pars Theologorum refellit, & etiam Nicoleus L' Herminier alias Scoti studiosissimus.

PROPOSITIO. Venit Christus ad redimendum humanum genus, nec advenisset, si Adam perseverasset in gratia.

Demonstratur 1. Quoniam hanc unam Dominicæ *Incarnationis* caussam nobis divinæ Scripturæ proponunt. Legitur enim Matth. XVIII. 11. *Venit Filius hominis salvare quod perierat*. Et Joannes III. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Item Lucæ V. 32. *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Apostolus etiam ad Hebræos II. 14. inquit: *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest, diabolum*. Joannes in I. Epistola III. 5. *Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret*. Cujus generis extant in Sctipturis innumera.

Respondere solent his locis assignari aliquam caussam adventus Christi, sed non principem, atque, ut appellant, *motivam*. Verum non videtur responsio hæc satis firma: nam in Cap. XVIII. Matth. explicat Christus caussam adventus sui exemplo pastoris dimittentis oves reliquas, ut quærat errantem in solitudine, affirmans se eadem ratione in mundum venisse, ne unus de pusillis suis pereat. Quemadmodum ergo non adiret pastor loca deserta, nisi ovis erraret, ita non advenisset Christus in mundum, nisi homo peccasset. Tertio Joannis capite commendatur Dei caritas propterea quod pro mundi salute Unigenitum suum dederit, non autem illum miserit ad exercendam potestatem, atque judicium. Salus ergo mundi fuit *Incarnationis* divini Verbi princeps caussa; ut etiam quotidie in Symbolo profitemur. Non enim existimandum est, dum nobis divina pietas, & fidei mysteria proponuntur, consectaria quædam argumenta prædicari, non autem prima, ac præcipua. Cap. Lucæ III. Christus citatis verbis rationem reddit, cur publicanis, & peccatoribus familiariter uteretur, quia nempe non pro justis, sed pro illis advenerit: id vero non satis apte videretur dictum esse, si ob aliam caussam venisset, quam ob peccatorum expiationem. Paulus etiam, & Joannes non aliam ob caussam ajunt Verbum factum carnem, nisi ut destrueret diabolum, tolleretque peccata.

Demonstratur 2. ex Tradirione Patrum. Nam Irenæus Lib. V. cap. 14. ait: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*. S. Athanasius Orat. 2. contra Arianos: *Verbum nequaquam homo factum fuisset, nisi caussam præbuisset hominum necessitas*. Nazianzenus Orat. 36. *Quæ humanitatis a Deo propter nos susceptæ caussa extitit? Profecto, ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud caussæ afferri possit?* Origenes Hom. 24. in Num.

D 2 *Si non*

Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari: sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum. Ambrosius lib. de Incarnat. c. 6. *Quæ erat caussa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, per se redimeretur?* Augustinus serm. 8. de Verbis Apostoli: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset*; & serm. 9. *Nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* S. Leo serm. 3. Pentec. *Si homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret, neque sempiternus temporalitatem subiret, &c.*

His quidem testimoniis respondere nequeunt Scotistæ, e Patribus unam ex multis caussis, ob quas Deus humanam assumpsit naturam, proferri; cum expresse affirment caussam reparationis humanæ esse adæquatam, ac principem, nullam aliam afferri posse, eaque sublata minime Christum fuisse venturum. Neque apposite respondent, dum asserunt non quidem in hypothesi quod Adam stetisset, venturum Christum in carne passionibus, suppliciisque obnoxia, sed in carne immortali. Enimvero si nullam aliam veniendi habuit caussam, nisi ut mundum redimeret, & salvos faceret peccatores: profecto non est cur assumeret corpus alterius conditionis, & morti minime obnoxium. Deinde in corpore illo impassibili, de quo Scoti asseclæ vaticinantur, Verbum Dei fieret ne caro? Fieret ne homo? Fieret ne creatura? Id quidem certissime. Maneret ne tantummodo Deus Verbum, idest in illa natura, quam habebat a principio? Nullo pacto istud dici potest. At laudati Patres tradunt, quod, nisi Adam peccasset, Dei Verbum factum non esset caro, non homo, non creatura, non tempori subjectum, sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum. Igitur Patres diserte docent Deum, sublata caussa peccati, nullo modo in carne venturum fuisse.

SOLVUNTUR OPPOSITIONES.

At argumentantur Scotistæ apud Frassen de Inc., & Mastrium, Hennum, aliosque. Christus prædestinatus est ante præscientiam peccati Adæ. De illo enim legitur VIII. Prov. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Appellatur in Epist. ad Coloss. c. 1. 15. *primogenitus creaturæ.* Dicitur in Epistola ad Romanos c. 1. 13. *Prædestinatus Filius Dei in virtute priusquam fieret ex semine David.* Vocatur ad Ephes. 1. 22. *Caput super omnem Ecclesiam*, ideoque ab illo est etiam gratia, & spiritualis vita Angelorum. In Ep. denique ad Hebr. c. 1. Christus ut homo dicitur hæres universorum, rerumque omnium Creator. Ex quibus plures argumentationes subtilis Schola varie compingit.

Solvuntur tamen omnes recta prædictorum locorum explicatione. Verba itaque Proverbiorum VIII. accipienda sunt de divina Verbi generatione, ut ostendimus lib. VII. c. 12. Et si accipienda contendas de temporali, explicanda erunt distributive, ut Christus quatenus Dei Verbum fuerit principium operum creationis, & quatenus Deus homo fuerit principium operum redemptionis. Dicitur autem ab Apostolo *primogenitus omnis creaturæ*, idest, inter omnes creaturas præexcelsus, ac præstantissimus, quod significat in sacris literis nomen Primogeniti, ut Psalmo LXXXVIII. 28. & Apocalyps. 1. 5. Nam Unigenitus est, neque ratione generationis comparari debet cum creaturis. Dicitur etiam Primogenitus in creatione nova, *quia habemus remissionem per sanguinem ejus*, ut inquit Apostolus versu praeced. nec non II. ad Corinth. v. 17. Dicitur etiam Primogenitus, quoniam secundum formam Dei ante omnes creaturas genitus est, ut in 1. de Trinit. c. 12. explicat Augustinus. Atque hunc postremum sensum confirmant verba Apostoli eodem loco: *Primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* In Epistola autem ad Romanos primo falsum est dici Christum prædestinatum priusquam fieret ex semine David, sed antea ejus origo secundum carnem commemoratur, postea prædestinatio. Deinde potuit prædestinatio, licet æterna, peccati Adæ supponere præscientiam. Præterea *Prædestinatus* hoc loco idem est, ac *manifestatus* virtute miraculorum, & gloriosa resurrectione; nam & ita vertit Syrus, & quadrat textus Apostoli: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum &c.* Denique videtur etiam plana, & literalis expositio Christum prædestinatum esse ut fieret homo in Dei virtute, & secundum spiritum sanctificationis, ut mundum redimeret, & segregaret sibi Ecclesiam, & gratiam peccatoribus impertiretur. In Epistola ad Ephesios dicitur Christus exaltatus super omnem Ecclesiam, omnemque principatum in hoc sæculo, & in futuro, quoniam Pater per redemptionem instauravit *omnia, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso*: ideoque *suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus*, exaltavit super omnem Ecclesiam, & militantem, quam acquisivit sanguine suo, & triumphantem, quam instauravit: fuitque Caput hominum, & Angelorum omnia subjiciens sub pedibus ejus. Postremo in Epistola ad Hebræos demonstrat Apostolus Christum esse hæredem universorum, splendorem paternæ gloriæ, conditorem sæculorum, & filium Dei naturalem ratione divinæ substantiæ, cui in Incarnatione humana hypostatice conjuncta est: sed hujus Incarnationis Paulus ibidem hanc affert caussam: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Addit Jesum gloria illa, & honore coronatum *propter passionem mortis*: quæ omnia si expendas, Scoti sententiam non corroborant, sed evertunt.

Rursus opponunt: Characteres Messiæ sunt esse Pastorem, ac Legislatorem, aliique ipsi congruentes etiam sublato peccato. Verum quid inde inferas? Ut sit Deus Pastor, ac legis Conditor, necessaria non est humanæ naturæ assumptio, quoniam & Israelitarum fuit Legislator, & ductor nondum assumpta carne: imo testantur divinæ literæ ut hominem Pastorem esse, quoniam missus fuit ad oves, quæ perierant, atque pro iis posuit animam suam.

Tertio objectant auctoritatem Patrum: quos inter Tertullianus de Resurrect. carnis c. 6. ait in plasmatione Adami Christum fuisse prævisum, *cum limus exprimebatur.* Irenæus pariter scribit lib. III. c. 33. *Adamum Christi futuri fuisse typum.* Augustinus libro 1. de Nupt. & conc. in matrimonio Adami, & Evæ, Christi, & Ecclesiæ præsignatum fuisse Sacramentum; similia Patres alii tradiderunt. Verum neque hæc quidquam probant: cum enim Deus prædefiniens Redemptorem statuerit, ut ea quæ in veteri creatura præcedere debebant, in nova sublimiori modo instaurarentur, dum in tempore formavit hominem, erant omnia signa ac Sacramenta Ecclesiæ Christi, licet Christus fuerit prædestinatus post præscientiam peccati Adæ. Quod tam aperto exemplo demonstro, ut non percipiam, quid reponere possint Adversarii. Fatentur ii Christum non venturum in carne passibili, nisi Adam peccasset, & tamen per Augustinum, quem nobis opponunt, in sopore Adæ præsignata fuit Christi mors, & in productione Evæ ex latere Adæ, ædificatio Ecclesiæ ex vulnere lateris Christi. Lege sermonem II. de Resurrect. & Tract. CXX. in Joannem. Potuit ergo Christus præsignari in formatione Adæ innocentis, quamquam prædestinatus post prævisam Adæ prævaricationem.

Tandem urgent plura argumenta a ratione petita. Primum est, debuisse summam Dei bonitatem sese ad extra perfectissimo modo communicare. Alterum, derogari hujus mysterii excellentiæ, si dicatur statutum fuisse occasione peccati. Tertium, non salvari in hac sententia, quod Deipara e culpa originali fuerit immunis. Quartum, consequi ex illa præstantissimum medium ad finem ignobiliorem referri. Postremum, & illud consequens esse, quod de peccato Adæ gloriari possimus.

His breviter, atque ex ordine respondemus, primo argumento nihil probari, tum quia in iis, quæ spectant ad gratiam, nullum debitum excogitandum est; tum quia perfectissimo modo se bonum infinitum creaturis communicat, si modum attendas, in rerum singularum creatione, omnia ad perfectissimum finem infinita sapientia disponens. Ad alterum dico Incarnationem Dominicam opus esse misericordiæ, misericordiam vero exerceri occasione miseriæ, & eo præstantiorem, quo exhibetur indignioribus. Tertium argumentum probat in Virgine solum debitum contrahendi peccatum, non originarii peccati maculam, ideoque sententia nostra non derogat Deiparæ dignitati, sed magis in ea deprædicat privilegia gratiarum. Quod sequitur facilem pariter habet solutionem, nam finis *Incarnationis* est manifestatio divinæ misericordiæ, omnipotentiæ, justitiæ, & superabundantis gratiæ: quo fine nullus excogitari potuit præstantior. Ad ultimum dicimus nobis non de peccato gloriandum, sed de divina misericordia, quæ novit de malo tanta bona facere, ob quam feliciter cessit in communem utilitatem communis ruina: atque hoc sensu exultat Ecclesia illis vocibus: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Hæc sufficiant de quæstione tanto argumentorum apparatu, quamquam parum necessaria sit, a Scholasticis pertractata.

Neque in altera diu versabor, cur Christus tam sero venerit, si regnaverunt ab Adam mors, & peccatum. Scio caussas haud incongruas proferri, quod maximum beneficium diu fuerat expetendum, quod ob primi parentis superbiam longo tempore humiliandum fuerat humanum genus: quod ad singulare opus misericordiæ debuerat præcedere diuturnum nostræ calamitatis experimentum: quod tantæ Reparationis mysterium complendum erat post omnium scelerum atrocitatem, aliasque caussas istiusmodi; de quibus præclare Scholarum lumina D. Thomas III. P. q. 1. art. 5. & D. Bonaventura in III. Sent. Dist. 1. q. 4. Sed cum Patres alii diversa tradant, nolumus nos inscrutabilium consiliorum Dei altitudinem investigare. Certissimum nobis est, divinæ *Incarnationis* dilationem nullatenus obfuisse saluti electorum; quoniam, ut scribit Augustinus Epist. 102. *Salus vera nulli unquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit: & ab exordio propagationis humanæ usque in finem quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur.*

DE

3 .

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS SEXTUS,

In quo præcipua circa divini Verbi Incarnationem dogmata propugnantur.



JUDÆORUM pervicacia devicte, discussisque Ethnicorum erroribus, bellum nobis indicunt hæretici, eo inexpiabile magis, atque exitiosum, quo intentatum ab iis, qui exierunt ex nobis, domesticum dici potest, ac intestinum. Illud quippe ab Ecclesiæ incunabulis excitarunt Gnosticorum scientie tumidi, Valentini, Simonis, Basilidis, ac Saturnini discipuli, Christo tribuentes aerium, & umbratile corpus: inter quorum ineptias evanuerunt quoque Marcionis somnia, cæcutiique delirus, & iners scriptor Apelles. Fugaris vero inanibus horum spectris, eique imaginibus, verissimamque Redemptoris carnem in utero Virginis procreatam Spiritus sancti virtute, necnon clevis perforatam, consossam lanceis, & post devictem mortem Apostolorum manibus contrectatem singulis fidelibus profitentibus; rationalem animam, partemque humanæ naturæ nobiliorem ipsi Reparatori ausi sunt denegare prodeuntes quidam ex Arianorum palæstris sub Apollinaris Laodiceni vexillis, homines iniquissimi, ac perditissimi. Fuerunt, & qui rationalem animum adstruentes, propriis eumdem facultatibus, & naturali præsertim voluntate expoliarunt, eppelleti ea de causa Monothelitæ, Cyri, Sergii, Pyrrhi, eliorumque præsulum gratia, & auctoritate superbientes. Hi ergo omni imbutum odio bellum in corporis Christi, animique nararam ciera conati sunt. At divinam, proh superi, quanti hæreticorum pestilentissimi eb antiqua Ebionitarum origine ad serpentem adhuc fœdam, & veneficam Socinianorum contagionem tentarunt extremis viribus debellare! Verum ne hos iterum in scenam producam, humanæ divinæque naturæ indissolubilem nexum, quem sacer Theologorum cœtus eppellat *unionem hypostaticam*, evertere curarunt, irrito licet conatu, virginei partus, & Deiparæ infensissimi hostes Nestoriani: pessime, imperite, sacrilege utramque naturam in unam commiscere tentavit pugnans adversus Nestorium summa audacie, ac factiose lingua Eutychetis. Atque hos omnes, instructo veluti agmine, hac dissertatione excipere, ac propulsare debemus, eos primum, qui Christo denegant assumptam carnem, deinde qui rationalem animum, vel inditas facultates, eos demum, qui Deum, & hominem unam inficiantur personam, aut in una persona unicam comminiscuntur naturam. Dum autem juxta Philosophorum consuetudinem a partibus singillatim inspectis ad compositum progrediemur, & aliquam profligandarum hæresum rationem servabimus, haud verebimur illorum reprahensionem, qui de Verbo facto homine disserentes diversam ab hac methodum tenuerunt. Profecto error Felicis, & Elipandi, & cetera, quæ vel Nestorianam, & Eutychianam hæresim, vel Catholicum de unione hypostatica dogma consequuntur, erunt alterius libri argumentum: nam hujus satis ampla materia est, nostrisque lucubrationibus, & lectorum ponderatione, studioque dignissima.

CAPUT I.

De Christi Incarnatione in utero intemerata Virginis peracta.

HOC itaque libro de ipsa dominicæ *Incarnationis* Œconomie disputaturus principio disseram de Virginis conceptione, & assumpta in ejus utero a Verbo Dei humana carne. Refellenda autem veniunt hoc in dogmate tria hæresum capite, horrenda admodum ac pestifera. Prima hæresis denegat intemeratæ Virginis integritatem: in quam conspirarunt Ebion, Cerinthus, Carpocrates. *Ebion*, inquit de ejus hæresi Epiphanius, *docuit Christum ex semine viri esse genitum*: Carpocrates pariter & Cerinthus natum tradiderunt *ex semine Joseph*, ait in libro de Præscript. Tertullianus. Consentiunt his Judæi negentes nasciturum Messiam ex nesciente virum puelle. Quidam quarto vertente sæculo Mariam saltem post Christum natum elios ex Josepho peperisse filios autumarunt, horumque agmen duxit Helvidius a magno Hieronymo refutatus. Hæc est ergo prior hæresis adeo in perpetuam Deiparæ virginitatem injuriosa.

Sequitur altera illorum, qui non ex Virgine carnem assumpsisse Verbum putarunt, sed illam traxisse de cælo, ex æthere, aut elementis compactam. Formatum Christi corpus in cælis, *& per Mariam, sicut per canalem aqua, transiisse*, ajebant Valentiniani apud Irenæum lib. I. cap. I. necnon Basilidis, & Marcionis gregarii apud Athanasium in I. adversus Hæreses. His accesserunt Bardesanistæ, de quibus Origenes Dialog. IV. Apellejani dicti ab Apelle Marcionis discipulo affirmarunt Christi carnem *de sideribus, & de substantiis superioribus mutuatam*, ait in libro de carne Christi Tertullianus. Atque hæc est secunda hæresis adversus divini Verbi peractam in utero Virginis conceptionem.

Tertia verum ac solidum corpus Christo denegat, tribuitque dumtaxat phantasticum, & umbratile: quæ hæresis, in quantum corpus phantasticum opponitur crasso, ac terreno, parum differt a præcedenti. Sed videntur aliqui discipuli Simonis Magi, præsertim Menander, & Saturninus eo processisse, ut assererent carnem Christi nequaquam fuisse solidum corpus, sed apparens, inane, & corporis speciem referens, quasi magica ludificatione. Conabantur enim *Incarnationis* sacramentum lubidrio hominum exponere, atque, ut inquit Eusebius lib. III. H. Ecc. cap. 26. *illud aspergere magicæ artis infamia*. Tria ergo de Christi conceptione sunt inquirenda: primum an Deipara ipsum ex virili semine conceperit: alterum an ex Virgine Christi caro formeta sit, an cælitus delapse, aut aliunde compacta: tertium an caro vera, ac solida fuerit, an vero umbratilis, & apparens.

PROPOSITIO I. Christus de Virgine absque virili semine conceptus est.

Demonstratur ex prophetico Isaiæ oraculo cap. VII. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Negant Adversarii de Virgine incorrupta hunc locum esse exponendum, propterea quod Hebraicum vocabulum עלמה, *Halma* significet adolescentulam absconditam, a radice עלם, *Absconditt*. Sed refutatur commentum illud; I. quoniam hæc ipsa etymologia commonstrat vocabulum *Halma* significare illibatam, castissimamque puellam: ideo enim Virgo appellatur *Halma*, abscondita, quoniam sub custodia servatur e virorum aspectibus segregate: quod constat ex lib. II. Machab. III. 19. atque ex 2. Regum XIII. 2. ubi de Amnone legitur: *Ita ut propter amorem ejus* (Thamaris) *ægrotaret, quia cum esset virgo, difficile ei videbatur, ut quippiam inhoneste ageret cum ea*. Cum ergo apud Hebræos adeo detineretur occlusa, ut difficulter ad ipsam viris pateret accessus; merito dicebatur עלמות, *Abscondita*. II. Cum in aliis divinæ Scripturæ locis *Halma* designet virginem incorruptam, ut liquet ex Gen. cap. XXIV. 16. & Exodi II. 8. ubi *Halmæ* appellantur Rebecca, & Maria soror Mosis, adhuc *incognitæ viris*, nec junctæ maritis; virgo quoque viro incognita designari debet citato textu Isaiæ. III. Demonstrat Buxtorfius in Lexico, & constat ex primo Regum XVII. 56. & XX. 22. עלם significare puerum cœlibem, & domi in parentum cura latitantem. Idem ergo de fœminino *Halma* dicendum est. IV. Tria tantum vocabula reperiuntur in lingua Hebræorum, quibus demonstrari possit mulier adolescentula, videlicet עלמה *Halma*, בתולה *Betula*, & נערה *Nahara*: at postreme duo non sunt propria nomina, quæ virginitatem significent; nam *Nahara* est nomen ætatis, & tribuitur etiam juveni conjugatæ; *Betula* autem est nomen mulieris innuptæ, sive adolescentula virgo sit, sive eui ætate provecta, aut juvenis vidua, ut constat ex Joelis I. 8. Igitur vocabulum solum *Halma* est illud proprium, quo denotatur adolescentula, & viro incognita. V. Constat hoc Esaiæ loco ad vocabulum *Halma* addi literam emphaticam ה demonstrantem singularam, ac spectabilem aliquam virginem. Inepte autem singularis, & inclyta diceretur aut fornicarie, aut adultera, aut a marito compressa. VI. Ut recte ait in hunc locum Hieronymus, non solum Judæi nequeunt ostendere hanc vocem *Halma* in Scripturis alicubi positam, ubi adolescentulam tantum designet, & non virginem; sed præterea virginem incorruptam significat ea vox lingua Punica, quæ de Hebræorum fontibus dicitur emanasse. Virginem quoque reddit Versio LXX. Chaldaica, Syriaca, & Arabica, nec repugnant in libro Radicum R. David Kimchi. VII. Denique Esaias loquitur de signo, ac prodigio, quod daturus erat

Dominus domui Israel mirabilius, quam petere potuisset incredulus Achaz *in profundum Inferni*, sive *in excelsum supra*. At quod concipiat mulier virili ex semine, nullum signum, nullum prodigium est. Non ergo de adolescentula ex semine viri concipiente locutus est Esaias. Atque hæc prima argumentatio urget præsertim Hebræos.

Altera depromitur ex novo Testamento; nam Matth. Cap. 1. 18. ait: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto:* proximoque versu 20. ita Angelus sponsum Virginis alloquitur: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Affert Evangelista versu 23. allatum supra Esaiæ vaticinium.

Plura sunt congmentiarum argumenta producta a Patribus, de quorum traditiona nulla exoritur dubitatio, ideoque necesse non est, ut illorum colligere studeamus testimonia. Irenæus itaque probat lib. III. adv. H. cap. 29. Christum non esse genitum ex semine Joseph, quoniam non fuisset præstantior Davide, aut Salomone, ex eadem seminatione generatus. Item non fuisset hæres regni Davidis, quia Joseph filius ostenditur Joakim, & Jechoniæ, quorum semini regnum Juda non esse repromissum probat ex Jeremia. Addit Irenæus cap. 31. desumptam ex creatione Adami comparationem, demonstrans, quod sicut Adam de rudi, & adhuc virgine terra plasmatus est, ita oportebat Dei Verbum *recapitulationem* Adæ in semetipsum faciens ejusdem generationis habere similitudinem, ut eadem esset plasmatio creata, & plasmatio redempta. Profert etiam similitudinem inter originem peccati, ac redemptionis, affirmans, quemadmodum angelus Satanæ virginem Evam seduxit, atque inde initia habuit humana perditio, ita a Virgine assentiente Angelo Dei nuncio incœptam hominum reparationem. Has, aliasque antitheses adducunt etiam Tertullianus libro de Carne Christi cap. 17., & posteriores PP. complures.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Opp. 1. Vaticinium Isaiæ nullo pacto de adolescentula virgine accipiendum est. Non ergo invicte probat Deiparæ integritatem. Prob. ant. nam vox *Halma* significat tantummodo mulierem absconditam, ut verterunt Aquila, & Symmachus. Eodem vocabulo Prov. XXX. 19. designatur scortum: ubi enim Vulgata habet, *Viam viri in adolescentia*, extat in hebraico בעלמה, *ad Halmam*: & versu proximo additur, *Talis est, & via mulieris adulteræ*. Halma itaque adulteræ comparata scortum est, non puella. Etiam Cantic. VI. 7. una cum uxoribus, & concubinis connumerantur עלמות, *Halma*, idest, adolescentulæ ad Regis voluptatem servatæ. Frustra itaque asseritur designari eo vocabulo non subactam viro mulierem.

Resp. nego ant. Ad probat. respondent aliqui Symmachum fuisse Ebionitam, Aquilam proselytum Judæorum; unde nil mirum, si reddiderunt pro *Halma*, [illegible], *abditam*, vel *absconditam*. Verum Symmachi, Aquilæ, necnon Theodotionis admissa Versione, nego virginem non dici propriissime *absconditam*, cum & virorum subtrahatur aspectibus, & *revelata non sit illius turpitudo*, qua phrasi explicat divina Scriptura viri cum muliere concubitum. In Proverb. XXX. בעלמה, significat *in adolescentia virginum*, & sensus est, perdifficile esse noscere quales futuri sint impuberes, qui sub parentum custodia delitescunt. Quid enim difficultatis præsefert viri ad scortum ingressus? Præterea haud recte appellatur *conclusa*, & *abdita* mulier faciens, utiam caute, sui copiam. Deinde gratis concedatur de corrupta adolescentula sermonem fieri in Proverbiis. Prænotatum supra, non potuisse apud Hebræos ob arctam custodiam viros accedere ad virgines, ideoque Amnonem usum consilio Jonadabi, ut opprimeret Thamarem. Notantur ergo in Proverbiis machinationes, & insidiæ scortatoris, ut ingrediatur etiam ad virginem intra paternas ædes absconditam. Quare quocunque sensu hunc locum accipias, semper *Halma* significat *adolescentulam virginem:* atque id multo expressius in VI. Canticorum. Ibi enim עלמות diserte separantur a reginis, & concubinis, ideoque significatur hoc nomine chorus puellarum, quæ nec maritis junctæ sint, nec turpiter viris subactæ. Ob hæc, & quæ supra attulimus, repetendum cum Hieronymo Comment. in cit. locum Isaiæ. *Ostendant Judæi in Scripturis alicubi positum Halma, ubi adolescentulam tantum, non virginem sonet: & concedimus eis illud quod in Isaia apud nos dicitur, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam*.

Opp. 2. Promittit Isaias signum Achaz, ut credat se liberandum fore a duobus Regibus, qui Jerusalem invaserant, Rasin rege Syriæ, & Phacee rege Israel. Atqui signum debet præcedere rem, quam promittit. Ergo signum, de quo Isaias loquitur, præcessit liberationem Jerusalem a duobus Regibus, neque ullatenus ad Christi conceptionem est referendum.

Resp. nego ma. Cum enim Achaz Deo diffisus, & incredulus, dum illum hortaretur Propheta ut peteret a Deo signum, respondisset, *Non petam, & non tentabo Dominum*; Isaias convertens ad omnes posteros Davidis sermonem ait: *Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molestis estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, &c.* His verbis arguit Propheta incredulitatem regis, quasi nollet etiam portentoso signo spem proximæ liberationis confirmare, & Isaias, quasi ariolus, vel nugator falso hujusmodi signum promitteret. Propterea inquit immerito hanc sibi injuriam molesta infidelitate irrogari, cum Dominus signum alterum, ac longe nobilioris reparationis sit domui Davidis præstiturus, ortum scilicet Emmanuelis ex Virgine. Atque iccirco hac reprehensione non *adjecit* Isaias *loqui ad Achaz*, sed ad domum Davidis, cujus semine procreata est Virgo genitrix Christi, sermonem dirigit. Falsa est etiam minor: nam dantur signa, quæ sunt completæ jam promissionis commemorationes, quale est illud Exodi III. 12., *Et hoc habebis signum quod miserim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum*.

Opp. 3. Signum, de quo loquitur Esaias, est filius ab ipso genitus ex uxore, quam sterilem opinabatur. cap. enim sequenti v. 3. ait: *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium*. Addit Barnabel prædictum ab Esaia filium ipsius regis Achaz, idest Ezechiam, aut forte alium ab ipso generatum ex incestu cum filia Achor, quam prægnantem esse ignorabat. De filio autem Mariæ non videtur locutus Propheta, quia nec appellatus est *Emmanuel*, nec de eo completum τὸ *Butyrum, & mel comedet*.

Resp. nullius filii ex virili concubitu procreari partum Esaiæ vaticinio portendi, cum prædicetur partus Virginis, partus Emmanuelis, partus divinæ promissionis signum singulare. Versus 3. cap. VIII. nequit de filio Isaiæ accipi, quoniam advocat testes sui ad Prophetissam accessus Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: & Urias quidem vixit regnante Achaz ex lib. IV. Reg. XIV. 11. Sed Zacharias filius Jojadæ, quem Barachiam esse tradit Hieronymus, trucidatus est, cum regnaret Joas, II. Paralip. XXIV. 21. Zacharias autem Propheta, qui & Barachiam patrem habuit, prophetabat circa an. M. 3485. annis post obitum Isaiæ fere tercentis. Nequeunt ergo hæc literaliter intelligi de ipso filio Esaiæ, nisi velis hic memorari Zachariam illum, de quo II. Paralip. XXVI. 5. Vix etiam percipi potest, quomodo auferenda essent spolia Samariæ, antequam puer, de quo Isaias, *vocaret patrem, & matrem*, si puer ille esset filius ipsius Isaiæ; cum Samaria eversa sit anno VI. Ezechiæ, IV. Regum XVIII. 10. & Propheta narret quæ contigerunt sub Achaz. Quare cogimur, ut in Prophetis reliquis, nonnulla de Christo, nonnulla vero de rebus olim gestis exponere, maxime quod hæ fuerunt symbola futurarum. Neque ullo pacto potest ad Ezechiam filium Achaz prophetia detorqueri; nam Ezechias jam decimum annum agebat, cum pater regnum obtinuit; quippe is *sedecim annis regnavit*, IV. Regum XVI. 2. & Ezechias vigintiquinque annorum erat, cum regnare cœpisset, IV. Regum XVIII. 2. Filius ergo, qui regnante Achaz prædicitur nasciturus, nequit esse Ezechias. Ceteras Barnabelis fabulas mittimus.

Mariæ Virginis filius recte dicitur *Emmanuel*, idest, *Nobiscum Deus*, cum, ea quo Verbum factum est caro, in nobis peculiari titulo Deus habitaverit. *Nomen* autem hoc loco, juxta consuetudinem divinarum Scripturarum, significat Christi attributa, ut dum legitur Lucæ 1. 32. *Filius Altissimi vocabitur*; & apud eumdem Isaiam IX. 6. *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*. Postrema verba, *Butyrum, & mel comedet*, mystice significant mansuetudinem, lenitatem, doctrinam, atque spiritualium donorum copiam, & ubertatem: literaliter autem demonstrant, puerum Jesum, etiamsi superveniente Spiritu sancto conceptum, & natum de Virgine, consueto tamen Hebræorum more fuisse educandum favis mellis, & lacte. Sic divini Verbi humilitatem admiratur Ecclesia:

Et lacte modico pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Oppones ultimo: Apostolus ad Galatas IV. 4. inquit: *Misit Deus filium suum factum ex muliere*. Significat autem *mulier* feminam a viro compressam: unde Cicero apud Quintilianum reprehensus quod senex duxisset virginem Publiolam ait: *Cras mulier erit*.

Resp. cum Tertulliano libro de Veland. Virginibus cap. 5. & 6. *Hujus vocabuli proprietatem ad sexum, non ad gradum sexus pertinere*. Et quidem Apostolus I. ad Corinthios XI. 5. & 6. indiscriminatim ait, *Omnis autem mulier velet caput suum*: & 1. ad Timoth. II. 9. *Similiter & mulieres in habitu ornato, &c.* Etiam Cicero pro Mur. promiscue ait: *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt*. Quare *mulier*, etiamsi aliquando *virgini* opponatur, feminam tantum, non eam, quæ viro subacta fuerit, designat.

PROPOSITIO II. Nullius sunt ponderis argumenta, quæ adversus perpetuam Deiparæ virginitatem audacter, & sacrilege proferebat Helvidius.

Saltem

Saltem post Christum natum Josephum virginitatem Mariæ delibasse, adstruere nefario ausu conabatur Helvidius sequentibus argumentationibus. Primo Matthæus, inquit, cap. I. 18. scribit: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Quomodo ergo nemo de non pransuro dicit, *Antequam pranderet*; ita nemo dicet de iis, qui convenire non debeant, *Antequam convenirent*. Sed respondet Hieronymus apparere in hoc priori argumento Helvidii imperitiam simul ac temeritatem: non enim si quis dixerit, Antequam in portu pranderem ad Africam navigavi, non potest stare sententia, si non in portu prandendum quandoque sit: aut si dicamus, Paulus Apostolus antequam ad Hispanias pergeret, Romæ in vincula conjectus est: aut certe illud, Helvidius antequam pœnitentiam ageret, morte præventus est; statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum; aut Helvidio pœnitentia agenda post mortem. Erasmus hoc addit exemplum, si dicat aliquis, Judices de caussa pronunciasse priusquam caussam cognoscerent, non hoc sentit, judices cognovisse caussam postquam tulerint sententiam: quod exemplum una cum aliis depromptis ex Virgilio, Cicerone, & Thucydide produxerat Laurentius Valla. At nos allatis a Hieronymo contenti erimus reponentes cum eodem in Comment. Mat. *Quod autem dicitur, Antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint: sed Scriptura quod factum non sit, ostendit*.

Alterum argumentum petitur ab Helvidio ex proximo v. 25. ejusdem cap. I. Mat. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Ubi particula *donec* videtur demonstrare Mariam post partum primogeniti alios ex maritali complexu filios genuisse: quod comprobat ipsa *Primogeniti* ratio dicens ordinem ad alios post primum genitos. At respondet primum Hieronymus posse verbum *cognoscere* ad scientiam, non ad actum conjugii referri, uti Lucæ II. 43. *Et non cognoverunt parentes ejus*. De alia utique cognitione a maritali congressu exponunt hunc locum Epiphanius H. 78. quæ est Antidicomarianitarum, & alii. At de cognitione carnali, sive maritali complexu loqui Evangelistam fatemur, propterea quod Hebræorum locutione ad linguas ceteras derivata *cognoscere* notat experimentalem tori consuetudinem, ut Gen. IV. I. XIX. 5. Num. XXXI. 17. Regum tertio I. 4. &c. Ita Horatius appellat puellam *Ignaram mariti*, & Plutarchus in Alex. *Alium*, inquit, *mulierem non cognoscebat*. Verum particula *donec* negat tantum cognitionem ante partum, nihil definiens de tempore posteriori. Affert Hieronymus apertissimum illud exemplum Isaiæ 46. 4. *Usque ad senectam ego ipse*. Et Matth. XXVIII. 20. *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Consimile est exemplum II. Regum VI. 23. *Michol filia Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*: Psalmo CIX. I. & Matt. v. 19. de quibus alibi. Cur dicatur Christus Primogenitus explicatum est Tom. I. pag. 192. Addam ingeniosam Hieronymi observationem. Præcipitur Num. XVIII. 15., ut pro hominis primogenito offeratur post unum mensem siclus argenteus. Si primogenitus ille tantum diceretur, post quem alii filii nascuntur, *non omne masculinum quod aperit vulvam*; potuisset quilibet Genitor petentibus siclum respondere: *Quid me unius mensis constringis articulo? Expecta donec nascatur secundus. Nihil debeo Sacerdoti, nisi & ille fuerit procreatus, per quem is, qui ante natus est, incipiat esse primogenitus*. Hæc Hieronymus. Epiphanius H. 78. observat consulto Evangelistam dixisse *filium suum primogenitum*, non vero *filium primogenitum suum*; ut scilicet intelligamus dici Christum *primogenitum* dignitate respectu *omnis creaturæ*, ut inquit Apostolus ad Colos. I. 15. non generatione, nec respectu fratrum, quos Virgo pepererit.

Tertium argumentum Helvidii petitur ex locis ubi fratres Christi commemorantur, ut Matth. XIII. 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon & Judas?* Similia occurrunt apud Marcum VI. 3. Vide & Matt. XII. 46. Marc. III. 31. & Joannis II. 12. At respondet Hieronymus *fratres* Domini appellari consobrinos ratione propinquitatis: cum Scriptura soleat fratres dicere *natura* quales fuerunt Esau, & Jacob: *gente*, quales ad Rom. IX. 3. appellantur omnes Israelitæ: *cognatione*, ut vocantur Genes. XIII. 8. Abraham, & Lot, & XXIX. Laban, & Jacob: & denique *affectu*; quo sensu ab Apostolo I. ad Corinth. v. II. omnes fideles dicuntur fratres. Eadem est sententia Augustini libro XXII. contra Faustum c. 35. Atque potest ex ipsa Scriptura demonstrari. Etenim inter fratres Domini commemoratur etiam Jacobus, de quo D. Paulus ad Galat. I. 19. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. At liquet ex cap. X. Matth. 3. inter Christi Apostolos duos Jacobi nomine fuisse appellatos, quorum unus dicitur ibidem filius Zebedæi, & frater Joannis, alter filius Alphæi. Habemus itaque fratrem Domini, qui non fuit de Josephi progenie. Verum tamen est, quod Patres aliqui scripserunt fratres Domini esse filios Joseph ex alia uxore generatos, ut scribit citato loco Epiphanius, necnon alii apud Vossium Dissert. de Gen. Jesu Christi cap. 6. & Serry Exercit. de Christo XL. His tamen non assentior. Connumerant enim inter filios Joseph quatuor, quos Matthæus, ac Marcus describunt citatis locis, & quorum primus est Jacobus. Atqui Jacobus, ut dictum est modo, filius fuit Alphæi, quem esse Josephum nulla ratione poterit demonstrari. Matrem hujus Jacobi haud obscure colligimus esse Mariam Cleophæ filiam, & uxorem Alphæi: nam inter Mulieres, quæ patienti Christo adfuerunt, Marcus XV. 40. tres distincte commemorat his verbis: *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome*. Matthæus autem ait Cap. XXVII. 56. *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joseph mater, & mater filiorum Zebedæi*. Joannes vero cap. XIX. 25. *Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene*. Ex quorum collatione deducitur Mariam filiam Cleophæ esse matrem Jacobi minoris, & uxorem Alphæi; & Mariam Salome esse matrem alterius Jacobi, & Joannis, atque uxorem Zebedæi: ideoque Deiparam fuisse Jacobi minoris, non novercam, ut quidam dixerunt, sed matertaram. Potest commode in hac sententia propugnari etiam perpetua virginitas Josephi, quam tenet pia Fidelium devotio, quamquam firmari plenissime Traditione possit. Nemo autem miretur me dixisse matrem Jacobi Mariam filiam Cleophæ, non uxorem. Quamquam enim nonnulli sic dictam putant a marito, atque ita etiam sentiant Theodoretus in cap. I. ad Galatas; Hieronymus contra Helvidium sic nominatam censet, *sive a Patre, sive a Gentilitate familiæ*; in eamque sententiam præter auctoritatem Hieronymi tria me trahunt: primum, quod liquet ex c. X. Matth. fuisse hanc Mariam uxorem Alphæi: alterum, quod versio Arabica Joan. XIX. 25. diserte habet *Filia Cleophæ*: tertium quia tollitur hac sententia omne personarum discrimen. Sed hactenus contra Helvidium: cujus sententiam, ut Photius appellat, irreligiosam, & impiam quidam derivatam arbitrantur ab Apollinari Laodiceno, & traditam etiam ab Eunomio, ex Ecclesiastica Philostorgii Historia a Photio in compendium redacta.

COROLLARIUM.

Infertur ex dictis Josephum non esse Christi patrem, nisi hominum existimatione, ut inquit Lucas III. 23. *ut putabatur Filius Joseph*. Et Hieronymus laudato adversus Helvidium libro: *Evangelistæ Patrem Joseph dicunt; non quod vere pater Joseph fuerit Salvatoris; sed quod ad famam Mariæ conservandam pater sit ab omnibus existimatus*. Speciali etiam titulo appellatus est *Pater Christi*, ut docet Augustinus lib. II. de Consensu Evang. cap. I. *ipsa copulatione conjugii*, nimirum, *quia ex ejus conjuge natus est*. Sed quod aliqui dicunt esse filium verum ac proprium, quoniam natus, & procreatus est *in fundo* Joseph, idest, in virginali corpore, in quod ille habebat jure conjugii potestatem, mihi quidem non probatur; quoniam jus aliquam infert proprietatem Domini, & Hæredis, at non Genitoris, ac Patris. Fuit ergo hoc titulo Christus specialiter filius Josephi, atque multo conjunctior, quam si ab eo esset aliunde adoptatus: at non verus, ac proprius.

CAPUT II.

Fuisse in Christo veram carnem, eamque non de cælo delapsam, sed in virginali Mariæ utero procreatam.

NUNC profliganda venit altera adversus Christi conceptionem Valentini, Basilidis, & Marcionis portentosa hæresis, nullum Christo attribuens corpus, nisi phantasticum: in quem errorem prolapsi sunt etiam Manichæi, refutati ab Augustino in libro de Fide contra Manich. c. 32. & lib. XXVI. contra Faustum, atque aliis in locis.

PROPOSITIO I. Divinum Verbum veram, & corpoream assumpsit carnem.

Demonstratur I. ex Scripturis. Nam Joan. I. 14. legitur: *Et Verbum caro factum est*; atque in Ep. ejusdem Joannis I. cap. IV. 2. *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est, &c.* Huc spectant loca, quæ asserunt Christum natum, passum, mortuum, ac redivivum. Item ea, quibus constat discipulos aliquando opinantes Christum esse phantasma, ab ipso, qui falli non potest, nec fallere, fuisse reprehensos, atque etiam manducatione, corporisque contactu factos fuisse de veritate carnis certiores, ut Mat. XIV. 26. Lucæ XXIV. 39. & Joannis XX. 27. Idem probant ea omnia, quibus narrantur patrata a Christo humana, & corporalia opera; in quibus non potuit affectus nostros simulare, cum mentiri non possit.

Complura argumenta urget adversus Marcionem, & ceteros Phantasiastas Tertullianus: eaque collegit, notisque illustravit noster Moreau Tom. 2. titulo *Christi caro*, Scholiis XIII. Præcipua hæc sunt. I. Deducitur a Tertulliano lib. De Carne Christi, ex ejus passione, quam prænuntiarunt Isaias LIII. 4. completam vero Evangelica narrat historia. Nam, *Tacentibus*, inquit Tertullianus c. 9. *apud nos quoque Prophetis de ignobili adspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur: passiones*

quidem

quidem humanam carnem, contumelia inhonestam. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum? Sputaminibus contaminare faciem nisi mœrentem? Quid dicis cœlestem carnem, quam unde cœlestem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoscas, habes? Esurit sub diabolo, sitivit sub Samaritide, lacrymatur est super Lazarum, trepidavit ad mortem; Caro enim, inquit, infirma: sanguinem fudit postremo. II. Promitur lib. IV. contra Marcionem cap. VIII. ex corporis attactu, quod Christus Lucæ IV. 40. omnes infirmos curaret *singulis manus imponens*, utique, ait Tertullianus, *sentiendas*. Et cap. ejusdem Operis 20. affert curationem mulieris a fluxu sanguinis, ex contactu fimbriæ vestimenti Salvatoris; de qua idem Lucas XIII. 44. demonstratque vestimentum corpori, non phantasmati adjacere, ideoque si verum fuit vestimentum, verum quoque fuit *inditum corpus*. Addit citato cap. 8. ex eodem Luca IV. 29. non solum Christi corpus admisisse contactum, sed contactum violentum, ac plenum, dum Christus *detentus, & captus ad præcipitium usque protractus est*; afferens quoque Lucretii sententiam,

Tangere enim, & tangi, nisi corpus, nulla potest res:

atque acute observat, nunquam Christum Judæorum manus evasisse, eos per caliginem eludens, sed sedato tumultu, & *transiens per medium illorum*, ut eo loci scribit Evangelista. III. Eodem adversus Marcionem libro, cap. 43. veritatem corporis Christi demonstrat, ex quo hæsitantibus discipulis, & phantasma illum credentibus Luc. XXIV. 39. Dominus dixerit: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Redarguitque Marcionem hunc locum interpretantem, quasi dictum sit, *sicut me videtis non habentem ossa, sicut spiritus*, dicens: *Cur autem inspectui eorum manus & pedes suos offert, quæ membra ex ossibus constant, si ossa non habebat? Cur adjecit, & scitote quia ego sum, quem scilicet corporeum retro noverant? Aut si phantasma erat usquequaque, cur illos phantasma credentes increpabat? At quum adhuc eis non credentibus propterea cibum desideravit, ut se ostenderet etiam dentes habere*. Utitur consimili argumento Augustinus serm. lxxv., alias XXI. de diversis cap. 7. IV. Ingeniosa est argumentatio, quam Tertullianus nectit ex verbo *Exspiravit*, quo Lucas XXIII. 46. mortem indicat Salvatoris. Vel enim exspiravit caro spiritum, & caro utique fuit: vel si caro non fuit, sed phantasma carnis, cum phantasma nihil sit aliud, quam corpus umbratile confictum a spiritu; dum ipse spiritus exspirando discessit, necesse est, ut discederet etiam phantasma. *Nihil ergo*, inquit lib. IV. citato, cap. 42. *remansit in ligno: nihil pependit post exspirationem: nihil de Pilato postulatum: nihil de patibulo detractum: nihil sindone involutum: nihil sepulcro novo conditum. Atqui non nihil. Quid igitur illud erat? Si phantasma, adhuc ergo inerat & Christus. Si discesserat Christus, ergo abstulerat phantasma. Superest impudentia heretica dicere phantasma illic phantasmatis remansisse*. V. Postremo ratiocinatur Tertullianus in libro de Carne Christi cap. 16. ex verbis Apostoli ad Rom. VIII. 3. *De peccato damnavit peccatum carne*, quoniam nisi caro illa fuisset in Christo, cujus natura est in homine peccatrix, non recte diceretur peccatum in ipsa carne evacuatum. *Quid enim*, inquit Tertullianus, *magnum, si in carne meliore, & alterius, idest non peccatricis naturæ nævum peccati redemit?* Itaque caro Christi confossa vulneribus, condita tumulo, tentata contactu, atque in fine assumpta, ut de peccato damnaretur peccatum, fuit caro vera & extensa, non autem phantastica ac spiritalis.

Hæc sane argumenta excuti nequeunt cavillis Phantasiastarum reponentium sacras literas, quas egregie tractat Tertullianus, exhibere duntaxat corpus apparens, in quo Christus humanos affectus simulando omnia specie tenus patraverit. Enimvero ne dicta repetamus, si fictum fuit corpus Christi apparentia mortuus est, nec vere resurrexit, nec genus humanum redemit: corruitque fides ac spes Christiana. Fuisset etiam Christus fallax mortis, & resurrectionis suæ prænuntiator, injustus discipulorum reprehensor, atque mendax, hominumque seductor. Si quis vero hæc ausus fuerit cogitare, ei respondebimus, quæ scribit Augustinus adversus Faustum pariter delirantem, lib. XXVI. cap. 8. *Homo pessime ac fallacissime, quomodo tibi ego credam, quasi vera dicenti, cum Christum dicas mortem potuisse mentiri? Ergo ille mentiebatur, quando dicebat, Oportet filium hominis occidi, & tertia die resurgere: & tu non mentiris, & dicis, ut tibi vera dicenti credamus? Veracior ergo Petrus, quando ei dixit, Absit Domine, non fiet istud; & unde meruit audire, Redi retro satanas? Et ille quidem non hoc infructuose audivit, qui eam postea veritate mortis Christi usque ad suam mortem correctus, perfectusque prædicavit. Verum si ille, quia tantum putavit Christum non moriturum, audire meruit, Satanas: tu quid mereris audire, qui non solum negas mortuum, sed etiam dicis mortem fuisse mentitum? Sed ideo, inquis, mortem quoque simulasse credendus est, quia omnes humanæ conditionis simulavit affectus. Quis enim tibi hoc contra Evangelium concessurus est, quod omnes humanæ conditionis simulavit affectus? Prorsus dixit Evangelista, Dormivit Jesus: dixit, Esurivit, contristatus est, exhilaratus est, & si qua talia omnia vera sunt, quæ ita narrata sunt, ut non eum simulasse, sed plane fecisse, vel exhibuisse conscripta sint, &c.*

PROPOSITIO II. Dei Filius humanum corpus non aliunde, sed materna traxit ex carne.

Confirmat hæc propositio præcedentem: si enim Christus ex Virgine natus est, traxitque ex semine David originem, consequitur verum illi fuisse corpus, cujus Genitrix materiam subministraverit. Itaque propositio hæc probatur ex cap. I. Matthæi, in quo contexitur Salvatoris genealogia usque ad Joseph virum Mariæ: *De qua*, inquit Evangelista v. 16., *natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Respondebant Hæretici hanc Genealogiam scriptam non fuisse a Matthæo: sed illorum temeritatem ita revincit Augustinus lib. XXVIII. contra Faustum cap. 2. *Cum cœpero Matthæi Evangelium recitare, ubi narratio nativitatis ejus tota contexitur, continuo dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse dicit universa Ecclesia ab Apostolicis sedibus usque ad præsentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichæi, ubi Jesus negatur esse natus ex Virgine. Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per discipulos ejus certa successione præpositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus atque perductus est: sic & istum librum crede esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vivit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit. Et dic mihi cui libro potius credere debeamus, ejusne Apostoli, qui Christo, cum adhuc in terra esset, adhæserat, an nescio cui Persæ, qui tanto post natus est?* Adde non Matthæum solum scribere Christum ex Virgine natum, sed & Lucam I. 35. referentem verba Gabrielis Angeli, *Quod nascetur ex te sanctum*: nec non Apostolum scribentem ad Rom. I. 2. *Factus est ei ex semine David secundum carnem*: & ad Galatas IV. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. Idem confirmat ea Christi appellatio *Filius hominis*, tam in Evangeliis frequens: non enim vere Christus filius hominis diceretur, *nisi originem haberet ex homine*, inquit lib. IV. in Lucam cap. 49. Venerabilis Beda. Vide etiam quæ de vaticinio Isaiæ VII. 14. dicta sunt capite præcedenti.

OBJECTA DILUUNTUR.

Phantasiastæ opponunt I. Verbum nonnisi specie tenus humanum corpus gestasse Scriptura ac ratio demonstrat. Scriptura quidam scribente ad Philipp. Apostolo II. 7. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo*. Atque ad Rom. VIII. 3. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*. Accedit quod I. ad Corinth. XV. 50. *Caro* damnatur his verbis: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*: & denique idem Apostolus 2. ad Corinth. V. 16. ait, *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*. Ratio autem multiplex afferri potest: ac primo, quod videatur Deo indignum humanam carnem induere, ac sese filiorum Adæ subjicere conditioni: tum quod absurdum sit putare Unigenitum Dei factum Angelicis spiritibus deteriorem: insuper quod assumptio carnis nequeat percipi absque adsumentis mutatione, cum tamen nulla mutatio possit in Deo excogitari. Accedunt his experimenta; cum enim corpus, Philosophorum sententia, sit natura sua extensum, ideoque impenetrabile ac solidum: corpus Christi, quod creditur in lucem editum non fracto virginali secreto, necnon ad vitam clauso monumento rediisse, ingressum januis clausis ad Apostolos, evanuisse ab eorum adspectu, gradiens super undas, in aera sublatum, neque ab hostibus, nunquam nisi quando ei placuit, deprehensum, hoc, inquam, corpus fuit diversæ a nostro naturæ.

Resp. Pauli ad Philippenses sensum esse, quod etiamsi Christus *in forma Dei* esset, ac posset gloriosam ducere vitam; cum tamen in mundum advenerit ad homines sanguine suo redimendos, dignatus est tamquam servum se gerere, & singulari obedientiæ exemplo humiliare *semetipsum usque ad mortem crucis*, ita, ut exteriori vitæ conversatione haberetur, sicut ceteri hominum, quamquam esset longe præstantior, nec mortis necessitati subjectus. Hortatur enim eo loci Apostolus, ut exemplo Christi nihil per contentionem & inanem gloriam operemur. Itaque quod Paulus ait, *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, non ad carnis substantiam, sed ad vitæ consuetudinem, & vulgarem de Christo existimationem est referendum. Habes hujus phraseos exempla Judicum XVI. 7. in Psalm. lxxxI. 7. Etsi autem hæc responsio videtur mihi plana, ac certa; eas, quas alii tradunt, non prætermittam. Ac Tertullianus adversus Marcionem scribit Filium Dei factum in similitudinem hominum ratione conceptionis; quoniam probatur quidem filius Joseph, sed per Spiritum sanctum absque virili semine generatus

tus

tus est. Ambrosius autem, cui permulti subscribunt, *habitum ac similitudinem*, pro ipsa naturæ humanæ substantia interpretatur, scribens Epist. 46. ad Sabinum: *Nec sibi blandiatur virus Apollinaris, quia ita legitur, Et specie inventus ut homo. Non enim negatus est homo Jesus; cum alibi ipse Paulus de eo dicat, Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus; sed confirmatus est. Id enim est usus & moris Scripturæ sic significare. Sicut & in Evangelio legimus: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. Sicut ergo quasi unigenitus Dei filius, ita quasi homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur.* In Epistola autem ad Romanos dicitur Christus factus in similitudinem carnis peccati, quia ejus caro non erat caro peccati, non enim de tradnce mortalitatis in Mariam per masculum venerat; quare cum mortuus sit, & de peccato sit mors, *habuit carnem non peccatricem, sed tamen similitudinem gerentem peccati*, inquit lib. contra Adim. cap. xxi. Augustinus. Recte ab eodem Augustino exponitur alter Apostoli textus ex priori ad Corinth., de vera Relig. cap. 12. ubi ait: *Per peccatum vita hominis carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam terra & caro nominatur: & quandiu ita est, regnum Dei non possidebit.* Ita *caro* accipitur Genes. vi. 3. 12. Ps. lv. 5. & alibi. Præterea cum ibidem Apostolus loquatur de corpore resurgentium, per *carnem & sanguinem* intelligit corpus fragile ac fluidum, ut demonstrat idem Augustinus contra Adimantum cap. xii. In altera demum ad Corinthios docet Apostolus neminem existimandum esse *secundum carnem*, idest, secundum præsentem mortalium conditionem, quemadmodum Christus, qui exinanitionis tempore videbatur *despectus & novissimus virorum*, nunc gloria & honore coronatus est: ac simul admonet non habendam esse rationem consanguinitatis, cum simus in Christo *nova creatura*, neque illius sint hæredes, qui ei fuerunt carnali propinquitate conjuncti, sed qui novitate spiritus regenerantur. Accipitur ergo *cognoscere*, ut sola lectione liquet, pro *existimare*: quemadmodum Exodi i. 8. Prov. xxix. 7. Joan. x. 27. & in priori ad Corinth. viii. 3.

Rationes a Phantasiastis productæ nil prorsus probant. Ad primam namque dicimus non esse indignum Deo induere, quod manibus suis plasmavit, absque contagione peccati. *Si enim visibilia munda a visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari, quanto magis invisibilis & incommutabilis Veritas per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens tota homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberavit?* inquit Augustinus de Agone Christiano cap. 18. Addit indigne & abjecta sentire potius de Christo Manichæos ipsos, ac Marcionitas; quoniam veritas mendacio inquinari potest, non carne: quod etiam animadvertit Tertullianus lib. contra Marcionem iii. Cap. 7. Altera ratio exploditur, quoniam revera Filius Dei secundum assumptam humanitatem *paullo minus ab Angelis minoratus est*, ut inquit Psalm. viii. 6. sed nulla hinc Dei filio contumelia, quia hæc assumptio non est in ipso necessitas conditionis, sed præconium humilitatis, qua consuluit humano generi, & nos propriæ gloriæ fecit consortes, non depressa divina natura per copulationem humanæ, sed exaltata natura humana per consortium divinæ. Ad tertiam rationem, quoniam eam solvimus præcedenti libro cap. xi., nunc cum Tertulliano de Carne Christi cap. 3. reponimus ea tantum mutari & in aliam naturam converti, quæ dum uniuntur aut non permanendo pereunt, aut perfectionem, qua carebant, recipiunt. At Christus, ut etiam docet Augustinus lib. ii. de Actis cum Fel. Manich. cap. 19. *assumpsit humanitatem, non amisit divinitatem: neque in carne ipse deterior factus, sed caro in illo melior facta est.*

Experimenta philosophicis argumentationibus confirmata principio in Phantasiastas retorquentur; quippe si corpus est, quod extensionem habet, loco continetur, palpatur, ac tangitur; quomodo non est verum Christi corpus, pannis indutum, reclinatum in præsepio, funibus colligatum, flagellis cæsum, clavis confixum, lancea vulneratum, sindone involutum, sepulcro reconditum, & discipulorum manibus contrectatum? Prodigia vero enarrata habent in omni Philosophorum sententia facilem solutionem. Respondebit Peripateticus, cum gravitatem, tum penetrabilitatem corporum, imo extensionem ipsam localem, esse proprietates, quæ tolli divinitus possint, aut impediri. Qui in dimensione statuunt naturam corporis, dicent non esse arduum divinæ omnipotentiæ illam extendere, aut constringere. Contendent aliqui nutu Dei transferri, etiam non tactu medio, quodlibet corpus de una in aliam viciniam: verum hæc ad Philosophos.

Opp. 2. Nullum est argumentum ad probandum carnis Christi veritatem, quod ut homo apparuerit, atque se tractandum exhibuerit Apostolis. Primo enim indubitatum est, aut ipsum Dei Filium, aut Angelos in veteri Testamento hominibus apparuisse, cum tamen nullum verum corpus haberent, aut saltem non proprium. Deinde sentiunt complures, quod possint spiritus præstare effecta similia corporibus per solam circumstantis aeris motionem, ut explicavimus libro x. cap. 14. Insuper, si placeat Christo aliquando carnem adhæsisse, possumus negare fuisse ei propriam, ac natam, ut de specie columbæ, in qua Spiritus sanctus apparuit, scribit cap. 22. de Agone Christiano Augustinus. Postremo cur non dicamus cum Basilide apud Epiph. H. 24. & Mahumete Az. 6. non Christi corpus in ligno suspensum, sed Simonem Cyrenæum, aut Judam apostatam, sive cum Manichæis fuisse crucifixum, non Christum, sed diabolum, ideoque perire argumenta fere omnia, quæ ex Tertulliano & Augustino collegimus?

Resp. ad 1. cum Augustino libro xxix. contra Faustum cap. 4. potuisse quidem Dei filium loqui & apparere hominibus, quamvis in carne non natum, sed noluisse. *Hoc autem eum voluisse ideo certum est, quia hoc fecit: hoc vero eum fecisse ideo non dubitamus, quia non cuiquam heretico, sed ejus Evangelio credimus.* Retorquemus etiam argumentum; quoniam corpora, in quibus, sive Dei filius, sive Angeli olim apparuerunt, etsi assumpta, non nata, vera ac solide fuisse tradunt quamplurimi. Etiam reponimus demonstrasse ipsos Angelos se aeria, & subtilia gestare corpora affirmantes uti se tantum cibo invisibili, ut Raphael ait Tobiæ xii. 19. cum Christus se verum hominem exhibuerit. Atque ad secundum dicimus admissa ea Philosophorum sententia, secerni imaginariam spiritus apparitionem a vera, quod in illa corpus phantasticum non videtur indifferenter ab omnibus, sed ab iis tantum, in quibus radiorum flexione imaginaria visio excitatur: ideoque in veris corporibus apparuisse tam Angelos, qui a tota Abrahami, Lot, et Tobiæ familia eodem sensu videbantur, quam Christum, quem omnes conspexerunt, tetigerunt, palparunt, affectum eadem oris forma, eadem extensione membrorum, eademque corporis soliditate: atque hunc maxime, qui, cum *veritas* sit, contestatus est se hominem esse, non spiritum: quod de nullo angelorum divina tradunt eloquia. Ad tertium responderi posset Spiritum sanctum non assumpsisse verum corpus columbæ, sed speciem, atque figuram, ut scribunt Chrysostomus Hom. xii. in Matth. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5., ac dubitare videtur Augustinus in iv. de Trinit. cap. 21. Neque eadem est ratio de Christo, quoniam de Spiritu sancto inquit Joan. cap. 1. 32. *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam*, de Christo autem versu 14. *Verbum caro factum est*. Est autem versu 32. in Græco particula ὡσεὶ, *quasi*, ambiguæ significationis, ac versu 14. particula ὡ, *quasi*, ut appellant, ἀφοριστικὸν *definiens*. Verum dato, quod Spiritus sanctus in vera Columba apparuerit; cum Augustino eodem cap. 22. de Agone Chr. argumentum retorqueo, quia *sicut non oportebat, ut homines falleret filius Dei, sic etiam non oportebat, ut falleret Spiritus sanctus.* Quare utrunque assumpsisse verum corpus docet S. Thomas iii. p. art. 7. q. 39. & Doctores Scholastici communiter in dist. xiii. Libri primi. Quærenti autem, cur Christi corpus proprium, ac natum sit, & corpus columbæ assumptum tantummodo a Spiritu, respondet ibidem Augustinus citato capite xxii. de Ag. Chr., *Quia non columbos liberare venerat Spiritus sanctus, sed hominibus significare innocentiam, & amorem spiritalem, quod in columbæ specie visibiliter figuratum est.*

Crucifixum aut Simonem Cyrenæum, aut Judam, aut Diabolum, affirmare non possumus, quoniam illorum nemo est hominum Redemptor, ac Mediator, neque talem perpessos mortem Scriptura testatur. Antequam Simon tolleret crucem ejus, jam per urbem illam detulerat Christus, & jam incesserat flagellis cæsus, portansque spineam coronam. Frustra itaque fingitur crucifixus Cyrenæus, ne Filius Dei afficeretur ludibrio. Judas laqueo suspendit se, ut legimus Matth. xxvii. 4. & Act. Apost. 1. 18. Manichæis denique dicentibus crucifixum principem tenebrarum respondet Augustinus de Fide cap. 33. *Miseri! non timetis ut dicatur vobis in judicio: Ego vos liberavi, pro quibus passus sum. Ite: ille vos liberet, cui meas adscribitis passiones!* At refutatur insignis error ipso signo Crucis, quo dæmon perterritus fugatur, atque confessione Martyrum, quorum vulnera dicuntur stigmata Christi, non diaboli.

Opp. 3. Ut demus Christo fuisse corpus aliquod, quod tamquam aqua per tubum, transierit per uterum Virginis, atque dici possit *in ea natum*, quemadmodum ait Angelus Josephum alloquens Matth. 1. 20. nulla ratione possumus affirmare fuisse hoc corpus ex Virgine procreatum. Enim vero negat ipse Christus Mariam esse matrem suam: nam ipsa interpellante, ut aquam in vinum verteret, tamquam feminæ nullo sibi carnis vinculo conjunctæ respondit, *Quid mihi, & tibi est mulier?* Joannis ii. 4. Cuidam ei dicenti, quod a Matre, ac fratribus suis inquireretur, inquit, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Mat. xii. 48. Exclamante insuper pia muliere, *Beatus venter, qui te portavit*, inquit, *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, &c.* Lucæ 11. 28. Ac demum in cruce moriturus stantem Virginem ita uit allocutus, *Mulier, ecce filius tuus*; Joannis xix. 26. Negat igitur Dominus se a Maria Virgine generatum.

Resp. perperam hæc e Manichæis objici ad probandum Christum ex Virgine incarnatum non esse, *& ex ea factum*,

ctum, & natum, uti expressum est in Scripturis paullo supra productis. Ad hæc vero, quæ opponunt, sit prior, ac generalis responsio tradita ab Augustino de Fide contra Manichæos cap. 23. aliquando Christum non appellasse Virginem nomine matris, *Quia exempla suo docebat negandos esse terrenos parentes propter Deum. Opera enim divina facienti terrenos affectus obstrepere non debebant*. Deinde ad singula respondemus. Atque ad 1. dicimus Joannem eodem cap. 2. v. 1. 3. & 5. scribere Mariam fuisse Christi matrem. *Erat*, inquit, *mater Jesu ibi: Dicit mater Jesu ad eum: Dicit mater ejus ministris*. Itaque Manichæus *caveat ne cogatur credere Evangelistam fuisse mentitum, quia ait, Erat ibi mater Jesu: aut ipsum Christum falsa morte passum propter delicta nostra, & falsas cicatrices ostendisse propter justificationem nostram. Si enim falsa mater; falsa caro, falsa mors, falsa vulnera passionis, falsæ cicatrices resurrectionis*: ait Augustinus Tract. VIII. in Joan. num. 7. Respondet præterea idem S. Pater seq. num. 9. *Dominus Jesus Christus, & Deus erat, & homo: secundum quod Deus erat, matrem non habebat; secundum quod homo erat, habebat. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem*. Quod profertur ex cap. XII. Matth. ita egregie refellitur a Tertulliano de Carne Ch. cap. 7. *Oro te, Apelles, vel tu Marcion, si forte tabula ludens, vel de histrionibus, aut aurigis contendens, tali nuntio avocareris, nonne dixisses, quæ mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans, & probans Christus, legem & prophetas adimplens, tanti retro ævi caliginem dispergens indigne usus est hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere revocantium?* Solvit idem Tertullianus quod objicitur ex cap. XI. Lucæ dicens in 4. contra Marcionem, Christum *felicitatem ab utero, & uberibus matris suæ transtulisse in discipulos*: idque explicans magis Augustinus Tract. X. in Joan. num. 3. ita Christi verba interpretatur: *Mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodit: non quia in illa Verbum caro factum est; sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, & quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu junguntur Deo*. Ultimum petitum ex cap. XIX. Joannis in adversarios retorquetur, tum quia ibidem v. 25. & 26. Evangelista demonstrat Mariam fuisse Christi matrem, dicens: *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus: Cum vidisset ergo Jesus matrem*; tum etiam, quia Christus Virginem Joanni commendans agnovit *matrem moriturus, de qua fuerat mortaliter natus*, ut recte S. Pater Tract. CXIX. in Joannem; quia *humana patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano*.

Opp. 4. Habuisse Christum cæleste, atque æthereum corpus affirmat Apostolus in prima ad Corinth. cap. XV. 47. his verbis: *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis*. Ut ergo corpus Adæ fuit terrenum, atque, ut appellat Tertullianus lib. V. contra Marcionem, *limaceum*: ita corpus Christi fuit spiritale, ac sidereum. Neque enim referri debent Apostoli verba ad corpus resurgentium, cum loqui ipsum de solo corpore Christi demonstrent Græci codices, qui habent, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *Secundus homo Dominus de cælo*.

Resp. revera Apostolum accipiendum de resurrectione, *in qua cælestis* homo erit, non quia corpus, quod de terra factum est, *non ipsum erit, sed quia dono cælesti jam tale erit, ut etiam cælo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conveniat*. Ita S. Pater lib. XIII. de Civit. Dei cap. 23. Hanc esse verissimam responsionem idem Augustinus demonstrat lib. XI. contra Faustum cap. 3. ex quo Apostolus præmittat v. 44. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Verborum ergo, quæ objiciuntur, sensus est, primum homines habere corpus *animale*, ac morti obnoxium ob generationem ex Adam; at post resurrectionem corpus spiritale, & incorruptione donatum propter regenerationem in Christo. Quod attinet ad Græcam versionem respondet Bellarminus lib. II. cap. 27. fuisse a Marcione corruptam, quod probat etiam ex quinto adversus hunc hæreticum Tertulliani libro. Ægre hæc excipiunt hæretici, qui Græcum novi Testamenti Codicem Latino præferunt. Et tamen Erasmus ille, cujus judicium tanti faciunt, putat verbum κύριος *adscriptum a studioso*, probatque ex verborum antithesi lectionem Vulgatæ magis videri germanam. Idem censet cum aliis multis Vatablus. Ego minimum puto inter utramque lectionem, Græcam, & Latinam interesse discrimen: nec fortasse Marcion textum corrupit, cum similiter habeat Syriaca, & Arabica: quare idem est *secundus Adam*, ac *Dominus*, cujus imaginem portabit justus in corpore incorruptibili. Neque hinc consequitur corpus Christi fuisse cæleste; quoniam Apostolus loquutus est de Christo post resurrectionem, quam antea diserte proponit dicens: *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Christus mortuus est secundum Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit secundum Scripturas*. Vide Augustinum citato libro XI. contra Faustum cap. 3. Tandem affirmo Christum dici hominem cælestem, *quia Filius Dei de cælo venit ad carnem, qua suscepta, & homo exterius fieret, & Deus interius permaneret*: atque ita idem Augustinus libro adversus Faustum 11. cap. 4. Hanc postremam responsionem confirmo ea ipsa, quæ opponitur, lectione Græca; nam hæc, ubi legit Vulgata *cælestis*, habet tantummodo ἐξ οὐρανοῦ, *de cælo*, non refragante Syro, & Arabe interpretibus.

Opponess ultimo: Si voluisset Filius Dei veram carnem suscipere, illam prorsus ex nihilo creasset. Resp. cum Augustino libro XXVI. contra Faustum cap. 7. Potuisse filium Dei humanam veramque carnem formare unde formavit primo homini: potuisse corpus cæleste, & aereum commutare in humanæ carnis verissimam qualitatem: potuisse ex nihilo verum corpus producere: sed tamen ex Maria Virgine natum Christum, & vere natum, vere mortuum, ut scriptum est in Evangelio. Summa hujus consilii penes illum est. *Sive quia utrumque sexum, quem creaverat, etiam hoc modo commendandum honorandumque judicavit, assumendo formam viri, & nascendo de femina, sive aliqua alia caussa: quænam illa sit, non temere dixerim*.

C A P U T III.

De Christi Genealogia a Matthæo, & Luca Evangelistis descripta.

NON solum Manichæi, de quibus supra, verum etiam Porphyrius, Celsus, Julianus Apostata, aliique Christianæ Religionis hostes Christi genealogiam evertere conati sunt, propterea quod diversa ratione illam contexuerint Matthæus in primo Evangelii capite, & Lucas in tertio. Sed duorum Evangelistarum discrepantiam immerito adversus nos urgeri facile demonstratur ex diversorum Auctorum, quam nunc subjicimus, expositione.

Prima est, quam olim tradidit Augustinus libro II. de Consensu Evangelistarum cap. 3. & libro III. contra Faustum cap. 3. & seqq. Josepho duos fuisse patres, unum natura, idest Jacob, alterum adoptione, idest, Heli. Quamquam vero S. Pater perlectis postea libris Julii Africani præposuit in II. Retract. cap. 7. & 16. sententiam alteram, de qua proxime dicturus sum; expedita est tamen ad omnem contradictionem tollendam, atque etiam probabilis prior hæc Augustini expositio, quam nec penitus retractavit. Enimvero quod filii etiam adoptione dicantur, demonstrat idem Augustinus ex cap. XLVIII. 5. Genes. ex verbis Jacobi ad Joseph: *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manasse sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi*. Accedunt haud leves conjecturæ: prima quidem, quia in tota majorum serie utitur Matthæus verbo ἐγέννησε, *genuit*, quod Lucas prætermisit, ideoque Matthæus significat Jacobum esse Patrem Josephi generatione, ac natura, filium vero Heli adoptione, etiamsi aliquo sensu filii quoque adoptivi geniti appellantur, idest, geniti caritate, non carne. Deinde Matthæus scribens Evangelium Hebræis debebat demonstrare quomodo Christus ex Abrahamo, & Davide, quibus fuit promissus, prognatus revera sit; ideoque ab Abrahamo consulto texit generationem: Lucas contra scribens Evangelium gentibus in Christi hæreditatem adoptandis, etiam patres adoptionis commemorat, & genealogiam perducit usque ad Adam, qui fuit Dei, ut ostenderat Redemptorem pro omnibus hominibus advenisse. Ob camdem forte caussam narravit Matthæus Christi generationem initio Evangelii, ac de partu Virginis sermonem instituturus, & Lucas narrationem hanc distulit ad Christi manifestationem, atque baptismum, quamdam veluti parasceven Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ. Si quis igitur planam hanc viam tenere velit, objicientibus Matthæi a Luca dissonantiam respondere potest cum eodem Augustino, *duos patres habere potuisse Joseph, unum a quo genitus, alterum a quo fuerit adoptatus*.

Altera Julii Africani sententia est, Joseph fuisse natura filium Jacob, lege autem filium Heli. Docet enim Africanus in Epist. ad Aristidem apud Eusebium H. E. lib. I. cap. 7. Mathan a Salomone prognatum genuisse Jacob, quo mortuo Melchi a stirpe Nathan profectus ab ea, quæ uxor erat Mathan, procreavit Heli. Uterini ergo fratres erant Heli, & Jacob. Heli absque prole moriente Jacob illi semen suscitavit, & genuit Joseph, natura sibi ipsi, lege autem Heli. Dicitur autem Joseph lege filius Heli, ex præscripto Deut. XXV. 5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui*. Reddit vero hanc sententiam valde probabilem. I. antiquitas Auctoris, qui vixit ducentesimo ac vicesimo post Christum anno. II. Quia attestatur Africanus se de his sermonem habuisse cum viris, qui etiamnum supererant ex Domini cognatione. III. Quoniam Augustinus ait in II. Retract. cap. 7. hoc in eorum literis contineri, *qui recenti memoria post ascensionem Domini de hac re scripserunt*. IV. Quia hæc opinio

a Pa-

a Patribus communiter recepta est: ideoque videtur ob antiquitatem, ac sui, ut ita dicam, possessionem ceteris præferenda. Patitur tamen Africani sententia gravissimas difficultates, ac duas præsertim. Prima est, quod Africanus Melchin statuit tertium a Joseph, cum intermedii sint Mathat, & Levi: altera, quia si Jacobus sine liberis functus erat, prolem ei gignere debebat consanguineus, & proximus ejusdem stipitis, non uterinus. Sed ad primam respondemus Africanum prætermisisse intermedias illas generationes, quas certum est in omnibus Codicibus non extare, cum Irenæus lib. III. c. 33. ab Adam ad Christum connumerat secundum Lucæ genealogiam generationes LXXII. non LXXV. tribus prætermissis, his scilicet duabus, & Cainan inter Arphaxad, & Salam. Quare nil mirum, si Africanus posuerit pro nepote proavum: aut respondemus Mathat fuisse binominum, & etiam Melchi nomine appellatum. Ad alteram vero objectionem, quam plurimi faciunt Grotius in Caput III. Lucæ, & Basnagius Tom. I. Annal. pag. 80. respondeo stirpem Davidis, quæ per Salomonem, & Nathan divisa fuerat, iterum in Zorobabelem fuisse conjunctam, ut constat ex c. I. Matth. v. 12. & ex III. Lucæ v. 27. ac iterum sejunctam per Resam, & Abjud filios Zorobabelis, & unitam postea in Mathat Josephi avo; ideoque Heli prognatus ex Nathan, & Abiud, non solum fuisse fratrem Jacobi uterinum, sed etiam ex stirpe Davidica proximiorem.

Tertia sententia huic opposita est, Heli fuisse patrem Josephi naturalem, & Josephum dici a Matthæo filium Jacobi ratione hæreditatis: cujus fulcra sunt, quæ sequuntur. I. Certum est Jechoniam nullos genuisse liberos ex comminatione divina, Jeremiæ XXII. 30. cum igitur Matthæus scribat Jechoniam genuisse Salathielem, & Lucas hunc dicat filium Neri, videtur a priori Evangelista respici jus successionis, ab altero autem jus sanguinis. II. Lucas longe plures generationes enumerat; nam inter Salathielem, & Josephum Matthæus decem, Lucas novemdecim recenset: & Matthæus præterea tres hæredum classes distinguit, in quarum prima inter Joram & Oziam omittit Ochoziam, & Joam, & Amasiam, consulens ordini memoriæ caussa instituto, & silentio transmittens generationes aliquot, ut faciunt, qui de sola successione juris loquuntur. III. Matthæus generationes incipit ab Abraham, cui promissiones factæ sunt; Lucas ab Adam naturali omnium protoparante; ideoque hic generationes naturales contexit. Verum ad hæc argumenta, quæ urget Grotius in Comment. ad 3. caput Lucæ, respondeo Jechoniam non genuisse filios regni hæredes, idque a Jeremia prænuntiatum; genuisse tamen Asir, & Salathielem, ut liquet ex I. Paralip. III. 17. nihilque referre, quod Matthæus generationes aliquas prætermittat, cum Ozias, sive Azarias, sit non solum successione juris, sed etiam sanguinis filius Joram, etiamsi ex Amasia immediate sit genitus: ab Abrahamo demum Matthæum subducere Christi generationem, Lucam ab Adam, quod ille Hebræis, iste Gentibus principaliter scripserit. Hæc itaque opinio minori nititur, quam superior, auctoritate.

Quarta opinio est, quam sequuntur Erasmus, Vossius, Basnagius, & recentiores quamplurimi, Matthæum describere genealogiam Christi ex Josephi proavis, Lucam vero genas Mariæ, ita ut Heli fuerit pater Virginis, socer Josephi, & avus Christi. Nec repugnat, inquiunt, de Joseph dici *Qui fuit Heli*, tum quia gener appellatur filius, ut probat Vossius de Christi Genealog. IV. 3. ex c. I. Ruth sæpius vocatæ Noemi filiæ, cum esset nurus; tum etiam, quia verba Lucæ, *Ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, videntur referenda ad Jesum, ut sensus sit, putabatur filius Joseph, cum esset filius Heli, idest Virginis filiæ Heli. Sed hæc opinio ceteris mihi videtur infirmior; nam etiamsi generi filii revera dicantur, incredibile est Lucam eam simplici phrasi τοῦ Ἡλί, *qui fuit Heli*, qua in tota illa generationum serie utitur ad filios designandos, voluisse nullo apposito signo discriminis generum demonstrare. Minus etiam credibile est ea verba τοῦ Ἡλί referri ad Christum, cum immediate præcedat *Joseph*, neque præcedat Ἦν δὲ, *fuit autem*, aut similis phrasis opposita verbo ἐνομίζετο, *putabatur*. Addo Heli defunctum fuisse absque liberis ex allato testimonio Africani, & ex Joanne Damasceno lib. IV. de fide Orthodoxa c. 15. quod licet non possit invicte demonstrari, nequit tamen auctoritate, aut ratione refelli. Cum itaque prior sententia, quæ olim fuerat Augustini, sit ab eodem fere retractata, tertia autem, & quarta repugnet Patribus, nec satis valido nitatur præsidio; restat ut teneamus opinionem secundo loco propositam, & dicamus Josephum natura filium Jacob, lege autem filium Eli, atque hoc pacto Manichæorum, atque aliorum Infidelium objectionem repellamus.

APPENDIX.

Samuel Basnagius ex hac postrema sententia infert falsam esse traditionem, quod Mariæ parentes fuerint Joachim, & Anna. *Hinc cantata*, inquit, *traditio refellitur, quæ non Eli, sed Joakimum patrem Virginis dicit, repugnante Scriptura*. Utitur eodem argumento Hyacinthus Serry Exercit. de Christo XVIII. num. 4. his verbis: *Certe quotquot Christi genealogiam a Luca descriptam Cap. 3. per Mariæ primogenitores ductam existimant, (existimant autem bene multi) Deiparæ patrem Heli dictum opinantur*. At Joakimum fuisse patrem Virginis nos affirmamus, hanc ipsam de Genealogia progenitorum Mariæ sententiam rejiciendo. Porro Joakimum parentem Virginis facit non solum Damascenus lib. IV. Fidei Orthodoxæ c. 15. verum etiam Epiphanius H. LXXVIII. & LXXIX. & Romana Ecclesia in Martyrol. XXII. Kal. Aprilis, necnon Græci in Menologio die IX. Septembris. Erat autem juxta Damascenum Joakim filius Barpantheris, filii Phantheris fratris Melchi, ita ut Jannes, de quo Lucas III. 24. genuerit Melchi, & Pantherem, Panther Barpantherem, Barpanther Joakim, Joakim Mariam: Melchi autem genuerit Levi, Levi Mathat, Mathat Heli patrem lege Josephi; atque ita Joseph, ac Maria fuerunt ex eadem agnatione, ac stirpe Davidica. Lubentius in hanc sententiam descendo, quod Celsus Epicureus, apud Origenem libro I. adv. eundem Celsum, Christum appellavit *Filium Pantheris*, quam opinionem hausit a Judæis idem asserentibus in Thalmud cap. XII. *Sabat*, quod opinor, gloriosissimum Virginis sponsum, quem putant concubuisse cum Maria, non proprio clarissimoque nomine, sed avi, familiæque distinxerint. Atque ita conveniunt omnia, Josephum fuisse filium Heli lege, Mariam filiam natura Joakim, ambo autem conjuges, propinquos sanguine, atque ex eadem tribu.

Sed ad refellendum Basnagium, & Serrium ipsa quoque eorum opinio deservit. Detur enim Mariam fuisse filiam Heli, & a Luca Mariæ progenitores recenseri. Atqui Heli, & Joakim idem omnino sunt, non mystica significatione, vel nominis pluralitate, ut idem Serry scribit Exercit. XLII. 5. sed nomine propriissimo, ac singulari. Joakim enim idem omnino est, ac Eliakim: nam liquet antepenultimum Regem Judæ, quem constat dictum Eliakim, appellari Joakim IV. Regum XXIII. 34. & 2. Paralip. XXXVI. 4. & Pontifex, qui Judith. IV. 5. appellatur Eliakim, c. XV. 9. nominatur Joakim. Joakim ergo, & Eliakim idem omnino sunt. At Heli est ipsum nomen Eliakim contractum, ut demonstrat Vossius Dissert. de Gen. Ch. c. IV. 4. & Erasmus ad III. Lucæ. Idem ergo nomen sunt Heli, Eliakim, & Joakim, & Basnagius, ac Serrius ex suismet principiis refutantur. Nec tamen sequitur veram esse horum opinionem, & a Luca referri genus Mariæ, non Josephi: cum enim uterque essent iisdem atavis prognati, potuerunt etiam habere parentes ejusdem nominis, & qui proinde distinguerentur, attributo uni nomine contracto *Heli*, alteri nomine integro *Joakim*.

Verum Critici alias argumentationes producunt ad probandum nomina Genitorum Deiparæ incerta esse; illasque urget ipse Serrius. Prima est, quod Hieronymus c. 7. contra Helvidium existimat Mariam Cleophæ sororem Deiparæ, dictam non a marito, sed a patre. ideoque Cleophas, non Joakimus erat Pater Virginis. Sed hæc nimis levis est, atque inepta. Primo enim repugnat sententiæ, quam probabiliorem putat ipse Serry, narrari a Luca generationem Mariæ, & hanc filiam fuisse Heli. Si enim Heli, quomodo Cleophæ? Deinde Hieronymus non illud vult Mariam denominatam a patre proximo, sed ab eo, qui familiæ nomen tribuerit; nam ait, *A patre, sive a Gentilitate familiæ*. Altera argumentatio est, quod Augustinus lib. XXIII. contra Faustum c. IX. ait: *Quod de Generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi Sacerdotem quemdam nomine Joakim: quia canonicum non est, non me constringit*. Sed sciendum est, quemdam Manichæum, Seleucum nomine, ut refelleret caput primum Matthæi vulgasse apocrypham quamdam scripturam de Generatione Virginis ex tribu Levi, non ex tribu Juda. Negat itaque Augustinus patrem Virginis fuisse quemdam *Joakimum ex Tribu Levi*, non negat fuisse *Joakimum ex tribu Juda*. Verum est tamen quod Augustinus addit: *Sed etiamsi hoc crederem, ipsum potius Joakim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, & aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum, vel aliquem ejus progenitorem*. Quibus videtur Augustinus dubitare an pater Deiparæ dictus sit Joakim: sed non ita est; planus enim, & expeditus horum verborum est sensus, etiamsi crederem Joakim in antiqua aliqua Scriptura dici Levitidem, existimarem pertinuisse ad tribum Levi adoptione, non sanguine. Quare Augustinus de progenie Mariæ disputat, de nomine autem patris ejus nihil penitus. Postrema argumentatio est, quod usque ad undecimum seculum adeo dubia fuerint nomina genitorum Deiparæ, ut Petrus Damiani Serm. III. de Nativitate Virginis invehatur in illos, qui hæc nomina *studio superfluæ curiositatis inquirunt*. Sed in oppositum nos producimus Epiphanium in Hæresi Andicomarianitarum, & Collyridianorum. & dicimus Petrum Damiani locutum adversus illos, qui seriem progenitorum Mariæ probabant ex apocryphis scriptis, qualia sunt citatus liber Seleuci, & quæ antea Gnostici ediderant *de stirpe Mariæ*. Horum tamen nullam habuit rationem Epiphanius, nam librum *De stirpe Mariæ* H. XXVI., quæ est Gnosticorum, appellat πεπλασμένα γράμματα, *scripta commentitia*, ubi autem scribit parentes Deiparæ fuisse Joakimum, & Annam, addit ita παραδόσεις ἔχειν, *traditiones habere*. Standum ergo vulgatæ apud nos sententiæ, sic revera appellatos Mariæ semper Virginis Genitores.

De Beata Anna hoc tantum novi, a pluribus dici filiam Gaziri ex tribu Juda, & ex Judææ oppido Bethlehem: ut ejus patrem fuisse Mathat sacerdotem scribit Nicephorus lib. 11. cap. 3. qui & laudat antiquum scriptorem Hippolytum Portuensem. Illud tandem animadverto non probari quod nomina Joakim, & Annæ sint supposita, ex quo unum *Præparationem Domini*, alterum *Gratiam* significet; nullum quippe nomen proprium significationa sua caret: atque duo præfata nomina fuerunt aliis ex Judæorum gente communia.

CAPUT IV.

An in Genealogia Christi a D. Luca descripta nomen Cainan insitum sit, atque expungendum.

PROBLEMA Chronologicum, atque fere inextricabile proponimus de Cainana posita ab Evangelista Luca cap. III. 36. inter Arphaxad, & Sale, de quo cum non sit in Cap. x. & xi. Genes. in Hebræis, Latinisque Codicibus, eoque apposito videatur perturbari tota Chronologia Patriarcharum, quæritur an redundet in Evangelio, an desideretur in Genesi. Scriptorum atque Interpretum sententiæ sunt omnino discrepantes ac variæ. Nam aliqui contendunt falsatos esse libros veteris Testamenti a Judæis, ut seriem temporum immutarent, neque Messiæ adventus posset certa annorum supputatione deprehendi. Quidam e contra intrusum esse contendunt in Lucæ Evangelium, neque inscriptum sive ab Evangelista, sive a lxx. Int. in x. Genesis, quam sententiam omnes fere Critici recentiores amplectuntur. Nonnulli & a Septuaginta positum, & a Luca, qui lxx. secutus est, vere scriptum, nec tamen novum Testamentum pugnare cum veteri Hebraico; atque hæc postrema sententia cum explicatu difficilis sit, diversa ratione a suis auctoribus expeditur, asserentibus aliis Mosen consulto generationem Cainanis prætermisisse, ut certas servaret decades, aliis Sale, & Cainan eamdem esse personam, aliis modeste cum Venerabili Beda in cap. 3. Luc. affirmantibus incompertum esse quid verum sit, cum etiam lxx. vetus Testamentum adornaverint divino Spiritu afflante.

PROPOSITIO I. Hebræi non abraserunt generationem Cainanis ex cap. x. Gen. 24. & ex cap. xi. 12.

Demonstratur primo, quoniam omnes Hebraici Codices hanc *Cainan* generationem omittunt: atque omnino incredibile est, Hebræos cujuslibet perversitatis, vel malitiæ tantum potuisse, ut Codices tam multos, ac tam longe dispersos corrumperent, ut cum Augustino diximus lib. xi. cap. 7. Insuper cum immaculata adhuc sint vaticinia de Christo, eaque Judæi minime violaverint, multo magis tenendum est illos citata loca Geneseos non depravasse. Enimvero certis signis adhuc in Scriptura expressis adventus Messiæ prænuntiatus est, neque præcise annus mundi, quo venturus erat, alicubi designatur. II. In nulla antiqua Bibliorum versione, si Græcam excipias, Cainan adinvenitur, non in paraphrasi Jonathanis, vel Onkelosii, non in Codice Samaritano, non in Syriaco, non in Arabico, ut liquet ex libris Regiis, & Waltonianis Tom. 1. pag. 40., & quod præcipuum est, desideratur etiam in Vulgata nostra Hebraico textui in Patriarcharum generatione, & chronologia exacte concordi. III. Omittit *Cainan* S. Hieronymus Quæst. in Genesim, & Epistola ad Evagrium, ubi Patriarcharum tractat genealogiam. Omittit Josephus lib. 1. Antiq. cap. VIII. omittit Berosus ab ipso Josepho productus: omittit Eusebius Cæsariensis in Chronico, tam in supputatione annorum juxta textum Hebraicum, quam juxta Samaritanum, & Græcum: omittunt denique Scriptores alii, atque Patres quamplurimi. IV. Historici omnes tam profani, quam sacri concordissime scribunt vixisse Abrahamum decima post diluvium generatione. At non decima, sed undecima vixisset, si connumeraretur generatio *Cainanis* inter Arphaxad, & Sale. V. Neque in primo libro Paralip. cap. 1. 18. fit Cainanis mentio aliqua, quamquam hoc in libro prætermissa colligantur, & singulatim supputentur generationes: unde derivatum est nomen *Paralipomenon*, videlicet, *prætermissorum*. Assentiuntur huic propositioni, & hæc argumenta proponunt Natalis Alex. Hist. Eccl. vet. Testam. Æt. II. dissert. 4. Serry Exercit. XLIII. Grotius in cap. III. Lucæ, Usserius in dissert. de Cainan, Cornelius a Lap. & Pererius in Genesim, Possinus de Genealog. Ch. cap. 9. Petavius lib. IX. de Doctrina Temp. cap. 17. Gerardus Vossius in dissert. v. Chronologica cap. 2. Innumeri denique Scriptores cujusque ordinis, ac Religionis.

PROPOSITIO II. In Evangelio Lucæ Cainan insitus non est, & per errorem appositus, sed revera ab Evangelista scriptus, atque autographus.

Hæc propositio, quæ videtur repugnans præcedenti, ideoque a Criticis impugnatur, potest tamen cum illa concordare, & nullo certo argumento refellitur. Probatur I. Perperam dicitur ex genealogia Salvatoris *Cainan* expungendus, si extet etiam in Versione Græca quam secutus ubique est Lucas Evangelista. At in versione Græca revera *Cainan* locum habet cap. x. Genes. v. 23. & cap. xi. 12. nec non in I. Paralip. I. 17. 26. Igitur non est *Cainan* expungendus a Christi genealogia. II. Septuaginta revera posuisse Cainanis generationem liquet ex innumeris Græcis exemplaribus hactenus per multa secula mire conspirantibus, & ex Romana Sixtina editione ad fidem antiquissimorum Codicum exacta, ex vetustissimo MS. Alexandrino, in quod Adnotat. edidit Junius, postremo Volumine Bibl. Waltonianorum, ex MSS. Oxoniensibus, ex emendatissimis Edit. Complutensi, & Aldina. III. Nunquam Patres de hac re dubitarunt. Ex Græcis enim solus Epiphanius κατὰ μελχισεδεκιανῶν *Cainan* omittit enarrans Christi Genealogiam; nam quod illum in ætate Patriarcharum non enumeret Theophilus Antiochenus, Julius Africanus, & Eusebius, parum refert, ut postea explicabo. Ex Latinis autem Cainanis generationem scriptam a Luca agnoscit Ambrosius, Beda, Hieronymus, alii. IV. Laudatus Hieronymus Quæst. in Genes. affirmans Lucam inseruisse Cainan, propterea quod scribens gentibus non debebat *contrarium aliquod scribere adversus eam Scripturam, quæ fuerat in gentibus divulgata*, tamquam indubitatum supponit extitisse Cainan etiam in Græca illa veteris Testamenti versione, quæ obtinebat Apostolorum ætate. V. Invictum Critici reputant argumentum, quo probent in vetusto Hebræorum Codice veteris Testamenti locum non habuisse *Cainanem*, quoniam nec extat in antiqua alia versione, si Græcam excipias. At valet etiam de textu Lucæ similis argumentatio, quoniam *Cainanem* habet Genealogia a Luca descripta in omni prorsus versione, in Vulgata, in Græca, in Persica, in Arabica, in Æthiopica, ut liquet ex Bibl. Regiis Tom. v. pag. 252. & Walton. Tom. 5. p. 264. similiter in Complutensibus, & in Hebraica Romæ excusa anno 1668. VI. Tandem Vulgata Tridentini Concilii decrem authentica declarata est, & licet ejus auctoritati minime officiant leviora hujus generis menda, ut sentiunt viri Catholici, temere tamen dicitur scatere erroribus, ubi non occurrat apertissima demonstratio. Quamobrem censeo a doctis viris, qui mandante Romanæ Ecclesiæ Pastore corrigendæ Vulgatæ insudarunt, recte *Cainanem* non fuisse insertum veteri Testamento ob antiquorum Codicum concordantiam: recte quoque ob eamdem rationem non fuisse expunctum a novo, & utrobique esse Vulgatam, qua utimur, immaculatam.

SOLVUNTUR QUÆDAM IN CONTRARIUM ARGUMENTA.

Oppones 1. Debemus necessario unum, vel alterum fateri, aut mendum irrepsisse in Hebraicos, ac Latinos Codices V. T., aut in Evangelicum Lucæ textum; cum interposita generatione Cainanis, corruat Vulgatæ, & Hebraicæ lectionis Chronologia. Atqui hæc a nobis defenditur lib. xi. cap. 7. nec non probatur præcedenti propositione veritas Vulgatæ & Hebraicæ Scripturæ. Est ergo ab Evangelico textu Lucæ generatio Cainanis detrahenda. Resp. nego majorem. I. Quia etiamsi inter Hebræos, Græcosque Codices magna sit annorum discrepantia; exorta hæc est, ut Augustinus scribit lib. xv. de Civit. Dei cap. 13. non malitia Judæorum, aut errore Interpretum; sed potius Scriptoris, qui primus omnium ex Bibliotheca Ptolomæi codicem describendum accepit. II. Ex quo fateamur errorem in Chronologica Græcorum librorum supputatione, non sequitur etiam nomen *Cainanis* fuisse insitum fraude Scriptoris; quoniam, ut animadvertit Genebrardus in Chronico ad annum M. 1659. potuit Arphaxad generare Cainan anno ætatis suæ XVIII. & Cainan generare Sale anno XVII. atque ita posita etiam generatione Cainanis cum lxx. & cum Evangelista defenditur quod Sale genitus sit anno XXXV. Arphaxad, ut habent Codex Hebraicus, & Vulgata. III. Etiamsi *Cainan* quoque non extaret in authographo scripto Alexandrino, ut contendit Usserius, erat tamen in Versione communi, quæ obtinebat temporibus Apostolicis, ut idem Usserius demonstrat ex Demetrio apud Eusebium lib. IX. Præp. Evangelicæ, ubi connumerantur ab Adam usque ad descensum Jacobi in Ægyptum anni 3624. in quibus manifesto continentur anni Cainanis CXXX. Atque hinc viri docti complures tenent Cainan utique non fuisse a lxx. Interpretibus positum, fatentur tamen extitisse in Versione, qua utebantur Judæi etiam ante Christi tempora: ideoque Lucas, ut scribit Hieronymus, noluit *Cainan* prætermittere, *adversus eam Scripturam, quæ fuerat in gentibus divulgata*; quemadmodum Act. VII. 14. ait ingressas in Ægyptum animas *septuaginta quinque*, juxta eamdem Græcam, vulgatamque lectionem, etsi in Genes. XLVI. 27. dicantur animæ tantum septuaginta.

Opp. 2. Asseritur Cainanem appositum a D. Luca, quoniam is secutus est versionem lxx. Interpretum. At in antiqua lxx. Interpretum versione *Cainan* non extitit. Itaque nec a D. Luca fuit appositus. Probatur min. I. Quia Philo Judæus, Julius Africanus, Irenæus, Epiphanius, & alii, qui chronotaxim lxx. Interpretum sequuntur, annos Cainanis omittunt. II. Idem evincunt Chronicon Eusebii, & monimenta alia, de quibus in præcedenti propositione. III. Idem liquet ex Origenis Hexaplis, & ex tertio libro Theophili Antiocheni ad Autolycum. IV. Desiderari

Cainan

Cainan in editione Romana Carafæ, & in Emendationibus Græcis scribunt Massæus, Pererius, & Vossius. V. Neque nunc extat *Cainan* in omnibus Græcis Codd. primo capite Paralipomenon, ut inquit citatus Vossius in Isagoge Chronolog. pag. 17. & Grotius in III. Lucæ.

Resp. 1. nego consequentiam; quamvis enim detur lxx. *Cainanem* omisisse, potuit illud Lucas inserere secutus Græcam versionem communem ac divulgatam. Deinde respondeo negando minorem, cum revera lxx. *Cainanem* inscripserint, ut ex innumeris MSS. mirifice conspirantibus, ex omnibus Lucæ versionibus, atque ex ampliori Patrum numero comprobatur. Ad primam vero minoris probationem concedo Philonem, Julium Africanum, aliosque Græcam sequi Chronologiam, atque hanc etiam ab Hebraica discrepare, sed potest Cainan interponi inter Arphaxad & Sale, salva etiam Hebraica supputatione. Quod si tenere velimus opinionem Armachani, aliam fuisse Græcam versionem diversam ab ea, quam adornarunt Interp. lxx. illamque repositam in Bibliotheca Cleopatræ, dicemus Philonem, aliosque perpaucos hanc fuisse secutos. Id vero de Patribus Catholicis majori probabilitate affirmatur; quoniam etsi concedatur Valesio in Annot. Euseb. pag. 307. & seqq. falsam esse Usserii de duplici Græca Translatione sententiam; negari non potest, quin circa Origenis tempora plures obtinuerint Versiones Græcæ, ut liquet ex ejus Tetraplis. Hieronymus in Epist. ad Suniam & Fretellam Tom. 2. pag. 627. aperte distinguit versionem communem & Lucianæam, ab illa, quæ extabat in Originianis Hexaplis, feliciter e se in Latinum sermonem conversa, & decantata in Hierosolymitana, & Orientalibus Ecclesiis. Addit communem illam dictam a plerisque Luciani, *pro locis, & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum fuisse corruptam*. Similiter in Præf. ad lib. Paralip. Tom. 1. pag. 1022. scribit Alexandriam & Ægyptum in lxx. suis Hesychium laudare auctorem, Constantinopolim & Antiochiam probare Luciani Martyris exemplaria, & medias inter has provincias Palæstinæ legere Codices ab Origene elaboratos, atque ita universum orbem hac inter se varietate compugnare. Oportet ergo ut Adversarii demonstrent a Patribus, qui Cainanem omiserunt, fuisse perlectam solam Versionem lxx. Interpretum immaculatam, non communem, & Lucianæam. Ad 2., ac 3. primum opponitur idem Eusebius de Præp. Evangelica IX. cap. 21. ubi ex Demetrio & Polyhistore in supputatione priscorum annorum etiam annos Cainanis includit. Deinde dicimus Eusebium, & Pamphilum secutos Origenem, qui inter se pugnantia exemplaria permiscuit, & in ipsa Versione lxx. quam Hieronymus in Epist. ad Suniam, & Fretellam vocat incorruptam, & immaculatam, apposuit etiam editionem Theodotionis, quod idem Hieronymus Præf. ad lib. Paralip. magnæ tribuit audaciæ. Nihil itaque certi ex Origene, & Eusebio inferre possumus. Perpaucis Versionibus cit. num. 4. & 5. opponimus innumeras alias, ac vetusta MSS., de quibus supra; omnesque Versiones Lucæ, eam quoque, quam ad fidem Græcorum Codicum emendavit Hieronymus. Fortassis versio librorum Paralipomenon, in qua desideratur *Cainan*, aut est Græca communis, aut saltem interpolata. Verum desideratur in perpaucis Codd., atque in his etiam, quæ non habent Cainan in Paralipomenis, extat in Genesi; neque hi cum aliis Codicibus numero, vel antiquitate sunt comparandi.

Opp. 3. Si Moses Cainanem prætermisit, quomodo lxx. Interpretes illum intrudere potuerunt? Deinde generatio Cainanis, aut fuit Moysi nota, aut non: si nota fuit, eccur eam omisit? Si illam ignoravit, unde scire potuerunt Græci Interpretes? Hi ergo Cainanem non apposuere, ideoque nec Lucas, quemadmodum ex Codice Cantabrigiensi docti quidam Critici demonstrarunt.

Resp. 1. non consequi prætermissum a Luca Cainanem, quod neque illius meminerint lxx. potuit enim etiam Apostolorum ætate irrepsisse in Græcam apud Gentes divulgatam versionem, quam auctore Hieronymo provide Evangelista secutus est. Codex autem Cantabrigiensis neque parem habet cum innumeris aliis auctoritatem, neque tantæ est, ut arbitrabatur Theodorus Beza, antiquitatis, neque demonstrari potest, quin illum ad variantes Græcas Vet. Testamenti Versiones sciolus Amanuensis corruperit. Præterea respondetur, nec invicte demonstrari quod lxx. Cainanem omiserint. Quamquam enim non extaret in Hebraicis Codicibus, potuerunt Septuaginta, qui non tam fuerunt Interpretes, quam paraphrastæ, illum addere ex certa traditione, vel ex libris Genealogiarum apud Judæos asservatis. Moses vero Cainanem prætermisit, vel ut generationum seriem usque ad Abrahamum in certas decades distribueret, vel ob aliam nobis incompertam rationem. Ita enim Matthæus cap. I. plures generationes omisit, sive numerare voluerit per *tessaradecades*, ut fert communis opinio, sive prætermiserit natos ex femina gentili, ut scribit in Matthæi cap. I. Hilarius. Ceterum aut lxx. Cainanis meminerint, aut non, aut per errorem in græcam versionem irrepserit, aut ei accesserit ex legitimis monumentis; si extabat in codicibus per orbem sparsis, recte illum Lucas apposuit, ne in re parva, atque ad fidem nullatenus pertinente suo dissensu turbaret nascentem Eccle-

siam, ut ex Catholicis defendunt Sixtus Senensis, Steuchus, Genebrardus, Jansenius: ex aliis Franciscus Junius in Anal. Genesis, & in Parallelis.

Nota quod opinio asserentium Cainanem esse binomium, aut fratrem Arphaxad, vel Sale defendi non potest; nam Codices in quibus Cainanis fit mentio, tres aperte generationes distinguunt; legitur enim in Græcis cap. X. Geneseos 23. *Et Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Salam*.

CAPUT V.

Expediuntur nonnullæ circa Christi corpus quæstiones.

DE CHRISTI corpore, quod revera ex Virgine assumptum adversus Phantasiastas demonstravimus, quærunt Theologi an corruptibile dicendum sit, an membris omnibus, ac sanguine, nostrorumque corporum proprietatibus fuerit coagmentatum, atque elegantem formam habuerit, vel deformem potius & despicabilem.

Circa priorem quæstionem fuit olim hæresis Aphthartodocitarum, & Severitarum, ut appellatur a Nicephoro Callisto lib. XVII. H. E. cap. 28. qui a Juliano Halicarnasseo, & Gaino Eutychianæ sectæ progressi sub pietatis prætextu persuadere conati sunt fuisse assumptam ex Virgine carnem ante passionem incorruptibilem. Hoc errore correptos scribit idem Historicus præclaros viros, qui honores ac magistratus gesserunt, primarios Hierarchas, Monachos viris illustres, atque ipsum etiam Imperatorem Justinianum. Hunc vero non solum tali opinioni plurimum adhæsisse, verum etiam voluisse per vim cogere omnes ubique Episcopos, ut eidem assentirentur, quamquam hi respondentes expectandam sententiam Anastasii Episcopi Antiochenis, Imperatoris impetum declinaverint, narrat etiam lib. IV. cap. 39. Evagrius. At Imperator, quemadmodum inquit eo loci Callistus, falsæ adhæsit opinioni, *non altius dogma tale investigans, sed verbi ipsius* (corruptionis) *significationi acrius insistens*.

Sciendum est autem *corruptionis* vocabulum duplicem habere sensum, quo explicato finita est controversia. *Corruptio* enim alia est, per quam anima a corpore divellitur, atque corpus ipsum subjicitur alterationi, unde fames, sitis, fatigatio, angor, & ceteræ passiones hujusmodi exoriuntur. Alia autem est *corruptio*, per quam corpus in elementa, ex quibus compositum est, dissolvitur, ac tabe macieque inquinatur.

Itaque dicimus juxta priorem significationem Christi corpus fuisse corruptibile, quemadmodum ex Scripturis, ex Patribus, atque ex ratione potest facile demonstrari. Nam Matth. IV. 5. legimus esuriisse, Joan. IV. 6. fatigatum fuisse ex itinere, Marci XIV. 33. cœpisse pavere, & tædere, Lucæ XXIII. 46. exspirasse; & in Epistola ad Hebræos IV. 15. fuisse *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*. Respondebant Julianus & Gainus, dum hæc illis Catholici opponebant, etiam post resurrectionem Christum manducasse ac bibisse; passum vero, & contristatum, non conditione carnis assumptæ, sed dispensatione divina. At ex adverso instabant Catholici post resurrectionem Christum manducasse ac bibisse œconomia quadam ac dispensatione, ut veritatem corporis sui commonstraret: sed antea id præstasse naturali affectione; quoniam nullibi Scriptura testatur Christum post resurrectionem suam manducasse esurientem, aut sitientem bibisse, sicut id affirmat de Christo ante passionem ac mortem. Naturaliter etiam fatigatum, contristatum, ac passum ipsa divina Scriptura testatur, docens fatigatum ex itinere, tristatum ob carnis imbecillitatem, atque *ex infirmitate crucifixum*, ut scribit Apostolus 2. ad Corinth. XIII. 4. Etsi ergo omnibus his affectionibus non invitus atque ex necessitate subjectus fuerit, cum posset omnipotentia sua omnes carnis defectus repellere; nihilominus volens carni & sanguini communicare, ac sinens humanitatem suos actus exercere, ex conditione naturæ esurivit, sitivit, aliasque sustinuit passiones. Vide Augustinum lib. I. de Pecc. meritis cap. 27. ubi affert testimonia Scripturarum, quæ Christo tribuunt nostras infirmitates; nec non lib. II. cap. 29. ubi docet Christum perpeti voluisse etiam mutationem ætatis; atque inter illum ceterosque homines istud interesse discrimen, quod alii habentes carnem peccati motibus irrationabilibus perturbantur, neque hi semper ratione, vel imperio cohibentur: Christus vero, qui similitudinem carnis peccati obedientiæ voluntate suscepit, habuit corpus corruptibile ac mortale sine peccato. Similia docent alii PP. Accedit ratio, quam supra cap. 2. produximus, Christum de peccato damnasse peccatum in carne, ideoque dedignatus non est ad opus redemptionis perficiendum carnis peccatricis defectus assumere, iis exceptis, qui vitiosi sunt, qualis est sensuum perduellis commotio, & fomentum noxiæ cupidinis, & qui non communem naturam consequuntur, sed peculiarem secundarum caussarum deficientiam, ut cæcitas, surditas, & consimiles.

At si loquamur de corruptione juxta secundam atque communiorem significationem, dicimus sacrosanctum Christi

corpus incorruptibile. Ita nimirum affirmant Scripturæ, ut pervulgatum illud Ps. xv. 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Docent similia Patres, Cyrillus lib. 9. de Adorat. *Incorruptibile est Christi corpus, & divinam in seipso naturam habet*. S. P. Aug. ep. 146. nunc 205. ad Consentium: *Constat, neque ullo modo dubitandum est, corpus Christi, quod licet corruptionem putredinis in sepulcro non viderit, unde scriptum est, Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, clavis tamen, & lancea perrumpi potuit, nunc omnino in incorruptione consistere*. Et Fulgentius in Epist. ad Rheginum c. 4. *Christus non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem*. Proferri etiam possunt satis apertæ rationes tum ex celeritate resurrectionis, tum ex redemptione ipsa consummata in Christi morte, ad quam propterea necessaria non erat sacri corporis in cineres resolutio; tum denique ex decentia, ob quam viris sanctitatis eximiæ incorruptionis conceditur privilegium, multo minus denegandum carni immaculatæ ac purissimæ, quam divinum Verbum nec in triduo mortis dimisit. Salvatoris autem Sanguinem calice distributum non esse corruptibilem, recte scripsit in Epist. adversus Paulum Samosatensem Dionysius Alexandrinus. Argumenta in contrarium, quoniam singulariter excludunt a Christo doloris sensum, afferentur sequenti capite.

Altera quæstio ex superioribus soluta est. Ut enim Scriptura Christo verum tribuit corpus, ita etiam vera tribuit membra, pedes, manusque clavis perforatas, pectus super quod discubuit Joannes, caput spinea corona circumdatum, & latus apertum lancea. Fuit ergo dominicum corpus humanis membris instructum. Sanguinem pariter habuisse liquet ex sudore in horto, ex flagellatione in prætorio, atque ex crucifixione in Golgotha, affirmantibus etiam Apostolicis libris ipso sanguine emundari conscientiam nostram, ut legitur in Epistola ad Hebræos ix. 14. & in prima Joannis 1. 7.

Circa quæstionem tertiam de forma ac specie corporis Christi, videntur recentiores Critici ac Theologi in eam magis sententiam propendere, quæ asserit nec speciosum & insigniter venustum fuisse, neque facie turpi ac deformi, incertum tamen esse quam oris formam prætulerit. Ita scribunt Hyacinthus Serry exercit. xlvii. Juenin Dissert. v. de Incarnat. c. 8. Tournely q. 2. art. 4. aliique permulti. Alii tamen, etsi Christo denegant pulchritudinem illam muliebrem & affectatam, qua carnales oculi alliciuntur, sitam in rubore genarum, labiorum risu, illecebrisque oculorum, concedunt tamen illi singularem venustatem in apta partium dispositione, convenienti statura, ac temperato colore constitutam: cui opinioni præter veteres plurimos adhærent Calmet dissert. in Isaiam, Sandinus in Hist. familiæ sacræ c. xvii. & erudito Comment. in Æreum Nummum Musei sui Eques Florentinus Petrus Victorius.

Huic opinioni nos ultro ac lubenter subscribimus. I. quia Nicephorus Callistus lib. 1. c. 4. ut a Majoribus traditum refert Jesum Christum *egregio vividoque vultu fuisse corporis statura ad palmos prorsus septem: cæsariem habuisse subflavam, nec admodum densam, capillos prolixiores, &c.* Rejiciunt quidam Nicephorum tanquam posterioris ævi scriptorem, sed nequit tamen apertæ falsitatis revinci, ac potuisse illum hæc accipere ex Veterum monimentis sequentia commonstrant. II. Negari non potest multa olim extitisse longe ante Nicephorum Christi simulacra, & imagines. Erectam illi statuam ab Hæmorrhoissa in urbe Paneade scribit Eusebius lib. vii. H. Ecc. c. 18. Alterius Amasenus apud Photium Cod. 271. Gregorius II. in Epistola ad Germanum Episcopum Constantinopolitanum, aliique permulti laudati a Sandino, & Victorio. Atque hanc statuam Juliano Apostata imperante fuisse confractam, auctor est libro iii. c. xxi. Sozomenus. Aliam mulierem servasse apud se Christi simulacrum refert Calmet ex Lampridio. Idem de Alexandro Severo tradunt communiter Historici. Accedunt Imagines non manufactæ, non solum missa ad Abgarum, quam Critici in dubium revocant, commemorant tamen Synodus vii. act. 5. & Damascenus lib. iv. de Fide Orthodoxa c. 16. verum etiam Acheropeeta mireculis seleberrima & Romæ ad Scalam sanctam asservata, diversa, ut opinor, a Sudario Veronicæ, licet Sandinus illam cum ista pag. 280. confundat. Hæ autem imagines eamdem Christi referunt formam, quam describit Nicephorus. Quamquam vero prædictæ imagines non essent, ut creditur, divinitus efformatæ, cum petantiquæ sint, eamdemque Christi speciem exhibeant, demonstrant Nicephori traditionem revera a veteribus acceptam, non ab ipso confictam. III. Servatur adhuc Augustæ Taurinorum sacra Sindon, quam aliqui quidem rejecerunt eo quod non referat notas institarum, sed egregie defendit Chiffletius respondens ea Sindone non obvolutum Christi corpus jam unctum, & institis ligatum post pollincturam, sed cruentum, & recens e cruce depositum, unde non tantum exhibet notas quinque vulnerum, ut Vesontinum Sudarium, sed maculis sanguineis utramque corporis partem delineat. In hac ergo Sindone miraculorum celebritate, devotione sancti Caroli Archiepiscopi Mediolanensis, & Julii II. diplomate confirmata, omnia, quæ Nicephorus narrat, si unum excipias colorem, ipsis oculis conspiciuntur; staturæ sex pedum geometricorum minus tribus digitis, quæ eadem est ac septem palmorum, cæsaries prolixior, non admodum densa, & ad verticem discriminata, barba mediocriter promissa, frons plana, & nasus modico tractu diffusus.

Quamquam vero incerta esset hæc specialis Christi forma, non fuisse inelegantem & despicabilem colligimus ex sacris literis, ex Patribus, & ex ratione. Legimus enim Ps. xliv. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum*. Hunc quidem locum fatemur exponi a Chrysostomo, a Theodoreto, ab Augustino, ab aliis, de virtutibus animi, & gloria divinitatis; sed interior pulchritudo formam corporis non imminuit; imo hæc sæpenumero illius est argumentum. Etenim de pulchritudine corporis eumdem locum interpretatur idem Chrysostomus Hom. xxviii. in Matthæum, quam pulchritudinem Christo nequaquam denegant S. Hieronymus in c. 9. & 21. Matthæi, atque in Epistola ad Principiam, ubi affirmat in illius vultu *quoddam fuisse sidereum*, & Bernardus scribens serm. 1. de Omnib. SS. adhæsisse ei populos affatu pariter & aspectu ipsius delectatos: *cujus nimirum vox suavis, & facies decora*. Pro eadem sententia S. Thomas in Ps. 44. laudat Augustinum, adduitque rationem Theologicam, quod pulchritudo *maxime competebat ad statum, & reverentiam suæ conditionis*. Diximus paullo supra non assumpsisse Christum defectus ex peculiaribus caussis proficiscentes. Sane quod membra humani corporis optimam & naturæ convenientem symmetriam non habeant, provenit ex defectu particularis caussæ. Fuit ergo in Christo aptissima omnium partium dispositio, ideoque eximia facies, & pulchritudo, maxime quod corporis ejus fabricator fuerit, ac subministratam a Virgine materiam disposuerit Spiritus sanctus.

Pugnat adversus dicta 1. quod Origenes contra Celsum, Clemens Alexandrinus lib. iii. Pædagogi, & Tertullianus de Idololatria, videntur Christo tribuere vultus obscuritatem. Augustinus etiam serm. xx. de Verbis Apostoli, nunc ordine xxvii. productis verbis Isaiæ liii. 2. *Non est species ei, neque decor*, ait, quod speciem & decorem non habebat *ut homo*. II. Quod Eusebius Constantiæ Licinii uxori petenti ut ad se mitteret Christi imaginem, respondit exprimi illam non posse. III. Quod magis cedat in Dei gloriam, si dicatur cum Clem. Alexandrino libro vi. Strom. Christum, uti humilitate, ac paupertate, ita forma vili, & neglecta doctrinam suam feliciter promulgasse. IV. Demum quod Augustinus viii. de Trinit. c. 4. haud male scribat Dominicam faciem a singulis, ut lubet, fingi & variari.

Verum facilis est ad hæc omnia responsio. Ad 1. enim dicimus PP. loqui de Christo cruci appenso, & inter manus persecutorum, ut proculdubio loquitur c. liii. Isaias, & Augustinus citato serm. num. 6. & in Psalm. 127. n. 8. Aut denegant Christo pulchritudinem illam muliebrem, quæ allicit carnalium oculos, non gravem illam & cum majestate conjunctam, quæ terret iniquos. Hæc enim tanta in eo fuit, ut nunquam auderent improbi in ipsum manus injicere, nisi dum *venit hora eorum, & potestas tenebrarum*. Ad secundum inquit Sandinus Eusebium respondisse Augustæ, non posse exprimi penicillo Christi humanitatem eo quod *mortalitas a gloria absorpta est*, quoniam profitebatur sectam Arianorum, & ipse fortassis imagines Christi non admittebat. Sed salva Eusebii fide, videtur allata ratione significare, non potuisse ab ullo artifice faciem Christi exprimi ad vivum ob gloriam etiam in vultu splendescentem, ut de pictore misso a Rege Abgaro refert Damascenus; ideoque veras Christi imagines, qualem pemptabat Augusta, esse *Acheropetas*, idest, non manu factas, ut imago Edessena, Sudarium Veronicæ, sacra Sindon, de quorum Imaginum veracitate communem tenemus absque disputatione sententiam. Et quidem etiam Hieronymus in c. ix. Matthæi aperte affirmat, quod relucebat in humana Christi facie *fulgor, & majestas divinitatis occulta*. Atque id maxime post resurrectionem contigisse dicendum est, quando majus fuit habendi Salvatoris imagines desiderium. Ad tertium respondemus non deesse gloriam illam prædicationi Evangelicæ, qua non speciosum Christum annuntiamus, sed crucifixum: quamquam illum complures traxisse jucundissimo aspectu scribant citato loco Hieronymus, & Bernardus, & confirmari possit ex vocatione Apostolorum Matthæi iv. 20. 22. ix. 9. & Joann. 1. 39. Ad ultimum liquet plure quidem fingi non solum Christi, verum etiam personarum omnium simulacra, atque magnam in his esse pictorum licentiam, ut recte ait Augustinus: sed nullo pacto potest id elevare veritatem Prototyporum.

CAPUT VI.

An revera Christus dolores expertus fuerit.

CHRISTUM nullatenus obnoxium fuisse doloribus affirmarunt Phantasiastæ supra capite secundo refutari. Hi, ut asserebant Salvatorem nostrum in substantia corporis non fuisse, ita dicebant phantasmate passum, quemadmodum

modum refert de Saturnino Tertullianus de Præscript. & de Menandro Theodoretus Epist. 145. Illorum itaque errorem iisdem argumentis, quibus supra usi sumus, facile evertimus. *Si enim hominum opinione tantum passus est Christus, non revera, Herodem opinione tantum eum judicasse, Pilatum opinione manus abluisse, adjurasse eum opinione Caipham, Judæos manus ei injecisse opinione, Apostolos opinione extitisse, sanguinem ejus opinione effusum esse, opinione de cælo descendisse, eoque reversum esse; verbo, totam salvationem hominis opinione factam esse, necesse est.* His plane verbis refellit Marinum quemdam Bardesanistam in iv. Dialogo Origenes Adamantius. Consimili argumento revincuntur, qui cum Basilide apud Theodoret. libro i. Hæret. fab. dixere Christi loco passum bajulum Crucis ejus Cyrenæum, aut cum Mahumetanis Judam Iscariotem.

Aphthartodocitæ, de quibus cap. præcedenti, cum assererent Christum Dominum habuisse veram quidem carnem, sed natura sua incorruptibilem, propterea quod orti ex Eutychiana hæresi, & confundentes duas in Christo naturas opinabantur expertem illum fuisse naturalium humanarumque affectionum, ipsum utique Christum cruci affixum, passum, ac vere mortuum profitebantur, sed in hoc œconomiam ac miraculum interfuisse, non conditionis naturalis effectum. Horum hæresim describit Tom. v. Concil. Liberatus in Breviario, & Tom. ix. Bib. PP. Leontius Byzantinus libro 2. adversus Eutychianos.

Distinguenda est accurate a duabus istis damnatis opinationibus sententia aliquorum Patrum, qui tradiderunt opus fuisse miraculo, ut Christus pateretur, atque non fuisse humanæ fragilitatis, sed cælestis gratiæ sacramentum, si Dominus noster esurivit, sitivit, semetipsum turbavit, infremuit, & doluit: quod diserte tradit Clem. Alex. in vi. Strom. Maximus Martyr hom. i. de Jejunio, & Philippus Abbas Præmonstratensis in Epistolis de sententia Hilarii, de quo proximo capite. Profecto hi Patres neque Christum divinitate passum, neque humanam ejus naturam suis proprietatibus exspoliatam affirmavere, sed hanc per unionem hypostaticam adeo roboratam, atque perfectam, ut nonnisi divina accedente virtute subjiceretur passioni. Atque in hac sententia, quæ nihil habet repugnans Incarnationis mysterio, & nihil adversum Christi doloribus, non reperitur aliquid, judicio doctissimorum virorum, in fide periculi.

Communior tamen est, & vera sententia, ad quam arbitror cum Magistro in iii. Sent. dist. xv. posse revocari omnia Patrum testimonia, quæ videntur contraria, fuisse in Christo passiones, ipsius humanitatis naturæ connaturales. Pro qua nonnulla prænotanda sunt partim ex ipso Magistro, partim vero ex Leontio Byzantino deprompta. Magister itaque eo loci distinguit inter *passionem*, & *propassionem*. Passionem appellat, dum quis timore, vel tristitia ita afficitur, ut mens inde a rectitudine divellatur; quod contingit in motibus, quos ratio non dirigit, neque cohibet. Propassionem vero dicit, quando anima timore, vel tristitia, vel affectu alio movetur, ut inde a rectitudine non declinet, ut evenit in timore, aut tristitia, quæ animo non dominatur, nec rationem pervertit. Profert ad hanc rem explicandam Magister insignem locum Hieronymi scribentis in caput xxvi. Matthæi: *Ut veritatem probaret assumpti hominis, vere contristatus est: sed non passio ejus vere dominatur animo; verum propassio est.*

Leontius recte ulterius observat passum Christum dupliciter dici. Uno quidem modo, quod permittente Verbo passio circa carnem acciderit; quia scilicet cum prohibere posset, non prohibuit, & quod cum esset omni peccato superior, voluntarie, non aliqua necessitate, vel debito oppetiit mortem, quæ in mundum propter peccatum irrupit. Alio modo dicitur Christum passum, quod carnis natura passionis expers, & immortalis fuerit, ita, ut quod humanitati assumptæ non inerat, sponte admiserit, & mors & passio non fuerit ex naturali potentia, & secundum naturam, sed ex divina & supernaturali virtute, ut affirmabant supracitati Aphthartodocitæ. His expositis facilis mihi videtur propositæ quæstionis resolutio.

PROPOSITIO I. Si accipiatur *passio*, quatenus animum aut corpus afficit mente reluctante, aut hanc a rectitudine avertit, atque perturbat; nulla passio accidit Salvatori.

Probatur ex Scripturis, ex Patribus, ex ratione. Ex Scripturis, quoniam Isaias ait cap. liii. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ex Joannis x. 17. *Ego pono animam meam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso.* Item Marci xiv. 34. 35. *Tristis est anima mea usque ad mortem. Transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu.* Ille ergo non habuit passiones, aut subrepentes invitis, aut rationem pervertentes, qui sponte illas subiit, atque in ipsa mœroris, ac tristitiæ vehementia sese paternæ voluntati subjecit. Christus Dominus potestate, ac voluntate sua oblatus est, & pro ovibus suis posuit animam, petiitque in ipso agone, ut paterna impleretur voluntas. Ergo non habuit Passionem, quæ reluctantem afficeret, atque a rectitudine animum removeret. II. Probatur ex Patribus. S. Clemens Alex. in vi. Strom. inquit: *Ipse autem passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas neque dolor.* Hieronymi paullo supra apertissimum attuli testimonium. S. Pater Augustinus Tract. xlix. in Joannem: *Quis enim eum posset, nisi seipsum ipse turbare? Turbavit ea nolens, turbatus est Christus quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit: dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit: contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit: mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat vel sic affici, vel non affici.* III. Probatur ratione. Motus enim, & affectio deliberationem voluntatis antecedens, etsi peccato non imputetur, vitiosa est, & recto ordini, qui inter carnem, spiritumque versatur, repugnat. Non debet ergo admitti in Christo prædito summa innocentia, ac perfectione sanctitatis. Deinde ob unionem hypostaticam anima, & caro Christi cum Dei Verbo est una persona, in qua utraque natura subsistit eadem hypostasi, ideoque ob summam divinæ ipsius Personæ potestatem poterat vel exercere divinitatis omnipotentiam, vel exhibere humanitatis infirmitatem. Atque hanc rationem innuit eo loci Augustinus scribens: *Anima & caro Christi cum Verbo Dei una Persona est, unus Christus est; ac per hoc ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas.* Ex quibus animadverte discrimen inter Christi, aliorumque hominum passionem; quoniam in illo nec potuit passio antevertere rationem, nec afficere invitum, nec mentem perturbare, eamque a rectitudine dimovere: ideoque ab aliquibus *propassio* potius, quam passio in Christo fuit appellata.

Si dixeris Christum Dominum expertum etiam esse animi perturbationem, dum ait Joan. xii. 27. *Nunc anima mea turbata est*; Respondeo hanc perturbationem fuisse mortis horrorem, sui ipsius deliberata voluntate excitatum, & recto erga Deum ordini conjunctum. Cum enim tunc discipulos ad vitæ contemptum hortaretur, ut exemplo suo fierent alacriores, voluit & ipse mortalitatis nostræ affectum suscipere; ac statim convertens orationem ad Patrem illis verbis, *Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora*, docere simul, quomodo præponere debeamus divinam voluntatem voluntati humanæ atque infirmæ. Hinc S. Pater Tract. in Joan. lii. ait: *Nos in se transtulit, nos in se suscepit, Caput nostrum membrorum suorum suscepit affectum, & ideo ab aliquo non est turbatum; sed sicut de illo dictum est cum Lazarum suscitaret, turbavit semetipsum.*

PROPOSITIO II. Accepta *passione*, prout præcise afficit animum, aut sensus corporis dolore, ac tristitia, Christus vere, & naturaliter passus est.

Hanc pariter thesim triplici genere argumentorum demonstro, I. Ex divinis literis. Legitur enim Psalmo lxxxvii. 4. *Repleta est malis anima mea*; quæ verba prolata fuisse a Propheta in persona Christi ab inimicis vexati, animadvertit ex Augustino Magister. Isaias liii. 4. ait: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Christus in Evangelio Matthæi xxvi. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Apostolus denique ad Hebræos ii. 17. 18. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* II. Probatur ex Patribus. Nam Ambrosius in Lucam cap. xxii. ait: *Tristis videbatur, & tristis erat*: & lib. ii. de Fide capite 3. nunc vii. num. 56. *Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur, non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas: sed turbatur anima secundum humanæ fragilitatis assumptionem. Et ideo quia suscepit animam, suscepit etiam animæ passiones.* Hieronymus in caput liii. Isaiæ: *Vere languores nostros, & peccata portavit, & pro nobis doluit, non putative, idest, δοκήσει, ut nova, & vetus hæresis suspicatur, sed vere crucifixus est, vere doluit.* Libro etiam ii. adversus Pelagianos inquit: *Salvator in passione ab Angelo confortatur; & Critobulus meus non indiget auxilio Dei?* S. P. Augustinus in Ps. xciii. *Tristitiam* (inquit) *assumpsit, quomodo carnem: fuit enim tristis, sicut Evangelium dicit. Nolite putare non fuisse tristem Dominum: si enim hoc dixerimus, quia non erat tristis, cum Evangelium dicat, Tristis est anima mea usque ad mortem; ergo quando dicit Evangelium, Dormivit Jesus, non dormivit Jesus: & quando Evangelium dicit, Manducavit Jesus, non manducavit Jesus: subrepit vermiculus putredinis, & nihil sanum relinquet, ut dicatur, Et jam corpus non erat verum, & carnem veram non habuit.* III. Probatur ratione, quam insinuat hoc loco Augustinus, quoniam propter auctoritatem divinarum Scripturarum tenemur credere Incarnationis mysterium; itaque ob eamdem auctoritatem debemus tenere veritatem passionis. Deinde proponitur nobis a Principe Apostolorum Epist. i. cap. ii. 21. Christi passio, *ut sequamur vestigia ejus.* Ut ergo nos debemus vere crucem tollere, & mortem subire, ita Christus vere crucis supplicium, ac mortem pertulit.

Porro hanc passionem fuisse in Christo naturalem, nec repugnantem conditioni humanitatis assumptæ, etsi prohibente Verbo nihil perpessus foret, nec potuissent inimici trahere invitum ad supplicia, facile demonstratur. Contra Eutychianos quidem, quia humana Christi natura non fuit in divinam commutata, neque affirmari potest Christum divinitate passum, ut infra suo loco probabitur.

Ad-

Adversus autem Aphthartodocitas demonstratur primo, quia constat ex Scripturis ac Patribus hoc, & superiori capite allatis, Christum *ex infirmitate, secundum humanæ fragilitatis assumptionem, & per naturam hominis* crucifixum ac mortuum; non ex virtute, non secundum divinitatis omnipotentiam, non per supernaturalem aliquem in assumptam humanitatem influxum. Postremo si Aphthartodocitæ contenderent, captu perdifficile esse, quomodo Christus frueretur visione divinitatis, & tamen potuerit esse obnoxius dolori; aut ob unionem hypostaticam nullam pœnam potuisse Christum afficere, nisi volentem, ideoque apparere in Christi passione mirabilem œconomiam, a veritate nullatenus declinarent. At supposita veritate passionis ac libera voluntate patientis, credere dolorem supra naturam, ut Leontius inquit, est velle ignorare quid carnis sit proprium, & nolle percipere, quod omnis actus supernaturalis est *secundum adscensum, & progressum ad melius, non secundum naturalem potentiam, vel depravationem habituum.*

Opp. I. Appellatur Christus Dominus in Scripturis secundus Adam. Sicut ergo Adam in accepta justitia perseverans nulla fuisset affectus animi ægritudine ac pœna; ita nulli tristitiæ, ac dolori Christus obnoxius fuit. Resp. I. retorquendo argumentum. Etenim Adam innocens divina tantum gratia, non proprietate naturali erat immortalis, alioqui non indiguisset ligno vitæ; & ideo permittente Deo Adæ lapsum non fuit illi mors supernaturalis, sed illius naturæ consentanea: atque ita Christi caro mortalis erat, & naturaliter capax dolendi, ac reapse doluit Deo permittente ac volente, cum hac tamen discrepantia, quod mors & passio acciderunt Adamo in pœnam peccati, Deo volente ac subtrahente beneficium indebitum; sed Christus passus & mortuus est in peccati remedium, Deo volente debitam satisfactionem, atque exercente indebitam misericordiam. Deinde respondetur negando consequentiam. Nam in hoc Christus Adamo comparatur, quod sicut iste carnalis generationis, ita ille spiritualis auctor est: sed talem carnem sibi Dominus per hypostasim univit, qualem Adam habuit post peccatum, quia non venit ut salvaret hominem innocentem, sed ut redimeret peccatorem; & idcirco venit *in similitudinem carnis peccati.*

Opp. 2. Tradunt Patres Christum passionis fuisse expertem, vel *quia ejus corpus necessaria non postulabat ministeria*, ut inquit in VI. Strom. Clem. Alex. vel quia *passio ei dominari non poterat*, ut docet in cap. XXVI. Matth. S. Hieronymus: vel quia dicitur in Scripturis timuisse mortem, & fuisse tristatum, *quia Ecclesiæ gerebat personam*, ut scribit S. Pater Augustinus Exposit. 2. in Ps. XXI. Resp. Clementem Alex. asserere Christum fuisse expertem passionis, cui nos necessitate subjicimur, dum non possumus aut famem, aut lassitudinem, aut dolorem expellere nisi subministratione cibi, dormitionis, medicamenti: Hieronymum denegare Christo passionem ita prædominantem animo, ut invitum diverberet; & S. Patrem docuisse, quod non timabat Salvator mortem, nisi ut gerebat personam Ecclesiæ, quoniam ipse libera potestate posuit animam, quam Martyres ejus membra vi tormentorum immolarunt.

Opp. 3. Quæ eveniunt nobis volentibus, nequeunt dolorem & tristitiam afferre. Si ergo Salvator quia voluit oblatus est, nullum revera mœrorem, doloremque percepit. Resp. concedo antecedens, & nego consequentiam. In nobis enim locum habent passiones subrepentes absque libera deliberatione, & excruciantes invitos, quoniam in nostra potestate non est, ut adveniant, ut suscipiantur, ut sensus afficiant. At in Christo fuerunt propassiones sponte plenissimaque electione susceptæ, non dominantes animo, sed ad rationis imperium, ac personæ divinæ permissionem desævientes, ob summam potestatem vel infirmitatem tractandi, vel omnipotentiam exercendi: *Turbaris tu nolens, turbatus est Christus quia voluit*, ait S. Pater Tract. XLIX. in Joannem, & rationem hanc profert: *In illius potestate erat sic, vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam. Nam & anima Apostoli Verbo illustrata est, anima Petri Verbo illustrata est, anima Pauli & aliorum Apostolorum, ac sanctorum Prophetarum Verbo illustratæ sunt animæ, sed de nulla dictum est, Verbum caro factum est: de nulla dictum est, Ego & Pater unum sumus. Anima & caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est, ac per hoc, ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbavit semetipsum.*

Opp. ultimo. Christus quocunque momento habuit divinitatem hypostatice carni conjunctam; & fruebatur etiam beatitudine & gloria, cum qua tristitia & dolor nequit consistere. Quomodo ergo tristatus est, passus est? Resp. non alia ratione tristatum ac passum, nisi ob allatam nuper: nimirum ob summam potestatem exercendi omnipotentiam & infirmitatem tractandi, quemadmodum si noluisset, nulla vis poterat illum flagellis cædere, vulneribus confodere, & occidere; ita permittente ac volente, virtus divinitatis, & gloriæ amplitudo nullum passionis tempore in carne producebant effectum, ut possent illam funes, verbera, clavi, lancea constringere, laniare, confodere. Sed de hoc argumento etiam infra.

CAPUT VII.

An superiori doctrinæ adversetur sanctus Hilarius Pictaviensis.

HUCUSQUE producta ad duplex dogma possunt reduci, quorum unum est, fuisse in Christo veram carnem ac nostræ consubstantialem in utero Virginis procreatam: alterum in ipsa carne vere humanis passionibus, libere tamen susceptis, eumdem Christum fuisse obnoxium. Quæritur an utramque sententiam tenuerit Hilarius Pictavorum Episcopus. Enim vero in priori dogmate dubiam Hilarii mentem asseruerunt Erasmus, & Scultetus: in secundo autem illum errasse tradiderunt Claudianus Mamertus, Berengarius, & alii apud PP. Benedictinos in Præfatione ad Hilarium; nec non Ferdinandus Vellosillus Q. XXI. in VII. Tomum Augustini, ubi errorem de Christi indolentia, quem probavit aliquando Justinianus, appellat dogma Hilarianum; quamvis nunquam aut Augustus Imperator, aut Aphthartodocitarum aliquis attulerit testimonia Hilarii in patrocinium erroris: quod pro sancti Episcopi defensione haud parvum est argumentum. Nos cum Magistro Sententiarum Dist. XV. libri III. aliisque Scholasticis, præsertim D. Thoma, D. Bonaventura, & quos prædicti Patres S. Mauri loco citato commendant, & cum Recentioribus fere omnibus rejicimus, ac refutamus subjectis positionibus sinistram de Hilarii doctrina suspicionem.

PROPOSITIO I. S. Hilarius tribuit Christo verum corpus nostro consubstantiale, & ex Mariæ carne susceptum.

Demonstratur. Qui fatetur Christum revera originem ducere ex semine Abraham, & ex genere Davidis; conceptum in utero Matris, atque inde assumpsisse corpus nostræ naturæ, is quidem in Christo profitetur verum corpus ex Virgine generatum. Hilarius disertissime hæc omnia docuit. Igitur in Christo veram carnem, eamque ex Virgine assumptam professus est. Prob. min. I. Christi ex Abrahamo & Davide originem fatetur Hilarius in Ps. LIX. n. 2. dicens: *Ex Juda, & Moab originem sumens*: in Ps. 67. n. 28., ubi Christum natum appellat, *De Juda frutice*: in Psalm. 131. n. 2. scribens, *Nomen sumens ejus* (Davidis) *cujus ex genere sumebat & corpus*. II. Assumpsisse Christum ex Virgine carnem aperte tradit Hilarius in Psalm. 65. num. 12. his verbis, *Assumpta ex Virginis carne naturæ*: in Psal. 118. lit. 14. n. 8. *Natura nostræ sibi ex Virgine corpus assumens*: in Psalm. 138. n. 2. *Ex utero sanctæ Virginis assumpsit carnem*. III. Eamdem Christi carnem esse nostræ consubstantialem docuit Hilarius lib. IX. de Trinit. n. 7. *Corporis nostri natus homo*: Lib. X. num. 15. *Ad redemptionem animæ nostræ, & corporis nostri perfectus est natus*: Lib. I. n. 13. *Carnem peccati recepit, ut assumptione carnis nostræ delicta donaret*. Hilarius itaque in Christo Domino asseruit veram ex semine Davidis generationem, formatum ex carne Virginis corpus, & carnem nostræ consimilem: quod erat demonstrandum.

Oppones I. Hilarius de Maria Virgine ait lib. X. de Trinit. num. 16. *Non enim ex se corpori Maria originem dedit*. Et lib. III. n. 19. *Et certe non suscepit quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit*. Libro etiam X. num. 35. Christum vocat habentem corpus *spiritalis conceptionis*. Atqui si Maria non dedit corpori Salvatoris originem, si idem corpus ex elementis non constat, si formatum non est carnali generatione, Christus non habuit veram carnem assumptam ex Virgine. Ergo hanc revera carnem in Christo denegavit Hilarius.

Resp. explicando Hilarii verba. In priori loco non extant particulæ *ex se*, additæ præter fidem Codicum melioris notæ ab Erasmo: imo eodem libro num. 35. legitur: *Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex spiritu.* Deinde corpus Christi divini fuit operis, nec principium habuit naturali virtute, ideoque recte dicitur non fuisse, nisi ex spiritu, in quantum spiritus illius corporis origo est, & principium efficiens, ut explicat Hilarius ibidem num. 18. & in Epistola ad Flavianum Leo Magnus. Secundo loco docet productam Christi carnem absque elementorum pudore, idest, *nulla terreni seminis mixto contagio*; ut explicat lib. X. num. 15. & 35. ubi originem, & elementa declarat esse semen virile. In tertio denique loco vocat conceptionem Christi *spiritalem*, quia Virgo genuit quidem ex se corpus, sed quod conceptum esset ex virtute Spiritus sancti, ut ibidem num. 35. Itaque distinguo minorem, non fuit ex Virgine assumpta Christi caro, si Maria corpori non dedit originem; idest, si non genuit ex se corpus, concedo; si conceptum fuit Spiritus sancti virtute, nego. Distinguo etiam illius propositionis partem alteram, Christi corpus non fuit ex elementis compactum, scilicet genitum fuit absque elementorum pudore, mixtoque seminis contagio, concedo: non fuit ex elementis, ex corporalibus membris, & carnis nostræ natura; nego. Similiter tertiam partem distinguo, conceptio Christi fuit spiritalis, ratione corporis, quod Virgo genuit, nego: ratione virtutis, per quam idem corpus conceptum fuit; concedo minorem, & nego consequentiam.

Opp.

Opp. 2. Negat Hilarius in Christo originem hominis, affirmatque solam originem similitudinis hominis, scribens lib. x. n. 25. *Hominis habitus est origo, non hominis*. Resp. eo loci hæc tradere Hilarium: *Non fuit habitus ille tanquam hominis, sed ut hominis; neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati: dum & habitus carnis in nativitatis est veritate, & similitudo carnis peccati a vitiis humanæ passionis aliena est*, &c. Quare Hilarius negat tantum in Christo originem illam hominis vitio humanæ conceptionis permixtam, unde producitur *caro peccati*; non originem a vitio humanæ conceptionis alienam, per quam Christus factus est *in similitudinem carnis peccati*.

PROPOSITIO II. Idem Hilarius non asseruit in Christo hominum Redemptore indolentiam.

Attandere quippe in Hilario debemus judicium de ipsius doctrina Antiquorum, scopum verborum, ac sententiarum in iis locis, quæ objiciuntur, & testimonia alibi expressa. At si ad hæc omnia mentam sedulo convertamus, liquet Hilarium non tenuisse de Christi passionibus falsam opinionem. Non ergo hanc Hilario possumus, servata judicii æquitate affricare. Priorem assumptæ propositionis partem non solum demonstrat argumentum negativum, quod nullus unquam huic addictus errori, Justiniano Imperante, cum notissima esset, ac celeberrima Hilarii fama, nec ullus ante Claudianum Mamertum, qui floruit circa annum 440. sinistrum protulit de Hilario judicium; verum etiam positiva argumentatio petita ex iis, qui pro Hilario scripserunt, ex Lanfranco, Hunaldo, divo Thoma, sancto Bonaventura, Guilelmo Parisiensi, aliisque Scholasticis, qui Commentaria ediderunt in Dist. xv. tertii libri Sententiarum, nec non ea Patribus affirmantibus Hilariana scripta posse quemque *inoffenso pede decurrere*, quemadmodum in Epistola ad Lætam testatur Sanctus Hieronymus.

Partem alteram de scopo librorum illorum, qui in controversiam trahuntur, sic probo. Videtur Hilarius omnem tristitiam & passionem a Domino removere capite xxxi. in Matthæum, & libro x. de Trinitate. At removet tantum passiones a divinitate, non ab humana Christi natura, si disputet contra plerosque Apollinaristas & Arianos, quorum aliqui affirmantes Verbum supplevisse vicem animæ, aliqui vero opinantes infirmam ipsam Verbi divinitatem, hanc doluisse, dum caro figeretur in cruce, impie & audacter asseverabant, quemadmodum liquet ea libro v. Theodoreti c. 11. atque aa Romana Synodo sub Damaso celebrata. Et quidem Hilarium adversus hæreticos illos disputara, satis compertum est. Citato enim c. xxxi. in Matth. inquit: *Volunt ex infirmitate corporis ærumnam spiritui adhærere, ac si Virtatem illam incorruptæ substantiæ imbecillitatis suæ forte assumptio carnis infecerit, & æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida, jam corruptioni subdita erit, & incidet in eam totius infirmitatis affectio*. Ita num. 2. pag. 741. & num. proximo, *Sed eorum omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Dei filium incidisse, qui asserunt non de æternitate esse prolatum, neque de infinitate paternæ substantiæ extitisse, sed ex nullo per eum qui omnia creavit effectam*. Libro pariter x. de Trinit. num. 9. pag. 1041. se disputationem suscipere testatur contra præfatos Potamii, aliorumque insigniorum Arianorum gregarios, ista præmittens: *Volunt enim plerique eorum non in natura eum impassibilis Dei fuisse, ut qui timuit, & doluit, non fuerit in ea potestatis securitate, quæ non timet, vel in ea spiritus incorruptione, quæ non dolet; sed inferioris a Deo Patre natura, & humanæ passionis trepidaverit metu, & ad corporalis pænæ congemuerit atrocitatem*. Est itaque Hilarii scopus utroque in loco hos hæreticos, sive Apollinaristas, sive Arianos refellere.

Tertiam partem spectantem ad expressam de Christi passione sententiam loca proxima evincunt. In Psalmum LIII. num. 3. ait: *Omnia secundum hominem passus est*, & n. 7. *Omnia quæ hominum sunt & oravit, & passus est: & ex communi nostra infirmitate salutem sibi est deprecatus a Patre, ut nativitatem nostram, cum ipsis infirmitatis nostræ iniisse intelligeretur officiis. Hinc illud est, quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœstus fuit, flevit, & passus & mortuus est*. Et in Ps. LIX. num. 6. *Et hæc quidem in eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt; sed ab eo natura sua virtute suscepta sunt, dum mortem nostram potens non mori, etiam timorem in se mortis ingruentem non vennit*. In Psalmum pariter LXVIII. num. 1. *Dolet ipse quidem extra necessitatem & timoris positus & doloris, sed his se tamen quæ suscepit accommodans*. Hæc aliaque a PP. S. Mauri collecta adeo sunt manifesta, ut quidam haud recte de sententia alibi tradita judicium proferentes appellaverint Hilarii in Psalmos Commentaria *librum illius Retractationis*.

Sed in iisdem etiam locis, quæ objectantur, Hilariana doctrina satis apparet. Enimvero c. xxxi. Commentarii in Matthæum, posteaquam a Christo tristitiam, mortisque metum ablegaverat, demonstrans fuisse in illo angorem quemdam, ac timorem non illatum a morte, quam subiret invitus, sed potius a scandalo discipulorum, & imbecillitate credentium num. 5. inquit: *Scirbat exterrendos, fugandos, negaturos: metuebat ne se Deum abnegarent, quem cæsum, & consputum, & crucifixum essent contemplaturi*. Et num. 7. *Totus igitur super his, qui passuri erant, metus est*. Et num. 10. *Passuris discipulis per fidei justificationem, omnem in se corporis nostri infirmitatem assumpsit, cruceque secum universa ea quibus infirmabamur affixit. Ideo peccata nostra portat, & pro nobis dolet: quia fides in nobis calore fervente, cum adversum diabolum passionis bello sit decertandum, omnes imbecillitatum nostrarum dolores cum corpore ejus & passione moriuntur. Et ideo transire ab eo calix non potest, nisi illum bibat; quia pati nisi ex ejus passione non possumus*. Vide pag. 802. & 803. Aperte itaque Hilarius agnoscit metum, & passionem in Christo, licet caussam non repetat ea violenta morte, quæ non poterat in Dei filium incidere, sed ex hominum sceleribus, ac passionibus Martyrum, quam ob causam nostram assumpsit infirmitatem.

Eadem Hilarius docet lib. x. de Trinit. num. 36. & seq. usque ad 40. Et postquam hoc libro plura adversus hæreticos referentes dolorem in Christi impatibilem divinitatem disseruit, num. 47. ait: *Passus igitur Unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates; sed passus virtute naturæ suæ, ut & virtute naturæ suæ natus est: neque enim cum natus sit, non tenuit omnipotentiæ suæ in nativitate naturam*: & infra, *Secundum quod ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri, corporis sui virtute susciperet*. Numero denique 67. *Passus quidem est Unigenitus Dei quæ homines pati possunt: sed utamur Apostoli fide, atque dicto, Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas*, &c. Ergo Hilarius negat in Christo passionis necessitatem, & dolorem qui irruerit in naturam divinitatis, sed non passionis sensum veramque tristitiam, ut extrinsecis argumentis, atque ex scopo, apertisque sententiis ejusdem Hilarii hactenus probatum est.

ARGUMENTATIONES OPPOSITÆ DILUUNTUR.

Opp. 1. Hilarius omnem a Christo tristitiam removet libro x. de Trinit. num. 10. *Interrogo*, inquit, *eos, qui hoc ita existimant an ratione subsistat ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis timorem mortis appellens ad gloriam se eos martyrii adhortatus*. Et num. 36. ait Christum non fuisse tristem propter mortem. *quia ubi propter mortem tristitia est, illic mors caussa tristitiæ est*. Rationem vero profert num. 11. his verbis: *Humano enim generi vitæ mortem aut vis exterior, idest febris, vulneris casus & ruina degrassata in corpus accelerat, aut ipsa natura corporis nostri seato in eam ipsem mortem victa concedit. Unigenitus autem Dei ita potestatem habens ponendæ animæ suæ*, &c. Confirmat idem num. 27. ea virtute miraculorum, dicens: *An ut timuit mori, qui armatis obvius prodiit? & in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina supinatis corporibus conciderunt?* &c. Similia habentur capite xxxi. Comment. in Mat.

Resp. disting. ant. Removet Hilarius a Christo tristitiam, quæ in impatibilem divinitatem irruerit, aut ex necessitate naturæ dominata sit animo, concedo. Removet tristitiam irruentem in corporis nostri infirmitatem assumptam, & libera divinæ personæ potestate susceptam, nego. Quamvis ax dictis pateat responsio, eadem ex ipsis, quæ objiciuntur, locis collustratur. Itaque Hilarius num. 10. dum ait, *Interrogo eos*, &c. aperte declarat se loqui adversus plerosque hæreticos affirmantes Christum *non in natura impassibilis Dei fuisse, ut qui timuit, & doluit, non fuerit in ea potestatis securitate, quæ non timet, vel in ea spiritus incorruptione quæ non dolet, sed inferioris a Deo patre natura*. Negat itaque Christum congemuisse, & doluisse secundum naturam divinitatis, & trepidasse eo metu passionis humanæ, in cujus potestate non est pœnæ abjicere atrocitatem. Num. 36. ait non fuisse mortem in Christo causam necessariæ tristitiæ, quoniam in ejus potestate erat animam suam ponere. tristem autem fuisse non negat ea tristitia, quam sponte suscepit caussa nostri, atque ut discipulorum suorum imbecillitatem confirmaret; ut supra ostendimus. Similiter n. 11. inter Christum ceterosque homines illud statuit discriminis, quod in nos patiendi necessitate obstrictos febris, vulnera, & senectus irruunt etiam invitos; in Christum vero, qui libere infirmitatem carnis nostræ suscepit, mors eo tantum permittente deſæviit. Propterea addidit post verba, quæ objiciuntur: *Quod si ex se mortuus est, & per se spiritum reddidit, non est terror mortis in potestate morientis?* Eodem pacto num. 27. ex Christi omnipotentia, patratisque miraculis evincit in eo minime fuisse trepidationem ac terrorem perturbantem, & afficientem invitos; quod his verbis demonstrat: *Quam ergo infirmitatem dominatam hujus corporis credis, cujus tantam habuit Natura virtutem?*

Oppones 2. Eodem libro de Trinitate num. 23. Hilarius aperte in Christo negat omnem sensum doloris. Primo enim ait in Christum irruisse quidem impetum passionis, non pœnam: *In quo quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen*

dolorem

dolorem passionis inferrent. Deinde affert exempla aliorum corporum, quæ omni prorsus doloris sensu sunt destituta, dicens: *Ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has passiones natura sua infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret; sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est, vel aquam forare, vel pungi ignem, vel aera vulnerari*. Quemadmodum ergo non patitur aut aer, aut ignis, aut aqua, ita Christus nullius passionis sensu effectus est.

Resp. hæc quidem difficilia esse, si ab aliis sejuncte legantur; ac non si totus liber decimus expenderetur: in quo num. 9. scopum suæ disputationis proponit, & refutatis hæreticis, num. 47. & 67. absque ulla ambiguitate concludit Christum *ex infirmitate corporis nostri passum in corpore*, non quidem ex necessitate, sed libera potestate virtutis. Hilariane verba superius recitavimus. Eamdem ergo adhibemus responsionem. Denegat Hilarius in Christo omnem sensum doloris irruentem in divinitatem, & prædominante atrocitate torquentem invitum, concedo: afficientem infirmitatem corporis, & divina permittente virtute inferentem passiones, nego. At inquis in aere, in aqua, in igne dum perforatur, & pungitur, non est natura quæ patitur; igitur nec patibilis natura fuit in Christo. Recte concluderes, nisi Hilarius præmisisset se disputare adversus Hæreticos, qui affirmabant Christi divinitatem fuisse inferioris a Deo Patre naturæ, & humanæ passionis metu trepidasse, & corporalis pœnæ atrocitate congemuisse. Qui hæc tali declaratione præmisit, nec humanæ passionis metum, nec corporalis pœnæ atrocitatem in Christo negavit: sed metum, atque pœnam ad quam trepidaverit & congemuerit divinitatis natura. Itaque argumentationem diluo dicens, quod sicut telum aera compungens, aut vulnerans aquam affert impetum, sed pœnam non infert; ita clavi perforarunt Christi corpus, non tamen intulerunt divinæ naturæ dolorem passionis.

Opp. 3. Docuit Hilarius Christum nec passum, nec dolore aliquo affectum fuisse etiam spectata natura, & infirmitate corporis nostri. Defendi ergo ab errore non potest. Probatur antecedens. I. Eodem num. 23. docet, quod etsi passus est Dominus quatenus passio irruit in ejus corpus, tamen ipsa corporis virtus passionem excepit sine aliquo sensu pœnæ: *Passus quidem est*, inquit, *Dominus Jesus Christus dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur; sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio nec tamen naturam passionis exseruit: dum & pœnali ministerio desævit, & virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit*. II. Diserte affirmat non habuisse corpus Domini naturam dolendi verbis sequentibus: *Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, & super fluctus eat, & non degravetur ingressu, neque aqua insistentibus vestigiis cedat, penetret etiam solida, nec clausa domus obstaculis arceatur*. Quibus verbis ex corporis Christi perfectione demonstrat habuisse naturam doloris expertem. III. Idem comprobat ex mirabili corporis Dominici conceptione, subnectens, *Quid per naturam humani corporis conceptam ex spiritu carnem judicamus? Caro illa, idest, panis ille de cælis est, & homo ille de Deo est: habens ad patiendum quidem corpus, & passus est, sed naturam non habens ad dolendum. Natura enim propria ac sua corpus illud est, quod in cælestem gloriam conformatur in monte: quod attactu suo fugat febres, quod sputo suo format oculos*.

Resp. nego antecedens. Atque ad primam probationem dico sanctum Hilarium per *virtutem corporis* ipsam intelligere impatibilem divinitatem. Ita in Ps. 11. num. 25. inquit: *Infirmitas honore est donata virtutis*, & in caput 1x. Matth. num. 7. *Fragilitatem corporis Virtus assumpsit*. Planissima est verborum Hilarii intelligentia: passum Dominum, & in corpus ejus irruisse passionem, sed hanc *Virtutem*, idest divinitatis naturam absque dolore excepisse. *Passus est ergo Deus* (inquit in Ps. 53. num. 12.) *quia se subjecit voluntarius passioni: sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est inferri) virtutes, ipse tamen a natura suæ virtute non excidit, ut doleret*. Ad 2. eadem est adhibenda responsio: quippe nomen *Naturæ* accipit Hilarius pro sola divinitate, quo sensu ait eodem libro x. de Trinit. num. 66. *Cum infirmitas esset ex forma servi, & natura maneret ex forma Dei*. Christi itaque corpus non habuit *naturam dolendi*, in quantum Christi *natura*, idest, divinum Verbum passionem voluntarie suscepit: *nec passio illa fuit conditionis & generis, ut indemutabilem Dei naturam vis injuriosa turbationis offenderet*, inquit in Ps. 1111. Idem probant exempla ab Hilario eo loci adducta, quandoquidem Christi corpus habuit naturam, quæ ferebatur in humidis, insistebat in liquidis, & attactu suo mirabilia patrabat, non spectata conditione corporis, sed virtute divinitatis, quemadmodum docet Hilarius lib. vII. de Trinit. num. 36. Ad tertium valet hæc eadem responsio: concepta enim Christi caro de Spiritu sancto, & divinitati hypostatice conjuncta non habuit *naturam ad dolendum*, quatenus unita fuit Divinitati impatibili, & *Virtuti*, quæ corpus assumptum voluntarie subjecit passioni; ipsam tamen *naturam ad dolendum* habuit in se spectata. Atque his, si alia occurrant in Hilario difficilia, commode poterunt explicari.

CAPUT VIII.

De Christi Domini Anima, atque Intellectu.

ARIANORUM plerique, ut ex præcedenti capite infertur, corpus quidem e Verbo fatebantur assumptum, sed vicem animæ præstasse Divinitatem, quo hanc patibilem, & natura Patris adstruerent inferiorem. Testis est hujus erroris Athanasius de Incarnat. adversus Apollinaristas, Epiphanius de Anaceph. & S. P. Augustinus cap. lv. De Hæresibus. Apollinario tamen error iste præsertim tribuitur, quod revera non fuerit inter Arianos, & Eunomianos communis, Laodicenus autem Antistes illum apertissime propugnaverit. Nam eum anno 362. damnatus est in Synodo Alexandrina, cui interfuerunt Athanasius, & Eusebius Vercellensis, ob præclaram illius æstimationem non fuit expresse nominatus: sed proscripta tantum fuit hæresis sub ejus nomine anno 381. in 11. Constantinopolitana Synodo Generali.

Notandum tamen est, quod Apollinaristæ humanam quidem animam Christo denegarunt, sed admiserunt tandem sensitivam, quali gaudent bruta animantia. Sanctus enim Pater Augustinus loc. citato ita illorum hæresim describit: *Apollinaristas Apollinarius instituit, qui de anima Christi a Catholica dissenserunt, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In quæstione testimoniis victi mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum verbum in ea fuisse dixerunt*. Idem docent Athanasius libro contra Apollinarium primo, Cassianus de Christi Incarnat. Vincentius Lirinensis cap. 17. Commonitorii, aliique complures. Primum itaque videndum est, an Verbum divinum animam revera assumpserit, deinde an hæc anima mente ac ratione prædita fuerit, an vero mente tantum cælesti eaque divina.

PROPOSITIO I. Divinum Verbum animam humanam assumpsit.

Demonstratur Scripturis, Traditione, & Theologicis argumentis. Atque in Scripturis habetur 1. Joannis x. 15. *Ego pono animam meam pro ovibus meis*. Hanc profecto animam constat non esse Verbum Divinum, quoniam istud eadem Persona est, quæ animam posuit, dum tradidit spiritum, & dum resurrexit, iterum illam sumpsit. Neque dicas accipi hoc loco animam pro vita tantum temporali, ita, ut ponere animam idem sit ac mortem subire: cum enim vita sit animæ in corpore officium, mors autem ejusdem animæ a corpore separatio; idem est posse mori, ac posse animam a carne divelli. Imo, etsi mors contingere aliquando posset absque animi separatione e corpore, dummodo illa vitæ officium, sive intrinsecum motum subtraheret, quemadmodum asseruit Picus Mirandulanus: adhuc Verbum, quod animam posuit, & reassumpsit, ideoque illam a corpore vivificando pro libito sejunxit, & revocavit, non anima esset, sed exercens in animam, ejusque officia potestatem. II. Tribuunt Scripturæ Christo passiones animæ, ut Joan. x11. 27. *Nunc anima mea turbata est*: & Matth. xxvI. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*; nec non desiderium, mœrorem, aliasque passiones, quas supra diximus, in impatibilem divinitatem non cadere.

Traditio etiam Patrum exploratissima est. Athanasius in primo adversus Apollinarium libro ait: *Quomodo tristis, & animo turbatus humanam non habuit animam? Tribuere enim talem sensum materiæ insensibili absurdum, Deo immutabili adscribere blasphemum*. Theodoretus de Hæret. Fab. *Si enim Verbum Deus animam non assumpsit, nec liberare eam, nec gloriam ei parare potuit*. Eamdem rationem affert Damasus Papa in Epistola Synodica, in qua hanc Apollinarii hæresim proscripsit. S. Pater Augustinus Epistola ad Dardanum num. 4. *Profecto cum dicis hominem perfectum, totam illic naturam humanam vis intelligi: non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit*. Cap. 4. de Fide, & Operibus adducit sanctus Pater eamdem rationem nuper ex Damaso, & Theodorito productam: quam etiam reperies in priori Nazianzeni Epistola ad Cledonium. S. Fulgentius in libro de Incarnat. ad Trasimundum cap. 14. & ipse Apollinaristas refellit, ex quo anima gravius peccatum sit vulnerata, quam corpus, atque illi dignitate præcellat. Addit cap. 15. hoc argumentum, quod tentatis in anima passio Christi afferat auxilium, *nec in eo, quo tentatus non est, tentatis auxilium ministret*. Validissimum utique argumentum, ac desumptum ex Epistola ad Hebræos cap. 11. v. 17. & 18. Laudatus Athanasius citato libro Apollinarium urget ex Christi ad inferos descensu. *Quomodo*, inquit, *affirmabitis cælestem in Christo mentem fuisse animæ rationalis partes obeuntem? An in duas divisum partes corpus ejus dicetis? An alia ejus pars in sepulcro, alia apud inferos exstitit? Quomodo fieri potest, ut qui animum non haberet, ad inferos descenderit?* Sufficiat pro reliquis omnibus Synodica

nodica praeeitati Concilii II. Constantinopolitani, in qua legimus: *Incorruptam retinemus Incarnationis Domini doctrinam, nec corpus ejus anima suaque mente destitui, nec Incarnationem ejus imperfectam esse statuentes.*

Ex his Theologicæ argumentationes promuntur. Prima quod Christus verus homo est: at non esset, si rationali anima, quæ hominis est pars præcipua, careret. Altera quod hominem assumpsit, ut illum redimeret, est autem animorum potius, quam corporum Reparator. Tertia quod in divinitatem, ut diximus, naturæ nostræ passiones, nec mors, nec descensus ad inferos, nec resurrectio a mortuis potest cadere. Postrema, quod tribuit animabus in tentatione victoriam, ideoque & ipse in anima tentatus est.

Obiter nota valere adversus hæresim Apollinarii sequentiam quoque illorum Philosophorum, qui arbitrantur solam rationalem animam esse dolendi, ac sentiendi capacem. Etenim Apollinaristæ, cum Orthodoxi ad firmandam Catholicam doctrinam illos provocarent ad illa Salvatoris verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, respondebant tristem fuisse *sentiente anima*, & optime corpus posse absque anima rationali *pati atque sentire*, ut in brutis animantibus contingit. Vide hanc ipsorum responsionem inter Op. Sancti Athanasii Dialogo IV. de Trinitate. Si ergo dixeris nullam corpoream animam sentire, ut docent Philosophi recentiores, omne hac etiam sententia tollitur Apollinaristis perfugium. Imo videtur Athanasius ex hac ipsa Recentiorum sententia hæreticos refutare, dum ait: *Quomodo tristis, si humanam non habuit animam? Tribuere enim talem sensum materiæ insensibili absurdum.* Et fortasse si daretur anima, quæ rationalis non esset, & nihilominus dolorem sentiret, possent Apollinaristæ aliqua arte argumentationes istiusmodi eludere, ut animadvertit Auctor Historiæ Symboli Apost. pag. 204. Itaque aliis recentiorum Philosophorum ratiocinationibus petitis sive ex Scripturis, quæ animantium animam ponunt in sanguine, Genes. IX. 4. & Deut. XII. 23. sive ex motibus animalium a solo spirituum influxu, & organorum dispositione pendentibus, ut liquet in iis, qui fiunt in homine anima non advertente; accedit hæc, qua Athanasius impetit Apollinarium. Verum tamen est, quod præcisa hac de natura animæ quæstione, admissaque plurium animarum partitione, probatur in Christo anima rationalis ex ejus passionibus, quatenus fuerunt cum apprehensione animi conjunctæ.

PROPOSITIO II. Assumpsit Verbum divinum etiam humanam mentem atque intellectum.

Sequitur ex dictis. Illa enim anima mente ac ratione prædita est, imo a mente atque ratione indistincta, quæ apprehendit, quæ perfectum hominem constituit, quæ subsistit etiam a corpore separata. Talem esse Christi animam superiora argumenta demonstrant. Itaque mente ac ratione anima Christi destituta non fuit.

SOLVITUR OBJECTIO.

Apollinaristæ opponunt, quod tum ex Scripturis, cum ex ratione possit illorum hæresis comprobari. Delineans enim Joannes Evangelista cap. I. 14. Incarnationem Domini, ait *Verbum caro factum est*, nulla animæ, aut humanæ mentis facta mentione. Proximis verbis inquit: *Et habitavit in nobis*, demonstrans ad hoc in mundum venisse, ut conversaretur cum hominibus; ad quod sane necessaria non videtur animæ assumptio. Ad quid autem hæc anima? Ut mortem Salvator pateretur? At mors in corpus vim habet, non in animam. Ut descenderet ad inferos? At descendit divinitas, vel persona. Ut miracula patraret? Verum hæc omnipotentiæ sunt opera. Itaque ut carnem adsumeret, habuit Dei Verbum apertam caussam habitandi inter homines, & pro hominibus moriendi: ut adsumeret etiam animam, caussam nullam habuit, præsertim cum posset ipsum Verbum supplere rationalis animæ munera, & facultates.

Resp. hæc ex dictis esse soluta. Diximus enim Scripturas non solum Christi carnem commemorare, sed etiam animam, spiritum, naturam humanam, atque hujus proprietates. Joannes ergo cap. I. *carnem* pro toto homine posuit, ut Gen. VI. 12. Esaiæ XL. 5. Matt. XXIV. 22. Lucæ III. 6., & ad Rom. III. 20. *Carnem* etiam Joannes commemoravit adversus emergentes hæreses eorum, qui negabant Christum in carne venisse, atque ut ostenderet fuisse in corpore visibilem, manifestum, atque tractabilem, ut scribit adversus Praxeam Tertullianus. Addit caussam alteram Ep. 120. Augustinus, *Ut Christi humilitatem magis ostenderet.* Neque Filius Dei factus est homo tantummodo ut habitaret in nobis, sed ut poneret animam suam, ut peccatores salvos faceret, ut tentaretur per omnia in similitudine absque peccato. Infertur quidem mors corpori, sed anima recedente, & ratione ipsius animæ divina Persona descendit ad inferos, & resurrexit, quippe, ut ratiocinatur citato loco Athanasius, *necesse est ab inferis resurrectionis initia repetere, ut perfecta & vera sit resurrectio, solutio nempe a morte, & liberatio spiritus ibi adservati.* Hæc, & alia plurima, cujusmodi sunt affectus omnes humani a Verbo absque mentis perturbatione susce-

pti, competere nequeunt divinæ naturæ immutabilitati. Ideoque nequit hæc singulas humani spiritus partes explere.

CAPUT IX.

De rationalis animæ Christi perfectione, quantum spectat ad mentem, atque intellectum.

NON soli Ariani exspoliarunt Christi animam plenitudine sapientiæ, ut ex illius ignorantia probarent non habuisse summam, perfectissimamque divinitatem, & qui purum hominem illum esse commenti sunt Gnostici, Ebionitæ, Sociniani: verum etiam specialis sectæ quidam hæretici, quos appellaverunt ob perversum illud dogma *Agnoitas*, de quibus Codice CCXXX. Bibliothecæ Photius. Cum obscurioris nominis sint, non alios putandum est fuisse Agnoitas, quam *Corrupticolas*, de quibus egimus supra. Ad horum modo refutationem præmittimus duplicem esse scientiam, divinam scilicet, & humanam: hanc vero aut inditam, qualem habuit Adam; aut acquisitam studio, vel experimento comparatam; aut beatificam, quæ in intuitiva visione Dei sita est. Atque de scientia divina, quoniam a divinitate nequit sejungi, hac alibi demonstrata, ut iterum disceptemus videtur supervacaneum. Quare de humana Christi scientia dicturi, principio adversus Joannem de Ripa in III. Sent. disput. XIV. & Hugonem Victorinum in libro de Sapientia Christi, demonstrabimus hanc necessario esse admittendam, neque Salvatorem nostrum sola divina scientia fuisse præditum: deinde vero de scientia Christi acquisita, ac postremo loco de ea, quæ beatorum spirituum propria est, disseremus.

PROPOSITIO I. Præter increatam divinamque scientiam fuit Christus exornatus perfectissima scientia infusa, & creata.

Demonstratur I. ex VI. Synodo Generali, in qua, ut dicam proximo capite, definitum est duas esse in Christo *notitias impermixtas*, & duas voluntates. II. Probatur ratione. Assumpsit enim Verbum animam rationalem, quæ aut est sua natura substantia cogitans, aut ejus singularis proprietas est cogitare, & percipere. Habuit autem Christi anima omnem perfectionem; ideoque perfectam plenissimamque rerum omnium notitiam. Deinde Christus per intellectionem divinam atque increatam promereri non poterat, divinitas enim merendi incapax est; & consequenter meruit per intellectionem humanam, & creatam cum humana pariter & creata voluntate conjunctam. Atqui non potuit in merito proficere, ita, ut nova illi perfectio meriti accederet, alioqui imperfectam animam a principio habuisset. Igitur perfecta semper cognitione, perfectaque humana voluntate fuit exornatus. Traditur prior ratio ab Ambrosio de Sacram. cap. 7. a Hieronymo in VII. Isaiæ, & in Epist. ad Irenæum, ab Aug. in Psalmum 64. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 29.

Hæc argumenta probant fuisse in Christo scientiam, & cognitionem humanam; fuisse autem non solum perfectam, qualis ad merendum requiritur, sed etiam plenam, singularem, & divinitus inditam, demonstratur primo ex Scripturis: Is. XI. 2. *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ, & intellectus.* Joan. I. 14. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Ad Coloss. II. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* II. Probatur ex Patribus. Ambrosius Lib. V. de Fide cap. 18. inquit: *Nihil fuit, quod ignoraverit Dei filius.* Hieronymus ad Damasum: *Plenam habuit scientiam, & certissimam veritatem.* Augustinus loco nuper citato: *Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis.* III. Firmatur ratione, quam paullo supra produximus, quoniam minime decebat a Verbo animam imperfectam adsumi.

PROPOSITIO II. Fuit in Christo etiam scientia acquisita, & experimentalis.

Probatur I. ex Epist. ad Hebræos v. 8. *Cum esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Complures etiam Doctores de hac scientia acquisita per praxim, atque experimentum accipiunt ea verba Lucæ II. ultimo: *Proficiebat sapientia, & ætate.* II. Probatur ex PP. affirmantibus in Christo cum sapientiæ, tum divinitatis manifestationem, atque explicationem, quæ fit rerum efficientia & experimento, ut inquit Orat. 3. contra Arianos S. Athanasius, & lib. III. contra Nestorium S. Cyrillus. II. Probatur ratione. Hoc discrimen intercedit inter scientiam inditam, & acquisitam, quod illa spectat rerum substantias, atque exhibet veritates, ut relucent in ideis, ac notionibus menti hærentibus, qualem alibi diximus fuisse participationem æternæ lucis principio concessam angelis: scientia autem acquisita spectat veritatis jam perceptæ modum ac determinationem, sive objectorum præsentiam: unde tradunt Scholastici scientiam infusam nullatenus a phantasmate, sensuumque ministerio pendere, bene tamen acquisitam, atque usu & exercitatione comparatam. At anima Christi sensuum officio ipsaque experientia percepit vitæ suæ decursu objecta præsentia, v. g. patrata a se miracula, discipulorum obedientiam, cogitata, & machina-

menta Pharisæorum, & quæcunque ab initio per anteceptam notitiam interiori mente prænoverat. Fuit ergo in Christi anima scientia experimentalis & acquisita.

PROPOSITIO III. Fuit in Christo in hac etiam mortali vita scientia Beatorum, viditque adhuc viator divinitatem & gloriam.

Demonstratur primo ex Scripturis. In his, ut diximus prop. 2. asseritur, Christum fuisse plenum gratiæ & veritatis, in eoque extitisse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Legimus etiam Joannis I. 18. & III. 13. ipsum Christum inter nos commorantem affirmasse se in cælis, & in sinu Patris fuisse. Eodem cap. III. v. II. testatur Jesus, se annuntiare Trinitatis arcana, quæ noverat ac viderat; atque VIII. 14. demonstrat verum esse testimonium, quod de propria divinitate perhibebat, quia sciebat seipsum. Sed frui divinæ scientiæ plenitudine, commorari in sinu Patris, ipsum videre, & divinitatem perfecte cognoscere, est habere scientiam Beatorum. Hanc ergo scientiam habuit etiam in hac mortali vita Christi anima. II. Confirmatur ex Patribus. Eusebius Cæsariensis cap. 21. libri x. Dem. Evang. exponens ea verba Psalmi XXI. *In te projectus sum ex utero*, inquit: *Cum enim adhuc in utero latenrem gestantis me Genitricis, te Deum meum intuebar*. S. Pater Augustinus in Ps. xv. ait humanitatem Christi nunquam *amisisse hæreditatem, & claritatis notitiam, qua divinum Verbum erat apud Patrem, priusquam mundus fieret*: & quæst. 65. ex LXXXIII. explicans quid significarent linteamina, quæ in monumento inventa sunt, docet fuisse quoddam symbolum carnis, qua non ita spiritus implicabatur, *ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret*. Libro etiam priori de Peccatorum meritis cap. 31. ait: *Per distantiam divinitatis, & infirmitatis filius Dei manebat in cælo, filius hominis ambulabat in terra; per unitatem vero personæ, qua utraque substantia unus Christus est, & Filius Dei ambulabat in terra, & filius hominis manebat in cælo*. Fulgentius ad Ferrandum Diaconum hæc scribit: *Non existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est Persona cum Verbo*: & infra; *Ubi spiritus non est ad mensuram datus, necesse est, ut plena sit divinitatis immensa notitia*. III. Confirmatur ratione, quæ ex dictis fluit, atque traditur in 2. Quodlib. q. 4. ab Ægidio: Qui enim plenus est gratiæ & veritatis, qui Spiritus dona non ad mensuram accepit, qui Mediator extitit inter Deum, & homines, qui omnes habuit divinæ scientiæ thesauros, ita ut de plenitudine ejus omnes accipiant, is profecto destitutus non fuit scientia Beatorum: quisquis enim hac caret, cognoscit ex parte, videt in ænigmate, atque nondum assecutus est plenam divinitatis notitiam. At Christus plenus erat omnis gratiæ & veritatis, super eum requiescebat Spiritus sapientiæ, in ipso fons erat aquæ, ac virtutis salientis in vitam æternam, ipse erat veritas, & omnium hominum Præceptor ac mediator. Itaque non ex parte, non per speculum, non in ænigmate, sed facie ad faciem ipsam intuebatur divinitatem.

PROPOSITIO IV. Non habuit tamen Christus ut homo scientiam comprehensivam.

Evincitur I. quoniam cognitio comprehensiva; ut alibi demonstratum est, debet non solum divina omnia scrutari, verum etiam singula divinorum attributorum objecta, & creaturas quasque possibiles, ad quod virtus requiritur infinita, qualem nequit habere creatus animus. II. Damnata est sess. 2. Concilii Basileensis, tunc legitimi, & sub legitimo Pontifice constituti, propositio Augustini Romani, & Episcopi Nazareni: *Anima Christi Deum videt tam clare, & intense, quam clare, & intense Deus videt seipsum*. III. Anima Christi sapientiam recepit per spiritum in ipsa habitantem, ut ait Esaias XI. 2. non est autem ipsa Christi anima suamet sapientia, aut Spiritus sapientiæ super eum requiescens. Sapientia autem recepta in animo non omnia comprehendit, sed ipsa subjecti limitatione circumscribitur & finitur.

Augustinus de Roma, cujus nuper meminimus, fuit nostri Ordinis Generalis Antistes, ediditque librum de humana natura Christi, in quo plures asseruit propositiones, inter quas nuper citata, & altera in Indiculo Basileensi prima, *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus quotidie peccavit*. Nemo tamen hunc virum aut hæreticum, aut rudem, aut impium existimet. Nam Synodus Basileensis eo loci declarat nullam a se adversus illius personam proferri sententiam. Ait etiam propositionem nuper prolatam, traditam ab Auctore non referendo peccatum ad ipsam personam Christi, sed ad membra sua, quatenus cum Christo capite unum sunt. Hoc quidem sensu dicebatur Saulus Christum persequi, dum in Christianos sæviret. Et quemadmodum hæc propositio ab Augustino Romano catholico sensu prolata est, ita etiam reliquæ, quæ videntur continere Anomœorum insaniam, aut hæresim Nestorii, fuerunt ab Auctore enuntiatæ recta intelligentia, & ratione unionis hypostaticæ, quemadmodum Fulgentius loco citato inquit: *Non existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo: quam sic Sapientia suscepit, ut eadem Sapientia ipsa sit*. Ut ergo Fulgentius animæ Christi tribuit eamdem sapientiam Verbi, ita Augustinus de Roma tribuit eidem animæ claram, & intensam visionem ipsius Dei, spectata Personæ Verbi, cui anima substantialiter conjuncta est, unitate. At quoniam hujus Scriptoris propositiones talibus verbis conceptæ, & a libello divulsæ falsissimum sensum exhibent, in ipsoque libro nequeunt absque perspicaci acumine distingui, fuerunt in illa Synodo jure meritoque proscriptæ. Ceterum Auctor tam eximia scientia præstabat, ut non solum promeruerit scriptorum omnium laudes, ut in Historica dissertatione demonstrat Gandulfus pag. 74., sed etiam alter Augustinus ob eloquium, & sapientiam fuerit appellatus. Fuit autem moribus & vitæ sanctimonia adeo clarus, ut Beati viri titulum adeptus sit, atque in Templo S. Augustini Pragensi Provinciæ nostræ Pisanæ religioso cultu, ac summa veneratione asservetur.

AD OBJECTIONES RESPONSIO.

Opp. I. Lucæ II. ult. legitur, *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*. Non ergo fuit anima Christi a priori conceptionis instanti perfecta rerum cognitione exornata, sed quemadmodum ætas, ita sapientia illius suscepit perfectionem atque incrementum. II. Matthæi VIII. 10. dicitur Christus Centurionis fidem fuisse admiratum, *Audiens autem Jesus miratus est*. Admiratio autem nequit cum plena sapientia conjungi. III. Christum ignorasse peccata scribit Apostolus in 2. ad Corinth. v. 21. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: IV. De Ipso prænuntiatum fuerat ab Isaia VIII. 4. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam*: quibus sane verbis commonstratur ignorantia, communisque ceterorum puerorum miseria. V. Denique Christus ipse Marci XIII. 32. protestatus est se diem Judicii nescire dicens, *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*. His ergo divinarum scripturarum testimoniis Christum plura ignorasse convincitur.

Resp. Ad primum quod Christus proficiebat scientia acquisita & experimentali; dum vitam agendo sensu animæ, & exercitatione virtutum experiebatur in rerum eventu, quæ ab initio prænoverat mentis intelligentia. Hoc sensu videtur mihi accipiendus Ambrosius in libro de Incarnat. Dominicæ Sacramento, ubi ait, quod Christus *proficiebat sapientia hominis*. Quamquam enim Magister in III. dist. XIII. §. *Ait*, explicat Ambrosium, quod affirmaverit Christum profecisse *quantum ad visum hominum & sui sensus ostensionem*, uti etiam explanat Vellosillus Adv. in Ambros. Q. XIII., cum tamen S. Doctor scribat profecisse Christum sapientia humana per *incrementum*, quo *mutabatur in melius*, congruum est, ut illum de scientia experimentali interpretemur. Atque ita difficultatem non habent, quæ Ambrosius ait; *Deus perfectionem naturæ suscepit humanæ: suscepit sensum hominis, sed non sensu carnis fuit inflatus. Sensu hominis animam dixit conturbatam, sensu hominis esurivit & rogavit, sensu hominis profecit, &c.* Recte hac responsione verba omnia Ambrosiana simul cohærent. Suscepit enim Deus naturæ humanæ perfectionem, ideoque mentem plena scientia exornatam: hæc tamen scientia incrementum habuit, & in melius mutata est, non quantum ad substantiam rerum per scientiam infusam perceptarum, sed quantum ad operum experimentum, & ad objecta in se consistentia. Eadem ratione inquit Apostolus ad Heb. v. 8. *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam*. Huic autem interpretationi non repugnat altera, quam tradunt complures, in tantum Jesum profecisse sapientia, in quantum ejus virtus manifestabatur hominibus, ut exponunt Gregorius Nazianzenus Orat. XX. Athanasius in III. contra Arianos, & Cyrillus lib. 3. adv. Nest. laudati ab erudito Theologo H. Tournely de Incarnat. pag. 358. nec non Gregorius Magnus citatus a Magistro, nisi potius ea verba sint Bedæ; & insuper Hieronymus, Augustinus, Remigius, Damascenus, Theophylactus, quorum verba recitat Vellosillus.

Urgent cavillatores quidam ea verba, *coram Deo*, dicentes, Ergo Christus revera proficiebat sapientia. Alii opponunt comparationem ætatis, subinferentes, si vere augebatur ætate, vere etiam profectum recipiebat doctrinæ. At hæc eumdem sensum præseferunt, idest, vere coram Deo, & coram hominibus exercendo humilitatem atque obedientiam virtutum actus animam Christi exornabant, atque de se optimum singulis præbebant experimentum, ut Genes. XXII. 12. ait Deus Abrahamo ad filium immolandum parato, *Nunc cognovi quod times Deum*: & ipse Jesus post sanatam a profluvio sanguinis mulierem dicitur Marci cap. V. 30. cognovisse *in semetipso virtutem, quæ exierat de illo*: quæ debent, ut liquet, accipi de vera cognitione sua in rerum experimentu. Negari etiam potest ea verba *sapientia & ætate* referri ad illa, *apud Deum, & homines*, cum inusitatum sit dicere, quempiam proficere apud Deum aut sapientia, aut ætate: sed proficiebat Christus apud Deum & homines *gratia*, opera nimirum spectabilia, & cum Patri, tum hominibus accepta patrando, ut animadvertit Jansenius in hunc locum, & in III. Sent. dist. 13. illustris Estius.

Eadem

Eadem ratione fuit in Christo admiratio, non quæ ex ignorantia procedit, sed quæ ad novum & insolitum objectum, quamvis prævisum, erumpit foras, eo pacto, quo Joannis XI. 35. dedit profusis lacrymis signa tristitiæ ob mortem Lazari, quam supra versu 14. præcognoverat, & appropinquans Jerosolymis item ob futuram desolationem amare flevit, exteriori ploratu commonstrans proximam calamitatem. Ob hanc ergo caussam justæ admirationis signa dedit cum Centurio suam fidem, Matth. VIII. 20., patefaceret, & cum patriæ suæ cives, Marci VI. 6., nullum illi exhiberent honorem, ut quisque perciperet quam esset digne laude fides alienigenæ, & quam execranda concivium suorum pervicacia.

Ad 3. nihil aliud est respondendum nisi quod *ignorare* sæpe sæpius idem significat ac odio habere, quemadmodum *cognoscere* est idem ac *approbare* & *diligere*, ut diximus libro IV. cap. 2. Ita ergo dicitur Dominus ignorare peccatum, quomodo ait Matth. VII. 23. operantibus iniquitatem, *Nunquam novi vos*, & cap. XXV. 12. fatuis virginibus, *Nescio vos*, idest, *reprobo ac damno*.

Quod profertur ex cap. VII. Esaiæ, de impedimento infantiæ est accipiendum: non de impedimento illo, quod oritur ex puerili ignorantia, sed de illo, quod procedit ex debilitate membrorum, quæ per ætatem ad animæ officia redduntur aptiora; juxta quem sensum de puerulis, qui reptando incedunt, dicimus, *Nesciunt ambulare*, idest, *nondum valent*: & ideo legitur in Hebræorum Codice, *Antequam sciat puer vocare Pater mi, & mater mea*.

Postremum de ignorantia diei extremæ, quod ceteris est difficilius, solutum a nobis est libro VII. cap. 12., quatenus Christus dixit se nescire diem Judicii, in quantum est caput Ecclesiæ, & paternorum consiliorum administer, idest, non ita sciebat, ut expediret diem illum discipulis indicare: quæ responsio vera est, atque, ut ibidem diximus, tradita ab Augustino. Etenim soli Patri tribuitur in Evangelio illius diei præscientia, quam tamen etiam divinum Verbum ac Spiritum sanctum habere solus Arianus aut Macedonianus inficias ibit. Verum tamen est nonnullos Patres contra Arium disputantes asserere Christum ut hominem ignorasse revera judicii diem, ut scribunt Eustathius Antiochenus lib. VI. Gregorius Nazianzenus Orat. 36. Hilarius lib. IX. de Trinit.; & Athanasius Orat. 4. contra Arianos, quorum verba vide apud Petavium lib. II. de Trinit. cap. 3. Sed hi possunt explicari, in quantum ignorantia subest humanæ Christi naturæ ex ingenita facultate, & præcise in quantum humana est, non prout est *hypostatice* conjuncta divinitati. Aut si verba aliqua hunc sensum minime patiantur, dicendum erit ob hanc eamdem caussam, quod Patres illi cum Arianis congrederentur, ne alio disputationem distraherent, & versutas adversariorum argutationes facilius contererent, affirmasse quod ex ignoratione ultimæ diei nequeat evinci inferior in Verbo natura, quum etsi daretur hæc ignorantia, non caderet in divinam Filii mentem, sed in humanam. Suspicatur præterea Ambrosius lib. V. de Fide cap. 7. abesse a veteribus Codicibus, *neque filius*, quod non adinveniri in pluribus exemplaribus scribit etiam in caput XXIV. Matth. vers. 36. Hieronymus. Verum etsi potuerit hic locus dolo Arianorum corrumpi, certum est ea verba reperiri apud Marcum, atque inde fortassis in Evangelium Matthæi derivata sunt, maxime quod congruentia sint verbis illis utrobique extantibus, *nisi Pater*. Quare ne his ambiguis admodum & invalidis tela Arianorum videremur potius declinare, quam frangere, constitutum nobis fuit priorem tradere responsionem.

Opp. 2. Repugnat scientia Beatorum, quæ in manifesta visione Dei sita est, vitæ, quam Christus ante passionem inter homines egit. Primo namque in hac mortali vita nondum fuisse glorificatum aperte traditur Joan. VII. 39. Deinde vix gloriæ libamina degustasse in transfiguratione, liquet ex Matth. XVII. 2. Præterea tristitia ac mœrore maximo affectus est mortem in horto præmeditatus. *Apparuit* etiam ea occasione *Angelus de cælo confortans eum*, ut habetur XXII. 43. Lucæ. Clamavit quoque in cruce pendens se e Deo derelictum verbis Psalmi XXI. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ex his argumentantur: Scientia & cognitio perfecta divinitatis secum trahit animæ glorificationem, corporis immortalitatem atque splendorem, gaudium sempiternum, ac perennem felicitatem. At Christus hæc ante Resurrectionem assequutus non est. Itaque non fruebatur manifesta visione divinitatis.

Resp. cap. Joan. VII. dici Christum nondum glorificatum manifesta in cælum ascensione, quemadmodum ibidem ait Joannes nondum fuisse Spiritum datum, quoniam, ut Augustinus exponit Tract. XXXII. in Joan. *antea non apparuerat*. Ut igitur Spiritus absque manifestatione datus jam erat Mariæ, Annæ, Zachariæ ceterisque prophetis, ut ibidem S. Pater demonstrat; ita Christi anima priusquam in corpore glorificato resurgeret, fruebatur beatissima visione divinitatis. Quod autem Salvator in monte Thabor, sive, ut quidam opinantur, in Libano gloriosus apparuerit, & gloriæ Domini sui servierint Moyses, & Elias, potius demonstrat fuisse in Christi potestate, ut gloriæ splendor redundaret in corpus, aut se inde subtraheret. Tristitiæ mortisque sensus arguit quidem in hominum Redemptore assumptam carnis infirmitatem, sed non oppugnat, ut infra dicemus, spiritus beatitudinem. Quæ apud Lucam habentur de sudore Christi sanguineo, & Angeli confirmatione, omitti in nonnullis Græcis, Latinisque Codd. scribunt Hilarius lib. X. de Trinit. & Hieronymus in II. adversus Pelagianos. Genuina sunt tamen, ac talia habentur ab ipso Hieronymo, nec repugnant humanæ infirmitati, in qua voluit Salvator tentari per omnia, ut posset nobis in angustia & tribulatione positis condolere. Extrema morientis verba fuisse hominis cum desperatione luctantis, & etiam ipsa desperatione absorpti, fuit opinio Joannis Feri Ecclesiastæ, ut vocant, Moguntini, aliorumque impiorum hæreticorum. Sed tanta, atque inaudita blasphemia ipsis Christi verbis revincitur. Si enim fiducia in Patrem carebat, cur ad ipsum confugit exclamando, *Deus meus?* inquit adversus Sectarios suos libro II. Harmoniæ Evangelicæ cap. 9. Gerardus Vossius. Et Grotius in Matthæum demonstrat particulas, ἵνα τί, *ut quid*, vocem esse deprecantis ex cap. XXXII. II. Exodi, atque ex Psalmo XI. I. Accipi eadem significatione hebraicum לָמָּה 2. Regum II. 22., 2. Paralip. XXV. 16., Jeremiæ XXVII. 13., Ezech. XXXIII. II., aliisque in locis demonstrat Glassius lib. V. Tract. 2. cap. 5. Atque hos ad confutandos hæreticos arbitror satis esse. Nam ad nostratium eruditionem proponimus Estium in Cap. XXVII. Matth., & in V. Epist. ad Hebræos vers. 7. Itaque agnoscimus in verbis Christi humilem deprecationem una cum experimento voluntatis humanæ.

Sed illud accuratius explicandum est, unde pendet omnium argumentorum solutio, quomodo cum intuitive Dei visione potuerit consistere tristitia, deprecatio patientis, & Angelicæ consolationis officium. Canus de locis Theologicis lib. XII. cap. 13. ait, gaudium utique ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non secus atque ex sole lumen, & calorem ex igne: sed retraxisse aliquando solem radios suos, idest, in hominum Redemptione perficienda omnem voluptatem fuisse repressam, quam alias ex visione Dei proficisci naturæ ratio demonstrat. Addit Christum licet habuerit essentiam beatitudinis, non tamen habuisse accidentia, quæ inde per se consequuntur. Docet etiam, quod fruitio sine gaudio potest intelligi, quemadmodum fruitur fructibus arboris, qui nullam ex eis capit ob morbum voluptatem. Concludit, quod Christus non solum videbat, sed etiam fruebatur, quamvis derelictus a Deo omnique penitus solatio destitutus non gaudebat. Hæc eloquentis a Theologi verbis sunt expressa.

Quamquam autem possit hæc sententia in nobis excitare amoris, & grati animi recordationem, cum anima Christi pro sua erga nos caritate sponte gaudii plenitudini renuntiasset, & vindicetur etiam illa Cani sententia e P. Serry cap. VIII. Prologi Galeati, & Exercitatione de Christo XLVIII. quibusdam Patrum testimoniis, & etiam Maldonati, Salmeronis, & Gregorii de Valentia consimili expositione: nihilo tamen minus probari mihi non potest, quum fieri nequeat ut voluntas participatione summi boni minime delectetur. Percipere præterea nequeo cur non sit gaudium, ubi amore perfecto bonum incommutabile possidetur, nec assentior frui infirmum arboris suæ fructibus, quando nullam ex iis capit delectationem. *Cum enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat*, inquit de Doctrina Christ. lib. I. cap. 33. Augustinus. Ambrosius autem & Hilarius, ubi docent recessisse ab humana Christi natura irruente morte divinitatem, ita sunt accipiendi, ut Divinitas non adesset ad defensionem, & etiam hoc sensu delectationem subtraheret, quatenus gaudium animæ sese in superiori ratione contineret, neque in sensus diflueret.

Expedita ergo est magisque in Scholis probata ea sententia, quod anima secundum superiorem rationem, sive quatenus mens divinitati in se inspectæ adhærebat, omni momento fruebatur atque delectabatur; sed prout corporeo sensu recipiebat illatam cruce clavisque passionem, secundum rationem inferiorem, quam *sensualitatem* appellant, afficiebatur dolore; ut explicant in III. Sent. dist. XV. Scholastici. Hoc autem non repugnare demonstrat eadem dist. S. Thomas, quod gaudium & dolor sint hoc pacto secundum diversam operationem, atque oppositum objectum, & minime ad invicem adversentur. Illis vero qui opponunt perpetuam ac plenam intellectualis potentiæ delectationem ita animum absorbere, ut distrahi non possit, neque affici sensu ullo doloris; respondendum est, quod si persona habeat super omnes animi sui facultates absolutam potestatem, ut habebat Dominus Jesus Christus, quemadmodum pati ac mori potest subtrahendo omnipotentiam suam ne protegat assumptam infirmitatem, ita cohibere potest gaudium in mente, ne diffluat in sensus. Quod nequit in aliis hominibus evenire, propterea quod tali potestate non præditi nec possunt libere irruentem mortem vitare, nec torrentem sistere voluptatis. Atque ob plenissimam hanc potestatem Salvator humani generis oblatus est, quia ipse voluit; & quia voluit, sequestravit in superio-

periori ratione gaudium supernæ delectationis. Legite Tractatum Augustini xlix. in Joannem, & Opp. 3. superioris Cap. vi.

CAPUT X.

De Monothelitis, qui negaverunt in Christo distinguendam esse divinam, humanamque voluntatem.

HÆRETICI omnes, etiam ante tempora Heraclii, qui vel unam in Christo naturam, sive humanam, sive divinam, vel cum divinitate carnem absque anima, vel animam quoque sensitivam, sed mente ac ratione destitutam asseruerunt, Ebionitæ nimirum, Arianorum plures, Apollinaristæ, atque Eutychiani, negarunt in Christo Domino duplicem operationem, ac voluntatem, ideoque appellari possunt Monothelitæ. Ut enim constat ex Epistola Agathonis ad Constantinum relata Act. iv. Synodi sextæ, ex qua in Christo una statuatur natura, consequens est unicam quoque reperiri voluntatem. Peculiaris tamen Monothelitarum secta hæreticorum illorum est, qui duabus in Christo naturis admissis, aut expresse saltem non denegatis, unam voluntatem, & unam operationem in illo constituere moliti sunt: cujus sectæ exordia refert Maximus Martyr in Dialogo cum Pyrrho, & laudata Synodus Act. xiii., ad Conciliabulum Alexandrinum auctore Cyro coactum.

Fuit autem Monothelitarum antesignanus Athanasius quidam Jacobitarum Patriarcha, Eutychianorum dogmate imbutus: qui anno *629*. congressum habuit cum Heraclio jam circumvento fallaciis Paulli hæretici Severiani, atque sensa Monothelismi Imperatori instillavit. Is consuluit Sergium Constantinopolitanum, & Cyrum prius Phasidis, postea Alexandriæ Antistitem, corruptusque Sergius etiam Cyrum illaqueavit. Tum Sergius fictis sub Mennæ nomine libellis, iisque transmissis ad Theodorum Episcopum Pharanitem, ad Paulum Severianum, & ad Georgium Paulianistam callide hæresim cœpit disseminare. Turbis propterea excitatis, data ad Honorium Epistola omnium dissensionum auctorem fecit Sophronium sanctissimum Jerosolymorum Episcopum; sed calumniam denudavit atque expunxit in epistola ad Petrum Illustrem sanctus Maximus. Traxit autem ad se idem Sergius quam facillime Heraclii animum, tum fama nominis sui, quæ plurimum apud Orientales percrebuerat, tum specioso titulo *unitionis* inter utramque Christi naturam, tum denique execratione hæresis Nestorianæ, cui patrocinabatur impense Chosroas Rex Persarum hostis Heraclii infensissimus.

Heraclius anno Imperii sui 23. Monothelitis adhærens coegit Synodum quamdam Armenam, cui tamen, ne prohiberetur dogma duarum in Christo operationum, ac voluntatum obsisterunt sanctissimi Præsules Arcadius Archiepiscopus Cypri, Sergius alter Arcadii successor, & Joannes Alexandrinus cognomento Eleemosynarius. At Sergius, defuncto interim Honorio, cujus Epistolis falso errorem suum comprobari jactabat, circa annum *630*. composuit *Ecthesim*, sive fidei formulam & expositionem, eamque nomine Heraclii vulgatam affixit valvis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, pro cujus approbatione anno *638*. etiam Synodalem conventum coegit. At Imperator cum audiret de hac *Ecthesi* universalis Ecclesiæ querimonias, in epistola ad Joannem IV. qui eamdem anno *641*., ut Pagius animadvertit, illum proscripsit, contestatus est eamdem *Ecthesim* neque a se dictatam fuisse, neque suo jussu compositam.

Defuncto Sergio anno *639*. Pyrrhus ejus successor aliam Pseudosynodum coegit pro *Ectheseos* confirmatione: sed postea in celebri cum Maximo conflictu se plane convictum confessus est, atque veniens ad limina Apostolorum initio Pontificatus Theodori abjuravit Monothelismum; quamquam rediens ad vomitum ab ipso Theodoro in Romana Synodo celebrata anno *648*. damnatus est. Intrusus interea temporis in sedem Constantinopolitanam Paullus patrocinio Imperatoris Constantis, composuit *Typum*, seu Fidei formulam, in qua simulato pacis zelo silentium circa duplicem voluntatem servandum imponebat, deposita a templi valvis *Ecthesi*. *Typum* hunc damnavit Martinus in Synodo Lateranensi celebrata an. *649*. Secret. 4. nam Paullus prætextu componendæ dissensionis confirmabat doctrinam *Ecthesis*, atque dogma catholicum evertebat. Hunc *Typum* dictum Constantis, quoniam ipsius auctoritate editus fuerat a Paullo, & adversus Martini Clerique Romani damnationem ab illius Exarchis Theodoro & Olympio summa contumacia defensatus, Gabriel Vasquez, doctus alioqui Theologus, disput. 73. c. 1. ait fuisse quemdam Paulli discipulum, quem nonnulli confundunt cum *Cypo*, recte ac lepide a Petro Coustantio viro erudito in Vindic. Vet. Codd. c. 16. hac ratione reprehensus, quod possit eodem jure censeri *Ecthesis* Heraclii quædam Sergii discipula, atque scelerosi *Typi* cognata. His auspiciis Monothelismus diversas fortunas subiit usque ad generalem Synodum sextam celebratam anno *680*., in qua damnati iterum fuerunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paullus Constantinopolitani, atque, plurium sententia, etiam Honorius Primus: perculsi quoque anathemate Macarius, Stephanus, & Polychronius adhuc viventes. Delata Concilii Acta, Agathone jam defuncto, ad Leonem II., is illa confirmavit, atque, ut fertur, dixit Anathema Honorio.

Brevi hac Monothelismi notitia præmissa, quærimus an in Christo admittenda sit una tantum voluntas, an duplex; & si duplex admitti debeat, an duæ in Christo voluntates appellari debeant una voluntas *personalis*, ut contendebat Macarius. Præterea inquirimus an sit in Christo una tantum operatio, quam Monothelitæ appellabant *Theandricam*, idest, *Deo-virilem*, opinantes solam divinam naturam utpote superiorem agere, humanamque cum suis potentiis esse illius *organum*, atque instrumentum, & pati quidem ac moveri, sed omnem operationem esse divinitatis. De Honorio item, ejusque damnatione dicendum est capite, ne istud sit nimis prolixum, proximiori.

PROPOSITIO I. Duæ sunt in Christo Domino voluntates.

De voluntate divina assentiuntur Monothelitæ: & quidem ait ipse Dominus Lucæ xiii. 34. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti?* Perspicuum est enim, ut ait in disputatione cum Pyrrho S. Maximus, quod non quatenus homo hoc dixit, siquidem recenter fuerat factus homo, sed quatenus Deus, qui varios modos providentiæ suæ circa homines demonstravit, quibus voluit illos ab erroribus abducere, sibique aggregare. Rursus Joan. v. 21. ait, *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic Filius quos vult vivificat*. Quo in loco *sicut* adverbium est comparationis inter duas personas eamdem substantiam ac voluntatem habentes, quoniam solius Dei est quibus vult vitam præbere.

Probatur itaque de voluntate humana primo argumentis, quæ ex sacris literis collegit Agatho Papa in Epistola ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium relata in Act. iii. Synodi sextæ. Christus ut homo Matth. xxvi. 39. ita Patrem precatus est, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, sive, ut legitur apud Lucam xxii. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Cujus testimonii sententiam S. Ambrosius in ii. libro ad Gratianum, & Comment. in Lucam ita declarat, ut Christus susceperit *voluntatem* nostram, quemadmodum ut homo *suscepit tristitiam*, atque in ipso fuerit *voluntas hominis temporalis, & voluntas divinitatis æterna*. Et S. P. Augustinus libro ii. adv. Maximinum Arianum c. 20. *Ubi autem dicit filius Dei, Verum non quod ego volo, sed sicut tu vis, quid te adjuvat quod tua verba subjungis, & dicis: Ostendit vere voluntatem suam subjectam suo Genitori? Quasi nos negemus hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subjectam*; & infra, *In eo quod ait, Non quod ego volo, aliud se ostendit voluisse, quam Pater, quod nisi humano corde non potest. Nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater*. Similiter Athanasius contra Apollinarem: *Duas voluntates hic ostendit, humanam quidem, quæ est carnis, alteram vero divinam. Humana enim propter carnis imbecillitatem recusat passionem; divina autem ejus voluntas est prompta*. De hac Athanasii sententia, recte ibidem Agatho: *Qua declaratione quid potest cognosci verius?* Videantur ibidem in collectione Harduini Tom. 3. alia Patrum testimonia ab Agathone producta, Gregorii Nysseni libro II. contra Eunomium, Joannis Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Hilarii, & aliorum. Urget etiam Pontifex Christi verba Joan. vi. 38. *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*; & verba a Davide de Christo prolata Ps. xxxix. 8. *Scriptum est de me, Deus meus volui*. In quem locum affert sententiam Leonis scribentis ad Leonem Imperatorem, *Secundum formam servi non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit eum*. Atque hæc omnia istam nobis argumentationem suppeditant: Voluntas a Verbo suscepta, temporalis, subjecta Deo, illique obtemperans est voluntas creata, & humana. In Christo fuit voluntas assumpta, & quæ Deo subjecta fuit atque obtemperavit. Fuit itaque humana, & creata voluntas in Christo.

S. Maximus aliud promit ex Scripturis argumentum in Disputatione cum Pyrrho latine reddita a Turriano viro S. J. clarissimo. Infert autem S. Martyr duplicem in Christo voluntatem ex quo plura in Evangelio facta Christi narrentur humanæ voluntatis signum certissimum. Primum ex porrecto ei in Golgotha vino cum felle mixto, Matth. xxvii. 34. quod *cum gustasset, noluit bibere*. Sicut autem sitire non potuit, nisi per humanitatem, ita hac sola noluit paratum vinum degustare. De ipso pariter in Evangeliis scriptum est, quod nolebat *in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere*, quod *ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere*, quod veniens ad discipulos *ambulans supra mare volebat præterire eos*, quod discipuli eidem dixerint, *Ubi vis, ut euntes paremus*

mus

mus tibi comedere Pascha? ac similia. Sicut enim, inquit Maaimus, ambulatio proprietas est carnis, nec divinitas imporens est, neque terminis corporeis intercepta, & comedere Pascha est eorum qui sunt sub lege; ita voluntas ambulandi, sese abscondendi, implendique legem, est voluntas Christi, quatenus erat homo. Atque hæc fusiori stilo a Maximo eaplicata brevi syllogismo ita positionem nostram confirmant: Voluntas exercendi opera, qoæ nequeunt convenire divinitati, est voluntas tantum humana. In Christo fuit voluntas exercendi opera, quæ non congruunt divinitati. Ergo fuit in Christo voluntas humana.

Tam Maximut, quam Agatho revincunt Monothelitas, etiam ex Christi morte, atque obediantia, de qua Apostolus ad Philipp. ɪɪ. 8. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Et Maaimus quidem ita ratiocinatur: Aut volens obedivit, aut non volens. Si non volent, tyrannis, non obedientia dicetur: si volens, fuit itaque in illo voluntas hominis, quatenut enim Deus nec obediens fuit, neque inobedient. Agatho autem, *Quis a lumine veritatis* (inquit) *se adeo separavit, ut audeat dicere Dominum nostrum Jesum Christum voluntate sue divinitatis Patri obedisse, cui est aqualis in omnibus, & vult ipse quoque in omnibus quod Pater?* Hinc petitur argumentatio a prima parum absimilis: quippe voluntas obediens voluntas humana est. Fuit in Christo voluntas obediens. Itaque fuit in Christo volonras humana.

His accedunt Theologicæ argumentationes. Ac prima fit: Humana natura est prædita facultate intelligendi ac volendi. Ex quo Christus assumpserit humanam naturam perfectam, habuit humanam facultatem intelligendi. Igitur habuit etiam bomanam facultatem volendi. De hoc argumanto plura Sophronint in Synodo Lateranensi Secret. a. pag. Ven. Edit. ɪɪɪ. Tom. vɪɪ. Agatho citata Epistola idem urget argumentum una eum definitione Synodi Chalcedonensis Jesum Chrîstum *perfectum esse in divinitate, & perfectum in humanitate*; quandoquidem perfecta natura non est, cui deest naturalis proprietas. Proxima est ratio petita ea damnatione hæresis Entychianæ, de qua infra; nam si propter unionem quæ facta est in hypostasi non salvaretur differentia duplicis voluntatis, ut autumabant Monothelitæ, nec salvari potest differentia duarum naturarum, qoam ob eamdem rationem, idest, ob unionem factam in hypostasi denegabant Entychiani. Stat in Christo differentia naturarum juxta confessionem Pyrrhi principio disputationis cum Maximo. Stare igitur debet differentia quoque voluntatum. Vide Tom. vɪɪ. Concil. Venetæ Collect. pag. ɪɪ76. Accedit argumentum tertium initio ab eodem Maximo propositum: Impium & absurdum est, eamdem personam, & eadem voluntate, ante Incarnationem omnia ea nihilo fecisse, continere, & procurare ac salubriter dirigere: & post Incarnationem eibum appetere, loca locis mutare, & omnia alia facere, quæ nonnisi temporalia, ac mutabilia esse possunt. Est igitur impium, atque absurdum in Christo unam tantum voluntatem profiteri.

PROPOSITIO II. *Naturales* appellari debent duæ, quæ in Christo sunt, voluntates.

Hanc thesim necessariam arbitror ad evitandam omnem Monothelitarum fallaciam. Nam quidam cum Macario unam in Christo voluntatem *personalem* dicebant, quidam cum Pyrrho unam *gnome*, aut sententia, quidam alii unam *habitudine* ac modo, quæ omnia eumdem errorem olent. At non est in Christo una voluntas, sive *personalis* dicatur, sive una *gnome*, sive *habitudine*; sed voluntates duæ *naturales*; quod sic demonstro. I. S. Pater Augustinus adversus Julianum laudatus in sua Epistola ab Agathone hac præmissa laude, *Sapientissimus præco veritatis*, quid sit voluntas definit hit verbis: *Motus anima quid est, nisi motus natura? Anima enim absque dubio est natura. Quamobrem voluntas est motus natura, quoniam est motus anima*. Et rursus: *Ex illo est voluntas; cujus est voluntas. Ab angelo scilicet voluntas angeli: ab homine hominis. Cur ergo negas clausis oculis res manifestas, ex natura hominis enasci hominis voluntatem?* Hinc talis argumentatio depromitur: Naturalis dicendus est motus ea anima & natura indita sibi facultate proficiscens. Voluntas humana Christi est motus ex anima, atque ex natura hominis proprietate ac virtute sua proficiscens. Igitur voluntas humana Christi appellari debet hominis naturalis. II. In Christo Jesu duas naturas cum Catholicis Monothelitæ profitebantur, divinam, & humanam. Divinitas autem non habet, quod ad naturæ rationem ettinet, voluntatem humanam, neqoe humanitas habet naturaliter voluntatem divinam. Est ergo voluntas humana naturaliter diversa e voluntate divina. III. Homo natura sua est rationis particeps, etque liberæ potestatis. Libera potestas voluntas est. Igitur homo est natura sua præditus voluntate; ideoque Christus Dominus cum sit verus homo, habet voluntatem, quæ est naturaliter voluntas hominis.

Oppugnemus nunc Monothelitarum machinamenta. I. Etiamsi Christus sit unus ratione hypostasis seu personæ, cum duas habeat naturas, dici nequit habere unam voluntatem *personalem*. Si enim propter unitatem personæ una dici debeat voluntas, cum in sancta Trinitate tres sint personæ divinæ, dicendum foret tres existere in Deo *personales* volnutates. Hoc autem, inquit Agatho, est maxime alianum ac valde profanum, cum una sit voluntas, ubi est una natura. Nequit ergo dici propter unitatem hypostasis una natura *personalis*. Deinde aliud est dicere quod sit in Christo una persona volens & operans, aliud quod sint duæ voloosates ac duæ operationes: nam unitas operantis ac volantis sumitur ab unitate personæ, quoniam persona vult, ac persona operatur; sed unitas operationis ac voluntaris sumitur ab unitate naturæ, nam a *forma*, ut inquiunt scholæ, desumitur vis, seu principium *quo* elicitivum. Ut ergo propter unitatem Personæ appellatur Christus unus volens; ita propter naturarum differentiam debent dici duæ in Christo *naturales* voluntates. II. Nequit in Christo statui una voluntas *gnome*. Enim vero, aut *gnome* substantia est, aut sententia. Si est sobstantia ac natura, cum in Christo duæ substantiæ ac naturæ sint, necesse est ut duæ sint juxta *gnomen* voluntates. Si vero *gnome* sententia est, uti ajebat Pyrrhus, & quidem sententia cum consultatione atque electione; *gnome* aut ipsa voluntas erit, aot quod ea voluntate promanat. Ut ergo nequit dici voluntas una voluntate, aut una motu voluntatis, nisi ubi est una natura, ita dici nequit una voluntas *sententialis*. III. Statui non debet in Christo una voluntas secundum modum atque *habitudinem*. Talis quippe *habitudo* vel afficit ipsam voluntatem, vel personam, vel naturas, vel tantum respicit objecta. Hoc postremum si dixeris, debes voluntates complures statuere; sed hæc habitudo actus multiplicat, non facoltates. In divina autem natura ac hypostasi nulla excogitari potest affectio. Habitudo itaque solam naturam humanam potest afficere. Non ergo debemus in eadem Persona, cui inest natura humana ac divina, asserere unam habitudine voluntatem.

PROPOSITIO III. Non debet in Christo propugnari una duntaxat operatio.

Demonstratur productis hactenus argumentis. Ut enim unitas voluntatis, ita unitas operationis unius naturæ argumentum est. Ait enim Basilius contra Eunomium, *Quorum operatio una est, horum essentia una est*: & e contra Damascenus libro ɪɪɪ. de Fide cap. 15. *Quorum enim diversa natura est, horum est diversa actio*. Addo argumentum S. Martini in Synodo Lat. Secretario ɪɪɪ. Si una est operatio illa *Deo-virilis*, quam profitebantur Monothelitæ, aut simplea est, aut composita, aut naturalis, aut *personalis*. Non *simplex*, alias & Deus Pater habebit propriam illam operationem, & operabitur & ipse operatione illa *Deo-virili*, idest, divino-humana. Non *composita*, quoniam Filius esset alienæ a Patre substantiæ, & operationis, non habente Patre operationem illam compositam. Non est *naturalis*, alioqui caro erit consubstantialis Deo Verbo, utpote naturaliter habenti eamdem operationem. Non denique una *personalis*, quia persona Verbi non est Patri extranea secundum modum operationis. Non est ergo in Christo operatio divino-humana, quæ sit indivisa, & una tantum. Vide Tom. vɪɪ. Concil. Ven. Collectionis pag. 194. Adjiciam alterum argumentum ex Maximo in conflictu cum Pyrrho: Cum naturalia naturis convenire debeant, fieri non potest, ut naturæ creatæ, & quæ cœpit esse, operatio sit non creata, & sine principio, atque infinita, creatrix, & conservatrix: vel naturæ non creatæ & principio carentis sit operatio creata, & cœpta ac terminata, & quæ ab alia natura dissolvi queat & conservetur. Oportet autem ut illa operatio *Deo-virilis* e Monothelitis asserta vel creata sit, vel increata, siquidem nulla penitus cogitari potest intermedia. Igitur si creata dicatur, non erit operatio naturæ principio carentis & infinitæ: si autem increata, non erit operatio naturæ, quæ cœpit esse: ideoque repugnat, quod statuatur in Christo unica operatio *θεανδρικὴ*, *Deo-virilis*.

RESPONDETUR MONOTHELITIS.

Oppones ɪ. S. Dionysius in Epistola ad Cajum ait: *Deo viro facto, unam quamdam theandricam, seu Dei virilem operationem expressit in vita*. Resp. S. Martinus in Concil. Lat. Secret. ɪɪɪ. testimonium Dionysii falsidicos luculenter ostendere Monothelitas, & mentitam esse iniquitatem sibi; lectum enim a Paschasio notario inventum est in Græco haberi, *Καινὴν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν*, *novam quamdam theandricam operationem*. Commutavit ergo Cyrus *novam* in *unam*. Respondetur 2. cum Maximo Dionysium demonstrare novam atque mirabilem Christi conversationem secundum unionem inexplicabilem & arcanam. Illa autem vox *nova operationis theandrica* quadam per numeratas naturas circuitione earumdem operationes commonstrat. Si enim operatio illa nova ac theandrica foret naturaliter una, cum sint eadem opera Patris & Filii, inspecta natura divinitatis foret in Patre illa eadem operatio theandrica, quod est absurdum atque repugnans.

Opp. 2. Cyrillus Alexandrinus libro ɪv. in Joannem scribit fuisse in Christo *unam quamdam operationem per ambas natu-*

naturas. Resp. S. Cyrillum non dixisse unam *naturam* operationem divinitatis Christi, & humanitatis ejus, sed unam operationem divinam, & paternam; intendebat enim demonstrare unam esse divinitatis sine carne, & cum carne operationem, quæ tam Patri, quam Verbo incarnato essentialiter insit: siquidem Verbum etiam post Incarnationem habet eamdem operationem communem cum Patre incorporee operante, etiamsi Verbum etiam tactu carnis ipsa miracula cum Patre corporaliter operetur. Hæc est responsio Maximi, aperte quadrans verbis Cyrilli dicentis: *Cum principis Synagogæ filiam suscitavit, dicens, Filia surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est: eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam & congeneam per hæc ambo ostendit operationem*.

Opp. 3. Humanitas Christi erat instrumentum divinitatis, ut inquit idem Cyrillus in dialogo de Incarnat. & S. Athanasius Orat. IV. contra Arianos. Instrumenti autem, & caussæ principalis eadem est operatio. Resp. Eamdem esse operationem caussæ principalis atque instrumenti, quotiescunque istud aut ejusdem naturæ est cum caussa principe, aut suapte indole est iners, passivum, atque sine propria energia, juxta impressum sibi motum, actioni applicatum. Diversam tamen esse utriusque caussæ instrumentalis & principalis operationem, quum illud differentiam habet naturæ suæ, neque iners est, ac passivum, sed suamet præditum efficientia. At ajebat Pyrrhus: Nonne quodlibet instrumentum recipit motum ab alia caussa? Patitur ergo, non agit. Respondet S. Maximus operationem ac motum humanitatis dici a Patribus passionem propter rationem ipsi inditam a caussa omnium effectrice; omnia enim, quæ ex Deo sunt, motum subeunt, utpote quæ non sunt ipsa per se motus, aut ipsa per se potestas; appellari tamen etiam proprietatem, quatenus soli illi naturæ, & non aliis inhæret; energiam ac potestatem, in quantum cum divino motu motum exercet proprium, & etiam qualitatem, in quantum est virtus quædam effectrix. Hæc Scholastici explicant distinguendo in eadem humanitate rationem instrumenti, & rationem naturæ: ratio instrumenti dicitur comparate ad divinitatem, ratio naturæ respectu humanarum operationum: ut instrumentum recipit motum; ut natura exerit motum proprium, atque operatur.

Opp. 4. S. Clemens Alex. in VI. Stromatum scribit: *Voluntas enim erat solius divinitatis*. Resp. loqui Clementem de ipsa Dominica Incarnatione, quam dicit peractam voluntate solius divinitatis, nec fuisse opus motus carnalis, sive ordinis & consecutionis nuptiarum.

Opp. 5. Nequeunt in Christo propugnari duæ voluntates, aut duæ operationes *naturales*. Igitur una tantum sive personalis dicatur, sive secundum *habitudinem*, sive θεανδρικὴ, ac *Deo-virilis*. Prob. ant. I. quoniam quod est naturale, non est liberum, sed necessarium: voluntas autem libera potestas est, & operatio pariter rationalis naturæ libera potestate exercetur. II. Si daretur voluntas naturalis, naturale foret omne peccatum, quum nullum peccatum absque voluntate patretur. III. Dei ac Sanctorum eadem voluntas est, nec tamen est eadem natura: consistit itaque una eademque voluntas cum naturarum differentia. Resp. falsum esse antecedens: ad cujus priorem ac proximam probationem dicimus naturale esse quicquid naturæ est inditum, proprium & concreatum, & naturale etiam appellari quod non est in natura intelligente invitum, ut inquit Cyrillus in tertio Capite contra Reprehensiones Theodoreti. Priori itaque sensu quod naturale est, appellatur necessarium, idest, antevertens liberam electionem; & secundo sensu naturale est, quod ex proprietate naturæ cum libera electione procedit; cujusmodi est peccatum: quare *homonymia* fallere student Monothelitæ. Ad tertium vero respondetur unam esse voluntatem Dei, & Sanctorum ejus comparate ad id quod volunt, non ad ipsam voluntatem substantialem, atque effectricem.

Opp. 6. Christus est una persona. *At operationes personarum sunt*, sive ut fert pervulgatum adagium, *suppositorum*. Una ergo persona unam infert operationem: ideoque aut Monothelismum profiteri debemus, aut hæresim Nestorianam. Resp. falsam esse illationem; nam ex quo actiones sunt *suppositorum*, consequitur unam esse personam operantem, non unam esse operationem personæ. Operatur enim qui subsistit, sed *subsistentia* est modus existendi, non principium elicitivum operationis, ut supra exemplo sanctæ Trinitatis demonstratum est.

Opp. ultimo. Si duæ voluntates statuantur in Christo, erunt adinvicem contrariæ ac repugnantes; per divinam quippe mortem elegerant, quam humana voluntate refugiebat. Resp. majorem consequi ex Monothelismo repugnantiam; siquidem inde sequitur eamdem voluntatem elegisse simul mortem, eamque horruisse. In Catholicorum autem sententia fuit in Christo voluntas divina mortem præcipiens, voluntas humana divinæ subjecta, & obtemperans, experta tamen affectione sensuum horrorem mortis humanitati connaturalem. Neque talis sensuum affectio arguit in duplici voluntate contrarietatem; quoniam divina non præceperat mortem absque ullo dolore subeundam; neque pœna ita rationem pervertit, ut humana voluntas obtemperaret invita, sed hæc semper præsetulit in infirmitate carnis invictam spiritus fortitudinem: quare ait Marci XIV. 38. *Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma*. His lucem afferent quæ diximus sub finem Capitis præcedentis.

Sed dices; Ergone abjicimus operationem *Theandricam*, quam deprædicabant Monothelitæ? Respondeo *Theandricas* operationes etiam nos appellare, sed non unam atque indivisam. Est utique Christus Deus homo; & consequenter omnis ejus operatio θεανδρικὴ, eo sensu quod sive principium operationis esset natura divina, sive humana, omnis operatio erat *Dei-hominis*. Sed quoniam, ut diximus, nulla operatio proprie dicitur *personalis*, sed appellanda est naturalis, illam proprie *Theandricam* operationem vocamus, quæ est ab utraque natura efficienter, ut miracula patrata virtute divinitatis, & tactu carnis. Alias omnes appellabimus operationes aut divinas, aut humanas, prout naturaliter ab una, vel altera natura prodierunt; sic ambulare, dormire, manducare, humana operatio est; dare Spiritum sanctum, & peccata dimittere, operatio divina. At propter unionem hypostaticam utraque natura semper operabatur cum altera conjunctim, & humana semper ad nutum ac regimen divinitatis; quamquam non esset quælibet operatio utriusque naturæ proprietas, vel effectus.

CAPUT XI.

Quæritur an Honorius Primus adhæserit Monothelitis.

AGGREDIMUR quæstionem ob varia Doctorum placita celeberrimam, neque spectantem ad solam Monothelitarum historiam, verum etiam ad Romani Pontificis auctoritatem vindicandam. Præsertim quippe exemplo Honorii, cujus damnationem legimus in VI. Synodo, posse Romanum Episcopum in hæresim cadere, & damnari a Generali Concilio, nituntur probare Magdeburgenses, & Novatores alii communiter. Eodem utuntur Assertores Libertatis Cleri Gallicani, ut propugnent Concilium esse supra Papam. Hinc etiam gestiunt Janseniani, ut defendant posse Pontificem errare in definitione *facti dogmatici*. Oportet autem in hac gravi controversia distinguere quæstionem de Honorii doctrina, an scilicet in Rescriptis ad Sergium Monothelismum probaverit, & quæstionem de lata in ipsum a Synodo VI. sententia excommunicationis, nempe utrum hæc fuerit jure, atque auctoritate prolata.

Quantum ad priorem quæstionem attinet, habemus innumeros defensores Honorii, Joannem Papam IV., S. Maximum, Anastasium Bibliothecarium, Bellarminum, Baronium, aliosque accurate laudatos ab Antonio Dezallier in Historia Monothelitarum. Ex nostratibus permulti hoc argumentum pertractarunt, sed præ ceteris Christianus Lupus in dissert. de VI. Synodo, Joannes Laurentius Czepanski in Controv. Sæculi VII. & Bernardus Desirant in libro, cui titulus, *Honorius vindicatus*. Is erudite demonstrat aliam fuisse Epistolam Sergii scriptam ad Honorium, aliam vero exhibitam in VI. Synodo; & illam quidem sensu Catholicam, eaque arte conscriptam, ut videretur tantum directa ad penitus extirpandam hæresim Nestorianam atque Euthychianam: ideoque Papa illam probando, etsi male ei cessit, bono Ecclesiæ provide consulebat. At Sergii Epistola in Concilio perlecta aperte Monothelismum tradebat; ac propterea Patres existimantes hanc ab Honorio probari, latente fraude decepti anathema in ipsum Pontificem intorserunt. Demonstrat id Desirantius exacta Epistolarum omnium, Actuumque Synodalium collatione; & notas viri docti inseruerunt Tomo IV. Anastasii Bibliothecarii Romanæ Editionis Curatores. Verum si nimiam erga Sergium conniventiam, neque omnino opportunam œconomiam velis in Honorio reprehendere, aut sententiam aliquam non recte expressam, quæ tamen fidem non maculaverit, parum id arbitror præjudicii afferre Apostolicæ Sedis auctoritati.

Circa sententiam in Honorium prolatam variæ sunt Scriptorum opiniones. Nam Pighius censet exemplaria sextæ Synodi fuisse a falsariis corrupta. Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Joannem Diaconum ait Synodum recipiendam esse usque ad prolationem tantummodo canonum. Canus, Combefisius, Petitdidier inquiunt distinguendum esse in Pontifice quod spectat ad privatam hominis excellentiam, & quod pertinet ad Pontificis dignitatem, sive id quod scribit, ut privatus Doctor, & quod profert ad confirmandam fidem ex Cathedra: prioris generis esse Epistolam Honorii ad Sergium, errori proinde obnoxiam, & judicio Ecclesiæ subjiciendam. Intrusum in Acta VI. Synodi Honorii nomen putant Baronius, Binius, Bellarminus, Frassen, & alii. Errasse præfatam Synodum errore facti, quod ex mala ac sinistra informatione in Pontificem telum contorserit, scribit lib. 2. de Ecclesia Turrecremata, atque posse hoc pacto generale Concilium errare ipse Bellarminus non diffitetur. Damnatum Hono-

rium

rium œconomia quadam ad retundendam Monothelitarum audaciam eo quod ob Honorii erga Sergium comitatem Monothelismus prealtas radices fixerit, innuunt præ ceteris noster Lupus dissert. de Syn. VI. c. 4. Antonius & Franciscus Pagi Sec. VII. Dezallier in VIII. Scrutinio. Præcipua horum Doctorum momenta producam infra in solutione objectorum.

PROPOSITIO I. Honorius Primus in suis ad Sergium Epistolis nulla ratione Monothelitis adhæsit.

Demonstratur 1. ex Epistola Joannis Papæ ad Constantinum edita a Sirmondo, ubi Pontifex pro Honorio exornans Apologiam ait: *Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster prænominato Sergio Patriarchæ scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, idest, in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis. In nobis enim, non in eo cooptatur quod scriptum est, Scio quia non habitat in me, idest, in carne mea bonum.* Et infra. *Hinc ergo hæ duæ contrariæ voluntates mentis, & carnis, quas Apostolus docet, in nostro nequaquam Salvatore fuerunt, eo quod hic luctaminis stimulus ex prævaricatione protoplasti sumpsit initium, quoniam a Redemptore nostro natura suscepta est, non criminis culpa.* Maximus pariter in Epistola ad Marinum inquit: *Honorium etiam Romanum Papam non diffiteri reor in Christo voluntatum dualitatem in Epistola, quam scripsit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem; sed potius confiteri, & hanc fortassis etiam constabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris, & naturalis voluntatis; sed quod nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem præcesserit voluntas carnis vel cogitatio vitiosa.* Et rursus: *Per id vero, quod ait non esse voluntatis ejus diversitatem, contrarium vel repugnans quid non eum habere perhibet, sed conveniens, & prorsus unitum ex toto. Unde cum nostram quidem naturam de divinitatis voluntate dicit assumptam, unius mentionem fecit. Illud autem quod introducit, Non vero facere voluntatem meam, in medium verbo præposuit omissonumero. Non sunt, inquit, hæc diversæ voluntatis, idest, contrariæ atque adversatricis. Ex quo duas secundum naturam existere in Salvatore voluntates manifeste colligitur. Si enim contrariam non habuit, naturalem habuit tanquam homo.* Idem Maximus in disputatione cum Pyrrho Epistolam Honorii objiciente, inquit: *Quis fuerit fide, & auctoritate dignus Epistolæ hujus interpres, qui eam ex persona Honorii scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustravit, an ii, qui Constantinopoli, quæ in corde erant loquebantur?* Et fatente Pyrrho majore fide esse dignum, qui Epistolam Honorii composuit, nempe Joannes, subdit Maximus: *Is igitur ipse, quum ad Divum Constantinum Imperatorem ex persona S. Papæ Joannis de hac Epistola scriberet, dixit, unam voluntatem dicimus in Domino, non divinitatis ejus, & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quæ humanitatem ejus significabat.*

Hinc pro defensione Honorii validissimum argumentum depromo. Dum ait Honorius admittendas non esse in Christo duas voluntates, ex testimonio Secretarii ejus, qui conscripsit Responsa ad Sergium, & literis mandavit sensum doctrinamque Pontificis, cui proculdubio major adhibenda est fides, quam Græcis Constantinopoli commorantibus, & maxime Monothelismo infectis, quales fuerunt qui Patribus VI. Synodi exhibuerunt Honorii Epistolas in græcum a se ipsis conversas, docuit tantummodo non fuisse in Christo voluntatem repugnantem rationi, sive luctam concupiscentiæ ex peccato originali promanantis, sed naturalem voluntatem, quæ naturæ humanæ proprietas est, minime denegavit, sed potius constabilivit. Qui autem in Christo negat solum voluntatem repugnantem rationi, quæ est lex membrorum derivata ex propagatione peccati, propugnatque naturalem voluntatem ex humana natura prodeuntem, nihil habet cum errore Monothelitarum affinitatis. Igitur Honorius nequaquam ipsis Monothelitis adhæsit.

Huic argumento tam invictis testimoniis firmato, ut Pyrrhus recitatis a Maximo verbis Joannis penitus obmutuerit, addamus alterum ex Honorii Epistolis depromendum. In priore Epistola ad Sergium relata Act. XII. Synodi VI. inquit Pontifex, *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Ait deinde abstinendum esse a vocabulo unius, aut geminæ operationis hanc rationem proferens, *Ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.* In fine Epistolæ hortatur, *Ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes unum nobiscum Dominum Jesum Christum filium Dei vivi Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus fide orthodoxa, & unitate catholica prædicetis.* Ex prioribus verbis apparet veram esse interpretationem Joannis IV. & Maximi Martyris, de qua supra; nimirum Honorium statuisse unam voluntatem humanitatis, rejiciens voluntatem contrariam ortam ex luctamine carnis. Ex verbis secundo loco recitatis, liquet Papam noluisse admittere duas operationes in sensu Nestorii, neque unam operationem in sensu Eutychetis, quod audierit a Sergio horum hæreses iterum suscitari. Ex postremis constat Honorium asserere Unum operantem, sed operantem divinitus, & humanitus. Itaque sancta Pontificis intentio fuit omnem aditum præcludere Nestorianis, & Eutychianis, & contra illos negare duas operationes *personales*, contra istos negare unam operationem *naturalem*, ratus propterea reticendum esse vocabulum unius, vel geminæ operationis: unius, ne quis inferret unam esse in Christo naturam: geminæ, ne quis putaret duas esse in Christo personas; execratus perniciosas hæreses jam pervulgatas, & ignorans novam, ac tunc primo serpentem. Eadem Pontificis intentio apparet ex altera Epistola relata Act. XII. Synodi VI. ubi ait, *Auferentes scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam, vel duas operationes definientes prædicare; sed pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: & pro duabus operationibus ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, idest, divinitatis, & carnis assumptæ in una Persona unigeniti Dei patris, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.* In his patet Honorium, quamquam iterum prohibet vocabulum unius aut geminæ operationis, aperte tradere Verbum in duabus naturis operari, atque duas ipsas naturas esse in una persona, quæ propria utrique sunt operantes.

Fabricatur ex his consequens argumentum. Non debet Monothelitis adnumerari, qui duntaxat in Christo denegat voluntatem carnis cum ratione pugnantem: qui prohibet ne admittantur geminæ operationes in sensu Nestorii, idest, a duabus personis elicitæ, aut una operatio in sensu Eutychetis, scilicet, ab una natura prodiens, qui denique profitetur unum esse operantem ratione hypostasis, sed operari in duabus naturis, & ipsas duas naturas in unitate personæ operari *sibi propria*, ideoque naturam humanam non esse organum tantum vel instrumentum divinitatis, neque moveri ac pati duntaxat, quemadmodum Monothelitæ affirmabant, sed exequi revera operationes humanas. Atqui Honorius hæc omnia apertissime tradidit. Igitur Honorius non debet Monothelitis adnumerari.

Proferam tertium argumentum etiam præcedentibus robustius, quod erudite versat Dezallier. Macarius Monothelita Act. 2. Synodi VI. affirmavit suam de una operatione sententiam fuisse definitam a Synodo Chalcedonensi. Tunc Antiochus Notarius Synodi protulit librum Chalcedonensis Concilii, ac perlecta fuit Epistola S. Leonis Papæ ibidem inserta ac probata, & recitatus hujusmodi Leonis textus: *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit: Verbo quidem operante quod Verbi est, carne autem exequente quod carnis est; & horum unum coruscat miraculis, aliud vero succumbit injuriis.* Hoc textu recitato exurgentes Apostolicæ Sedis legati exclamarunt: *Ecce, benignissime Domine, manifeste duas naturales operationes, inconfuse, & indivise in Domino nostro Jesu Christo præsens sanctissimus prædicat Pater.* Atque his annuit Synodus universa. Honorius Papa in 2. Epistola paullo ante verba superius citata ait: *Quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet, utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem & quæ Dei sunt operantem, & humanam, quæ carnis sunt exequentem, non divise, neque confuse, aut inconvertibiliter Dei naturam in hominem, & nec humanam in Deum conversam edocentes.* Conferas Honorii, ac Leonis verba, & nihil in uno adinvenies, quod non sit eadem prorsus ratione expressum in altero. Omnino consimilia sunt verba Agathonis in Epistola adversus Monothelitas.

Argumentum, quod hinc eruitur, est hujusmodi. S. Leo Papa accensendus non est Monothelitis, & manifeste duas in Christo operationes asseruit, quoniam ait utramque formam agere in Christo quod proprium habet, cum alterius tamen communione, inconfuse, & indivise, quia una natura est alteri hypostatice conjuncta. Atqui hoc idem scribit Honorius; igitur Monothelitis nec Honorius connumerandus est, duasque in Christo naturales operationes manifeste propugnat: conveniunt enim verba verbis, & sententiæ sententiis. Neque dicas, quomodo propugnat quod prohibet confiteri? Nam dixi prohibere vocabulum geminæ operationis in sensu Nestorii, in quantum videbatur parvulis atque imperitis per illud duas in Christo statui personas. Neque repugnat idem vocabulum juxta diversum sensum rejici, ac probari. *Homoousion*, quip-

quippe minime recipit Synodus Antiochena damnans Samosatenses, & consecravit Nicæna contra Arianos: *Unum a Trinitate passum* in sensu Eutychianorum noluit asserere Hormisdas, quod in sensu Catholico definierunt Joannes II. Vigilius; & v. Synodus *Deiparæ* nomen contra Eutychetem satius duxit reticendum, etiamsi contra Nestorium jure merito fuerat receptum. Itaque geminam operationem noluit Honorius pronuntiari adversus Nestorianos, quam minime reprobasset in sensu Catholicorum.

RESPONDETUR ADVERSARIIS.

Opp. 1. Honorius unam in Christo voluntatem propugnavit; inquit enim, *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*. Respond. Honorium appellare unam voluntatem Christi per exclusionem duplicis voluntatis humanæ, quarum una sit voluntas spiritus, altera carnis, & repugnans rationi; non per exclusionem duplicis voluntatis divinæ, & humanæ. Liquet hæc responsio ex productis Joannis Papæ, & Maximi testimoniis, necnon ex ipso Epistolæ Honorii contextu. Post illa enim verba, statim ait: *Quia profecto divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, &c.* Quid enim ex ista causali legitime infertur? nisi istud tantum, non ergo habuit Christus stimulum luctaminis, & quod habitat in carne peccatum, voluntatem scilicet abreptam a sensibus, atque adversus spiritum incitatam. Hac itaque vera, firmissimaque responsione prior illa argumentatio refellitur. Præterea probabilitate non caret, quod in Epistola Honorii *novam* scriptum fuerit, non *unam*; ac falsatios Monothelitas Epistolam corrupisse. Nam adulterasse consimilia Dionysii verba diximus capite præcedenti, & videtur Honorius eadem Dionysii sensa usurpesse. Neque sola ducimur, quæ plerumque fallit, conjectura, sed etiam ratione constanti. Primo namque prohibet Honorius in utraque epistola unius, vel geminæ operationis vocabulum, ideoque unius etiam vel geminæ voluntatis: neque credibile est illum asserere, quod ne alii pronuntient tam stricte mandat. Monothelitæ ergo depravatis verbis Honorii illum tanquam virum inconstantem, qualem habuit Constantinus Pogonatus, temere traduxerunt. Sed accedit firmior ratio. Enimvero cum Roma Constantinopolim profectus esset Anastasius Abbas, ut scribit Maximus in Epistola ad Marinum, contestatus est, *Eum, qui hanc Epistolam per jussionem Honorii latinis dictaverat dictionibus, Dominum videlicet Abbatem Joannem sanctissimum Symponam, affirmasse, quod nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis, licet nunc hoc sit fictum ab iis, qui hanc in græcam vocem interpretati sunt.*

Opp. 2. Monothelitæ affirmabant unum Dominum Jesum Christum omnia fuisse operatum media humanitate. Atque hoc idem scripsit Honorius iis verbis, *Confitentes Dominum Jesum Christum Mediatorem Dei & hominum operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter unita*. Respondeo omnes Catholicos profiteri, quod Verbum incarnatum operabatur etiam divina conjunctim, & media humanitate, ob communionem utriusque naturæ & hypostaticam unionem. Hæresis Monothelitarum in hoc sita est, quod vellent omnia Christi opera initium habere a divinitate, tanquam a principio proximo, & naturali, ac humanitatem moveri tantum & pati, neque alio pacto esse in qualibet operatione *cooperariam*, nisi ut organum & instrumentum, non ut naturam exequentem quæ sua sunt. Hanc esse Monothelitarum doctrinam constat ax Pyrrho in disput. cum Maximo, ex Theodoro Pharanitano in Secret. III. Synodi Lateranensis & ex Macario in Act. VIII. Synodi Sextæ. Satis de his actum disputatione præcedenti. Porro Honorius non ita de Christi humanitate locutus est: sed ait utrasque naturas in uno Christo naturali unitate copulatas esse operantes, & operatrices. Ait divinam naturam operari, quæ Dei sunt. Ait naturam humanam, quæ sunt carnis fuisse exequutam. Ubi ergo inquit unum operatorem Dominum nostrum Jesum Christum fuisse divina operatum media humanitate, non excludit operationem humanitatis, neque huic tribuit tantummodo passionem, uti fecerunt Monothelitæ.

Opp. 3. Honorius dum negat in Christo duas voluntates contrarias nihil ait, quam quod Macarius in Confessione fidei suæ recitata in Act. VIII. Synodi VI. Aut ergo Macarius Monothelita non est, aut est etiam Honorius. Resp. non deesse qui putent Macarium damnatum fuisse ob pervicaciam, animumque protervum, quod nunquam voluerit admittere vocabulum geminæ voluntatis, aut operationis, etiamsi in re parum a catholico dogmate recederet. At Honorius, si adhuc latentem sensum Monothelitarum percepisset, nec Sergius tantum ostentasset zelum præfocandi germina iterum erumpentia hæresis Nestorianæ, nequaquam vocabulum illud repudiasset, cum duas naturas operantes sibi propria manifeste confiteatur. Verum negandum est quod Confessio Macarii cum Epistola Honorii conveniat: ubi enim ille explodit voluntates contrarias; etiam negat humanam naturam exequi quæ carnis sunt, tradens fuisse dumtaxat *mobilem ac motam*, *eique tribuendam esse solam passionem*, *totam denique conspersionem nostram adimpleri una & singulari voluntate divina*. Omnia ipsius Macarii verbis sunt contracte explicata. Miror autem Juenimum Tom. IV. Instit. pag. 198. & nonnullos alios asserere quod Honorius negans in Christo duas voluntates contrarias minime attenderit ad voluntatem, quæ in nobis est post peccatum, quum habeamus irrefragabile testimonium Joannis productum supra in primo argumento, & contextum ipsius Honorii allatum in argumento secundo.

Opp. 4. Iisdem prorsus verbis ac sententiis constant Epistolæ Honorii, & Epistolæ Sergii ad ipsum Honorium, ad Cyrum, & ad Sophronium. Si ergo Sergius Monothelita est; est jure eodem Honorius. Resp. plura quidem simul a Catholicis atque ab hæreticis interdum proferri, atque, ne ab hac quæstione digrediar, tam Monothelitas quam Honorium affirmasse Verbum *inconvertibiliter*, & *inconfuse* fuisse operatum, contrariam non habuisse voluntatem, divinamque naturam media humana quæ Dei erant perfecisse, atque similia his quamplura; sed Honorius confitetur utrasque naturas operantes, atque operatrices, neque ait humanitatem esse duntaxat organum motum & mobile, quod Sergius ceterique Monothelitæ tradiderunt. Sergius præterea Dorensem Episcopum, aliosque Catholicos dire vexando prodidit silentii sui iniquissimam caussam. Addo cum Desirantio Epistolam Sergii ad Honorium non continere aperte Monothelismum, & longe esse diversam ab illa, quæ in sexta Synodo fuit producta, atque ab iis, quæ ad Cyrum & Sophronium fuerunt conscriptæ: immo epistolam illam etiam ut legitur in actis VI. Synodi in se inspectam, & ab aliis Sergii Epistolis sejunctam, ab hæresi posse purgari propugnat dissert. XXVII. suarum Prælectionum eloquentissimus Platina.

Opp. 5. In Typo Constantis edito a Paullo Monothelita tantummodo prohibebatur, ne una, vel duplex in Christo prædicaretur operatio. Cum itaque idem in suis Epistolis Honorius præstiterit, sunt illæ simul cum Typo damnandæ. Resp. esse revera complures, qui hoc in Honorio reprehendunt, quod nimium indulgens Sergio, & pacis studio jubens ne veritas prædicaretur, occasionem tribuerit Patribus sextæ Synodi illum damnandi tanquam fautorem hæreticorum. Sed aliter de Typo, atque de Epistolis Honorianis judicandum est. Paullus enim promulgatione Typi contendebat dogma de duplici voluntate adversus totius Ecclesiæ querimonias, & jam proscripta Ecthesi, sepelire silentio, atque Sergii, & Pyrrhi justissimam condemnationem mandare posterorum oblivioni. Cum itaque prædicari debeat veritas conculcata, neque honor habendus sit pervicacibus hæreticis, recte fuit Typus a S. Martino proscriptus. At Honorius ea prohibitione unius, aut geminæ operationis, opponebat sese hæresibus Nestorii, atque Eutychetis, ut constat ex dictis; & ideo, quidquid sit de illius œconomia, neque pervicaciæ, neque hæreseos notandus est.

Opp. 6. Honorius elevare conatur præcipuum adversus Monothelitas argumentum, quod promitur ex Verbis Christi, *Non quod ego volo, sed quod tu vis*, dicens non esse hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ; ac propter nos dicta esse, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus præferat voluntatem. Resp. negare his verbis Honorium diversam voluntatem, quæ repugnat præcepto, atque pugnacem, quam nos experimur, sensuum rebellionem, ut dixi in Resp. ad 1. Ita etiam S. Maximus in Epistola ad Marinum; ubi hoc argumentum retorquet. Verba Sancti Martyris fuerunt a nobis recitata in priori thesis demonstratione.

Opp. 7. Approbat Honorius doctrinam Sergii. Hæc Monothelismum redolet. Igitur approbat Honorius Monothelismum. Resp. Honorium approbasse doctrinam Sergii, in quantum significavit non esse admittendam duplicem operationem in sensu Nestorii, scilicet duas personas operantes, ignorans quod Sergius, cujus nomen alias præclarum erat atque honestissimum, intendebat callide denegare operationem humanitatis: nunquam tamen probasse Honorium doctrinam Sergii, in quantum alibi tradidit humanitatem non agere, sed pati, ac moveri. Diximus præterea in genuina Epistola Sergii ad Honorium aperte non apparere Monothelismum, ut demonstrat Desirantius.

Opp. ultimo. Sexta Synodus Act. XIII. anathema in Honorium contorsit, ac doctrinam ejus in Epistola ad Sergium hac nota perstrinxit: *Dogmaticas retractantes Epistolas, quæ tanquam a Sergio quondam Patriarcha hujus a Deo conservandæ regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, quam ad Honorium; similiter autem & Epistolam ab Honorio rescriptam ad eumdem Sergium, hasque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & a definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur*. Paullo post damnatis aliis Monothelitis prosequitur sancta Synodus: *Cum his simul projici a sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium,*

rium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem sequutus est, & impia dogmata confirmavit. Ex his liquet a Generali Synodo non solum damnatam fuisse personam Honorii œconomiæ causa, ut quidam dixere, sed etiam anathemate petitam illius doctrinam tamquam in omnibus Monothelitis consentientem.

Juxta diversa Doctorum placita, de quibus supra, gravissimo huic argumento varia solent adhiberi responsa. Nonnulli itaque respondent Acta VI. Synodi fuisse depravata, & damnationem Honorii additam a Theodoro Monothelita. Quorum momenta sunt. Primum quoniam Agatho Papa in Epistola ad Constantinum, quam eadem Synodus VI. Act. 8. & 18. declaravit esse a Spiritu sancto dictatam, aperte affirmat nullum suorum prædecessorum a fide aberrasse. Igitur Synodus VI. & Agathoni, & sibi ipsi repugnasset, si Honorium tamquam Monothelitam petiisset anathemate. Imo si attente Agathonis legatur Epistola, videtur etiam laudare Honorii Sergio silentium imponentis œconomiam, tamquam Dominico directam Spiritu. Ait enim: *Apostolicæ memoriæ meæ parvitatis Prædecessores Dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem hæreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præsules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis hæretico errore SALTEM TACENDO desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiæ facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo*. Quis autem erumpente Monothelismo id præstitit nisi Honorius, cujus successores Theodorus, Joannes, ac Martinus sedarunt jam vulgata Ecthesi, factoque dissidio, intorserunt anathemata, nec probarunt spreti jam silentii salubre remedium, sed adhibuerunt putrescentibus vulneribus necessaria? Itaque VI. Synodus, quæ ore Agathonis credidit loquutum Spiritum veritatis, non potuit tam exacerbato animo ferre in Honorium sententiam. Deinde nisi corrupta dicantur acta Synodalia, fateri oportet, inquiunt, in Patribus Synodi summam impudentiam, atque injustitiam, utpote qui primam Sedem, quæ a nemine judicatur, præcipiti judicio damnassent. Præterea incredibile est Apostolicæ Sedis Legatos, quibus compertum erat Honorium publico funere in templo S. Petri, atque inter sanctos Pontifices fuisse reconditum, audientes anathema in Papam vita functum, nec verbum protulisse, ut Honorii scripta accuratius expenderentur, & detecta etiam hæresi inquireretur num saltem palinodiam ante obitum recantasset. Insuper Græcos, quos sanctarum Synodorum corruptores fuisse conjici potest ex Epistola S. Leonis ad Flavianum, ex Gregorio Magno lib. V. Epist. 14. ad Nars. & ex aliis monimentis quamplurimis, corrupisse etiam Acta VI. Synodi, aut saltem assuisse damnationem Honorii, argumento est, quod ante memoratam Synodum tria Concilia fuerant Romæ celebrata in causa Monothelitarum, unum sub Theodoro, alterum sub Martino, ac tertium sub Agathone, atque in Africa Bizacenum, Carthaginense, & Mauritaniæ: neque tamen in his fit aliqua Honorii mentio, tamquam Monothelitis addicti. Tandem quod putant alii superare fidem corruptos fuisse Codices, quos certum est fuisse transmissos ad Sedes omnes Patriarchales, hoc idem evincit oppositum; quoniam perpauca tantum, non singula exemplaria fuisse vitiata colligitur ex quo Theophanes, & Georgius Monachus tunc temporis omnes res gestas ex Græcis monimentis sedulo exscriptas literis consignarint, nec tamen damnationis Honorii fecerint mentionem aliquam.

Hæc responsio, quamquam probabilis, non videtur viris doctis satisfacere. Nam assertio Agathonis vera est, si dixeris Honorii Epistolas non continere fidei definitionem, aut deceptos Patres Synodi errore facti, aut recipi Acta Synodalia usque ad canonum prolationem, ut mox explicabimus. Altera etiam ratio labascit, si reponas Patres ex Epistolis sibi exhibitis, atque discrepantibus ab ea, quam Sergius scripsit ad Honorium, protulisse judicium; vel sinistra informatione fuisse deceptos, vel non hæresim, sed œconomiam Pontificis reprobasse. Tertia de silentio Legatorum flaccescit, ex quo ii tacere potuerint aut *conniventiæ* caussa, aut ne memoria Honorii acerbioribus impeteretur calumniis, aut ne absolutionis Honorii prætextu Monothelitæ Sergium subtraherent ab anathemate. Excommunicare autem vita functum Episcopum fuit Ecclesiæ praxis, ut constat ex Theodoro Mopsuesteno, Nepotiano, nec non ex ipso Sergio post mortem anathematizato a Martino. Reliquæ autem conjecturæ sunt prædictis debiliores, quoniam revera incredibile est Græcos exemplaria singula adulterasse; &, si perpauca corruperunt, fuisset ex legitimis refutata ipsorum audacia. Theophanes vero, & Georgius in compendio narrant historias, nec omnia prosequuntur acta Conciliorum.

Ex alia parte damnationis Honorii meminit Leo II. in Epistola ad Constantinum, quam licet spuriam ex nota indictionis opinentur Baronius ac Binius, recipiunt tamen cum Pagio ad annum 683. viri docti. Meminerunt etiam PP. septimæ Synodi Act. III. ubi recitata est Synodica Tharasii, & Confessio Fidei Theodori Jerosolymitani; & Act. 6. in disputatione Epiphanii diaconi: Hadrianus quoque Act. 5. Synodi VIII. Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Joannem Diaconum, Psellus in Carmine de septem Synodis, Beda in libro de sex mundi Ætatibus, Nicephorus Patriarcha in Epistola ad Leonem III., Humbertus Cardinalis in libro contra Nicetam, aliique laudati partim a Cano lib. VI. de locis Th. cap. 8. partim in Historia Monothelitarum Combefisii, & Dezallier. Tantis nihilominus testibus possent Baronius, Possevinus, aliique præcedentis sententiæ propugnatores reponere ex semel corruptis Actibus VI. Synodi falsum de Anathemate Honoriano rumorem ad Leonem ac posteros derivasse. Hanc itaque priorem responsionem lectori committimus dijudicandam.

Melioris notæ existimamus unam ex sequentibus responsionibus. Prima est Anastasii in Epistola nuper laudata hæc scribentis: *Ne videamur tam sanctam, tamque reverendam Synodum accusare, vel temere reprehendere, licere nobis opinamur de illa sentire, quæ Sanctos Patres nostros de Chalcedonensi magna Synodo sensisse non ignoramus. Quorum unus, sanctus videlicet Papa Gregorius, usque ad prolationem tantummodo Canonum hanc suscipiendam fore signavit*. Alia deinde Anastasius profert exempla, quæ eo loci poterit unusquisque perlegere. Responsio altera est, quam tradit Turrecremata, Concilium deceptum errore facti, quod de Honorii Epistola judicium protulerit juxta exemplar in græcam linguam a Monothelitis translatum; atque eo permotum, quod Papa Sergii doctrinam commendaverit, eique similia conscripserit, licet diverso plane sensu, nec impia, tametsi male et cesserit, dispensatione. At magis errorem illum sinistrumque judicium reddit excusatione dignum Desirantius demonstrans Epistolarum Sergii diversitatem, illorumque versutiem, qui in conspectu Synodi venerandæ unam pro alia supposuerunt: quod licet dissert. XXVI. refellat Platina, magna sane probabilitate non caret. Enimvero ipsam Honorii Epistolam Monothelitarum fraude vitiatam, ut diximus ad 1. object. scribit ad Marinum sanctus Maximus, idque comprobat testimonio Anastasii, quem ait esse *virum incomparabilem, virtuteque divina ac prudentia venustatum*. Vide Tom. VI. Venet. Collect. Concil. pag. 1517. Deinde si depravationes, quas Desirantius insertas putat, a Sergii abscindantur Epistola, nihil in ea occurret falsitatis, nihil quod oleat hæresim, atque, ut vir doctus pag. 46. & seq. demonstrat, mira erit inter Sergii & Honorii literas cohærentia, quadrabitque singulis capitibus Sergianæ Epistolæ pars qualibet Responsionis. Præterea, si verum est corrupta Græcorum dolo sextæ Synodi Acta, insertamque Honorii condemnationem, quod idem Platina nititur demonstrare ratiociniis plurimis, eruditisque notationibus in Synodum præsertim Lateranensem; quid miraculi affert, si credamus Monothelitas & Græcos, & hæreticos literas Constantinopolitani Præsulis depravasse? Ad hæc opinatur Platina omnes se Desirantii Animadversiones conterere, affirmans inverisimile esse, Patres post probatum authenticum exemplar Epistolæ Honorii ad Sergium, non inivisse, ut cum autographo conferrentur literæ ejusdem Sergii. At quis non videt argumentationem istam, quam rhetorice exornat, sola lectione Act. XII. Synodi VI. penitus evanescere? Ibidem quippe Tom. VII. pag. 970. legimus epistolam Honorii ad Sergium collatam fuisse cum latina per Joannem Episcopum Portuensem, epistolam autem Sergii exhibitam a Macario collatam fuisse cum exemplari reperto a Georgio Diacono in Constantinopolitano Chartophylacio. Ita nimirum Patres prudentissime collationem latinarum epistolarum Latinis, græcarum Græcis commiserunt. Verum quis epistolam Sergii a Patriarchio erutam cum ea, quam misit ad Honorium concordare certa ratione demonstret? quis ignorat potuisse in regestis Chartophylacii recondere vitiatum exemplar aut Paulum, aut Pyrrhum, aut Sergium ipsum Monothelitas? Sane postquam codex a chartophylacio depromptus repertus est concordare cum Macarii *fasciculo*, de autographia Epistolæ Sergii non fuit ulterius discussum: quod nec opus erat præstare, cum Sergii hæresis ex aliis quoque ipsius scriptis patesceret. Postremo difficile est admodum a nota hæresis purgare verba illa Sergii, *Operatur quippe vera Deitas per corpus, quod circa ipsam est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio*; & quidquid Sergius dogmatizat exemplo corporis, quod regitur, & ordinatur ab intellectuali, & rationali anima; ut comparatione ista demonstret, *totam humanam conspersionem* fuisse in Christo *motam semper in omnibus, Deique mobilem*: ideoque verba illa Desirantius jure suspicatur inserta. Neque enim me latet respondere Platinam, iis verbis significari impetus omnes in carnem Christi dimanasse ex Verbi nutu & imperio; etiam corpus modo suo agere, etsi regatur ab anima: Sophronium quoque in Epistola Synodica relata act. XI. Synodi VI. & Joannem Damascenum lib. III. de Fid. cap. 15. aliosque Patres similia proferre. At videtur Sergius *toti humanæ conspersioni* mobilitatem, & passionem

solam tribuere, dum Patres a Platina laudati, licet recte asserant humanam Christi naturam fuisse a Deo Verbo motam tanquam instrumentum divinitatis, illi tamen proprias tribuunt actiones, quas Sergius denegat. Iisdem quippe locis a viro docto productis, inquit Sophronius Christum fuisse veluti promum condum *humanarum actionum & passionum*, & Damascenus ait humanam naturam *volente Verbo, & concedente pati, aut agere:* quæ frustra in Sergio perquires. Verum quo sensu Sergius, quo sensu Patres dixerint naturam humanam a Deo Verbo moveri, diximus paullo supra. Ignoro etiam an corporis exemplum, ut profertur a Sergio, possit doctrinam catholicam confirmare. Ut enim mittam opinionem illorum Philosophorum, qui negant corpora ullo pacto se, aut alia movere tanquam principium motus efficiens; Sergius animatæ Christi carni solam attribuit *passionem*, quemadmodum *operationem* duntaxat divinitati. Ceterum vel hæc scripserit, vel non scripserit Sergius, parum interest; non enim ista adinvenies in Honorii ad eumdem Sergium epistola: de qua Desirantii sententiam ita propono, ut illam tamen non credam esse invictissimam.

Tertia responsio est, quod accusantibus compluribus Honorium de hæresi, & nemine illum excusante (occulto fortassis Dei judicio permittente, ut silentium indictum ab Honorio silentio puniretur,) excerptisque utrinque ex epistolis Honorii, & Sergii consimilibus sententiis, Concilii Patres Honorium telo reprobationis confoderint; non enim iniquum est dicere anathema Papæ, si supponatur hæreticus, quamquam revera in hæresim non sit prolapsus. Hinc Hadrianus in Actione v. Synodi Octavæ Generalis inquit: *De Romano Pontifice quemquam judicasse non legimus: licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est quod fuerat super hæresi accusatus: propter quam solum licitum est minoribus Majorum suorum motibus resistere.*

Dixi in principio disputationis recentiorum complures assetere revera Honorium I. damnatum a vi. Synodo, at non tanquam hæreticum, sed tanquam reum nimiæ facilitatis, & inconsultæ dissimulationis, eo quod fidem præbens Sergio, & *gemina operationis* prohibens vocabulum, caussam, licet ignarus, tribuerit Monothelitis hæresim suam nisu audaciori promovendi. Hanc sententiam laudatus Platina vellicat xxxvi. dissertatione, Natalem Alexandrum alloquens oratoriis confutationibus. At cur Natalem impetit? Cur solum tanquam *levissimæ defensionis* auctorem exagitat? Eadem, quæ Natalis, hac in parte tradidisse Marcam, Garnerium, Tamagninum docet in Notis ad annum 633. illustris Pagius. Atque is non solum id refert, verum etiam iisdem argumentationibus confirmat, & extra controversiam positum esse contendit: ne repetam modo Lupum, L'Herminietum, aliosque quamplurimos. Nititur hæc sententia testimonio Leonis II. scribentis de Honorio ad Hispanos Episcopos, *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit:* altera epistola ejusdem Leonis ad Constantinum Pogonatum, ubi de Honorio legitur, *Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit:* auctoritate vetustissimi libri, qui inscribitur Diurnum Romanorum Pontif. a Marca, a Garnerio, & a Pagio laudati, ubi pag. 32. legitur damnatos *auctores novi hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, & Petrum Constantinopolitanos una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit:* Rescripto denique Imperatorum Honorii & Theodosii ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, in quo habetur, *Una eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando connivventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint:* quibus omnibus asseritur (quicquid subinferre conetur Platina) Honorium I. non dogmate & sententia, sed facilitate ac dissimulatione hæresi Monothelitarum impendisse fomentum; & immaculatæ Ecclesiæ injecisse quodammodo maculas, non perniciosa doctrina, sed *permissione*, ac silentio. Verissimum tamen puto facilitatem illam Honorii, quæ consequentiis spectatis visa est damnationi subjicienda, fuisse in se ipsa dignissimam excusatione; quoniam Pontifex, ut diximus, prospiciebat, ne unius, vel geminæ operationis prætextu Nestoriana, vel Eutychiana hæresis instauraretur, imo & alia vocabula subrogavit, quæ operationes duas apertissime commonstrarent. Atque ex his constat Honorium non adhæsisse Monothelitis, sextamque Synodum, si in illum intorsit anathema, vel recipiendam esse usque ad prolationem tantummodo canonum, vel errasse errore facti, vel sententiam dixisse facta hæreseos hypothesi, vel reprobasse in Honorio facilitatem & silentium, non dogma ac doctrinam: quid autem horum verisimilius sit, judicet prudens Lector.

PROPOSITIO II. Etiamsi in Epistolis Honorii contineretur hæresis Monothelitarum, nihil id roboris haberet ad infringendam Romani Pontificis auctoritatem.

Sequitur ex dictis. Quis enim evidenter demonstraturus est, Epistolam ipsam non fuisse a falsariis corruptam? Quis etiam ostendet Joannem Abbatem non esse auctorem Epistolæ, nec plura, ut suspicatur Anastasius, proprio Marte addidisse? At sit solus Pontifex illius doctrinæ auctor, & ipsa quoque doctrina hæresis manifesta. Sunt magni nominis Theologi, qui cum Cano tenent in iis, quæ Pontifex docet tanquam privatus Doctor, non habere specialem illam Spiritus sancti assistentiam, quæ nunquam deest ubi credenda proponit, & loquitur, ut inquiunt, ex Cathedra. Epistolæ autem privatim conscriptæ, absque solemni ritu promulgatæ, hortatoriæ, atque ad unum Patriarcham directæ, non impulsivæ, non Apostolica auctoritate suffultæ, non encyclicæ, & palam ad fidelium ædificationem propositæ, tanquam privati Scriptoris censentur, non tanquam Papæ. Talia fuisse Honorii ad Sergium Responsa neminem latet. Factum itaque Honorii non suffragari iis, qui tribuunt Apostolicæ Sedi defectibilitatem, optime inquit Fulgentius Bellelli in postremo opere Mentis Augustini Parte ii. pag. 488. ante ipsum vero Antonius Dezallier in Hist. Monoth. Sermt. 6. Matt. Petitdidier de Auct. & Infallib. Pontif. c. 8., aliique Doctores quamplurimi.

CAPUT XII.

De Christi Domini perfectionibus, quæ ad voluntatem solent referri.

QUEMADMODUM profligatis hæresibus circa assumptam a Verbo humanam mentem hujus perfectiones c. xx. demonstrare curavi; ita nunc refutatis Monothelitis, de iis, quæ voluntati tribuuntur, dicam nonnulla. Sunt autem hæ perfectiones Sanctitas, Impeccabilitas, ac Libertas. De Sanctitate, quæ in habituali gratia sita est, conveniunt omnes Christum ea fuisse exornatum, merito Nazaræum, idest, *Sanctum*, appellatum, ob Spiritum sanctum inhabitantem, perfectumque justitiæ ornamentum; atque hoc idem prædixerat Angelus ita Mariam alloquens, *Quod nascetur ex te Sanctum, &c.* Lucæ ii. 35. atque anterioribus sæculis Esaias xi. 2., & Daniel ix. 24. Quod a Scholasticis solet in quæstionem verti est, an Christi anima dicenda sit sancta sanctitate essentiali, an accidentali, & utrum per solam sanctitatem increatam sancta fuerit, quod idem est forma. Quæritur etiam de virtutibus, quæ eximiæ singularisque sanctitatis sunt comites individuæ.

In qualibet creatura sanctitas creata, & accidantalis dici debet; accidentalis quidem, quod sit donum extra naturæ ordinem, & etiam in hac vita possit amitti: creata autem, quoniam est quidem justitia & sanctitas, si efficienter consideretur, ipse Spiritus sanctus inhabitans, sed formaliter, ut inquiunt, est inhærens qualitas, & rectitudo animi dono ipsius Spiritus inhabitantis collata. At in Christo, qui est verus Deus, & item verus homo unitate personæ substantiali, non potest gratia dici accidentalis eo titulo, quod amitti posset, vel ad naturalem dignitatem non pertineret; quemadmodum nec creata eo sensu, quod per solam hypostaticam unionem non redderetur humanitas Christi sanctitatis decore cumulatissime ornata. Nos tamen facili negotio quæstionem hujusmodi dirimi arbitramur, si duo in sanctitate vel gratia munera distinguamus. Præstat enim gratia, ut diximus, rectam animæ habitudinem, sive inhærentem justitiam, ac præterea constituit hominem Dei filium, tribuitque ei jus ad hæreditatem, atque reddit ejus opera meriti laude Deo pergrata & accepta. Spectam itaque priori munere sanctitatis, Christi gratiam creatam esse affirmamus; sed altero munere inspecto illam dicimus substantialem & increatam.

PROPOSITIO. Sanctitas fuit in Christo tum substantialis & increata, quam creata atque adventitia.

Demonstratur prima pars de sanctitate substantiali atque increata. I. Argumento, quod promitur ex laudatis verbis, *Quod nascetur ex te Sanctum*, ubi caussam sanctitatis esse utriusque naturæ substantialem unitionem demonstrant verba præcedentia, *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, & neutrius generis vocabulum *Sanctum*, uti adnotavimus lib. vii. Cap. ix. II. Ex Patribus, qui ex unitate Personæ inferunt Christo gratiam inesse naturalem, & unctionem Spiritus sancti in eo esse humanitatis mirabilem susceptionem, ut loquitur Gregorius Nazianzenus Orat. v. & S. P. Augustinus c. 40. Enchiridii. III. Ex Theologica ratione; si enim ex quo Verbum humanam naturam assumpserit in unitatem personæ, ut suo loco demonstrabitur, Christus est filius Dei naturalis, oportet ut etiam habeat ratione divinæ personæ jus ad hæreditatem, & gloriam, præciso etiam quolibet dono adventitio, ex quo consequi tantum posset filiatio adoptiva, si persona foret Deo extranea, non filius Dei naturalis.

Probatur secunda pars, quia animæ sanctitas, quatenus illam reddit rectam ac justam in Augustiniana Theologia est caritas habitualis, amor castus, & bona voluntas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum inhabitantem. At humanitas Christi non redditur *formaliter* amans & volens per ipsum Verbum sibi intrinsece unitum. Igitur humanitas Christi non est recta, & sancta per solam sanctitatem divinam, atque increatam. Prob. minor.

Est

Est quidem divinum Verbum substantialiter sanctum, quemadmodum est intelligens, volens, & operans. Attamen quum humanitas ab illo assumpta habere debeat proprietates ac perfectiones, quæ ipsam in suo genere compleant, nequit Christi humanitas reddi *formaliter* intelligans per intellectum Verbi, aut volens, & operans per solam voluntatem, & operationem divinam; alioqui pereant necessa est omnia argumenta superius contra Apollinaristas, Monothelitasque producta. Atqui etiam sanctitas, & gratia habitualis est intrinseca animæ rationalis perfectio, atqua habitudo quædam ipsi inhærens, & cujus capax est præcisa quoque unione hypostatica. Igitur Christi humanitas non redditur *formaliter* sancte & recta per Verbum sibi substantiali unione conjunctum.

Adversus hanc partem pugnat I. Quod Patres appellant sanctitatem Christi substantialem, atque in hoc discrepantem e sanctitate aliorum, quod in his adventitia sit, & labore ac operibus comparata, in Salvatore autem nostro naturalis, atque ipsam hypostaticam unionem consequens. Ita tradunt Dionysius Alex. in Epist. Synodica contra Paulum Samosatenum, Basilius in Psalm. 42. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannam cap. 9. S. P. Augustinus lib. III. contra Maximinum cap. 15. aliique complures laudati a Vasquesio disput. XLI. de Incarnat. q. VII., & ab H. Tournely q. XI. art. 3. Pugnat etiem ratio; primum quia intimior est humanæ Christi voluntati unio hypostatica, quam sit habitus, aut modificatio aliqua accidentalis, ideoque si potest qualitas adventitia reddere Christi humanitatem *formaliter* sanctam, potest hoc idem majori titulo præstari ipsa substantiali unitione. Deinde sanctitas adventitia reddit subjectum, cui inhæret, filium Dei adoptivum; Christus autem etiam ut homo est filius Dei naturalis. Non igitur sanctus est dono aliquo superaddito atque edventitio.

Respondetur esse quidem in Christo sanctitatem substantialem, ut SS. PP. affirmant, in quantum sanctitas humanam naturam elevat in consortium divinitatis, eique tribuit dignitatem, jus ad gloriam, & divinæ filiationis characterem eximium ac singularem. De quo munere sanctitatis loqui sanctos Patres liquet, quoniam illorum scopus est in Christo aut naturam divinam, aut unitatem Personæ, aut Incarnationis œconomiam demonstrare. Naturalem itaqua appellant sanctitatem Christi, aut spectando personæ excallantiem, aut jura humanitatis quæ unionem hypostaticam consequuntur, aut communicationem idiomatum; da que infra. At quum repugnet divinitatem ipsem fieri proprietatem, & modificationem humanitatis, necessum est, ut ad constituendam Christi voluntatem *formaliter* sanctam, etiam habitum adventitium & accidentarium ei tribuemus, qui efficienter sit ab ipsa divinitata, *formaliter* autem sit recta animæ Christi habitudo, & effectio; ut impressiona sigilli recipit cera figuram, sive intrinsece sibi inhærentem dispositionem. Atque manifasta hæc sunt, si causam efficientem eb ea, quam *formalem* appellant, accurate distinguas. Diluuntur his argumentationes postremæ. Prima quidem; quoniam divinitati substantialiter cum natura humana conjunctæ competit hanc ad sua jura transferre, ac perficere in genere caussæ efficiantis, sed repugnat ut illi inhæreat, tamquam modificatio vel qualitas, sive suppleat, ut inquiunt Scholastici, rationem caussæ formalis. Gratia autem creata nequit in Christo filiationem adoptivam producere, quia filiatio non ad naturam humanam proprie spectat, sed ad personam; ut suo loco explicabitur.

De virtutibus, ac donis Spiritus sancti non opus est disceptare. Etenim super Christi personam Spiritus Domini requievit, & gratiæ ac veritatis plenitudine illum ornavit, idqua Capiti Ecclesiæ, quod nobis humilitatis, ac ceterarum virtutum præbare debebat exemplum, magnopere congruebat. Sunt tamen virtutes, quæ ratione subjecti, cui inhærent, sitæ sunt in refrenanda cupiditate, quamquam in se spectatæ importent tantum rectum ordinem, & æquitatem, cujusmodi sunt temperantie, continentia, atque voluptuosæ cupidinis mortificatio. Has constat fuisse in Christo spectato tantum ordine æquitatis, in quo sita est netura virtutis, non considerata pugne, quam coercent, pravorum affectuum, quorum expers fuit sanctissima Christi anima. Virtus caritatis in ipso maxime enituit, præsertim dum posuit animam pro peccatoribus. Fides autem, quoniam est rerum non apparentium, non fuit in Christo a primo conceptionis instanti thesauris divinæ sapientiæ, beatæque visionis exornato. Idem dicendum de spe, in quantum fertur in principale sui objectum, idest, participationem summi boni, quo etiam in via beatissima Christi anima fruebatur. Neque his carere virtutibus fuit in Christo perfectionis defectus; quum melius sit possidera, quam sperare; & videre facie ad faciem, quam in speculo, & in ænigmate. Legatur Apostolus in I. ad Corint. cap. XIII.

DE CHRISTI IMPECCANTIA.

Nullum fuisse in Christo peccatum ex Scripturis, ex Patribus, atque rationa ipsa facile suadetur. Enimvero ita Salvator invidos allocutus ast, Joan. VIII. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Paulus ad Hebræos IV. 15. de ipso inquit: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*: & proximo cap. VII. 26. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. Petrus etiam Epist. I. cap. II. 21. *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Habent consimilia Ecclesiæ Patres, præsertim Augustinus lib. II. de Peccatorum merit. cap. II. 13. & seq. & de Prædast. SS. cap. 15. aliique prorsus omnes. Optimam rationem suppeditat citato loco S. Pater, quoniam nisi Christus fuisset Sacerdos incontaminabilis, debuisset pro suis delictis hostias offerre, neque inter ipsum & alios Sacerdotes fuisset illud discrimen, quod in Epistola ad Hebræos tradidit Apostolus Paulus. Præterea indiguisset etiam ipse alio Redemptore, nec exhibuisset Petri satisfactionem pro nobis, quoniam debita esset peccatis suis ignominia, crucisque supplicium. Denique humanitas Christi a divinitate regebatur, imo opera, quæ naturæ humanæ propria sunt, de ipso Verbo Deique Filio enuntiantur, cum recte dicatur Deus passus & crucifixus. At non rexisset Verbum humanitatem, si permisisset ut in scelera prolaberetur, atque esset indecorum & impium, si posset Dei filius, uti mortuus, ita dici impius & sceleratus. Hæc autem postrema ratio non solum probat fuisse Dominum Jesum Christum expertem cujusque criminis, sed etiam potentiæ peccandi.

Videtur his repugnare, quod in cruce exclamaverit, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* in quibus verbis actum desperationis impii quidam hæretici notaverunt: sed quem præfracte, atque imperite, jam dixi cap. IX. Movere paritar nos non debet quod delicta nostra appelleverit sua: nam id argumentum est caritatis, qua sustulit pœnam iniquitatum nostrarum; & per metonymiam causæ delictum pro supplicio commemoratur. Quod vero Apostolus 2. ad Corinth. 5. scribat Christum pro nobis *peccatum* fecisse; metonymia pariter ast in sacris literis frequentissima; ubi *peccatum* appellatur sacrificium oblatum pro peccati ejusdem expiarione. Ita in Exodo XXIX. 14. & XXX. 10., & persæpe in Levitico quotiescunqua memoratur sacrificium *pro peccato*, Hebraice dicitur חַטָּאת *peccatum*; quod rectissime *pro peccato* vertit Latinus: imo retinet alicubi eamdem phrasim, ut Osee IV. 8. *Peccata populi mei comedent*, idest factas pro sceleribus oblationes, ut liquet ex collatione capitis VII. Levitici vers. 7. & 8. Si dixeris: Cur repugnat Filium Dei dici peccatorem, & impium, & non repugnat dici pauperem ac mortuum, cum æque divinitati adversetur peccandi & moriendi potestas? Respondemus mortem malum assa pœnæ, non culpæ; ideoque eadem mors subest regimini divinæ personæ, in quantum malum pœnæ in rectum finem dirigitur: unde potuit etiam Verbum mortalem naturam induere, & in hac se in ara crucis offerre, ac mori ad redemptionem perficiendam. At peccatum malum est morale, neque in rectum finem est dirigibile: & idcirco subesse non potest divinitatis providentiæ effectrici; neque decens erat, ut Verbum assumeret humanitatem obnoxiam malo ejusmodi, quod definitam Redemptionem magnopere labefactasset.

His de Christi impeccantia explicatis, videndum remanet unde illa tamquam a vera caussa profluxerit, an a carentia concupiscentiæ vel fomitis, an ab unione hypostatica, an denique a visione Dei, quæ voluntatem omnium Beatorum rapit in summum Bonum, efficitque dilectionem vehementissimam & necessariam. Et quantum ad peccati fomitem, non fuit quidem in carne Christi mortali, & licet per suggestionem tentatus fuerit a dæmone, non potuit sensuum illecebris, noxiaque cupiditata percelli: sed tanta spiritus, membrorumque concordia nequit, ut in homine primo demonstravit experientia, ita voluntatem hominis continare, ut non possit servire peccato, cum sit natura mutabilis & infirma. Oportat ergo ut Christi impeccantiam a supernaturali virtuta repetamus, eaque vel erit visio intuitiva, vel unio hypostatica. Atque visionem divinitatis manifestam conferre sanctæ caritatis firmissimam perpetuamque virtutem, extra controversiam positum arbitramur: & in hac parte assentimur Scotistis. Sed hinc potissimum derivare Salvatoris nostri impeccantiam, adeout separatus a visione divinitatis (si tamen id percipi potest) foret voluntas humana Christi capax peccandi, hoc sane cum Scholasticis reliquis pernegamus.

Dicimus ergo beatissimam Christi animam, quæ fruitur ob contemplationem divinitatis impeccantia illa adventitia, nec ad ejus substantiam spectante, qualis in omnibus Comprehensoribus invenitur, esse substantialiter quoque impeccabilem, propterea quod conjuncta sit divinitati in unitate personæ. Ita nimirum Concilia, Patres, & ipsa ratio commonstrant. Sexta enim Synodus Oecumenica damnans Monothelitas, qui in Christo humanam volunta-

tem denegabant ea ratione ducti, quod hac admissa forent in illo voluntates duæ pugnantes invicem, & contrariæ; posteaquam hæresim illam profligavit, cur nequeat in Domino statui oppositarum voluntatum certamen ac lucta, Act. VIII. hac ratione declarat: *Quemadmodum*, inquit, *corpus nostrum regitur, ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima: ita in homine Christo tota humana ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper, & in omnibus mota Deo mobilis fuit*. Ex quibus hæc ratiocinatio concluditur. Christus est impeccabilis in quantum nequit habere voluntatem pravam, & rationi reluctantem. Atqui hanc habere non potest ob unionem substantialem, qua tota ejus conspersio regitur a divinitate, quemadmodum corpus ordinatur ab anima. Igitur Christus impeccabilis est propter ipsam unionem substantialem atque hypostaticam.

Eadem est Patrum doctrina. Enimvero Dionys. Alex. in Epistola superius laudata contra Samosatensem, *Nisi Christus*, inquit, *idem esset Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi*. Cyrillus Alex. lib. VI. in Joannem: *Prorsus fieri nequit, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus*. S. Pater Augustinus de Corrept. & Grat. cap. XI. *Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta nullum in se motum malæ voluntatis admitteret*. Fulgentius denique lib. III. ad Trasim. cap. 29. *Propterea etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non novit*. Hæc, aliaque plura Sanctorum testimonia assertionem nostram corroborant. Præcisa enim visione beata, Christus substantialiter Deus est, atque humana natura a Verbo Deo in unitatem personæ suscepta vivifica Divinitatis virtute dirigitur. Igitur etiam non attenta contemplatione summi Dei, non poterat motum malæ voluntatis Christus admittere, eique assentiri.

Accedit aperta ratio. Etenim si duæ naturæ in unitatem personæ nexu substantiali copulentur, competit superiori jus regendi inferiorem, alioqui non erit in ea persona rectitudo ordinis, & naturalium facultatum debita harmonia. Hoc autem jure supposito, si pars inferior a recto æquitatis ordine deflectat, in superiorem regentem culpa refunditur, sicut imputatur animæ effrenis carnalium membrorum licentia. Ex quo igitur sit inter divinum Verbum humanamque naturam indissolubilis unio, competit divinitati jus munusque humanitatem regendi, non solum lege atque institutione, quemadmodum princeps moderatur rempublicam, sed etiam intimo regimine, ac dominio, quo unaquæque persona præest liberis corporis, animique sui motibus. Posset ergo in Verbum Deum refundi peccatum, si peccare posset humanitas sibi in unitate personæ conjuncta.

Verum tamen est, quod humana voluntas suam libertatem exercet cognitione & amore; neque potest Verbum esse humanæ naturæ formalis cognitio vel amor. Ad componendam ergo Scotistarum a ceteris Theologis discrepantiam, arbitror plurimum conducere si etiam hoc loco, ut supra diximus de sanctitate, distinguamus inter genera caussarum. Itaque ob unionem hypostaticam debet Verbum Deus humanitatem susceptam continere, ut principium efficiens, dirigensque singulos ejus motus. Ut autem hoc jure humanitatem contineat, ejus mentem perspicua veritatis cognitione collustrat, & Spiritus sancti communione perfundit. Quod si fieri posset, ut humanitas Christi tanto lumine privaretur, non posset Verbum permittere, ut sensibilium rerum caligo inditum rationis lumen quomodolibet offuscaret. Atque ita semper Christi voluntas debuit intra æquitatis jura amoris rectitudine contineri, qui amor est impeccantiæ ratio, ut appellant, *formalis*. Nunquam ergo escogitari potest in Christo protima potentia peccandi attento divinitatis regimine, & rectitudine amoris, quorum unum est impeccabilitatis caussa efficiens, alterum caussa *formalis*.

DE CHRISTI LIBERTATE.

Quam perplexa sit quæstio de libertate Christi, supposita ipsius impeccantia, deducitur ex variis Doctorum opinionibus. Etsi enim consentiunt omnes Christum libere subiisse crucis patibulum, quod aperte divina scriptura, ipsumque meritum redemptionis comprobat, discrepant tamen plurimum ut hanc in morte subeunda libertatem cum impeccantia concilient. Spinosum enim videtur obvium istud ac pervulgatum ratiocinium: Si potuit Christus non mori, potuit etiam præceptum patris, qui illum misit in mundum, ut pro peccatoribus moreretur, pessundare ac transgredi, ideoque peccare; aut e contra si peccare non potuit, necessitate, non electione morti se tradidit. Mirum quanta viri docti, ut hinc evaderent, excogitarunt. Negarunt alii fuisse hoc præceptum moriendi impositum Christo: quidam hoc præceptum asseruerunt, sed ea conditione latum, ut posset Salvator petere, si voluisset, ejus dispensationem: nonnulli præceptum absolutum & obligans esse negarunt: permulti docuerunt propositam hoc præcepto mortem, non circumstantias a Christo libere seligendas: affirmarunt quamplurimi fuisse Christum liberum ad moriendum in sensu diviso, non in sensu composito, & mortuum necessitate consequenti, non antecedenti: fuerunt etiam qui in Christo ad merendum negarunt necessariam libertatem indifferentiæ.

In tanta opinionum diversitate quid nobis tenendum sit liquet, si ad memoriam revocentur, quæ de libertate pluribus in locis disputavimus. Percurre, si mente exciderunt, libri IV. caput ultimum, libri X. caput 13. libri duodecimi caput 10. & libri XVI. caput 2. His in locis conati sumus demonstrare primo ad libertatis essentiam requiri posse agere, & non agere, quoniam liber non est, qui non est dominus sui actus, qui non habet potestatem motum voluntatis suæ cohibendi, qui non potest optione sua eligere utrumlibet: quare etsi voluntas, ut natura est, sola trahatur voluptate qua in bonum necessario tendit; ut tamen est illa facultas, quam appellamus *liberum arbitrium*, agit indifferenter, & habet suorum operum electionem perfectumque dominium. Diximus præterea voluntatem ferri erga bonum in communi naturali necessitate, eo quod extra bonum, qualecunque tandem illud sit, digredi nullatenus valeat; eademque naturali necessitate adhærere summo bono in se inspecto, propterea quod nequeat in illo apprehendere speciem aliquam mali, ideoque non consistat cum manifesta contemplatione divinitatis indifferentia judicii. Ex quibus animadvertimus libertatem, ut est indifferens potestas, attendendam esse solummodo comparate ad media, quæ ad consecutionem finis eliguntur, & consequenter nihil aliud esse, quam vim, & potestatem electivam mediorum. Ex eodem capite, quod media eligantur ratione finis, certissime inferri diximus, non spectare ad essentiam libertatis posse peccare, quoniam peccare est a recto fine deflectere, ideoque non perfectio libertatis est, sed defectus, quemadmodum vitium est ac defectus intellectionis ratiocinia contexere non servata connexione principiorum.

Sane medium, quod a voluntate pro fine consecutionis eligitur, potest dupliciter considerari, nimirum in se quatenus indifferens est, & prout aliqua suppositione facta necessario connectitur cum ipso fine. Sufficit autem ad libertatem, quod medium sit indifferens secundum se, licet ex suppositione cum fine connexum sit, nec possit absque noxia mutabilitate non eligi. Atque id in omni agente libero est manifestum. Liber est enim Deus ad creandum, vel non creandum E. G. hominem, quoniam homo non habet cum ipso Deo necessariam connexionem: at posito decreto, cum Deus immutabilis sit, non potest hominem non creare, quia res futura cum divina prædefinitione connectitur; & nihilominus creatio hominis libera est, propterea quod homo in se inspectus est divinæ voluntatis objectum indifferens. Liber est Angelus ut hoc, vel illud munus exerceat, cum nulli sit necessitati addictus: at si Deus præcipiat ut ad custodiendum hominem descendat, cum non possit Creatori, cui jam immutabiliter adhæret, repugnare, non potest non suscipere custodiam hominis; quæ tamen liberrima est, quia secundum se est indifferens objectum voluntatis angelicæ. Liber est homo ut sine colpa ducat uxorem, vel religiosum institutum complectatur: facto tamen voto Religionis, non potest absque peccato illud non exequi: exequitur tamen plenissima libertate, quoniam religiosa vita est secundum se objectum indifferens voluntatis humanæ. Hujus rei manifesta ratio est, quoniam si necessarium esset ad libertatem, ut possit omitti actus non solum spectatus in se, verum etiam prout habet connexionem cum decreto aut præcepto divino, foret de essentia libertatis posse peccare, & eligere media non servato, ac prætermisso ordine finis, quod est proculdubio falsissimum.

Est itaque sententia nostra Christum Dominum plenissima libertate fuisse mortuum, quia poterat mortem subire & vitare, quoniam spectata ipsa morte secundum se, erat illa voluntatis ejus objectum indifferens, cum plura alia eligi potuissent ad finis consecutionem, quamquam supposito decreto ac præcepto patris non posset non mori, in quantum mors cum ipso decreto, vel præcepto connectebatur. Atque hanc sententiam propugnant Vincentius Baronius in dissert. de humana libertate, & gratia, Contenson. de Incarnat. dissert. 6. Ant. Massoulié in D. Thoma sui Interprete disp. 11. q. 8. J. B. Du-Hamel lib. III. de Incarnat. cap. ult. aliique viri docti. Esse autem sententiam D. Thomæ liquet ex iis, quæ nos ipsi de libertate scripsimus libro XVI. adv. hæresim Calvinianam.

Sententia ista, quamvis non alia opus habeat confirmatione, comprobari primo potest ex Scripturis. Nam Ipse Salvator Matt. XXVI. 53. Petro suam in moriendo libertatem confirmans ait: *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quibus verbis aperte innuit, quod spectata in se morte, atque potestatis suæ dignitate poterat hostes omnes prosternere, atque se insidiis illorum subtrahere. Verum addidit nunquam se id facturum, quia positis jam prædefinitionibus divinis, prædictis-

dictis-

dictisque per ora Prophetarum, ipse qui venerat legem implere, & facere voluntatem ejus, qui eum miserat, non debebat statutis summi Dei reluctari; ideoque ait: *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* In hoc itaque sita est Christi libertas, quod plenissimam habebat vel moriendi, vel non moriendi potestatem; tametsi spectata morte quatenus definita, ac præcepta non poterat non mori, quoniam transgredi non poterat divinarum promissionum jota unum, vel apicem. Eodem pacto Joannis x. 18. inquit Salvator, *Potestatem habeo ponendi animam meam*, atque id libertatis ejus invictum est argumentum: at ne quis inferret posse illum transgredi paternum præceptum, aut hoc præceptum non dari, inquit eo loci: *Hoc mandatum accepi a patre meo.*

Probatur deinde ratione. Libertas enim est electio mediorum, quæ cum non sint summum bonum, ac finis ultimus, sunt natura sua objectum, quod voluntati proponitur cum indifferentia judicii, & ideo in ipsorum electione relucet potestas, optio, & dominium eligentis. Quod si Deo præscribente, ac mandante hoc determinate medium sit eligendum, stat adhuc electionis potestas, quoniam Dei præscriptio, ac mandatum non facit ut medium ipsum appareat menti per se summe bonum, ideoque non evertit quod intrinsece constituit libertatem indifferentiæ, sed tantum dirigit medium illud ad certam finis consecutionem: a qua non est necesse quod liberum arbitrium possit deflectere, imo cum in finem trahatur naturali necessitate, non potest non eligere medium, quod posita divina præfinitione unice ad finem conducit: & nihilominus eligitur plenissima libertate, quoniam non est ipsum medium, sed finis, qui in se necessarium amorem voluntatis convertit, & attrahit: atque etiam majori indifferentia media ipsa eliguntur, cum voluntas intimius infinito bono adhærescit, quia minus diliguntur terrena, quo magis possidentur cælestia. En totum libertatis systema. Atqui mors Christo proposita non exhibet plenitudinem voluptatis, neque præceptum efficit, quin illa tristitiam, & amaritudinem pariat. Ergo etiam præcepto supposito mors indifferentia libertatis eligitur; quamquam spectata connexione finis ac proposito legem implendi, Christi peccandi nescia voluntas non potuerit non mori. Possunt ad hanc argumentationem reduci pervulgata Scholasticorum ratiocinia, quod divinæ præfinitiones, ac præcepta non immutant naturalem potestatem operandi, sed efficiunt dumtaxat, ut medium, quod libere eligitur, ponatur actu, atque ad finem conducat.

Tandem confirmatur assertum nostrum explodendo aliorum placita. Quid enim hac nostra assertione probabilius? Num Christo impositum non fuisse rigorosum mortis præceptum? Frustra quidem hoc fingitur. Ait idem Salvator, *Hoc mandatum accepi a patre meo*, & Apostolus ad Philipp. II. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Obedientia autem mandatum supponit. Est etiam perfectius mori ex obedientia, quam ex electione, ideoque negantes præceptum ut facilius explicent libertatem, derogant Christi meritis. Præterea etiamsi Christo non fuisset impositum rigorosum præceptum, sed conditionatum tantummodo, sive ab ejus acceptione dependens, in eamdem omnino difficultatem impingeret disputatio. Habens enim Christus concordissimam cum Patre voluntatem, quomodo poterat mortem refutare, cognoscens se missum in mundum, ut pro hominum redemptione funderet sanguinem? Verum quod Christo impositum fuerit moriendi præceptum Scriptura aperte declarat, neque oppositum evincunt quorumdam Scholasticorum contorta sophismata. Neque illud reponi potest propositam sub præcepto mortem, non circumstantias; quandoquidem circumstantiæ ipsæ, priusquam Christus conciperetur, fuerunt per Isaiam prænuntiatæ, neque Apostolus ait tantum Christum præstasse obedientiam *usque ad mortem*, sed qualitatem etiam mortis designans addit, *mortem autem crucis*. Fuerat ergo prædefinita mors, & mortis qualibet circumstantia, ipsumque crucis patibulum. Consimili ratione facillimum est alias opinationes refellere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Militant adversus sententiam nostram hæc argumenta. Primum: Si Christus poterat non mori, poterat etiam transgredi præceptum patris. Si poterat transgredi præceptum patris, poterat peccare. Igitur si Christus poterat non mori, etiam peccare poterat. Alterum huic affine: Promeruit Christus moriendo, & adimplendo mandatum patris: ait enim Joan. x. 17. *Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam.* Atqui ad merendum requiritur libertas indifferentiæ, scilicet posse agere, & non agere. Potuit ergo Christus non mori, & non adimplere mandatum Patris. Tertium parum absimile. Mors connectitur cum præcepto. Non potuit Salvator præceptum violare. Itaque non potuit non mori.

Hæc jam fuerunt expedita: sed claritatis gratia ad primum dist. ma. Si Christus poterat non mori morte in se inspecta, poterat etiam divinum mandatum transgredi, nego: si poterat non mori spectata connexione mortis cum præcepto, conc. majorem. Ad alterum distinguo minorem: Ad merendum requiritur libertas indifferentiæ, servato ordine finis, idest, potestas eligendi unum, vel alterum mediorum quæ valeant ad finem perducere; concedo: requiritur libertas indifferentiæ, prætermisso, ac perturbato ordine finis, nimirum potestas abjiciendi media sub ea etiam ratione, qua cum ipso fine habent ex Dei proposito ac præcepto firmissimam connexionem, nego. Ad tertium pariter distinguo consequens; Potuit ergo Christus non mori, spectata morte in seipsa, conc. considerata, ut subest præcepto, subdistinguo: atque præceptum istud inducit necessitatem moriendi attenta ipsa morte, & voluntate mortem eligentis, nego: considerata connexione finis, & voluntate summo bono immutabiliter adhærente, concedo consequentiam. Oportet ergo ad solutionem istiusmodi argumentationum, quæ tardiores mentes solent plurimum vexare, ut diligenter consideretur mors in se ipsa, quatenus nequit proponi nisi cum indifferentia judicii; & quatenus cadens sub præcepto nequit vitari, nisi perturbato ordine finis. Primum ad libertatem necessario requiritur; alterum si desit, non est libertatis interitus, sed perfectio. Similiter in executione præcepti considerari debet motus voluntatis, in quantum fertur in opus, quo præceptum ipsum completur; & in quantum medio hoc opere fertur in finem. Priori modo motus voluntatis tendit in media, altero modo non in media, sed in finem protendit. Quoniam igitur libertas, ut diximus, in ordine tantum ad media spectatur: ut Christus dicatur plenissime liber in adimplendo præcepto, sat est quod ejus voluntas fuerit prædita libera potestate relate ad operis præcepti executionem, tametsi non posset præscriptum opus omittere, quatenus illud implendo perfecta unitione ultimo fini adhærebat.

Rursus oppones. Actus voluntatis Christi prout in finem ultimum tetendit necessarius fuit, non enim poterat a fine ultimo deviare. Sed præceptum patris implevit voluntate in finem ultimum tendente. Igitur præceptum adimplevit actu necessario. Respondeo me jam explicasse quo pacto voluntas in finem tendat naturaliter, in media autem per electionem, atque dixisse eligi media ratione finis; unde consequitur voluntatem diverso actu fini adhærere, & mandata servare. Quare distinguo minorem: implevit Christus præceptum patris voluntate ultimo fini adhærente eodem actu, quo implevit præceptum, nego: actu diverso, concedo. Dico autem actum *diversum* connotative, quemadmodum Deus diverso modo amat semetipsum & creaturas, quamvis amor creaturarum sit ab amore suipsius reipsa indistinctus; & rationalis creatura diverso pacto amat beatitudinem, & bonum particulare, licet unius amor in amore alterius contineatur.

Ultimo objicies. Expedita est via conciliandi Christi libertatem cum præcepto, si dicamus sufficere ad meritum libertatem lubentiæ; non enim ad Christum referenda est damnata IV. propositio Janseniana, manifesto de hominibus naturæ lapsæ prolata. Sufficere autem in Christo hanc libertatem demonstrari potest auctoritate, & ratione. Sanctus enim Thomas in III. dist. 18. art. 2. ad 5. ait. *Dicendum quod etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amisit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.* Et quidem ex nostris principiis Christus Deum necessario diligebat, quia illum intuebatur in se, ideoque non erat in hujusmodi amore indifferentia judicii. Si ergo promeruit servando præcepta, promeruit diligendo Deum, quod est præceptum primum ac maximum, & consequenter habuit meritum absque libertate indifferentiæ.

Resp. nos hanc sententiam, quæ nonnullis recentioribus placet, repudiare tamquam Jansenianam. Disputavit quidem Jansenius de libertate hominis lapsi sub dominatu concupiscentiæ, vel gratiæ; sed iisdem principiis argutabatur, quod ad essentiam libertatis non pertineat indifferentia, obtrudens hæc eadem exempla libertatis Dei, Christi, ac Beatorum. Nos hunc errorem refutavimus libro XVI., permultisque argumentis etiam ex D. Thoma petitis ostendimus non dari absque libertate indifferentiæ potestatem liberi arbitrii, non solum in nobis, sed neque in Beatis, neque in Christo, neque in Deo. Auctoritati Divi Thomæ, quæ nunc objicitur, illic cap. 3. cumulate satisfecimus. Quod additur de actu caritatis, & amoris Dei non una responsione diluitur. Sunt qui in Christo, sicut duplicem scientiam, ita duplicem amorem distinguunt, & necessarium unum derivatum ex visione beata, liberum alterum proficiscentem a scientia viatoris aut infusa, aut acquisita. Huic ergo amori, non illi, tribuunt rationem meriti. Alii defendunt, Deum, prout est summum bonum, necessitate ab iis amari, qui illum facie ad faciem intuentur; diligi tamen libere hoc, aut illo actu ad creaturas relato. Demum aliqui distinguunt inter actus a caritate elicitos, & inter actus imperatos, idest, inter illos, qui dilectione tendunt immediate in finem ultimum, & illos qui dilectione finis spectant ad exercita-

men-

menta virtutum; actibus ergo a caritate directis & imperatis concedunr meriti laudem, quam actibus elicitis denegant. Utere pro libito his responsionibus nunquam indifferentiam a libertate arbitrii disjungens.

CAPUT XIII.

De Hæresibus adversus Unionem hypostaticam pugnantibus, ac primum Nestoriana.

ABSOLUTA de corpore & anima Christi dotibusque adhærentibus disputatione, pertractandum modo est de mirabili humanæ naturæ cum divinitate unione, quum recte methodus postulet, ut e partibus ad rem complexam progrediamur. Principio autem refutanda occurrunt Nestorii, & Eutychetis nefaria dogmata. Nestorius ex Monacho Secerdos primum Ecclesiæ Antiochenæ, deinde vertente anno 427. renuntiatus Constantinopolitanus Episcopus, cœpit circa hæc tempora spargere præconceptæ hæreseos venena. Eo enim sedente Anastasius Presbyter differens in Templo ad populum hortatus illum est, ne Beatissimam Virginem *Deiparam* appellaret, ut principio Ecclesiesticæ Historiæ refert Evagrius. Venerat autem Anastasius Constantinopolim una cum Nestorio, ejusque semper usus fuerat consuetudine, ita ut fuerit unus ab altero pestiferis imbutus erroribus, jam antea sparsis ab Ebionitis, Samosateosibus, atque a Nestorii præceptore Theodoro Mopsuesteno. Accessit borum satelles Dorotheus, qui pro concione ausus est inclamare, *Si quis Mariam Deiparam dixerit, sit anathema*. Istud ergo fuit capitale dogme Nestorianum. Revocarunt quidam in dubium, num in refutanda pertinaciter *Deiparæ* voce Nestorius tantum erraverit; an vero asseruerit Dominum Jesum e primo conceptionis instanti non fuisse vere & proprie Deum Verbum, neque naturem humanam fuisse substantialiter divinæ conjunctam in unitete personæ. Quod foret sane repudiandi vocabulum *Deipara* caussa princeps.

Oppugnantibus compluribus Nestorianam blasphemiam, & rumore serpentis hæresis ad Cælestinum Papam delam, is per literas Nestorium ad resipiscentiam, errorisque retractationem hortatus est, indicta post decem dies communionis Ecclesiasticæ privatione. At spretis Romani Pontificis literis eadem, ac deteriora dogmata palam evomuit, etiam sanctum Cyrillum, qui adversus Nestorium ipsum capitula quædem conscripserat, ut Apollineristem, Arianumve traducens. Tanta Nestorii pervicacia probos, fideique servatores permovit, ut se ab ejus communione segregarent; quod ille tam ægre tulit, ut non solum ad Generalem Synodum provocarit, verum etiem adversarios suos, nulla habita ratione dignitatis vel ordinis, traderet vinctos præfecto Urbis flagris immani crudelitete cædendos. Verum ennuente Cælestino coacta Synodo universali, quæ est celebris Ephesina celebrete anno D. 431. audax ille homo non comparuit; ac privatus Ecclesiasticis infulis exul ac profugus, dum in blasphemias erumperet, efflavit animam.

Nestorii fama & vetus consuetudo impulit Joannem Antiochenum Antistitem, ut susciperer perditissimi hominis patrocinium. Sero itaque ac diu expectatos Joannes Ephesum venit, stipatus Episcopis aliis, factionis præsertim Pelagianæ, atque Nestorio addictissimis. rejecit damnationem Nestorii factam a Synodo, & Cyrilli Capitule proscripsit tamquam hæretica, aliaque plura patravit, quæ de eo ingerunt suspicionem. Attamen quia fidei suæ optima alias præbuit experimenta, ac tandem etiam cum Cyrillo fœdus iniit; merito quæritur, an revera hæresim probaverit Nestorianam. Plura de hac hæresi, ejusque fortuna tradunt Sacri omnes Historici, nec non Dionysius Petavius lib. 1. de Incarnat. c. 7. & 8., atque ea nostratibus Christianus Lupus in Scholiis ad Synodum Ephesinam, & Norisius in Controversia *De uno ex Trinitate passo*, quæ magna contentione adversus Nestorianos fuit agitate. Est ergo inquirendum primo de ipso errore Nestorii, an negeverit Christum esse substantialiter Verbum, sublata inter utramque naturam hypostatica unione: deinde idem error est refellendus: videndum postea, an Virgo sit appellanda Deipara: posthae an Cyrillus Nestorianos exagitans in oppositam hæresim lapsus fuerit: denique an Joannes Antiochenus ejusque fautores sint hæreticis connumerandi. De controversia enim circa *Unum de Trinitate passum* dicam libro proximo, differens de propositionibus, quæ possunt de Christo Reparatore enuntiari.

PROPOSITIO I. Nestorius vere negavit Verbum Deum in unitatem personæ humanam assumpsisse naturam, atque Virginem Mariam proprie appellandam esse Deiparam.

Probatur non solum communi Scriptorum clarissimorum suffragio, Leonis Magni, Vincentii Lirinensis, Cassiani, Evagrii, Liberati Diaconi, Facundi Hermianensis, aliorumque Nestoriano sæculo proximiorum, atque ea judicio Apostolicæ Sedis, & Ephesinæ Synodi; verum etiam ipsius Nestorii scriptis, doctrinisque perversis; unde hæc argumenta promuntur. I. Qui asserit hominem a Virgine genitum non esse Deum Verbum, sed Deum Verbum in illo homine habitavisse, proculdubio personas dispescit, atque inter utramque statuit solam unionem moralem. At Nestorius asseruit Virginem non peperisse Deum Verbum, sed hominem tantum, in quo Deus Verbum inhabitaverit. Igitur Nestorius plures constituit in Christo personas, & negavit naturæ humanæ cum divina unionem substantialem. Minor probatur ea primo Nestorii adversus S. Cyrillum anathematismo: *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potius Nobiscum Deus, hoc est inhabitasse eam, quæ secundum nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit; ipsumque Dei Verbum in carnem versum esse, quam accepit ad ostentationem Deitatis suæ, ut habitu inveniretur ut homo, anathema sit*. Præterea negabat Nestorius Christum, quem Virgo peperit, esse Deum, affirmans plenum fuisse divinitete eo sensu, quo Joannes Baptista plenus fuit Spiritu sancto, ideoque non plus sacram Virginem dicendam matrem Dei, quam matrem Spiritus sancti Elisabetham, ex Virgine autem Deum *processisse atque emicuisse, non autem natum*. Atqui inter Joannem Baptistam ac Spiritum sanctum non fuit unio substantialis. Igitur in sensu Nestorii nec fuit talis unio inter hominem, quem genuit Maria Virgo, atque inter Deum Verbum. Major probatur ea verbis Nestorii recitatis ab Evagrio, & Theodoro Episcopo Ancyrano: *Ego ne eum qui spatiis menstruis adoleverit, Deum appellavero?* atque ex Relatione Cleri, & populi Constantinopolitani, quæ talis est: *Hominem illum in matris utero fatetur plenum Deo Verbo, quomodo Joannes Baptista plenus Spiritu Sancto*, &c. Similiter in libro ab ipso Nestorio conscripto, & perlecto Act. 1. Synodi Ephesinæ, asseritur Christum eadem ratione dici filium Dei, quemadmodum Moses appelletus est Deus Pharaonis, & Saul, ac Cyrus Christi nomen obtinuerunt. Tertio qui duas in Christo personas distinguit, quarum una sit Dei serva, neque appellari possit Unigenitus Dei filius, altera sit Domina, neque vocari possit filius Virginis, aut Redemptor pro humano genere crucifixus, is proculdubio negat utramque naturam divinam & humanam conjunctas esse in unitate personæ. Hæc omnia Nestorius protulit. Ait enim Anathematismo v. non esse unum Dei filium, qui natus est ex Virgine, & quem Pater genuit ante Luciferum: *Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit*. Idem tradit anath. VII. & X. Quarto non sufficit ut dicatur Nestorius admisisse in Christo hypostaticam unionem, quod asseruerit verbum tanquam in templo habitasse in humanitate, nec sufficit admisisse tantummodo vocabula unionis, dignitatis, auctoritatis, æqualitatis: imo hæc demonstrant multitudinem personarum, quemadmodum Sancti, qui templum sunt Spiritus, & quibus ait Apostolus, *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*, non sunt eadem cum Spirito sancto persona, nec eadem persona sunt duo viri vel amicitia conjuncti, vel pares dignitate atque honore. Nestorius autem in Epistola ad Cyrillum, quæ extat 1. p. Concilii Ephesini, docuit Verbum Deum in Christo homine tanquam in templo habitasse, atque ideo unum ab altero fuisse inseparabile, quia *Templum illud unquam fuit aliquo peccato contaminatum*; addiditque se in Christo honorem atque cultum non separare, quoniam homo Deum gestabat, ita ut Deifer fuerit, non Deus, Dominicus, non Dominus, neque dividenda sit adoratio propter solam conjunctionem auctoritatis & dignitetis. Igitur Nestorius hypostaticam unionem duarum naturarum penitus oppugnavit. Insuper Nestorius, tametsi in sermone quodam execratus est hæresim Paulli Samosateni, attamen in publica Contestatione proposita a Clero Constantinopoliteno, in Collect. Conciliorum Ph. Labbei Tom. III. pag. 337. convictus est has capitales blesphemias cum Paullo pronuntiasse: *Maria Verbum non peperit. Qui fieri queat, ut Maria ex se genuerit antiquiorem se? Qui ex Virgine natus est, homo est*. Ac facta collatione assertionum Paulli ac Nestorii ibidem concluditur: *En Paullo Samosateno hæretico, qui alium asserit esse Verbum, & alium Jesum Christum, neque unum esse ut orthodoxa profitetur Ecclesia, plenissime adstipulatur*. Postremo si attendantur Nestoriana principia, simul apparet non potuisse hunc hæresiarcham inter Filium Virginis, ac Filium Dei unionem aliam fateri præter moralem, atque existimesse ex Catholica doctrina fieri consequens, ut vera sit hæresis Apollinarii autumantis divinitatem in humanitatem fuisse conversam; ideoque nil ad purgandum Nestorium valet, quod ubique Arium, & Apollinarium insectetur. Enimvero cum Paullo Samosatensi, Photino, aliisque superiorum ætatum hæreticis opinabatur Nestorius non posse naturam propria subsistentia exspoliari, ac propterea hæc erant ejus verba apud Cyrillum in Epist. ad Successum, *Si Christus perfectus Deus, idemque perfectus homo intelligitur, ubi natura est perfectio, si hominis natura non subsistit?* Igitur Nestorius cum duplicem in Christo naturam adversus Apollinaristas tueretur, debebat ex falso illo principio, quod nature sine propria subsistentia sit imperfecta, inferre quod in Christo duplex subsistentia debeat admitti. Illud

etiam

etiam ex Nestoriano principio erat consequens, quod Maria non sit vere Deipara; nam cum Verbum Deus non possit habere initium subsistentiæ ex muliere, & alias hæc pepererit filium hominem, in quo natura & subsistentia creata juxta Nestorium inveniebatur, non poterat ipse percipere sacram Virginem esse Dei genitricem, *cum non genuerit nudam & seorsim positam divinitatis naturam*, ut refert S. Cyrillus in suo Apologetico.

QUÆ PROFERUNTUR IN DEFENSIONEM NESTORII.

At rectam fidem Nestorium incorruptam servasse, posset quis contendere illustribus testimoniis, atque ejusdem Nestorii contestatione ac doctrina. Testimonia vero sunt quæ sequuntur. Joannes Antiochenus in Epistola ad Nestorium, quæ extat in Synodo Ephesina, illum hortatur ut sacram Virginem Mariam appellare non detrectet Deiparam, quandoquidem compertum sibi foret ex relatione multorum, qui illum non infrequenter audierant, *quod ipsam solam vocem, non piam quoque ipsius vocis notionem* aversaretur. Atque in Epistola ad Firmum, quam scripsit Joannes posteaquam Catholicis accesserat, edita a Garnerio dissert. v. de Causa Theodoreti, *Sapiebat*, inquit, *sic prius sanctissimus Episcopus Nestorius, sicut res ipsa docuerunt. Cavebat vero nomen, veluti dare posset, unde nos sequaces heretici Apollinarii reprehenderent. Quia vero sic & ante sapuit, inde convincitur, quia cito constitit admonentibus nobis, & ipsum nomen accepit, & in duobus sermonibus sanam fidei expositionem, & irreprehensibilem nobis direxit.* Theodoretus in Epistole ad Alexandrum Hieropolitanum ait immerito *venerabilis, & sanctissimi Episcopi Nestorii dogma fuisse damnatum*. Rectum Nestorium tenuisse sensum testatur etiam Acacius Episcopus in Epistola ad Cyrillum, & alii, de quibus noster Lupus in Schol. ad Syn. Ephesinam. Etiam Socrates lib. VII. H. E. cap. 32. hæc de Nestorio profert: *Meo quidem judicio neque Paullum Samosatenum, neque Photinum imitatur, neque Dominum hominem solum esse dicit, sed vocem duntaxat tamquam larvam reformidat.*

Resp. hæreticos omnes, & maxime Nestorium, cui in faciem restiterunt ex ipso Clero Constantinopolitano viri doctrina & pietate præclari, verborum involucris, & specioso insectandi damnatas hæreses prætextu proprias summa fraude occultasse. *Sunt enim illi*, (inquit Synodus Ephesina in Relatione missa per Palladium ad Theodosium) *qui diversa a recta fide sentiunt, adeo callidi, ut quidam quoque sanctissimi Episcopi occultato errore a Nestorio decepti sint, eique se adjunxerint; qui tamen postquam dilucide quid sentiret essent percunctati, illumque suas blasphemias retegentem comperissent, ab eo destiverunt, Synodo se adjunxerunt, patefactaque ejusdem blasphemiæ condemnationis sententiam adversus illum tulerunt.* Inter prædictos Episcopos connumerandos esse Joannem Antiochenum, ac Theodoretum, demonstrabimus infra. Scripsit vero Joannes ad Firmum post acceptam Nestorii Epistolam, in qua callidus hæreticus scripsit, se concedere ut Virgo Dei Genitrix nominetur propter unitionis rationem, non juxta sensum Apollinarii vel Arii; quæ confessio decepisset unumquemque, cui non esset manifestum qualem unitionem Nestorius adstrueret, & cur Apollinarii, Ariique sensum execraretur: quod nos in postrema argumentatione explicavimus. Hinc inita pace cum Cyrillo, Joannes omnes hæretici tergiversationes detexit atque proscripsit: & etiam Theodoretus, qui impense partibus Nestorianis studuerat, cognita nequitia Nestorium retulit inter hæreticos lib. IV. cap. 12. Hæreticarum fabularum. Cum potuerit ambiguus Nestorii sermo decipere tales Præsules, nil mirum, quod lectitando ejus opuscula Socrates hominem illum potius imperitum, quam impium existimaverit.

Ex doctrine Nestorii possunt hæc ad ipsius defensionem urgeri. I. In sermone quem habuit Constantinopoli causam reddens cur potius sacram Virginem appellaret *Christotocon*, quam *Theotocon*, idest Christi genitricem, non Dei, ait: *Quoniam Christus, idest, hoc appellationis nomen significativum est utrorumque, idest, Dei & hominis.* Addit sequi se exemplum Evangelistæ, qui non ait, *Liber generationis hominis, ne parum nobis hominem videretur ostendere, neque Liber generationis Verbi Dei, ne Divinitatem nobis ex parte humanitatis induceret.* II. Ie serm. altero apertissime profitetur in Christo unitatem personæ dicens: *Christus indivisus est; non enim habemus duos Christos, vel duos filios.* III. Serm. 12. his verbis execratur errorem Paulli Samosatensis: *In stupore dentium remaneat Paullus Samosatenus, qui nobis Dominicam humanitatem nudam a Deitate delirat.* Hæc omnia ita pro Nestorio possent opponi. Non errat in dogmate, qui affirmat Virginem Mariam peperisse Christum, in quo Dei, & hominis reperitur natura; & dummodo fateatur adversus Paullum Samosatensem humanitatem Deitati conjunctam, & Christum unum, atque indivisum Dei filium, tenet per omnia fidem Orthodoxam. Nestorius asserit Mariam esse Genitricem Christi, hunc unum atque indivisum, neque habere humanam naturam a divinitate sejunctam. Igitur Nestorius fuit per omnia Catholicus atque Orthodoxus.

Resp. Nestorium multiplicem inter Christi humanitatem, ac divinitatem unitionem admisisse, nunquam tamen *hypostaticam*, qua utraque natura copulata est in unitate personæ. Admisit enim unitionem, quam appellabat συνάφειαν, idest, *societatem*: item consortium & copulationem secundum dignitatem filiationis, & secundum eamdem voluntatem, beneplacitum, & *homonomyam*: similiter adnetionem & propinquitatem ratione affectionis & amicitiæ; unionem pariter secundum inhabitationem veluti in domo, vel templo; ulterius conjunctionem ratione operationis & imperii divinitatis, ad cujus nutum Christi humanitas omnia compleret: demum unionem personalem, non *hypostaticam*, sed tantum secundum coaptationem, cum quis personam subiens alterius ejus vice loquitur, atque operatur. Hæc unitionis genera statuisse Nestorium constat ex Cyrillo, Damasceno, Liberato, aliisque laudatis e Petavio lib. III. de Incarnat. cap. 3. Liquet autem hæc omnia distinctionem personarum demonstrare, quoniam societas, amicitia, affectio, homonomya, propinquitas, & auctoritas, qua aliquis vice alterius loquitur, & alia istiusmodi plures personas consignificant. Resp. itaque Nestorium in priori sermone affirmare appellationem Christi significativam esse Dei & hominis, non quod Dei genitrix enixa esset Deum Verbum, sed quod peperisset hominem, in cujus persona, tamquam in templo, inhabitaret persona Verbi: nam post allata verba eodem sermone ait: *Quoniam sancta Virgo est Dei genitrix ideo, quia illud templum, quod in ea ex Spiritu sancto creatum est, Deitati erat unitum; hominis vero genitrix, eo quod naturæ nostræ primitias assumpsit*, &c. Eodem pacto negavit Christum esse purum hominem, in quantum non est solum templum, in quo Sacerdos inhabitat, neque sola auctoritas Proregis, quæ mandata legesque præscribit. Ad 2. dicimus quod Nestorius admisit unum filium dignitate, honore, adoratione; non natura atque hypostasi: oppositum namque tradidit in V. Anathematismo, de quo supra, Arg. 3. Ad ultimum; tametsi Nestorius execrabatur hæresim Paulli quantum spectat ad Trinitatem divinarum personarum, ideoque fatebatur secundam Personam, idest, Verbum Deum societate, dignitate, auctoritate, atque omni alia unitione morali conjunctum fuisse humanitati, quod Paullus negabat: uterque tamen, Paullus ipse ac Nestorius, conveniebat in oppugnanda Incarnatione Dominice, ut supra contestatione Cleri Constantinopolitani, & Collatione dogmatum utriusque demonstratum est. Ad postremam argumentationem dist. ma. Non errat in dogmate, qui affirmat sacram Virginem genuisse Deum & hominem, ita, ut Deus & homo sint unus Virginis filius unitate personæ, concedo: ita, ut unus sint unitate morali superius exposita, nego majorem: & distincta eodem pacto minori, nego consequentiam.

Insuper argumentaberis. Nestorius intendebat solummodo in Christo asserere duas naturas distinctas atque impermixtas, Catholicam veritatem propugnans, dummodo Apollinarii, Ariique damnaretur impietas. Etenim in Epistole ad Joannem Antiochenum ait ideo negasse se Virginem Mariam esse Dei Genitricem, quoniam sermo, quod dicitur Θεοτόκος a multis hæreticis adsumitur ut suus: hos autem hæreticos declarat esse sequaces Arii, & Apollinarii. Deinde asserit se Virginem appellare Χριστοτόκον, medium incedens inter eos, qui nominabant Θεοτόκον, ut insinuarent Divinitatem a Virgine sumpsisse initium, & qui appellabant Ἀνθρωποτόκον, ut ostenderent in Christo nudam extitisse humanitatem; & ideo ait: *Christi eam vocavimus Genitricem, ut hæc vox utrumque manifeste significaret, idest, Deum & hominem.* Addit concedere se, ut pie *Genitricem vel Patticem Dei Virginem nominemus, sed non juxta Apollinarii vel Arii sensum, quasi divinitas Unigeniti ex sancta Virgine sumpserit initium.* Præter hæc Sermone 6. profitetur se probare vocem Θεοτόκον, dummodo sacra Virgo minime dicatur Dea, quomodo dicenda esset in sensu Apollinerii, & si illa peperisset divinitatem, quoniam filius Matri debet esse consubstantialis: *Si quis inter vos*, inquit, *simpliciter voce Θεοτόκον gaudet, apud me nulla lis est de voce, tantum ne Virginem Deam nominet.* Denique Nestorius in Epistolis ad Cyrillum, ad Cælestinum, atque in sermonibus habitis in Templo Constantinopolitano fatetur Christum esse Deum & hominem, & Virginem Θεοτόκον propter unitionem divinitatis, atque humanitatis, tantum eam esse Dei genitricem juxta sensum hæreticum Apollinarii.

Resp. juxta Nestorium, atque ipsius principiis suppositis, fidem Catholicam, quæ profitemur Deum & hominem unum esse Christum unitate personæ, apertissime esse hæresim Apollinarii. Vidimus enim admissam a Nestorio cum natura humana hypostasim, & subsistentiam creatam, quæ initium habuerit ex Virgine. Si igitur naturæ humanæ ac divinæ una subsistentia sit, consequens est in sententia Nestorii, divinitatem habuisse subsistendi initium e Virgine, & divinam naturam conversam in naturam creatam, ut tradidit Apollinarius. Hujus itaque hæresim execrando cum duplici natura duplicem in Christo statuebat hypostasim, duplicemque personam, unam Deum Verbum & Unigenitum Patris, alteram hominem & filium Virginis. Inter utrum-

utrumque temen unitionem quamdem statuminans unum Christum prædicabat, sed unum per societatem, adunationem, affectum, inhebitationem, & voluntatis concordiam, ita ut impium esset asserere quod filius genitus a Virgine sit filius Dei genitus ante Luciferum, & filius Dei ante Luciferum genitus sit pro nobis natus, passus, crucifixus & mortuus, denegate cum unitate personæ etjam communicatione idiomatum. Hanc esse Nestorianem doctrinam superius est demonstratum. Distinguo itaque propositionem, Nestorius propognabat duas in Christo neturas, & dummodo damnaretur Apollinerii & Arii impietas, etiam edmittebat vocem Θεοτόκον; & ex elia parte erbitrabatur in sensu Catholicorum, qui profitentur duas in Christo naturas subsistere in unitate personæ, contineri ipsam hæresim Apollinarii, concedo: & diserimen edmittebat inter Apollinarii hæresim, & sententiam Catholicorum, nego. Postreme ergumentario pro theoremate nostro producte difficultatem omnem eliminet.

PROPOSITIO II. Admittende est in Christo una tantum Persona.

Hujus thesis veritatem comprobant omnia argumente producta Volumine I. lib. VII. c. 9. & 11. ubi adversus Socinianos demonstratum est Christum esse filium Dei unicum, proprium, eique consubstantielem. Nam si duplex in Christo edmitteretur persone, divina nempe, & humena; illa necessario erit persone filii naturalis & coæterni: hæc persona filii assumpti, atque adoptivi. Attamen breviter atque directe contra Nestorium, Scripturis, Patribus, ac ratione veritatem Catholicam propugnabo. Christum itaque nobis teoquam unicam personam, in duabus tamen naturis consistentem Scriptura divina proponit: I. Apostolus in priori ad Corinthios c. VIII. 6. ait: *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*. Dixerat antem Joannes c. 1. 3. de Verbo, quod in principio erat apud Deum, *Omnia per ipsum facta sunt*. Igitur persona Domini nostri Jesu Christi, une eademque est cum persone Verbi, quod erat in principio. Compluribus aliis textibus confirmari potest hæc argumentatio. Eodem enim c. versu 18. utique de Christo inquit idem Joannes, *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Metth. XVI. 16. ajt Petrus, *Tu ex Christus filius Dei vivi*. Salvator ipse Joann. VIII. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Thomas ipsius vulnera palpans Joann. XX. 28. exclamavit, *Dominus meus & Deus meus*. Apostolus ad Hebræos 1. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, &c.* Joannes initio prioris Epistolæ: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, &c.* Hæc omnle de Christo nemo dubitat pronuntiari. Ipse ergo non quantum ad humanem neturam attinet, sed quantum ed personam, est ipsum Verbum, quod fuit ab initio, quod est splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, quod est verus Deus antiquior Abrahamo, & in æternitate permanens in sinu ejusdem Patris: atque hæc omnia citatis locis vindicavimus ab impiis interpretementis hæreticorum. II. Nestorium refutat ipsius Domini testimonium Joannis III. 13. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo*. Quis enim loquitur? Christus. Ubi erat, dum hæc loqueretur? In terra. Igitur persona Christi, quæ loquebatur, est Filius Dei, qui descendit de cælo. Est aliquid elıud in verbis ipsis adnotandum. Dum hæc Filius hominis in terra loquebatur, erat in cælo: nam inquit, *Filius hominis, qui est in cælo*. At non erat in cælo ratione naturæ humanæ, quam nondum glorificatus ed Patris dexteram collocaverat. Erat itaque filius hominis in cælo ratione personæ, quam proinde cogimur asserere eamdem personam esse, ac personam Verbi immensam ac sempiternam. Aliud quodque in iisdem verbis observandum est. τὸ *ascendit*, & *descendit*, non est præsentis temporis, sed præteriti, ut liquet ex Græco, οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς. Quo autem pacto Filius hominis, dum Nicodemum alloqueretur, cælum conscenderat, nisi ratione personæ, quæ sicut descendit eccipiens formam servi, ita filium hominis *hypostatica* unione exaltavit? Huc spectat quod legimus c. VI. versu 59. *Hic est panis, qui de cælo descendit*; & versu 63. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius*. Sed legendus de hoc argumento Cassianus lib. IV. de Incarnat. c. 6. & quæ ibidem adnotevit Gazæus. III. Idem confirmant loca, quæ nobis Divini Verbi incarnetionem, ac mortem proponunt; cujusmodi sunt Joannis 1. 14. *Verbum caro factum est*. 1. ad Corinth. II. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Ad Philipp. II. 7. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Enim vero nisi in Christo una tantum persone admittatur, sed duæ, ques inter sit unio duntexat moralis, de qua præcedenti propositione; non potest admitti inter divinam, humanamque neturam talis idiomatum communicatio, ut Verbum possit dici incarnatum, crucifixum, & exinanitum; quemadmodum hæc minime enuntiantur de Spiritu sancto, cujus tamen justi sunt templum, etque habiteculum. Verum de communicatione idiomatum infra: interim legite Augustinum 1. de Trinit. c. XIII. num. 28.

Accedit ad refellendos Nestorianos Sanctorum Patrum traditio; de qua plura Bellarminus lib. III. de Incarnat. c. 6. Jodocus Coccius lib. II. art. 2. Petavius de Incarnet. lib. III. c. II. Tournely Q. VII. art. 1. omnesque Theologi. Quare necessum non est, ut omnie exscribamus, sed proferendi sunt nonnulli ex Græcis, Latinisque Patribus illustriores, Athanasius, Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus. Athanasius ergo in libro de Incarnet. inquit: *Homo una persona, & unum animal est, ex spiritu & carne concretum; ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unum esse, & non personas duas*. Nazianzenus Orat. XXXI. *Id, quod non erat, assumpsit, non duo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens; Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, & quod est assumptum: naturæ duæ in unum concurrentes, non duo filii*. Chrysostomus in Epistola ad Cæsarium: *Etsi enim* (in Christo) *duplex natura; veruntamen indivisibilis unio, in una filiationis persona, & subsistentia*. Ambrosius. de Incarnat. c. 5. *Non alter ex Patre, alter ex Virgine: sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine*. Hieronymus contra Helvidium: *Natam Deum ex Virgine credimus, &c.* S. P. Augustinus c. 5. Enchiridii: *Christus Jesus Dei filius, Deus & homo est, Deus quia Dei Verbum, homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro*: & Tractatu 49. in Joannem: *Anima & caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est*. Jure itaque meritoque ex tam apertis Scripturarum testimoniis, atque ex perpetua traditione, quam & antiqui servaverant, & posteriores Petres collustrarunt, proscripsere Nestorium Synodus Ephesine, Chalcedonensis, Quinta Œcumenica, sive Constantinopolitana secunda, atque universalis Ecclesiæ irrefregabilis auctoritas.

Confoditur denique hæresis Nestoriane Theologicis ratiociniis. Principio Fidei Symbola, & Apostolus ad Ephesios IV. 5. aliisque in locis supra laudatis, Dominum Jesum Christum unum esse testentur; & Symbolum præsertim Nicænum, ut observatum e Rufino in Exposit. Symboli §. 4. in ea voce *Unum* emphesim quamdam constituit, εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν. Si hac fide revincitur error Gnosticorum, qui Christum e Jesu divellentes, ut inquit Irenæus lib. I. c. 2. negabant unitatem personæ Salvatoris, cur etiam non refutatur Nestoriane blasphemia? Profecto Gnostici affirmantes Christum Creatoris & Demiurgon transiisse per Virginem, ut per canalem assolet eque, & in illo Jesum ex Pleromate descendisse, etque inhabitasse; nec non Valentiniani, qui autumabant alium esse *Monogenem*, Unigenitum, elium *Logon*, Verbum, & unum in alterum advolasse, antiquis Græcorum Symbolis damnabantur. Atque hine factum puto, quod Occidentales Ecclesiæ, in quibus Gnosticorum errores non adeo invaluerent, priscis seculis vocem *Unum* communiter non enuntiarent. At eamdem unitionem, quam statuit Nestorius inter Verbum, & Christum, illi hæreticorum aliorum antesignani constituebant inter Demiurgon & Jesum, sive inter Monogenem, & Logon; ut res per se loquitur. Fides ergo Apostolice quemadmodum Ebionis, Valentini ac Cerinthi commenta retundit proponens unum Dominum Jesum; ita ab initio Christiani nominis illorum germen Nestorium evidentissime prædamnavit.

Hæc nostra argumentatio fons est, & fulcrum aliarum omnium, quas adhibuerunt in hoc dogmate Viri docti. Sunt illæ, quod si in Christo multiplicentur personæ, neque sit inter istas unitio alia, præter eam, quam Græci appellent κατὰ παράθεσιν, *secundum appositionem*, qualis est inter lapides coacervetos, eut inter corpus ejusque indumentum, sive inter domum ibique habitantem; non magis est unus Dominus Jesus Christus, quam unum sint Deus & templum, vestis & homo, lignum & lapis. Quod si in rationabilem animum possit cadere; neque unus est Christus, neque Verbum caro factum est, neque Salvetor habuit efficaciam mundum redimendi, neque recte appelletus est Dei Unigenitus, neque in mysterio Dominicæ Incarnationis occurrit dignum aliquid divinum, atque admirandum. Id vero cum Christianorum aures perhorrescant; execrari debemus impiissimum scelestissimumque Nestorium, non tantum ut Gnosticorum germen veneficum, verum etiam ut Paganum, Judæum, hostemque Religionis nostræ infensissimum; quod proximo capite confirmabo.

AD NESTORIANA SOPHISMATA.

Pro hæresi Nestoriane possunt ea, quæ sequuntur, opponi. Primum: Divina Scriptura nobis humanitatem Christi describit comparetione templi, tabernaculi, atque indumenti. Ut ergo ista non habent cum homine subsistentiæ communionem; ita Dei filius non habet cum assumpta humanitate eamdem hypostasim. Ant. probatur, quoniam Christus de Corpore suo ait Joan. II. 19. *Solvite templum hoc*. Idem Christi corpus tabernaculo comparatur Psalmo XI. 10. & in Epistola ed Hebræos c. IX. 11. necnon habitui & vestimento ed Philippenses II. 7. & Apocalypsis XIX. 16. hæc enim loca de humanitate Christi Patres, atque interpretes solent accipere.

Respon-

Respondeo etiam comparate ad rationalem animam dici in sacris literis corpus domum, tabernaculum, indumentum. Apostolus enim in II. ad Corinth. v. I. ait: *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, &c.* & infra 4. *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati:* & similiter Juda versu 23. de corpore vitiis polluto, *Odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam:* quod recte usurpatum est ad commonstrandam spiritualis, & corporalis naturæ diversitatem. At de Christo ob eliam quoque caussam vocabula illa enuntiantur. *Templum* corpus suum appellavit, propterea quod sicut Jerusolymitanum ædificavit Salomon, atque illud replevit gloria Domini; ita plasmavit Sapientia corpus Dominicum, & in eo inhabitat *omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, ut inquit Apostolus ad Coloss. 2. 9. Sicut etiam templum illud postquam dirutum fuerat, magna cum gloria fuit iterum ædificatum, ita Christus agens de morte triumphum resurrexit e mortuis. *Velamen* etiam, & *vestimentum* dicitur ejus humanitas, quoniam in ea latebat divinitas: quod Apostolus demonstrat citato capite ad Philippenses, ubi nobis proponit Christi humilitatem, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, &c.* Vide etiam, quæ diximus adversus Phantesiastas cap. 2. hujus libri. Distinguo itaque ant. Christi humanitas comparatur templo, tabernaculo, atque indumento; quoniam dissolvenda erat per mortem, quoniam in ea habitabat plenitudo divinitatis, quoniam sub ea latebat divina majestas; concedo: ita his rebus comparatur, ut denegetur inter divinam, humanamque naturam unio substantialis & *hypostatica*; nego antecedens.

Præterea videntur Nestorianum dogma confirmare complures sententiæ Patrum; quorum aliqui cum Basilio in Sermone de Spiritu sancto ad Amphilochium, & in explicatione quinquagesimi noni Psalmi appellarunt Christum hominem *Deiferum*, ut adversus anathematismos Cyrilli ait Theodoretus. Alii cum Augustino lib. XI. de Civit. Dei cap. 2. scribunt filium Dei *hominem* assumpsisse; alii demum cum Chrysostomo Hom. 3. in Epistolam ad Hebræos affirmant Deum, & hominem *duas esse personas*.

At hæc non sunt alicujus momenti. Basilius enim non hominem *Deiferum* appellat Christum, sed σαρκοφόρον, *Carnem Deiferam*, eo quod revera humana caro sit unita *hypostatice* Deo Verbo: quamquam si *hominem Deiferum*, aut Basilius, aut alius dixerit, opposuit vocabulum istud Apollinario, qui a Verbo assumptam denegavit animam rationalem; ideoque Christum adversus Apollinaristas quidem hominem *Deiferum* appellarunt, ne quis crederet divinum Verbum solam carnem absque anima rationali, quæ humanæ substantiæ pars est præcipua, sibimet copulasse. Ad commonstrandam in Christo perfectam humanitatem corpore, animoque conflatam, a Verbo assumptum hominem Patres tradiderunt; ideoque per τὸ hominem non significarunt hypostasim, sed naturam. Et de Augustino nulla quidem occurrit dubitatio; quum eo loci probet ideo Christum esse Mediatorem Dei & hominum, quia in unitate personæ duas habet naturas; hominis, qua est via perveniendi ad Deum, & Dei, ad quem homines pervenire appetunt; ideoque ait: *Sola est adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus, & homo, quo itur Deus, qua itur homo.* Chrysostomus denique ex Epistola ad Hebræos refellit pervicaciam Judæorum, qui negant venisse promissum Liberatorem, hæreticosque illius ævi, præsertim Paullum Samosatensem, & Marcellum Photinianum, qui oppugnarunt divinarum personarum distinctionem. Scribens ergo duas esse *personas*, Deum, & hominem, quod ibidem bis affirmat, contra Judæos primum, deinde contra Marcellum; significat primo, præter Deum invisibilem qui Christum unxit, esse Deum hominem qui a Patre unctus est, exponens ea verba, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus:* deinde inquit plures dari personas secundum *hypostasim* divisas, Filium nimirum & Patrem; atque ita mysterium Incarnationis & Trinitatis collustrat. Quare errant, qui putant accipi a Chrysostomo *Personam pro natura;* quod omnino apud Chrysostomum inusitatum est, & liquet ex repetitione ejusdem sententiæ contra Photinianos: dum enim ait S. Doctor δύο πρόσωπα, *duas personas* esse Patrem & Filium, oppugnans Marcellum proculdubio demonstrat per τὸ πρόσωπα hypostases, non discrepantes naturas. Qui vero cum Sixto Senensi lib. VI. Biblioth. S. Annot. 329. Vellosillo Adv. in Tom. IV. Chrysostomi quæst. 29. aliisque doctis viris arbitrantur verba Chrysostomi in Græcis codicibus fuisse depravata, etsi id conantur ostendere ex Theophilacto, & ex verborum antithesi, manifestæ rationis patrocinio destituuntur.

Nestoriani insuper objiciunt: Christus perfectus homo est; perfectio autem hominis ubi est, si natura humana nequaquam per se subsistat? Imo si natura illa propria careret subsistentia, quomodo est vere proprieque substantia? E contra, quum humanitatis substantia in Christo una sit, quemadmodum una est in Socrate, aut alio naturæ humanæ individuo; habet consequenter subsistentiam suam, rationemque personæ, quum nihil hæc sit aliud, quam *rationalis naturæ individua substantia*. Hanc enim ex Boetio desumptam definitionem personæ Theologi communiter recepere.

Resp. in substantia distinguenda esse duo. Unum est οὐσία *natura*, atque *essentia*, in eo sita, quod sit per se, scilicet non adhæreat alicui adinstar accidentis, quod permanente eadem natura potest deperdi; & si forte alteri conjuncta est, sit tamen de se idonea, ut existat a quacunque altera separata. Id in Christi humanitate nequaquam deest, quippe ex intrinsecis suis est anima rationalis, & caro, neque ita adhæret Redemptori nostro, ut ab eo divelli possit, subsistente adhuc Christo, qui duplici constet natura, hypostatica unione: quoniam si humanitas abesset, non Christus homo foret amplius, sed Verbum in forma Dei. Est etiam humana Christi natura adeo in genere suo completa, ut nisi haberet cum divina communionem hypostasis, subsisteret per seipsam. Nihil ergo eorum, quæ ad οὐσίαν pertinent, illi deest. Alterum, quod in substantia debet spectari, est ὑπόστασις, substantiæ adventitia *habitudo*, ut quod subsistat se sola, aut conjuncta alteri; id enim quemdam existendi modum importat, non perfectionem, quæ requiritur ad οὐσίαν, sive, ut inquiunt, *ad speciem constituendam:* atque hac ratione immortalis anima *substantiam* suam habet, sive conjuncta sit corpori, sive ab eo separata; cum hoc tamen discrimine, quod anima, cum *forma* sit, adhæret carni nexu connaturali, et Christi humanitas, cui nihil deest ex modulo speciei suæ, mirabili œconomia, & virtute Spiritus sancti transiit in consortium divinitatis. His explicatis diluuntur Nestoriana argumenta. Si enim spectetur in humanitate Christi οὐσία, & *natura*; habetur eadem substantialis perfectio, ac in hominibus ceteris: si attendatur ὑπόστασις, & *existendi modus*; est longe humanitate nostra præstantior: quippe melius est esse Dei, quam creaturæ, & præstantius regi divina potestate, quam imbecillitate mortali. Est etiam Christus, quemadmodum Socrates, aut hominum alter, *individuum* humanum, in quantum unus homo est, præditus propria & singulari *substantia*: at non est in ratione *persona* Filius Dei aliis hominibus æquiparandus; quoniam cum *persona* sit individua substantia sui juris, & *incommunicabilis* alteri, natura Socratis a Deo non assumpta, neque alia communicatione fruens, quam naturalium proprietatum, sui juris est, sive persona creata: sed humana natura Christi conjuncta Verbo, & fruens consortio divinitatis, transiit ad jura divinæ personæ; & ideo quamvis una sit, atque individua, caret propria *personalitate*, & hypostasi. Definitio itaque Boetii vera est, si nomine *substantia* intelligas naturam *completam*, & affectam peculiaris existentiæ modo, atque, ut Scholæ loquuntur, *ultimo terminatam;* falsa autem si intelligas aut naturam *incompletam*, qualis est anima rationalis, aut naturam assumptam, & ad jura divinitatis evectam, qualis est humanitas Salvatoris.

CAPUT XIV.

An Beata Virgo dicenda sit Θεοτόκος, idest, Deipara.

PRÆCEDENTI affinis est quæstio, an intemeratam Virginem appellare debeamus Θεοτόκον, *Dei matrem ac Genitricem*, an, ut contendebat Nestorius, Χριστοτόκον tantum, scilicet *Matrem Christi:* quod ut rite definiatur, vis nominum est inquirenda. Verbum τίκτειν non solum significat *parere*, *& in lucem fœtum effundere*, sed etiam illum gignere, atque in propriis visceribus formatum emittere. Affert complura exempla ex Homero, Sophocle, & Hesiodo Robertus Constantinus in Lexico; nonnulla etiam ex Patribus, qui idem verbum usurparunt in explicanda æterna Patris generatione, de Incarnat. lib. III. cap. 15. eruditus Petavius. Hinc apparet Nestorii vafrities, & liquet cur aliquando visus sit Θεοδόχον non reprobare, in quantum Virgo purissima ediderit Salvatorem, at non Deum factum hominem, sed Christum, in quo ipse Deus inhabitaverit. E contra etiamsi verissime genuerit illa dominum Jesum Christum, sitque proinde Χριστοτόκος; vigente tamen Nestoriana hæresi, opportunum erat Χριστοτόκον non pronuntiare, ne Christum, ac Deum Verbum quis in duas personas dispesceret. At explicatis vocabulis, pertractandum de dogmate.

PROPOSITIO. Virgo Maria recte appellatur Θεοτόκος, *Deipara*, quum revera Deum genuerit, atque in utero suo formatum ediderit.

Demonstratur I. auctoritate Scripturarum. Principio huc spectant, quæ filium hominis Deum ac dominum esse declarant, de quibus libro VII. cap. XI. nec non vaticinium Esaiæ explicatum cap. I. hujus libri. Deinde manifesta sunt verba Apostoli scribentis ad Rom. I. 3. de Filio Dei: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Quem ergo enixa est Virgo mater, est idem Filius Dei, & quidem non adoptione, sed nativitate, generatione, ac natura. Enimvero si cum aliquibus legendum putas, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, *qui factus est ex semine David secundum carnem;* aperte Dei Genitri-

nutricem fateris; si contendis scriptum *τοῦ γεννωμένου*, *qui natus, & genitus est*, idem sequitur apertissime: fateri enim Mariam non solum peperisse filium Dei, sed atiam illum genuissa, & hominem effurmasse. Naque de filio adoptivo loquitur Paulus, cum addito pronomine *αὐτοῦ* designet filium proprium ac singularem, illum dominum appellet, & commissum sibi Evangelicum munus commendans scribat per ipsum Christum, non per homines, se fuisse vocatum Apostolum, & segregatum in Evangalium. Atque ad Galatas IV. 4. ait idem Paulus: *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Utrumque occurrit hoc loco, *γενόμενον ἐκ γυναικός*, *genitum, & hominem factum ex muliere*, atqua *γενόμενον ὑπὸ νόμον*, *factum & constitutum sub lege*. Ex his argumentamur. Recte appellatur Dei Genitrix, quæ concepit, peperit, genuitque Verbum unigenitum Dei filium. Maria Unigenitum Dei filium concepit, ac genuit. Recte ergo Maria semper virgo dicitur Dei Genitrix.

Confirmatur Catholica veritas traditione: Martyr Justinus in Apologetico inquit: *Verbum formatum est, & homo factus ex Virgine.* Ignatius in Epist. ad Ephesios: *Deus noster Jesus Christus ex Maria genitus est.* Hyppolitus Martyr laudatus etiam a Theodoreto: *Verbum Deus, & homo, primogenitus in utero formatus.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech. XII. *Crede illum ipsum unigenitum filium ex Virgine iterum genitum esse.* Nazianz. Orat. 51. *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* Cyrilli Alexandrini, qui adversus Nestorium pro honore Deiparæ decertavit, non opus est exscribere testimoniu: nam ubique Virginem esse Dei Genitricem contendit, in suis Anathematismis, in Epist. ad Acacium, ad Clericos Constantinopolitanos, ad Monasteria, in suo Apologatico, &c. Afferamus & Latinorum aliquos. Tertullianus da Carne Christi c. 17. *Ante omnia*, inquit, *commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei filius de Virgine nasceretur.* Ambrosius Epist. 63. *Filium coæternum patri suscepisse carnem, natum de Spiritu sancto ex Virgine Maria, &c.* Augustinus denique de dono Perseverantiæ c. ultimo: *Dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis, &c.* Nisi hæc sufficiant vide Coccium lib. II. art. 2. Petavium libro III. de Incarnat. c. 14. & 15. & Nat. Alex. dissert. III. in Hist. Eccl. Sæculi V.

Addam postremo loco rationes. I. Qui Virginem essa Daiparam imperite negant, huc necessario adiguntur, ut Christum in duas personas dividant, constituantque duos filios, unum genitum ante Luciferum, & alterum factum ex semine David secundum carnem. Id vero superiori capite refutavimus. II. Aut filius Virginis verus est Daus, aut verus Deus non est. Si non est verus Deus, subvertit Incarnationis mysterium, neque *Verbum caro factum est*, quod tam aperte legimus in Evangelio. Si autem filius Virginis ast verus Deus; debemus illam appellare *Θεοτόκον*, ac Deiparam. III. Judæi filium Virginis crucifixerunt, quod se faceret filium Dei; ob eamdem caussam Pontifex Caiphas scidit vestimenta sua, quasi blasphemum fuerit, quod ipsi interroganti Matth. XXVI. 63. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei vivi*; respondit Dominus, *Tu dixisti*. Porphyrius etiam, Julianus Apostata, aliique Pagani hoc maxime in Christiana Religione derident, quod credamus ipsum Deum conceptum ex Virgine, natum, & crucifixum. Si Christus ast idem Filius Dei, Maria *Θεοτόκος* est; & jure meritoqua Nestorius damnatus est tanquam Paganus, Judæus, novus Caiphas, atqua Porphyrius, aut Julianus, ut in Notis ad Synodum Ephesinam demonstrat vir aruditissimus Christianus Lupus. E contra si quem genuit Maria, non est idem verus, proprius, ac naturalis Dei filius: merito illum damnarunt Judæi, merito Caiphas quasi blasphemum redarguit, merito Pagani negant ipsum Deum crucifixum; quod cum sit valde nefastum, impium, dictuque horrendissimum, Christum Deum & hominem, & beatissimam Virginem Matrem Dei appellare debemus: ita Scriptura, Patres, & ratio ipsa demonstrant; ita atiam, ne sacros Vates hoc loco prætermittamus, lib. VI. de Laude Castitatis Alcimus Avitus:

Ante ævum de Patre, ex Matre in tempore natus,
Seminis hinc expers omnino, & temporis illinc.
Sic Virgo fœcunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, Dominumque perennem
Edere promeruit, dignoque agnomine dici
Virgo DEI MATER.

OBJECTA DILUUNTUR.

Sequuntur contraria argumenta, quorum primum sit. Probant Catholici Mariam essa *θεοτόκον*, quod enixa sit Filium Dei, genitum ex semina David, & factum ex muliere, ut in Epist. ad Rom. scribit Apostolus. At ibidem versu 4. Christus natus ex semine David dicitur Filius Dei prædastinatione & gratia, non generatione & natura; nam legimus: *Qui prædestinatus est filius Dei.* Corruit ergo prior argumentatio petita ex Apostolo. Additum est in hujus confirmationem, quod Christus in Sacris literis dicitur Deus. Verum nonne idem nomen Moysi, Judicibus, Regibus, Angelis, & piis, justisque tribuitur? Nequit ergo Nestorius auctoritate Scripturarum refelli.

Resp. nego minorem; siquidem verborum Apostoli sensus ast, Christum fuisse prædestinatum filium Dei, in quantum prædefinitum erat, ut virtute miraculorum, & præsertim resurrectione ex mortuis palam fieret illum essa, quem olim prænuntiarunt Prophetæ. Atque hunc sensum planum mihi reddunt sequentia. I. Syrus *ὁρισθέντος* vertit, *Qui cognitus est*. II. *Ὁρισθέντος* apud Chrysostomum idem est, ac *δειχθέντος*, *ἀποφανθέντος*, *κριθέντος ὑπὸ τῆς ἁπάντων γνώμης, καὶ ψήφου*. idest, *Qui demonstratus, declaratus, & judicatus est omnium sententia ac suffragio Filius Dei*. III. Ibidem innuit Apostolus, quomodo sit prædestinatus, dicens: *in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*. IV. Idem commonstrat antithesis & ordo varborum: nam primum ait Apostolus hunc Dei filium promissum in Scripturis sanctis; deinde factum ax semine David secundum carnem; tum prædastinatum in virtute; non ergo da sola prædestinatione, quæ est alectio gratiæ facta ante mundi constitutionem, sed de manifestatione divinitatis, & de prædefinita gloria Christi loquitur sanctus Paulus. Si mavis tamen Christum essa prædestinatum Filium Dei *secundum carnem*, hoc sensu, quod præfinitum fuerat Verbum carnem fieri, atque ita hominem esse ob substantialem unionem inter utramque naturam Filium Dei naturalem, hanc etiam explicationem admitto. At Filium Virginis appellari Deum attributione quadam, ut Moses & Angali, falsum essa demonstravi lib. VII. c. XI. ex nomine tetragrammato, ex appellatione unius Dei, ax eadem cum Patre operatione ac potestata, aliisque characteribus, qui nequeunt alicui, nisi summo Deo, convenire.

Secundum pro Nestorio argumentum est: Vox *Deiparæ* inusitata penitus ast: frustra illam in sacris literis perquiras: nullam ejus mentionem fecit Nicæna Synodus. Apud Patres nunquam occurrit ante Leonem Magnum, qui omnium primus illam intrusit: noluerunt illam Symbolo addere Patres Synodi Chalcedonensis, etiamsi id flagitarent nonnulli. Nova est ergo vox illa, atque repudianda.

Resp. Nihil hac argumentatione pro Nestorio concludi. Nam 1. neque in Scripturis invenient Nestoriani voces *Χριστοτόκον, καὶ Θεοδόχον*, idest, *Dei susceptricem*, quas pro *Deiparæ* impie substituebant. Deinde, si hæc vox in sacris literis non reperitur, occurrit ibidem res ipsa, ubicumque Christum esse Deum, & esse unum pronuntiant: ac possumus idcirco respondere, quæ de vocabulo *ὁμοούσιος* scribit Augustinus in Epist. ad Pascentium laudata Volumine 1. pag. 200. Præterea quælibet hæresis, ut veritas Catholica diligentius defenderetur, impulit nos ad usurpanda quædam vocabula, & ad quæstiones instituendas, de quibus soliciti non erant antiquiores. Quantum ad Patres attinet, S. Cyrillus in Apologetico pag. 162. & 163. Tom. 1. demonstrat hac voce usos fuisse Patrum Alexandrinum, Athanasium, & Amphilochium Episcopum Iconii, alibi laudat Antiochum, & Ammonem. Etsi non omnes *Θεοτόκον* expresse protulerint, ut animadvertit cit. c. 5. Petavius, tradiderunt tamen vocis significationem; ac splendide mentitur Nestorius, dum ait vocabulum istud adinventum ab Apollinario, & primum in usu receptum a Leone, cum manifesta sit Gregorii Nazianzani sententia paullo supra producta. Vide Not. Christ. Lupi ad 1. Cyrilli Anathematismum. Quantum vero spectat ad Nicænam Synodum, respondit idem Cyrillus in Epistola ad Cler. Constantinop. voculæ hujus non meminisse, quia nil ejusmodi in controversiam adducebatur: si tamen lubeat vim sententiarum perpendere, sacram Virginem ab aadem Synodo declarari Deiparam, dum illum ipsum, qui ex Deo Patre natus est, dicit incarnatum & hominem factum. Eamdem sententiæ vim tenuerunt Patres Ephesini & Chalcedonenses; qui *Deiparam* Symbolo non addiderunt ob grassantem hæresim Eutychianam; ut diximus Tomo 1. pag. 211. His ergo penitus Nestoriana argumentatio revincitur.

Argumentum alterum Nestorii erat: Virgo non genuit divinitatem, quomodo ergo dicenda ast Dei mater? Huc spectant omnia alia ejusdem hæresiarchæ sophismata; illud maxime, quod Matar filio consubstantialis est, ideoque qui Mariam dicunt *Theotocon*, illam faciunt Deo consubstantialem ac Deam, renovantque hæresim Apollinarii, qui asserebat natam ex Virgine divinitatem, idem vocabulum *Θεοτόκος* adhibens in suæ impietatis structuram. Addebat Nestorius, quod cum sit in Christo duplex substantia, non potuit utraque ex Virgine generari, ideoque genita ab illa est tantummodo substantia hominis, unde hominis Genitrix fuit, non Dei.

Respondeo in Christo duplicem esse naturam, divinam atque humanam, atque ut Virgo dicatur Dei parens satis esse, quod genuerit ipsum Christum, qui ob substantialem inter utramque naturam unionem simul est verus homo, & varus Deus; neque ullatenus ad hoc requiritur, ut divina substantia absolute spectata sit genita ab ipsa

Virgi-

Virgine. Enimvero mulieres omnes, quæ genuerunt, matres dicuntur hominum, qui constant corpore & anima rationali; quamvis ipsam animam partem hominis nobiliorem non generaverint: neque dici solent genitrices corporum, quibus formam dedere, sed personarum, in quibus corpora unita sunt animabus. Audiatur Cyrillus hæc scribens in Epist. ad Monachos: *Etsi mulieres istæ nonnisi terrenorum sint corporum matres; nihilominus cum totum animal pepererint ex anima & corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, Ex. caussa, Elisabetham matrem Joannis carnis esse genitricem, non animæ: peperit enim animatum Baptistam, ac sic tamquam unum aliquid ex ambobus hominem, anima videlicet, & corpore. Hujusmodi quippiam actum esse fatebimur in Emmanuelis generatione; quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia Unigenitum ipsum Verbum. Cum autem carnem suscepit, eamque propriam sibi fecit, ut filius hominis esset, ac similis nostri fieret, tunc minime est absurdum dictu, imo necessario profitendum, illum ex muliere secundum carnem esse natum, quemadmodum anima cum proprio corpore gignitur, & unum cum eo reputatur.* Præterea etsi nonnulli Patres genitam a Virgine divinitatem scripserunt, quemadmodum etiam quidam appellarunt Verbum substantiam genitam; nos nequaquam dicimus divinam naturam ex feminæ utero extitisse, sed affirmamus genitam ex muliere personam, quæ secundum divinitatem est Filius Dei verus, & secundum carnem filius hominis verus; ut recte animadvertit S. P. Augustinus lib. III. contra Faustum cap. 6. Quare illi Patres, qui ex Virgine genitam divinitatem dixere, non naturam solam nomine divinitatis significarunt, sed naturam cum *hypostasi*; quoniam natura ex se, & absolute spectata, nec gignit, nec gignitur, ut dictum est alibi. Atque hæc notanda sunt pro conciliandis SS. Patrum sententiis.

Ergo ad Nestorii argumenta respondeo, quod Virgo non genuit divinitatem, sed genuit secundum carnem Christum, qui est verus Deus; atque id sufficit, ut dici debeat Θεοτόκος: neque proinde est Dea, aut Deo consubstantialis, quoniam illum non genuit secundum divinitatem, quam ab æterno habuit a Patre, sed secundum carnem, quam ex matre suscepit in tempore. Eo pacto qui Θεοτόκον fatentur, non incidunt in hæresim Apollinarii, quoniam non inquiunt divinam Christi naturam ex utero Virginis primum extitisse, sed ex ea carnem assumpsisse Verbum, quod in principio erat Deus. Imo ut observarunt docti viri, Petavius de Incarnat. cap. XIX. libri V. & Lupus in Scholiis ad Synodum Ephesinam, Anath. I. Cyrilli, probantque evidenter ex Facundo Hermianensi, Apollinarius negabat Deum esse genitum ex Virgine: putabat enim sibi partem substantiæ suæ, idest, Deitatis in carnem vertisse, & in Maria, non ex Maria fuisse incarnatum; autumans illam carnem conversam in divinitatem consubstantialem esse Patri, non Matri. Quapropter Nestorius Apollinarii hæresim inscite nimium, & audacter Catholicis objiciebat. Quod postremo addebatur non posse duas substantias gigni ex una, haberet aliquid roboris, si gigneretur utraque substantia seperatim. At nos dicimus cum Ferrando in Epist. ad Anatolium, genitam ex Virgine divinam substantiam adunando sibi humanitatem, sive genitam ipsam divinitatem incarnatam: aut fortasse melius, non divinam substantiam, sed divinam Personam secundum carnem.

Peracutus quidam Scholasticus, mihique etiam amicitia conjunctus, ludicra quadam argumentatione ita argutabatur: Beata Anna appellari nequit Dei avia, quemadmodum definitum est Romæ in damnatione libri Joannis Thomæ a S. Cyrillo, *De laudibus Divæ Annæ magnæ Matris Deiparæ, dignæ Verbi Incarnati Aviæ*. Igitur Virgo Maria nequit appellari *Deipara*: atque hac argutatione contorsit valde (tale est Sophistarum ingenium) haud rudem Theologicæ Cathedræ Moderatorem.

Ad hanc lepidam, nec vulgarem objectationem ego quidem reposuissem, posse Catholico sensu Divam Annam dici Salvatoris nostri aviam, tametsi magis expediat ab istiusmodi nimium communi abstinere vocabulo, ne videatur adinstar hominum ceterorum Christus natus ex Virgine carnali propagatione. Eo namque pacto, quo Dominum Jesum filium Abraham, & Davidis nominamus non solum ob divinas promissiones, verum etiam quia factus est ex illorum semine, nimirum ex Virgine ab illis progenita; non repugnat dicere ipsum Dominum nepotem Joachimi & Annæ, in quantum ex filia utriusque genitus est. Revera Tom. X. Biblioth. PP. pag. 685. extant Andreæ Cretensis Canones, & Triodia, quorum unum præfert titulum, *Die nona Decembris Conceptio Sanctæ, ac Dei Aviæ Annæ*: neque id tribuendum est Latino Interpreti, cum & Græcus pag. 252. Parisiensis editionis Codex Operum Cretensis habeat: Δεκεμβρίου θ΄ ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας, καὶ θεοπρομήτορος Ἄννης. Qui vero aviam Christi dixerunt, licet non adeo conspicui, laudantur a prædicto Joanne Thoma cap. 28. citati libri. Atque hunc proscriptum esse, non ob hæreticam doctrinam, sed ob aspera quædam, atque ut ita dicam, nimiæ devotionis argumenta, liquet ex Indice librorum expurgandorum. Et sane Auctor ex quo avia Christi sit Anna, pag. 392. & seqq. demonstrare nititur ejusdem Annæ cognationem esse divinam, eamdem appellat socrum Spiritus sancti, contendit esse Dominam Angelorum, ait esse aviam Christi *plenius*, quam alia mulier avia sit nepotum suorum, affirmat & ipsam *concurrisse* ad unionem hypostaticam; ac scribit alia complura, in quibus erga D. Annam devotio dialectice syllogizans potest simpliciores in errorem inducere. Hac ergo ratione Annam Dei aviam dicere non debemus.

CAPUT XV.

Vindicatur S. Cyrillus Alexandrinus a nota hæreseos.

NULLUS Nestorium magis exagitavit, quam sanctissimus Alexandrinus Antistes Cyrillus, qui anno 412. Theophilo vita functo successerat. Is erumpente circa annum 419. Nestoriana hæresi ejus auctorem gravi, & erudita Epistola admonuit; deinde cognita Nestorii pervicacia per aliam Epistolam certiorem reddidit perniciosi erroris Romanum Pontificem Cælestinum. Coegit etiam adversus Nestorianos Synodum Alexandrinam, in qua edita fuerunt duodecim Capitula, sive Anathematismi contrarii Nestorianis blasphemiis; quibus anathematismis impius hæresiarcha duodecim alios opposuit. Ut ergo Nestorius a Cyrillo redarguebatur, quod unum Christum in duos filios dispesceret, & Virginem Mariam negaret esse *Deiparam*; ita Cyrillus insimulatione erroris Apollinarii, & Arii reprehendebatur a Nestorio, quod statueret unam in Christo naturam. Nec defuerunt Cyrillo adversarii clarissimi ex eo præsertim commoti, quod scripserit *unam esse naturam Dei incarnatam*: inter quos numerantur Joannes Antiochenus cum Orientalibus aliis, Andreas Samosatensis, & Theodoretus Episcopus Cyri: qui duo mandantibus aliis adversus Cyrillum coactis, studuerunt illius anathematismos scriptis impugnare. At Cyrillus editis vindiciis, & libro Apologetico omnem a se propulsavit suspicionem erroris, ita ut etiam Joannes Antiochenus cum ceteris Orientalibus tandem Ephesinæ Synodo accesserint, & Theodoretus inita cum Cyrillo concordia Nestorium damnaverit. Nec sola Apollinarii hæresis objecta est Cyrillo, sed etiam scelus maximum, & immane, scilicet, quod Hypatiam celeberrimam Philosopham Alexandrinam ductus invidentia, & livore fecisset a plebe membratim discerpi, & adversus Orestem Præfectum plebem commovisset. Hypatiæ cædem contigisse anno Alexandrinæ Æræ 406. & V. Æ. 413. demonstrat Pagius ad annum CCCCXV. num. 20.

Hanc impactam Cyrillo calumniam repellit Nat. Alex. Hist. Ec. sæc. V. cap. IV. art. 14. quod plebs Christianorum conspiratione facta exacerbarit Orestem, & Hypatiam occiderit inscio Cyrillo, qui tantum zelo fidei catholicæ permotus ejecerat Alexandria Judæos post illatam ab his ingentem cladem Christi fidelibus: quam ob rem Præfectus ratus a Cyrillo auctoritatem suam fuisse labefactatam, nunquam adduci potuit, ut injustam reprimeret indignationem. Atque hinc populi adversus Præfectum, & Hypatiam et singulari amicitia conjunctam, & forsitan altricem dissidiorum, tumultuosa concitatio. Illius propterea auctorem fecit Cyrillum primus omnium Damascius in vita Isidori Philosophi, de quo Suidas, & H. Valesius in Notis ad Socratem pag. 86. Verum Damascio nullam fidem debemus, quod fuerit, ut animadvertit Guillelmus Caveus in H. Eccles. Script., Christianæ Religionis hostis acerrimus. De his plebis Alexandrinæ in Orestem, & Hypatiam conspirationibus plura habet etiam Socrates lib. VII. cap. 14. & 15. nec Cyrillo admodum plaudit. Sed Socrates addictus erat Novatianis, quibus S. Antistes extremum bellum indixerat: ac præterea idem Socrates scribit Monachos Nitriæ, quibus auctoribus deteriora evenerunt, non a Cyrillo fuisse commotos, sed ferventiore animo præditos jam inde a temporibus Theophili, qui illos adversus Dioscorum armaverat. Fatetur etiam Hypatiam interemptam, non Cyrilli, sed Petri Lectoris conspiratione. Hac itaque calumnia repulsa, alteram, quæ spectat ad institutum nostrum, nunc expungemus.

PROPOSITIO. S. Cyrillus immerito insimulatus est hæresis Apollinarii.

Theologi solent hanc propositionem demonstrare extrinsecis argumentis ab auctoritate Summorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum. Cælestinus enim in Epistolis ad ipsum Cyrillum, ad Joannem Antiochenum, atque ad Nestorium, Cyrilli studium commendat, doctrinam probat, fidem confirmat, & zelum dignissimis laudibus concelebrat. Idem præstat Gregorius II. in Professione Fidei ad sanctum Germanum Constantinopolitanum Antistitem. Probarunt insuper duodecim Cyrilli Capitula Episcopi Ægyptii, qui ad Synodum Alexandrinam convenerant. Concilium Ephesinum illa ab omni errore declaravit immunia omnium Episcoporum consensu Act. I. & Act. 9. in Relat. ad S. Pontificem Cælestinum. Synodus pariter Chalcedonensis Act. 2. contestata est, se idem credere quod Cyrillus: & in definitione fidei Act. 5. ejusdem Cyrilli Epistolas suscepit, & consecravit. Quinta de-

nique Generalis Synodus can. 13. eo nomine damnavit Scripta Theodoreti, quod oppugnare studuerit anathematismos Cyrilli. Catholicam præterea Cyrilli doctrinam, & ab Œcumenicis Synodis comprobatam, scribit Epiphanius Archidiaconus Alexandrinus in Epist. ad Maximianum Episcopum, Joannes Sebastenus in literis Synodicis ad Leonem Augustum, Liberatus in Breviario, & alii. Nefas est igitur insimulare hæreseos sanctum Cyrillum tam amplo, firmissimoque judicio summopere commendatum.

Hæc sunt argumenta, quæ in defensionem Cyrilli proferri solent hæc producit Natal. Alex. Dissert. VIII. in Hist. Eccl. sæc. V. Juenin Dissert. V. de Essent. Incarnat. Cap. II. Art. 2. Tournely Q. VII. de Incarnat. pag. 259. Boucat Dissert. III. sect. 3. &c. Neque hæc a nobis infirma putantur: sed singula in compendium redacta sunt; illisque robur addimus ex quo Cyrillum *invictissimum Fidei propugnatorem* appellet Ecclesia Romana in Martyrologio die 27. Januarii, & Menologium Græcorum die 9. Junii. Anastasius quoque Sinaita in Hodego cap. V. Eulogius Archiepiscopus Alexandrinus in Oratione adversus Calumniatores SS. Patrum; Photius etiam in Biblioth. Cod. 231. Idatius in Chronico, Gennadius de Script. Eccles. cap. 65. & posteriores omnes Historici. Verum cum non defuerint viri improbi, qui conati sunt adversus Cyrillum stilum acuere, contendentes Synodum Ephesinam immerito illius scripta probasse, & deceptos fuisse in hac caussa quamplurimos errore facti, & Nestoriani dogmatis ignorantia; videtur nobis opportunum vindicias Sancti Cyrilli non solum prædictis, sed etiam sequentibus argumentis contexere.

Cyrillum itaque ab errore Apollinarii fuisse immunem altetius his momentis evinco. I. Qui post Incarnationem duas in Christo naturas, divinam, humanamque docuit impermixtas, atque in suo *esse* distinctas permanere, is non est proculdubio Apollinarii infectus errore. S. Cyrillus duas post Incarnationem naturas impermixtas, & quantum ad *'ουσίαν* attinet distinctas profitetur. Igitur S. Cyrillus imbutus non est Apollinaristarum errore. Probatur minor. Idem Cyrillus in libro II. contra Nestorium ait: *Ergo unum* (Christum) *confitere, naturas non dividens, sed ita, ut scias interim, & sentias, aliam esse carnis rationem, aliam divinitatis sibi ipsi convenientem. Non enim carnem ipsam Verbi divinitatem factam esse dicimus.* Et lib. III. *Altera quippe res est divinitas, altera nostræ similis humanitas; si eam, quæ naturis inest, naturam consideres: verum conventione, quæ in veram unitionem fit, unus ex ambabus Christus existit.* Item Epist. ad Nestorium: *Differentes sunt, quæ in veram unitatem coacta sunt natura; sed unus ex ambabus Christus & Filius existit.* Plura alia afferentur in solutione argumentorum. II. Quidam insimularunt Beatum Cyrillum hæresis Apollinarii, quod scripserit unam esse naturam Verbi incarnatam, quod inter divinitatem & humanitatem admiserit *naturalem* unitionem, & quod prædicaverit duas in Christo naturas *indivisas*. At nullam ex his præcipuis caussis, quas prætexerunt Orientales, posse labefactare fidem Cyrilli invicta argumenta commonstrant. Immerito ergo hanc fidem quidam conati sunt vellicare. Prob. minor quantum ad primam partem. Etiam S. Flavianus in Professione Fidei, quam inscripsit Imperatori Theodosio, probata ab omnibus Orientalibus, & relata a Sancto Eulogio Alexandrino apud Photium Codice CCXXX. ait: *Etenim e duabus naturis Christum post Incarnationem in una hypostasi confitentes, unam naturam Verbi incarnatam, & carne indutam dicere non negamus.* Dixerunt pariter unam naturam Dei Verbi incarnatam Athanasius in libro de Incarnat. Basilius Seleuciensis, & alii laudati a Dionysio Petavio lib. IV. cap. 5. & 6., & in Synodo Lateranensi celebrata contra Monothelitas sub Martino I. damnatur anathemate *Quisquis secundum SS. Patres non confitetur proprie & secundum veritatem, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Immerito itaque Divo Cyrillo conflatur calumnia, quod refellens Nestorium *unam incarnatam naturam* dixerit. Probatur ejusdem propositionis pars altera: Cum Nestoriani inter divinam humanamque naturam admiserint solam unionem moralem, & *secundum dignitatem*; fides catholica profitetur unionem veram, & *secundum hypostasim*, per quam Christus in duabus naturis subsistens sit verus Deus, sit una persona, sit idem Dei filius, & Virginis: id vero Sanctus Cyrillus affirmat statuens unionem *naturalem*; scribens in Declaratione tertii Anathem. Tom. 6. Regiæ edit. Parisiensis, pag. 149. se duarum naturarum unitionem appellare *φυσικὴν* adversus illos, *qui subsistentias post unionem dividunt, & singulas, hoc est, Deum, & hominem separatim ponunt, talemque illarum copulam confingunt, quæ secundum solam dignitatem contingit.* Et in Apologetico pag. 167. *Si naturalem unionem diximus, veram intelligimus.* Igitur S. Cyrillus immerito hæresis insimulatus est, quod in Christo unionem agnoverit *naturalem*. Probatur ejusdem minoris pars tertia. Appellare Christum *indivisum* eo sensu, quod sit unus *secundum hypostasim*, etsi natura humana non sit natura divina, non est consentire Apollinario, sed mysterium Incarnationis propugnare. At Divus Cyrillus ita prædicat de Christo *indivisum*, ut evincat unum esse *secundum hypostasim*, manente proprietate, ac distinctione utriusque naturæ: scribit enim in Epistola ad Valerianum Iconii Episcopum; *Confitemur quod a carne quidem est carnem esse, quod a Deo Deum esse; sed idem secundum utraque Christus, unus Filius, unus Dominus.* Et in Epistola ad Acacium Episcopum Melitenensem testatur se cum Orientalibus *non dividere unum Filium, & Christum, a Patre ut Deum, & ex muliere natum in carne ut hominem.* Sanctus ergo Cyrillus prædicans Christum *indivisum* propugnat Catholicam Fidem Incarnationis, non consentit Apollinario, non Ario, non Eunomio, non hæreticorum alicui. III. Etiamsi in composito duæ sint distinctæ naturæ, ut in homine natura spiritualis, atque corporea: post earum substantialem unitionem recte dicitur *una natura compositi*, v. g. una natura hominis; neque dicendo unam hominis naturam, significatur esse unam eamdemque substantiam carnis, & spiritus, sed esse unam personam in utraque substantia. At S. Cyrillus nunquam dixit absolute unam esse in Christo naturam, sed aut esse *unam naturam Dei incarnatam*; ut inquit in Commonitorio ad Eulogium: aut esse *naturam unam Verbi facti hominis, post unionem*, ut in Epist. ad Acacium; aut *unam esse naturam tantum in composito*, ut in Epist. ad Successum: imo prohibet unam naturam dicere, *quia Christus est unus ex duabus naturis*; in eadem Epistola, aliisque in locis productis a Photio in Bibliotheca pag. 850. & seqq. Ergo Cyrillus non ait unam eamdemque in Christo esse naturam humanam, atque divinam, sed unam *naturam* Christi secundum *hypostasim*, scilicet, post unionem esse unam Personam indivisam ex duabus naturis compactam. IV. Orientales, qui adversus Cyrillum convenerant, omni procul dubio duas in Christo fatebantur naturas, easque expresse distinguebant in Professione Fidei exhibita Sancto Cyrillo a Paulo Emisseno. At idem Cyrillus Fidem Orientalium probavit in Epistola ad Acacium Melitenensem; & Epistolam redditam sibi a Paulo Emisseno scribens ad Joannem Antiochenum appellavit *irreprehensibilem*: imo cum nonnulli accusarent Orientales, propterea quod duas naturas confiterentur, ut scribit S. Eulogius, primo Cyrillus erubuit, veritus ne denegarent cum Nestorio hypostaticam unionem: quippe idem Nestorius prætextu duarum naturarum curabat etiam hypostases separare: sed Epistola Orientalium accurate perlecta, se illis per omnia consentire affirmavit, scribens ad Valerianum Iconii Episcopum, etiam Orientales damnare hæresim Nestorii, Virginem fateri *Deiparam*, & unum Christum perfectum in divinitate, & perfectum in humanitate, non divisum in duos Filios, & Dominos, venerari. Si igitur Apollinaristæ non fuerunt Orientales, qui nondum explorata veritate steterunt adversus Cyrillum; neque Cyrillus ipse Apollinario consensit. Hæc quatuor argumenta a nobis addita iis, quæ communiter afferuntur, reddunt caussam Cyrilli non solum auctoritate munitam, verum etiam invictissimis rationibus definitam, ac certam.

ARGUMENTA ADVERSUS FIDEM CYRILLI.

Pugnant adversus Cyrillum primum extrinsecis testimoniis. Illum quippe tamquam suspectæ fidei traduxerunt Joannes Antiochenus cum ceteris Orientalibus, Theodoretus, Ibas, & Isidorus Pelusiota. Quorum auctoritas pluris facienda est; nam quantum ad Orientales attinet, idem Cyrillus, ut vidimus, illorum Fidem asseruit irreprehensibilem, eique subscripsit; neque vicissim petiit ab iis, ut suis anathematismis subscriberent. Theodoretum tamquam Catholicum recepit Synodus Chalcedonensis, non exigens ab illo, ut revocaret quæ scripserat contra Cyrillum. Isidorus Pelusiota ab ipso Cyrillo Patris loco habebatur. Ibas etiam a Chalcedonensi Synodo habitus est Orthodoxus. Horum itaque testimonium adversus Cyrillum grave est admodum ac æstimandum.

Resp. si ad testes provocemus, longe plures, atque auctoritatis præcipuæ stare pro Cyrillo, ac Synodum ipsam Chalcedonensem, quam producunt in commendationem Ibæ, & Theodoreti, in definitione Fidei, quæ extat Act. V. suscepisse, probasse, atque declarasse Orthodoxam ejusdem Cyrilli doctrinam. Itaque omnes, qui sinistre de Cyrillo judicarunt, errore facti decepti sunt. Primo enim Joannes Antiochenus, Theodoretus, & Ibas olim opinabantur Nestorium recte sentire, ut liquet ex præcedenti cap. XIII. Nil ergo mirum si ex adverso erroris insimulabant Invictissimum Nestorii Oppugnatorem. Deinde hos revera fuisse deceptos demonstrabimus capite proximo. Præterea hæreses, quæ præcesserant, contra sacrosanctum Incarnationis Mysterium, & nondum explorata Nestorii vafrities, novum etiam *unionis hypostaticæ* vocabulum, quod ad refellendam hæretici tergiversationem opportune Cyrillus adhibuit, nec non unionis naturalis, & unius naturæ incarnatæ, nonnullos principio commoverunt ac perturbarunt.

Generali hac responsione præmissa, quantum spectat ad Orientales, si Cyrillus illorum doctrinam probavit, si Epistolam sibi redditam a Paulo Emisseno appellavit irre-

pre-

prehensibilem, si tandem inita pace Orientales Cyrillo adhæserunt; profecto in fide, & dogmate minime discrepabant. Hac de caussa Cyrillus Orientalium Fidei subscripsit; noluit tamen, ut illi instabant, profiteri se contra Nestorii blasphemias non recte scripsisse, sed Apologeticis, & Declarationibus suos anathematismos confirmavit. Quod si Cyrillus reciproca instantia non petiit, ut Orientales iisdem anathematismis subscriberent; fecit id prudentissima œconomia; quoniam rectam in illis fidem deprehendens, sperabat fore ut sedatis tandem animis, & dogmate majori in luce posito, damnarent & ipsi Nestorium. Neque id tantum Cyrillus præstitit, verum etiam stetit pro iisdem Orientalibus adversus eorum accusatores: ex qua agendi ratione quantum fidei accesserit utilitatis, & quantum existimationis Cyrillo, probavit rerum eventus, & inita Ecclesiarum concordia. Legatur Epistola Cyrilli ad Acacium Melitenensem non semel in hoc capite laudata.

De Theodoretu plura dicam infra. Nunc sat est reponere ejus contra S. Cyrillum scripta Quintam Synodum proscripsisse. Fuisse etiam Theodoretum a Cyrillo nimis aversum probant quæ de illo tradit in differt. Historica de ipsa V. Synodo noster Norisius. Etenim etiam post initam pacem, imo Cyrillo jam mortuo, se erga illum esse amaro animo significavit in Epistola ad Domnum, in qua ait in XII. Capitulis latere venenum. Hæc autem scribebat Theodoretus circa tempora Concilii 2. Ephesini, anno 449. & quinquennio post Cyrilli obitum. Recepit quidem Theodoretum Synodus Chalcedonensis; sed primum cum de ejus ingressu ageretur, Ægyptii omnes, Illyriciani & Palæstini exclamarunt, *Magistrum Nestorii foras*. Sedit tandem ob auctoritatem Orientalium, sed ea conditione, ut ipsius caussa postmodum cognosceretur. Ubi ad id absoluta Synodo perventum est; coactus est anathematizare Nestorium, & cum vellet coram Synodo Apologiam recitare, fuit rumore universorum prohibitus. Ideo autem Synodus de scriptis Theodoreti ipsum recipiendo iterum non egit; quoniam actione v. illos plane abrogaverat probando S. Cyrilli doctrinam. Sed vide citatam Norisii dissertationem cap. XI.

Quid vero de Iba? In Epistola, in qua scribit Cyrillum lapsum in Apollinarii dogma, ait etiam Nestorium fuisse Episcopatu privatum *judicio, & inquisitione non facta*. In hac Epistola Vigilius Papa contineri dixit *profanas blasphemias*: eamque S. Gregorius in Epist. ad Secundinum appellavit *non Catholicam*. Plura de hac Epistola citato loco Norisius. Fuit tamen Ibas restitutus Sedi suæ, quia constabat ex Actis in Synodo Berytensi, dixisse anathema Nestorio, ideoque retractasse, quæ scripserat in Epistola ad Marim Persam, nimirum in illa, in qua S. Cyrillo dogma Apollinarii affricavit. Sed de his iterum. Nil ergo valet adversus Cyrillum quod asseruit Ibas partibus Nestorianis addictus, & quod ipse coactus est retractare. Facundus Hermianensis lib. VI. p. 242. ait Ibam non fuisse assecutum *intentionem dictorum beati Cyrilli*: cujus alucinationis caussam paullo supra explicavimus.

S. Isidorus Pelusiota Epist. 310. lib. I. ad Cyrillum, & Epist. 370. ejusdem libri, ipsum quidem hortatur ut comprimat simultates, atque dissidia, sed minime ait se fidem præstare iis, quæ de Cyrillo in vulgus spargebantur. Imo laudata Epist. 310. *Si ab utraque lema* (inquit) *purus, atque immunis esse studes, noli violentas sententias ferre: verum illata crimina justo, & integro judicio committe*. Vide Biblioth. PP. Tom. VII. pag. 564. necnon proximam Epistolam 324. pag. 566.

EXPLICANTUR XII. ANATHEMATISMI S. CYRILLI.

Deinde objiciuntur adversus Cyrillum ipsius anathematismi: in quorum primo illud carpunt, quod scripserit S. Antistes de Virgine Deipara, *γεγέννηκε σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον*, *Genuit carnaliter incarnatum Dei Patris Verbum*. Hinc duo videntur consequi; unum quod Verbi divinitas conversa fuerit in carnem, quæ est hæresis Apollinarii; alterum, quod Deipara genuerit Dei Verbum *carnaliter*, non virtute Spiritus sancti. Verum respondetur, idem esse *τὸ σαρκικῶς*, *carnaliter*, ac *κατὰ σάρκα*, *secundum carnem*; eademque voce uti Athanasium Orat. V. contra Arianos, & Greg. Nazianzenum in Epist. ad Cledonium. Male ergo Theodoretus ita hanc vocem accepit, quasi affirmasset Cyrillus demutatam fuisse Verbi divinitatem in carnem: contra quam interpretationem S. Cyrillus ita mentem propriam expressit in Explanat. hujus Anathem. Tom. 6. pag. 147. *Natum est enim Verbum secundum carnem ex S. Virgine, & æque ac nos homo factum est, non amittens esse Deum, sed existens quod erat, & in divinitatis natura permanens*. Quod vero opponebant Orientales denegari a Cyrillo, quod beata Virgo Christum peperit virtute Spiritus sancti, ita idem Doctor dispellit in Apologetico pag. 160. *Carnaliter dicere non est tollentis admirabilem divinitatem, neque evertentis Spiritus sancti operationem, qua in utero formavit partum; sed dicentis potius, quod sicut Deus gignitur divine, digne Deo, secundum suam naturam, ita homo humane, hoc est, caro carnaliter*.

Vellicarunt in 2. anathematismo quod ait Cyrillus, *σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἑνῶσθαι τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον*, *carni secundum hypostasim unitum Dei patris Verbum*. Objecit Theodoretus hane vocem ignotam esse, neque a præcedentibus Patribus usurpatam, atque per illam significari utriusque naturæ mixtionem. At Cyrillus in Explicat. hujus anathematismi respondet adhibuisse se hæc verba contra eos, *qui ajunt hominem secundum solum dignitatis, vel auctoritatis consortium Deo conjunctum esse*. Eulogius Patriarcha Alexandrinus ait ab Ephesina Synodo primum receptam vocem unionis *secundum hypostasim*, quoniam hac refelluntur aperte Nestoriani: non enim adversus hos hæreticos sufficit fatesi *unionem*, ut contendebat Theodoretus; quum ipsi minime generalem hanc vocem respuerent. Neque insolitatum est novis hæresibus erumpentibus nova etiam usurpare vocabula, quemadmodum Nicæna Synodus recepit adversus Arianos *ὁμοούσιον*. Unius tamen personæ Latini Patres jam meminerant, præsertim Tertullianus adversus Praxeam, & Augustinus laudatus cap. præcedenti, nec non Græcorum quamplurimi, quorum Cyrillus sensum, ac mentem expressit.

In tertio anathematismo notarunt Adversarii hæc verba Cyrilli *κατὰ ἕνωσιν φυσικὴν*, *secundum unionem naturalem*; quasi utriusque naturæ significent permixtionem. At respondet Cyrillus in declarat. hujus anathemat. pag. 149. se hanc vocem usurpasse primo ad demonstrandam unitionem veram, & propriam, ac perfectiorem morali, quo sensu in Epist. ad Ephesios dicimur *natura filii iræ*, idest, *vere ac proprie*: deinde ait usum se iisdem vocibus adversus Nestorianos, *qui subsistentias post unionem dividunt, & singulas, hoc est, Deum, & hominem separatim ponunt*. Quo autem sensu in hoc anathematismo scripserit post unionem non esse in Christo dividendas *hypostases*, ipse explicat in Apologetico pag. 165. scribens: *Dividere autem unum in duos filios, & solvere veræ unitionis opus, distinguendo seorsum, & ponendo privatim hominem, & privatim Deum, crimen est impium*. Itaque laudatis verbis Cyrillus demonstrat Christum unicam esse personam. Quidam putant difficillimum esse intellectu, an hoc loco Cyrillus nomine *hypostasis naturam*, an *subsistentiam* significet: sed opinione mea quærunt nodum in scirpo. Ex allata enim explicatione ipsius Cyrilli constat illum asserere non esse dividendas substantias, in quantum Deus & homo non sunt *separatim ponendi*. Sive ergo dixeris, quod non sunt in Christo dividendæ Personæ, sive quod non subsistunt in Christo duæ naturæ separatæ ac disjunctæ, aut solum unitæ morali consortio dignitatis; eadem ratione hæresis Nestoriana refellitur. Nihil ergo ad hanc quæstionem spectat altera de significatione *hypostaseos*. Opinor autem Cyrillum disputantem contra Nestorium, qui in Christo dispescebat non solum personas duas, sed etiam naturas; dum ait dividendas non esse *hypostases*, utrumque significare, & quod Christus sit una persona, & quod una natura non subsistat ab alia divulsa, ita, ut *hypostasis* non solam naturam importet, sed etiam ejusdem naturæ subsistentiam. Ita non dividuntur in Christo personæ, quia est unus filius; & non dividuntur naturæ, quia licet in suo esse permaneant, non existunt tamen separatim.

Arguebant Orientales Cyrillum antilogiæ, quia in Epist. ad Monachos scripserat: *Quantum ad suam naturam, non sanctificatum esse solum Dei patris Verbum, neque eum, qui ex sancta Virgine genitus est, unctum esse, & sanctificatum solum*. Hinc inferebant etiam Cyrillum duas in Christo agnoscere hypostases. Natalis Alexander ait, ipsum Cyrillum respondere, se duas subsistentias *duas naturas* intellexisse. Nescio num verum sit, & num revera hæc respondeat idem Cyrillus. Enim vero in loco, quem opponebant Orientales, non occurrit vocabulum illud *ὑποστάσεις*, sed ipsi Orientales duas *hypostases* inferebant ex textu allato, qui ad hunc modum se habet: *οὐκοῦν ὅσον ἧκεν εἰς ἰδίαν φύσιν, οὐχ ἡγίασται κατὰ μόνας ὁ ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγος. οὐ δὲ τις εἴποι τὸν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου γεγεννημένον κεχρῖσθαι, ἢ ἡγιάσθαι μόνον*. Hæc scripsit Cyrillus: hæc objectarunt Orientales. Vide opera Cyrilli Tom. VI. pag. 164. At hic expresse duæ *hypostases* minime nominantur. Et responsio Cyrilli est, se ad Monachos scribentem tradidisse, quod non sunt ponendi duo filii seorsum, & privatim, neque Verbum Patris unctum esse oleo exultationis, separatim ab eo, qui est genitus Sancta Virgine, ut affirmat inventor blasphemiarum Nestorius; sed unum esse Christum, incarnatum, & hominem factum unigenitum Dei Verbum, in quo sunt quidem duæ naturæ, at non divisæ post unionem. Naturas, non *ὑποστάσεις* appellat Cyrillus postremis his verbis, sed *φύσεις*: omniaque præcedenti responsioni cohærent. Vide Cyrillum eodem Tom. VI. pag. 166.

Adversus quartum anathematismum objiciebant Cyrillum affirmare, quod *Dei Verbo tribuendæ sint voces, quæ in sacris literis de Christo enunciantur*. At id videtur duarum naturarum perimere differentiam; quoniam plura enunciantur de Christo, quæ illi nequeunt convenire, nisi secundum naturam humanam. Quare etiam Arius,

& Euno-

& Eunomius, ut divinitatem deprimerent, attribuebant illi quæ sunt in homine vilia, & infirma. At immerito hæc Adversarii insectabantur. Etenim Cyrillus nunquam asseruit tribuenda esse naturæ divinæ quæ conveniunt tantum humanæ, sed damnavit Nestorianos, qui dividentes personas Filio Dei attribuebant divina, filio Virginis attribuebant humana, tanquam προσώποις, καὶ ὑποστάσεσι δυσὶ, *duabus personis, separatisque hypostasibus*: quibus verbis utitur in hoc Anathematismo Cyrillus. Hinc in ejus declaratione pag. 150. ait: *Omnes itaque Evangelii voces, sive illa humanum quid sonent, sive divinum*, ἑνὶ προσώπῳ, *uni Personæ tribuimus*. Atque in Apologetico pag. 170. *Arius, Eunomius, & Apollinarius, & omnes societatis illorum chori, studebant inducere nomen hoc* Dei Genitrix, *ut si commixtio fieret, & naturæ non distinguerentur, nihil humile de humanitate accipiendum esset, locumque jam haberent ipsi contra Deitatem*. Et paullo infra: *Nos vero utilissime anathematismum fecimus, non permittendo in duas dividi personas, & subsistentias*, εἰς δύο πρόσωπά τε, καὶ ὑποστάσεις, *unum Dominum Jesum Christum*. Adverte Cyrillum tam in Anathematismo, quam in ejus declaratione non solum ὑποστάσεις posuisse, sed etiam πρόσωπα, dispellens omnem erroris suspicionem.

In v. Anathematismo ægre ferebant Orientales, quod nollet Cyrillus *Christum dici* Θεοφόρον, *Deiferum*: quum idem vocabulum etiam Basilius, aliique usurpaverint. Sed facili negotio Cyrillus criminationem istam propulsat pag. 152. demonstrans adhibendam non esse hanc vocem Θεοφόρον adversus Nestorianos autumantes Verbum habitare in Christo tanquam in Sanctis, de quibus Apostolus in I. ad Corinth. VI. 20. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*: Et II. Epist. VI. 16. *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos*. Et quidem nonne etiam Ignatius Martyr dicitur Θεοφόρος in Chronico Alexandrino, in Actione prima Concilii Generalis VIII. in Græcæ Ecclesiæ Menæo, atque in suarum Epistolarum initio, ut diximus Volumine 2. pag. 217.? Hoc itaque nomine, quamvis nondum exortis Nestorianis inculpate usurpato, intempestive usus foret horum hæreticorum acerrimus Insectator. De Basilio dictum est cap. XXIX. præcedenti.

Movit Orientales, quod Cyrillus inquit in VI. Anathematismo, *Deum non esse Dominum Christi*, cum is tamen servus dicatur ab Esaia. Verum Anathematismus ad hunc plane modum se habet. Εἴ τις Θεὸν, ἢ Δεσπότην εἶναι λέγει τοῦ Χριστοῦ, τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγον, *Si quis dixerit Dei Patris Verbum esse Deum, vel Dominum Christi, &c.* Non ait hoc loco Cyrillus, aut non esse in Christo formam servi, aut non posse appellari servum Patris secundum humanitatem; negat alium esse Verbum Dominum Christi, & alium Christum servum Dei Verbi, adversus Nestorium, qui Christum a Domino divellebat. Explicat se apertissime Cyrillus sequentibus ejusdem anathematismi verbis: *Et non potius Deum simul, & hominem ipsum confessus fuerit, prout Verbum caro factum est, &c.* Et in libro contra Nestorium III. c. 2. *Ubi unquam Deus Christi ipsum Dei patris Verbum dictum est? Unus est enim Dominus Jesus Christus*. Nihil anathematismus iste ad illam quæstionem, num Christus spectata natura hominis possit dici servus Patris, de qua infra: hic enim solummodo definitur Christum non esse servum Verbi; quia nemo servus est sui ipsius.

Adversus anathematismum VII. in quo vetat Cyrillus, ne dicatur *Deum Verbum in homine Jesu fuisse operatum*, opponebant Sophistæ negari ab eodem Cyrillo, quod tradit Paulus scribens ad Ephesios I. 19. & legitur Act. Apost. II. Christum virtute Dei e mortuis surrexisse, & mirabilia patrasse. Retundit hanc oppositionem Cyrillus in Declarat. hujus anath. pag. 176. dicens nunquam se denegasse, quod Pater in Christo, & Verbum in assumpta hominis natura fuerint operati, sed duntaxat quod Verbum Deus operatum fuerit in homine Christo, tanquam in persona ab ipso Verbo distincta. *Quod Pater* (inquit) *ex mortuis resuscitasse Dominum nostrum Jesum Christum dicatur, ex opere scilicet circa ejus carnem effecto, nemo est, qui ambigat. Ipse autem cum sit vita, & vivificator, & operatoria virtus Patris, suum vivificabat templum, juxta illud: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Itaque quod vivificabatur non erat alienum, neque alicujus ex hominibus nobis similibus, sed proprium ipsius Verbi corpus*. Sat est ad omnem expellendam criminationem ipsius anathematismi verba expendere, Εἴ τις φησὶν, ὡς ἄνθρωπον, ἐνηργῆσθαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ λόγου τὸν Ἰησοῦν, καὶ τὴν τοῦ μονογενοῦς περιῆφθαι, ὡς ἑτέρῳ παρ' αὐτὸν ὑπάρχοντι. *Si quis Jesum tanquam hominem a Dei Verbo operandi vim habuisse, & Unigeniti gloriam illi, tanquam alteri cuipiam, ab ipso Verbo advenisse ait, anathema sit*. En aperte affirmat S. Cyrillus Verbum Deum non operatum in homine Jesu, ὡς ἑτέρῳ παρ' αὐτὸν, tanquam in alia persona distincta ab ipso Verbo Unigenito filio Dei.

In VIII. Anathematismo, in quo docuit Cyrillus *una adoratione colendam esse Emmanuelem, urgebant assumptum hominem adorandum cum Deo Verbo tanquam alterum cum altero*, rationem afferens, quia particula *cum*, σύν, significat distinctam personam: arguebant Cyrillum secum ipso pugnare, quod alibi scripserit *Verbum assidere Deo Patri* μετὰ σαρκὸς, *cum carne*. Est enim vis eadem particulæ σύν, & μετά. Respondet Cyrillus Apologetici pag. 180. utique utriusque particulæ eamdem esse potestatem, sed verborum complexionem esse spectandam. Nam si dixero, E. G. animam cum suo corpore honore affici; particula *cum* non demonstrat distinctionem personarum, quia personæ his verbis minime significantur; anima enim & caro non personarum sunt nomina, sed naturarum. At si dixero simul conglorificari servum & Dominum, hominem & Deum, possum innuere personarum discrepantiam, quoniam hæc vocabula non significant tantum naturas, sed etiam hypostases, ac personas. Bene habet. Itaque Cyrillus dicens, *Verbum simul cum carne adorandum*, τὸν λόγον μετὰ σαρκὸς δεῖν προσκυνεῖσθαι, non multiplicat subsistentias, quia *caro* nomen naturæ est, non personæ: at Nestorius affirmans *hominem assumptum una cum Dei Verbo adorandum, tanquam alterum cum altero*, τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ Θεῷ λόγῳ, ὡς ἕτερον ἑτέρῳ, personas divellit; quia dicens *hominem, & Deum, alterum, & alterum*, designat sejunctas hypostases. *Igitur factus est anathematismus contra eos, qui modis omnibus dividunt Emmanuelem in hominem seorsim, & Deum Verbum seorsim*: inquit eo loci Cyrillus.

Anathematismus IX. definit, *Dominum Jesum Christum non esse glorificatum a Spiritu sancto, tanquam ab aliena virtute*. Accusatores Cyrilli hinc inferebant, ab ipso denegari, quod Christus plura signa fecerit efficientia, ac potestate divini Spiritus. At merito vir sanctus respondet hanc esse puram putamque calumniam. Affirmans enim Spiritum sanctum non esse virtutem alienam a Christo, imo statim addens eumdem Spiritum sanctum, per quem signa operatus est, proprium esse ejusdem Christi, sicut est Patris, docuit manifeste Christum non esse personam sejunctam a Deo Verbo, nec signa patrasse virtute aliena, quemadmodum de seipso testatur Petrus Act. III. 12.; sed esse eamdem personam Verbi, & habere cum Spiritu sancto unam divinitatis naturam, ac potestatem, ideoque operatum fuisse signa, ac prodigia virtute propria. *In proposito anathematismo* (inquit in Apologet. pag. 182.) *affirmavimus manifeste, proprium esse Filii Spiritum sanctum, & quod per ipsum perfecerit divina signa. At illi, quamvis sæpe affirment me oblitum esse meorum sermonum, in eam progrediuntur stupiditatem, imo dementiam, ut putent me dicere, quod Jesus dæmonia non ejecerit per Spiritum. An non hæc manifesta calumnia est?*

Definit Cyrillus in X. Anathematismo, *ipsum Deum Verbum esse Pontificem, & Apostolum confessionis nostræ*: quod sane Christo tribuitur in Epistola ad Hebræos III. 1. Adversus Cyrilli assertum opponebant Orientales, non posse Deo Verbo convenire, ut dicatur summus Sacerdos. Nam in eadem Epistola ad Hebræos, III. 15. legitur hunc Pontificem, ut compateretur infirmitatibus nostris, tentatum fuisse *per omnia pro similitudine absque peccato*: quæ in Christum ut hominem possunt quadrare, at in Deum Verbum non possunt. Præterea Sacerdos Deo offert sacrificium. Verbum autem, cui Deo suo, vel quale ministerium suum offerre potest? Hæc Insectatores Cyrilli. Sed is respondet, Verbum exinanitum accipiendo formam servi, & carnem factum, quemadmodum sacræ litteræ tradunt. Ut ergo Deus Verbum dicitur exinanitum, & factum caro ratione humanitatis assumptæ; ita non repugnat, quod sub hac ratione appelletur *Apostolus, & Sacerdos*. Quoniam vero Nestorius ajebat Christum Jesum, & Filium Virginis esse alium a Deo Verbo, & paullatim ad Pontificis dignitatem fuisse provectum; docet Cyrillus hoc anathematismo, Christum, qui est Pontifex, & Apostolus confessionis nostræ, esse unum, idemque Verbum Dei Patris, quod fuit ab æterno. *Quomodo enim* (inquit contra Nestorium lib. III. c. 4.) *progressus est, ut temere fabularis, ad Pontificis dignitatem, cum Deus sit omnipotens?* Objectionem itaque Orientalium plane diluunt, quæ idem Cyrillus scribit in Apologetico pag. 189. *Quando dicis, indignum esse Deo, ut sacrificet, adstipulor & ego. Sed si solum esset, & absque carne Verbum, verum diceres: at vero quia factum est caro, vide & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus ultra creaturam, sicut Deum.*

Undecimus anathematismus definit *Domini carnem vivificam ipsius Verbi, quod ex Deo Patre est, propriam esse, & non alterius cujuspiam ipsi Verbo secundum dignitatem conjuncti*. Ipsi Orientales in hujus anathematismi oppugnatione affirmarunt *propriam factam dominicam carnem Verbi per unionem*: unde apparet non dogmate illos errasse, sed mala verborum Cyrilli intelligentia. Suspicati ergo sunt ne forte opinaretur Cyrillus dominicam carnem non esse e nobis assumptam, cum hæreticis c. 2. refutatis. Superfluum quippe eis videbatur adjicere, quod non est caro dominica alterius cujuspiam, posteaquam dictum fuerat quod est propria Verbi: ideoque suspicabantur in his verbis latitare perfidiam antiquorum hæreticorum. At nugæ sunt istæ, & putidæ cavillationes: nam Cyrillus

rillus in hoc anathematismo expresse docuit dominicam carnem non esse alterius cujuspiam, *tamquam alicujus personæ conjunctæ cum Verbo secundum dignitatem*, ὡς ἑτέρου τινὸς παρ' αὐτὸν, συνημμένου μὲν αὐτῷ κατὰ τὴν ἀξίαν. Itaque vox ἑτέρου, *alterius*, non excludit consubstantialitatem dominicæ carnis cum materna, ex qua assumpta fuit ac propagata: sed tantum demonstrat non esse carnem *alterius personæ*, ut contendebat Nestorius; cujus nequitiam si plane Orientales deprehendissent, nunquam certe tanta acerbitate doctrinam Cyrilli vellicassent.

Postremus anathematismus tribuit Deo Verbo passiones, ipsumque appellat *passum*, *& crucifixum*. Quomodo, inquiunt Orientales, possumus Deo Verbo mortem ac passionem adscribere? Inepta, & nimis cavillosa objectatio. Non ait Cyrillus divinitatem passam, & crucifixam; imo nec absolute inquit passum & crucifixum Deum; quæ tamen num dici possint in sequentibus inquiremus: sed omni adhibito temperamento, ne quis passionem ac mortem tribueret divinitati cum Apollinaristis, aut negaret Christum passum & crucifixum esse ipsum Dei Verbum incarnatum cum Nestorianis, ait idem Verbum *passum carne*, *crucifixum carne*, *mortuum carne*, παθόντα σαρκί, καὶ θάνατον γευσάμενον σαρκί. Atque ex his apparet nihil esse in Divi Cyrilli anathematismis, quod non sit per omnia fidei Catholicæ consentaneum.

CAPUT XVI.

De fide illorum, qui steterunt adversus anathematismos Cyrilli.

MANIFESTUM est ex dictis refutasse Anathematismos Cyrilli Orientales, qui cum Joanne Antiocheno convenerant ad Pseudosynodum Ephesinam, & singularem eorumdem Anathematismorum Confutationem edidisse Theodoretum Episcopum Cyri. Oritur hinc quæstio, num hi errore facti personæ tantum Nestorii fuerint patrocinati, an etiam probando illius dogmata Orthodoxam fidem pessumdederint. Et quoniam adhærebant Joanni Julianus, Orontius, aliique Episcopi Pelagiani e propriis sedibus expulsi, atque in Actis ejusdem Synodi legitur quidam Canon Pelagianam hæresim continens; hoc etiam controvertitur, an hanc foverit idem Joannes Antiochenus Antistes. De Joannis, ac factionis suæ supposito Pelagianismo erudite pertractant Lupus dissert. de Synodo Ephesina cap. 4. Garnerius Tom. 2. in Opera Mercatoris pag. 62. & sequentibus, Norisius lib. 11. Hist. Pelagianæ cap. 9. Pagius ad annum 431. num. xxviii. & alii permulti. Immunem fuisse Joannem a dogmate Nestoriano probant cum laudatis eximiis viris Nat. Alexander dissert. ix. in Historiam Eccles. Sæc. v. Tournely de Incarn. pag. 256. Boucat dissert. iii. Sect. iv. De Theodoreto plura ibidem Lupus, Norisius in dissert. de Synodo quinta, Garnerius in Operum Theodoreti Auctario. Omnia singillatim sunt proximis positionibus finienda.

PROPOSITIO I. Joannes Antiochenus, & Orientales, qui steterunt adversus anathematismos Cyrilli, neque Pelagianam, neque Nestorianam hæresim approbarunt.

Et quidem, licet in illo seditioso congressu Pelagiani Episcopi adhærerent Patriarchæ Antiocheno, is illos minime admisit ad subscribendum damnationi xii. Capitulorum Cyrilli, ut liquet ex nomine singulorum, inter quos nec unus Pelagianorum enumeratur. Deinde cum Joannes Synodo absoluta, & minacibus Theodosii literis permotus ad ineundam cum Cyrillo pacem edidisset Symbolum fidei suæ, atque illud per Paulum Episcopum Emisenum curasset perferendum ad ipsum Cyrillum; non solum Pelagiana dogmata nullatenus expressit, ut liquet ex eodem Symbolo, quod recitatur a Liberato cap. 8. & legitur in Actibus Ephesinis; verum etiam fidem Catholicam, & irreprehensibilem exposuit, ipsius Cyrilli testimonio probatam, & confirmatam, ut dictum est Capite præcedenti. Ferventibus insuper inter Cyrillum & Joannem dissidiis, utrinque sibi objiciebant Pelagianismum, & communionem cum Cælestianis, ut demonstrat Norisius ex Epistolis S. Cyrilli ad Cælestinum, & Orientalium ad Rufum Thessalonicensem; quamquam calumnia erant aperta quæ adversus Cyrillum Schismatici diffamaverant; Cyrilli autem suspicio temeraria non erat, sed orta ex Pelagianorum cum Nestorianis, ipsisque Schismaticis consuetudine. At inverisimile est Orientales in Ephesina Pseudosynodo probasse hæresim Pelagianam, cujus Memnonem, Cyrillum, aliosque Orthodoxos insimulabant. Ad hæc Sanctus Cyrillus ineundo pacem cum Orientalibus nihil legitur postulasse de Pelagiano canone, quem aliqui in Synodo illa Orientalium putant fuisse editum: quod fecisset utique, si revera Joannes eique adhærentes eumdem canonem approbassent; nunquam enim in communionem recepisset addictos erroribus Pelagianorum, quos ipsi Patres Ephesini damnaverant, & damnatos Romæ acceperant a Legatis Sedis Apostolicæ. Demum ipse Nestorius in Symbolo, quod extat in Collect. Conciliorum Edit. Ven. Tom. iv. pag. 207. Christum opponens Adamo hunc originalis peccati, & præsentium calamitatum facit auctorem: ideoque si Nestoriani ipsi saltem aperte non negabant originale peccatum, licet eumdem cum Pelagianis institutorem habuerint, Theodorum scilicet Episcopum Mopsuestenum; multo minus idem peccatum denegasse dicendi sunt in Ephesino conciliabulo Joannes Antiochenus, & Episcopi Orientales.

Hæresi autem Nestorianæ numquam Joannem cum suis præbuisse assensum demonstratur primo, quia ante Ephesinam Synodum Joannes ipse coegit Conventum Antiochenum, mandavitque ut omnes Apostolicis Cælestini Epistolis exhiberent obedientiam: ipsum Nestorium de tutbatis Ecclesiis, & refutata voce Theotocos acriter literis suis redarguit; ipsumque ad palinodiam recantandam, appellandamque *Deiparam* sacram Virginem graviter hortatus est, ut liquet ex præcedenti cap. xiii., narratque in dissert. de Synodo Ephesina Christianus Lupus, Pagius ad annum 430. num. xx. aliique viri docti complures. II. Si cum primum pervenit Joannes Ephesum obstitit Cyrillo & Synodo Orthodoxorum; plures simul caussæ virum optimum in facti errorem, sinistrumque judicium pertraxere. Prima harum caussarum fuit celeberrima Nestorii fama, hujusque ad Joannem Epistolæ, quibus hæreticus vaferrime contestabatur se non alia ratione vocem *Theotocon* repudiasse, nisi ob hæresim Apollinarii, & ne quis impie opinaretur divinitatem fuisse demutatam. Accessit caussa altera, quod Episcopi Pelagiani suadente Nestorio ex Regia urbe ad Joannem perrexerant Antiochiam, innumeris impensisque laudibus eumdem Nestorium cumulantes, Cyrillum vero insimulantes tyrannidis, hæreseos, animique contumaciæ. Adfuit caussa tertia, quod cum vix pervenisset Ephesum, & nondum excusso pulvere ingressus esset cubiculum, stitit se illi Candidianus comes accusans Cyrillum, quod se ejecisset e Synodo, quod adversarios Episcopos barbarice insectaretur, & quod in Nestorium absque ullo examine & maturitate judicii sententiam jam pronuntiasset. His ergo permotus Antiochenus antistes, his fraudibus circumventus, quid mirum si indicto suorum Conventu irritam habuit Nestorii depositionem, & sinistrum de Cyrillianis Capitulis judicium protulit? III. In ipso Pseudoconventu nunquam legitur approbasse dogma Nestorianum: Symbolum ibidem conscriptum, atque Orientalium Apologiam idem Cyrillus in Epistola ad Acacium appellavit irreprehensibilia, neque addictos partibus Nestorianis admisit ad subscriptionem Actuum Synodalium, quemadmodum in superioribus dictum est. IV. Quum reversus Antiochiam rerum a se gestarum Romano Pontifici, aliisque Episcopis per literas rationem exhibuit, nullus Joannem damnavit crimine hæreseos, sed tam a Sixto III. quam a Synodo Chalcedonensi Act. 16. accepit fidei suæ præclarissimum testimonium. Romanus enim Pontifex hæc de illo scripsit: *Non se exuli vestro* (idest Nestorio) *frater noster Joannes addiderat, non ejus est blasphema prædicatione deceptus: nam quantum rerum exitus docet, suspendit suam sententiam, non negavit*. Ac Synodus Chalcedonensis: *Sapientissimus Joannes Antiochenus Episcopus, qui hæreticorum maledicta repellens, & Apostolicæ doctrinæ rectissimum dogma declarans totius Orientis confessionem velut ex uno ore sanctissimo Proclo, & ei, qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, destinavit*. V. Reversus Joannes Antiochiam Imperatori ipsum provocanti ad ineundam cum Cyrillo pacem nullis perterritus minis respondit, *Præter illa ipsius Capitula Fidem meam Cyrillo dirigam, quam si suscipiens subscripserit communicabo ei: alioqui pacificus cum eo esse non potero*. Et revera coacta anno 432. Antiochena Synodo Fidem edidit, quam supra diximus delatam ad Cyrillum per Paulum Episcopum Emissenum, & quam ipse Cyrillus appellavit *irreprehensibilem*, affirmans coram universo Alexandrino populo ita de Christo credendum esse, sicut Joannes credebat. Perlata posthac a Paulo Antiochiam Epistola Cyrilli, & exhibita Archiepiscopo, ejusque Concilio, hi *pacem cum eodem Cyrillo, & ejus fecerunt Concilio damnantes Nestorium*; inquit Liberatus Diaconus in Breviario cap. viii. in Conc. Labbei Tom. v. pag. 748. Servavit itaque Joannes Antiochenus cum Orientalibus suis Fidem, quantum ad dogma spectat, incontaminatam, ac puram; apertoque errore deceptus est Ricciolius, qui illum hæreticis accensuit, jure optimo castigatus a Norisio lib. ii. Hist. Pelagianæ cap. ix.

DILUITUR OBJECTIO.

At Joanni Antiocheno, & celebratæ ab ipso Orientalium Synodo jure Pelagianæ ac Nestorianæ hæresis notam affricari, potest primo evinci, quoniam in subscriptione ejusdem Synodi reperitur Julianus Pelagianorum signifer, qui Episcopatu dejectus confugerat ad Asiaticos. Deinde in ea Synodo definitum fuisse, *Adæ animam peccato non esse mortuam*, ut inquit Gregorius Magnus Epistola ad Eulogium. Præterea Episcopos illius Synodi fuisse Nestorianos conjicitur ex impugnatione ab ipsis facta Anathematismorum S. Cyrilli, ex quo Orthodoxæ Synodo Ephesinæ pugnacissime obstiterint, & demum ex Cyrillo, aliisque Orthodoxis, qui non semel Orientales erroris insimula-

mularunt, ut constat ex Apologia ipsius Cyrilli, & ex Epistola Synodica Concilii Ephesini ad Clerum Constantinopolitanum.

Responderut hæc nullius esse momenti: nam ad primum aperte liquet, non Julianum Eclanensem, de quo plura in 2. Volumine, sed Julianum Episcopum Larissæ firmasse Epistolam Synodicam ad Episcopos Provinciarum, una cum aliis Act. Synodi Orientalium, in cujus subscriptione conspirarunt alii. Catholici Episcopi, nulla mentione facta sive Juliani Pelagiani, sive Orontii, sive Flori, sive aliorum Pelagianorum. Extant adhuc Acta illius Pseudo Concilii, & Episcoporum nomina in Collect. Concil. Labbei Tom. 3. pag. 589. & Harduini Tom. 2. pag. 1448. ibique Juliani nomen habetur hoc pacto: Ἰουλιανὸς Λαρίσσης. Ad alterum satisfecit Norisius lib. 2. H. P. cap. 9. demonstrans ex eadem Gregorii Epistola Pelagianum canonem non esse genuinum, sed suppositum, affirmante ibidem Gregorio, *Perscrutantes Ephesinam Synodum, nihil in ea tale invenimus contineri: de Ravennati quoque Ecclesia vetustum valde codicem ejusdem Synodi ad nos deferri fecimus, & ad Synodum, quam habebamus, eum ita concordare invenimus ut in nullo discreparet, & nihil aliud continet in definitione anathematis & reprobationis, nisi quod duodecim Capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobat.* Tertium habet ex dictis manifestam solutionem; nam Cyrillus & magna Synodus Ephesina putabant Orientales probare Nestorianas blasphemias, propterea quod noluerant Synodo interesse, oppugnarunt att. Anathematismos, coegerant in eadem urbe Ephesi Synodum aliam, & Nestorio addictis familiariter utebantur. At id Joannes cum suis fecit deceptus errore facti, nunquam Catholico dogmate labefactato; ut demonstratum est supra.

PROPOSITIO II. Ut de Theodoreto certum proferetur judicium, tempora, ejusque scripta distingui debent.

Explicatur, ac simul probatur propositio. Dum primum erupit hæresis Nestoriana, & etiam circa tempora Ephesini Concilii, atque ante initam pacem Ecclesiarum, Theodoretus saltem Nestorii personæ adhæsit. Id extra omnem controversiam positum est: ac probatur primo, quoniam Theodoretus impugnavit S. Cyrilli anathematismos: scripsit ex civitate Ephesina ad Andream Samosatensem Epistolam, qua gravissime culpat Orthodoxorum Synodum, & Theodosium Augustum; & etiam conqueritur fidem Christi, omnemque Ecclesiam periclitari. Dedit & Epistolam ad Nestorium, in qua scribit inique hunc fuisse damnatum, ipsumque blandis ac lenocinantibus verbis solatur, perpetuam spondens illi amicitiam, & S. Cyrillum tamquam Apollinaristam insectans. Deinde probatur, quoniam Theodoretus tamquam Nestorianus audiit non solum apud Cyrillum, verum etiam apud Marium Mercatorem, Vigilium Papam, Quintam, Sextam, ac Septimam Synodum, Pelagium Secundum, Gregorium Magnum, Maximum Antiochenum, Liberatum Diaconum, & alios, quorum testimonia recitat, doctisque notationibus illustrat Garnerius diss. 3. Auctarii. Accedit argumentum negativum: nam nulla Synodus Œcumenica Theodoreti scripta probavit, nec etiam Chalcedonensis, quæ ipsum faustis acclamationibus recepit: nulla pariter Synodus Catholica dogmata confirmavit depromptis ea Theodoreto testimoniis: nullum denique ætate sua habuit defensorem, qui eorum, quæ scripserat adversus Cyrillum, susciperet patrocinium.

Nec solum Theodoretus Nestorianis patrocinatus est, verum etiam aliquando tradidit illorum dogmata: quod primo ex ejus scriptis ostenditur. In confutatione enim I. Cyrilliani Anathematismi negat Deiparam Virginem revera Deum genuisse, docens genereſſe duntaxat *hominem unitum Deo, qui eum complasmavit*. Oppugnat quoque in Anath. x. unionem *secundum hypostasim*: atque in Pentalogio cap. v. explicat nexum duarum in Christo naturarum exemplo viri, & uxoris, de quibus scriptum est, *Jam non sunt duo, sed una caro*: & quod apertissime Nestorianismum redolet, ait ibidem: *Sine sua persona nefas est asseverare substantiam*. Videatur Garnerius citato loco, & Nat. Alex. Diss. IV. Sæculi VI. Præterea V. Synodus cap. XIII. adversus impia Theodoreti scripta, vulgo *secundum Capitulum* nuncupata, atque in eos, qui scripta illa defendunt, intorsit anathema: neque Synodus hæc præstitit adulatorie, atque ex rescripto Justiniani: sed Collatione V. perlecta fuere ipsa Theodoreti adversus Cyrillum Excerpta, & Epistolæ, quas paullo supra commemoravi, cum alia de morte Cyrilli, de qua infra. Itaque maturo judicio Theodoreti caussa peracta est, & sacrosanctæ Synodi definitio etiam a Vigilio, re diligenter excussa, & a Pelagio, ceterisque successoribus confirmata, plurimi est facienda. Demum qui huic assertioni repugnant, possunt ea memorato canone XII. hac ratiocinatione percelli: Defendit Scripta Theodoreti quisquis affirmat in his nequaquam contineri errorem Nestorii. At qui defendit scripta Theodoreti ab Universali Ecclesia subjicitur anathemati. Igitur subjicitur anathemati, quisquis affirmat in Scriptis Theodoreti minime contineri errorem Nestorii. *Quid ergo fiet Theodoreti quibusdam quasi idololatris?* inquit Garnerius laudata dissert. III. pag. 465.

Resipuit tamen Theodoretus, & magis illucescente veritate, ac errore Nestorii patefacto, impium ejus dogma refellit. Atque id probatur primo, quoniam subscripsit Epistolæ Leonis Magni, in qua Nestoriana hæresis profligatur, & ab ipso Leone in communionem receptus est, declaratus Orthodoxus, atque dignis laudibus cohonestatus. Deinde probatur, quia anno 451. & ipse interfuit Œcumenicæ Synodo Chalcedonensi, a qua receptus ex decreto Leonis, & Marciani, quamvis principio obsisterent Episcopi Ægyptii, Illyriciani, ac Palæstini, suscepit Ephesinum Concilium, & S. Cyrilli Epistolas ad Nestorium, & ad Orientales: subscripsit etiam Act. 5. cum ceteris Episcopis decretis Synodalibus, dixitque anathema iis, qui in duos filios dividunt Dominum nostrum Jesum Christum. Præterea Theodoretus in Epistola ad Dioscorum, aliisque in locis disertissime Catholicam veritatem propugnat, præsertim si consulantur, quæ serius conscripsit & circa annum 447. quo data est laudata ad Dioscorum Epistola num. lxxx. Tandem cum absoluta Synodo Chalcedonensi Caussa Theodoreti VIII. Kal. Novembris discuteretur, & nollent Episcopi audire quam paraverat Apologiam, plena voce exclamavit; *Anathema Nestorio, & eis, qui non dicunt Dei genitricem Virginem Mariam, &c.* Igitur Theodoretus tandem etiam Nestorii personam nominatim anathematizavit, quod Sancti Episcopi jure meritoque mandarunt, etiamsi ille Synodo subscripserat, & probaverat Epistolas S. Cyrilli, propterea quod ad Ecclesiam pertineat non solum hæreses proscribere, & Catholicæ fidei dogmata propugnare, verum etiam Auctores errorum compescere; quia nisi damnaret hæreses, fides Christi labasceret; & nisi hæreticos ipsos percelleret, perpetuo ebullirent schismata ac seditiones.

Denique Theodoretus diu erga S. Cyrillum videtur fuisse animo iniquo, revera existimans hujus anathematismos consentire hæresi Apollinarii, idque etiam post initam cum Joanne Antiocheno concordiam. Constat ex ejus Epistola de morte Cyrilli, de qua vide Lupum cap. 3. dissert. Synodi v. Norisium cap. 7. Pagium ad annum 444. num. 8. & Garnerium 2. p. Op. Mercatoris pag. 274. In hac Epistola dicitur Cyrillus defunctus, *cum majora & pejora pertractaret*, posteaquam prava somniaverat dogmata, & perturbaverat regiam Urbem. Assutam quidem hanc Epistolam, suppositamque plures censent, quibus non dissentit idem Lupus; ea ducti ratione, quod scripta dicatur ad Joannem Antiochenum, quem constat vita functum ante beatum Cyrillum. at Norisius post Petrum Marcam animadvertit non ad Joannem, sed ad Domnum fuisse datam, & pro *Domno* scriptum *Joannem* Antiochenum: cui Norisianæ sententiæ subscribunt Pagius, & Garnerius loco citato. Producit quoque Norisius alteram ad Domnum Epistolam Theodoreti num. 112. in qua Theodoretus ait in duodecim Cyrilli Capitulis latere venenum: cumque hæc Epistola data sit anno 449. optime infert doctissimus Cardinalis potuisse Theodoretum etiam in alia Epistola contumeliis impetere Sanctum Alexandrinum Antistitem vita functum, quem constat obiisse anno 444. Verum, ut supra diximus, Theodoretus anno 451. doctrinam Cyrilli, & Synodum Ephesinam suscepit. Atque ex his explicata est, & comprobata nostra da Fida Theodoreti sententia.

AD EA, QUÆ IN CONTRARIUM OBJICIUNTUR.

Quod nunquam Theodoretus probaverit dogma Nestorianum posset primum ostendi, quia etiam in scriptis & Epistolis, quæ exaravit ante Synodum Ephesinam, confitetur unum esse Dominum nostrum Jesum Christum. II. Quia summis laudibus celebretur a Facundo Hermianensi, & maximam habuit venerationem apud Antiochenos. III. Quia fidei caussa vexationes complures ab Eutychianis perpessus est. IV. Quia undique veritatem Catholicam spirant illius Epistolæ ad Leonem, & ad Dioscorum, nec non libri hæreticarum fabularum.

At hæc nullo pacto assertionem nostram concutiunt. Ad primum dicimus neque Nestorium aliquando negasse unum Dominum nostrum Jesum Christum, unum scilicet honore, dignitate, amicitia, & animi consensione; nec in libris Theodoreti, scriptisque prioribus aliud ad significandam duarum naturarum unitionem reperiri vocabulum, quam unum ex illis etiam a Nestorio usurpatis, ἐνοίκησιν, ἔνδυσιν, ἀνάληψιν, ἐνανθρώπησιν, συνάφειαν, idest, *inhabitationem, indumentum, receptionem, permanentiam in homine, & connexionem*. Ad 2. respondemus non minorem fuisse famam ac celebritatem Theodori Mopsuesteni, (quem tamen constat non fuisse Catholicum) apud cives Antiochenos, & Facundum Hermianensem; atque hunc præsertim pro tribus Capitulis acerrime olim stetisse. Quod sequitur nihil probat, quum e diametro pugnent hæreses Nestorii atque Eutychetis. Hujus generis est quod objicitur postremo loco; nam Theodoretus scripsit ad Dioscorum post annum 447. ad Leonem anno 449. libros vero hæreticarum fabularum anno 452. Nos vero Theodoretum hoc tempore resipuisse minime denegamus.

Vero-

Veronenses Presbyteri, quamquam sententiam Norisii de scripta a Theodoreto Epistola adversus Cyrillum jam demortuum non audeant refellere, imo illam confirment auctoritate Marii Mercatoris commemorantis sermonem, quem adversus Cyrillum vita functum Theodoretus habuit Antiochiæ, in edit. Baluzii pag. 339. attamen aliqua momenta proferunt, quibus videtur infringi. Primum est, quia Norisius ex arbitrio & nullius manuscripti auctoritate nomen Joannis Antiocheni in Domnum commutavit. Alterum, quia Theodoretus post initam cum Cyrillo communionem, ipsius quidem anathematismos repudiabat, sed suam in eumdem Cyrillum observantiam palam professus est, in Epist. præsertim ad Dioscorum, & dialogo 2. in Eraniste. Tertium, quia hæc Epistola neque in Chalcedonensi Synodo, neque e Mario Mercatore nominata fuit. Quartum, quia hæretici alias Theodoreto Epistolas apposuerunt, auctore Leontio Byzantino. Proximum argumentum est, quod auctor Epistolæ suadet illum, ad quem scribit, ut sepulcro Cyrilli imponat lapidem aliquem maximum & gravissimum, ne possit ad vivos remeare; quod Antiocheno Episcopo nullum jus habenti in tumulum Alexandrini nequit competere. Quod autem e Mario Mercatore affirmetur Theodoretum in Ecclesia Antiochena coram Domno Cyrilli beatæ dormitioni insultasse, etiam elevari potest, ex quo id Mercator referat ex Actis Latrocinalis Ephesinæ, in qua plura objecta fuerunt Theodoreto, quæ num ipsius fuerint omnino non liquet: & ex quo ipse Theodoretus epistola 83. narret adscriptum sibi per calumniam habitum Antiochiæ sermonem, quo duos filios dogmatizaverit. Præterea auctor illius sermonis aperte se Nestorianum hominem prodit illis verbis, *Homo generat hominem*; quod incredibile est ausum fuisse Theodoretum. Demum Pagius, qui ad annum Christi 444. pro Norisii sententia acriter dimicavit, magis explorata veritate illam Epistolam supposititiam affirmavit ad annum 553. num. 13.

Resp. ad 1. Norisium non ex arbitrio, sed ratione ductum mutasse in Domni nomen Joannem Antiochenum: cum enim liqueat ex omni Conciliorum collectione Epistolam illam dormitioni S. Cyrilli insultantem haberi in Actis v. Synodi, ibi fuisse lectam, & ex ea, aliisque hæc Synodus confirmarit sententiam Concilii Ephesini adversus Theodoretum; atque ex alia parte inverisimile sit, neminem ex Patribus v. Synodi compertum habuisse, quod Joannes Antiochenus decessisset ante Cyrillum, ideoque neminem hujus Epistolæ deprehendisse suppositionem; sequitur hanc esse fetum Theodoreti genuinum, ac nomen Joannis pro Domno mendose irrepsisse. Deinde etiam Epistola 117. & 140. supponuntur scriptæ una ad Florentium Episcopum, altera ad Asparem Consulem; & tamen licet utriusque inscriptio mentiatur, nemo prudens censet esse repudiandas. Præterea statim post hanc Epistolam recitatum est fragmentum Allocutionis, quam Theodoretus habuit Antiochiæ præsente Domno; ex quo Marca confirmat sententiam suam, quod etiam præcedens Epistola Domno fuerit directa. Ad 2. resp. quod Epistola Theodoreti ad Dioscorum data est anno 447. tribus post obitum Cyrilli annis, cum Theodoretus, ut diximus, incipiebat resipiscere, & de persona Cyrilli servata æquitate loquebatur, etsi improbabat adhuc ejus anathematismos: serius editi fuerunt Dialogi, in quibus aliorum Episcoporum post Cyrillum recitat testimonia; ut nihil dicam interim de variis circa eosdem Dialogos opinionibus. Ad tertium hæc sit responsio: Epistola Theodoreti ad Domnum legitur in Act. v. Synodi: & nos repetimus cum Garnerio in Auct. Theodoreti pag. 130. *Dedit igitur Domno Antiochiæ Episcopo Epistolam, quam ego ipsi malim cum Concilio generali tribuere, quam vel abjudicare cum Baronio, vel cum aliis vanas ob caussas suspectam habere.* At Mercator non omnes prorsus Epistolas Theodoreti collegit: ac præterea si hujus auctoritatem, ut æquum est, recipere volumus; cur non fateamur Theodoretum in publica concione oblocutum Cyrillo, quod tam aperte affirmat Mercator? cur tantum virum deceptum opinemur actis Synodi Latrocinalis Ephesinæ? In Chalcedonensi autem Synodo, postquam Theodoretus dixit anathema Nestorio, caussa ipsius absoluta est; neque ejus accusationes, neque ejus Apologia lectæ fuerunt.

Respondeo ad 4. detur hæreticos Epistolas plures supposuisse Theodoreto, ut inquit Leontius; num supposuerunt & istam, quam illi tribuunt cum v. Œcumenica Synodo omnes fere docti, si fides habenda est Garnerio in notis ad hanc Epist. pag. Auctarii 99.? Unde autem supposuisse probantur? An quia exiliter, & impudenter dicta continet? Scripta est anno 444. statim post Cyrilli obitum; & scripta ab homine, qui diu bilem intime compresserat, scripta etiam ad Antiochenum familiari sibi amicitia conjunctum. An Epistolæ Auctor objicit Cyrillo aliquid, quod alibi Theodoretus non carpat? Nec quidem: nihil aliud dogmatis Cyrillo objicitur, nisi quod Deum passum dicat, & divinitatem faciat mortalem; id scilicet, quod millies Theodoretus objectaverat. Sed de quarto argumento satis. Quod proximo loco objicitur, movit doctissimum Marca, ut suspicaretur Epistolam Theodoreti agere non de Cyrillo, sed de aliquo Episcopo subdito Patriarchæ Antiocheno: quod animadvertit etiam Baluzius. Vide postremam Collect. Venetam Tom. vi. pag. 127. At quis non videt Theodoretum, dum hortatur Domnum, ut Cyrilli tumulo prægrande saxum imponat, imitari jocularem orationem Luciani in Dialogis de Mortuis, præsertim in Cataplo, ubi accusante Cynisco similis pœna statuitur Megapenthi; cui fortassis versatus & eruditus Cyrensis tacite comparat Cyrillum, a nonnullis, ut apud Lucianum Megapenthes, de tyrannide & patrata cæde accusatum?

Ea vero quæ opponuntur adversus concionem a Theodoreto habitam Antiochiæ, videntur evincere oppositum. Si enim Mercator affirmate & absque ulla dubitatione tribuit illam Theodoreto, qua ratione in Latrocinali Ephesina ab illius æmulis apposita fingitur? cur, dum ipsius concionis fragmentum recitatum est in v. Synodo, nullus Orientalium, qui aderant, & impense Theodoreto patrocinabantur, respondit hæc supposita esse, & nunquam illum talia aut scripsisse, aut recitasse? Dum ergo quidam Mercatoris testimonium elevant, plenariæ Synodo impingunt notam ignorationis, turpisque oscitantiæ. At inquiunt, ipsemet Theodoretus in Epist. 83. quæ est sua ad Dioscorum Apologia, ait sermonem illum sibi per calumniam adscribi. Id ne ait Theodoretus? Minime: recitatam a se Concionem non negat; negat quod in ea Concione Christum diviserit in duos filios, quod perperam negabant omnes Nestoriani: & consequenter ex hac Epistola probatur concionis γνησιότης. Insistunt: At Nestorianum se prodiit hujusce sermonis auctor. Quid inde vero? Sermo habitus est prope finem anni 444. quando Theodoretus adhuc cum Nestorianis sentiebat. Reponunt: Id nequaquam tolerasset Domnus, & populus Antiochenus: numquid enim erant omnes Nestoriani? Dicimus nec tolerasse; ea enim concione habita, constat Theodoretum fuisse apud Imperatorem accusatum tanquam hæreticum Nestorianum, & reum seditionis, atque impietatis: quod narrat Theodoretus ipse Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum. Sed vide Historiam Theodoreti in Auct. pag. 131. & notas in Epist. 83. pag. 221. Quid de eruditissimo Pagio? Is ad an. 553. num. 13. ait, Epistolam, quæ legitur in Actis v. Synodi esse suppositam, *ut recte*, inquit, *vidit Baronius, & suo loco ostendimus*. At Pagius ostenderat oppositum ad annum 444. num. 8. nec demonstrant hæc verba, magis illum explorasse veritatem, sed ob immensam rerum copiam, quæ obversabantur amplissimæ illius menti, ad ea quæ scripserat non attendisse; aut saltem suppositam appellasse eamdem Epistolam, non quantum ad ejus auctorem, sed quantum ad inscriptionem Joannis Antiocheni.

CAPUT XVII.

An recte tria Capitula tanquam Nestoriana fuerint proscripta?

RECEPTO in Ecclesiæ communionem Theodoreto in Synodo Chalcedonensi, ut diximus supra, Origenistæ auctore Theodoro Cæsareæ in Cappadocia Antistite, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem gesta fuerant, curarunt novas excitare turbas impellendo Justinianum Imperatorem ad damnationem trium Capitulorum, ut prædictæ Synodi Chalcedonensis elevarent auctoritatem. Moverunt autem piissimum Imperatorem fraude, ac prætextu comprimendi sectam Acephalorum, eosque ad Ecclesiæ communionem adducendi, qui ab Alexandrino Episcopo quod recepisset Chalcedonensem Synodum rebellarant, *Acephali* ideo appellati, quia sine Capite dogmatizabant. Sunt autem tria Capitula, Theodoreti scripta contra XII. Anathematismos Cyrilli, Ibæ Edesseni Archiepiscopi Epistola ad Marim Persam, & Theodori Mopsuesteni, quem supra diximus Nestorii magistrum, scripta, quæ *Judaicæ Nugæ, ac maledicta* appellantur. Horum autem Capitulorum disquisitio, quamvis multo post damnatam Nestorii hæresim tempore fuerit discussa, hoc a nobis loco instituitur propter maximam, quam habet cum ipsa Nestoriana hæresi, affinitatem. Itaque adversus tria Capitula Justinianus Edictum promulgavit anno juxta Baronium 546. juxta Garnerium 545. juxta Norisium vero anno 543. aut initio sequentis. Norisio subscribendum est, cum Imperatoris Edictum rescripto firmaverit Ephremius Antiochenus, qui e vivis decessit anno 544. Vide Norisium de v. Synodo c. 3. Pagium ad an. 546. & defensionem dissertationis Norisianæ editam a Ballerinis Tom. IV. pag. 1002.

Divisa est ob Imperatoris edictum in partes Ecclesia; nam illud Orientales receperunt, at Occidentales steterunt pro tribus Capitulis, rati horum damnatione detrahi Synodum Chalcedonensem, ejusque fidem imminui. Vigilius adversus tria Capitula *Judicatum* edidit anno 549. atque illud misit ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, contestatus se tria Capitula condemnare

I *salva*

salva Synodo Chalcedonensi, & existimans hac ratione satisfactum iri utrique parti, Orientalium, quod tria Capitula proscripsisset; Occidentalium, quod nullatenus Chalcedonensis Synodi minueretur auctoritas. At adversus Vigilii *Judicatum* steterunt quamplurimi, præsertim Facundus Episcopus Hermianensis, cujus extant pro defensione trium Capitulorum libri XII. ad Justinianum Imperatorem. Justinianus, qui anno 546. Synodum indixerat, quam ob caussam Vigilius perrexerat Constantinopolim, videns rem longius protrahi, nam absque Occidentalium Episcoporum interventu noluerat Pontifex sententiam Synodaliter pronuntiari, atque ex alia parte ob Vigilii Judicatum dissidiis percrebrescentibus, sollicitatus a Theodoro Cappadoce tria Capitula condemnavit affixo edicto in Placidiana domo, & Episcopis omnibus tum Græcis, cum Latinis evocatis. In hoc Edicto asseritur Theodori nomen deletum e sacris Ecclesiæ Mopsuestenæ diptychis; quod compertum fuerat in Synodo Mopsuestena celebrata anno 550. ideoque edictum istud diversum est ab eo, quod promulgatum diximus anno 544., aut sub finem præcedentis, atque editum est anno 551.

Vigilius perspiciens Theodorum Cappadocem omnia moliri, atque his violentiis detineri Occidentales ne convenirent Byzantium, acerrime Edicto restitit, suspensis ab Apostolicæ Sedis communione iis, qui Edictis Justinianeis præberent assensum: in Theodorum ac Mennam sententiam dixit habito congressu Italorum Episcoporum: quam tamen paci consulens minime duxit publicandam: fugitque eodem anno 551. Chalcedonem, non ut Baronius scripsit, anno elapso. Justinianus proximo anno 552. videns nihil firmari posse Romano Pontifice reluctante, eumdem per Legatos convenit, ut publica accepta fide rediret Constantinopolim: sed renuit Pontifex rerum circumstantiis inspectis. Proximo anno 553. rogatus ab Eutychio Patriarcha Constantinopolitano, ab Apollinari Alexandrino, Domno Antiocheno, & Elia Thessalonicensi, ut Concilium tandem celebraret, & trium Capitulorum caussam definiret, collaudata ipsorum fide, annuit, ut *facto regulari conventu*, *& servata æquitate* eadem caussa discuteretur. Consentiente itaque Vigilio celebrata est v. Synodus generalis prædicto anno 553. cui tamen ob parvum numerum Episcoporum Occidentalium ipse Vigilius minime interfuit. In Collatione IV. habita die 12. Maji, & in v. habita die 17. ejusdem mensis, ut demonstrant Baluzius, & Pagius, lecta fuere scripta adversus Theodorum, ac Theodoretum, & Collat. VI. habita die Maji 19. discussum est Capitulum III. scilicet Ibæ Epistola. Collatione VIII. habita die 2. Junii, aut 4. ut contendit Basnagius, Capitula fuerunt damnata.

Ediderat Vigilius Papa *Constitutum*, quo Synodi acta exauctoraverat, propterea quod non expectatis Occidentalibus Synodus coacta esset ex majori numero Græcorum Patrum, nec subeundum esset novum examen Theodoro, Theodorito atque Ibæ; quorum ille in pace Ecclesiæ obierat, licet pessima dogmata aliquando asseruerat; hi autem, scilicet Theodoretus & Ibas a Synodo Chalcedonensi fuerant absoluti, ac dignitate pristina decorati. At *Constitutum* Vigilii in Synodo, quicquid caussæ fuerit, lectum non esse demonstrant adversus Baronium Petrus de Marca in dissert. de Vigilii decreto pro Confirmat. v. Synodi, & Pagius ad annum 553. num. XV. Ceterum Vigilius, qui in *Judicato* primum tria Capitula condemnaverat, postmodum Theodori fraude detecta diu hæsitaverat, & Synodum etiam illius artificio solicitè, nec datis induciis coactam prædicto *Constituto* abrogaverat; eamdem Synodum approbavit vel eodem anno 553. ut scribit Norisius in dissert. de v. Synodo Cap. 8. vel proximo anno 554. ut ex altero *Constituto* Vigilii edito pro damnatione trium Capitulorum affirmat Pagius in hunc annum num. 4. Eamdem Synodum v. confirmarunt alii Romani Pontifices, ut dicam infra. Ex his liquet Controversiam de Trium Capitulorum damnatione amplissimam esse, & plurimarum rerum contingentia, ac difficultate gravissimam. Legi de ea poterunt Norisius & Lupus in Dissert. de v. Synodo, Nat. Alex. dissert. IV. in VI. sæcul. Facundus Hermian. cum notis Sirmondi, Garnerius dissert. 4. de v. Synodo in Auctario Theodoreti, Pagius in not. ad annos supracitatos, & Pagius alter in Vigilio, prælaudata defensio dissertationis Norisianæ, & Notæ Variorum ad sect. 103. Anastasii Tom. 3. pag. 278. & sequentibus. Nos proxima thesi ea comprehendere curabimus, quæ quæstionem hanc dirimant, & quæ eidem conglomerantur sufficienter explanent.

PROPOSITIO. Fuerunt tria Capitula merito, ac jure damnata a v. Generali Concilio tamquam Nestoriana.

Ejusdem Concilii definitione, fide testium omni exceptione majorum, atque ex ipsa trium Capitulorum doctrina hæc propositio firmatur. Ac prior argumentatio sit: Extra omnem controversiam positum est Synodum v. post accuratam trium Capitulorum discussionem eadem in octavo consessu damnavisse, Canone enim XII. intortum est anathema in eos, qui defendunt *impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum*. Canone XIII. in eos, qui defendunt *impia Theodoriti conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Ephesinam sanctam Synodum & sanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula exposuit*. Canone demum XIV. in eos, qui defendunt *Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat Deum Verbum de sancta Dei Genitrice semper Virgine incarnatum, & hominem factum esse, dicit autem purum hominem ex ipsa natum, quem Templum vocat*. Atque hæc sunt tria Capitula Nestorianam; ut liquet, hæresim continentia: ideoque nonnisi v. Generalis Synodi sententia sprera possunt propugnari. Neque vero audiendi sunt, qui reponunt Quintam Synodum toleratam potius esse, quam approbatam. Enimvero constat Vigilium Papam re maturius discussa, Epistola decretali data ipsomet anno post Cons. Basilii 12. idest 553. quæ extat Tom. VI. postremæ Collect. Concil. pag. 239. rescissis actis omnibus, quibus v. Synodum exauctoraverat, & *Constituto* abrogato, trium Capitulorum damnationem confirmasse; ut demonstrat cap. VIII. illustris Norisius: cui duo addimus, Liberati scilicet Breviarium cap. 23. ubi recitantur hæc Vigilii verba: *Anathematizamus Paulum Samosatenum, Dioscorum, Theodorum, Theodoretum, & omnes, qui eorum statuta coluerunt, vel colunt*, eodem Volum. Conc. pag. 456., necnon *Constitutum* Vigilii erutum a Baluzio e vetusto Codice Biblioth. Colbertinæ, in quo num. 28. legitur: *Prædicta igitur tria impia Capitula anathematizamus atque damnamus, idest, Epistolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam, in qua nefandæ superius designatæ blasphemiæ continentur, & impium Theodorum Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impie Theodoretus conscripsit &c.* Vide cit. Volum. pag. 310. Datum est autem hoc Vigilii *Constitutum* VII. Kalendarum Martiarum anno 13. post Consulatum Basilii, idest, anno 554. & germanum, & genuinum esse, neque a stilo Vigilii dissentire consentiunt Eruditi cum Pagio ad hunc annum num. 4. Quare nullus jam ambigit, quin Vigilius approbaverit Quintam Synodum, ac proscripserit tria Capitula. Extat eodem Volumine pag. 259. liber Pelagii II. sive Epistola ad Eliam Aquilejensem, & ad Istriæ Episcopos, qui consentire renuebant trium Capitulorum damnationi: in qua Pelagii Epistola non solum tria Capitula anathematizantur, verum etiam v. Synodi collationes in Epitomen rediguntur, atque ex testibus, scriptisque ipsorum refutantur Theodorus, Theodoritus, & Ibas. Et ne alia producam, S. Gregorius Magnus pluribus in Epistolis Quintam Synodum approbavit, præsertim 36. lib. 2. in qua etiam laudat præcitatum Pelagii librum; & Ep. 24. lib. 1. ubi ait: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: & Theodorus personam Mediatoris Dei, & hominum in duabus subsistentiis separans ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur*. Atque his non tantum ostenditur justa trium Capitulorum damnatio, sed etiam Quintæ Synodi asseritur auctoritas.

Alterum argumentum est hujusmodi. De Theodoro Mopsuesteno scribit Proclus Constantinopolitanus laudatus in libro Pelagii, & in Epistola ad Joannem Antiochenum, persuasisse illum Nestorio, *quod filius Dei vivi, qui de Sancta Virgine Maria natus est, non est qui ex Patre natus est Deus Verbum*. Cyrillus Alex. in Epistola ad Lamponem Presbyterum appellat eumdem Theodorum *patrem Nestorii*. Habuisse *consonantem Nestorii perfidiis intellectum*, scribit in Epistola ad eumdem Cyrillum Rabula Edessenæ Ecclesiæ Antistes, ubi asserit Theodorum primum omnium affirmavisse, *non esse vere Dei genitricem sanctam Virginem, tamquam Deo Verbo non suscipiente secundum nos nativitatem*. Hesychius Hierosolymitanus in Eccles. H. ait Theodorum senectute jam cana debilitatum librum scripsisse adversus Domini apparitionem: quo in libro tradebatur, *hunc non incarnatum Verbum, sed hominem per vitæ provectionem, & passionum perfectionem conjunctum Deo Verbo*. Plura aliorum judicia extant Collat. 5. Synodi quintæ. Eumdem Theodorum expunctum e sacris Mopsuestenæ Ecclesiæ diptychis constat ex Synodo Mopsuestena celebrata anno 550. cui præsedit Joannes Episcopus Anazarbi, seu Justinopolis. In hac enim Synodo die 17. Junii recognita fuerunt diptycha, nec adinventum in iis Theodori nomen: immo Martyrius presbyterorum provectissimus, qui a 60. annis in Ecclesiæ Mopsuestenæ Clero militabat, sacramento testatus est, nunquam inter Episcopos in diptychis enumeratos nomen se Theodori audivisse; ideoque jam ab anno 490. Theodorus e sacris diptychis fuerat expunctus. Idem Theodorus numeratus inter Nestorianos in legibus Theodosii & Valentiniani recitatis eadem collat. 5. & denique ipse Facundus Herm. in conventu Constantinopolitano, apud Lupum dissert. de v. Synodo cap. 4. simpliciter testatus est, se a contradicentium communione subtraxisse, non propter Theodorum, sed propter Theodoretum, & Ibam. Immo lib. 2. cap. 2. scribit, adjecta tamen particula *ut ajunt*, Theodorum magistrum quidem Nestorii fuisse, majore

autem

eutem quam ille impietate blasphemasse. De Theodoreto actum capite præcedenti. Ibam veru non solum Clerici Edesseni & Monachi, sed & primates, & elari militia non semel accusarunt, quod Theodori scripta omni plena impietate transtulisset lingua Syrorum, & ubique disseminasset, ut constat ex Collat. vi. Coucilii v. pag. 133. *In Constituto* eutem Vigilii num. 2. pag. 285. apertissime demonstratur ipsum Ibam in Synodo Chalcedonensi Act. 9. denegasse suam esse Epistolam ad Marim Persam, affirmando se in secundi Ephesini Concilii nefariis gestis injustitiam ab Eutychete fuisse perpessum *ob falsa figmenta*: unde eit Vigilius, quod si apud Judices ab Ibe editam doceri potuisset Epistolam, aut ab Adversariis comprobatum esset quia ejusdem Ibæ fuerit, aut ipse Ibas, quia ejus fuerit, fuisset confessus, *nunquam eorum sententia Ibas meruisset absolvi*. Ex quibus adverte, quem prudenter quinta Synodus, Romanique Pontifices rejecerint Epistolam, *quam dicitur Ibas scripsisse*, quum non sit penitus exploratum Ibam ipsius Epistolæ fuisse auctorem. Ea tamen ejusdem Ibæ aut vera, aut falsa excusatione liquet esse impiam, hæreticam, Nestorianam. Tertio probatur æqua trium Capitulorum damnatio ex illorum doctrina. Theodorus enim in Symbolo recitato Collat. 4. v. Synodi pag. 64. docet ideo non dici duos filios, quoniem Christus cum Deo Verbo hebet *conjunctionem, & communionem honoris*, item *nominationem filii & Domini*, aperte denegata substantiali unione. Lib. vi. in Joannem scribit Dei nomen Christo non convenire, nisi quatenus est *Templum Dei Verbi assumptum pro salute hominis*. In Evangelium Lucæ ait, Christum dici filium dilectum, *solum per adoptionem in Baptismate, secundum comparationem Judeicæ adoptionis, nam & ad illos dictum est, Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes*. In III. libro contra Apollinarium inquit: *Non existimandum est Deum de Virgine natum esse, &c.* Plura in citata Collat. v. collecta partim a Monachis Armeniæ, partim vero a Benigno Episcopo Heracleæ Pelagoniæ. In Epistola Ibæ, ne repetamus quæ supra de Theodoreto dicte sunt, de Theodoro Mopsuesteno legitur, *Beatus Theodorus prædicator veritatis, & doctor Ecclesiæ*: de Cyrillo autem, *Cyrillus lubricavit & inventus est cecidisse in dogma Apollinarii*: & hæc profertur ratio, *quia non ponit differentiam inter templum, & habitantem in eo*. Ephesini quoque Petres dicuntur ab eodem Cyrillo *veneno obcæcante* seducti. Epistola itaque ad Merim Persam eb Iba, ut fertur, conscripte scatet hæresi Nestoriana, atque in Cyrillum & sanctam Ephesinam Synodum atrocissimis injuriis. Ex doctrina itaque trium Capitulorum, ex testibus fide dignissimis, & ex Quintæ Synodi auctoritate satis compertum etque exploratum est, tria Capitula servato æquitatis jure fuisse damnata.

OBJECTIONUM ENODATIO.

Prima objectio in trium Capitulorum defensionem potest hac ratione compingi. Damnatio trium Capitulorum facta est abrupte, inconsiderate, imprudenter, nec illam cohonestare potest Synodi v. sententia. Principio enim, ut diximus, tria Capitula demnevit Justinianus impellente Theodoro Cappadoce homine Origenista, & dissidiorum, quæ Græcam Latinamque Ecclesiam vexarunt, auctore. At demnatio a sæculari Principe, & illegitimo Ecclesiasticorum dogmatum judice prolata heberi nequit rata & firmissima, dolo maxime hominum improborum extorta. Quinte autem Synodus eodem Imperatore jubente coacte est, Vigilio Romanæ Ecclesiæ Pastore refragente & invito: qui & adversum ipsam Synodum edidit Constitutum quælibet ejus acta exauctorando. Si posterioris ævi Pontifices, ut Pelagius II. ac Magnus Gregorius quintam Synodum approbarunt, nec viderunt Constitutum Vigilii, nec deprehenderunt adversariorum fraudem, qui Vigilii Synodicam Epistolam, qua trie Capitula proscribuntur, licet supposititiem ee spuriam, temere actis Synodi inseruerunt. Atque ita Vigilii successores errore facti comprobarunt trium Capitulorum damnetionem supposita decretali Vigilii: qua in re nullatenus Romani Pontificis derogatur euctoritati, quoniam gravissime de tribus Capitulis controversie non spectat *dogma* Nestorianum, jem profligatum etque proscriptum, sed *facti* quæstionem de Theodoriti, Ibæ, & Theodori personis aut damnandis, aut absolvendis: atque in quæstionibus istiusmodi potest Romanus quoque Pontifex induci in errorem.

Vigilium quidem non approbasse quintem Synodum, & spuriam esse præcitatam Epistolam validis ergumentis demonstrat eruditus Garnerius in Auct. Theod. differt. 4. pag. 535. Sunt autem quæ sequuntur. Primum in hac Epistola testetur Vigilius se diaboli dolo impulsum multa loquendo & scribendo differuisse, ec subtraxisse se a fratrum communione: quæ Vigilii integritatem, animique constantiam plurimum dedecent. Ad hæc eit tunc factam pacem Ecclesiarum; quod liquet esse falsissimum. Deinde eum Vigilius paullo ante ediderit edversus v. Synodum *Constitutum*, hoc rescindendo levissimi animi, nimiæque in mutanda sententia facilitatis præbuisset indicia. Præterea ait sequutum e se exemplum Augustini, qui propria scripta retractavit: cum non sit instituende inter Ecclesiæ Caput, privatumque doctorem comparatio. Accedit, quod Justinianus Sacra data Chalcedone pridie Idus Julias anno 553. jussit Vigilii nomen e sacris deleri diptychis, eumdemque Vigilium quinquennio detinuit exilio, ad annum scilicet 558. ut scribunt Halloixius, Sirmondus, Lupus apud Norisium cap. 8. Inficiatur quidem ipse Norisius Vigilii exilium: at Pagius ad annum 553. num. 23. demonstrat oppositum, cum ex Liberato, qui in fine Breviarii eit depositos, & in exilium missos quintæ Synodo *non consentientes*, capite autem 22. scribit Vigilium ab hæresi fuisse *afflictum*: tum ex præcitata Justiniani Sacra, qua Patribus Concilii præcepit, ut e diptychis Vigilium dispungerent. Atque ex his liquet nunquam Vigilium quintam Synodum epprobasse.

Resp. minime nos propugnare justam trium Capitulorum proscriptionem ob Justiniani Imperatoris edicta, quæ tamen excusat ex parte optima reducendi ad communionem Acephalos intentio, damnat tamen usurpata convocandi Synodum invito Pontifice jurisdictio, & inhumana erga Vigilium, sæve, & violenta tyrannis: sed illam proscriptionem defendimus ob Synodi quintæ auctoritatem, firmissimumque Apostolicæ Sedis judicium. Laudatæ Synodi celebrationem factam Vigilio refragante legitimam non fuisse fatemur: post Romanorum Pontificum approbationem, non esse recipiendam negamus. Falsum est caussam trium Capitulorum inconsiderate ac tumultuarie peractam. Perlecta enim fuerunt innumera Scriptorum Theodori fragmenta, producta testimonia, revisa præcedentium Conciliorum acta, & habita rerum omnium accurata inquisitio. Garnerius ipse differt. 3. de fide Theodoreti p. 465. acerrime illos redarguit qui efferunt canones, sive trium Capitulorum anathematismos eut edulatorie ex Justiniani scripto desumptos, ent temere conditos causa non ettente discusse. Ac sufficit, ut id perspiciatur, oculos in Codicem memoratæ Synodi conjicere. Cur Vigilius *Constitutum* pro tribus Capitulis emiserit, & in varias sententias visus fuerit distractus, docet in Epist. ad Episcopos Istriæ Pelegius II. pag. 665. quoniam scilicet, *Latini homines & græcitatis ignari errorem tarde cognoverunt*: unde Pelagius infert tanto eis celerius esse credendum, *quanto eorum constantia, quousque verum cognosceretur, a certamine non quievit*. Loquitur autem de Vigilio, eique adhærentibus Episcopis, quorum exemplum ad pervicaciam propriam excusendem Antistites Istriæ afferebant. Nihil præteree in Vigilio invenitur, quod honestum non sit, opportunum, ac prudentissimum. Dum *Judicatum* edidit, proscripsit cum tribus Capitulis Nestoriana dogmata salvo jure Synodi Chalcedonensis. Quid magis directum & consonum æquitati? Si emisit *Constitutum*, per id temporis pactis conditionibus non servatis celebrebatur Synodus, fovebantur inter Græcos, Latinosque dissidia; cumque sæpenumero ad Ecclesiarum pacem conducat, si proscriptis hæresibus humaniter agatur cum auctoribus, præsertim vite functis in fidelium communione, ægre ferentibus permultis damnari Theodorum, qui obierat in pace Ecclesiarum, & Theodoritum & Ibem a Synodo Chalcedonensi absolutos; sperabat Vigilius eo *Constituto* tumultus compescere, præscribens ut jem damnato Nestorianismo nihil innovaretur. Postquam vero Vigilii *Constitutum* hæc non produxit, & Theodoriti ac Theodori nomen in dies audaciores reddebet Origenistas, Nestorianos, atque Schismaticos, necessum fuit tria Capitula proscribere, quod fecit laudata Epistola Synodice; & etiam Synodum epprobare, quod præstitit altero *Constituto*, proximo anno 554. Nec unquam in dogmete Vigilius e seipso dissensit; nam tria Capitula jem damnaverat in *Judicato* anno 548. *Constitutum* vero, quo exauctorabat acte v. Synodi editum œconomiæ causa, & pacis consilio, nec facta damnatione Synodali trium Capitulorum, provide prudenterque rescidit. Ipsum autem *Constitutum* neque in Synodo lectum & discussum fuit, neque tria Capitula judicio peremptorio ac definito damnebat, ut demonstrat vir doctissimus Joseph Augustinus Orsi lib. I. de Rom. Pontif. Auct. cap. xx. art. 2. & 3. in eo quippe de personis tantummodo actitatum est, neque aliquid sub enathematis pœna propositum. Quod vero scribit Halloixius, hoc *Constitutum* ignotum fuisse Pelagio II. falsum evincitur ex hujus responsione ad Episcopos Istriæ superius citata, & pluribus refutatur a Norisio de v. Synodo cap. IX. §. 4.

Approbatam v. Synodum a Vigilio non solum constat ex Synodica ejus epistola eruta enno 1276. e vetusto Codice Vaticano a Leone Cinommo, sed etiam ex *Constituto* edito a Baluzio, de quo supra, ex Epistola Pelagii II., & ex antiquorum omnium consensu; unde concedi posset spuriam esse præcitatem Epistolam, neque hinc aliquid adversum v. Synodum concluderetur. At quoniam nihil probant Garnerii conjecturæ, brevi illas refellam. Principio falsum est scripsisse Vigilium se a diabolo fuisse impulsum; quum elerat tantum suadente humani generis

inimico plures propositum suum implere studuisse, etiam nomine ipsius Vigilii: unde coactus fuerat multa loquendo, & scribendo differere. Vide cit. Tom. VI. Conc. pag. 639. Deinde asserendo pacem tunc esse factam, nihil falsi narravit; non quod rediissent ad communionem cum Orientalibus Episcopi Illyrici, & Africæ, ut sentit Natalis Alexander in Synopsi H. Ec. Sæc. VI. art. 9. constat enim diu schismata viguisse, sed quia in v. Synodo *communi, & generali anathemate rejecti sunt Origenes, & Theodorus Mopsuestiæ Episcopus*, ut inquit Cyrillus Scythopolitanus in Vita S. Sabæ, citatus Act. 1. septimæ Synodi: quo in loco Cyrillus etiam asserit *quatuor Patriarchas* concordi animo damnationem hanc approbasse. Ad tertium dicimus *Constitutum* Vigilii, si spectentur rerum circumstantiæ, non esse levis animi argumentum, sed prudentissimam vigilantissimi Pastoris curantis pacem Ecclesiarum œconomiam, ac simul Sedis Apostolicæ adversus illos, qui absque illius auctoritate œcumenicam Synodum congregant, æquissimam protestationem, ut dictum supra. Quod sequitur nimium est futile; quoniam retractare *Constitutum*, in quo diximus latam non esse peremptoriam sententiam, & in hoc imitari beatissimum Augustinum, non infringit Apostolicæ Cathedræ firmitatem, sed commonstrat Vigilii humilitatem, sapientiam, ac sedulam veritatis perquisitionem: quamquam facta mentione Augustinensium retractationum, hæc de se Vigilius proloquitur gravi ac Pontifice digna oratione: *Nos quoque similiter illis exemplis incitati, in controversia trium Capitulorum supra memoratorum nunquam destitimus, quin investigaremus quid de prædictis capitulis in Patrum nostrorum literis verius inveniri posset*; quibus verbis constat exemplum Augustini ad significandam potius assiduam rerum inspectionem, quam pristinæ revocationem sententiæ, fuisse a Vigilio productum.

De *Sacra* Justiniani data pridie Idus Julias Chalcedone, ac de nomine Vigilii deleto e sacris diptychis, ejusque exilio, non conveniunt eruditi. Baluzius, qui Justiniani literas septimæ Collationi inseruit, eas enim adinvenit una cum Præfatione Constantini Quæstoris habita in eadem Collatione, in qua Imperatoris jussu literæ Patribus exhibitæ, & lectæ fuerunt, necnon Pagius ad annum 553. genuinas agnoscunt; & idcirco idem Pagius recedit a sententia Norisii negantis Vigilium deportatum fuisse in exilium. At argumenta plura evincunt *Sacram* illam Justinianeam esse adulterinam ac spuriam; atque illud in primis, quod legi non potuit Constantinopoli VII. Kal. Junias Epistola data pridie Idus Julias ejusdem anni Chalcedone, nec ejusdem Epistolæ mentio fiat in Collatione VIII. ubi singula præcedentia Acta commemorantur, neque in ulla Conciliorum editione ante Baluzium, neque in aliquo vetusto Codice; quod in ea denique falsum narretur, Vigilium scilicet trium Capitulorum defensores a sua communione repellere, quod nec Justinianus Synodo significasset, cum id obstaret potius, quam conferret eorumdem Capitulorum tanta anxietate animi quæsitæ condemnationi: de qua re legi poterit Defensio dissert. Norisianæ c. 6. & P. Orsi cit. Capit. XX. art. 3. Atque ita persistit sententia Norisii improbantis exilium Vigilii, nam Liberatus in fine Breviarii, ubi de exilio loquitur, Vigilii non meminit, afflictumque a Justiniano ante absolutam quintam Synodum nullus negat. Verum quicquid sit de Justiniani *Sacra*, & de exilio Vigilii, omni procul dubio Justinianus anno 554. erat animo erga Vigilium amico, ut probat ex sanctione ejusdem Imperatoris recitata post Novellas eximius Noris: ideoque Vigilius anno 554. Synodum confirmaverat: quod ad præsens sufficit institutum.

Dices: At damnationi trium Capitulorum, tametsi in quinta Synodo peracta sit, possumus refragari. Primo quia hæc quæstio non circa dogma versatur, sed circa factum; in quo etiam Generalis Synodus, & Summus Pontifex errare potest. Scribit enim lib. 2. Ep. 36. Greg. Magnus, in v. Synodo *nihil actitatum de fide, sed de Capitulis quibusdam extra fidem, ac de personis tantum*. Deinde idem Gregorius in literis ad Constantium Episcopum Mediolanensem, qui reducere conabatur ad communionem Ecclesiæ reginam Theodelindam seductam a trium Capitulorum propugnatoribus, inquit *recte factum*, quod Constantius ad Reginam non transmiserit Gregorii Epistolam, *pro eo quod quinta Synodus in ea nominabatur*, cum inde Theodelinda *potuisset scandalizari*: unde aliam idem Gregorius Epistolam misit, in qua solummodo quatuor Synodi laudabantur. Censuit ergo Gregorius dissimulandum esse, si quis nolit Quintam Synodum, ac trium Capitulorum damnationem recipere. Præterea non solum Istriæ Episcopi, verum etiam Ecclesiæ Hispaniarum, quæ servabant cum aliis Ecclesiis communionem, diu Quintam Synodum repudiarunt; quod propterea etiamnum videtur tolerandum.

Resp. Hanc de tribus Capitulis quæstionem non esse de Catholico dogmate, quatenus non pertractet absolute de fide Incarnationis, aut de hæresi Nestoriana, jam profligata, & proscripta; sed esse de *facto dogmatico*, in quantum versatur circa libros scatentes eadem hæresi, & circa personas ipsius hæreseos disseminatrices. Ac in *factis dogmaticis* Apostolicæ Sedis judicium esse inconcussum, peremptorium, irreformabile ostendimus ex hac quoque trium Capitulorum discussione postremo Capite de H. Janseniana. Postquam ergo latam a v. Synodo sententiam firmavit Vigilius, ei cuilibet fidelium erat accedendum, nec ulli contraire fas erat. Quoniam tamen, si Ecclesiæ omnes impium dogma refellant, non adducitur in magnum discrimen fides orthodoxa; ideo Vigilius principio obstiterat trium Capitulorum damnationi; eaque proscripsit, ubi compertum habuit posse ex illorum pervicaci defensione recisa errorum portenta iterum germinare. Ob eamdem causam ajebat Magnus Gregorius in v. Synodo non actitatum de fide, & *dispensative*, atque ad tempus permisit ne reginæ Longobardorum Theodelindæ, quam alias constabat piissimam esse & catholicam, v. Synodus commendaretur. Idem cum Hispanis servatum est, causa œconomiæ, & prudenti dispensatione: nam si v. Synodum repellendo tentassent instaurare damnatas hæreses, debuissent ad illam recipiendam Ecclesiasticis censuris compelli. Ceterum Gregorius testatur, se Quintum pariter Concilium venerari; atque illud tanto certioris est auctoritatis, quanto post diuturnam Schismaticorum repugnantiam annitentibus summis Pontificibus, & omnibus, quæ objiciebantur, discussis, compertum est a Vigilio firmatum, & ubique terrarum receptum est: quod non diffitetur Garnerius Dissert. 3. de fide Theodoriti pag. 465.

Secunda argumentatio erit in defensionem Theodori Mopsuesteni, ac primi Capituli. Et primo proferri possunt complurium in laudem Theodori testimonia, præsertim Joannis Antiocheni in Epist. ad Nestorium, Facundi Hermianensis in trium Capitulorum defensione, & Isidori Hispalensis de Viris illustribus.

At ad hæc respondet Summus Pontifex Pelagius II. *Plus Synodo prima Ephesina, plus Cyrilli libris, plus Hesychii, quam aliis commodandum*. Addit laudatum a Joanne Antiocheno, dum *ejus error occultus adhuc & dubius fuit*; sed postea *omnium pene magnorum Patrum sententiis, velut immanem bestiam, quasi crebrescentibus jaculis*, fuisse confossum. Profert & exemplum Origenis, quem laudarunt Gregorius Nyssenus, Hieronymus, & Eusebius, constat tamen nihil *Origene in Hæresiarchis inveniri deterius*. Addimus perpauca: ac primum Joannem Antiochenum aliquando errore facti deceptum adhæsisse Nestorianis, & Ephesinam Synodum oppugnasse, quod supra vidimus, deinceps Theodorum magnam sibi laudem comparasse Apollinarium insectando, quamvis in oppositum errorem impegerit: tum Facundum Hermianensem fuisse acerrimum trium Capitulorum defensorem, ut liquet ex duodecim libris ab eo conscriptis, completis tamen anno 548. antequam tria Capitula damnarentur, ut testetur Garnerius: Isidorum denique & libros Facundi perlegisse, & errasse quoque scribendo Theodorum, purgatum in Concilio Chalcedonensi, in quo nihil actum de ipso Theodoro.

Præterea objici potest, semper Theodorum tanquam Catholicum audivisse, & nunquam e sacris Mopsuestenæ Ecclesiæ diptychis fuisse expunctum. Enimvero diptycha perlecta in Synodo Mopsuestena anno 550. supposita sunt, neque enim extabat in iis nomen Macedonii qui interfuit, & subscripsit Nicænæ Synodo, sicut nec Meletii, nec Auxentii: unde Garnerius recte asseruit vetera Ecclesiæ Mopsuestenæ diptycha suppositis novis deperdita, tempore, quo Cnaphæus pulso Calendione invasit Ecclesiam Antiochenam. Etiam edictum Theodosianum contra Theodorum est confictum & spurium; siquidem tertia parte Concilii Ephesini c. 45. extat idem edictum absque nomine Theodori. Ad hunc ergo damnandum prolata sunt a malevolis adversariis apocrypha monumenta.

Resp. Diptycha Ecclesiæ Mopsuestenæ perlecta anno 550. fuisse vetera, & genuina; probata quippe fuere nationali Synodo, & sacramento Martyrii presbyterorum provectissimi: cujus aliorumque patrum fidem inique Garnerius vellicat, dum divinans, nullaque fretus ratione inquit supposita nova diptycha Cnaphæi tempore. Macedonius a fide Nicæna, quam probarat, defecit, & subscripsit anno 345. Sardicensi Arianorum Conciliabulo. Auxentius unus extat in diptychis; alter hujus nominis dicendus est aut Nestorianus, aut Arianus. Meletium pariter Nestorianum fuisse liquet ex Collectione Baluziana Epistolarum Synodicon c. 92. Horum ergo nomina, quemadmodum Theodori, in diptychis non debebant adscribi. Cur in lege Augustorum perlecta in Concilio Ephesino non reperiatur nomen Theodori, me latet: fortassis tunc necessarium non videbatur mentionem facere hominis vita functi. Decesserat enim Theodorus anno 427. ut demonstrat Norisius lib. 2. Hist. Pelag. c. 4. affirmatque etiam Garnerius in Auctario Theodoriti dissert. IV. §. 5. sive anno 429. ut contendit Pagius ad Annum 427. n. 12. In lege autem Augustorum altera, quæ extat etiam in Actis Concilii Chalcedonensis, expresse Theodorus commemoratur.

Profertur ad hæc præcipua pro Theodoro defensio. Iniquum videtur præclarum Antistitem, qui in Ecclesiarum communione fatis cessit, anathemati subjicere. In mortuos enim sævire nimia videtur impietas, præsertim

cum

eum adversus Theodorum nec Proclus, nec Cyrillus anathema intorserunt. Pervulgatæ huic argumentationi robur adjicimus; nam Patres v. Synodi ad damnandum Theodorum vita functum inducti sunt momentis frivolis & levissimis. Præcipua, quæso, expendamus. Protulit Eutychius Josiæ factum, qui ossa eorum, qui vitulis immolaverant, post mortem effodit atque combussit, 4. Reg. xxiii. 16. At Josiæ exemplum non est ad rem; nam qui vitulis immolarant, non decesserant in pace Ecclesiæ, ut observat Lupus dissert. de v. Synodo Cap. 2. Et tamen Evagrius lib. 4. cap. 38. pag. edit. Valesianæ 413. scribit, *Hoc ab Eutychio aptissime dictum esse cuncti qui aderant censuerunt*. Sextilianus produxit canonem 81. Ecclesiæ Africanæ, quo dicitur anathematizandum Episcopum post mortem, *si heredes extraneos a consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos Ecclesiæ prætulerit*: quod, tametsi Natalis Alex. censet validissimum argumentum, nullius est roboris: nam Episcopus condens vetitum testamentum juxta Cyprianum Ep. 66. ad Furnitanos, & juxta Canonicas Afrorum sanctiones decedebat prævaricator, ac statutum Concilio erat, ut si quis hoc fecisset, *non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*, inquit Cyprianus pag. 246. In cassum itaque tam exemplum Josiæ, quam canon Africanus adversus Mopsuestenum fuerunt producta. Affirmavit Benignus Heraclensis *ex Ecclesiastica Traditione posse aliquem propter impia conscripta anathematizari post mortem*, quum traditio evincat oppositum. Nam Dionysius Alexandrinus, auctore Eusebio lib. vii. H. Eccl. cap. 24. non ausus est damnare Nepotem Episcopum, qui tradiderat prava dogmata, sed ex hac vita in Ecclesiæ pace migraverat. Epiphanio volenti damnare Origenem respondit Theotimus apud Socratem lib. 6. cap. 11. nequaquam fas esse in mortuum desævire. Ipse Vigilius in *Constituto* auctoritate Gelasii, & Leonis asserentium Ecclesiæ solummodo potestatem esse ligandi, aut solvendi viventes, quoniam Petro dictum est, *Quodcunque ligaveris super terram*, &c. ajebat Theodorum non esse anathematizandum, ut revera non anathematizaverant Patres Chalcedonenses, & Ephesini. Joannes etiam IX. adversus Stephanum VII. qui damnarat Formosum in pace Ecclesiæ defunctum inquit: *Quod nunquam decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum est, penitus abdicamus*. Alia plurima profert Lupus cit. loco: at hæc sufficienter commonstrant Patres Quintæ Synodi in Theodoro damnando vetustam Ecclesiæ disciplinam, ac traditionem violasse.

Resp. Benignum Heraclensem negavisse in v. Synodo, quod Theodorus in pace Ecclesiarum obierit: *Ille enim*, inquit, *in communione, & pace Ecclesiarum defunctus est, qui usque ad mortem recta Ecclesiæ dogmata & servavit, & prædicavit: quod vero Theodorus non servavit & prædicavit recta Ecclesiæ dogmata, certum est ex ejus blasphemiis*. Imo damnatum jam Theodorum innuerunt in Quinta Synodo Patres omnes, dum perlectis impio ejus Symbolo, excerptisque quampluribus, exclamarunt: *Hæc jam condemnavimus, hæc jam anathematizavimus*, &c. Porro, etsi non expresse, Theodorus cum Nestorio damnatus fuerat, cum eadem sit utriusque doctrina, & si Theodori nomini aliquandiu Patres pepercerunt, non poterant non illud execrari, cum illius immodica celebritate, & injusta commendatione hæresis Nestoriana contritum caput ausu temerario erigeret. Quare damnatio Theodori non fuit in demortuum impietas, sed dissimulatæ, nec ulterius ferendæ nequitiæ necessaria improbis adoratoribus exprobratio. Atque hac responsione diluuntur omnia argumenta, quæ videntur probare neminem in Ecclesiæ communione defunctum posse anathematizari post obitum.

Falsum præterea est, non posse impium a communione fidelium, posteaquam fatis cessit, repelli. Siquis enim post mortem absolvi potest & declarari orthodoxus, cur non subjici tamquam hæreticus anathemati? Recte Benignus adversus Theodorum universæ Ecclesiæ protulit traditionem. Quæ enim Synodus Valentinum, Marcionem, Basilidem, aliosque primi & secundi sæculi hæreticos, nisi postquam decesserant, condemnavit? Invenimus anathematizatum post mortem Dioscorum in Schismate contra Bonifacium II. electum, atque Theodorum ipsum damnatum a Rabula Edesseno, & expunctum ex diptychis Ecclesiæ suæ. Pelagius II. in Epistola superius citata etiam a Synodo Ephesina Theodorum anathematizatum affirmat: *Nam*, inquit, *cum ab ejus discipulis dictatum ab eo Symbolum fuisset prolatum, illico a sanctis Patribus cum auctore damnatum est*. En Theodorus, auctore Pelagio, a Synodo Ephesina recepta a trium Capitulorum defensoribus, anathematizatus post mortem. Addit Pelagius dignam Romano Pontifice sententiam: *Si Jesum Dominum ac Deum nostrum post mortem Theodorus damnavit; cur Theodorus, qui tot blasphemiis Redemptori nostro hostis extitit, non debet anathematizari post mortem?* Accedunt enucleata testimonia Augustini in eadem Quinta Synodo lecta, & probata, ex Collat. 3. Carthag. cap. 587. de Unit. Ecclesiæ cap. 2. & ex libro iii. contra Cresconium cap. 35. & 39. In hoc adversus Cresconium Opere, priori loco ait S. Pater: *In hac communione si fuerunt, quos nescio traditores, cum eos demonstraveris, & carne, & corde eos detestabor: nequaquam tamen a vivis in ejusdem Ecclesiæ sancta unitate manentibus propter mortuos alienabor*: & postremo loco, *Judicium non tantum de vivis, sed etiam de mortuis haberi potest: licet enim sit mortuus qui peccavit, nunquam illud morietur quod admisit*. Nec minus perspicua sunt alia Augustini loca, quibus perlectis nihil aliud Patres ad damnandum Theodorum expetiverunt; tanti valere singulis visa est Doctoris præstantissimi auctoritas: ut adnotatum quoque in Florentina Synodo sess. vii. Atque ex his liquet posse impium etiam post mortem ab Ecclesiæ communione repelli.

Neque oppositum evincunt argumenta contraria. Exemplum enim Josiæ prolatum ab Eutychio, nec in Actibus Synodalibus insertum est, eratque Evagrius scribens visum iis qui aderant aptissimum; quamvis & id concedi potest, si cum Benigno Heraclensi dicamus, Theodorum in pace Ecclesiarum non obiisse. Canon pariter Africanus a Sextiliano productus nulla legitur exceptus Synodi approbatione. Nepotis Arsenoitis Episcopi exemplum non est ad rem, is enim propugnaverat errorem Millenariorum nondum ætate sua ab Ecclesia proscriptum; at Theodotus tradiderat usque ad senectam nefarias blasphemias damnatas in Ebionæis, atque Samosatensibus. Cyrillus & Vigilius humanius cum Theodoro sese gerebant, quando ignorabant hæreticos jactato Mopsuesteni nomine fieri pervicaciores: semper tamen Theodorum *implicite* anathematizabant, dum damnabant Nestorianismum; ac perspecta hæreticorum machinatione, etiam mortuum anathemate percusserunt; Cyrillus quidem in lib. *De eo, quod unus est Christus*; Vigilius autem in ultimo *Constituto*. Origenem damnatum post mortem ante Edictum Justiniani, etiam ab Epiphanio in Epist. ad Joannem Jerosolym. *& ab omni tam Orientis, quam Occidentis Ecclesia* hæreticum denunciatum, ut inquit 2. Apolog. contra Rufinum S. Hieronymus, invicte probat in dissert. de v. Syn. cap. 2. Norisius, quare Theotimus nimia usus est in Origenem comitate. Dum Sanctus Leo, Gelasius, aliique scribunt Ecclesiam neminem absolvere aut damnare post mortem, tantum asserunt defunctos præmium, aut pœnam consecutos neque solvi a peccatis, neque ligari; sed quemadmodum ii, qui dum viverent doctrinæ ac probitatis specimen præbuerunt, post obitum ab Ecclesiæ sacrificiis juvantur, & commendantur laudum preconio: ita æquum est illos, qui nefariis conscriptis fidem pessumdederunt, privari post mortem sanctorum communione, proscindi maledictis, & cum heterodoxis repelli. Cum mortuis neque illud judicium exerceri potest, quod partium conflictatione, atque interrogationibus & responsis peragitur: neque præcipitanter ac temere, ut in Formosum fecit Stephanus, pronuntiandum; quamobrem Stephanus a Flodoardo dicitur

Durus qui nostris, propriis ac durior instat:
Sæva quidem legat vivis, truciora sepultis;
Folconemque minis, Formosum concutit actis.

Sed Formosi historiam complecti hac dissertatione non vacat. Legi potest Baronius, & Pagius ad annum 897. Nat. Alex. in H. E. Sæc. ix. art. 13. & 14. Auxilius apud Morinum P. 2. de Sacris Ordinat. Papebrochius in Propylæo, Sandinus, &c.

Argumentum tertium est in defensionem II. Capituli, scilicet Scriptorum contra Cyrillum Theodoriti. Nam si hunc absolverat, suæque Sedi restituerat sancta Synodus Chalcedonensis, quomodo non violato hujus œcumenicæ Synodi jure poterat subire juste evibratum anathema?

Verum nil concludit isthæc objectio. In v. enim Synodo nil contra Theodoriti personam actitatum, sed contra impia ejus scripta adversus anathematismos Cyrilli: quæ scripta ipsemet Theodoritus *implicite* condemnavit, dum in Synodo Chalcedonensi præalta voce dixit anathema Nestorio, & cuicunque neganti beatissimam Virginem esse Deiparam. Patres quippe Chalcedonenses illum *non aliter suscepissent, nisi prius anathematizasset Nestorium, & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit defendens eas*, inquiunt Patres v. Synodi collat. 5. pag. 130. Hinc Pelagius II. citata epistola pag. 276. objectionem ita retundit: *Neque enim Theodoriti omnia scripta damnamus, sed sola, quæ contra duodecim Cyrilli Capitula, sola, quæ contra rectam fidem aliquando scripsisse monstratur; quæ tamen & ipse damnasse cognoscitur; qui in sancta Chalcedonensi Synodo vera confessus invenitur*.

Si opponas: Jam ergo Theodoritus impia dogmata proscripserat, jam a plenaria Synodo fuerat absolutus. Quid opus erat hunc iterum movere lapidem, ac tantas ciere procellas?

Verbis Vigilii in *Constituto* num. xxvii. pag. 310. respondebo: *Ec quod Nestoriani sub ejus Episcopi nomine, qui a beatæ recordationis Leone Papa, & a sancta Chalcedonensi Synodo legitur fuisse susceptus, eadem scripta ad adstruendi sui erroris videntur adhibere suffragium, non aspicientes quod non solum sancti Patres in Chalcedone congregati damnato Nestorio cum suis dogmatibus, & ista*

damna-

damnaverint, sed etiam ipse Episcopus Theodoretus omnia dicta, quæ beati Cyrilli in Ephesina prima expositis videbantur contraire dogmatibus, in Chalcedonensi Synodo aperta professione respuerit. At de Theodoreto plura cap. præcedenti.

Postrema in patrocinium III. Capituli, sive Epistolæ, quæ dicitur Ibæ, argumentatio erit istiusmodi. Ibas in Chalcedonensi Synodo, quamquam Act. X. lecta fuerit ejus ad Marim Persam Epistola, declaratus est Orthodoxus, atque sedi suæ restitutus. Non poterat ergo salvo jure Concilii Chalcedonensis ejus Epistola a Synodo V. proscribi.

Respondet Natalis Alexander I. in Synodo Chalcedonensi Ibam declaratum orthodoxum, non propter Epistolæ dogma, sed propter contestationem ab eo factam, & comprobatam ex actis Synodi Beritensis quod consensisset paci inter Cyrillum, & Orientales initæ, & anathematizasset Nestorium. II. Omnia acta judicialia peracta post actionem sextam, & post fidei definitionem conscriptam, *nullius penitus firmitatis* fuisse, quia Legati Apostolicæ Sedis *ad hoc tantum fuerunt directi, ut excisis hæresibus catholicæ essent fidei defensores*. Ita nimirum scribit S. Leo in Ep. ad Joannem Antioch. & similia ad Episcopos Istriæ Pelagius II. Respondet 3. non fuisse de Epistola Ibæ idem Patrum singulorum judicium, nam licet Maximus Antiochenus dixerit etiam Epistolam Ibæ esse catholicam, alii tamen non Epistolam, sed solum Ibam ob anathematizatum Nestorium Orthodoxum declararunt, alii restituendum dixerunt, quoniam etiam ii suscipiendi sunt, qui ab hæreticis revertuntur. Hæc autem omnia verissima sunt, & constant ex Actis Chalcedonensibus: sed plura falsa supponunt, scilicet Patres Chalcedonenses judicasse Epistolam esse Ibæ, de hac minime pronuntiasse illam hæreticam declarando, ut humaniter exciperent ipsum Ibam jam suscipientem Synodum Ephesinam, & anathematizantem errores Nestorii, saltem Maximum Epistolam illam judicasse orthodoxam. Omnes, quotquot legi, in eadem opinione versantur, etiam noster Lupus in Appendice ad Synod. Chalced. Act. 9.

Mea tamen sententia est, Ibam fuisse in Synodo Chalcedonensi absolutum, quia nunquam ejus Adversarii demonstrare potuerunt ipsum revera fuisse auctorem Epistolæ ad Marim Persam, & alias evidens erat tandem anathematizasse Nestorium; illam tamen Epistolam directe contrariam definitioni Synodi Chalcedonensis semper Ibam a se conscriptam negasse, & neminem, nec Maximum Antiochenum, illam existimasse Catholicam: atque defensores trium Capitulorum, sicut ex absolutione Theodoreti subdole etiam ejus scripta contra Cyrillum contendebant fuisse approbata, ita ex restitutione Ibæ callide suscepisse patrocinium etiam Epistolæ ad Marim, eidem Ibæ attributæ: ipsum denique Ibam hanc Epistolam in Synodo Chalcedonensi saltem implicite proscripsisse, quemadmodum, ut supra diximus, Theodoritus quoque *damnasse cognoscitur* quæ scripserat *contra duodecim Cyrilli Capitula*. Hæc si demonstravero, nihil in hac controversia remanebit arduum ac perdifficile.

Hæc autem evidenter probo collatione Actuum Synodicon, & *Constituti* Vigiliani. I. Act. IX. Chalced. Ibas libellum obtulit significans se *ab Eutychete injustitiam & falsa figmenta perpessum*, Ephesi sub Dioscoro *falsam accusationem* pertulisse, inventum *innocentem ab illatis sibi calumniis*, constare ex Actis a Photio, & Eustathio subscriptis se plane fuisse purgatum, suamque Orthodoxam fidem constare testimoniis omnium Edessenorum Clericorum. Cum ergo hæc omnia perpessus fuerit ob Epistolam ad Marim Persam, *Evidentissime declaratur*, inquit Vigilius in *Constituto* num. II. *a sæpedicto Iba Episcopo memoratam ad Marim Persam Epistolam, quia sua fuerat, denegatum*. II. Cum producta essent Acta Ecclesiæ Edessenæ, & Photius & Eustathius vera ac genuina esse testati fuissent, ex his appatuit Ibam se purgasse exhibita *professione rectæ fidei*, & ad satisfactionem eorum, quæ objiciebantur, hanc ab eo exactam promissamque satisfactionem, ut in Ecclesiæ Edessenæ alloquio manifeste anathematizaret Nestorium, ac profiteretur se credere omnia, quæ placuerant Ephesinis Patribus, & quæ continentur in literis Conventionis inter Joannem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum. At quid necessum erat, inquit Vigilius num. V., *de Orthodoxa fidei sinceritate quid sapiebat scripto depromere*, nisi vitasset *perfidiæ maculam* in ipsa Epistola, *quæ objecta fuerat*, clarescentem? III. In *Judicato* Photii, & Eustathii extabat Ibam *fuisse accusationibus impetitum*, ac propterea Ibas hoc *Judicatum* provuxerat; atque ideo tale de Iba prolatum fuerat judicium, quia accusatores interesse noluerunt, & Ibas aperta confessione anathematizavit Nestorium. Eatenus ergo Photius & Eustathius declararunt Ibam Catholicum, quia comprobatum non fuit esse illum revera auctorem Epistolæ ad Marim Persam, & ex alia parte anathematizando Nestorium, & approbando decreta Ephesina rectam fidem profitebatur. Vide *Constitutum* Vigilii num. VII. Præterea Patres Chalcedonenses hac Ibæ justificatione non contenti, Act. X. relegi mandarunt accusationes adversus Ibam, & audiri Maram, & Theophilum; cumque accusatores assererent Ibam non semel appellasse hæreticum S. Cyrillum, respondit hæreticum appellasse tantum ante Synodum Ephesinam, quum audiebat tanquam Apollinaristam, neque absolute, sed nisi recepisset Synodum Orientalem. Quomodo ergo poterat Ibas suam fateri Epistolam, in qua post Ecclesiarum unionem scriptor, quisquis fuerit, Cyrillo obloquitur, Synodumque Ephesinam vilipendit? V. Cum Maras eadem Act. X. objecisset Ibam obloquutum Cyrillo, decretisque Ephesinis etiam post initam pacem Ecclesiarum, atque ad hoc comprobandum produxisset Epistolam ad Marim Persam, & hæc in sacro Consessu perlecta esset; quid tum Ibas? Epistolam ne suam agnovit? Ita Patres allocutus est: *Jubeat vestra Clementia relegi & literas Clericorum Edessenorum, ut cognoscatis quia & ab his, quæ mihi illata sunt, alienus existo, & violentiam sum perpessus*. Ostendit ergo, inquit Vigilius num. XII. *se per omnia alienum & ab aliis, quæ præcedenti loco ei objecta sunt, & ab Epistola ad Marim Persam scripta, quæ statim relecta fuerat*. VI. Cur Ibas relegi curavit Epistolam universi Cleri Edesseni contestantis illum esse Orthodoxum, Synodum Ephesinam probare, revereri Cyrillum, & nunquam ex ejus ore se audivisse blasphemiam illam, *Non invideo Christo facto Deo, quoniam & ego, si volo, possum fieri secundum illum*; quæ etiam blasphemia Ibæ objiciebatur: cur, inquam, hæc relegenda curavit, nisi ut repelleret Epistolæ sibi attributæ perfidiam? Cum ergo his relectis Patres Chalcedonenses Ibam receperint, luce meridiana perspicuum est, Ibam restitutum, quia Epistolam ad Marim a se conscriptam negabat, quia id non potuerunt aperte accusatores demonstrare, & quia aliunde ex universi Cleri Edesseni contestatione ejus aut orthodoxia, aut saltem resipiscentia clarebat. VII. Non solum hæc nostra sententia ex Constituto Vigilii apertissima est, verum etiam magis magisque roboratur ex Collatione 6. Quinti Concilii; ubi postquam Theodorus Cappadox, aliique Episcopi affirmassent, *quod Ibas in ea Synodo non solum abnegavit, sed etiam anathematizavit Epistolam* ad Marim Persam; a Synodo universa responsum est, *Scimus & nos hæc ita subsequuta esse*: atque ad majorem cautionem jussum, ut acta Chalcedonensia relegerentur. VIII. Quis, nisi omnino desipiat, suspicari potest, aut Ibam, aut Maximum Antiochenum, aut alium ex Patribus Chalcedonensibus existimasse probandam Epistolam ad Marim Persam, quæ, ut recte V. Synodus definivit, *contraria per omnia est definitioni, quam pro recta fide sancta Chalcedonensis Synodus pronuntiavit*? IX. Ipse Pelagius in Epist. ad Episc. Istriæ, quamquam recte cum Leone Magno ait licenter posse reprehendi Epistolam Ibæ, etiamsi illam Episcopi Chalcedonenses approbassent, quia in Act. VI. *Professio fidei consummatur, moxque canonum regula figitur*; inquit tamen, quod si quis affirmat Epistolam ad Marim Persam fuisse a Synodo probatam, *gesta ejusdem Synodi destruere conatur*: addit, *quia probata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstratur*: affirmat quod *ab eadem Epistola alienum se Ibas respondit*; quæ nos hisce argumentationibus demonstravimus. X. Amussim omnia huic assertioni conveniunt. Apparet primum utriusque Synodi Chalcedonensis, & Quintæ consonantia: tum claret singulorum Patrum Chalcedonensium sententia; Legati enim Apostolicæ Sedis judicarunt Ibam innoxium, *relectis chartis*, unde non comprobabatur adversantium accusatio, & Clericorum suorum absolvebatur contestatione: Episcopi Cæsariensis, & Cyzicensis eumdem orthodoxum appellarunt ex Judicato Photii, & Eustathii: Sebastenus Antistes illum asseruit recipiendum ob *abnegationem* objectæ Epistolæ, ac Nestorianæ perfidiæ: Juvenalis Jerosolymitanus dignum *pervidit*, qui impetraret clementiam, nam aliqua de conscripta ab illo Epistola perseverabat suspicio; ubique tandem hanc Epistolam cautione ista novimus reprobatam, *quæ dicitur Ibæ*.

Insistes: At Patres Chalcedonenses ideo Ibam pronuntiarunt orthodoxum, quoniam Catholicam judicarunt Epistolam ad Marim Persam. Hanc itaque Epistolam una cum Iba approbarunt. Probatur autem. Paschasinus & Lucentius non tantum dixere, *Relectis chartis agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum Ibam reverendissimum innoxium approbari*, quæ verba probant judicium latum a Photio & Eustathio; verum etiam addiderunt, *Relecta ejus Epistola agnovimus eum esse orthodoxum*; quibus Ibam etiam ex Epistola ad Marim Persam, quæ post Judicatum Photii, & Eustathii fuerat relecta, Ibam judicaverunt innoxium, ideoque & Epistolam approbarunt. Maximus etiam Antiochenus inquit: *Ex his, quæ modo relecta sunt, manifestum est, quia ab omnibus ei illatis reverendissimus Ibas innocens est repertus; & ex relecto quoque rescripto Epistolæ, quæ probata est ab eo qui adversarius ejus existit, orthodoxa ejus declarata est dictatio*. Quid apertius? Maximus declaravit Ibam orthodoxum, & orthodoxam Epistolam ab eo *dictatam*, prolatamque ab Ibæ adversario Mara, idest, ad Marim Persam conscriptam.

Quamvis revera hi tres Catholicam Epistolam pronuntiassent,

tiassent, nihil evincerent trium Capitulorum patroni, cum ecta judicialia Synodi Chalcedonensis potuerint tetractari, Magno id Leone asserente. At respondemus neminem præcitatam Epistolam per omnia sanctæ Chalcedonensi Synodo contrariam judicasse orthodoxam. Legati Apostolicæ Sedis illis verbis, *Relecta ejus Epistola agnovimus eum esse orthodoxum*, significarunt, inquit Vigilius in Constituto num. XIX. Ibam innocentem fuisse repertum relecta Epistola Clericorum Edessenorum, contestantium *ab illius Epistolæ ad Marim Persam crimine alienam Ibæ conscientiam*. Itaque *ejus Epistola* non appellatur Epistola ad Marim, sed Cleri Edesseni; enimvero hæc supplicante Iba fuerat relecta post objectam illi ad Marim Epistolam. Neque officit quod dicatur *Epistola ejus*, inquit Vigilius; primo *quia ipsius appellatur, quam pro se relegi petiit*: deinde quia communi loquendi modo in judiciis *eorum documenta chartæ & Epistolæ dici solent, qui eis pro se utuntur, & quorum ostenduntur prodesse negotiis*: rursus quia magis æquum est, ut Ibæ dicatur Epistola, *quam ille pro suæ orthodoxæ fidei approbatione ut relegeretur exigit*; quam conscriptam ad Marim Persam, *quam ad Ibam oppugnandum objiciebant adversarii*. Hæc Vigilius num. XXII. Corroboratur hæc responsio sententia Maximi, qui non ait declaratam orthodoxam *dictationem* Ibæ in Epistola prolata ab Adversario, sed ex *relecta rescripto Epistola*, scilicet, *ex relecto rescripto* Edessenorum, quo recitatu *omnia*, inquit Vigilius, *non solum adversariis non probantibus, aut Iba Episcopo denegante, verum etiam damnante fuerunt reprobata*. Quare *dictatio* non significat, ut vulgo accipitur, conscriptionem Epistolæ, sed Ibæ apud Judices ectionem. Ita apud Jurisconsultos *actionem dictare* nihil est aliud, quam formulam intendere, sive cum adversariis in judicio experiri, apud Paullum L. *Non distinguemus. ff. illud. D. de recept. arbit.* In Græco apud Harduinum Tom. I. pag. 540. extat: ὀρθόδοξος ὤφθη αὐτοῦ ἡ ὑπαγορία, *Orthodoxa declarata est ejus significatio*. Hactenus de tribus Capitulis, & de hæresi Nestoriana.

CAPUT XVIII.

Eutychianum dogma refellitur.

COÆVA fere Nestorianæ, atque e diametro opposita est hæresis Eutycheris, quam erupisse scribit Anastasius Sinaita decem circiter annis post Synodum Ephesinam, nimirum circa annum Christi 441. Gelasius tamen in Epistola ad Episcopos Dardaniæ exortam hæresim illam affirmat anno 448. rationem habens illius temporis, quo Eutyches e S. Flaviano in judicium vocatus fuit, accusante Eusebio Episcopo Dorylæi. Fuit Eutyches ex parentibus Orthodoxis progenitus, Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & amplissimi Monasterii ἡγούμενος, idest, Archimandrita, vel Præses. Is ægre ferens initam pacem inter Cyrillum & Joannem Antiochenum, cœpit adversus Orientales obloqui; eosque tanquam Nestorianos traducere; arbitrabatur enim duas, quas illi propugnabant, naturas, duas personas constituere, quæ fuerat cum Gentilium, tum superiorum hæreticorum alucinatio. Quamobrem unam in Christo personam defendens ait naturas duas, humanam, atque divinam, ita in Incarnatione permixtas, & confusas fuisse, ut licet antea diversæ fuerint, post adunationem tamen in unam transierint. Innovavit propterea etiam hæresim Apollinarii, etsi in eum aliquando anathema intorserit; quoniam docens post naturarum adunationem humanitatem a divinitate fuisse absorptam, eam, quam appellabat Christi carnem, putabat esse divinitatem ipsam, quasi de cœlo delapsam, nullum propterea corpus Christi agnoscens, nisi phantasticum, & contendens ipsam divinitatem fuisse affixam cruci, & in sepulcro reconditam. Jure itaque, meritoque Eutychianum dogma appellatur a Facundo Hermianensi scitum profanum ac fatuum, & bruta contentio: & ipse Eutyches a Leone Magno in Epistola ad Pulcheriam dicitur senex indoctus atque imperitus. Sed vide sacrarum historiarum, aut hæresum accuratos scriptores, necnon disseriat. Lupi de Synodo latrocinali Ephesina.

Delatus, & impietatis ac hæresis Eutyches accusatus apud S. Flavianum Episcopum regiæ urbis Constantinopolis; hujusque monita parvipendens damnatus est a Synodo Constantinopolitana ab ipso Flaviano coacta VI. Idus Novembris Coss. Flaviano Zenone, & Postumiano, anno nempe 448. subscribentibus Synodo Episcopis XXXII. & Archimandritis XXIII., ut recte Pagius ad hunc annum num. 7. At damnatus Eutyches per literas conquestus est apud S. Leonem agentem Pontificatus sui annum 9. & quoniam significavit iterum Nestorianam hæresim germinare, movit Pontificem, ut datis Epistolis ad Flavianum, quæ scriptæ fuerunt proximo anno 449., zelum Eutychetis commendaret, jubens ne innocens vexaretur. Verum acceptis postea e Leone cum Actis Synodi Constantinopolitanæ literis Flaviani, Leo ipse Eutychetem damnavit; atque impius hæreticus audacter appellavit ad prætorium Imperatoris; a quo dante operam Chrisaphio Eunucho, obtinuit ut indiceretur Synodus Ephesina, facta ipsi Eutycheti facultate Episcopos convocandi. Sanctus autem Leo, cum Theodosium a cogendo Concilio non potuisset avocare, misit qui suas gererent vices; & Synodus quæ indicta fuerat ad Kalendas Augustas, celebrata est die VIII. ejusdem mensis. Hæc est Synodus, quam dicunt Latrocinium Ephesinum, sive Synodum Prædatoriam. Ibi enim renuentibus Legatis Apostolicæ Sedis, a Dioscoro Alexandrino, & Episcopis aliis Eutychianis, absoluto Eutychete, damnati fuerunt Sanctus Flavianus, Eusebius Dorylæensis, Ibas Edessenus, Theodoretus Cyrensis, & Domnus Antiochenus. Imo Flavianus interponens appellationem adeo indigne tractatus est, ut ex numero & atrocitate vulnerum animam efflaverit; etsi non omnes consentiant, an Ephesi obierit, an Epipæ in Lydia, quo eum relegarant, an in itinere inter cohortes militum & catenis devinctus. Dolore tamen plagarum, quas acceperat, migrasse ad Dominum, tradunt scriptores omnes, Evagrius, Liberatus, & alii apud Lupum citato loco. Hæc, aliaque Eutychianorum facinora in caussa fuerunt, ut defuncto interim Theodosio, atque ad Imperium evecto Marciano, indiceretur Synodus Œcumenica. Hanc idem Marcianus cogi primum curaverat Nicææ in Bithynia, ut Eutyches damnaretur in eadem urbe, ubi proscriptus fuerat Arius; & jam illuc Episcopi quamplures perrexerant; sed cum S. Romanus Pontifex Leo optaret quammaxime, ut Synodo interesset etiam piissimus Imperator, translata est Chalcedonem, ibique præsidentibus ejusdem Leonis Legatis inchoata est VIII. Idus Octobris, & absoluta Kal. Novembris an. 451. Pontificatus Leonis XII., & Imp. Marciani II. In hac Synodo damnatus est Eutyches, proscriptus iterum Nestorius; et Theodoretus utrumque hæresiarcham anathematizans fuit in sedem suam restitutus. Exposita nunc historia hæresis Eutychianæ, ipsam aggredimur refutandam.

PROPOSITIO. Duo sunt in Christo post adunationem naturæ distinctæ invicem, atque impermixtæ, licet separatim minime subsistentes, sed in eadem hypostasi, atque persona, unitione physica copulatæ.

Demonstratur I. Dominus noster Jesus Christus, quum sit unus atque indivisus, ut supra adversus Nestorianos probatum est; perfectus tamen est Deus, ac perfectus homo, præditus divinitate, & rationali anima & corpore humano: quorum primum libro VII. c. 9. & in hoc ipso libro c. XIII. proposit. 2., alterum vero c. 2. adversus Phantasiastas fuit apertissime demonstratum. Et quidem assumptæ e Filio Dei humanitatis invictum exhibent argumentum ea loca, in quibus dicitur filius hominis, filius Davidis, factus ex muliere, flagellis cæsus, crucifixus, atque de eo narratur vulnera sua palpanda discipulis præbuisse: ac divinitatem ea contestantur, in quibus appellatur Deus, Unigenitus permanens in sinu Patris, Filius Dei proprius, Panis qui de cælo descendit, antiquior Abrahamo, & Dominus benedictus in secula. Quæ omnia divinarum scripturarum auctoritate comprobata necessum non est ut iterum producamus. At ex quo Dominus Jesus Christus sit Deus verus, divina in ipso natura debet propugnari; & ex quo sit perfectus homo, tenemur perfectam in ipso humanitatem profiteri. II. Huc spectant verba, quibus Verbi *Incarnationem* nobis divina eloquia proponunt. Ac primo Joannes Evangelista, posteaquam præclara de Verbi divinitate enuntiavit, affirmans quod in principio erat Deus, quod omnia per ipsum facta sunt, quod erat lux illuminans omnem hominem, *Et Verbum* (inquit) *caro factum est*. Itaque, ut inquit S. Leo in Epistola ad Flavianum lecta in II. Actione Synodi Chalcedonizæ, *Unus idemque (quod sæpe dicendum est) vere Dei filius, & vere hominis filius. Deus per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: homo per id, quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Deus per id, quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; homo per id, quod factus est ex muliere, factus sub lege.* Eadem est vis verborum Apostoli ad Philippenses II. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* III. Eamdem veritatem confirmant universa fere Christi opera, de quibus eadem ad Flavianum Epistola S. Leo: *Nativitas carnis manifestatio est humanæ naturæ; partus virginis divinæ est virtutis indicium: infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum, magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impie molitur occidere; sed Dominus est omnium, quem Magi gaudentes veniunt suppliciter adorare; Cum ad Præcursoris sui baptismum venit, ne lateret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de cælo intonans dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Sicut hominem diabolica tentat astutia; sic Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire evidenter humanum est: quinque panibus quinque millia hominum satiare, largiri Samaritanæ aquam vivam &c. sine ambiguitate divinum est. Non ejusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum; & eumdem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ*

pultura ad vocis imperium excitare redivivum: aut in ligno pendere, & in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere: aut clavis transfixum esse, & paradisi portas fidei latronis aperire. Non ejusdem natura est dicere, Ego & Pater unum sumus; & dicere, Pater major me est. Vide Tom. IV. Conc. Labbei pag. 352. His vero quid proferri potest aut eloquentius, aut robustius, aut majori auctoritate firmatum?

Addamus tamen ad frangendam penitus Eutychianam perfidiam argumentum quartum ex Patrum traditione depromptum. Plura afferunt testimonia Bellarminus lib. III. de Christo cap. 3. Nat. Alexander Dissert. XXIV. sæculi V. ac Theologi omnes. Verum nos afferemus duntaxat aliqua ex Patribus, quorum testimonia recitata, ac probata fuerunt Act. 2. Chalcedonensis Synodi. Sunt hi, Hilarius, qui libro nono de Trinit. ait: *Nescit plane vitam suam, nescit qui Christum Jesum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat.* Gregorius Nazianz. scribens in Orat. de Nativitate, *Missus est quidem, sed ut homo: duplex enim erat in eo natura.* Ambrosius, cujus in 2. lib. de Fide ad Grat. cap. 4. hæc sunt verba: *Idem Deus, idem homo: per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo.* Et paullo infra, *Servemus distinctionem humanitatis, & carnis.* Joannes Chrysostomus Hom. de Ascensione demonstrans quare Christus sit mediator Dei, & hominum, exemplo illius, qui in medio positus duorum altercantium litem omnem dissolvit, *Se* (inquit) *medium Christus ingessit, & sociavit utramque naturam.* Similia tradit S. P. Augustinus in Epistola ad Volusianum: *Inter Deum & homines mediator apparuit, in unitate personæ copulans utramque naturam.* Cyrillus Alex. in libro de Incarnat. Cap. 13. ait: *Unum, eumdemque Jesum Christum dicimus non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfuse inter se servantes.* Ex his ab Œcumenica Synodo comprobatis liquet quænam sit communis SS. PP. traditio: quam etiam accurate expendit in Dialogis Theodoretus, & in Epist. ad Leonem Augustum S. Leo. Accedunt definitiones Conciliorum, Constantinopolitani, quod celebratum diximus sub Flaviano, an. 448. & alterius, quod ibidem habitum fuit sub Anatolio post biennium; Chalcedonensis celebrati proximo anno 451. cum interventu Episcoporum DCXXX. atque aliorum posteriorum.

Denique probatur Catholicum dogma argumentationibus Theologicis: quarum prima est, quia nisi post unionem duæ in Christo asserantur naturæ; universa reparationis nostræ mysteria evertuntur, atque unum ex his consequi necesse est, aut divinitatem fuisse immutatam morique obnoxiam, aut humanitatem impassibilem atque immortalem. Quare si Christus mortuus est, ac mundum redemit pretio sanguinis sui, id perfecit in humana substantia, illam assumens in unitionem divinæ, atque, ut ait lib. 1. Act. Apost. cap. 4. Arator:

Se quoque permittens, fusa Genitricis ab alvo
Carnis jura pati, vitam ne perderet orbis
Maluit ipse mori; sed quod de Virgine facta
Nascitur, illud obit.

Altera ratio est, quod nequeat percipi hypostatica unio, nisi utraque natura in sua substantia permaneat. Quæ enim ad unum aliquod constituendum nectuntur, uno ex his modis uniri debent, quos cum Divo Thoma in IV. contra Gentiles Theologi omnes agnoscunt: vel enim uniuntur duntaxat aggregatione, utroque extremo integro, perfectoque permanente; quemadmodum ea, quæ unum *per accidens* constituunt, ut corpus, & habitus, aut acervus lapidum, vel cumulus arenarum; quam unitionem in Christo statuebat impius Nestorius supra refutatus: vel uniuntur secundum hypostasim, utroque extremo stante per eamdem subsistentiam, sicut unitur corpori rationalis anima ad constituendum hominem; & hæc unitio postulat naturarum distinctionem, quotiescunque una in alteram nequit converti, ut spiritualis in corpoream; aut utraque non ita permiscetur, ut resultet tertia quædam substantia, ut evenit in compositione mixtorum. At natura divina nequit in humanam converti, & vicissim humana in divinam; non enim Deus mutabilis est, nec creatura fieri potest essentialiter immutabilis. Mixtio etiam, ex qua tertia quædam species coalescit, absque partium mutatione non evenit. Dantur quidem alia unitorum genera, in quibus duo inter se diversa unum constituunt, partium natura remanente, ut in sententia vulgari physicum corpus ex materia, & forma compositum; sed nec hujusmodi unitio reperitur in Incarnatione, quum nequeat divina natura habere veram propriamque rationem partis: neque hæc unio spectat ad refellendam hæresim Eutychianam, quum in hac unitione stet naturarum discrepantia ab Eutychete oppugnata. Num vero repugnet quod divina natura pars dicatur, est alia quæstio; quam puto nihil pertinere ad hæreticum dogma sacris literis, traditione Patrum, atque manifesta ratione profligatum.

RESPONDETUR EUTYCHIANIS.

Hæresim Eutychetis firmare videntur ea verba Joannis I. 14. *Verbum caro factum est.* Quod enim fit caro, in carnem vertitur. Si ergo Verbum factum est caro, cur versum in carnem non est dicendum? Virga quidem Mosis, de qua Exodi IV. 2. legimus factam colubrum, in verum serpentem fuit commutata, absorpta scipionis natura; uxor Lot, quam factam statuam, aut columnam salis legimus in Gen. cap. XIX. 26. nil fuit posthac, quam corporis humani in salinum conversio; & aqua, quæ in nuptiis Canæ Galilææ facta est vinum, Joannis II. 9., nonne pristinam naturam commutavit? Idem ergo de illis verbis Evangelicis, *Verbum caro factum est*, videtur absque ulla cunctatione asserendum, maxime quod verba verbis ubique respondent in Græcis, tametsi alicubi Latina Versio conversionem significat, quam de assumpta humanitate minime enuntiat. Ut enim Joan. I. 14. extat, *Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, Et Verbum caro factum est*; ita Gen. XIX. 26. *Καὶ ἐγένετο στήλη ἁλός. Et facta est columna salis*; Exodi IV. 2. *Καὶ ἐγένετο ὄφις, Et facta est serpens*; & Joannis II. 9. *τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον, Aquam vinum factam.* Occurrit ubique idem Verbum *γίνομαι* demonstrans novæ alicujus substantiæ productionem. Addamus, nisi hæc sufficiant, exemplum ex ipso corpore Christi depromptum; negari enim non potest quod revera panis substantia in Christi corpus convertatur, idque demonstretur ex illis verbis Mat. XXVI. 26. *Hoc est corpus meum.* Ratione consimili si recte dicitur, *Verbum est caro*, aut *factum est filius hominis*, affirmare debemus conversionem divinitatis in carnem.

Resp. dist. ant. Quod fit caro, in carnem vertitur, si fiat assumptione humanitatis in Deum, nego: si conversione divinitatis in carnem, concedo. Priori modo Verbum factum esse carnem, Patres unanimi sensu demonstrant. Ignatius in Epist. ad Trallianos, Epiphanius H. 77. Ambrosius lib. 1. de Incarnat. cap. 6. Joannes Chrysostomus Hom. 11. in Joannem, Fulgentius de Incarnat. cap. 10. & Ecclesia demum universa in Symbolo Athanasiano. Legi poterunt interpretationes Patrum apud L'Herminier Tom. 3. pag. 181. Nos enim, ut illiusmodi argumentationes penitus evanescant, ac simul responsio nostra suppeditet locorum similium intelligentiam, hæc ducimus reponenda. Tam Hebraicum verbum היה, quam Græcum *γίνομαι*, ac Latinum *fieri*, quæ in præfatis locis occurrunt, plures habent significationes; nam היה idem est, ac *esse*, *compleri*, *evenire*, & aliquando etiam *perire*, *vel frangi*; hoc postremum tamen in conjugatione *Niphal*, ut Daniel VIII. 27. Similiter *γίνομαι* valet *fieri*, *exoriri*, *nasci*, *contingere*, *consistere*, necnon *conjungi*, *accedere*, atque *uniri*. Eadem, & longe amplior est significatio verbi *Esse*, ac *fieri*. Itaque ex verbis Evangelicis *Verbum caro factum est*, optime colligimus naturarum duarum unitionem, nec necesse est intelligere conversionem, & confusionem earumdem. At cur hanc ceteris in locis admittimus? Non ex vi verbi: sed rerum, quæ *fieri* dicuntur. Si enim res nequeat in eam, quam *fieri* dicitur, mutari, absurdum est opinari *factam* taliter, ut sit immutata. Sic verbum mentis fit vox, dum ore profertur quod versatur in mente; sed quum verbum mentis spiritale sit, vox autem sonus sensibilis, nec spiritale in sensibile verti queat; nemo dixerit, dum loquimur, verbum quod fit vox, naturam amittere spiritalem; atque hoc exemplo exponit, *Verbum caro factum est*, Doctorum Aquila Augustinus serm. 187. alias 17. de Tempore. At si natura rerum sit mutationi obnoxia, ut panis, aqua, humanum corpus, & quælibet res creata; ubi *fieri* dicitur aliquid, ac verba sensum exhibent proprium, ac literalem, mutationem naturarum debemus intelligere. Accipe traditam a Sancto Cyrillo regulam in Dialogo de Incarnat. Unigeniti, Tom. V. pag. 717. *At si Verbum, inquiunt, factum est caro, jam non amplius mansit Verbum, sed potius desiit esse quod erat. Atqui hoc merum delirium, & dementia est, nihilque aliud quam mentis errata ludibrium. Censent enim, ut videtur, per hoc, Factum est, necessario quadam ratione mutationem alterationemque significari. Ergo cum psallunt quidam, Et factus est mihi Dominus in refugium: & rursus, Domine, refugium factus es nobis, quid respondebunt? Anne Deus, qui hic decantatur, desinens esse Deus, mutatus est in refugium, & translatus est naturaliter in aliud, quod ab initio non erat? Cum itaque Dei mentio fit, si ab aliquo dicatur illud, Factus est, quo pacto non sit absurdum, atque adeo vehementer absurdum, existimare mutationem aliquam per id significari, & non potius conari id aliqua ratione intelligere, prudenterque ad id, quod Deo maxime convenit, accommodari?*

Addo in iisdem Scripturæ locis talem phrasim contineri, ut non obscure significetur mulieris corpus, virgam Mosis, aquam, ac panem in salis acervum, in colubrum, in vinum, in corporis Christi substantiam fuisse commutata. Enim vero Genesis XIX. 26. habet Hebraicus codex ותהי נציב מלח: *Et fuit cumulus salis*, ac similiter Græcus, *Καὶ ἐγένετο στήλη ἁλός, Et commutata est in columnam salis*: quæ simplex phrasis, verbique absque *subjecto* expressio commonstrat priorem substantiam in alteram fuisse mutatam: quod dici nequit de versu 14. c. I. Joann. ubi subjectum apponitur cum articulo, *ὁ λόγος*; Vulgata autem ibidem legit, *Versa est in statuam salis.* Veram itaque prioris naturæ conversionem istic phrasis ipsa demonstrat.

Idem

Idem dicendum de versu 3. cap. IV. Exodi, ubi extat in Hebraicis ויהי לנחש *Et fuit serpens*: in Græcis, Καὶ ἐγένετο ὄφις, *Evasit coluber*; in Vulgata, *Versa est in colubrum*: eadem scilicet phraseos simplicitate, ac proprietate sermonis. Notandum præterea est in hebraico suffixum ל. quod ut plurimum veram conversionem naturæ pristinæ innuit, ut Genes. II. 7. לנפש, *in animal vivens*: ibidem v. 22. לאשה, *in mulierem*: atque ipso capite IV. Exodi versu 4. למטה, *in baculum*, & versu 9. לדם, *in sanguinem*. In Græco etiam versu proximo conversionem virgæ in serpentem declarant apertissime ea verba: Καὶ ῥάβδον τὴν στραφεῖσαν εἰς ὄφιν. In his ergo locis veram conversionem ipsa verba declarant, & γίνομαι, *fieri*, idem est, ac στρέφομαι, *converti*. In cap. II. Joannis satis ostenditur non fuisse cum vino permixtam aquam, ex quo architriclinus, & convivæ gustu experti fuerint vinum esse merum, *bonum*, ec priori robustius, non autem edmixtum, sive aqua dilutum. Matth. denique 26. de Eucheristico Pane legitur, *Hoc est corpus meum*, τοῦτ' ἐστι τὸ σῶμά μου; neutro pronomine *hoc*, τοῦτο, tametsi masculini generis sint *panis*, & ἄρτος. Demonstrat autem pronomen *Hoc* id, quod ille enunciatione significatur, redditque sensum planissimum, *Hæc res*, demonstrato Corpore Christi, *est corpus meum*. Si eutem permaneret post consecrationem substantia panis, non pronomine hujusce generis usus fuisset Salvator. Sed de hoc postramo loco dicam alibi. Nunc ex ipsa verborum proprietate liquet in omnibus locis supra allatis designari conversionem substantiæ, nec idem affirmandum esse de textu illo: *Verbum caro factum est*.

Verum est aliquid aliud adversus Eutychianos in his Scripturarum textibus adnotandum. Non adeo desipuit Eutyches, ut crederet divinitatem Verbi demutetam in carnem; sed credidit ipsam carnem ita a divinitate absorptam, ut transiens in hujus naturam divine fieret, & quod humanum est, & corporeum factum esset umbratile. Igitur nihil adducta exempla pro Eutychianis efficiunt. Statua enim salis, in quam versa est uxor Lot, vera fuit, & suo tempora adbuc extitisse scripserunt Joseph lib. I. Antiquitatum c. 12. & Rab. Benjamin in suo Itinerario: imo etiamnum persistere, quod incertum est tamen, arbitrantue Bochartus, & Adricomius citati a Tirino; &, si recipiendum foret Targum Jerosolymitanum, stabit usque ad mundi consummationem. Ita serpentis, ac vini substantie vera ac propria dicende est. Idem de Christi corpore in Eucharistia docet Fides Catholicorum, probantque verba ille, *Hoc est corpus meum*, quarum vocum prima est pronomen proprium, ac subjecti demonstrativum, eltera est verbum quo exprimitur vera existentia, & prædicati cum subjecto connexio, tertie nomen est proprium subsistentis carnis, postrema est manifesta nota personæ; nec ulla propositio est, quæ magis expresse literalem sensum exhibeat. Si ergo tenenda est prædictorum locorum æquiparatio, ex illa enuntiatione, *Verbum caro factum est*, consequitur tantum veram post Incarnationem extitisse carnem assumptam a Verbo: quod verissimum est, & immerito negetur ab Eutychianis.

Postremo Joannes Evangelista non solum ad demonstrandam substantialem duarum naturarum unionem inquit, *Verbum caro factum est*, sed etiam ad innuendam earumdem neturarum discrepantiam addidit, *Et habitavit in nobis*. Quod animadvertens beatissimus Joannes Chrysostomus hom. II. in Joan. ait: *Quid enim subjicit? Et habitavit in nobis; tanquam sic te alloqueretur: Vide, ne quid absurdi suspiceris ex illa voce. Non enim mutationem illam immutabilis illius natura significavi, sed habitationem, & commorationem. Porro id quod habitat, non est idem cum eo, quod habitatur, sed diversum*. Hoc itaque loco tam Nestoriana, quem Eutychiane hæresis confoditur, & quemadmodum objectio Nestorii dividentis personam Verbi a persona Christi, ac probantis solam unius in altero inhabitationem ex illis verbis *Et habitavit in nobis*, ratunditur ex præcedentibus, *Verbum caro factum est* demonstrentibus hypostaticam utriusque naturæ unionem: ita objectio Eutychetis ambas naturas confundentis & permiscentis, petita ex verbis illis *Verbum caro factum est*, revincitur ex iis, quæ proxime sequuntur, *Et habitavit in nobis*, aperse commonstrantibus duarum naturarum proprietatem, & discrepantiam.

Sunt etiam aliqua veterum Petrum testimonia, quæ videntur facere pro Eutychianis. Etenim Tertullianus pluribus in locis appellat Christum *hominem Deo mixtum*. Ita in libro de Carne Christi cap. 3. 15. & 21. Apologetici. In lib. autem adversus Praxeam cap. 27. propugnat utriusque naturæ *mixturem*, & conversionem. Idem docet in Epistole ad Volusianum S. P. Augustinus. Eadem est doctrine S. Maximi Episcopi Taurinensis hom. 4. de Nat. Domini, Eulogii Alexandrini apud Photium, Leporii Presbyteri, imo & Leonis Magni serm. 3. de Christi nativitete. Horum loca collegit, expenditque Lupus in Synodum Ephesinam. De Cyrillo, qui unam dixit naturam Dei Verbi incarnatam, plura cap. XV. Favet Eutychianis Julius Rom. Pontifex in Epistola ad Dionysium Episcopum Corinthiorum, ubi aperte unam in Christo profitetur naturam.

Sunt quidem nonnulli, qui hanc Epistolam spuriam censent: sed esse genuinam affirmat Ephræmius Antiochenus, & Gennadius de Scriptoribus Eccl. atque hunc male reprehendi a Baronio ad annum 352. n. 6., observat Petavius lib. IV. de Incarnat. cap. 6. Absque ulla deinde ambiguitate tradit dogma Eutychianum S. Greg. Thaumaturgus in celebri illa sententia, *In Christo non duæ personæ, neque duæ naturæ*. Denique desumi potest pro Eutychianis argumentum ex vetustissimo Scriptora Justino, qui in 2. Apologia instituit comparationem inter Incarnationem Verbi, & Eucharistiæ Sacramentum; & ideo quemadmodum panis fit corpus Christi per conversionem substantiæ, ita Verbum per substantiæ conversionem factum est caro.

His respondentes dicimus Tertullianum, Augustinum, Meximum, Eulogium, & Leporium mixtionis & conversionis nomine intelligere veram assumptionem humanitatis, non talem permixtionem, qualis est corporum liquidorum, ex qua resultat tertia quædam substantia. Et quidem Tertullianus de Carne Christi hunc sibi scopum proposuit, refutandi errorem illorum, qui Christi corpus putabant umbratile atque phantasticum: atque in Apologetico demonstrata utriusque naturæ discrepantia commonet, ne arbitremur talem in Christo esse mixtionem, qualis fit ex auro & argento, dum efficitur electrum. At S. P. Augustinus in Ep. 3. nunc 137. ad Volusianum num. 9. ait: *Inter Deum & hominem* (Christus) *mediator apparuit, in unitate personæ copulans utramque naturam*. Itaque *mixturæ* nomine hanc personæ unitatem intelligit; quod seq. num. II. sic exponit: *Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ, & corporis: in hac persona mixtura est Dei & hominis; si tamen secedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam: quamquam & in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis mixtura est animæ & corporis: persona autem Christi mixtura est Dei & hominis*. Hanc esse S. Leonis doctrinam liquet ex iis, quæ deprompta sunt paullo supra ex aureis ejus contra Eutychetem Epistolis. Idem sensere Eulogius, & alii, qui mixtionis nomine usi sunt, ne quis induceret cum Nestorianis personarum divisionem; ut de Eulogio inquit ipse Photius, & de Cyrillo dictum est supra. Quandoquidem vero Cyrilli mentionem fecimus; dirimit ipse omnem oppositionem lib. I. contra Nestorium cap. 3. *Mixtionis nomen* (inquit) *posuerunt nonnulli etiam Sancti Patres, sed quod metuere te dicis, ne qua confusio contigisse existimetur ad instar liquidorum, quæ inter se mutuo commiscentur, libero te hoc metu. Non sic illi senserunt. Minime: sed ea voce sunt usi, cum summam unionem ostendere studerent*. Julii Epistolam revete suppositam esse probat Leontius in libro de Sectis, ex quo tanquam fetum alicujus Apollinaristæ illam commemoret, ac refellat S. Gregorius Nyssenus in libro, quem adversus Apollinarem conscripsit. Ephræmius autem, qui illam recipit ut genuinam, testatur non *unam* ibidem *naturam* dici absolute, sed *unam naturam divini Verbi incarnatam*: quod jam explicatum est in Cyrillo: ideoque potest probari hæc Epistole, & male raprehenditur a Gennadio. Verba, quæ ex Gregorio citata sunt, sunt hominis Apollinaristæ, & Sancto Episcopo Neocæsariensi perperam afficta, ut animadvertit idem Leontius. Justinus denique in eo comparat Eucharistiam Incarnationi, quod sicut in Christo fuit vera humanitas prædita carne & sanguine, producta divinitus per Verbum Dei; ita in Eucharistia recipimus alimentum, quod vera ac proprie continet sub speciebus panis Jesu Christi carnem & sanguinem. Fieri autem utrobique naturarum eodem pacto conversionem Justinus minime affirmat: *Quemadmodum*, inquit, *per Verbum Dei caro factus Jesus Christus servator noster: & carnem, & sanguinem salutis nostræ caussa habuit: ita quoque illud, in quo per preces Verbi ab ipso profecti gratia sunt acta, alimentum ipsius Jesu Christi Incarnati carnem, & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, tradiderunt ita sibi præcepisse Jesum, & pane accepto, gratiisque actis dixisse: Hoc facite in memoriam mei, Hoc est corpus meum*. Nullus itaque Petrum probavit Eutychetis insaniam; sed omnibus est sententia constans & inviolabilis, quod Unigenitus Dei semetipsum exinanivit formam servi accipiens, neque commixtionem passus, neque divisionem, atque, ut cecinit libro I. de Partu Virginis Honorius Fortunatus:

Non Deus in carnem est versus, Deus accipit artus,
Non se permutans, sed sibi membra levans.

CAPUT XIX.

Quam inscite & impudenter Avitus Academicus insimulaverit Eutychianæ hæreseos Homiliam Clementis XI. Pontificis Maximi.

Oppugnatem hæresim Eutychetis visus est sibi deprehendere in Homilia, quam in sacro Purpuratorum Pe-

trum

trum Senatu, & frequentissima Ecclesiasticorum virorum concione habuit anno 1702. SS. Papa CLEMENS XI. in solemni die Dominicæ Resurrectionis, illamque a nullo Theologo posse a nota hæreseos purgari censuit Jansenianus quidam, qui pervum de hac homilia libellum vulgavit, cum hac inscriptione, *De Clementina periodo. Hodie forma servi reversa est in formam Dei*. His verbis hæresim contineri tam audacter, tam confidenter persuasum habet, ut Romanæ Communionis Theologos, & præsertim Pontificiæ auctoritatis Propugnatores ita alloquatur: *Qui e Magistris vestris ingenio, eruditione, calliditate præstant, ab errore Eutychiano liberent hanc periodum*, &c. Nec est unde miremur hujus insimulatoris licentiam: Jansenianus est enim, idest ex illorum cœtu, quos memoratus Pontifex Maximus exemplo Prædecessorum suorum insectatus studuit omnino comprimere, confirmatis, novisque editis Constitutionibus, quarum alibi mentionem fecimus. Sed quod ait præfatam periodum neque ingenio, neque eruditione, neque calliditate posse demonstrari ab hæresi immunem, id non solum arrogantiæ perversæque mentis indicium est, verum etiam aut summæ ignorantiæ, aut exquisitæ malitiæ, calumniæque execrabilis. Illam quippe periodum veram, libratam, & Catholicam esse consequens propositio suadebit.

PROPOSITIO. Allata Clementina periodus ponderata est, gravis, & ab omni, vel minimo errore immunis.

Demonstratur. Ideo Avitus Academicus Clementinam periodum tamquam Eutychianam ausus est insectari, quoniam *forma* apud plures Ecclesiæ Patres *naturam* significat; & consequenter sicut forma, & natura servi secundum Christianæ Religionis effata nunquam fuit forma Dei; sic nec in illam resurgente Domino reversa fuit, nec reversura est unquam. Hæc tota Aviti argumentatio, nullo ingenii acumine, nulla dialectica arte, nulla, si ipsi fides est adhibenda, orationis solertia dispellenda. At *formæ* vocabulum sæpenumero significare *naturam*, præsertim apud Patres, qui Eutychetem confutarunt, verum est; hanc solam significationem habere, falsum est penitus. Plura congerit Avitus testimonia, in quibus duplex forma enuntiatur de Christo, scilicet, duplex substantia. Nos omnia probamus: revera enim habuit Salvator *formam Dei, in qua æqualis est patri, & formam servi, qua minor est patre*; inquit in Psalmum 63. Augustinus. At num id tantum *forma* significat? Minime: & apud Latinos, & apud Græcos, non profanos tantum, sed etiam sacros, divinosque Scriptores commonstrat effigiem, imaginem, & externa latentis naturæ, dignitatisque argumenta. Hoc sensu usurpat vocem illam Cicero in 2. de Officiis, & 2. de Finibus. Virgilius in 6. Æneid. Terentius in Andria, & nullus est, qui non habeat in sermonis consuetudine, *Egregias forma, forma liberali, forma bona*. Clemens autem XI. latini sermonis proprietatem, quantum singula ejus scripta testantur, novit maxime. Non solum latinum *forma*, etiam græcum μορφή cum naturam, tum externam faciem significat. Duplicem naturam demonstrat Apostolus ad Philippenses scribens: Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, &, μορφὴν δούλου λαβών. *Qui cum in forma Dei esset*, &, *Formam servi accipiens*. Pro effigie, ac faciei imagine usurpatur vox eadem μορφή, Marci XVI. 12. ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *in alia effigie*. Itaque Clemens XI. dum ait, *Hodie forma servi reversa est in formam Dei*, non commixtionem ostendit humanæ divinæque naturæ, sed commutationem corporis tot vulneribus sauciati, & cujus non erat species aut decor, in splendidum ac redivivum, ita, ut quemadmodum ex priori effigie dignoscebatur humanitas, ita ex gloria resurgentis sit manifestata divinitas. Non ergo natura in naturam reversa est; sed nostræ mortalitatis imago in gloriam immortalitatis: ex qua Christum, quem reputarunt scelerosum & impium, agnoverunt esse mundi Reparatorem, & unigenitum Filium Dei.

Neque, ut Clementina oratio hunc referat sensum, indiget benigna interpretatione legentium. Sensum ipsum exhibet, & ob oculos statuit, ut qui illum non percipit, aut detorquet, vel insigniter sit malignus, vel habeat fungum pro cerebro. Enimvero in eadem Homilia ad hunc modum loquitur Romanus Pontifex: *Hodie nimirum novus Adam non in animam viventem, sed in Spiritum vivificantem formatus apparuit, novam mundo daturus progeniem, non terrenam & sordidam, sed cælestem & splendidam. Hodie verum Dei Templum Judaica nuper impietate destructum divina post triduum Omnipotentia reparavit. Hodie forma servi reversa est in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad pristinæ altitudinis rediit majestatem. Hodie qui traditus fuerat propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram. Reddunt inferna victorem, suscipiunt superna triumphantem; infirmitas quippe in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam*. Vides quid sit formam servi in Dei formam reverti? Non est utriusque naturæ permixtio, sed passionis, & contumeliæ in gloriam Resurgentis commutatio. Christus enim resurgens a mortuis, jam non moritur; atque *vir dolorum, cui non erat species, neque decor, despectus & novissimus virorum, in quo posuit Dominus iniquitates omnium nostrum: factus est speciosus præ filiis hominum: factus est incorruptibilis, qui potuit vulnerari: factus est immortalis, qui potuit occidi: factus est impassibilis, qui potuit crucifigi*: inquit idem summus Pontifex homilia, quam habuit in eadem solemnitate anno 1704.

Cum ita verborum suorum Clemens XI. sit tam disertus, atque accuratus interpres, neque ex eadem homilia potuerit invidus improbusque obtrectator haurire suspicionem erroris; undenam illam venefico ore potuit ebibere? Num alicubi fidei Custos & Ecclesiæ Pastor Eutychianum se prodit? Sed legat calumniator homiliam, quam in die dominicæ Nativitatis habuit eodem anno 1704. Pontifex sapientissimus. *Ineffabile divinum Verbum*, (inquit) *quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat; a Patris sinu prodiens, Patri coexistens, Patri coæternum, in ipsa Patris substantia semper manens, & ex ipsa semper effulgens; hoc sane Verbum, ut nuper audistis, caro factum est, & habitavit in nobis: in nobis, quos Verbi sibi divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis sumpta nos fumus; gemina nimirum in unam Personam conveniente natura, verus Deus, & verus homo natus est Christus, ut illi vera inesset Deitas ad miracula operum, nec vera deesset humanitas ad tolerantiam passionum*. Atque tam aperta hæresum omnium adversus Domini Incarnationem, & maxime Eutychianæ, damnatio nonne debuit putidum Aviti os obstruere, & impudentem linguam frenare?

Sed quod magis damnat hominis audaciam: illa eadem Clementina periodus verbis Patrum contexta est. Desumptam ex Arnoldo Carnotensi, qui floruit ætate Sancti Bernardi, & cujus opera extant Tom. XXII. Biblioth. PP. animadvertit vir doctus Philippus Vanwaure nostri Ordinis, in Velitatione hæresis Jansenianæ, quam inscripsit *Augustinus Europæus*. Sed habet Auctorem longe celebriorem, sanctissimum nempe Martyrem Cyprianum; qui sermone de Resurrect. pag. 443. inquit: *Hæc Paschalia gaudia ipsi Angelici Spiritus, & resurgentis Domini gloriam admirantur; lætantur, & delectantur in eo, quod forma servi reversa sit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit majestatem*. Confer modo, Avite, cum Cypriano Clementem. Hic loquitur ad hunc modum: *Hodie forma servi reversa est in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad pristinæ altitudinis rediit majestatem*. Cyprianus ait: *delectantur in eo, quod forma servi reversa est in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit majestatem*. Non opus hic est Magistris, qui præstent ingenio, eruditione, & calliditate: eadem Cyprianum scribere, eadem Clementem, videt enim lippiens, ac tonsor. Igitur aut Eutychianus uterque est, aut nec unus, nec alter. Quis autem audeat rodere Cypriani orationem, tamquam errore Eutychiano conspersam?

Non video, quid respondere possit Calumniator, nisi forte aliam verborum cautionem adhibendam fuisse Clementi longe post damnatum Eutychetem in conspectu universalis Ecclesiæ peroranti, quæ adhibenda non fuit Cypriano antiquiori tempore, atque in privata Ecclesia concionem habenti. Quod si forte effutiret, id magis ipsius Aviti contunderet temeritatem. Loquens enim Pontifex in Catholica Ecclesia, atque in cœtu Orthodoxorum Procerum, *non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, securius loquebatur*. Atque hac responsione, qua Magnus Augustinus vindicat adversus Julianum lib. 1. cap. 6. quamdam sententiam Chrysostomi, farta tectaque esset Clementis oratio, quamquam foret ob aliquam texturam minus accuratam verborum sensus ejusdem orationis ambiguus. Apertissimus est tamen, ponderosus, Patrum undique auctoritate munitus, nec unum fere verbum ibidem occurrit, quod perspicuo simul mirabilique artificio non sit e Sanctorum libris depromptus. Illa quoque interpretatio, quam desiderare posset Criticus submorosus, ut liquatissime ex dictis apparet, eidem periodo subnectitur. Ad frangendam præterea Janseniani hujus audaciam accedit sermo XXXVII. Petri Chrysologi Ravennatensis Antistitis, in quo legimus: *Numquid Dominus, ut hominis faciem præferret & formam, formam propriæ deitatis aufugit?* En vocabulum *formæ* in eodem Clementinæ periodi sensu usurpatum a viro doctrina ac sanctitate spectabili, qui floruit vivente Eutychete, & adversus illum gloriose stilum exercuit.

Plura adversus summi Pontificis impetitum, injustissimumque accusatorem non proferam, tametsi possem permulta; ne forte opinetur, nos aut dissertationem illam pluris facere, aut ab ipsa mentem nostram quamvis perhumilem, & angustam plurimum coarctari. At hæc respondere placuit, ut agnosceret quanta facilitate machinam, quam putat firmissimam, subvertamus. Bovem pinguem ac frisium, quem promittit se dono missurum ex Hollandia ei, qui satisfecerit exornatæ a se lucubrationi, illi det, qui ipsum a nota ignorantiæ atque audaciæ adhibito omni conatu defenderit.

C A-

CAPUT XX.

Explicantur Scholasticorum placita circa naturam, proprietates, caussam, terminumque unionis hypostaticæ.

PLURA Scholastici disputant de *hypostatica* unionis natura, proprietatibus, caussa, ac termino: quorum si velimus prolixam habere dissertationam, prætermittenda nobis erunt utiliora, cum gravissimæ nobis adbuc dirimendæ sint controversiæ. Ut ergo Scholarum placita brevi expediamus; duarum naturarum unitionem quidam constituunt in *modo* ab extremis distincto, ut Scotus in III. dist. I. Suarez disput. VIII. sect. 3. Vasq. disp. XVIII. c. 3. Salmanticenses disput. IV. dub. I. Gabr. a S. Vinc. disput. 2. dub. 7. L'Herminier de Un. hyp. q. 2. aliiqua complures: quidam vero ab extremis negant illam distingui, ut Cajetanus in 3. p. q. 2. art. 7. Gonet disp. VI. art. 3. Maignan Ph. Sacræ p. I. c. 21. Juenin dissert. V. q. 3. Tournely quæst. VII. art. 2. atque ex nostratibus Ægidius in 2. dist. 2. Gregorius Arimin. in I. dist. 28. q. 2. Gerardus dist. 7. q. 3. Gavardi quæst. V. art. I. & fere omnes ab eodem Gavardi n. 8. laudati. Nos vero horum sententiæ absque ulla animi fluctuatione subscribimus. Principio enim non admittitur a nobis *modum* esse *entitatem* aliquam distinctam e subjecto, licet fateamur esse *habitudinem* quamdam intrinsacam, sive potius ram ipsam tali affectione præditam, & veluti sigilli impressionam, inhærentem quamdam *formam* a substantia indistinctam; ut diximus de relationibus, ac de habiribus disputantes. Deinde nullam aliam *hypostatica* unionis perceptionem ex Scripturis, ac Patribus in velitatione præcedentium hæresum productis haurire possumus, quam mirabilis œconomiæ, per quam Dai Verbum in unitatem personæ *formam servi*, idest, humanitatem assumpsit: cujus assumptionis modus captum superat humanum, neque potest per *entitatulam* aliquam productam innotescere mortalium mentibus. Præterea, ne vulgarem ratiocinationem omittamos, si duo habeant rationem *potentiæ*, & *actus*, quamadmodum habent corpus & anima, materia & forma; nullo egent superadditio nexu, quo, tanquam confixo clavo duæ tabulæ, colligentur; sed per se immediate uniuntur. Insuper, ut argumentatur citato loco Gregorius, non solum natura humana est unita Verbo, verum etiam Verbum est unitum naturæ humanæ; nec tamen ad hanc unionem explicandam recurrendum est ad modum, val entitatem ipsi Verbo inhærentem, cum divina persona nequeat recipere *entitatem* aliquam, qua intrinsece afficiatur.

Ducuntur qui oppositam sententiam tenent momentis stiusmodi. Primum, cum *hypostatica* unio sit actio, correspondere huic debet aliquis productus effectus, qui utique non est humana natura, cum potius hæc sit tarminus creationis, ideoque erit *entitas* illa, sive *modus* ab axtremis distinctus. II. S. Thomas 3. p. q. 2. art. 7. invicte damonstrat unionem esse *aliquid creatum*, quoniam non fuit ab æterno, & quicquid incipit in tempore, creatum est. III. Possunt Verbum & humanitas simul esse, quin sint unita hypostatice. Unio ergo, inquit Maurus lib. IX. q. 25., est aliquid a Verbo, & ab humanitate distinctum. IV. Quod est indifferens, per aliquid adventitium determinari debet. At natura creata indiffarens arat, ut assumeretur a Verbo. Itaque per modum aliquem adventitium determinata est. V. Plura enuntiantur de humanitate unita Verbo, quæ non verificantur de ipsamet humanitate Verbo non unita: quarum oppositarum enunciationum ratio nulla est, nisi facta in humana natura mutatio.

Verum facile est hæc argumenta discutera: ad primum namque dicimus *Incarnationem* duas actiones comprehendera *connotative* distinctas, idest, naturæ humanæ productionem, quæ est creatio, & refertur ad totam Trinitatem tanquam ad caussam afficientem, & ad humanam naturam *in se spectatam*, tanquam ad effectum productum; & ejusdem naturæ homanæ terminationam, quæ ast Verbi assumptio, & refertur ad solum Filium tanquam ad principium suam tribuens subsistentiam, atque ad naturam humanam *prout subsistit divina hypostasi*: quare cuilibet actioni tarminus respondet suus, creationi natura humana *absolute* spectata, idest, ut a Trinitate producta; assumptioni natura humana spectata *connotative*, idest, ut per Verbum subsistens. Ad auctoritatem Sancti Thomæ respondet Cajetanus *esse creatum*, quod intervenit in uniona hypostatica, esse *passionem qua natura humana trahitur ad esse Verbi*: nos eidem responsioni insistentes dicimus, quod sicut unio *hypostatica* est actio facta in tempore *connotativa, ac terminativa*, ita habet effectum suum creatum quidem, sed connotantem divinum Verbum, a quo terminatur, idest, naturam humanam ut subsistentem: quod non repugnat Sancto Thomæ scribenti q. 6. art. 6. ad I. *Unio naturæ humanæ ad Verbum est secundum esse personale, quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediate ab ipsa natura*: qua auctoritata Gonat loco cit. n. 46. sententiam confirmat nostram. Corruit eadem responsione argumentum Mauri, propterea quod nequeat non esse unio *hypostatica*, ubi est humanitas *connotative* accepta, hoc est hypostasi Varbi subsistens; quamvis non percipiatur unio, si humanitas in se tantum absque tali connotatione spectetur. Non aliam responsionem adhibebo ad quartum; natura enim creata determinatur *ut sit Verbi* per hujus hypostasim, quæ illam *connotative* tantum immutat. Utor eadem doctrina, ut me expediam ab argumentatione postrema, quandoquidem ad salvandas anuntiationes oppositas sat ast distinctio *connotatorum*, ut demonstravi lib. II. c. 3. atque vi hujus distinctionis natura humana, ut subsistens divina hypostasi, dicitur Filius Dei, qualis non dicitur absolute in se inspecta. Positis itaque principiis nostris quamfacillime hæc prima quæstio diluitur.

Quantum pertinet ad unionis *hypostaticæ* proprietates, consentiunt Theologi omnes illam esse substantialem, naturalem, omnium maximam, & perpetuam atque indissolubilem. Substantialem essa constat ex his, quæ diximus adversus Nestorium, a quo nulla alia inter Deum hominemque unitio admissa fuit, prætar moralem, & extrinsecus adscitam. *Substantialem* itaque illam appellamus, quatenus utraque substantia divina & humana in eadem hypostasi conjunctæ persistunt, ut in una persona hominis anima spiritualis & caro. *Naturalem* vero hanc unionem dicimus contra Eutychetem, qui nonnisi unam naturam adstruit confusam atque permixtam; quippe ubi unum perit, aut in alterum permutatur, non unio intarvenit, sed mixtio, aut corruptio: sive *naturalem* dicimus, prout idem ast, ac vera, sina fuco, & absque simulationa, ut explicavimus in tartio Anathematismo Cyrilli. Nam si *naturale* accipiatur, prout idem valet, ac necessarium, naturæ debitum, aut ex naturæ conditiona promanans; constat unionem *hypostaticam*, quæ maxima gratiarum est, divinaqua liberalitata peracta, dicendam non esse naturalem. Esse autem omnium maximam facile quisque percipiet, si attendat utriusque naturæ diversitatam, Deique & hominis discrepantiam: si animadvertat non potuisse humanam naturam altius attolli, ut libro proximo exponam; si denique inspiciat non ad tempus divinum Verbum humanam assumpsisse naturam, sed illam evectam ad Patris dextaram in perpetuo ac sempiterno regno locassa. Atqua hæc est tartia *hypostaticæ* unionis proprietas, videlicet, indissolubilis humanitatis cum divinitata conjunctio: quam nagavit Origenes affirmans post resurrectionam totam naturam corporis interimram, refutatus a Theophilo in Epistola 2. Paschali, nec non Marcellus Ancyranus: de quo Eusabius in III. libro de Eccl. Theologia c. 13. & contra eumdem Marcellum lib. II. c. I. S. Basilius Epist. 52. & Cyrillus Hierosolym. Catech. XV. Revincitur autem aperta hæc hærasis ex quo collata Christo filio Davidis potastas sempiterna, & absque fine dicatur Dan. VII. 14. & Lucæ I. 33. aliisque in locis; eaqua de omni corpora interitum sententia sit purum putumque deliramentum directe pugnans cum iis, quæ alibi diximus de corporum resurrectione. Quare de unionis *hypostaticæ* proprietatibus hæc perpauca dicta sint.

Disputatur præterea in Scholis, an hæc unio facta sit in *natura*, an in *persona*: quæ pariter quæstio ex refutatis hæresibus aperte diluitur. Nam si sensus sit, num divina & humana natura in unam coaluerint; liquet id falsum esse, & de fida tenendum oppositum adversus hæresim Eutychianam: si vero sit sensus ambas naturas fuisse in eadem persona conjunctas, istud contra Nestorianos est asserendum. Ideoque illarum hærasim præmissa rafutatio istam quoque difficultatem eliminat. Controvertitur tamen inter eos, qui distinctionem intrinsecam statuunt inter Verbi divinam naturam, ejusqua *personalitatem*, an natura *immediate*, an ratione *personalitatis* humanam carnem assumpserit: verum nos, qui divinam essentiam et hypostasim unam simplicissimam rem, sola terminorum connotatione diversam lib. IX. c. 2. propugnavimus, nulla hac in re dubitatione distrahimur, asserimusque inconctantar tribuendam naturæ humanæ assumptionem divino Varbo, sive personæ, quæ tamen est ipsamet Dei natura, non *absolute* accepta, sed tantum *connotative*; cum sint una summa res, incomprehensibilis, & ineffabilis Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Nam si humanitatis assumptio tribuenda foret naturæ divinæ, idest, summæ illi rai ineffabili *absolute* considerataæ, non solum Verbum carnem assumpsisset humanam, sed etiam Spiritus sanctus, ac Pater, & vara esses hæresis Theopaschitarum. Possumus tamen in verbo *assumendi*, ut diximus paullo supra, distinguere principium *actionis* a principio *terminationis*, & illud tribuere divinæ naturæ singulis personis communi, illud vero propriæ Filii hypostasi, sive *personalitati*; ut observat illustris Estius in III. dist. XV. §. I. Nam efficientem caussam *Incarnationis* fuisse totam Trinitatem, quatenus illa actio est, controverti nequit, ut dicam proximi lib. c. IV. inquirens cur divini Verbi conceptio tribuatur Spiritui sancto, quamvis illam operata sit tota Trinitas.

Cum nulla itaque oriri possit difficultas de caussa *Incarnationis* efficienti, disceptatur in Scholis de caussa meritoria: & quæritur an *Incarnationem* merari potuerint Sancti Patres, qui illam assiduis precibus ante Christi adventum

ventum petierunt ; an beatissima Virgo, quæ inter omnes mulieres benedicta fieri meruit Dei genitrix ; an saltem sacrosancta Christi humanitas ad gratiam *hypostatica* unionis evecta. Consentiunt autem Theologi omnes, nullum meritum *de condigno* potuisse in operibus aut veterum Patrum, aut Virginis intemeratæ inveniri, cui responderet tam eximium amplissimumque beneficium, quale est humanam naturam divino Verbo conjunctam esse substantiali unione. Et satis manifestam rationem proferunt, quoniam inter merita cujuslibet creaturæ, & maximum *Incarnationis* beneficium nulla excogitari potest proportio : unde illud divinæ misericordiæ, & caritati in sacris literis passim adscribitur. At si loquamur de merito *de congruo*, quod hujusmodi proportionem non exigit, tam beatam Virginem, quam Patriarchas promeruisse *Incarnationem* divini Verbi, quoad *substantiam*, & quoad *circumstantias*, scilicet promeruisse ut Verbum naturam indueret nostram, & eam assumeret ex Abrahami Davidisque posteritate, atque citius, quam fortassis id perfecisset, sentiunt Theologi bene multi, Alvarez disput. xvii. num. 12. Joannes a S. Thoma disput. v. art. 1. Gonet disput. vii. art. 6. Suarez. disp. x. a. 6. Salmant. disput. vii. dub. 3. L'Herminier Tom. 3. p. 130. aliique. E contra Sanctos Patres promeruisse *Incarnationis* divinæ *circumstantias*, idest, accelerationem, electionemque stirpis Davidicæ, & beatissimam Virginem promeruisse tantum gratiæ augmentum, ut fieret dignum divini Verbi, ac Spiritus sancti habitaculum, non vero, ut *Incarnatio* fieret, & ipsa eligeretur in Dei matrem, tenent Theologi alii in Schola celebres, D. Bonavent. dist. iii. a. 2. Scotus in iv. dist. ii. q. 1. Noster Ægidius quodlib. v. q. 4. Gavardi q. iii. de Incarnat. art. 3. Vasq. disput. xxiii. cap. 5. & alii complures ; quibus subscribentes asserimus neminem quoad *substantiam* ullo pacto divinam *Incarnationem* promeruisse, sed tantum quoad *circumstantias*.

Hujus assertionis fundamentum est, quoniam Scripturæ, Patres, ac ratio ipsa ita divinæ misericordiæ & dilectioni tribuunt Unigeniti Filii Dei adventum in carne, ut satis appareat nullo hominum merito fuisse illectum atque permotum ; sed in hoc maxime divinam splendescere caritatem, quod per mortem Christi Deo reconciliati sumus, cum essemus filii iræ, filii vindictæ. Videatur Apostolus ad Titum II. 11. & III. 4. ac Joannes Epist. 1. cap. III. 10. Quibus in locis persuasum mihi est, omne excludi meritum tam *de congruo*, quam *de condigno* : quippe nulla excogitari possunt merita, ubi nulla præcedunt justitiæ opera, & ubi nulla dilectio nostra supponitur, quæ tantam Dei caritatem attraxerit. Est autem gratiæ maximum argumentum, si Dei munera nullis præcedentibus meritis conferantur. Accedit quod omnes in Adam peccaverunt, & *omnes egent gloria Dei*, ut inquit Paulus ad Rom. iii. 23. idest, indigent omnes Christi Redemptione, quæ a peccato liberet, aut præservet ; & nullus prorsus post Adæ lapsum quicquam Deo acceptum patrare potest absque gratia Liberatoris : ita enim Apostolicam sententiam exponit Magnus Augustinus Enarrat. 2. in Psal. xxx. num. 6. Quare omne meritum, etiam *congruum* duntaxat, gratiam supponit : gratia autem prædefinitam *Incarnationem*. Insuper nullum excogitari potest meritum absque fide, quam nonnisi per Christum donari tradit Paulus ad Philipp. 1. 29. affirmatque Augustinus de Grat. Christi cap. xxxii. num. 34. aliisque in locis sexcentis. Jure itaque, meritoque cum eodem Augustino concludimus : *Neque enim merita nostra præcesserunt pro quibus Filius Dei moreretur : sed magis quia nulla erant merita, magna erat misericordia*. Videsis in Psalmum lxxxv. num. 2.

Supposita autem gratia ex prævisis Christi meritis collata, potuisse promereri antiqui fœderis Patres *circumstantias* Incarnationis, verissimum est, quoniam gratia ac libertate præmissa habetur quicquid requiritur ad merendum. Atque hinc legimus de Abrahamo Genes. xxii. 16. benedicendas in semine ejus omnes gentes, quia unigenito suo non pepercit. Similia habentur Ps. civ. 9. & cxxx. 11. Lucæ 1. 55. Act. ii. 30. Gemitus quoque, & vota Patrum promeruisse *Incarnationis* accelerationem colligi potest ex Psalm. xi. 6. & ex Daniele cap. ix. 24. Adstipulatur & ratio, quam indigitat D. Thomas 3. p. q. 2. art. 11. quia scilicet *congruum erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant*. Hac ratione beata Virgo suffulta supernæ gratiæ auxiliis potuit, ut ibidem ad 3. ait S. Thomas, ad illam sanctitatis excellentiam pertingere, per quam congrue fieret Dei genitrix : quo sensu inquit Ecclesia, Beata viscera Mariæ Virginis, *quæ meruerunt portare Dominum Christum*, & Venantius Fortunatus :

Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Atque, ut liquet ex dictis libro xix. cap. 8. gratia *habituali* supposita, non solum *de congruo*, verum etiam *de condigno* potuit beatissima Virgo augmentum illud sanctitatis promereri. Quamquam hæc gratia ipsi ad promerendum collata supponit prædefinitionem Dominicæ *Incarnationis*, ejusque Virginis prædestinationem in Dei Matrem, quia Deus ex intentione finis media impertitur ; ideoque gratiæ quidem incrementum promeruit, at non ut Verbum fieret homo, & seipsam in matrem præeligeret.

At inquiunt sententiæ oppositæ assertores : Quum omnes prædestinati mereantur gloriæ consecutionem, quamvis ipsa prædestinatio omne antecedat meritum ; quare mereri non potuerunt veteres Justi incarnationem *in executione*, tametsi hujus prædefinitio sit munificentissimæ caritatis Dei beneficium ? Huic argumentationi, quam Scholastici recensiti priori loco verbis collocupletant, respondemus Christum nobis gratiam promeruisse, non quatenus prædefinitus a Patre, quia in hac prædefinitione nullum habent locum ipsius merita, ut Augustinus docet de Præd. SS. cap. xv. n. 31. sed quatenus Patri obediens subeundo crucem mundum redemit, in quo ejus obedientia meritumque deprehenditur, ut Apostolus ait ad Philipp. ii. 8. & ad Hebræos ii. 9. & consequenter quodlibet meritum præsupponere non solum Christi prædestinationem, verum etiam præscientiam peractæ *Incarnationis* : unde sicut mortalium nemo potuit mereri prædestinationem Christi, ita nemo mereri potuit ejus *Incarnationem* quoad *substantiam*, cum utraque omne meritum in Dei præscientia antecedat. Aut respondemus *gloriam* esse caussam finalem, quæ non præexistit effectui suo, & unionem *hypostaticam* esse meritorum omnium caussam effectricem ac meritoriam, quæ non operatur nisi præsupponatur ipsius existentia, ut disput. vii. dub. 2. demonstrant ipsi Salmanticenses.

Ex his infertur, neque Christi humanitatem sui cum divino Verbo unionem promeruisse : quod sequenti argumentatione confirmatur. Vel enim humana natura hanc unitionem promeruit per opera præcedentia, priusquam Christus conciperetur, vel in illo *priori naturæ*, in quo percipitur producta, antequam assumeretur a Deo, vel per opera *hypostaticam* unionem consequentia. Nequit primum affirmari, cum animæ Christi ante *Incarnationem* præexistentia sit Origenianum figmentum refutatum lib. xii. cap. 4. unde recte Augustinus citat. cap. xv. de Præd. SS. num. 30. ait : *Respondeatur quæso : ille homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit ? Quod ejus bonum qualecunque præcessit ? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret ?* Nec affirmare possumus humanitatem Christi promeruisse in illo *priori naturæ*, quo percipitur producta priusquam assumeretur a Verbo Deo, quoniam in illo a nobis excogitato momento, nondum natura humana subsistebat, & incapax erat operandi, alioqui si subsistentia prædita esset, Verbum Deus assumpsisset etiam personam hominis, ut opinabatur Nestorius : ideoque Augustinus cap. xxxvi. Ench. num. 11. *Numquid antea*, inquit, *fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cum singulariter promereretur Deum ? Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo, quam Dei filius*. Denique mereri Christus non potuit per opera subsequentia, tum quia nemo aliquid meretur, nisi supponatur existens, ut dictum est nuper, ideoque omnia merita Christi supponunt peractam *Incarnationem* : tum quia ait S. Thomas citato art. 11. *Gratia non potest cadere sub meritum, quia est merendi principium : unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ*. Quod & rationi consentaneum est, quoniam omnis caussa præcedit effectum ; & gratia, quæ est principium meriti, nequit esse prævisi operis merces ac præmium, ut autumabant hæretici Pelagiani.

Solent opponi verba Psal. xliv. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* ; & Apoc. v. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem* : quæ videntur Origenis confirmare sententiam. Sunt & quidam, ut Suarez disp. x. sect. 4. Conink de Actib. supern. disput. viii. art. 7. & Ripalda disp. 86. qui contendunt non repugnare, quin Christus unionem *hypostaticam* potuerit promereri : & quorum præcipuum argumentum paullo supra productum est, videlicet, potuisse Deum decernere *Incarnationem* executioni mandandam dependenter a meritis Christi, licet gratis prædefinitam ; quemadmodum per merita prædestinati consequuntur gloriam, ad quam electi sunt sine meritorum præscientia. Addunt etiam actus caritatis disponere ad gratiam *habitualem*, & nihilominus ab ipsa gratia produci : atque ratione consimili posse unionem *hypostaticam*, quamvis sit principium meriti, merito tamen rependi. Quidam denique illud afferunt, si principium intellectionis, idest, mens rationalis cadit sub intellectione : quare principium meriti, hoc est, *unio hypostatica* non potest cadere sub merito ?

His brevi occurrentes respondemus ad primum, in Psal. xliv. *oleum lætitiæ* significare Christi exaltationem, hoc est, gloriam resurrectionis, ascensionis, dominationisque, ut Breviario in Psalm. inquit Hieronymus : aut si *unctionis* nomine intelligamus unionem hypostaticam, *propterea*, idem esse, atque, *in hunc finem*, & sensum reddere, unctum Christum *oleo exultationis*, & naturam humanam assumptam a Verbo, ut Redemptor noster

quo-

tendigne fungeretur Mediatoris officio, & excellentissime diligeret & exequeretur justitiam. In quinto pariter Apocalypseos *divinitas* idem est, ac divinus honor, & nominis Christi exaltatio, quam idem Christus sua morte promeruit, ut ad Philipp. II, 9. scribit Doctor gentium, sive divinæ gratiæ profusio, ad quam significandam habent Græci Codices, non *divinitatem*, sed *θειότης*, *divitias*. Quod sequitur, facillime expeditur: commentitium est enim decretum, quo prædefiniatur *Incarnatio* per merita subsequentia, quia non potest præcognosci meritum ante existentiam personæ merentis: potest autem decerni gloria independenter a meritis, quibus comparatur, quia finis præeligitur ante prædefinitionem mediorum. Adde quod in prædestinatione ad gloriam per merita comparandam, ipsa merita non præcedunt, sed subsequuntur gratiam, propriamque caussam effectricem: at si Christus prædestinatus esset ad unionem *hypostaticam* per propria merita, hæc prænoscerentur ante suum principium efficiens, & effectus præcederet caussam, atque prima meritorum origo esset merces. Posset argumentatio proxima eludi reponendo dispositiones pendere a *forma*, tanquam proprietates causæ *formalis*, & ad ipsam *formam* disponere tanquam adminicula causæ efficientis, nec repugnare mutuam causalitatem in diverso causarum genere; repugnare autem in genere eodem, quale profecto esset, si merita præcederent ut causa moralis efficiens unionem *hypostaticam*, quæ est causa moralis efficiens meritorum: sed his omissis, dico contritionem quæ præcedit gratiam *habitualem* esse effectum gratiæ actualis: & si supponat gratiam *habitualem*, non ad ipsam disponere, sed ad ejus augumentum. At in solutione postremi argumenti non immorabor; etenim mens, sive principium intelligendi cadit sub intellectionem *tanquam objectum*, quod præsupponitur ante ipsam intellectionem; *hypostatica* autem unio caderet sub meritum, *tanquam effectus*, qui nequit præsupponi ante caussam; ne repetam præmissam contradictionem, quod si gratia principium meriti caderet sub meritum, merces ac præmium esset, non gratia. Hactenus de caussa unionis hypostaticæ meritoria.

Circa assumptam a Deo Verbo naturam plures in scholis instituuntur quæstiones, ac præsertim, num eamdem carnem, quam Filius assumpsit, potuissent etiam assumere Spiritus sanctus ac Pater, num una duntaxat persona assumere potuisset naturas duas, num potuisset Deus terminare naturam aliam destitutam ratione, cur Filius, non persona alia, nostram induerit *formam*, cur non Angelicam substantiam; & quæstiones alias ejusmodi, in quibus terere nos tempus, ingeniumque torquere dictitant Insectatores Scholasticæ, ut vidimus in Prolegomenis. Brevi nos, non pertimescentes linguarum flabella, sed aliarum rerum inquisitioni multivolum animum addicentes asserimus potuisse omnes sacrosanctæ Trinitatis personas assumere naturam unam, cum singulæ eamdem potentiam, virtutemque divinam habeant, necnon propriam hypostasim ac substantiam. Nec inde sequeretur, assumptum hominem esse unum, & non unum; quoniam *τὸ unum* significat unitatem duntaxat naturæ, quæ triplici terminata esset hypostasi; quemadmodum *unus Deus* commonstrat unam divinam naturam in tribus personis subsistentem: & quemadmodum unitas personæ assumentis non infert modo unitatem naturæ assumptæ; ita in hypothesi pluralitas personarum non inferret assumptæ naturæ pluralitatem. Ita S. Thomas 3. p. q. 3. art. 5. Thomas de Argentina in III. dist. 1. q. 2. art. 3. Vasquez disput. xxta. c. 2. aliique communiter, excepto tamen Scoto, ejusque assectis: pro quorum sententia legi potest Mastrius disp. 1. q. 8. art. 1. & Frassen disp. 1. art. 2. sect. 2. q. 3.

At posse eamdem divinam personam assumere naturas duas sanctus Thomas eadem q. art. 7. Scotus in 3. dist. 1. q. 3. & utriusque discipuli, aliique omnes affirmant, eo quod divina persona virtutem infinitam habeat, quæ per *terminationem* unius naturæ finitæ nequit exhauriri. Discrepant Theologi, an duæ illæ naturæ essent unus homo, vel duo: ac futurum unum tenent Thomistæ, quibus accedunt Suarez disp. XIII. sect. 3. aliique permulti; futuros duos homines censet ibidem Scotus, & Frassenius Concl. 2. necnon Vasquez 1. p. disput. clv. c. 5. Sed hanc controversiam inniti arbitror sola æquivocatione vocabulorum; enimvero si substantivum nomen *homo* accipiatur pro *forma*, sive natura, haud dubium, quin in hypothesi duo homines forent dicendi: & quoniam revera nomina substantiva primario *formam* ac naturam significant, hac in parte subscribendum arbitror Scoto, cui etiam ex nostris assentitur laudatus Thomas de Argentina dist. 1. art. 4. At si vocabulum *homo* accipiatur *concrete*, prout connotat *formam* simul ac suppositum, & nullum est dubium fore in hypothesi unum hominem, quemadmodum unus dicitur artifex idem homo pollens duabus artibus. Atque hoc exemplo confirmant D. Thomæ sententiam Suarez loco citato, & Gabr. a S. Vincentio disput. III. dub. v, Quamquam nescio, num allatum exemplum sit ad rem, cum *artifex* juxta regulam a nobis traditam lib. IX. c. ult. nomen sit adjectivum, connotans personam artificium aliquod exercentem. Hinc S. Thomas aliam sententiam sequitur in Summa cit. artic. VII. aliam in III. sent. dist. 1. q. 2. art. 5. non sibi contradicens, ut falso opinatur Thomas de Argentina, sed varia nominum significatione accurate spectata. Ad omnem ergo amphiboliam evitandam satius est dicere futuram in hypothesi unam personam subsistentem in duplici natura humana; quemadmodum in præsentia dicitur Christus una persona habens naturas duas, humanam, atque divinam.

De natura irrationali, si veterum perpaucos, Picum Mirandulanum, ac Tournelium excipias, illam potuisse assumi a Verbo, consentiunt Scholastici ea ratione ducti, quoniam quicquid gerere potest vicem personæ, idest, tribuere alienæ naturæ subsistentiam, potest quoque supplere munus *suppositi*, propriamque alteri communicare existentiam. Frassen id confirmat sect. 3. q. 1. concl. 2. testimoniis Patrum, eaque produxerat antea Vasquesius disp. xxx. cap. 2. Addunt alii Christum in triduo mortis tradidisse spiritum, sed non fuisse corpus exanime a divina persona sejunctum: de qua re alibi. Si dicas naturam irrationalem non esse capacem *personalitatis*; optime responsum a Theologis, capacem esse existentiæ, sive terminationis *suppositalis*, non *personalis*. Indulgendum est autem tempori, atque consuetudini, si hæc adhibuerunt vocabula. At indecorum est, inquit Tournely pag. 297. fieri communicationem idiomatum inter Deum; & creaturam ratione destitutam. Huic etiam oppositioni responsum a Vasquesio num. 14. nullam rem quantumvis sordidam posse divinitati vel minimam afferre maculam; quod comprobat verbis Tertulliani de Carne Christi c. 4. ubi contra Marcionem irridentem tanquam indignam Deo nativitatem in carne, *Si revera*, inquit, *de lupa, aut sue, aut vacca prodire voluisset, & feræ, aut pecoris corpore indutus regnum cælorum prædicaret, tua, opinor, illi censura præscriberet, Turpe hoc Deo, & indignum hoc Dei filio, & stultum propterea qui ita credat. Sit plane stultum: de nostro sensu judicemus Deum. Sed circumspice Marcion, si tamen non delesti: stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientia.*

Cur Filius, non alia persona, naturam induerit nostram, congruentias istas assignant Theologi, Estius præsertim in III. dist. 1. & Petavius lib. II. c. 15. Prima est, ne fieret nominum confusio, & filii appellatio transiret ad aliam personam, aut duo essent in Trinitate Filii, scilicet, filius Dei, & filius hominis. Altera, ut per eum, per quem omnia creata sunt, omnia iterum instaurarentur. Tertia, ut per Verbum & Imaginem Patris reficeretur in nobis effigies ipsius Dei per Adæ culpam corrupta. Quarta, ut per Filium naturalem redderemur filii adoptivi, & meritis Primogeniti consequeremur hæreditatem. Postrema ut secunda Trinitatis persona fieret Dei & hominum Mediatrix. Denique cur Christus non redemerit dæmones, hanc rationem reddit Petavius lib. III. c. 10. n. 6. quia corruit Angelus nihil infirmum ex carne gestans. Non videtur ab hac sententia alienus Augustinus Tract. cx. in Joan. num. 7. Adducuntur congruentiæ aliæ, quia non corruerat tota natura Angelica; & quia assumendo hominem præditum anima & corpore, Filius Dei utramque naturam redemit spiritualem atque corpoream. At quoniam indubitatum est propter nimiam Dei caritatem mortem subiisse pro impiis, recte ait ibidem Augustinus: *Hic ergo non meritum nostrum, sed Dei misericordia commendatur*. Atque hæc dicta sint de iis quæstionibus, in quibus discutiendis permulti veterum præcipuam impendunt operam.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS SEPTIMUS,

De iis, quæ ob hypostaticam utriusque naturæ unitionem vere proprieque de Christo Jesu enuntiantur.



IRABILIS divinæ, humanæque naturæ in unitatem personæ copulatio, quam hactenus explicare, & adversus nefarias hæreses defendere, ac propugnare curavimus, absque ulla contradictione illud præstat, ut unus, idemque Dominus JESUS CHRISTUS ex æquo sibi vindicet, quæ Dei, & quæ hominis sunt, attributiones, atque proprietates: in quibus exponendis non solum quidam errarunt haud recte distinguentes quæ naturis duntaxat conveniunt ab iis, quæ de sola persona enuntiantur; verum etiam errores instaurarunt damnatorum hæreticorum, dissidiisque turbarunt Ecclesiæ tranquillitatem. Quidam enim omnipræsentiam, sive immensitatem tribuentes humanæ Christi naturæ commenti iterum sunt permixtionem parum dissimilem Eutychianæ; nonnulli in Christo, ut homine, adstruentes alieni filii adoptionem visi sunt inducere alteram cum Nestorio personam; aliqui novas theses intempestive ac temere defensantes, ac præsertim de Una in Trinitate persona affixa cruci, fuerunt gravissimarum dissensionum auctores. Hoc itaque libro, ne quis disputans de magno pietatis Sacramento, quo Deus manifestatus est in carne, absurda vocabula, vel impia asserta pronuntiet, universales primum regulas tradimus ad enuntiationem quamlibet ad Christum spectantem scite dijudicandam; deinde propositiones ipsas, de quibus potissimum disceptatur, singillatim exponimus, insertis historicis monumentis, atque Theologicis velitationibus.

CAPUT I.

De communicatione idiomatum, regulisque in qualibet de Verbo homine enunciatione servandis.

EX unione substantiali duarum in Christo naturarum consequitur vocabulorum permutatio, quam Græci appellaverunt *ἀντίδοσιν*, Latini *communicationem idiomatum*. Nequit hæc accuratius describi, quam verbis Nazianzeni scribentis ad Theophilum: *Propter exactam unitionem assumptæ carnis, & assumentis divinitatis mutuo transferuntur vocabula, ut humanum ex divino, divinum ex humano denominetur*. Quare Scholastici recte communicationem idiomatum definiunt, Est loquendi forma, vel modus, quo ea, quæ unius naturæ in Christo propria sunt, eique vere ac realiter competunt, propter personæ, quæ in utraque natura subsistit, unitatem toti concreto attribuuntur. *Concreto* autem dicimus, non *formæ*, aut *naturæ*; nam quemadmodum contra Nestorium unam in Christo profitemur personam, idest, unum Deum hominem, adversus autem Eutychetem naturas duas impermixtas; ita eidem personæ tribuenda sunt quæ utrique naturæ conveniunt, sed unius naturæ attributa non sunt in alteram transferenda. Quare qui denegant communicationem idiomatum, Nestoriani dicendi sunt; & qui illam adstruunt inter utramque naturam, Eutychiani. His accedere *Ubiquitarios*, qui immensitatem ac omnipotentiam in Christi humanitatem transfundunt, affirmant non tantum Scriptores Catholici, verum etiam post Theodorum Bezam, & Hessiandrum hæretici posteriores. Nefarii hujus erroris occurrunt vestigia aliqua in Lutherana Confessione de Cœna Domini; at illum, ut scribit Beza in Præfat. ad Christianum Hessiandrum, post obitum Melanchthonis Brentius invexit, ac pertinacissime propugnavit in Apologia ad Ingolstadianos Jacobus Andreas. Primum itaque contra Nestorii blasphemias, deinde contra Eutychianam, recoctamque perfidiam scita Theologorum explanabuntur.

PROPOSITIO I. In Christo admitti debet respectu Personæ communicatio idiomatum.

Demonstratur ratione simul, Scripturis, & Patrum auctoritate. Quemadmodum de una persona hominis, in qua simul corporea ac spiritualis substantia conglutinantur, affirmari potest quod sit ratione prædita, & morti obnoxia; quorum unum animi proprium est, alterum corporis: ita de Christo, in quo eadem hypostasi divina, humanaque natura subsistunt, potest enuntiari quod sit Deus, mundi Conditor, sempiternus, immensus, omnipotens, sitque homo factus es semine David, affixus cruci, mortuus, sepulcro conditus, in cælum assumptus, loco circumscriptus: quorum attributorum priora competant divinitati, alia humanitati conveniunt. At hæc est vocabulorum permutatio, quam denegantes repugnant rationi, quoniam si fatentur duarum naturarum hypostaticam unionem, ut probant prædictas de homine enunciationes, ita de Christo allatas, & consimiles probare debent, cum utrarumque fundamentum sit unitas individua Personæ: adversantur Scripturis, quæ Christo homini tribuunt quæ sunt propria divinitatis, & Christo Deo quæ humanitati conveniunt: opponuntur denique Patribus asserentibus Deum Verbum per unionem dispensativam propria sibi fecisse quæ carnis erant, non alterius cujusdam, sed ejus, quæ inenarrabiliter ei erat unita. Ratione itaque, Scripturis ac Patribus communicatio idiomatum stabilitur.

Rationem ex unitione petitam suppeditat Cyrillus de Incarnat. Unigeniti cap. 26. scribens: *Cum enim idem sit homo simul, & Deus, propter unitatem propria sua ducit humana*. Ibique demonstrat, quomodo ob eamdem unitatem dicitur de Christo quod proficiebat ætate & sapientia, & de plenitudine ipsius omnes accipiamus: quod baptizatus sit secundum carnem, & ipse baptizaverit Spiritu sancto: quod sanctificatus fuerit spiritu, & ipse omnes ad eum accedentes sanctificet; quæ, aliaque plura ita intelligenda sunt, *ut nec quæ Deitati conveniunt, humanitati ipsius attribuantur, nec quæ humanitatis propria sunt, ad deitatem detorqueantur*. Tradit consimilia Augustinus libro II. contra Max. cap. 20. *Si ergo attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei de cælo descendit, filius hominis crucifixus est: si unitatem personæ, & filius hominis descendit de cælo, & filius Dei est crucifixus*. Et in Epist. ad Dardanum 187. num. 8. *Cum enim sit Christus Deus & homo, Deus utique unde dicit, Ego & Pater unum sumus, homo autem unde dicit, Pater major me est, idemque filius Dei unigenitus a Patre, & Filius hominis ex semine David secundum carnem; utrumque in illo observandum est cum loquitur, vel cum de illo Scriptura loquitur, & quid secundum quid dicatur intuendum. Nam sicut unus homo est anima rationalis & caro, sic & unus Christus est Verbum & homo. Proinde quod ad Verbum attinet, Creator est Christus, omnia enim per ipsum facta sunt. Quod vero ad hominem, creatus est Christus, Factus est enim ex semine David secundum carnem*. Proximo num. 9. demonstrat ex verbis Joannis III. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo*, nec non ex Apostolo in I. ad Corinth. II. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*; demonstrat, inquam, quomodo Filius hominis secundum divinitatem erat in cælo, & Dominus gloriæ secundum humanitatem crucifigebatur in terra: atque ait hæc recte de Christo enuntiari, quia licet esset in cælo secundum id, quo filius Dei erat, secundum id vero quod filius hominis erat adhuc esset in terra, & nondum adscendisset in cælum: ac similiter secundum id, quod filius Dei est, sit Dominus gloriæ, & crucifixus sit secundum id, quod est filius hominis; nihilominus dicitur Dominus gloriæ crucifixus, dicitur Filius hominis est in cælo; quoniam Filius hominis, & Dominus gloriæ una persona est: *nec cum filium Dei Christum dicimus, hominem separamus, nec cum eumdem Christum filium hominis dicimus, separamus Deum*.

Producta ex Augustino & Cyrillo ratio unitionis habet, ut constat, sanctarum literarum fulcimentum. Si enim de Filio hominis dicitur quod erat in cælo priusquam illuc adscenderet, & de gloriæ Domino quod sit crucifixus: profecto enuntiantur de Deo Verbo quæ conveniunt humanitati, & de Filio hominis, quæ divinitatis propria sunt. Neque hæc tantum in Scripturis occurrunt, sed alia complura: Nam Christus appellatur Unigenitus consistens in sinu Patris, Joan. I. 18. Genitus ante Luciferum, Ps. CIX. 3. Deus super omnia benedictus, ad Rom. IX. 5. Antiquior Abrahamo, ac sempiternus, Joan. VIII. 56. & ad Hebr. XIII. 8. Ac pariter Deus Verbum dicitur acquisiisse Ecclesiam sanguine suo, Act. XX. 28. animam suam pro nobis posuisse, I. Joan. III. 16. appellatur Salvator, ad Titum II. 6.

II. 6. *Agnus occisus*, Apocalyp. v. 12. Quæ omnia satis commonstrant dari expositam permutationem vocabulorum.

Hanc agnovisse ac propugnasse Nazianzenum, Cyrillum, & Augustinum liquet ex dictis. Nec dissentiunt alii Patres. Hilarius enim IV. de Trinit. inquit: *Qui erat, nascitur: qui indemutabilis est, crescit ætate: qui impassibilis, patitur*. Vigilius Martyr adversus Eutychetem lib. IV. *Consonat & divinitatem humanitatis, & humanitatem divinitatis habere vocabulum, idest, Verbum dici carnem, & carnem dici Verbum; non quia in se utrumque mutatum sit, sed quia utrumque una persona, idest, unus Christus sit. Et ideo recte credimus, & prædicamus cum Apostolo Deum crucifixum, & mortuum in humana natura, quæ ex uniti Verbi consortio deitatis possidet nomen*. His ceteri omnes assentiuntur. Atque hinc apparet communicationem idiomatum esse rationi consonam, Scripturis innixam, Patribus consentaneam.

PROPOSITIO II. Non est admittenda in Christo permutatio vocabulorum inter unam, & alteram naturam, sive, ne abjiciamus Scholasticam orationem, *communicatio idiomatum in abstracto*.

Explicatur, ac simul demonstratur. Quemadmodum in hypostatica unione non moraliter, sed substantialiter utraque natura divina & humana spectant ad eamdem personam, ut tenet Catholica fides contra Nestorium: ita eædem naturæ sunt in una eademque persona cum suis attributis ac proprietatibus impermixtæ & distinctæ, ut adversus Eutychen firmissime profitemur. Sicut ergo admittitur communicatio idiomatum respectu personæ, scilicet enuntiantur de Christo vocabula utriusque naturæ, propter indivisibilem unitatem: ita nequit una natura impertiri alteri quæ sui propria sunt, ob impermixtarum naturarum differentiam & distinctionem. Quamobrem & contra Nestorium pronuntiandum est, *Verbum est filius hominis, Dominus gloriæ crucifixus est, Filium Dei peperit Maria Virgo, Deus suffixus est cruci, Filius Virginis est conditor universorum*, & his consimilia, quoniam Deus Verbum, ac Filius hominis est unus Christus: & adversus Eutychen: *Natura humana quam Verbum assumpsit in tempore non est divinitas quam habet sempiternam a Patre, Christus carne, non divinitate passus est, Una Christi natura est æterna, infinita, passionum expers, altera autem creata, finita, ac morti olim subjecta*: quoniam in unitate Personæ utraque natura suam retinet proprietatem. Atque ita in vocabulorum permutatione tenemus Theologicum æquamentum ac trutinam, si quæ Nestorii, vel Eutychetis redolent impurum, nefariumque dogma, caligara locutione vitemus.

Accurate id commonent Patres: nam Cyrillus in X. Thesaur. *Duarum*, inquit, *naturarum discretio ex dictis & factis necessario facienda est. Quare debemus quæ vero Deo conveniunt divinitati ejus, quæ homini vero humanitati nostræ, quam propter nos assumpsit, accommodare*. S. P. Augustinus lib. II. contra Max. cap. 20. n. 2. demonstrat ea verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matt. XXVI. 38. *nonnisi ex natura hominis intelligenda*, cum percipi non possit *naturam Verbi Dei unigeniti tristem esse potuisse*: atque hoc pacto excipit quod legitur eodem cap. XXVI. 39. *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis*, & quod extat Joan. VI. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Similiter Vigilius in V. contra Eutychen: *Impium, & sacrilegum est ea, quæ sunt propria carnis Christi, ad natura Verbi proprietatem referre: & quæ sunt propria Verbi, carni adscribere*. Item Damascenus lib. III. cap. 4. *Divinitatem porro cum dicimus, de ea quæ sunt humanitatis propria nequaquam affirmamus. Non enim dicimus divinitatem patibilem, aut creatam. Sed nec de carne, hoc est humanitatem, prædicamus divinitatis proprietates: non enim dicimus carnem, seu humanitatem increatam*. Ad hunc modum Fulgentius de Incarnat. & Grat. cap. II. *In Christo unigenito Dei filio personam non dividimus propria naturarum: neque unitas personæ potest utriusque naturæ propria confundere vel auferre*. Habent similia alii Patres.

Duabus his propositionibus innituntur Regulæ communicationis idiomatum apud Scholasticos pervulgatæ: in quibus tamen connumerandis nequaquam consentiunt auctores; nam septem recenset Sylvius III. p. q. 17. art. 4. quinque Tournelius q. 9. art. 2. duodecim Petavius lib. IV. cap. 16. Harum prima est, quod proprietates duarum naturarum uni personæ tribuendæ sunt. Sit in exemplo, dum Christus ait, *Ego & Pater unum sumus*, &, *Pater major me est*, de eadem Christi persona enuntiatur quod sit Patri consubstantialis, & quod sit inferior Patre: quorum unum ex proprietate divinæ naturæ proficiscitur, alterum ex conditione naturæ humanæ.

II. Regula est, quod interdum tota persona ab una tantum natura, vel proprietatibus ejus denominatur: ut dum Christus appellatur *Filius hominis, Verbum homo, Deus crucifixus, Filius Dei passus ac mortuus*: quarum enunciationum manifesta ratio est, quoniam per hypostaticam unionem ejusdem personæ, non alterius, est utraque natura cum proprietatibus suis, ideoque potest persona vel ab una, vel ab altera denominari.

III. Tertia est, quod ob eamdem rationem aliquando de eadem persona enuntiantur contraria, quæ tamen cum diversam spectent naturam, nullam repugnantiam involvunt. Sit in exemplo, *Christus in cruce patiebatur & gloria fruebatur: vivens mortuus est: regnabat in cælo, & conditus erat sepulcro*.

IV. Quarta præcedentis expositiva, quod de una quidem persona enuntiantur opposita, sed ratione diversæ naturæ, ut si dicamus, *Expers patiendi quatenus Deus, passus est carne: Ut Deus coruscabat miraculis, dum ut homo afficiebatur injuriis*.

V. Regula Abstracta, quæ naturis conveniunt, non communicantur promiscue, neque in abstractu, neque in concreto: non enim recte dicitur, *Divinitas est humanitas*, aut, *Homo est æternitas*, vel, *Deus est mortalitas*: idque propter utriusque naturæ impermixtam, & inconfusam persistentiam.

VI. Communicatio proprietatum non secundum *formam*, sed secundum *subjectum* est semper accipienda: nam si dixeris V. G. *Verbum caro factum est*, non sic intelligitur, quasi natura divina humanam assumpserit, sed hoc de persona duntaxat affirmatur: ac similiter dum ais, *Filius hominis descendit de cælo*, sensus non est quod descenderit de cælo natura humana, sed persona, quæ naturam humanam assumpsit. Enimvero, ut singula ad idem principium reducantur, sive dicatur *Deus*, sive *homo*, significatur, una eadem, atque individua persona.

VII. Dum enuntiantur de Christo utriusque naturæ proprietates, affirmativæ propositiones absolute proferri possunt, non autem negativæ. Sit in exemplo, vera est hæc propositio, *Filius Dei passus est*, quoniam id Christo convenit ratione naturæ humanæ; at non est vera propositio negans, *Filius Dei passus non est*, etiamsi id Christo conveniat ratione naturæ divinæ. Ratio est, quia particula *non* removet attributum a subjecto: & a Christo removenda non est passio, quam subiit ratione humanæ naturæ. Quare in enuntiationibus negativis apponenda est expositio ad hunc modum, *Filius Dei non est passus secundum divinitatem*.

VIII. Eamdem expositionem congruum est apponere in iis enuntiationibus, quæ licet alioqui veræ sint, in pravum sensum ab hæreticis detorquentur. Atque ita consultius est dicere, *Christus est creatura, quatenus homo*, ne videamur sentire cum Arianis asserentibus personam Verbi creatam esse; aut, *Unus de Trinitate passus est carne*, ut vitetur error Eutychianorum, autumantium divinitatem, & humanitatem, qua Christus passus est, unam esse naturam.

IX. Propositiones, quæ unionem hypostaticam non supponunt sed exprimunt, excipiuntur a lege communionis idiomatum. Ita vera est hæc enunciatio, *Verbum caro factum est*, sive *Deus factus est homo*, at non contra, *Homo factus est Deus*: quoniam hæc, *Deus factus est homo*, exprimit unionem, non supponit; & quæ unionem non supponunt, non inferunt communicationem idiomatum. Hanc regulam desumptam a Scoto in III. dist. VII. q. 2. plurimum commendat Petavius, utpote expeditam, & perspicue demonstrantem, cur falsa sit hæc propositio, *Homo factus est Deus*. At nobis videtur magis obvia hæc ratio, quod in hac propositione, *Deus factus est homo*, subjectum, *Deus*, est persona; non est autem persona subjectum alterius propositionis, *homo*; nec quemadmodum *Deus* habuit subsistentiam ante assumptionem naturæ humanæ, ita præextitebat humanitas. Quapropter nos causam, cur sit falsa hæc propositio, *Homo factus est Deus*, repetimus ex præcedenti regula sexta, quia nempe communicatio idiomatum non est accipienda secundum naturam, sed secundum personam.

X. Nequeunt de Christo enuntiari concreta adjectiva, quæ designare possunt diversam personam, & recte enuntiantur ea, quæ inferunt solummodo diversam naturam. Ita in sensu Nestorii blasphema est hæc propositio, *Christus est homo dominicus*, de qua infra.

XI. Si de Christo enuntiantur quæ naturaliter & substantialiter ipsi insunt, appellatur communicatio idiomatum *naturalis*, ut *Christus est homo*: si vero enuntientur quæ suscepit misericordia ductus, dicitur communicatio idiomatum *secundum habitudinem*, ut, *Factus est pro nobis maledictum, Peccata nostra ipse tulit*: ubi *maledictum*, & *peccatum* significant pœnam, quam pro peccatis nostris misericorditer subiit.

XII. Idiomatum communicatio in Christo intelligenda est *substantialiter* & secundum hypostasim, non *moraliter* & secundum attributionem, ita ut dum dicimus, *Deus est homo*, significetur Deum, & hominem individuo nexu unam constituere personam, non unum in altero inhabitare, tanquam in templo: quod ex refutata hæresi Nestoriana satis est manifestum.

PROPOSITIO III. In humanam naturam transfusa nequaquam est omnipræsentia; ideoque supinus est error, & hæresis execranda asserentium assumptam a Verbo humanitatem esse ubique.

Tametsi hæc propositio est consectarium præcedentis, confirmanda est ob impia dogmata *Ubiquistarum*, qui

autu-

autumant vi unionis hypostaticæ convenire humanæ naturæ omnipotentiam, atque immensitatem: quod diximus totis lacertis primum propugnasse Joannem Brentium, & Jacobum Andream Schmidelinum. Lutherani enim in partes discissi sunt, nec usque ad obitum Melanchthonis, qui valide *Ubiquitatem* oppugnavit, fuit fictitia hæc omnipræsentia communi plausu recepta. At postquam fatis cessit Melanchthon, navante operam Illyrico communem fere nacta est Lutheranorum approbationem, ut refert illustris Bossuetius in H. Variat. lib. VIII. num. 42. Merito omnes Theologi errorem istum insectantur: Estius in III. dist. 22. §. 5. L' Herminier Tom. III. pag. 205. Juenin P. IV. dissert. V. Tournely quæst. IX. art. 2. sed omnium luculentissime viri tres Societatis Jesu doctissimi, Bellarminus lib. III. de Christo c. 9. & seqq. Petavius lib. 2. de Incarnat. c. 7. & Gregorius de Valentia Tom. IV. disp. 1. q. 2. Ampliori etiam stilo, omnique argumentorum genere Ubiquistas profligavit in Refutatione dogmatis *de fictitia carnis Christi omnipræsentia* Christianus Hessiander. Hanc nos Scripturarum auctoritate, Patrum traditione, & ratione Theologica breviter refellemus.

Ex Scripturis enim liquet Filium hominis nostram assumendo naturam descendisse de cælis, idest, cum antea cælum terramque contineret, fuisse terreno, finitoque corpusculo circumscriptum, atque adveniente hora virginei partus in lucem editum, reclinatum in præsepio, postea vero sublatum fuga in Ægyptum, ac subinde in patriam rediisse, & nunc in Jerusalem, nunc in Templi ambitu, nunc deserto in loco, & in przalm monte, aut secus marinum litus, aut in campestribus commoratum: quid plura? suffixum cruci, sepultum marmoreo tumulo, atque in cælum denique assumptum, & ad patris dexteram collocatum. Ne autem quis credat hæc ita gesta circumscriptis in locis, ut simul Christi humanitas esset ubique diffusa, quomodo legimus aliquando Deum ad hortum Eden, ad turrim Babel, ad Sinai verticem, & ad vallem Mambre, aliaque loca plurima descendisse; testatur sacra Evangeliorum historia eo sensu Christum hominem constitisse uno in loco, ut inspecta humanitate alibi non existeret. Enimvero Christum non fuisse in Bethania cum Lazarus obiit, non solum asseruit pia demortui soror, dum ait, Joannis XI. 21. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, verum & Salvator ipse ita discipulos alloquens, *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Ita & Angelus quærentibus Christum ad monumentum, Matth. XXVIII. & Marc. XVI. 6. ait: *Surrexit, non est hic*. Et quid significant illa Christi verba Joann. XVI. 28. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem?* quid ea Lucæ XXIV. 51. *Recessit ab eis, & ferebatur in cælum?* quid Pauli ad Hebræos scribentis ratiocinatio, VIII. 4. *Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera?* Christus itaque ita corpore circumscriptus est, ut corporea præsentia locum aliquem sibi vindicet, & dum in uno commoratur, sit disjunctus ab altero.

Validiora sunt ista, cum accedat fida sacrarum Scripturarum, & Ecclesiasticorum dogmatum exploratrix, Fideique norma Traditio. Pervetustus enim Scriptor Hippolytus Portuensis docet Fragm. 3. in Christo *Divinitatis operationem mansisse extra naturæ circumscriptionem omnem, tametsi per carnem natura terminatam peracta fuerit.* Athanasius Orat. de Fide demonstrat ea verba, *Sede a dextris meis*, Christo convenire non secundum divinitatem, quæ cælum terramque implet, sed ratione corporis assumpti, propterea quod, inquit, *Sedere idem est, ac esse circumscriptum in loco*: quæ & repetit in libro de Communi Essent. Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Cledonium appellat Redemptorem nostrum *corpore circumscriptum*. Chrysostomus hom. in quatriduanum Lazarum, *Corpore minime præsentem*. Cyrillus lib. 2. in Joan. *Ab Apostolorum consuetudine carne*, per ascensum in cælos, *disjunctum*. Damascenus lib. III. de Fide Orthodoxa c. 3. *creatum & increatum, mortalem & immortalem, circumscriptum & incircumscriptum*, exponens quomodo id accipiendum est de duplici ac distincta natura. Tradunt vero consimilia Latini. Ambrosius in 2. de Fide c. 4. *Neque enim* (ait) *Deus de loco ad locum transit, quia ubique est: ut homo est qui vadit, ipse qui venit. In eo ergo vadit, & venit, quod est communo nobiscum*. Augustinus in Epist. ad Dardanum num. 10. *Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum enim est, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est enim consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus.* Plura ibidem S. Pater, ubi quæstionem hanc dirimit data opera. Magnus Leo Serm. 3. de Ascensione, *Ineffabili modo*, inquit, *per adscensionem cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.* Petrus Chrysologus, serm. 63. verba faciens de Lazaro, *Et erat*, inquit, *locus ubi non erat Christus? Fratres, erat ibi Christus Deus, sed ibi non erat homo Christus.* Fulgentius denique lib. II. ad Trasimundum cap. 17. *Unus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre: unus idemque secundum humanam substantiam absens cælo cum esset in terra, & derelinquens terram cum adscendisset in cælum: secundum divinam vero, immensamque substantiam nec cælum dimittens cum de cælo descendit, nec terram deserens, cum adscendit ad cælum.* Abunde hæc sufficiunt ad comprobandam perpetuam atque universalem Græcorum, Latinorumque Patrum traditionem.

Haberent saltem Ubiquistæ aliquod humanæ rationis vel tenuissimum fulcimentum: at nulla his affulget libratæ perceptionis scintillula. Principio cum mysterium Incarnationis importet in hypostasis unitate naturas duas impermixtas, nullamque singularum naturarum proprietatem sublatam esse testetur in Confess. fidei sacrosancta Synodus Chalcedonensis, affirmet citata Epistola ad Dardanum Augustinus, ac profiteantur adversus Eutychen Catholici universi: qui autumant Christi humanitatem ubique diffusam, omnipræsentiam quæ divinitatis propria est, transfundunt in humanitatis circumscriptam naturam, & consequenter magnum Incarnationis sacramentum pervertunt. Quo argumento non soli catholici pugnarunt, verum etiam Theodorus Beza, Hessiander, aliique Calviniani, nec non alter Lutheranorum prodromus Melanchthon, ut refert lib. VIII. n. 32. Bossuetius. Imo Eutyches nulla ratione assequutus, quomodo humana natura absorpta a divina retineret carnis nostræ proprietatem, asserebat in Christo post naturarum adunationem corpus umbratile: dum Ubiquistæ pugnantia comminiscentes ponant Christi corpus immensitate simul, & communi cum nostra natura præditum, ipsis Eutychianis, ut etiam hæretici observarunt apud Bossuet lib. XIV. n. 106., deteriores pervicacia, ingenioque obtusiores. His accedit, quod si Christi humanitati conveniat omnipotentia & immensitas, ob divinorum attributorum simul & cum natura *identitatem*, conveniat illi necessum est æternitas, independentia, eademque divinitas: quam consecutionem denegant Lutherani: sed hoc ab iis jure petimus, cur in humanitatem summa potestas, & omnipræsentia transfusæ sint, & non item attributa reliqua, si unum ab altero nequit dispesci? Etenim quum Deus solus sit æternus, immensus, omnipotens, independens; si humanitas immensa est, omnipotens quoque est, æterna est, independens est, divinitas est. Atque ratione consimili divina natura erit nata in tempore, affixa cruci, sepulcro recondita, quoniam hæc evenerunt naturæ omnipotenti atque immensæ, ideoque divinæ. Ita *Ubiquistæ* Incarnationis fidem subvertunt, & rem creatam & circumscriptam in divinam commutantes negant Christum hominem, quia ipsi auferunt naturam circumscriptione finitam: negant Christum Deum, quia ipsi tribuunt passionem ac mortem ratione naturæ omnipotentis & immensæ: negant Deum immortalem, quia morti subjiciunt naturam præditam omnipræsentia: me latet, num Arianos dicam, num Phantasiastas, num Eutychianos, num Atheos, num omnia ista. Tandem excogitarunt Lutherani corporis Christi omnipræsentiam, ut adversus Calvinistas facilius illud in Eucharistia realiter adesse propugnarent: qua commentatione nihil potuit excogitari futilius, non enim Christi corpus est in Eucharistia, quemadmodum in cælis, modo visibili ac sensibili, sed modo alio sublimiori, ac mirabili, quo in Sacramento duntaxat, non alibi existit. Si etenim degat sub speciebus panis, & vini ratione ubique diffusæ immensitatis, non alia ratione ibidem erit, quam in elementis singulis, & ubique locorum, a quibus sejungi non potest immensitas. Atque ita Calvinistæ jure optimo contendunt, Lutheranos ad fictitiam carnis Christi omnipræsentiam confugientes denegare ejusdem carnis in Eucharistia peculiarem præsentiam, atque id aperte oppugnare, quod figmentis suis defendere moliuntur. Atque ex his constat undique in absurda Ubiquitarios impingere, eorumque asserta omni genere argumentorum, quod erat demonstrandum, everti.

At opponunt Lutherani: Christo omnipotentiam fuisse collatam testatur idem Salvator Mat. ult. 18. ubi ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Eumdem sedere ad dexteram Patris legitur Ps. CIX. 1. Matt. XXII. 44. Marc. XVI. 19. In ipso inhabitare divinitatis plenitudinem *corporaliter*, testatur Apostolus ad Coloss. II. 9. ascendisse super omnes cælos, *ut impleret omnia*, affirmat idem Apostolus ad Ephes. IV. 10. Permansurum denique in terris *usque ad consummationem sæculi*, idem Christus pollicitus est Apostolis Mat. XXVIII. 20. At si omnem obtinuit potestatem, cur non omnem præsentiam? Si dextera Patris nullis locorum finibus circumscribitur, quomodo ad hanc sedens dexteram non est ubique diffusus? Si divinitas in Christo inhabitat *corporaliter*, qua ratione fieri potest, ut corporea substantia non omnia simul cum divinitate comprehendat? Si Christus implet omnia, cur cælum terramque immensitate propria non continet? Si tandem in cælum conscendens cum discipulis permansit in terris, quare non est simul nobiscum, & apud superos? Videtur ergo Lutheranorum assertum sacrarum literarum auctoritate munitum.

Resp. in hoc falli Lutheranos, quod ea, quæ conveniunt personæ, tribuant naturæ, quum, ut vidimus, communicatio idiomatum sit accipienda, non secundum *formam*, sed secundum *suppositum*. Christum itaque omnipotentem esse, implere omnia, ubique consistere, necnon esse æter-

se æter-

se æternum, ac Deum verum, quatenus hæc conveniunt personæ, quæ in tempore assumpsit humanam naturam, nemo nostrum dissentit; ipsi naturæ humanæ hæc omnia convenire negamus, cum in ipsa persona una, atque individua retineat utraque natura suas citra mixturam proprietates. Singula nihilominus expendantur. Principio data est Christo omnis potestas, quemadmodum datum est habere vitam in semetipso, & esse unum cum Patre, quia nimirum humana natura hypostatice conjuncta est Verbo omnipotenti, æterno, & unius cum Patre substantiæ, atque ratione hypostaticæ unionis *hic homo*, idest, Christus est Deus, est omnipotens, est immensus; at non *hic homo* ratione naturæ humanæ, qua inspecta est minor Patre, est natus in tempore, est loco circumscriptus; sed ratione personæ, quæ naturam habet aliam, divinam, incircumscriptam, æternam, Non solum id tradunt Patres superius laudati, verum etiam Lutherus, cujus hæc verba ab Hessiandm adversus Lutheranos producuntur pag. 93. *Eo ipso momento, quo divinitas & humanitas in unitatem personæ conjungi cœperunt, homo filius Mariæ est, & dicitur omnipotens, & æternus Deus, cujus est summa potestas, qui omnia creavit, & sustentat, per communicationem idiomatum, quatenus una cum Deo persona est; de hac potestate loquitur Matthæus capite ultimo: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Eadem est cum Scholasticis responsio Magistri in III. dist. 14. Addo nomine potestatis intelligendum Ecclesiæ regimen, exaltationem nominis, judicii auctoritatem, & cetera, quæ spectant ad Christi gloriam, atque fidelium gubernationem. Conferas Act. II, 33. Ad Ephes. I. 10. & ad Coloss. I. 16.

Dextera Patris aliquando significat potentiam ac plenitudinem majestatis, ut ad Hebr. I. 3. aliquando locum & gloriam Deo proximiorem, ut Mat. XXI. 21. aliquando cælestem beatitudinem. In priori sensu dextera Patris ubique est, ac similiter Christus ut Deus, sive Christus, qui Deus & homo est, ratione divinitatis: in secundo commonstratur duntaxat Christi, etiam ut hominis, super omnem cælestem, terrenamque creaturam exaltatio, ipsi debita & propter personæ dignitatem, & propter singularitatem meritorum: in postremo autem sensu retorquetur argumentatio, nam si Christus secundum assumptam humanitatem sedet a dextris Dei in excelsis, profecto non est ubique locorum diffusus. Recte Augustinus contra Serm. Arianorum cap. XXXIV. n. 32. *Secundum formam suscepti hominis, & ad dexteram Patris sedet vel stat, & orat, & gratias agit, & Sacerdos est, & minister est, & supplex est, & subditus est: secundum autem formam Dei, in qua æqualis est Patri, unigenitus est, & gignenti coæternus, &c.* Et Tract. I. in Joannem num. 13. *Adscendit in cælum, & non est hic. Ibi est enim: Sedet ad dexteram Patris: & hic est, non enim recessit præsentia majestatis.* Vide & Epist. ad Dardanum 57. nunc 187. n. 10.

At quomodo Christus adscendit in cælum, *ut impleret omnia*? Vulgaris est Theologorum expositio, ut omnia Prophetarum vaticinia compleret. At forte melius respondetur Christum adscendisse, ut donis suis, ac effusione Spiritus sancti Ecclesiam cumularet, apposito neutro *vœrre omnia*, pro communi. Nam Apostolus eo loci hortatur ad unitatem spiritus, demonstrans omnia charismata a Christo fuisse collata ad utilitatem & ædificationem Ecclesiæ; ac præmittit ea verba: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Addit postea verba, quæ a Lutheranis opponuntur. Tum Spiritus charismata enumerans ait, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, &c.* Quid ergo manifestius, quam Apostolum loqui de copiosa gratiarum largitione, ac idem valere, *ut impleret omnia*, ac, ut daret hominibus dona uberrima, sive, ut eadem phrasi loquitur præcedenti cap. III. 19. ut fideles implerentur *in omnem plenitudinem Dei?* Quamquam illud vellem a Lutheranis doceri, quomodo per ascensionem Christus implevit cælestia, si per omnipræsentiam jam erat ubique diffusus?

Quid est autem in Christo plenitudinem divinitatis habitare *corporaliter*? Theophylactus ex Cyrilli sententia ait hoc vocabulo demonstrari adversus Nestorianos unionem hypostaticam, ita ut sensus sit, Divinitatem habitare in forma suscepta indivisibiliter, & citra mixturam, *perinde ac in corpore immoratur anima.* Consentit Augustinus citata Epistola ad Dardanum num. 39. & in Psalmum LXVII. num. 23. docens Apostolum affirmare, quod in Christo inhabitavit Divinitas *solide atque veraciter*, non vero *præfigurantibus signis, neque umbraliter, tanquam in Templo a Rege Salomone facto.* Idem Apostolus, ut adnotatum est alibi, usurpat *corpus* ad significandam veritatem in antiquis figuris latentem, ad Colossens. II. 17. Dum ergo scribit in Christo habitare divinitatem *corporaliter*, adstruit unionem duarum naturarum veram, & substantialem, nec quicquam ait de fictitia assumptæ humanitatis omnipræsentia. Permanet denique nobiscum Christus *præsentia majestatis*, ut inquit paullo supra Augustinus, Ecclesiæ continuo regimine, gratiarum subministratione, necnon sub Eucharistici panis velamine. Ludunt itaque operam Ubiquitarii, nec ullo muniuntur sacrarum litterarum testimonio.

Putant aliquod se invenire præsidium in humana ratione: primum quia omnipræsentia non videtur divinitatis essentialis proprietas, ut est æternitas atque independentia: priusquam enim crearetur mundus, erat Deus, nulli tamen loco præsens. Potest ergo, inquiunt, communicari attributum illud humanitati. Deinde humanitas ac divinitas Christi intime ac substantialiter uniuntur: & ideo ubicumque una est, & altera adesse debet: alioquin ab invicem distrahentur. Præterea nonne Christus Verbum Dei est? Itaque si Verbum divinum est ubique, ubique etiam est Christus.

Resp. ad primum, attributa divina esse eamdem divinitatis substantiam connotantem effecta aliqua, vel objecta; atque ante mundi productionem fuisse divinam immensitatem *substantive*, non *connotative* acceptam, quemadmodum tunc erat providentia, dominatus, & regimen universorum: vel dico non in hoc sitam esse immensitatem ut actu existat in omnibus, sed in eo, quod nulla res sit, ubi non existat, neque ulla esse possit, in qua producta non existeret; sicut omnipotentia ac providentia non omnia, quæ potest, actu exequitur, ac disponit, sed ea tantum quæ vult, & producit. Ad alterum respondeo indissolubilem esse divinitatis & humanitatis unitionem, neque unam distrahi ab alia, quoniam ubicunque est humanitas Christi, ibi est etiam divinitas: at non sequitur ex opposito, Ubicunque est divinitas, ibi est etiam humanitas, quia hæc in illa substantiali unitione suam non amittit proprietatem, permanetque circumscripta & finita; alioqui, ut Eutyches autumabat, una esset natura permixta, ac propriis affectionibus exspoliata. Ita in plurimorum philosophorum sententia rationalis anima in corpore ubique diffusa substantialiter unita est oculo, & ubi est oculus, ibi est anima: at non e contra ubicunque est anima, ibi pariter est oculus: nam anima est etiam in manu, pede, ceterisque partibus corporis; quoniam in hac unione non transit oculus in animæ rationalis naturam, neque propriam coarctatam, & angusto comprehensam loco deperdit. In eo, quod consequitur, non immorabor; nam ex quo Christus sit una cum divino Verbo persona, infertur quod sit ubique ratione personæ & naturæ divinæ, non ratione humanitatis assumptæ; ut dictum est supra.

CAPUT II.

An Christus dici possit filius Dei adoptivus?

FELIX Episcopus Urgellis, urbs est sita in Pyrenæi montis jugo, consultus circa annum 783. a Tolatano antistite Elipando quid de humanitate Christi sentiret, respondit hunc, quatenus homo est, appellandum Filium Dei non naturalem, sed adoptivum. Est autem adoptivus filius, qui ab aliquo adoptione, idest, assumptione gratuita in locum filii, hæreditatemque eligitur, cum alterius sit generatione ac natura. Disputatur, num Felix, & Elipandus asserendo Christum Filium Dei adoptivum, negarent cum Nestorio hypostaticam unionem, & filium Virginis a Filio Dei, sive naturalem ab adoptivo distinguerent; an appellarent eamdem personam filium naturalem ratione divinæ naturæ, ratione autem humanæ adoptatum. Hoc duntaxat dogmatizasse Felicem, & Elipandum, ideoque discrepare a Nestoriana hæresi Felicianam propugnat Vasquesius in III. P. disp. 89. tradit Juenin dissert. VI. de Incarnat. q. 6. dubitat Tournely quæst. XII. art. I. At revera sensu Nestoriano locutos Felicem, & Elipandum tenent Binius & Surius in notis ad Concil. Francofordiense, Petavius lib. I. de Incarnat. cap. 22. Natalis Alex. dissert. 5. sæculi 8. Claudius Frassen de Inc. Tract. I. disput. 2. Boucat disp. 3. art. 2. sect. 6. & prope finem Biblioth. Joseph Imbonatus. Et revera non desunt e schola illustres Theologi, inter quos Durandus in III. dist. 4. & Scotus in I. dist. 10. existimantes Christum ut hominem posse dici filium adoptatione, quamquam Scotus vitandum docet talem loquendi modum, ob hæreticorum vafritiem, & in usurpandis vocabulis calliditatem. Hos Scholasticos excusandos ab hæresi inquit Boucat dissert. III. art. 3. eo quod ignoraverint definitionem Concilii Francofordiensis in lucem editi a Surio circa annum 1567. Verum nec desunt viri docti, qui propugnant etiamnum citra fidem posse defendi, quod Christus *quatenus homo est* appellari queat filius adoptivus spectata humana natura, & gratia sanctificante: nec sibi constat laudatus Scriptor, qui præcedenti articulo tradiderat, Felicem & Elipandum adhæsisse Nestorianis. Nam si illi a Francofordiensi Synodo fuerunt proscripti, quod Nestorii sensum intenderent; nullum habet momentum ad opinionem Scoti vel profligandam, vel excusandam Felicianæ hæresis ignoratio. Quare primum de opinione Felicis, & Elipandi differendum est, deinde de Scholasticorum sententia: in qua nos ad eorum partes accedimus, qui cum Thomistis, ac nostratibus contendunt, nulla ratione Christum dici filium Dei adoptatum, nec addita illa cautione, *quatenus homo*, sive, *ratione naturæ humanæ.*

Atque ut priorem partem expediamus, tradunt fere omnes, Felicianam hæresim fuisse damnatam primo a Concilio Forojuliensi anno 791. Præside Paulino Episcopo Aquilejensi, deinde anno proximo 792. in Concilio Ratisponensi, ubi, auctore Eginhardo in Annalib. Felix errorem suum abjuravit, eodemque anno in Synodo Romana sub Hadriano, postea in Francofordiensi anno 794. atque iterum Romæ sub Felice III. anno 799. & hoc ipso anno Aquisgrani, ubi quidam referunt Felicem Urgelitanum celebrem Hilarii locum depravasse. At licet Paulinus Aquilejensis acerrime hæresim Felicianam sit insectatus, ut liquet ex libro Sacrosyllabo & Francofordiensi Concilio; Synodus tamen Forojuliensis neque ante annum 797. celebrata est, nec fortassis adversus Felicis errorem. Liquet enim hanc Synodum habitam anno XXIII. Caroli Magni, & XV. Pipini: Carolus autem regnare cœpit in Italia anno 774. erratumque a multis quod annos Caroli supputaverint ab anno 768. quo regnare cœpit in Galliis. At neque Itali aliquam hujus epochæ habuere rationem, neque annus XXIII. illinc subductus convenire potest cum anno Pipini XV. ut eruditus Pagius demonstrat ad annum 791. Hæc tamen sat est innuisse.

PROPOSITIO I. Felix & Elipandus asseruerunt Christum esse filium adoptatione in sensu Nestoriano.

Demonstratur primo auctoritate Scriptorum, qui Felicem in duos filios Unigenitum Dominum nostrum divisisse, ac vetustam Nestorianam hæresim suscitasse affirmarunt. Inter quos Paulinus Aquilejensis, Alcuinus, & Agobardus, qui eumdem Felicem profligarunt, id apertissime asserunt. Ac Paulinus quidem, *In duobus vocabulis* (inquit in primo contra Felicem libro) *proprii scilicet & adoptivi, verique & nuncupativi filii, unicum eumdemque Dei filium dividere fronte impudentissima non formidat*. Alcuinus vero lib. 1.° contra eumdem Felicem: *Non sibi sufficiebat tantummodo Christum, qui de Virgine natus est, negare proprium esse Filium Dei: sed novo, & inaudito sanctæ Dei Ecclesiæ nomine, nuncupativum Deum nominare illum non timet, dividens Christum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum*. Agobardus: *Timens*, Felix, *permixtionem Eutychetis incurrere, corruit in divisionem Nestorii*. Idem tradunt Scriptores alii. Paschasius Ratbertus lib. V. in Mat. inquit: *Hæresis Feliciana, quæ veterum cineres voluit removere, duas personas in Christo introducens*. Jonas Aurelian. lib. 1. de Cultu Imag. ait Felicem *anathemati mancipatum cum auctore sui erroris Nestorio*. Joannes Mariana lib. VII. Hist. c. 8. scribit suscitata in Hispania, Felice & Elipando auctoribus, *Nestorii placita Concilii Ephesini diligentia sopita*. Sigebertus in Chronico ad annum 793. *Feliciana hæresis unam personam Dei & hominis dividens in duas personas, scilicet veri filii & adoptivi*. Baronius denique ad annum 783. n. 6. *Error erat Elipandi perditissimi hominis non tolerandus, quem sacrosancta Ephesina Catholica Synodus in Nestorio condemnarat. Iste siquidem asserens Christum Dei filium, quod ad humanitatem spectat, dicendum esse adoptivum, & non proprium ac naturalem, in necessariam consequentiam deducebat, ut duas constitueret in Christo personas, atque assereret duos filios, sicque horrendum dictu! damnata olim in Oriente hæresis nunc opera miseri Elipandi revivisceret in Hispania*.

Demonstratur 2. ex Confessione Felicis & Elipandi, quæ extat in Concilio Francofordiensi Tom. IX. postremæ Collect. pag. 76. *Confitemur & credimus Deum Dei filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum, coæternum & consubstantialem, non adoptione, sed genere*. Et infra: *Confitemur & credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse filium Dei, sed adoptione, non natura, sed gratia*. Qua in Confessione non tantum Feliciani autumant Christum esse filium *gratia, & adoptione*, spectata natura assumpta, & gratia sanctificante; verum etiam aperte negant filium factum ex muliere esse filium Dei *genere, & natura*, eumque ipsum, qui ante omnia tempora ex patre genitus est, & est filius *non adoptione, sed genere*. Dispescunt itaque apertissime Christum in duos filios: negant apertissime filium Dei esse factum ex muliere: asserunt apertissime filium ex muliere factum non esse filium Dei *genere atque natura*. Qua majori impietate poterant denegare hypostaticam unionem, renovare hæresim Nestorianam, beatissimæque Virgini gloriam Deiparæ nefaria temeritate auferre?

Tertio demonstratur ex ipso Concilio Francofordiensi. Ibidem enim in lib. Sacrosyllabo pag. 60. appellant PP. Felicianum errorem *hæresim veternosam, illustrium virorum calcibus mirabiliter conculcatam, catholicaque falce olim funditus detruncatam*. Pag. 68. testantur Felicianos adstruere *adoptivum Dei filium de Virgine natum, atque aut in utero Virginis eum adoptatum, aut purum hominem sine Deo natum, ac per hoc postea, quasi indiguerit adoptione, a Patre in filium adoptatum*. Ibi, ac sequentibus paginis hanc hæresim refutant omnibus Scripturæ testimoniis, quibus adversus Nestorium Ephesini PP. certarunt, demonstrantes Mariam peperisse filium Dei, & hunc esse unicam, individuamque personam: quæ argumenta quorsus tanto studio collecta sunt, si Felix fatebatur Mariam peperisse Deum, & Christum unicam esse personam? Sunt autem hæc argumenta deprompta ex Lucæ 1. 35. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei*: ad Galatas IV. 4. *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, &c.* Mat. XVI. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*, aliaque supra adversus Nestorianos producta. Præterea in Epistola Synodica pag. 88. testantur PP. Francofurdienses, tam Nestorium *copulationis* nomine, quam Felicem nomine *adoptionis* negare Christum *unam esse personam, & beatam Virginem Deum genuisse*. Scribunt eodem loco: *Nonne olim hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata est, etiam & damnata? Quapropter forte illum anathematizare noluistis; dum alios, Bonosum scilicet, Arium, & Sabellium, Manichæumque, qui prava de Dei filio senserunt, in Epistola vestra anathematizastis. Nunquid non ideo damnatus est, quia beatam Mariam semper Virginem, non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem?* Cum ergo PP. Francofordienses tam aperte Felicianam hæresim appellent veternosam, & in Nestorio damnatam, ad eamque refutandam demonstrent Christum unam esse personam, ac Mariam virginem filium Dei genuisse; quo pacto, nisi forte, aut singulari ignorantia, aut nimia insectatione quorumdam Scholasticorum sententiæ, quidam Theologi, inter quos Jueniu, neque Concilium Francofordiense asserere hæresim Felicianam prædamnatam esse in Nestorio, neque protulisse testimonia ad probandum Christum unam esse personam, contra tam expressa ejusdem Concilii testimonia, ex tripode ac definite pronuntiant?

Probatur ultimo. Nullum est argumentum invictum magis ac firmum, quo demonstretur Nestorium denegasse hypostaticam unionem, quam illud, quo evincitur impium hæresiarcham affirmasse assumptum hominem a Verbo Deo, non in primo conceptionis momento, sed postquam natus erat e Virgine purus homo, atque ob eam rem baptizatum, quasi indiguerit adoptione. Atque id asseruisse Nestorium scribit secundo adversus eumdem libro, & undecimo Commentariorum in Joannem S. Cyrillus. Idem vero dogmatizasse Felicem Urgelitensem & conjectare possumus ex citatis verbis Concilii Francofordiensis, atque ex lib. 2. Alcuini contra Felicem, & absque ulla ambiguitate deducitur ex Epistola Albini Diaconi ad Monachos Geticos. Albinus enim hac in Epistola testatur se præ manibus habere quemdam Felicis libellum, quem ait edito a se per id temporis opere confutari, in eoque contineri prænarratum Nestorii dogma. *Hæc considerantes diligentius* (inquit Albinus) *& animo tenete firmiter, & constanter prædicate unum filium, & unum Deum, eumdem proprium & verum & perfectum esse, quia omnis veritas in Christo est, & nullum figmentum, & tota plenitudo divinitatis, & nulla minoratio, nec defectio, nec unum, sicut in libello præfati Felicis lectum est, baptismo indiguisse, sed mox sine peccato, & sine labe peccati Spiritu sancto conceptum esse Deum verum, & hominem verum*. Tam aperto testimonio, quod me latet num ab aliquo Scholastico hactenus fuerit expensum, legi autem poterit volumine primo Miscellaneorum Baluzii pag. 377. arbitror satis apparere hæresis Felicianæ cum Nestoriana concordiam.

Corruunt ex his Vasquesii, aliorumque diversa opinantium sophismata. Inquiunt Felicem, & Elipandum appellasse Christum filium Dei adoptivum *secundum humanitatem*, sive *secundum quod homo est*; ita enim scribit Hadrianus Papa ad Episcopos Hispaniæ, Francofordiense Concilium, Jonas Aurelianensis, imo & liquet ex Confessione, quam Elipandus misit ad Carolum Magnum. Videntur ergo non aliud dogmatizasse, quam nonnulli ex Schola Theologi. At respondemus Felicianos additamento illo *secundum humanitatem*, non intellexisse exspoliatam propria subsistentia naturam humanam, illamque assumptam in consortium divinitatis & in unitatem personæ; sed humanitatem propria hypostasi præditam, & divinitati unitam tantum *moraliter*: quod profecto nullus Scholasticorum unquam asseruit. Enimvero qui adstruit filium in tempore factum ex muliere non esse genere filium Dei, qui affirmat purum hominem ex Virgine natum, qui ait filium Virginis indiguisse adoptione, qui opinatur hunc adoptatum in filium per sanctificationem baptismatis, quæ omnia evomuerunt perditissimi Feliciani, nonne apertissime cum Nestorio dividunt Unigenitum, propriamque hypostasim assumptæ tribuunt humanitati?

Opponunt in ea Confessione, quam ad Carolum M. misit Elipandus, adstrui hypostaticam unionem, & personam in Christo unam; habetur quippe: *Homo interior, in una eademque Dei, & hominis persona deglomeratus, filius adoptivus humanitate, & non adoptivus divinitate mundum redemit*. At primo respondetur, liquido apparere ex altera Confessione, quæ extat in Synodo Francofordiensi superius producta, Felicianos commentos filium factum ex muliere non esse illum, qui ante omnia tempora genitus est a Patre, & est filius natura & genere, ideoque in altera Confessione, quæ reperitur in libro a Beato Heterio contra Elipandum conscripto non aliam adstrui unitatem personæ, nisi moralem. Præterea non integra

tegra allata est hæc fidei professio, nam istiusmodi est: *Homo interior in una eademque hominis persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus: quia non per eum, qui natus est de Virgine, visibilia & invisibilia condidit, sed per illum qui non est adoptione, sed genere, neque gratia, sed natura: & per istum Dei simul & hominis filium, adoptivum humanitate, non adoptivum divinitate mundum redemit*. Ubi dum negatur eum, qui natus est de Virgine, illum esse qui condidit visibilia, & invisibilia, nonnisi *moralis* unitio statuitur inter filium adoptivum, & filium genere. Rursus nonne ob unitatem dignitatis etiam Nestorius vetuit dici duos filios, aut duas personas, apud Cyrillum lib. I. contra ipsum Nestorium, imo nonne intorsit anathema in eos, *qui non secundum conjunctionem unum dixerint Christum, qui est etiam Emmanuel secundum naturam*? Vide anathematismum XII. Nestorii eadem phrasi, ac Feliciana professio, contextum.

Præterea objiciunt: Admisit Felix communicationem idiomatum, confessus filium Dei hominem factum, & exinanita divinitate passum & crucifixum. At in primis falsum est Felicem ad sensum Catholicorum admisisse communicationem idiomatum, si negavit mundum redemptum *per eum, qui visibilia, & invisibilia condidit*, & hunc *factum ex muliere*, quod revera negasse constat ex dictis. Deinde admittere communicationem idiomatum ob conjunctionem affectus, & unionem dignitatis, ob quam etiam Moses appellatus est Deus, eadem est Nestoriana perfidia; a qua purgari nequeunt Feliciani, si filiorum in uno Christo invexerunt pluralitatem. Accedit quod Felix Urgelitanus non fuit in sententia firmus; nam in Conventu Ratisponensi, nec non coram Hadriano errorem suum ejuraverat, quem postea majori pervicacia studuit propugnare.

Denique opponunt: Felix & Elipandus certa propriæ sententiæ persuasione rogarunt Carolum Magnum, ut in Concilio ipsorum causa discuteretur, ac oppugnatores damnarentur sui, Beatus præsertim & Heterius. Coacto Concilio Francofordiensi, non hæreseos Nestorianæ insimulati fuerunt, sed ea de causa tantum damnati, quod nova intruderent vocabula, atque Christum appellarent filium adoptione & gratia contra Apostolorum, & Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem. Quare si apud Scriptores aliquos tamquam Nestoriani audierunt, non hoc de ipsis judicium latum est, quod revera Nestorio adhærerent, sed quod ex distinctione filii adoptivi, ac proprii videbatur Nestorii hæresis instaurari. Alioqui si Nestoriani revera fuissent, quomodo Concilium exoptassent? quomodo Beati & Heterii postulassent condemnationem? quomodo ipsorum dogma appellatum fuisset novum figmentum, pluribusque dissertationibus refutatum, cum adversus illud satis fuisset objicere Ephesina decreta, & contorta in Nestorium anathemata? Verum hæc nullius sunt momenti: nullus enim hæreticorum extitit, qui aut simulatione, aut erroris sui patrocinio fabricatum a se dogma a pluribus probandum fore desperaverit. Nestorius ipse ad Cælestinum Pontificem dedit literas, Ephesumque ad Synodum Œcumenicam perfricata fronte, & jam anathemate perculsus accessit. Consimili confidentia Felix Urgelitensis Carolum Magnum convenit per Epistolas, adiitque Synodales cœtus; quamquam non præditus incredibili Nestorii audacia, sed eximie tamen aut tergiversatione, aut inconstantia. Falsum est autem Felicianam hæresim ob solam novitatem fuisse proscriptam: cum constet appellatam esse veternosam, antiquam, damnatam a Patribus Ephesinis, atque Nestorianam, iisdemque cum hac argumentationibus refutatam. Verum tamen est Felicem nova intrusisse vocabula: sed, ut inquiunt PP. Francofordienses, eamdem nomine *adoptionis* cudebat perfidiam, quam Nestorius vocabulo *copulationis*. Quare novo etiam argumentorum genere Feliciana hæresis fuit refutata, uti a Cyrillo, aliisque Patribus Nestoriana, jam in Ebione, in Artemone, & in Photino præfocata. Atque Felicem non sola dogmatum consecutione, verum etiam subversione Mysterii Incarnationis Dominicæ Nestorianis conspirasse, argumento est, quod negaverit natum ex Virgine Filium Dei, & asseruerit filium Virginis indiguisse adoptione, & gratia baptismatis, quæ sunt Nestorianis placitis, ut sibi sunt ova ovorum, & apes apium, simillima.

PROPOSITIO II. Nequit Christus appellari filius Dei adoptivus, etiam secundum humanitatem.

Demonstratur I. ex Scripturis: in quibus etiam secundum humanitatem Christus appellatur Filius Dei unicus, dilectus, proprius, ac talis, qui ad angelorum omnium, hominumque distinctionem fruitur honore, ac proprietate Unigeniti. Ac Christum esse, atque appellari, quatenus homo est, filium Dei, nusquam mentione facta adoptionis, & gratiæ, adeo apertum est, ut probatione non egeat. Pariturae enim Virgini inquit Archangelus Luc. I. 35. *Vocabitur filius Dei*: eumdemque filium Dei vocavit Petrus Mat. XVI. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*; nec ipse abnuit, dum summus Pontifex interrogavit Marc. XIV. 61. *Tu es Christus filius Dei benedicti?* Judæi quoque illum morti damnarunt Joan. XIX. 7. *quia filium Dei se fecit*: atque filium quidem naturalem, non adoptivum, ut demonstravimus lib. VII. cap. 9. Esse autem filium Dei unicum legitur in Evangelio Joannis I. 18. *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: & III. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret*. Cum vero adoptivi filii complures sint, unigenitus filius est natura, non adoptione. Proprium pariter Dei filium appellat Christum Apostolus scribens ad Rom. VIII. 32. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: nomenque filii ad differentiam Angelorum ipsi Christo deberi testatur idem Apostolus ad Hebr. I. 5. dicens, *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* In his quidem locis de Christo ut homine institui sermonem arbitror esse manifestissimum: nam secundum humanitatem in tempore natus est, regnumque Davidis obtinuit: secundum humanitatem a Patre Unigenitus in mortem traditus est: secundum humanitatem crucifixus & mortuus: secundum humanitatem Mediator novi testamenti, & Pontifex ex hominibus assumptus, qualem Paulus describit in sua ad Hebræos Epistola. Quare si Christus etiam secundum carnem, *secundum quam est David filius*, ut ratiocinatur in libro Sacrosyllabo Paulinus pag. 68. *est filius Dei non adoptivus, sed verus, non alienus, sed proprius*; quomodo dici potest, Scripturis repugnantibus, secundum humanitatem filius adoptione, vel gratia?

Idem demonstratur ex PP. inter quos connumerari principio possunt qui negant recte dici duos filios Dei, ut Dionysius Alexandrin. in Epist. Synodica adversus Paulum Samosatenum, Athanasius in lib. de Incarnat. contra Apollinarium, Nazianzenus in Epistola ad Cledonium, Cyrillus Alexandrinus Hom. Paschali VIII. aliique superius citati contra Nestorium. Nam si filii dividi non possunt, nonnisi unum proprium ac naturalem fateamur necesse est. Accedunt Patres, qui negant Christum posse aliquo modo appellari filium Dei adoptivum: inter quos S. Hilarius citatus ab Adversariis, lib. VI. de Trinit. n. 44. recitatis nonnullis testimoniis Apostoli, quibus Christus appellatus est Filius Dei, *Filius suus est*, inquit, *filius ejus est: non adoptio ejus est, non creatura ejus est. Nomen naturam loquitur, veritatem proprietas enuntiat, fidem confessio testatur: non intellige quid addi possit ad naturam filii*. Proximo num. 45. *Numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens caritatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio filio suo docuit: non utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturæ, sed pro alienis suo, pro nuncupandis proprio*. In his utique Hilarius stilum acuit contra Arianos asserentes Christum esse creaturam, sed eos refellendo etiam ab ipso Christo penitus adoptivi appellationem excludit. S. Hieronymus in cap. ultimum Matthæi p. 142. affirmat Dominum nostrum unum esse filium Dei, & filium hominis *juxta utramque naturam divinitatis & carnis*, ideoque nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signa demonstrasse; & quamquam homo esset, qui crucifixus est, qui sepultus est, qui clausus est tumulo: eumdem tamen filium Dei ostenderunt sol fugiens, tenebræ ingruentes, terra commota, velum scissum, saxa dirupta, mortui suscitati. Ita Christum filium hominis eumdem ac filium Dei, sive unum *in utraque natura* filium eloquenter demonstrat S. P. Augustinus Tract. II. in Joannem n. 13. *Multi homines*, inquit, *cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt. Hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet ad illum magis, quia solus omnia possessurus est, & non habebit qui cum eo dividat hæreditatem, ut pauperior remaneat. Non sic Deus: unicum eumdem ipsum, quem genuerat, & per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius*. Ac Tract. VII. num. 4. *Oportebat ergo ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici: Unicus habet potestatem, adoptati ministerium*. Et in Enchiridio cap. XXXV. n. 10. *Cum enim esset unicus Dei filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius: idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus*. Et infra: *Unus Dei filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei filius: non duo filii Dei Deus & homo, sed unus Dei filius, Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus*. Hoc testimonio usi sunt etiam PP. Francofordienses pag. 83. S. Fulgentius lib. III. ad Trasimundum cap. 3. *Unus est igitur filius ex patris natura genitus, qui ideo unigenitus dicitur, ut ex proprietate paternæ naturæ unus, & genitus demonstretur. Quid autem filio prodest, ut nuncupetur unigeniti nomine, si privatur vocabuli veritate? Frustra namque unigenitus dicitur, si in ejus generatione non naturalis de Deo generante veritas, sed creationis ex donante largitas prædicatur: & aliis enim, quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quod si etiam unigenitus filius factus dicitur ex gratia, non*

vere genitus ex natura, proculdio nomen & veritatem unigeniti perdidit postquam fratres habere jam cœpit, privatur enim hujus veritate nominis, si in unigenito non est de patre veritas naturalis. Vide & proximum cap. 4. pag. edit. Lugd. 65. Ildephonsus Archiep. Toletanus in libro de Illibata Virginit. Genitricis Dei Mariæ cap. XI. demonstrat ob unitatem personæ Deum assumentem dici filium hominis, & hominem assumptum dici filium Dei, & inquit: *Propter quam duarum naturarum proprietatem in unitate personæ connexam, Dei & hominis unius Christi hæc sola homo mater est Virgo. Ita in utraque natura unum generans filium, ut idem sit filius Dei qui filius hominis, nec alter sit filius hominis, quam qui sit filius Dei.* Ubi observandum est, quod propter unitatem personæ ita repugnat negare Mariam Virginem esse Dei genitricem, sicut repugnat negare filium ejusdem Virginis esse filium Dei. Quis autem hanc propositionem proferret, *Maria Virgo non est mater Dei, si consideretur Christus ut Deus est, & secundum proprietatem divinitatis, quia revera naturam divinam ipsa non genuit?* Id quidem nullus assereret, propterea quod gigni non naturæ est, sed personæ. Verum hac de re audiemus iterum disputantem Albinum Diaconum. Ut ad Ildephonsum revertatur oratio, in libro contra eos, qui disputant de perpetua Virginitata S. Mariæ Tom. XII. Bibl. PP. p. 566. *Ergo non illum,* inquit, *ut ceteros adoptio filios Dei fecit filium, sed divinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltavit, donavit & illi nomen, quod est super omne nomen: ut esset totus Dei filius, homo & Verbum: quia nunquam non fuit Dei filius, qui sempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Nunquam igitur ipse purus homo conceptus, nec natus, sicut ceteri nascuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia, aut ex molimento virtutum prærogativa filii præstaretur: sed Dei Verbum, quia caro factum est, assumpsit hominem in se sine persona hominis, ut totus esset Christus proprius Dei filius, non dono gratiæ renascendo, ut ceteri, sed salva proprietate utriusque naturæ.* Valde illustris locus est, & quia Falix & Elipandus aliquando auctoritate Ildephonsi abusi sunt, & quia adoptionis naturam paullo infra explicandam egregie collustrat, & quia *totum* Christum, idest, etiam *ut hominem*, esse proprium ac naturalem filium Dei aperte declarat.

Ex his liquet juxta Patrum doctrinam Christum *ut hominem* esse filium Dei proprium, filium naturalem, filium unigenitum: in ipso locum non habere nuncupationem adoptionis; nec adoptatum, nec alienum a Patre traditum, sed suum, propriumque pro adoptandis & nuncupandis. Liquet adoptionem fieri ab iis tantum patribus, qui filium, quem adoptant, non genuerunt; & voluntate duntaxat peragi, non autem natura atque generatione. quamobrem maximum est discrimen inter nos & Christum, quoniam hic est filius natura, nos gratia: ille unicus, nos multi: illa Sacramentorum habet potestatem, nos ministerium. Liquet tandem filium unigenitum non esse filium ex gratia: filium, qui nunquam fuit purus homo, non esse filium renascentia: filium, qui est una persona cum Verbo, *totam* habere proprii filii prærogativam. Atqui Christus est, *in quantum homo*, una cum Deo Verbo persona, nec unquam extitit absque hujus personæ unitate, ac præterea est filius unicus, filius alterius, quam ceteri sint, conditionis, filius proprius, ac Patris, qui eumdem, quem ganuerat, pro nobis tradidit. Quomodo ergo habere potest nuncupationem adoptionis, & per gratiam filii prærogativæ potiri?

Confirmantur hæc omnia explicatione adoptionis, simulque propositio comprobatur ratione. Adoptio itaque definiri solet *legitimus actus naturam imitans, quo liberos nobis quærimus.* A Græcis dicitur [illegible], idest, alieni in filii locum assumptio: fitque, ut ait Agell. lib. V. cap. 19. *cum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur.* Exemplum ex profana historia petitum sit Augusti: de quo Suetonius cap. 65. *Tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege Curiata.* Inquit autem *lege Curiata*, quia adoptatio fit principis auctoritate, dum adoptamus eos, qui sui juris sunt, quæ species adoptionis dicitur adrogatio; vel imperio Magistratus, dum adoptamus eos, qui sunt in parentis potestate. Ex quo sequitur, requiri ad adoptionem, ut is qui adoptat liberos procreare non possit, ut ait Tullius insectans adoptionem Clodii in Orat. pro Domo sua: & adoptivos liberos esse, quibus naturales opponuntur, ut habetur l. ult. D. de bonor. donat. Alterum exemplum depromptum ex sacris literis est Moysis, quem genitum a viro de domo Levi filia Pharaonis Exodi II. 10. *adoptavit in locum filii*: de quo in libro Sacrosyllabo pag. 70. *Adoptivus dicitur, cui nihil a patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur. Abusive namque, & non essentialiter adoptivus est filius dictus, sicut Moyses in filium adoptatus est a filia Pharaonis, alienus ab ea, & generatione, & sanguinis affinitate. Hoc ideo posuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptatum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis.* Affertur ibidem exemplum alterum omnium nostrum, qui *cum essemus parvuli*, inquit Apostolus ad Gal. IV. 3. *sub elementis mundi eramus servientes*: at per Christi redemptionem factum est, *ut adoptionem filiorum reciperemus*: ex quo loco infertur *adoptivum alienum esse ab eo, a quo dicitur adoptatus, & gratis adoptionem tribui, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo præstatur.* Postremum exemplum sit eorum, qui Clericali tonsura initiantur, & recisis crinibus e laicorum cœtu in sortem & hæreditatem Domini adoptantur, pronuntiantque cum Episcopo verba Psalmographi, XV. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* quod Paullus Diaconus lib. VI. 53. haud male observat esse imaginem quamdam adoptionis, quoniam veteres adoptabant præcidendo adoptandis capillorum extrema.

Atque ex his primo infertur nomen filii adoptivi nunquam naturæ convenire, sed esse vocabulum personæ, idest geniti, subsistentis, atque vel liberi suique juris, vel sub patria potestate constituti: adoptionem vero esse quamdam imitationem generationis naturalis, eaque in filium adsumi, quem adoptans non genuit. Consequenter infertur filium adoptatum esse natura filium alienum, non proprium, & fuisse aliquando ante adoptionem, cum non fuerit sub potestate adoptantis, ita, ut adoptatus de non filio filius fiat, & de non hærede hæres. Item sequitur adoptionem non generatione fieri, sed voluntate; non natura, sed gratia; non jure nativitatis, sed beneficii largitione: ad solam autem naturam a subsistentia præcisam nonnisi impropria vocabulorum usurpatione, & confusione perceptionum vocabulum filii adoptivi a nonnullis Scholasticis detorqueri.

Hinc depromitur validissima ratio, cur Christus etiam in quantum homo, Filius Dei adoptivus nequeat appellari. Primo enim uti naturalis *filietas* non convenit naturæ, sed hypostasi atque personæ, non enim natura, sed *suppositum* concipitur, gignitur, nascitur; ita personæ non autem naturæ convenire debet adoptio, quæ est quædam imitatio naturalis *filietatis*. At humanitas Christi non habet hypostasim diversam a Deo Verbo, sive a filio Dei naturali. Non ergo competere potest humanitati Christi adoptio, & *filietas*, quæ non sit propria, vera, ac naturalis. Hac vero argumentatione utitur Sanctus Thomas III. p. q. 23. art. 4. Consimiles sunt argumentationes libri Sacrosyllabi: ac prima pag. 68. quoniam Verbum inenarrabiliter de beata Virgine assumpsit carnem, neque hæc præextitit creata hypostasi ante inenarrabilem hanc adsumptionem, ideoque humanitas non est adoptata in filium in utero Virginis, in quo a primo conceptionis momento Christus homo fuit eadem persona cum filio Dei naturali: alioqui deberemus cum Nestorianis personas, filiosque dispescere; idque multo magis, si dicamus adoptatum Christum hominem, posteaquam prodiit ex utero Virginali. *Aut in utero Virginis*, inquit citatus liber, *eum suspicantur adoptatum, quod dici nefas est, quia de beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem: aut certe eum purum hominem sine Deo natum: quod cogitare impium est, necesse est fateantur, ac per hoc postea quasi indiguerit adoptione a Patre in filium sit adoptatus.* Altera argumentatio est, quod nunquam Christus suis filius alienus: *Adoptatus autem dici non potest nisi is, qui alienus est ab eo, a quo dicitur adoptatus*; legitur in eodem libro pag. 69. Quod profecto tenet etiam de Christo, ut homine, quoniam Christus ut homo non est filius alienus, sed filius unigenitus ac proprius Dei Patris. Tertia est hujusmodi: Adoptio non ex natura & generatione ducit originem, sed ex dilectionis affectu: *Omnis enim adoptio* (legitur ibidem pag. 71.) *ex affectione ducit vocabuli sui originem, quamquam etymologia sua non videatur trahere similitudinis sonum. Habet namque ex utraque parte Utinam vocabulum eleganter insitum, ut si dicas: Utinam sis mihi in filium adoptivum; & e contra: Utinam merear a te in filium adoptari.* Eapropter diximus supra a JCC. adoptationem eorum, qui sui juris sunt, appellari *adrogationem*, quoniam & adoptans rogat eum, quem adoptaturus est, an velit justum sibi filium esse; & is, qui adoptatur rogat adoptantem ut id fieri patiatur. Vide Justinian. l. 2. D. de Adoptionib. At Christus *ut homo* non affectu dilectionis in filium Dei assumptus est, sed vi hypostaticæ unionis, & generationis æternæ: ideoque nullo pacto appellari debet filius nuncupativus & adoptivus.

Communibus his argumentationibus tria alia addi possunt, quarum prima est: Sunt quidem in Christo naturæ duæ impermixtæ ac distinctæ, divina, quam ab æterno habet a Patre, & humana, quam in tempore sumpsit ex Virgine, & recte appellatur Deus & homo, filius Dei & filius Virginis; quemadmodum est in homine rationalis anima & corpus, quorum illa creatur a Deo, hoc in maternis visceribus gignitur & procreatur, ac dicitur homo mortalis carne, & spiritu immortalis. At cum utraque natura, caro videlicet & anima, conglomerata sit substantiali unitione; quis assereret filium ut rationalem non esse filium naturalem hominis, quoniam homo rationalem animam procreare non potest, & non potius totum hominem & corporeum & rationalem esse unum filium hominis naturalem ac proprium, quoniam corpori ab homine procreato substantialiter unita est spiritualis anima. hujusque

jusque unionis vi gignitur unus filius homo rationalis, homo corporeus? *Ita Christus*, inquit citata Epistola Albinus, *licet sit carne mortalis, & divinitate immortalis, tamen est unus Jesus Christus, & unus Dei filius, sicut dixi hominem unum esse filium, licet carne sit mortalis, & anima immortalis: & nullatenus filius uni patri potest esse utrumque & proprius & adoptivus*. Sit argumentatio altera: Beata Virgo non procreavit divinitatem, & tamen Christus ut Deus est filius Virginis, neque dividi potest in duos filios, ita ut in quantum homo sit filius Virginis, in quantum Deus sit filius Patris: sed quoniam Deus & homo est una persona Verbi, totus Christus Deus & & homo est filius Patris, totus Christus Deus & homo est filius Virginis, adeo ut sit blasphemum, nefandumque asserere, Virgo non est Deipara, Virgo non peperit Deum Verbum. Pari ergo jure ob personæ unitatem asserendum est, Totus Christus Deus & homo est filius Patris proprius & naturalis; non autem, Christus Deus est filius Patris naturalis & proprius, & Christus homo est filius Dei nuncupativus & adoptivus. *Et si beata Virgo proprium potuit generare sibi filium, qui fuit ex æterno Dei filius: quomodo non potuit Deus Pater habere hominem filium proprium, qui est in tempore natus ex Virgine? Unus omnino est in utraque natura ad utrumque parentem Christus, & filius Dei proprius:* inquit citata Epist. ad Monachos Getas Albinus. Postremo Christo ut homini genua flectimus: datum est enim *illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, inquit ad Philipp. II. 9. Apostolus. *Adoptivo autem Deo non flectit genu creatura, sed vero*, ait in hunc locum Auctor Glossæ Ordinariæ, ideoque Christus etiam in quantum homo, ut hactenus Scripturis, Patrum testimoniis, ac Theologicis argumentis demonstratum est, dici nequit Filius Dei adoptione.

DILUUNTUR OBJECTA.

In contrarium objiciuntur primo loco verba Apostoli scribentis ad Rom. VIII. 29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. At Christus primogenitus est gratia, & adoptione, non autem natura, secundum quam est unigenitus, nec fratres aliquos habet. Igitur filius est etiam nuncupativus, & per gratiam adscitus. Scripserat supra idem Apostolus cap. I. 4. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute*. Quid manifestius, ut percipiamus Christum esse filium Dei prædestinatione, & gratia; ut libro de Prædest. SS. cap. XV. luculenter sanctus P. Augustinus affirmat?

Resp. appellari etiam Dominum Jesum filium Dei naturalem, unigenitum, ac proprium, præsertim a D. Paulo: dici autem primogenitum, & quoniam prius, idest, ante sæcula genitus est, & quia per ipsum acquirimus hæreditatem, ut diximus Volum. I. pag. 192. & hoc ipso pag. 194. Ibidem declaravimus, quo pacto dicatur prædestinatus, nimirum declaratus, & manifestatus virtute miraculorum, & per gloriam resurrectionis, juxta interpretationem Græcorum, & prædestinatus etiam ad filiationem Dei, non adoptivam, sed naturalem, in quantum nullis præcedentibus meritis prædefinitum fuit, ut Christus Dominus, cum primum in virginali utero procreatus est, & priusquam aliquid patraret boni, per summam hypostaticæ unionis gratiam esset idem naturalis & unigenitus Dei filius, qui ab æterno in sinu Patris consistit. Atque hæc est interpretatio Augustini tradita in libro de Præd. Sanctorum, proximoque capite dilucidanda.

Præterea opponunt auctoritatem Sanctorum. Irenæus enim lib. III. adv. hæreses cap. 21. sive ex dist. Massuet 19. inquit: *Propter hoc enim Verbum Dei homo: & qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*. Hilarius lib. II. de Trinit. ita de Christo loquitur: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Cyrillus in Dialog. III. contra Arianos ait: *Tanquam unus ex nobis in filium adscriptus est Dei, adoptatus nobiscum, & propter nos ille verus, & germanus*. Athanasius in disput. contra Arium n. 28. *Filius quidem verus Dei unus est Verbum, & Deus. Est autem & tanquam alius filius adoptatus per templum corporis ipsius Domini nostri Jesu Christi*. Marius Victorinus lib. I. adversus Candidum Arianum: *Nos adoptione filii, ille natura etiam, & quadam adoptione filius, & Christus, sed secundum carnem*. Eugenius denique. Ildefonsus, & Julianus Toletanæ Sedis Antistites in Missa de Cœna Domini ita dixerunt: *Qui per adoptivi hominis passionem, dum suo non indulsit corpori, &c.* Item in Missa de Ascensione: *Hodie Salvator noster per adoptionem carnis sedem repetivit Deitatis*. Evincitur itaque Patrum testimoniis Christum spectata carnis natura filium adscititium, & adoptivum esse appellandum.

Resp. I. Patres locutos de *adoptione* sensu amplissimo accepta, prout idem est, ac naturæ assumptio, non vero de adoptione propria quæ est alienæ personæ ad jura proprii filii libera, & gratiosa translatio: ideoque hanc, aut consimilem loquendi methodum usurpasse, *carnis humilitas adoptatur, tanquam filius adoptatus, quadam adoptione filius, &c.* Deinde nonnulla in particulari reponimus. Et quantum ad Irenæum; evidens est ex iis quæ proxime præcedunt, & quæ subinde pertexit, quod ait, *ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*, non ad Christum referendum esse, sed ad homines, quos redemit: & falli Erasmum, qui in Præfatione ad hunc III. librum inquit ab Irenæo Christum dici juxta humanam naturam adoptatum. Enimvero revincuntur eo loci qui Christum putant purum hominem e Josephi satu progenitum; quos paullo ante citata verba ait *non percipere munus adoptionis*. Atque recitatis iis, quæ objiciuntur, statim sequitur: *Non enim poteramus aliter incorruptelam, & immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ & immortalitati*. Nec obscure Irenæi sensum demonstrat præsentis temporis verbum, *ut fiat*; nam si de Christo esset accipiendum, adhibuisset præteritum. Præterea in eodem capite hac aperta Sancti Martyris sententia hæresis Feliciana confoditur: *Ipse*, Christus, *proprie præter omnes qui fuerunt tunc homines, Deus, & Dominus, & rex æternus, & Unigenitus*.

Sanctum Hilarium usurpasse verbum *adoptatur*, prout significat *adsciscì*, & *assumi*, constat ex quo id enuntiet de *carnis humilitate*, non de Redemptoris persona; & ex quo tam aperte, ac luculenter lib. VI. omnem a Christo adoptionem repellat. Est tamen de hoc loco diversa Eruditorum sententia, affirmantibus aliis cum Vasquesio in 3. p. disput. 89. cap. 15., & præstantis ingenii viro Germonio p. 2. de vet. hæret. Eccles. Cod. corruptoribus legendum, non *adoptatur*, sed *adoratur*: contendentibus aliis retinendum esse verbum *adoptatur*, cum eximiis Scriptoribus Petavio lib. VII. de Incarnat. cap. 4. Custantio in Vind. vet. codd. & Vallarsio in Præf. ad Hilarium. Ac prior sententia nititur testimonio Hincmari, & Alcuini: quorum unus in Præf. ad lib. de Prædest. & in Tract. de non Trina Deitate scribit Felicem Orgelitanum tempore Caroli Magni Imperat. omnes Hilarii Codices quotquot arripere potuit adulterasse, & ubi scriptum erat, *Carnis humilitas adoratur*, supposuisse *carnis humilitas adoptatur*. Alter vero lib. VI. adversus Felicem inquit hunc verba Hilarii *consueta versutia immutasse*. Afferuntur etiam pro hac sententia vetusti Codices Corbejensis, & Veronensis, qui exhibent postremas syllabas verbi *adoptatur*, idest, *ptatur* loco cultellis abraso, aliena manu conscriptas, diversoque atramento, ut satis appareat fuisse olim scriptum *adoratur*. Accedit, quod nullus Codex, quem legerint aut Erasmus, aut Badius, aut Cribellus præseferebat *adoptatur*, cum neuter edendo Hilarium ex scriptis exemplaribus accurate collectis hujusce lectionis meminerit. Tandem legendum esse *adoratur* etiam verborum sensus videtur evincere, cum eo loci agat Hilarius de exhibita a Magis adoratione, atque illa antithesi, *Dum carnis humilitas adoratur*, proferatur caussa, cur inter vagitus, sordidosque pannos *potestatis dignitas non amittitur*.

Non destituitur tamen opposita sententia rationum præsidio. Nam Agobardus, qui ante Hincmarum de hæresi Feliciana accurate pertractavit, attentatæ a Felice depravationis non meminit, quam tamen Hincmarus ut rem notissimam venditat: Alcuinus vero de versuta potius interpretatione, quam de corrupto Hilarii loco videtur accipiendus. Deinde inter vetustos codices commendatur ab omnibus Vaticanus scriptus, ut inquit vir Cl. Mabillonius lib. V. de Re diplom. sub finem quarti sæculi, aut quinto ineunte; ubi abrasis literis p t aliena manu superinducta est lit. r quod aperte demonstrat antiquitus fuisse scriptum *adoptatur*. Atque id validum argumentum esse haud diffitetur ipse Germonius cap. 9. pag. 446. Quare arbitror ante tempora Felicis Orgelitani Hilarianos Codices variasse, Hincmarum vero illos a Felice existimasse corruptos, quod ipse diversæ lectionis Codicem haberet præ manibus, & revera Felix Aquisgrani exhibuisset præferentem verbum *adoptatur*. Quæ si vere sunt, haud facile erit Germonium inter & Custantium controversiam componere, genuinamque expiscari Hilariani textus lectionem. Accedendum tamen arbitror ad partes Custantii, cum ob Vaticani Codicis auctoritatem, tum ob orationis elegantiam sensumque verborum: nam & oratio minus apta videtur, si vox *adorandi* paullo ante posita repetatur, & in hoc ab Hilario instituitur antithesis, quod gloria, potestas, aliaque ornamenta divinitatis consistunt cum partu Virginis, vagitu infantis, pannorumque squallore, nec amittitur in *assumptione* carnis *dignitas potestatis*. Ceterum, quantum ad præsens attinet, sive *adoptatur*, sive *adoratur* legendum sit, nullum hinc habet Feliciana hæresis fulcimentum.

Quid autem de Cyrillo? Is cit. dialogo III. Tom. V. pag. 486. adoptionem accipit pro carnis assumptione; nam demonstrat *tunc vere datum esse Filio nomen, quod est super omne nomen, cum formam nostram adsumpsit*, non autem post mortem tantummodo; ideoque licet servilem formam induerit, fuisse tamen a priori suæ conceptionis momento *Filium Dei verum, ac germanum*. Imo paucis interjectis ait Christum *dejectum iri, si ex munere habeat* *filii*

filii Dei appellationem. Ac in eodem dialogo pag. 489. ita ad rem nostram proloquitur: *Si quis autem interroget, utrum substantialem & naturalem filio tribuas filiationem, an in sola Patris voluntate positam, sicut nimirum in nobis etiam conceditur, quid responderes Hermia? B. Substantialem quidem ego dixerim, sed non videbor adversariis vera loqui. A. Ita plane: sed adjicient delirare nos, & recta ratione destitui. Quis enim, quæso, istiusmodi sententiis adstipulari nolens eorum cachinnos effugiet, qui rabie sic efferati sunt, & eo intemperiarum venerunt, ut cogitandum putent adscititium esse filium, & in aliorum ordine positum?*

Citatam contra Arium disputationem non esse Athanasii observarunt docti viri ex stilo, ex argumentis plerumque invalidis ne umbram quidem referentibus Athanasianæ ἐνεργείας, & ex vetustis, in quibus non comparet, operibus ipsiusmet Athanasii. Vid. edit. PP. Ben. Tom. II. pag. 205. Scopus tamen hujus scriptoris est duas in Christo propugnare naturas, & humanam a divina distinctam: quam perinde æquiparat templo, filioque adoptato: ac num. 21. pag. 215. docet Christum nequaquam in duos filios dividendum esse, quum *unus sit invisibilis filius Dei, qui idem & visus est; incorporeus, qui & corpus assumpsit; immortalis, qui & carne mortem expertus est; intactus idem ac tactus*: & paullo ante num. 20. animadverterat non esse propter humanam naturam unum Dei filium seorsim nominandum, quemadmodum in Imperatore non imperat *seorsum homo, & seorsum purpura*. Verus autem Athanasius initio libri de Incarnat. Verbi pag. 1. ejusdem Volum. ait: *Qui igitur natus est ex Virgine Maria, Filius Dei natura, & Deus verus, non gratia, neque participatione, &c.* Eodem pacto Marius Victorinus duplicem in Christo naturam propugnat, & *adoptionem quamdam*, carnis scilicet assumptionem adstruit, non adscititiam atque nuncupativam *filietatem*, quoniam & ipse adversus Arianos decertat. Ad Missam Toletanæ Ecclesiæ respondent PP. Francofordienses in Epist. Synodica pag. 79. cit. Tom. IX. Ven. Collect. Concil. Gregorium Pontificem Romanæ Sedis clarissimum toto orbe Doctorem in suis Orationibus semper Christum filium Dei unigenitum nominare, atque opponunt collectam feriæ secundæ, & quartæ post Palmas, solemnisque diei Ascensionis dominicæ: quamquam in Missa olim a Toletanis decantata non *adoptio* in filium, sed *adoptio* tantum humanitatis & carnis, idest, humanæ naturæ assumptio exprimi videatur.

Præterea argumentantur a ratione. I. Est in Christo non tantum humana natura, quæ esse potest filiationis adoptivæ substratum, verum etiam *habitualis* gratia, quæ tribuit spiritum sanctificationis, arrham hæreditatis, & adoptionem filiorum, neque tali efficientia carere debet, cum juxta proloquium Scholasticum effectus *formalis* necessario formam suam consequatur. Deinde cum Christus ratione humanitatis dicatur recte crucifixus ac mortuus, & juxta quorumdam sententiam servus quoque, Deique famulus, curnam eodem pacto dici nequit filius nuncupativus atque adscititius? Contra si in quantum homo est, non satis apposite appellatur Deus, ne duarum naturarum intelligatur permixtio; quo jure dicetur secundum rationem illam, qua est homo, filius Dei naturalis, maxime cum idem prorsus sit Deus, ac Filius Dei? Rursus qui non est filius per generationem, non est filius natura. Christus vero secundum humanitatem non est genitus a Patre, ideoque nec natura ejus filius. Præterea nonne in quantum homo Christus est Patri extraneus? In eo itaque salvari potest tradita definitio adoptionis. Tandem sunt in Christo duæ filiationes, æterna una, altera temporalis: ac debet utrique diversus terminus respondere. At per filiationem æternam Christus est filius Dei naturalis; igitur per filiationem adventitiam ac temporalem est Dei filius assumptus, & adventitius.

Resp. ad primum non naturam, sed personam esse adoptionis subjectum: gratiæ autem *habitualis* præcipuum effectum esse animi decorem, divinæque participationem naturæ, & adoptionem filiorum per hanc gratiam iis tribui, qui Deo extranei sunt, nec habent ad hæreditatem jus proprium ac personale, quemadmodum habet Christus, cui proinde non impertitur gratia secundarium effectum adoptationis propter personæ dignitatem ac naturalem filiationem. Atque pervulgatæ huic responsioni addo Spiritum sanctum, per quem gratia, & caritas in cordibus nostris diffunditur, esse Spiritum proprium filii ad Rom. VIII. 9. & I. Joann. IV. 13. ideoque gratiam in nobis efficere adoptionem filiorum & adventitium jus ad regnum, quoniam sanctificamur per spiritum Christi, at in ipso Christo jus non adscititium, propterea quod sanctificatus est proprio Spiritu; quam responsionem confirmo auctoritate Cyrilli scribentis Dialogo III. de Trinit. Tom. V. pag. 492. *Qui ergo nos mortales filiationis gloria ornat, Spiritus nimirum, cum sit Filii, in aliis quidem adoptionem præstabit, nihil autem prorsus aget in eo, cujus est non adscititius neque extrinsecus inductus, sed substantialiter ejus est, & per ipsum Patris voluntate effunditur in eos, qui illo digni reperti fuerint*. Quod sequitur expeditionem habet facillimam, quandoquidem hæc vocabula, *Deus, homo, servus, passus, crucifixus*, spectant per se ac directe naturam, & ratione naturæ conveniunt personæ: adoptio autem & *filietas* personarum sunt nomina, & juxta ea quæ diximus de communicatione idiomatum, vocabula, quæ significant hypostasim nequeunt naturæ competere: quamquam si naturæ humanæ conveniret filiatio ratione personæ, non esset nisi *filietas* naturalis, quia persona Christi naturalis filius est, non adscititius. Proximum hac ratione diluitur. Quamvis Mastrius in III. disput. 2. q. 5. art. 1. distinguat filium proprium a naturali, tradatque Christum ut hominem esse filium proprium ob unitatem personæ, non esse naturalem ob peractam in tempore generationem, atque juxta hanc sententiam a Belluto, aliisque probatam salvetur Christum ut hominem esse filium Dei proprium, licet non sit naturalis: asserimus tamen ad filiationem naturalem sufficere hypostaticam unionem, sicuti hæc sufficit ut beata Virgo sit vera, propria, ac naturalis Dei mater, prout paullo supra explicavimus: quare negamus Christum non esse filium Dei naturalem, etiamsi ut homo non procedat per generationem a Patre. Dicendum tamen arbitramur cum nostro Basilio Legionensi Tom. I. variarum disput. relect. 4. quem plurimum commendat Gabriel a S. Vinc. disp. XXIII. dub. 4. hanc filiationem naturalem repetendam esse ab æterna divini Verbi generatione, quia ideo Christus *homo* est filius Dei naturalis, quia per unionem hypostaticam subsistit hypostasi Verbi, quod vi generationis æternæ est naturalis Dei filius: non ut putant Vasquesius disput. 89. c. 14. & Suarez disput. 49. sect. 1. quia per unionem hypostaticam Christus ut homo habet jus ad hæreditatem filiorum. Præcisa enim æterna generatione non esset in Christo naturalis filiatio, quemadmodum hæc non esset si Spiritus sanctus, non Verbum, carnem assumpsisset humanam, quamvis non deesset in hac hypothesi jus ad gloriam, & hypostatica unio. At quod proximo loco sequitur, nullius est momenti; nec enim naturæ competit filiatio, ut dictum est sæpenumero, nec natura, quæ substantialiter est unita, appellari potest extranea. Ad ultimum reponimus non unam esse Doctorum Scholæ de duplici Christi *filietate* sententiam. Thomistæ enim cum Angelico Præceptore q. 35. art. 5. filiationem unicam adstruunt, eamque æternam ob unitatem suppositi: at Scotistæ cum Subtili Doctore in III. dist. 8. filiationes propugnant duas, ob æternam, ac temporalem generationem: affirmatque Franciscus Macedo Scoti argumentationes talis generis esse, ut iis Cajetanus non potuerit satisfacere. Videsis Macedi Collat. III. diff. 3. sect. 2. Attamen non videtur nobis dissidium istud tanti, ut inquiunt, momenti; nam si generationes ad suum referantur principium, æterna scilicet ad patrem, ac temporalis ad matrem, duæ sunt proculdubio; si ad terminum, idest, ad personam genitam, non nisi una potest adstrui: & quoniam dum *filiationem* dicimus, percipimus relationem ad personam genitam, magis arridet nobis opinio unam in Christo *filietatem* asserentium; quamquam si duas placeat adstruere, minime consequetur duos esse filios, sed unum naturalem ac proprium duas habens veluti *habitudines*, unam ad patrem, ad matrem alteram; quoniam, ut diximus, duæ istæ *filietates* discriminabuntur ex parte generantium, non respectu termini, sive personæ genitæ. Atque hactenus de hæresi Feliciana.

CAPUT III.

Quo sensu dicatur ab Apostolo Christus Jesus prædestinatus Dei Filius.

HÆRET quorumdam menti levis hæc difficultas, quare Christus dici nequeat filius Dei adoptivus, si ad ad hanc filiationem evectus est gratia, ac prædestinatione divina; & qua ratione prædestinatus dici possit, si persona, quæ prædestinationis subjectum est, extitit ab æterno, atque natura, non gratia ei convenit divina filiatio. Qua in re fuit opinio Durandi in III. dist. VII. q. 3. non posse Christum servato verborum rigore dici *prædestinatum* filium Dei, propterea quod nequeant alicui prædestinatione competere, quæ ipsum natura, vel tempore minime consequuntur: posse tamen dici *prædestinatum* improprie, quatenus *hypostatica* unio est maxima gratiarum omnium. Verba autem Apostoli scribentis ad Rom. I. 4. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, Durandus cum Græcis PP. ita exponit, ut idem sit *prædestinatus*, ac *manifestatus & declaratus*; quam interpretationem & nos tradidimus hoc eodem Volumine pag. 26. & pag. 58. non ita tamen, ut Christi prædestinationem luculentissime ab Augustino commendatam rejecerimus. Non enim Græcorum Latinorumque Patrum sententiæ pugnant invicem; quoniam contradictionem non implicat, id fuisse in tempore miraculorum gloria comprobatum, quod fuerat ab æterno præcognitum ac definitum.

Itaque primum dico, posse recte testimonium Apostoli hoc pacto exponi, ut idem valeat *ac prædestinatus*, ac certo *pronunciatus*, ac *declaratus*. Enim vero ita habemus in Græcis, *Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει*. Est

autem

autem ὁρισθέντος idem ac *declarati*, & *demonstrati*, ab ὁρίζειν, quod non solum significat *definire*, & *decernere*, verum etiam *certo pronunciare*, *ac declarare*. II. Syriaca versio Tom. v. Bibl. Walt. pag. 636. habet: *Et agnitus est filius Dei in virtute*. Æthiopica etiam ibidem: *Quem declaravit esse filium Dei*. III. Habent Græcorum Scholia citata in hunc locum ab Erasmo: ὁρισθέντος, τουτέστιν, ἀποδειχθέντος, ἀποφανθέντος διὰ τῶν προφητῶν, διὰ τῶν σημείων θαυμάτων, διὰ τῆς ἀναστάσεως, *definiti*, *hoc est*, *demonstrati*, *declarati*, *tum per prophetas*, *tum per tot divinitatis signa*, *tum per resurrectionem*. Revera Chrysostomus hom. I. in Paulum pag. Edit. Commelin. 8. ita textum illum exponit: *Qui declaratus est*, *miraculis*, *quæ edidit*, *magnum potentiæ argumentum præbens*. Theophylactus pag. 5. *Nunc igitur asseruit*, *quanta ratione cognitus sit filius Dei*. Œcumenius pag. 203. edit. Paris. *Qui demonstratus & manifestatus est*, &c. IV. Etiam D. Hieronymus in Epist. ad Ephes. cap. I. pag. edit. Martin. 326. inquit: *De filio vero*, *hoc est*, *de Domino Nostro Jesu Christo in alio loco* (ad Rom. I.) *scriptum est*, ὁρισθέντος: *quia semper cum patre fuit*, & *nunquam eum ut esset divina voluntas præcessit*; *de iis vero*, *qui cum antea non essent*, *postea subsisterunt*, *dicitur* προορισθέντες: quæ Hieronymus videtur mutuatus ex Origene similia in eumdem locum tradente. V. Cum Apostolus eo loci commemoret divinam potentiam ac virtutem, sanctificationis spiritum, & resurrectionem ex mortuis, opponetque nativitati secundum carnem ex semine David æternam generationem & virtutem, qua a mortuis surrexit, haud obscure commonstrat hunc suorum verborum sensum esse, declaratum fuisse tot signis Redemptorem nostrum factum ex muliere esse filium Altissimi unigenitum, ac sempiternum.

Huic tamen interpretationi non repugnant Augustinus, ceterique asserentes Christum fuisse revera prædestinatum filium Dei. I. Vulgata nostra, imo quotquot scripserunt ante Hieronymum legerunt *Prædestinatus*, nec magna caret probabilitate olim fuisse scriptum προορισθέντος, ut nititur demonstrare Zegers. Sane ita legit Irenæus lib. III. cap. 18. ex dist. Massuet. 16. num. 3. & cap. 32. nunc 22. n. I. προορισθέντος legit quoque Epiphanius hæresi LIV. quæ est Theodotianorum Tom. I. pag. 467. & Origenes non quidem in Comment. sed lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 4. II. Latini hanc lectionem præferunt, Tertullianus contra Praxeam, & Hilarius lib. VII. de Trinitate, qui Hieronymum præcesserunt, deinde Augustinus de SS. Prædestinat. ceterique omnes. III. Etsi detur olim scriptum fuisse ὁρισθέντος, etiam ὁρίζειν, in sacris literis idem valet ac προορίζειν; nam Lucæ XXII. 22. de Christi passione legitur, κατὰ τὸ ὡρισμένον, *secundum quod definitum est*: & Act. II. 23. τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ, καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον. *Hunc definito consilio*, & *præscientia Dei traditum*. Et Act. X. 42. de ipso Christo legitur, ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων, καὶ νεκρῶν, *constitutus a Deo judex vivorum & mortuorum*: quare pro eodem frequentissime usurpatur ὁρίζειν, & προορίζειν, ut prænotavimus lib. VI. cap. 9. IV. profani quoque Scriptores usurpant verbum ὁρίζειν pro *statuere* ac *definire*, ut erudite demonstrat in Comment. linguæ Græcæ Gul. Budæus pag. 704. V. Si Christus appellatur I. Petri I. 20. *Præcognitus ante mundi constitutionem*: quare dici nequit prædestinatus? VI. Hic Petri locus, in quo dicitur Christus *præcognitus* ab æterno, *manifestatus autem novissimis temporibus*, egregie explicat alterum Pauli textum, conciliatque Græcorum Latinorumque sententiam; quoniam quæ ab æterno in Dei præscientia definita sunt, hæc statutis temporibus eveniunt & declarantur; ac proinde quod ait Apostolus, *Prædestinatus est filius Dei*, recte Latini interpretantur, *Prædefinitus est ante mundi constitutionem*, recte Græci, *Declaratus per resurrectionem ex mortuis*; ita ut ὁρίζειν idem valeat, sive sit *definire* & *prædestinare*, sive *complere ac declarare*, quod ab æterno fuerat prædefinitum.

Explicato a nobis hac ratione Paulino textu, & ad concordiam revocatis Latinis, Græcisque Patribus, liquet admittendam esse hanc assertionem, *Christus prædestinatus est filius Dei*: quam non solum Augustinus enuntiat, sed etiam ea utitur ad refellendam hæresim Pelagianam. Enimvero quicquid in tempore completur, præsertim si beneficium Dei sit, & ad communem utilitatem præordinatum, illud omni dubio procul fuit in Dei præscientia ac præfinitione dispositum. Si ergo Christus Dominus non fuit prædestinatus filius Dei, nec in tempore conceptus erit ac natus, aut saltem non erit id singulare Dei beneficium, & gratiæ donum maximum ac præstantissimum. *Quisquis igitur filium Dei prædestinatum negat*, *hunc eumdem filium hominis negat*, inquit S. Pater Augustinus Tract. CV. in Joan. num. 8. Deinde quidnam est divina prædestinatio, nisi eorum, quæ per gratiam fiunt in tempore, æterna ac definita præscriptio? At Salvatorem nostrum factum Dei filium per gratiam unionis *hypostaticæ*, nullis præcedentibus meritis & Augustinus non uno in loco declarat, & manifesta ratio demonstrat. Attulimus Augustini verba deprompta ex cap. XV. de Prædest. SS. num. 30. eaque late explicavimus lib. VI. cap. 6. arg. 6. Legi potest & Tract. LXXXII. in Joan. num. 4. & lib. I. Operis Imperf. contra Jul. num. 136. Ratio autem ab Augustino tradita est, quoniam *illam susceptionem hominis nulla merita præcesserunt*, *sed ab illa susceptione merita cuncta cœperunt*, inquit S. Pater Tract. nuper laudato. Quid enim mereri poterat antequam esset? quandonam ante *hypostaticam* unionem extitit Christus *homo*? annon idem prorsus est Verbum fieri hominem, & humanam naturam *hypostatice* uniri Verbo? *Quid* ergo Christus *egit ante*, *quid credidit*, *quid petivit*, *ut ad hanc excellentiam perveniret*? ait de Prædest. SS. Gratiæ Dei invictissimus Propugnator. Itaque si assumptio humanitatis ad Filii Dei dignitatem munus est gratiæ, hanc Deus ab æterno prædefinierat. Huic consimile est argumentum D. Thomæ 3. p. q. 24. art. I. Præterea nisi in Christo prædestinationem adstruamus, pereunt argumenta complura, quibus S. P. hæresim Pelagianorum profligavit, evincens gratiæ, ac prædestinationis beneficentissimam largitatem ex eo quod, sicut Christus absque præcedentibus meritis prædestinatus est Filius Dei, caput Ecclesiæ, & Redemptor universorum, ita nos cum essemus filii iræ, & luteæ massæ figmentum, prædestinati sumus in Christo, ut simus membra ipsius, ejusque imaginis conformes, atque, uti speramus, gloriæ, æquique cohæredes. Atque hinc est, quod idem Christus bene sapienterque appellatur *præclarissimum lumen prædestinationis*, & *gratiæ*. Verum necesse non est, ut diu in his immoremur, neque inquiramus sigillatim ad quæ munera fuerit piissimus Redemptor noster prædestinatus: cum enim prædestinatus fuerit ad naturalem Dei filiationem, etiam prædestinatus fuit ad habendam in assumpta humanitate *claritatem*, quam habuit, ut Deus, *antequam mundus fieret*; & ad præclarissima ornamenta, quæ Verbi Dei dignitatem, & Mediatoris officium & characterem sequuntur, cujusmodi sunt sedere ad dexteram Patris, habere in cælo, & terra plenissimam potestatem, judiciique faciendi summam auctoritatem.

At enim, inquis, cum Verbum æternum sit, habeatque Filii Dei claritatem natura, & sempiterna generatione, quomodo potest dici prædestinationis divinæ *subjectum*? Ut hunc nodum solvant, reponunt Scholasticorum aliqui hujus prædestinationis subjectum esse naturam humanam, non autem personam Verbi. Sed, præterquam quod naturæ non convenit *filietas*, Apostolus inquit illum prædestinatum esse filium Dei in virtute, *qui factus est ex semine David secundum carnem*, idest, personam Verbi, de qua in Evangelio Joannis: *Verbum caro factum est*. Dicendum itaque *subjectum* prædestinationis esse personam Verbi, non in quantum Verbum est, sed in quantum *caro factum est*: sub qua ratione tempori subjicitur: ita nimirum S. Pater Tract. CV. in Joan. n. 8. *Recte quippe dicitur non prædestinatus secundum id*, *quod est Verbum Dei*, *Deus apud Deum*. *Ut quid enim prædestinaretur*, *cum jam esset quod erat*, *sine initio*, *sine termino sempiternus*? *Illud autem prædestinandum erat quod nondum erat*, *ut sic suo tempore fieret*, *quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat*, *ut fieret*. Idem propugnat S. Thomas cit. art. I. ad 2. Neque penes me aliquid ingerit difficultatis quod aliqui opponunt, *terminum* prædestinationis posteriorem esse *subjecto* ejusdem prædestinationis, *filiationem* autem Dei naturalem eodem momento attributam Verbo secundum carnem, quo ipsam carnem assumpsit: nam præter vulgatam responsionem, quod hic adest *prioritas* rationis, imo ipsa naturalis *filiatio* oritur ex unione *hypostatica*, eamque supponit: dum assero Verbum secundum carnem esse subjectum prædestinationis divinæ, & ejusdem prædestinationis terminum esse Dei *filiationem*; quamvis oratione utar Scholastica, nihil aliud percipio, quam Deum ab æterno absque ullo meritorum præscientia prædefinisse perficiendam in tempore *Incarnationem*, ob quam idem esset filius hominis, & filius unigenitus Dei. Atque hanc mentis meæ perceptionem nequaquam obnubilat subjecti, termini, aliorumque vocabulorum caligo.

Illud potius disquirendum esset, quomodo si Christus per gratiam, & nullo meritorum intuitu prædestinatus est filius Dei, nequeat tamen dici filius per adoptionem; nisi sublata verborum æquivocatione res per semetipsam patesceret. Aliud quippe est per gratiam naturam humanam uniri Verbo: aliud per gratiam Christum hominem esse filium Dei. Primum significat unionem *hypostaticam*, per quam natura humana subsistit hypostasi Verbi, magnam esse gratiam, quam Christus præcedentibus operibus non poterat promereri: atque hoc ultro conceditur. Aliud significat personam subsistentem per gratiam fuisse evectam ad *filiationem* Dei; quod falsum est penitus. Illud verum est, quia humana natura ante unionem non poterat promereri; istud est falsum, quoniam persona subsistens est filius non adscititius, sed naturalis. Quare gratia unionem spectat, & ex unione consequitur naturalis *filiatio*: unde recte diximus cap. præcedenti in resp. ad I. Christum per gratiam prædestinatum fuisse ad *filiationem* Dei naturalem. Haud obscure id insinuat Augustinus scribens citato cap. 15. de Prædest. Sanct. Salvatorem nostrum singulari Dei munere, nullisque suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis fuisse prædestinatum, quoniam prædefinitum fuerat, *ut ille homo a Verbo*

Patri

Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, filius Dei unigenitus esset. Atque hæc de prælaudato Pauli textu, & de Christi prædestinatione.

CAPUT IV.

Quare Christus dicatur natus de Spiritu sancto, *nec tamen ejusdem Spiritus sancti sit filius.*

VERBA Angeli Josephum virum Mariæ alloquentis Matt. I. 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, & quæ continentur in Apostolico Symbolo, *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine*, moverunt Magistrum in III. dist. IV. & qui in illum ediderunt Commentaria, nec non D. Thomam 3. p. q. 32. ad inquirendum, cur Christi conceptio tribuatur Spiritui sancto, nec tamen sit ipse Spiritus pater Christi. Ad quam difficultatem dirimendam plurimum valere distinctionem particularum *de*, & *ex*, quarum illa de Spiritu, altera de Virgine usurpantur in Symbolo, nonnulli ingeniosi Scholastici adnotaverunt. Sed quamquam distinctionem ipsam caute fateamur adhibitam: in Græco Evangelii textu, quemadmodum Matth. I. 16. de Maria Virgine legitur, ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, *de qua natus est Jesus*, ita versu 20. habetur, ἐκ πνεύματος ἐστιν ἁγίου, *De Spiritu sancto est*, eadem particula *ex* repetita. Atque hinc Erasmus, aliique Grammatici occasionem arripuerunt deridendi Scholasticorum observationes; sed immerito, diversum quippe sensum, quem non exhibet Græcorum particula, optime expressit Latinus Interpres, usu & auctoritate Ecclesiæ probatus.

Nos tamen, ut facilius difficultati occurramus, primum dicimus Verbi *Incarnationem*, tametsi efficienter a tota perfecta sit Trinitate, ob Mysterii significationem esse tribuendam Spiritui sancto, eo ferme pacto, quo de specie Columbæ disseruimus vicesimo capite libri VII. Ac prima ratio est, quam innuimus in Exposit. Symboli Vol. II. Lib. XXII. Cap. VII. III. Articulo; scilicet, ad commonstrandum non ex semine viri Christum fuisse conceptum, ut autumarunt Ebionæi, sed supra naturæ ordinem, divinaque virtute: quæ enim divinitus efficiuntur, speciali titulo Spiritui sancto sunt attribuenda, ut Exodi VIII. 19. patrata a Moyse miracula, Joelis II. 28. munus prophetandi, Mat. XII. 28. expulsio dæmonum, & Isaiæ LXI. 1. ipsum opus præstantissimum Incarnationis. Ob eam rem Chrysostomus hom. 2. in Matth. inquit Christum dici natum de Spiritu sancto, quoniam ipsius conceptio nova fuit, mirabilis, *& humanis cogitationibus supereminens, super legem vadens omnem naturæ*. Altera ratio ex eo petitur, quod Christi *Incarnatio* magnum est, præclarissimumque gratiæ beneficium, ut diximus capite præcedenti. Etenim Spiritui sancto gratiarum dona tribuuntur in 1. ad Corinthios VII. 4. propterea quod ipse est Caritas & Amor Patris, & Filii, imo appellatur *donum Dei*, Joan. IV. 10. & Act. VIII. 20. ideoque Augustinus in Enchiridio c. XXXVIII. numer. 12. postquam ostendit humanæ naturæ assumptionem fuisse maximam gratiarum omnium, *Quæ gratia*, inquit, *propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum*. Tertia ratio illinc promitur, quod Spiritui sancto tribuitur sanctificatio, castitatis decor, peccatorum remissio, Dei cum hominibus habitatio, & æternæ beatitudinis arrha, ut liquet ex Epist. ad Rom. c. I. 4. ad Ephes. I. 13. & 2. ad Corinth. I. 22. Quare dum Christum natum asserimus de Spiritu sancto, profitemur ejus conceptionem cujuslibet contagionis peccati fuisse expertem, celebramus eximii partus sanctitatem, uberrimumque fructum Redemptionis, præsertim peccati remissionem, regnique cælestis hæreditatem.

Deinde affirmamus Christum dici non posse Spiritus sancti filium; hancque apertissimam rationem proferimus, quod *filiatio*, ut supra disputatum est, nonnisi *supposito* competat. *Suppositum* autem cum sit persona Verbi, a quo Spiritus sanctus procedit, non potest ab eodem Spiritu sancto procedere & generari: ideoque recte appellamus Spiritum sanctum *Spiritum Christi*, non vero Christum *filium Spiritus sancti*. Atque hanc rationem affert etiam eximius Ecclesiæ Doctor S. Bonaventura in III. dist. IV. art. 1. Accedit altera ratio invictissima, quod servata verborum proprietate illa tantum dicitur *Pater*, qui alteri substantiam propriam communicat: Spiritus autem sanctus Christo neque naturam humanam generatione impertitus est, quoniam Spiritus ea caret, neque communicavit divinam, quia, ut paullo ante dictum est, hanc potius Spiritus sanctus per *processionis* originem habet a Filio. Postrema ratio huic similis est, quod Christus nequit appellari Filius Dei, nisi ob æternam divinamque generationem, quemadmodum c. 2. præced. fuit declaratum. In æterna autem, divinaque generatione Christus a Patre, non a Spiritu sancto procedit. Nequit ergo Spiritus sanctus appellari *Christi pater*.

Neque officit, quod Christum *natum de Spiritu sancto* affirmet Evangelista. Sapientissimus enim Augustinus laudato cap. XXXVIII. Enchiridii, ubi quæstionem hanc egregie pertractat, docet non omne quod nascitur ex altero, ejus filium esse, cum aliter de homine nascantur filii, aliter capilli, qui filii dici nequeunt; sicuti nec aquæ dicuntur filii, sed Ecclesiæ, qui per Sacramentum baptismatis regenerantur. Nimirum, ut nuper dicebam, ad constituendum *patrem* requiritur ejusdem naturæ participatio, quam filius vi generationis habet ab ipso patre. Si autem quæras, cur Christus ratione creationis, atque sanctificationis dici non possit Spiritus sancti, imo sui ipsius, & totius Trinitatis filius, cum Deum nomine Patris oraverit Joan. XVII. 1. quemadmodum nos quotidie facimus in Dominica oratione: adhibenda est eadem responsio, idest, quod esse filium convenit personæ Christi ratione generationis æternæ: persona autem genita ad solum Patrem refertur: atque juxta D. Thomæ doctrinam 3. p. q. 32. art. 3. qui dicitur filius ratione generationis, non debet appellari filius ob creationem, vel sanctificationem; *quia quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum secundum rationem imperfectam*. Quamobrem oratio Christi, quamvis totam Trinitatem exoraverit, peculiari ratione dirigebatur ad Patrem; quemadmodum ad ipsum Patrem speciali titulo refertur vox, quæ intonuit in Christi baptismate, Mat. III. 17. & Lucæ III. 22. tametsi tota Trinitas vocem illam sit operata, ut docet in quarto de Trinitate cap. XI. præclarissimus divinarum rerum scrutator, Theologorumque columen Augustinus.

CAPUT V.

Possit ne Christus appellari Dei servus, creatura, homo Dominicus, homo Deifer?

CHRISTUM Dominum appellandum non esse Dei servum tradiderunt Hadrianus I. ac Patres Francofordienses, Joannes Damascenus lib. III. de fide Orthodoxa, & ex Scholasticis Vasquelius disp. VIII. cap. 3. L'Herminiet Tom. III. p. 377. Du-Hamelius lib. 3. de Incarnat. cap. 6. Juenin Dissert. VI. q. 5. Thomassinus, aliique non pauci. At oppositum tradiderunt complures PP. paullo post laudandi, iisque accessit universa fere Thomistarum, & Scotistarum schola, haud repugnantibus ex nostratibus Romano Ægidio dist. 10. lib. 3. Gavardi de Incarn. q. VI. art. 5. Gibbun disp. 22. dub. 6. nec non Leonardo Coquæo in cap. 34. lib. XVIII. de Civit. Dei, & Lupo in Scholiis ad VI. S. Cyrilli Capitulum. Facile autem conciliari utramque sententiam, si diversa hujus vocabuli *servi* significatio spectetur, docuit Petavius lib. VII. de Incarnat. cap. 9. & Tournely q. XII. §. 2. Nam si *servum* illum dicimus, qui alteri subjectus est, eique obtemperat, sed alias ingenuus est, bonorumque Domini particeps, quæ est impropria *servitutis* acceptio; servum esse Dominum Jesum Christum fatentur: secus, si servum illum intelligamus, qui omnino juris est alieni, & libero, ingenuoque opponitur.

Verum hi naturalem, & legalem servitutem videntur confundere, quam tamen accurate distinxerunt Scholastici, Gonet præsertim disput. 22. art. 1. Mastrius disp. 22. q. 7. & præcitatus Gavardi. Servitus itaque, per quam famulus distinguitur ab ingenuo, est servitus *legalis*, quæ definitur l. 4. §. 1. de statu hom. *constitutio juris gentium, qua quis Domino alieno contra naturam subjicitur*: juxta quam acceptionem *servus* dicitur a *servando*, quod Imperatores servare captivos, quam occidere mallent, ut cum Jurisconsultis ait Augustinus lib. XIX. de C. D. cap. 15. At servitus naturalis illa est, per quam juxta naturæ legem quis alteri subjicitur: secundum quam significationem *servus* dicitur a *serviendo*. Atque ad servitutem *legalem* illa reducitur, per quam homo dicitur *servus peccati*, quoniam per culpam subjicitur dæmoni: a qua servitute liberamur per gratiam Christi, docente Apostolo ad Galatas IV. 31. *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit*. Ad servitutem vero naturalem spectat etiam conditio, qua filii nondum emancipati parentibus subjiciuntur, scribente eo loci Apostolo v. 1. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo*: & potiori jure ad hanc servitutem reducitur subjectio, per quam omnis creatura dependet a Deo, eique tenetur obtemperare, quoniam filius emancipari potest, & ex jure patris exire, at creatura nequit subtrahi a dependentia, quam habet a Deo.

Nostra itaque sententia est, Christum non posse dici servum Dei, si loquamur de *servitute legali*, & *servitute peccati*, de qua locutos cum Hadriano Patres Francofordienses, inde potest inferri, quod Felix & Elipandus deprædicabant Christum filium Dei alienum & adscititium, & qui aliquando etiam sanctificatione indiguerit, ut liquet ex præcedenti cap. 2. Affirmamus etiam non posse dici servum *absolute ac simpliciter*, quemadmodum nec *necessitate & naturali conditione*, in quantum persona Verbi sponte ac libere formam servi assumpsit. Asserimus tamen non repugnare, quin dicatur servus ratione naturæ hu-

ræ humanæ servitute *naturali*, non quatenus istiusmodi servitus Verbi Dei, & Christi personæ necessaria conditione conveniat, cum servi formam libera assumpserit, sed quatenus ratione naturæ assumptæ est revera factus sub lege, Deo subjectus, eique debebat morem gerare, obtemperare, ac servitutem, & obsequium tanquam famulus exhibera.

PROPOSITIO I. Contradictionem non implicat Christum dici servum sensu explicato.

Id enim Scripturæ, Patribus, ac rationi magis videtur conforme. Et quidem quod ait Psalmographus lxxxv. 16. *Da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ*; nec non Ps. cxv. 7. *O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*, de Christo interpretatur non solum auctor Altercationis cum Pascentio, sive vetus Epistola 178. inter Augustinianas, sed etiam laudandus infra Ambrosius lib. v. de Fide c. VIII. num. 109. De ipsomet Christo locutus est Isaias c. 42. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum*: quem locum juxta Græcorum versionem citat Matthæus c. XII. 18. *Ecce puer meus electus, quem elegi*, & Christo tribuendum esse declarat. Nullius autem est momenti, quod aliqui reponunt legi in Græco vocabulum παῖς, *puer*, quo non servus sed filius significatur: cum & παῖς, *puer*, servum frequentissime sonet, denotetque famulos, ancillas, domesticos, liberos etiam, omnemque familiam, exceptis parentibus. Videatur in Lexico Robertus Constantinus, & Erasmus in Matth. At ambiguam hujusce vocis significationem tollit hebraicum עבדי, *servus meus*, quod extat in Hebræorum Codice, & in Vulgata citato c. XLII. Isaiæ, & cap. XLIX. 6. ubi legitur: *Ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob*: quem pariter locum de Christo interpretatur Ambrosius. Similiter de Christo inquit Zacharias III. 8. *Adducam servum meum orientem*; ideoque falluntur, qui negant Christum unquam in sacris literis servum Dei nuncupari. Neque nomen *servi* duntaxat in utroque testamento tribuitur Christo, sed nominis etiam res ac substantia, scribente Apostolo ad Galat. IV. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*: ad Philipp. II. 7. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*: & 1. ad Corinth. XV. 28. *Ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia*. Quid est autem, quæso, fieri sub lege, accipere formam servi, & subjectum esse, nisi esse servum?

His robur addunt Patrum cum Græcorum, tum Latinorum traditæ allatis Scripturæ testimoniis interpretationes. Nam S. Cyrillus in Apologet. 6. Anath. Tom. VI. pag. 223. ait: *Forma servi assumpta frater appellatus est eorum, qui sub servitute erant, hoc est noster: & factus est sub lege quasi homo, qui ut Deus legislator est. Quo circa si quis dicat eum appellatum esse servum per vocem sanctorum Prophetarum, nulla modo offendi decet*. Theodoretus ipse, quem nobis objiciunt, in Ezech. Tom. II. pag. 488. inquit: *Tanquam homo ipse servus est, idque secundum naturam, non secundum dignitatem*: & paucis interjectis: *Servus igitur vocatus est, ut homo, & hoc sicut dixi non secundum dignitatem, sed secundum naturam, servi enim formam assumpsit*. Atque in Epistolam ad Galat. eodem Volum. p. 507. *David autem Dominum dicit Christum, ut ex David secundum carnem oriundum, servum vero propter humanam naturam: cum enim in forma Dei esset, formam servi accepit. Ut assumptam igitur naturam ostendat, servum nuncupavit, hoc est, ex servili secundum carnem natura ille genitus est. Non enim servus est omnium Dominus Unigenitus, neque enim qua Deus David nominatur, sed qua ex David David appellatur, secundum assumptionem autem servus est*. Idem tradunt alii Græcorum, præsertim S. Athanasius paullo post laudandus.

Ex Latinis tres omnium ore celebratissimos proferam, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum: quorum primus epist. 49. novæ edit. num. 3. ait: *Etenim secundum formam servi locutus Dominum vocavit, quem patrem noverat, æqualis in Dei forma, servum secundum carnis substantiam se prædicans*: & proximo numer. 4. *Eramus enim mortui, & ideo unus pro omnibus servus factus est*. Citato autem lib. v. de Fide c. VIII. num. 18. *Nec solum*, inquit, *ex genere David servitutem suscepit in persona hominis, sed etiam ex nomine, sicut habes: Inveni David servum meum, & alibi, Ecce ego mittam ad vos servum meum, Oriens nomen est ei. Et ipse Filius ait: Sic dicit Dominus, qui finxit me ex utero servum sibi, & dixit mihi: Magnum tibi est vocari puerum meum, &c. Cui hoc dicitur, nisi Christo? qui cum in forma Dei esset, exinanivit se, & formam servi accepit*: proximoque numero 109. *Disce igitur quid sit, Formam servi accepit, idest, plenitudinem perfectionis humanæ, plenitudinem obedientiæ. Ideoque dicit in Psalmo trigesimo: Illustra faciem tuam super servum tuum. Servus dictus est homo, in quo sanctificatus est: servus homo, in quo unctus est: servus homo, in quo factus sub lege, factus ex Virgine est; & ut compendio dicam, servus dictus est, in quo matrem habet, sicut scriptum est: O Domine, ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Hieronymus in Esaiam Tom. III. pag. 317. hæc habet: *Nec mirum, si servus vocetur factus ex muliere, factusque sub lege, qui cum in forma Dei esset, humiliavit se, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo*. Augustinus denique lib. XVIII. de Civit. Dei c. 34. ait: *Ezechiel quoque more prophetico per David Christum significans, quia carnem de David semine assumpsit, propter quam formam servi, qua factus est homo, etiam servus Dei dicitur idem Dei filius*. Hæc profecto adeo aperta sunt, ut enucleatione non egeant nostra. Vide & Hilarium XI. de Trinit. num. 13.

Sunt vero hæc dicta Patrum rationi cohærentia. Primo enim qui habet formam servi servus est, quemadmodum qui habet formam, ac naturam domini dominus est; neque enim istiusmodi nomina *servus*, *dominus*, per se connotant *personam*, sed respiciunt potius *naturam*, ut hæc vocabula *Deus*, *homo*: alioqui cum tres sint in Trinitate personæ, etiam tres dominos fas esset dicere, quod repugnat Symbolo Athanasiano. Si autem vocabula *dominus* & *servus* ad naturam referuntur, quare Christus spectata natura humana nequit dici *servus*, quemadmodum ratione divinæ naturæ dicitur *dominus*? Deinde in *servi* nomine nihil aliud percipimus, nisi dependentiam, subjectionem, ac præstandam jure naturali supremo rerum omnium Auctori obedientiam, quæ Christo ut homini inesse nullus ambigit. Postremo quicquid vel humanæ naturæ, vel divinæ convenit, ob arctissimum vinculum hypostaticæ unionis illud de Christo possumus enuntiare. At naturæ creatæ convenit esse servam Conditoris sui, e cujus auctoritate ac dominio nequit emancipari.

Quæ opponuntur, etsi plura sint, possunt breviter ad tria capita revocari. Ac primo sacræ literæ nullibi, teste Hadriano in Epistola contra Felicem, & Elipandum, Christum servum appellaverunt, sed Dominum ac Salvatorem: eumdem Pater filium dilectum, non servum, delapsa desuper voce nuncupavit: Christus vero ipsum Patrem, nunquam Dominum, nec in articulo passionis, cum deprecabatur, ut ab eo amarus transiret calix, legitur appellasse; & Apostolus in Epistola ad Hebræos cap. I. demonstrat Christum differentius præ Angelis nomen hæreditasse, quoniam hi spiritus ac ministri sunt, ille vero filius unigenitus: atque tertio capite hoc Christum inter ac Moseo statuit discrimen, quod Christus fuerit *tanquam filius in domo sua*, Moyses autem *in domo ejus tanquam famulus*. Deinde Patres negant Christum posse famulum, servumque nuncupari. Dionysius enim Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatensem negat *Christum fuisse natura servum*, exponens verba Apostoli *formam servi accipiens*, de exteriori apparentia, non de intrinseca servi natura. Athanasius Orat. III. contra Arianos nunc 2. num. 14. *Etsi Verbum*, inquit, *in forma Dei existens servi formam accepit, carnis tamen assumptio Verbum, qui Dominus natura erat, servum non effecit*. Theodoretus in fine 2. Dialogi de Apollinario ait: *Quin etiam servum quoque Christum nuncupavit, quod nemo nostrum dicere unquam est ausus*; eamdemque locutionem damnat in confut. VI. Capituli S. Cyrilli. S. P. Augustinus hom. 39. citata a PP. Francoford. Tom. IX. Concil. pag. 85. inquit: *Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi Dominus fuit*. Hadrianus autem, ac iidem Francofordienses PP. non solum negant convenire Christo servi appellationem, sed ulterius id luculenter demonstrant, primo ex commemorato sacrarum literarum, novi præsertim testamenti, silentio, atque ex Christi supra Moysen, & Angelos amplissima dignitate: deinde ex eo, quod Christus nos liberaverit a servitute, cum servus nullo jure possit libertatem conferre, ut ajebat etiam contra Arianos Faustinus: præterea ex quo idem Dominus nos amicos maluit in Evangelio nominare, quam servos. Postremo eadem ratio videtur esse servi atque filii adoptivi, sicut enim *filietas* naturalis omnem excludit adoptionem, ita arcet omnem penitus servitutem. Ad servitutem quippe requiritur, ut qui servus dicitur, teneatur ad præstandam obedientiam, ut non sit juris sui, ut cum Domino in bonis non communicet, quemadmodum erudite scribit Vasquesius: ob quam postremam conditionem nedum Christo repugnat servi appellatio, sed & quibuslibet filiis etiam sub patria potestate degentibus, ut docent JCC. Neque verum est *servi* vocabulum non connotare personam, scribente lib. III. de Fide c. 21. Damasceno, *Servitutis, & dominationis vocabula non naturæ sunt indicia, sed ex eorum genere quæ sunt ad aliud, quemadmodum paternitatis & filiationis nomina: hæc enim non substantiam, sed habitudinem significant*: qui similia repetit lib. IV. cap. 19. commonstrans hac ratione eos, qui Christum servum appellant, duas in ipso cum Nestorianis adstruere personas. Atque ex his videtur evinci oppositam quoque sententiam auctoritate plurima, & ratione valide communiri.

Hæc tamen facillima sunt, & ex dictis soluta. Jure enim meritoque Scripturæ Christum appellant Dominum, Dei Unigenitum, mundique Reparatorem, hisque titulis eumdem Mosi & Angelis præferunt, quoniam revera talis est; quamvis spectata humana natura non repugnet etiam servum illum nominare phrasi earumdem Scripturarum servata. Ac præterea nullum extat, in novo præsertim Testamento, vocabulum exprimens aut servitutem, quæ tribuatur personæ, non assumptæ naturæ, aut quæ Filio Dei natu-

naturalis sit, non libere suscepta: nam si *servi* nomen aut personam connotet, aut conditionem ejusdem, profecto nec servus est Dominus Jesus Christus, nec in Prophetarum oraculis in alios, quam in Christi progenitores, Davidem, Abrahamum, Jacobum cadet servi appellatio. Quod scite, sapienterque docet differens contra Felicem & Elipandum Romanus Pontifex Hadrianus: nam hi veternosam suscitantes hæresim, Christi personam, ut adscititium filium, ita servum, non satione naturæ humanæ duntaxat, & libere suscepta servitute, sed propria ac naturali servitute personæ, blasphemarunt, non autem sensu Catholico, & a PP. usurpato: quod & in Epistolam 46. Ambrosianam adnotarunt Mauro-Benedictini. Similiter Patres negant Christum *servum* ad sensum hæreticorum, qui vel personam Verbi ausi sunt ad conditionem creaturarum deprimere, aut unam illi tribuere naturam, illamque servilem, quemadmodum commenti sunt execrandi Ariani, atque Apollinaristæ. Ita Theodoretus ratiocinatur contra Cyrillum, quem opinabatur imbutum ejusdem hæresis veneno, & in Dialogo pariter secundo perstringit confusionis duarum naturarum assertores, ipsos non tantum redarguens quod servum nuncuparint Unigenitum Dei filium, verum etiam quod illum dixerint *in sede in dextris Dei collocatum*: quod nonnisi ad sensum damnatorum hæreticorum decet redargui. Quare ipsemet Theodoretus *secundum assumptionem* Christum servum esse disertissime aliis in locis pronuntiat: quamquam si id negaret ubique, pluris facienda videretur sententia Cyrilli Theodoretum impugnantis. Sanctus quoque Athanasius laudata Oratione adversus Arianos exercet stilum: in eaque num. 11. his verbis sententiam nostram confirmat: *Dummodo factum eum esse hominem concedatur, nihil sane interest, si de eo dicatur, sive factus est, sive effectus est, sive creatus est, sive formatus est, sive servus, sive filius ancillæ, sive filius hominis, sive constitutus est, sive peregrinatus est, sive sponsus, sive patruelis, sive frater. Siquidem omnia hæc vocabula hominum conditionis propria sunt, eaque & similia non naturam Verbi significant, sed eum hominem factum esse demonstrant.* Horum ergo, aliorumque Patrum disputantium adversus hæreticos contrariæ sententiæ minime evertunt communiorem Scholasticorum opinionem. Facile quoque diluuntur rationes positæ loco postremo: nam ad primam liquet *filiationem* esse vocabulum commonstrans hypostasim, & servitutem designare tantummodo subjectionem, & in Christo conditionem assumpti hominis, ut inquit Athanasius nuper laudatus. Quare Damascenus definit servitutem *legalem*, & secundario jure inter homines inductam, non eam, quæ *naturaliter* inest cuilibet creaturæ respectu Dei. Quadrant ipsi tantum servituti *legali* connumeratæ a Vasquesio conditiones; nam quælibet creatura, etiam rationalis facta Dei filia per adoptionem, libera a servitute peccati, amicitiæ Dei particeps, & consors gloriæ nequit a dependentia & servitute naturali ullatenus subtrahi.

PROPOSITIO II. Nec repugnat appellari Christum ratione assumpti hominis creaturam.

Enimvero ratione formæ servi, & libere assumptæ humanitatis ad Rom. I. 3. dicitur Christus *factus ex semine David*: & ad Galat. IV. 4. *factus ex muliere, factus sub lege*. Quid est autem esse *factum*, nisi creaturam esse? Nec Patres huic assertioni repugnant: nam S. Hilarius lib. XII. de Trinit. num. 45. ait: *Ultimæ dispensationis sacramentum est, quo etiam creatus in corpore, viam se Dei operum est professus: creatus autem est in vias Dei a sæculo, cum ad conspicabilem speciem subditus creaturæ habitum creationis assumpsit*. Et num. 48. *Beatam autem illam & veram concepta intra Virginem carnis nativitatem, quia tum creatura nostra & natura & species nascebatur, creaturam & facturam Apostolus nominavit*. Et infra: *Filius itaque suus est, qui est in homine, & ex homine factura, neque factura tantum, sed etiam creatura*. Athanasius citato loco appellat Christum Dominum in quantum homo est, *factum, effectum, creatum*. Ambrosius in I. de Fide cap. XV. num. 96. *Caro*, inquit, *Dominum agnescit, gloria Patrem significat: creatura nostra Dominum confitetur, caritas Patrem novit. Itaque quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dicitur? In eo igitur se creatum dicit, in quo & hominem testificatur*, &c. Sanctus Hieronymus in cap. II. ad Ephesios Tom. IV. pag. 342. *Et quia semel ad nomen creaturæ venimus, & Sapientia in Prov. Salomonis dicit se creatam initium viarum Domini: multique timore ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi mysterium negant, ut dicant non Christum in hac sapientia, sed mundi sapientiam significari; nos libere proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota spei nostræ fiducia profitemur*. Augustinus Epist. 187. alias 57. ad Dardanum num. 8. *Perinde*, inquit, *quod ad Verbum attinet creator est Christus: Omnia enim per ipsum facta sunt. Quod vero ad hominem, creatus est Christus: Factus est enim ex semine David secundum carnem*; quo in loco septemdecim MSS. consentire, & editos habere *creatura est*, observarunt Benedictini. Atque his accedit Theologica ratio: quæ enim utrique naturæ competunt, possunt omnia de Christo enuntiari; & naturam humanam *creaturam* esse res per se loquitur. Quamobrem Patres, ubi affirmant Christum non esse creaturam, accipiendi sunt juxta traditam Augustini interpretationem, *in quantum ad Verbum attinet*, ideoque frequentiora occurrunt hujusce generis testimonia, ubi refellitur hæresis Ariana. Atque iccirco Christum secundum humanam naturam posse *creaturam* dici propugnant omnes Scholastici, quamquam id absolute enuntiandum negent complures, ne videamur cum hæreticis fovere errorem, sermonisque consuetudinem: ob quam perutilem monitionem traditam in 3. p. q. 16. art. 8. a magno Aquinate, addam proximam thesim tertiam.

PROPOSITIO III. Congruum magis, ac religiosum est abstinere ab istiusmodi enuntiationibus, *Christus servus est, creatura est*, ac multo magis ab illa, *Christus est homo Dominicus, aut Deifer*.

Illud quippe sedulo est observandum, ne quomodolibet probare videamur hæreticorum asserte, neque de Redemptore nostro loquamur demisse nimis, atque irreverenter. Cum itaque hunc appellare servum sit Felicianæ hæresis contumacia, creaturam dicere sit Ariana perfidia, & nuncupare Dominicum, aut Deiferum hominem sit perversa blasphemantis Nestorii calliditas; satius est ad horum scita oppugnanda omnem ambiguam, & flexiloquam vitare orationem. Ac si mortalium nemo terrenum principem communibus plebis vulgique nomenclationibus appellat, eique foret infestus, atque inurbanus, qui ipsum diceret mortale animal, rudem hominem, civem popularis stirpe progenitum, quamvis talis esset naturali conditione: quis nostrum audeat appellare Dominum Jesum Christum servum, & creaturam, dum formam servi, creatamque substantiam assumpsit propter nimiam erga nos caritatem, divina non amisse majestate? Rationi præterea consentaneum est, unumquemque illustriori nomine, non titulo ignobiliori notare. Ad hæc, quæ universalia sunt, argumenta accedunt circa *servi* nomenclationem peculiaria. Ac primum, ut scribit ad Hispaniæ Episcopos Hadrianus cit. Tom. IX. pag. 62. non decet nos humillimos ac miserrimos illum nominare servum, quem *universalis Ecclesia Evangelicis atque Apostolicis imbuta lucidissimis documentis Deum ac Dominum suum totis medullis cordis, tota animi devotione in dextera Patris profitetur sedentem*. Deinde quænam esset, ut inquit idem Pontifex, arrogantia, *servum* dicere, quem Deus Pater appellat dilectum sibi Unigenitum, cui post gloriosam resurrectionem omnia subjecta sunt, & in cujus nomine flecti omne genu testatur Paulus *mundi lilium, & Ecclesiæ pulcherrima rosa*, ut ibidem pag. 63. vocatur ab Hadriano? Dedecet insuper, inquiunt ibidem pag. 90. PP. Francofordienses in Epistola Synodica, eum dicere *servum*, qui Joan. XV. 14. nos *amicos* maluit nominare, quam servos, dicens: *Jam non dicam vos servos*, &c. Denique, cum nos Christus Jesus a servitute peccati liberaverit, magna esset ingratitudo Redemptorem ac liberatorem nostrum servum potius, quam Deum ac Dominum, & nostræ salutis auctorem, incaute audacterque proferre.

Similiter abstinendum esse ab appellatione *creaturæ*, plura argumenta suadent. Ac primo, ut ratiocinatur Hilarius lib. XII. de Trinit. num. 4. *Per Dominum Christum creata omnia sunt, & idcirco ei proprium nomen est, ut sit creator*: quo nomine illum appellant Melchisedech Gen. XIV. 19. Osee Propheta XIII. 4. Petrus Epist. I. cap. IV. 19. ne repetamus loca e nobis producta lib. VII. cap. II. Itaque Hilarius ait, *non cadit in eum efficientiæ sua & natura & nuncupatio*. Ac similiter Ambrosius lib. I. de Fide cap. XIV. n. 88. *Quis hunc induxit errorem, ut eum, qui creavit omnia, qui fecit omnia, diceret creaturam?* Præterea qui Filius Dei est natura, ideoque ei similis, & æqualis, & ex utero ejus genitus *ante Luciferum*, appellari nequit creatura; cum creatura omnis sit Deo longe dissimilis, & inæqualis, necnon in tempore procreata. Deinde, ut eo loci Hilarius, & Ambrosius concordi sententia loquuntur; de creatura scribit ad Rom. VIII. Apostolus subjectam esse vanitati, ingemiscere, & a servitute corruptionis fore liberandam: quis vero his per creaturæ contumeliam ludibriis Christum deputabit, ut vanitati subjectus sit, ut ingemiscat sub spe longinquæ expectationis, ut maneat etiam in corruptione naturæ? Utitur eodem argumento S. P. Augustinus in libro contra Secundinum cap. 8. Insuper Christo tribuitur æternitas, ut adversus Socinianos & Ebionæos diximus lib. VII. cap. 8. Imo e Schola quamplurimi refellunt hanc enuntiationem, *Christus incæpit esse*: quamquam enim aliqui cum Scoto in 3. dist. XI. q. 3. illam propugnent, &, si accipiatur secundum assumptam naturam, sit vera, prolata nihilominus absolute rejicitur a majori Theologorum numero, ut in eamdem distinctionem tradunt noster Argentina, & Estius, necnon Thomistæ omnes in articulum 9. q. XVI. 3. p. Et revera, ut ibidem docet S. Thomas, in illa, aut consimili enunciatione Christi nomine designatur *suppositum*, idest, Verbum, quod ante omnia secula extitisse profitetur fides Catholicorum. Atque verbum *incipere*, inquit Estius, negationem includit exi-

existentiæ anterioris: ideoque licet recte enuntietur de Christo aliquando non fuisse hominem, non fuisse corpore animoque præditum, non fuisse quoque Mediatorem, quemadmodum asserit Augustinus Tract. cv. in Joan. num. 7. quoniam Mediatoris munus non absque assumpta humanitate exercetur: absolute tamen Christum, aut hunc hominem, Christo demonstrato, aliquando cœpisse non affirmamus, sed potius asserimus cum Apostolo ad Hebræos ult. 8. *Jesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula*. Illam quoque propositionem, *Hic homo*, designato Christo, *incœpit esse*, gravi censura notatam a sacra Facultate Parisiensi anno 1593. die 2. Augusti scribunt Isambertus in q. xvi. disp. iv. art. 5. & Gabriel a S. Vincentio disput. xvi. de Incar. dub. 9. probatamque sacræ Facultatis proscriptionem ab Alex. VI. testatur in præcitatum art. 9. q. xvi. illustris Thomæ Commentator Cajetanus. Nunc ut redeat, unde digressa est disputatio: quum Christo tribuatur æternitas, & apud plerosque Theologos male oleat enuntiatio illa, *Incœpit esse*; omnis vero creatura sit per ipsum Christum producta in tempore, & aliquando esse cœperit, non erit Christo Domino tribuenda, sine hac determinatione *secundum naturam humanam*, creaturæ nomenclatio.

Multo magis abstinendum ab illa enunciatione, *Christus est homo Dominicus, homo Deifer*, I. Quoniam hujusmodi enunciatio frequens erat in ore Nestorianorum, ut ea Christum unum Dei filium negarent, ipsumque in duas personas dispescerent, quarum ex Virgine assumpta, idest *homo*, non Deus, vel Dominus esset, sed *Emmanuel*, in quo Dominus, & Deus habitaret, ut diximus lib. xxvi. cap. 13. & adversus hanc Nestorianam locutionem pugnat quintum Cyrilli Capitulum ab Ephesina Synodo consecratum: *Si quis dicere audet Christum non esse verum Deum, sed hominem tantum Deiferum, utpote unum, naturalemque filium, quatenus nimirum Verbum caro factum carni & sanguini perinde ac nos communicavit, anathema sit*. II. Quoniam si vis grammaticalis spectetur, *Dominicus*, non Dominum, sed ad Dominum attinentem, & *Deifer*, non Deum, sed Dei bajulum denotat: ideoque neutrum horum vocabulorum de persona, quæ Dominus ac Deus est, potest recte enuntiari. III. Quoniam Patres aperte enuntiationem ipsam rejiciunt; nam Gregorius Nazianzenus in prima ad Cledonium Epistola citata a Lupo in Scholiis ad v. S. Cyrilli Capitulum, ait hac voce *Homo Dominicus* uti hæreticos, *ut imposturam faciant, vicissimque ipsi fallantur*. Et S. P. Augustinus in 1. Retract. cap. 19. num. 8. castigans quæ scripserat lib. 2. cap. 6. de serm. Domini in monte, ubi Christum *hominem Dominicum* appellaverat, *Sed non video*, inquit, *utrum recte dicatur homo Dominicus, qui est Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus*: additque, quod etiamsi occurrat hujusmodi locutio apud nonnullos tractatores Catholicos eloquiorum divinorum, & nonnulla possit ratione defendi, se tamen *dixisse nollet*. IV. Tandem in dubium revocari nequit, quin *Dominici* appellentur, qui ad Christi familiam spectant, ut ibidem inquit S. Pater; *Deiferi* autem dicuntur a vi. Synodo Orthodoxi omnes Patres, eoque nomine insignitus est sanctissimus Martyr Ignatius, ut diximus citato cap. 13. ubi quoque diluimus Nestorianorum objectationem. Dedecet autem quæ sunt communes fidelium sanctorumque notæ, maxime post eliminatas hæreses, libratamque vocabulorum significationem, in Unigenitum Dei filium indiscriminatim transferre.

APPENDIX.

In disputationem trahitur in Scholis, num Christus possit revera dici *compositus*, & *hypostatica* unio vera, proprieque appellari compositio; sed hæc quæstio tanti non videtur ponderis, ut in ea pertractanda immoremur, præsertim cum ex hactenus disputatis possit ab unoquoque expediri. Enimvero, cum Christus una sit *persona* subsistens in naturis duabus, liquet non posse illum appellari ex duplici *substantia*, aut ex duabus personis *compositum*, sed potius dicendum cum Patribus v. Synodi collat. viii. anath. 4. *unam substantiam compositam*, scilicet, unam personam præditam naturis duabus: quo sensu Christum *compositum* appellarunt orthodoxi Patres, Cyrillus in libro de recta fide ad Theodosium, Justinianus Imperator in Profess. fidei, sanctus P. Augustinus cap. 35. Enchiridii, Joannes Damascenus lib. iii. de Fide orthod. cap. 3. aliique bene multi. Ita nimirum profitentes Christum unam *subsistentiam compositam*, Nestorianam, & Eutychianam hæresim expresse damnant.

Diversæ autem Patrum & Theologorum sententiæ, quorum aliqui unionem *hypostaticam* esse compositionem affirmant, aliqui negant, absque ulla difficultate componuntur, si *compositi*, ac *partis* diversam attendamus perceptionem: nam si *compositum* dicas illud, quod pluribus constat partibus incompletis, quæ habent ad invicem naturalem *habitudinem*, atque sese mutuo perficiunt; cujusmodi sunt corpus & anima, materies ac forma; constat Christum non esse personam *compositam*, neque naturam divinam habere rationem partis, ut diximus hujus voluminis pag. 25. & 72. Atque hoc sensu Ferrandus Epist. ad Severum, Hugo Victorinus, & ex Scholasticis subtilis Scotus negant Christum recte dici compositum, & Athanasius apud Euthymium in Panoplia p. 2. tit. 15. nec non S. Pater Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 10. negant divinitatem hujus personæ, quæ Christus est, posse dici partem. Ac ratio satis est obvia, & etiam eo loci innuitur a magno protoparente, quoniam *Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, erat totus*: nempe divinitas non est pars incompleta, atque imperfecta, & quæ per unionem cum altera parte unam efficiat confusam, permixtamque naturam. Quod si *compositum* illud dixeris, quod pluribus constat distinctis, & invicem unitis, sive habeant propriam rationem partis, sive potius numeri, aut rei, quæ simul cum alia re unum constituat; Christum esse *compositum*, & divinam naturam aliquo sensu esse partem, non incompletam, & perfectibilem, sed quæ simul cum natura humana unum constituit personam, permanens perfecta, atque impermixte, asserunt laudati Patres, & cum magno Theologorum numero Thomas Aquinas. Nec immerito; cum ad hujusmodi compositionis genus satis esse videatur unio distinctorum. Ad hanc ergo quæstionem dirimendam sufficit distinguere duplex hoc genus compositionis, quod in Scholis appellant *per modum partis*, & *per modum numeri*, aut [illegible], *ex his*, & *cum his*.

Proscriptus quidem fuit a Synodo Constantiensi anno 1414. articulus 4. Joannis Hus, *Duæ naturæ, divinitas, & humanitas, sunt unus Christus*: sed hæc damnatio non evincit Christum ex divinitate, & humanitate non esse compositum, sed tantum personam non esse aut unam, aut alteram naturam sejunctim acceptam, ut arbitrabatur Witclefus, cujus errores Joannes Hus pertinaciter propugnavit. Vide Tom. xii. Conc. Labbei p. 129. Adde, quod juxta regulam vi. Communicationis idiomatum enuntiationes, quæ de Christo proferuntur, accipiendæ sunt secundum *subjectum*, non secundum *formam*, & ita duæ naturæ ob unionem hypostaticam *in concreto* enuntiantur de Christo, ut nequeat propter utriusque naturæ distinctionem quod competit uni transferri in alteram, sive prædicari humanitas de divinitate *in abstracto*. Hoc ergo sensu Christus *non est divinitas & humanitas*; quatenus quæ enuntiantur de persona ratione naturæ divinæ, affirmari non valent de natura humana, aut e converso quæ ei competunt ratione naturæ humanæ, prædicari non possunt de natura divina: quippe non valet, *Divinitas passa est*, sicut valet, *Passus est Christus*; neque tenet, *Humanitas est ubique*, quemadmodum tenet, *Ubique est Christus*. Brevi dicam: Joannes Hus confundebat concretum & formam, sive personam & naturam; ut de Witclefo scribit Thomas Valdensis lib. i. art. 3. cap. 42. num. 1.

CAPUT VI.

Quid asserendum de ea propositione, Unus de Trinitate passus, ac mortuus est.

ACRIS *de Uno ex Trinitate passo* controversiæ narrationem incipit ab anno 519. quo Scythæ Monachi cum Victore Diacono disceptarunt, præclarus scriptor, & de Dogmatica Theologia optime meritus Dionysius Petavius lib. i. de Incarnat. cap. 18. At historia ab anterioribus temporibus est repetenda. Vita enim functo circa annum 434. Constantinopolitano Antistite Maximiano, quo sedente tumultus maximos excitarant Nestoriani, Proclus, Maximiani successor adversus dogmata Theodori Mopsuesteni Nestorianorum signiferi, suis in scriptis asseruit *Unum de Trinitate incarnatum*, sententiam Procli approbante Joanne Antiochenorum Patriarcha. Horum vero auctoritate, Joannis scilicet & Procli, *Unum de Trinitate passum*, (non quidem catholico sensu assertum istud comprobantes de Christo, quatenus cum Verbo est una persona, sed pravo & hæretico, atque transferentes passionem in unam confusam permixtamque naturam) dogmatizabant Eutychiani, tempore præsertim Concilii Chalcedonensis, idest, anno 451. Ab ipsa tamen Synodo Procli, & Joannes Epistolæ, ut liquet ex Relatione Synodi ad Marcianum Augustum, tanquam orthodoxæ receptæ fuerunt, & commendatæ.

Asseruit postea *Deum cruci suffixum*, addiditque Trisagio ea verba, *Qui crucifixus est pro nobis*, Petrus Fullo; qui, ut Baronius & Valesius inquiunt, Antiochenum Episcopatum invasit anno 471. vel ut alii saniori fortasse judicio 463. Romano Pontifice Hilaro. Et Petri quidem sententia erat Eutychiana; nam cum Ario, Apollinari, & Eutychete illum affirmasse *passum Deum Verbum in ipsa divinitate*, demonstrat ex Epistolis Felicis III. ad eumdem Petrum, & Zenonem Augustum, eximius Lupus in Scholiis ad cap. x. Synodi Chalcedonensis. Varia autem fuit Petri Fullonis fortuna; nam ejectus e Sede, quam invaserat, sententia Antiocheni congressus, & damnatus etiam a Romano Pontifice Simplicio, recepit se in Monasterium Monachorum, quos *Acœmetas*, idest, *Insomnes*,

ac *Pervigilantes* dixerunt. Restitutus postea opera Basilisci Tyranni, iterum damnationem subiit sedente Felice III. anno scilicet 484.

Imperante deinde Justino, Scythæ quidam Monachi, quorum agmen ducebat Joannes Maxentius, falso a Vossio lib. 1. Hist. Pelag. cap. 23. & a Josia Simlero in Adnot. ad Maxentii libros, ab altero Maxentio Abbate distinctus, illud in professione fidei addendum contendebant, *Unum ex Trinitate esse crucifixum*, acerrime disputantes cum Victore Diacono, oblatisque libellis coram legatis Romani Pontificis, qui anno 519. Justinum ad compescendum Orientalis Ecclesiæ schisma convenerant. Verum Monachi nulla obtenta a Legatis summi Pontificis definitione, ad ipsum Romam usque profecti, eidem fidem suam probare conati sunt: sed jubente Pontifice, ut expectarent reditum Legatorum, Scythæ dissidiorum amatores cœperunt omnia turbare, conscribere ad longinquos Episcopos libellos, & epistolas de fide sua, ad simulacra quoque Regum confugere fidem publicam implorantes. Atque hæc insolens agendi ratio, rerumque, quæ contigerant sub Petro Fullona, vigens adhuc memoria in caussa fuerunt, ut Monachi Scythici venirent in suspicionem hæresis Eutychianæ, cujus etiam a Baronio, & Bellarmino insimulantur, atque ut in eos juste animadverteret summus Pontifex Hormisdas. Fuisse tamen ab illa hæresi immunes propugnant viri doctissimi, Petavius lib. v. cap. 2. Vasquesius in 3. p. disp. 15. cap. 3. Natalis Alex. dissert. 2. sæculi vi. Pagius ad annum 519. num. 6. ac fusiori stilo in Opere de hac controversia conscripto, aliisque in locis Norisius.

Compresso tamen Scytharum tumultu, erexere se iterum Nestoriani, quasi Hormisdas in Monachos sententiam dicans, nullo modo probaret personam Verbi, quæ est una ex Trinitate, incarnatam & passam, sed personam aliam Verbo sola morali unione conjunctam: dissidiaque auxere Monachi alii Acœmetæ, non Eutychiani illi & ex factione Petri Fullonis, sed quidam Monachorum Scytharum æmulatores, qui cum Nestorianis negabant Christum dici posse *unam ex Trinitate personam*, & Mariam Virginem esse *Deiparam*, auctore Liberato Diacono in Breviario, & Joanne Papa 2. in Epist. ad Imp. Justinianum. Hi Monachi Acœmetæ ad eumdem Pontificem Joannem legatos misere Cyrum, & Eulogium, ut opinionem suam apud Sedem Apostolicam propugnarent, ejusdemque adversus Scythas obtinerent approbationem. Contigit id Justiniani anno vii. idest, Vulg. Æræ 533. At Pontifex certior factus tunc temporis propositionem hanc, *Unus e Trinitate passus est*, reprobari a solis Nestorianis, auditis etiam Justiniani Legatis Demetrio a Philippis, & Hypatio Ephesiorum Episcopo, Acœmetas in sententia pervicacissime persistentes, tamquam Nestorianos, Ecclesiastica communione privavit. Ex qua narratione potest quisque deprehendere tam illam enunciationem, *Unus ex Trinitate passus est*, quam additamentum illud Trisagii, *Qui crucifixus est pro nobis*, recte in sensu Eutychianorum fuisse ab Hormisda, & a Felice III. reprobata, recte etiam a Joanne II. approbata adversus Nestorianos & Acœmetas, & facile Scythas horum adversarios purgari posse ab hæresis suspicione: ad utriusque demum hæresis execrationem satius esse, si secundam e sancta Trinitate personam dicamus affixam cruci, & passam *secundum carnem*: quod ad majorem veritatis dilucidationem proximis positionibus confirmabo.

PROPOSITIO I. Hæc enunciatio, *Unus e Trinitate est passus*, est Catholica & orthodoxa.

Demonstratur I. Ex Scripturis, & PP. præcedenti libro cap. 13. adversus Nestorianos productis constat Dominum nostrum Jesum Christum esse cum Verbo Dei unam personam, unigenitum filium Patris, ideoque unum ex sancta, & individua Trinitate. Quemadmodum itaque catholica & orthodoxa est hæc propositio, *Christus crucifixus est*, ita extra erroris periculum pronuntiari potest altera, *Crucifixa est una e sancta Trinitate persona.* Accedit in hujus argumenti confirmationem, quod non tantum Scripturæ ac Patres affirmant crucifixum Dominum Jesum Christum, verum etiam proprio Filio Deum Patrem non pepercisse, annuntiasse nobis vitam æternam Unigenitum, qui est in sinu Patris, locutum nobis Patrem novissime in Filio, per quem facit & sæcula, aliaque etiam hoc libro repetita. At conditor sæculorum, proprius Dei filius, Unigenitus in sinu Patris consistens nonne est secunda sanctæ Trinitatis persona? Una ergo ex Trinitate persona incarnata est, passa est, crucifixa est. II. Eamdem enunciationem probarunt Romani Pontifices, illamque definivit in Epistola iii. ad Avienum & Liberium Senatores Joannes Papa II. decernens Christum esse, ac recta dici *unum de Trinitate:* eamdemque propositionem v. Synodus canone 10. his verbis consecravit: *Si quis non confitetur Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum & Dominum gloriæ, & unum de sancta Trinitate, talis anathema sit.* IV. item Synodus Act. iv. approbavit Epistolam Agathonis Papæ, in qua Christus dicitur *Una de tribus Personis sanctæ Trinitatis*, necnon Epistolam Synodicam Concilii Mediolanensis sub Mansueto, in qua idem Christus appellatur *Unus de tribus subsistentiis de sancta Trinitate*. Ecclesiasticis itaque definitionibus enuntiatio, de qua disputatur, munita est. III. Nititur quoque Patrum auctoritate; nam S. Pater Augustinus cap. 38. Enchiridii *unum Trium* appellat unam Trinitatis personam quærens, *An quando Unus trium in aliquo opere nominatur, operari Trinitas intelligatur?* & de Dono Persev. cap. ult. scribit humanam naturam *suscipiente Deo Verbo in unicum Filium Dei sublimatam, ita ut qui suscepit, & quod suscepit una esset in Trinitate persona*. S. Proclus, ut diximus, longe ante exortam Monachorum Scytharum contentionem, in Epistola ad Armenios *posuit ad interimendas Nestorianorum versutias unum de Trinitate incarnatum*, inquit cap. 10. Brev. Liberatus Diaconus. S. Fulgentius de Fide ad Petrum, cap. 13. idem plane docet his verbis: *Firmissime tene, & nullatenus dubites unam ex Trinitate personam, idest, Deum filium, &c.* Atque de Incarnat. cap. 10. *Una ex Trinitate persona Christus Dei filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus, & natus est de ventre Virginis Matris*. IV. Patribus accedunt viri doctissimi, Ferrandus Diaconus, qui in Epistola ad Anatolium propositionem illam immunem ostendit ab hæresi Eutychiana, etsi illam in Chalcedonensi Synodo protularint Dorotheus, & Carolus Eutychetis Apocrisarii, *Sæpe enim*, inquit, *per ignorantes loquitur veritas*. Dionysius Exiguus in Præfat. ad Epistolam præcitatam S. Procli, scribit Theodorum Mopsuestenum, ejusque fautores, Nestorianos nimirum hæreticos, negavisse *Christum Dominum unum de Trinitate*: quamobrem Monachi Acœmetæ idem negantes tamquam Nestoriani fuerunt jure meritoque damnati: & Facundus Hermianensis lib. 1. de Tribus Capitulis cap. 3. *Nihil est*, inquit, *quod de verbo reprehendamur dicentes unum de Trinitate incarnatum, sive passum, sive crucifixum*. V. In hac enunciatione, *unus de Trinitate passus est*, τὸ *unus* nequit significare unam substantiam, non enim idem valet, ac *unus de tribus Diis*, cum in Trinitate unus duntaxat sit Deus: significat ergo unam personam, ut in textu illo Geneseos iii. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*: eo vel maxime, quod ad significandam naturam, & communem proprietatem, dici non solet absolute *unus*, sed, vel *unum* in neutro genere cum hypallage, idest, submutatione pronominis, ut dum Christus ait, *Ego & Pater unum sumus*, & Joannes, *Hi tres unum sunt*: vel *unus* cum additamento vocabuli exprimentis naturam, aut commune attributum, ut dum dicimus, *Unus Deus, unus Dominus*. In præfata itaque enunciatione nonnisi proprie loquendo sensus occurrit orthodoxus, commonstrans Dominum Jesum Christum esse unam S. Trinitatis personam, quod impie negabant Nestoriani. VI. Eutychiani asserentes Deum passum & crucifixum, tenebantur cohærenter asserere passam & crucifixam totam Trinitatem, quoniam Christus in eorum sententia passus fuerat in natura Deitatis, quæ est toti Trinitati communis, unde ex illorum errore alter Theopaschitarum tamquam e proprio fonte manavit, aut si naturam divinam, in qua Christus passus est, aliam dixerunt ab una natura Trinitatis, impegere necessario in hæresim Arianam, & invexerunt quartam in Trinitate personam. At quisquis profitetur unam de sancta Trinitate personam crucifixam, (quemadmodum ratiocinatur Ferrandus cap. 12. Epist. ad Anatolium) non asserit suffixam cruci totam Trinitatem, neque personam adstruit quartam, sed crucifixam profitetur unam ex tribus personis. Immerito itaque Eutychianæ hæreseos insimulatur.

Operæ pretium non est ex dictis contrarias argumentationes refutare: quarum prima est, hanc propositionem *Unus de Trinitate passus est*, sensum exhibere Eutychianum, quum significet passam fuisse unam sanctæ Trinitatis naturam, quod olim pluribus momentis demonstravit Trifolius presbyter in Epistola ad Faustum Senatorem, postea Baronius ad annum 519. num. 80. Accedit altera, quoniam propositio illa damnata est a Synodo Chalcedonensi, ut scribit Dioscorus in *Suggestione* ad Hormisdam, nec non a Felice III. contra Petrum Cnapheum cognomento Fullonem, ut nos supra diximus. Proxima est, quod si probetur hæc enunciatio, orthodoxum quoque erit additamentum, ab eodem Fullone factum Trisagio, & canere fas erit etiamnum, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Petitur argumentatio quarta ex eo, quod anno 482. Zeno Imperator devicto Basilisco edidit fidei professionem, quam appellavit *Henoticum*, in qua legebatur, *Trinitas mansit Trinitas, incarnato uno de sancta Trinitate Deo Verbo*: huic tamen *Henotico* subscribere noluerunt Orientales Episcopi.

At ad 1. respondemus nullo pacto præfata enunciatione præferri sensum Eutychianum, si τὸ *unus* ad personam, non ad naturam divinitatis, referatur, uti referendum esse præcedentia argumenta nostra demonstrant: atque hac una expeditissima responsione eliduntur facillime objecta quæque Trifolii parum in hac controversia exercitati, ad quæ tamen plura reponunt Natalis citata dissertatione, & in hac controversia Norisius cap. 6. Ad alteram, nego hanc propositionem a Synodo Chalcedonensi fuisse damnatam, etsi illam suis definitionibus sacrosancta Synodus noluit inserere, quod ea abuterentur Eutychiani, quorum

tamen

tamen hæresim per se propositio ipse non redolet: que in ra imitati sunt Chalcedonenses Petres sepientiam Majorum, qui adversus Samosetenses non probarunt *homoousion*, & contra Nestorianos vocabulum Christiparæ, quod his hæretici abuterentur, eum tamen utreque vox sit in se catholica, & ab aliis Synodis, Patribusque recepta. Deinde, etsi damnata esset, non repugnet eamdem propositionem *ad sensus loquentis*, ut Ferrandus inquit, modo rejici, modo epprobari: quod confirmant allata exempla. Nec Dioscorus in Suggestione scribit damnetam propositionem e Synodo Chalcedonensi, sed quod illam *Eutychetis discipuli in Synodo Chalcedonensi proposuerunt*. Videsis ipsum Baronium ad an. cit. num. 79. Protecto Synodus in Allocutione ad Marcianum non damnat, sed summopere commendat Epistolam S. Procli ed Armenios, ubi eadem occurrit propositio: extetque hæc allocutio Tom. II. Conciliorum Herduini pag. 650. & Collect. Labbeanæ Tom. IV. pag. 825. Petrus autem Cnapheus non solum effirmebar unam de Trinitete personam passam, sed etiam *unum de Trinitate passionem pertulisse in substantia Deitatis, juxta Arii, Apollinaris, Eunomiique blasphemiam*, inquit Felix III. in Epist. ad Zenonem, eodem Tom. IV. pag. 1071. Quod sequitur diluitur facillime, quoniam veteres omnes semper *Trisagium* acceperuet de Deo Trino, nunquam de solo Filio, ut ioquit in Epistole de Trisagio Demascenus, demonstratque Pagius ad ann. 512. nu. 13. Hinc Felix III. Epist. III. ad Petrum pag. ejusdem volum. 1063. ipsum redarguit, quoniam addens *Qui crucifixus es pro nobis* tertiæ Trisagii particulæ, idest, *Sanctus immortalis*, asserebat crucifixum fuisse Spiritum sanctum. *Ad hæc*, inquit, *fidelissimum Christi gregem in Manichæi opinionem præcipitare contendis, qui Spiritum sanctum asserit crucifixum*. Quod si elausula a Fullone adjecte referatur ad onam tantum S. Trinitetis personam, negamus non esse admittendam; imo perpetuo usurpatam in Orientalibus Ecclesiis scribit Valesius in Annot. ad Evagrium pag. 99. adductis verbis Ephramii Antiocheni ex Photii Bibliotheca: quamquam ex ipso Evagrio lib. III. c. 44. aliisque Scriptoribus constat gravissimam Constantinopoli ortam seditionem, eum Anastasius Trisagio voces illas addere voluisset. Ad ult. dico Orthodoxos Patres merito reprobasse Zenonis *Henoticum*, quia, ut Semieutychianis satisfaceret, tres tantum Synodos servandas proponebat, omisse Chalcedonensi, eusam tribuens hæreticis, qui hanc Synodum execrabantur, & quia etiam non spectat ad Cæsarem definire de fide. Affert utramque rationem lib. XII. cap. 2. Facundus Hermianensis. Nonnulli Zenonem hæreticum putant: alii defendunt. Negari non potest, quin saltem supprimendo memoratam Synodum, & Epistolem S. Leonis ad Flavianum, hæraticis Eutychianis fuent patrocinatus, non minus ac Heraclius in Ectesi, & Constantius in Typo Monothelitis, ob duarum operationum vocem suppressam.

PROP. II. Monachi Scythæ, quamvis tumultuose, ac turbulenter se gesserint, ab hæresi tamen Eutychiana fuerunt immunes.

Demonstratur primo ex dictis, quoniam ipsorum assertum nulla erat hæresis nequitia conspersum. Deinde confirmatur luculentissimis testimoniis. Ipse enim Dioscorus Legatus Hormisdæ in *Suggestione* nonnullos novitatis & audaciæ redarguit, & fatetur illos & hæc dicere: *Nos Synodum Chalcedonensem suscepimus: hoc speramus, ut jubeatis eam nobis exponi, quia non sufficit sic, quomodo est exposita contra hæresim Nestorianam*. Justinianus in Epistola ad Hormisdem citatn Tom. IV. Concil. pag. 1517. testatur Scythicos Monachos asseruisse, *Christum filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate debere prædicari*; ideoque non tribuisse passionem diviniteti. Hormisdas io Epist. ad Possessorem ibidem pag. 1530. non tanquam hæreticos damnavit, & ex Urbe ejecit, ut falso præfert Epistolæ titulus, sed ut seditiosos, superbos, odia foventes, sui amatores, ad regum statuas inclamantes, & doctos crimina serere, & obtrectationum venene componere. Nulla in hac Epistola Eutychianæ hæresis mentio. *Nullam aliam notam illis subscribit præter istam, temerariæ novitatis, contumaciæ, ac superbiæ*; inquit Petavius lib. V. de Incarnat. cep. 2. num. 2. S. Fulgentius, aliique Episcopi Afri apud Sardiniam exules, accepto libro Petri Diaconi, in quo cap. IV. habetur hæc propositio, lib. de Incarnet. cap. I. respondent: *Vestram simul alacres & fidem cognovimus, & salutem: imo in agnitione fidei vestra nobis salus innotuit*. Vide Tom. IX. Bibl. PP. pag. 199. Joannes etiam II. certior factus a Justiniano solos Nestorianos negara Christum *crucifixum unum esse sanctæ, & consubstantialis Trinitatis*, Epistola, quæ extat cit. Tomo Concil. pag. 1743. Accemetas Monachos tanquam Nestorii sectatores vitandos decrevit, in Epistola ad Senatores ibidem pag. 1752. probans propositionem Scythicorum Monachorum, *Unus ex Trinitate crucifixus est carne*, ut etiam supra innuebemus. Præterea satis apparet fides Monachorum istorum ex professione fidei eorumdem. Maxentius enim in Fide sue inquit, *unum ex Trinitate esse Christum, qui pro nobis passus est carne*; & in 4. Anathematismo: *Si quis non acquiescit confiteri Christum unum de Trinitate etiam cum carne propria, qui pro nobis passus est carne, quamvis secundum carnem non sit de substantia Trinitatis, anathema sit*. Et Petrus Diaconus, aliique Scythæ citeto libro ed Fulgentium pag. 197. *Hac de caussa* (inqeit) *Trinitas etiam post incarnationis mysterium Trinitas mansit; quia idem Deus Verbum etiam cum propria carne unus est ex Trinitate, non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est unus ex Trinitate .... Quapropter & Deum Verbum passum carne, & crucifixum carne secundum beatum Cyrillum* (Anath. XII.) *profitemur dicentem, Si quis non confitetur Deum Verbum passum carne, crucifixum carne, & mortem carne gustasse, anathema sit*. Postremo ex his fidei professionibus etiam invicta ratio in patrocinium Monachorum Scytharum depromitur. Immerito enim inuritur Eutychianæ hæresis nota iis, qui asserunt unum ex Trinitate passum *carne*, non secundum illem substantiam, secundum quam est unus ex Trinitate; cumque id tam expresse Scythici prædicaverint, censeri nequeunt inter Eutychianæ hæresis sectatores.

Militat adversus hanc propositionem I. quod Monachi Scythæ Constantinopoli a Legetis Hormisdæ tanquam Eutychiani fuerint rejecti, itemque Roma e Pontifice tanquem hæretici expulsi. II. Quod Joannes Mexentius Monachorum Abbas præfracte negavit Hormisdæ Epistolam ad Possessorem, eamque studuit oppugnare, imitatus perversorum hæreticorum pervicaciam. III. Quod vaferrimi hujus hæretici, idest, Maxentii patrocinium suscipiunt, ut inquit Philip. Labbeus Tom. XI. Conc. pag. 1533., proceres quidam & infruniti Novatores Jansenii asseclæ; cum ille hoc uno titulo Jansenianorum patrocinium fuerit promeritus, quia prælosit illorum io Apostolicam Sedem conviciis, & in summum Ecclesiæ Antistitem calumniis. IV. Quod etsi tolerari possit assertio illa, *Unus ex Trinitate passus est*, Scythici Monachi eamdem blandientis vulpeculæ artibus protulerunt, sectantes veterum hæraticorum vafritiem. V. Quod hi Monechi *unum de Trinitate passum* affirmaverunt *simpliciter*, nulla facta carnis mentione, quod Eutychianæ perfidiæ est evidens argumentum. VI. Quod asserentes suffixam cruci unam e sancta Trinitate personam, *persona* vocabulum ad significandam divinitatis naturam callide detorserunt. VII. Quod nulla ratione ab Eutychiana labe purgari queat assertum illud Petri Diaconi in libro ad Africanos Episcopos in Sardinie exules, *Unam Dei Verbi naturam incarnatam*.

At corruunt hæc, & iis consimilia ergumenta ex præmissis propositionibus. Nam ed primum liquet ex Suggestione Dioscori, & ex Epistola Hormisdæ non ob pravitetem dogmatum, sed ob dissidiorum somenta, ob inconsultam novitatem, & ob audaciam male Scythas tum Constantinopoli, tum Romæ eudiisse, quemquam aliunde comperta sit fides ipsorum ingenue. Alterum nihil aliud probat, quam Maxentium in Apostolicam Sedem irreverenter, & tumultuose se gessisse; cum tamen ei nequaquam morem gesserint Scythæ alii, ut demonstret Norisius in Monachorum Apologie Tom. III. pag. 927. recte cum Augustino affirmans *nec caussam caussæ, nec personam præjudicare personæ*, & Maxentium, qei nonnelia in Hormisdam irritatus effudit, Schismaticum quidem fuisse, at non hæreticum Eutychianum. Atque ut refellemus male libratam Labbei inter Maxentium & hæreticos, atque inter defensores Scytharum & Jansenianos comparationem: hæretici judicio Romani Pontificis aperte contradicunt; at Maxentius negat Epistolam illem ad Possessorem esse Hormisdæ, scribens Tom. IX. Biblioth. PP. pag. 539. *Fertur ab inimicis ubique Epistola quasi a Romano Pontifice destinata*: & pag. 541. ait inverisimile esse, ut Hormisdas eam Epistolam dederit, cum Romano magistro militum dixerit Dioscorum pelago demergendum, nisi Christum unum esse ex sancta Trinitete fuisset confessus, jubens, *ut sua verba insinuaret Imperatori*. Fatetur etiam Maxentius in eadem Epistola nunquam Romanum Pontificem eb Ecclesiæ Catholicæ deviare sententia, ut observarunt ibidem Norisius, & dissert. 18. in Synodos Thomassinus. Nescio, num talia unquam ab hæreticorum pectore erumpant. Neque connumerandi sunt Jansenianis Scythicorum Monachorum patroni, ut falso scribit Labbeus, cum omnia Apostolicæ sedis Judicie excipiant, propugnent, vindicent, non, ut ille inquit, aut eum Maxentio ficta existiment, aut cum hæreticis conviciis proscindant. Nulla quippe Janseniane fuligine tinctus fuit Norisius, quicquid nebulones quidam mussarint, nulla Lupus, nulla Thomassinus, nulle Du-Hemelius, nolle Pagius, nulla Dionysius a S. Martha, ab eodem Norisio laudati in citata Apologia pag. 898. Atque si hos velis, Labbee, Janseniane oblitos fuligine, nunquid Jansenii asseclæ Gabriel Vasquez qui in III. p. dispet. 15. eap. 3. num. 41. ait, *Quod igitur attinet ad ipsos Monachos, existimo primum eos non fuisse Eutychianos, unam tantummodo in Christo asserentes naturam, aut deitatem ipsam passam fuisse, eum oppositum in eorum scriptis appareat*? Nunquid Jansenii asseclæ Christophorus Ortege, qui disput. I. de Incarnat. certam. I. num. 4. animadvertens *unus* significare communi sensu personam, non autem naturam, inquit, *Catholicum doctumque Maxentium, ejusque Monachos eo proprio sensu locutos*

cre-

credendum est, quo a Catholicis omnibus ea propositio admitti debet? Nunquid Jansenii asseclа Dionysius Petavius, qui lib. v. de Incarnat. cap. 2. num. 2. *Quocirca*, inquit, *nihil in illorum facto, atque scriptis aliud culpet, nisi inconsultam rationem, & præcipitem ardorem inculcandæ novitatis, intempestivæ potius, minimeque necessaria, quam aut callidæ, aut errore contaminatæ?* Atque his diluitur etiam objectio tertia. At in proximis duabus non immorabimur, cum demonstratum sit Monachos Scythas addidisse assertioni suæ, *carne*; & expresse docuisse Christum *secundum carnem* non esse *de substantia Trinitatis*; & consequenter falsissimum est illos & passionem tribuisse divinitati, & propositionem suam absolute ac *simpliciter* pronunciasse. Sexta similiter oppositio eadem facilitate dispellitur; nam cum Scythæ confessi sint unum Dominum Jesum Christum, eumque passum secundum carnem, non in natura divinitatis, etiam unam personam & naturas duas agnoverunt, ideoque *personæ* vocabulum in proprio sensu usurparunt. Ad ult. respondemus Petrum Diaconum citato libro cap. 2. diserte significare se *unam Dei Verbi naturam incarnatam* asserere in sensu Cyrilli: quare ut Cyrillus, ita Petrus aliique Scythæ, quorum est communis illa professio, ab hæresi Eutychiana fuerunt immunes. Imo testatur Petrus Diaconus *unam Dei Verbi naturam incarnatam* nihil esse aliud, *quam duas naturas ineffabiliter unitas*, prudenter hæresim declinans tam Nestorii, quam Eutychetis. *Igitur*, inquit Tom. IX. Bibl. PP. pag. 296. *juxta sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, idest, divinitatis & humanitatis, in una persona, sive subsistentia confitemur. Nec illis acquiescentes, qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes venerabilis Chalcedonensis Concilii fidem refugiunt; nec illos admittentes, qui duas naturas dolose pronuntiantes, unam Dei Verbi naturam incarnatam minime confitentur, existimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium: quasi aliquid aliud, quam duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet, beato Cyrillo Alexandrinæ civitatis Antistite ad Successum Episcopum Diocæsareæ ita scribente: Si enim unam naturam dicentes Dei Verbi tacuissemus non inferentes incarnatam, sed veluti abjicientes dispensationem, erat illis forsitan non improbabilis sermo simulantibus interrogare, Ubi est in humanitate perfectio, aut quomodo substantia nostra subsistit? Quoniam vero, & perfectio quæ in humanitate est, & essentiæ nostræ manifestatio illata est per id quod dictum est Incarnati, jam deserant arundineam virgam sibimet supponentes.* Sat ne est tam expressa professio? Additur cap. v. pag. 197. recipi a Scythis Monachis cum aliis conciliis, *sanctum & venerabile quod apud Chalcedonem celebratum est*, amplecti *epistolas quoque beati Leonis*, anathematizari *universos contraria dogmatibus Ecclesiæ sentientes*, facta espressa mentione Theodori Mopsuesteni, Nestorii, Eutychetis, & Dioscori. Atque hæc fidei professio marito ab Africanis Patribus commendata, nonne sufficit ad abstergendam a Scythis quamlibet notam hæresis? nonne omnes adversariorum objectiones effringit? Hac itaque absolvi potest apologetica pro Scythis Monachis dissertatio.

CAPUT VII.

An Christus sit Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech?

VARIA fuerunt circa Melchisedechum placita, ante propositæ quæstionis solutionem ad examen revocanda. Melchisedechiani enim hæretici, de quibus lib. II. h. lv. Epiphanius, & S. P. Augustinus de Hæres. h. xxxiv. illum opinati sunt præclaram quamdam Virtutem Christo superiorem, quæ ad benedicendum Abrahamo e cælo descenderit: cujus hæresis cum Tertulliano de Præsc. & Theodoreto lib. 2. hær. fab. auctorem faciunt Theodorum quemdam Argentarium, sive Theodotum; sed Epiphanius ibidem appellat Melchisedechianos *a Theodotianis avulsos*. Hierax, aut Hieracha, quem ferunt vixisse imperante Severo, vir Ægyptiacis, Græcisque literis imbutus, tradidit Melchisedech esse Spiritum sanctum: quam opinionem refutat eo loci num. 5. & hæresi lxvii. n. 7. Epiphanius, & in Epistola ad Evangelium presbyterum Tom. II. pag. 570. edit. Martian. (alias 126. ad Evagrium) magnus Hieronymus illam tribuit imperito Scriptori, ei fortassis, qui adidit quæstiones rejectas a doctissimis Mauro-Benedictinis in Appendicem Tom. III. Operum S. Augustini, ubi q. cix. pag. 106. idem error propugnatur: nam id conjectant Vindingus noster in Critico Augustiniano pag. 65. & Martianæus in notis ad præcitatam Hieronymi Epistolam. Origenes, & Didymus eo prolapsi sunt, ut Melchisedechum Angelum dicerent, uti refert ibidem Hieronymus: hujusque opinionis meminit etiam Augustinus q. lxxii. in Genesim. Nonnulli denique arbitrati sunt Melchisedechi nomen, non proprium esse, sed appellativum, eoque solum Dei filium significari; quod post Novatores quosdam alias prolixe nititur demonstrare Cunæus in Tract. de Republ. Hebr. lib. III. cap. 3. refutatus a Natali Alex. dist. 3. in III. M. Æt. & a Friderico Koerbero Lutherano de Melchisedecho in Typo, & Antitypo.

Inter eos vero, qui Melchisedechum saniori judicio hominem existimarunt, occurrit primo eorum sententia, qui ipsum fuisse putant Semum filium Noe: quam sententiam Epiphanius h. lv. num. 6. inter somnia connumerat, tribuitque Samaritanis. At Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis Tom. 2. pag. 520. tribuit Hebræis, nec illam aperte refellit: quod & repetit laudata epistola ad Evangelium. Tuentur hanc sententiam Targum Jerosolymitanum, Abenezra, Baal Hatturim, neque improbabilis ea videtur Lyrano, Abulensi, Torniello, Villalpando, Eugubino, aliisque doctissimis Interpretibus. Communior tamen videtur quæ asserit Melchisedechum fuisse hominem indigenam, & genere Chananæum: quam sententiam, cum permulti eruditi propugnent, breviter ac nervose vindicant Salianus ad annum M. 2118. & Controversia 18. Capisuccus. Quorumdam Judæorum opinio, autumantium Melchisedechum fuisse filium scorti, ideoque ipsius genealogiam in sacris literis prætermitti, adeo scurrilis est, adeo impia, ut via digna sit quæ recenseatur; meritoque refellitur ab Epiphanio n. 7. refutatur a Torniello ad annum M. 2118. & risu excipitur ab omnibus tam Catholicis, quam hæreticis. Hujus generis sunt futiles aliæ opiniones a Koerbero citatæ §. 16. illa præsertim, quæ tenet Melchisedechum ideo ignotum esse & absque genealogia, quia ejus imprecationibus terra ima dehiscens ipsius parentes, consanguineosque omnes deglutierit. Atque his enarratis sententiam exponemus nostram, postea quæstionem de Sacerdotio Christi instituemus adversus innumeras Novatorum phalanges: qui cum negent in Missa verum offerri Deo sacrificium, inficiantur quoque oblationem panis & vini, de qua Gen. xiv. 18. fuisse typum Eucharistiæ, ob eamque rationem Christum a Psalmographo, & ab Apostolo dici Sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*.

PROPOSITIO I. Melchisedech non fuit Angelus, neque Virtus quædam cælestis, neque Spiritus sanctus, neque ipse Dei filius.

Demonstratur I. Melchisedech fuit verus homo: duo enim characteres ei tribuuntur Gen. xiv. 18. quorum uterque nonnisi homini convenit; unus est *Rex Salem*, terrenæ nempe civitatis, sive fuerit Jebus aut Jerosolyma, ut inquit Josephus lib. VII. de Bello cap. 18. nunc lib. VI. cap. 10. sive, ut probabilius censet Hieronymus epist. ad Evangelium, civitas alia, vel *oppidum juxta Scythopolim*. Character alter est *Sacerdos Dei altissimi*; Sacerdotis vero munus solis hominibus fuit demandatum, ut primogenitis in lege naturali, & filiis Aaron, ac Levitis in lege scripta: quare Apostolus ad Hebræos cap. v. I. ait omnem Pontificem ex hominibus assumptum esse. II. Etsi Apostolus cap. VII. ejusdem epistolæ v. 3. appellat Melchisedechum *sine patre, sine matre, sine genealogia*, non ad significandum illum non esse hominem, quemadmodum autumant adversarii; non ad innuendum illum fuisse spurium, ut commenti sunt quidam Hebræorum; non ob ejusdem in affines imprecationem, ut demonstrat ipsius egregia virtus, typi dignitas, nominisque celebris commendatio; sed quia Scriptura ejus genus ac posteritatem non enarrat, vertente Syro, *Cujus nec pater nec mater scripti sunt in genealogiis*, & propria significatione vocabuli ἀγενεαλόγητος commonstrante, non virum genus nullum habentem, sed cujus origo literis non est prodita: licet, inquam, id scribat Apostolus; attamen versu 6. proximo ait genitum esse Melchisedechum ex hominibus, sed ejus generationem minime recenseri in Hebræorum genealogiis: id quippe sonant ea verba, *Cujus autem generatio non annumeratur in eis*, idest ἐξ αὐτῶν, ut habet Græcus, *ex eis, ex eorum majoribus*. Unde recte illustris Estius in hunc locum: *Hic innuitur Melchisedech non prorsus carere genere; qui enim dicit genus ejus non recenseri inter illos, aut ex illis, tacite significat eum aliunde genus habere.* Imo Epiphanius num. 7. *Ex aliis hominibus, quam Israelitis, genus illius pertexitur.* Quid ergo? cum innuatur Melchisedech ex hominibus genitus, oportet ut illum hominem fateamur. III. Nomen *Melchisedech* non appellativum est, ut quidam autumant, sed proprium; nam litera Jod inscripta in hebraica voce מלכיצדק, *Melchisedech*, cum non sit nota pronominis, vel regiminis, debet esse proprii nominis *characteristica*, ut in nomine filii Saul, מלכישוע, *Melchisuah*, 1. Reg. xxxI. 2. in nomine filii Jechoniæ, מלכירם *Melchiram*, 1. Paralip. III. 19. in nomine regis Geraræ אבימלך, *Abimelech*, Gen. xx. 2. in nomine uxoris Nabal אביגיל, *Abigail*, 1. R. xxv. 3. in nomine filii Beria, מלכיאל, *Melchiel*, Gen. xlvi. 17. aliisque in locis plurimis. Omnes quoque Versiones, ut demonstrat in dissert. de Melchisedecho Martinus Van-Rein §. 12. evincunt Melchisedechi nomen proprium esse: quicquid scribant loco citato Cunæus, & in Locis ad Ps. 110. Eujedinus. Quare assentiendum non est Cajetano, qui Comment. in Genes. ait appellativum esse, & commune regibus Salem: quamquam opinio Cajetani nullatenus sententiæ oppositæ suffragatur, quippe etiam Pharao, Xerses, Cæsar, aliaque vocabula ejusce-

ejuſcemodi pluribus ſunt communia, & tamen nonniſi de hominibus enuntiantur. Itaque Melchiſedech proprium nomen eſt; atque ex ipſo nomine, ex genere Hebræis extraneo, & ex dignitate ſacerdotis ac regis liquet eumdem verum fuiſſe hominem.

Generatim demonſtrata theſis etiam quoad ſingulas partes confirmatur. Et quidem Melchiſedech non fuiſſe Angelum conſtat ex priori momento, nam Angelis incorporeis non convenit externum offerre Deo ſacrificium, quod munus eſt Sacerdotum, ut inquit Eſtius. Ex eo etiam, quod Melchiſedech dicatur Rex Salem, nequit hæc ſententia firmo talo conſiſtere: viſibile quippe civitatis regimen homini, non angelo demandatur, cum ſit inter principem ac populum civilis ſocietas. Deinde Melchiſedechum non eſſe filium Dei evidens eſt ex Epiſt. Pauli ad Hebræos; nam ibidem cap. VII. dicitur Melchiſedech *aſſimilatus filio Dei*; quis autem recte dicitur ſimilis ſibi ipſi? In Græco etiam pro *aſſimilatus* habetur ἀφωμοιωμένος, quo vocabulo non ſignificatur omnimoda ſimilitudo, ſed analogia typi cum re ſignificata: unde vertit Syrus, *In ſimilitudinem Filii Dei permanet pontificatus ejus*. His ergo verbis Melchiſedech Filio Dei oſtenditur minor. In eodem c. nec non Pſalmo CIX. Chriſtus appellatus *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*: quis vero proprie dicitur Sacerdos *ſecundum ordinem, ritumque ſui ipſius*? Præterea Chriſtus, ſaltem ad oblationem faciendam, *ſemel apparuit*, ut inquit Apoſtolus eadem epiſt. c. IX. 26. Denique Melchiſedechum non eſſe Spiritum ſanctum præter producta argumenta hæc evincunt. Nunquam legitur Spiritum ſanctum carnem induiſſe: quomodo ergo in perſona Melchiſedech latitabat? Ac ſi Melchiſedech eſt Rex Salem, terrenæ civitatis incola, Filii Dei typus, illoque minor, quis niſi penitus cæcutiat, eumdem dixerit Spiritum ſanctum? Tandem cum omnis ſacerdos ſit inferior Deo, & huic in ſubjectionis teſſeram offerat munera ac ſacrificia, neceſſum eſt deprimat cum Macedonianis Spiritum ſanctum ad ſortem creaturarum quiſquis illum cum Melchiſedecho confundit. Hinc Hieronymus laudata ad Evangelium epiſtola: *Si omnes repuleris, tum certe ſpiritualem interpretem non recipies, qui imperitus ſermone & ſcientia Melchiſedech Spiritum ſanctum pronunciavit, ut illud veriſſimum comprobaret, quod apud Græcos canitur, Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat*. Eſt ſententia iſta Thucydidis lib. 3. ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.

PROPOSITIO II. Incertum eſt, an Melchiſedech fuerit Sem filius Noe, an Chananæus genere; quamquam videatur hæc poſtrema opinio probabilior præcedenti.

Fuiſſe enim Semum auctore Hieronymo citata epiſt. & in quæſt. Hebraicis, tenent quamplures, & fere omnes Judæi: & licet Epiphanius hæreſ. LV. num. 6. ſequutus chronologiam LXX. mathematico argumento demonſtret Semum eo tempore, quo Abrahamo occurrit Melchiſedechus, fuiſſe mortuum; attamen juxta communiter receptam ſupputationem adhuc erat ſuperſtes, vixitque uſque ad annum M. 2158. Iſaaci filii Abraham quinquageſimum: unde recte ibidem Hieronymus inquit: *Supputantes annos vitæ ipſius oſtendunt eum ad Iſaac uſque vixiſſe, omneſque primogenitos Noe, donec ſacerdotio fungeretur Aaron, fuiſſe Pontifices*. Verum hoc argumentum non videtur prorſus invictum. Ex quo enim vixerit Sem ad Iſaac uſque, non infertur fuiſſe regem ac Sacerdotem illum, qui Abrahamo occurrit: neque verum eſt Semum fuiſſe primogenitum Noe, cum major natu fuerit Japhet, ut liquet ex Geneſ. X. 2. ideoque Geneſ. V. Sem priusquam Japhet inter filios Noe commemoratur, quoniam de Sem Hebræi, de Japhet populus Gentium natus eſt: idque exacta chronologia poſſum demonſtrare, quippe ex V. Geneſis 32. Noe operam gignendis liberis primum dedit, *cum quingentorum eſſet annorum*, ideſt, anno M. 1556. & Sem biennio poſt diluvium, ideſt, anno 1658. cum eſſet centum annorum genuit Arphaxad, ex Geneſ. XI. 10. Itaque Sem natus eſt anno M. 1558. & Japhet anno M. 1556. corruitque traditio illa Hebræorum deprompta ex primogenitorum dignitate. Imo nec traditio iſta videtur inter Hebræos communis: nam Joſephus l. VII. de Bello c. 18. ſive libro VI. c. 10. ſcribit conditorem urbis Salem fuiſſe *Chananæorum Dynaſtam*: ab ipſa traditione recedit Abenezra, illamque, ut diximus ſupra, Epiphanius ſolis tribuit Samaritanis. Videtur quoque ea traditio orta ex Hebræorum ſuperbia, utpote qui ægre ferunt commendari Sacerdotem ex genere Chananæorum. Ad Hieronymum quod attinet, refert quidem Hebræorum traditionem, at nihil definit: imo laudata ad Evangelium epiſtola contrariam traditionem his verbis commendat: *Verti me ad Hippolytum, Irenæum, Euſebium Cæſarienſem, & Emiſſenum, Apollinarem quoque, & Euſtathium noſtrum, qui primus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus contra Arium clariſſima tuba bellicum cecinit: & deprehendi horum omnium opiniones diverſis argumentationibus ac diverticulis ad unum compitum perveniſſe, ut dicerent Melchiſedech hominem fuiſſe Chananæum, regem urbis Hieroſolymæ, quæ primum Salem, poſtea Jebus, ad extremum Jeruſalem appellata ſit*. Ibidem exemplo Abelis, Henoch, & Job oſtenditur mirum non eſſe, ſi deſcribatur Sacerdos Dei altiſſimi abſque circumciſione & cæremoniis legalibus. Ex quibus conſtat ſententiam Hebræorum, in quam manibus pedibuſque ierunt complures interpretes, ficulno inniti præſidio: quamvis illam ob ampliſſimum illorum numerum, lectorum relinquamus arbitrio.

Melchiſedechum ergo fuiſſe genere Chananæum probabilius ſuadet Patrum traditio nunc a Hieronymo commemorata, & præferenda proculdubio derivatæ a Judæorum commentationibus. Adde Epiphanium h. LXVII. num. 7. Accedit, quod Semo, ejuſque filiis ex Gen. X. 30. contigit regio a Meſſa uſque Sephar, ultra Euphratem: & Melchiſedech erat Rex Salem, cis Jordanem in terra Chanaan. Fateor non unam eſſe de *Salem* ſententiam Auctorum, quibuſdam aſſerentibus Salem eamdem eſſe ac Jeruſalem; aliis eamdem ac Salim urbem Sichimorum, de qua Gen. XIII. 23. Ac eſſe Jeruſalem probant permulti, quoniam Onkelos & Jonathan vertunt, *Melchiſedech Rex Jeruſalem*; & quoniam videtur in oblatione Melchiſedechi deſignatus Dei cultus in Hieroſolyma inſtaurandus. Sed Hieronymus amplectitur alteram ſententiam: quam in Epiſtola citata ad Evangelium probat ex peregrinæ linguæ mixtura, & ex quo cernerentur adhuc juxta Scythopolim ruinæ palatii Melchiſedech commonſtrantes veteris operis magnificentiam. Addit Cappellus, Melchiſedech obviam profectum Abramo in vallem *Save*, Gen. XIV. 17. ideſt, in planitiem, Jeroſolymam vero ex Pſalmo CXXIV. 2. fuiſſe vallatam montibus: quæ tamen conjectura futilis eſt, quia Melchiſedech proceſſit in occurſum Abrahami extra Salem: & haud procul a Jeruſalem fuiſſe vallem, ubi Salomon ſibi monumentum erexit, liquet ex II. Reg. XVIII. 18. Verum etiam urbs Salim fuit in regione Chanaan, ex c. XIII. Gen. 18. Quicquid igitur de civitate *Salem* ſtatuamus, liquet regem ejuſdem urbis fuiſſe Chananæum. Nam quod reponunt Semum occulta Dei inſpiratione illic permanſiſſe, ut Sacerdotio fungeretur tanquam Noe primogenitus, nullum habet fulcrum, & refutatum eſt ſupra. Præterea de Melchiſedecho ait Apoſtolus ad Hebræos VII. 3. fuiſſe *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*, ideſt, ipſius genus minime in Scripturis narrari. Quomodo ergo Melchiſedech Semus, cujus novimus parentes ac filios? At enim, inquiunt, non narratur genealogia Semi ſuo nomine Melchiſedechi. Quid tum inde? Principio demonſtratum eſt Melchiſedechum eſſe certi hominis proprium nomen. Deinde Apoſtolus verſu 6. inquit generationem Melchiſedech non connumerari inter Levitarum majores, cum tamen Leviticum genus recta linea aſcendat ex Levi ad Jacob, ex Jacob ad Abraham, ex Abraham ad Arphaxad, ex Arphaxad ad Sem. Ad hæc Apoſtolus non ex ſolo nomine Melchiſedech, ſed ex aliis quoque perſonæ adjunctis nobis Chriſti ſacerdotium commendat. Rurſus quis dixerit non narrari genealogiam Iſraelis, per hoc, quod ſub Jacobi nomine tantummodo recenſeatur? Itaque vulgaris illa reſponſio nequit hanc ſententiam infringere. Superſedeo ab argumentis reliquis, quæ a Saliano, ceteriſque Scriptoribus producuntur, quoniam ex dictis facile eruuntur, nec de re magni momenti in præſentia diſquiritur.

Opinionem autem eorum, qui dixerunt Melchiſedech nothum, ortumque ex adulterinis conjugiis, quamobrem prætermiſſa ſit generis ejus origo, rejiciendam inter aniles fabulas probat num. VII. Epiphanius, quia *Rahab meretrix fuit, & ejus nihilominus Scriptura meminit: ſed & Zambri, & Chasbithæ adulterium ibidem expreſſum eſt, tametſi alienæ ſtirpis hæc erat, nec Iſraelitarum ex genere originem trahens*. Confutatione pariter non eget quod nonnulli autumant patrem illius appellatum Heraclam, matrem vero Aſtariam, vel Aſtaroth, ipſiuſque Melchiſedech proprium nomen fuiſſe aut Joram, ſive Jehoram, ut inquit apud Druſium Ben-Gorion, aut Sydyc, ut ex Sanchuniathone conjectat Grotius, cum illhæc nullo argumento probentur; quamvis ſi vera forent, magis inde confirmaretur Melchiſedechum ex gentibus genus arceſſere.

Petrus Cunæus decem protulit argumenta ad probandum Melchiſedech eſſe ipſum Dei filium, quorum quinque præcipua ſunt, alia nihil crepant ſolidi. Ac primum depromitur ex vocabulo, quod appellativum eſſe contendit, ex quo Paulus ad Hebræos VII. illud interpretetur *Rex juſtitiæ*, &, *Rex pacis*; nulluſque ætate Abrahami eſſet in terra Chanaan fidelium cœtus, quia alioqui peregrinatus non eſſet inter Ethnicos, ſed in Salem fixiſſet ſedem. Petit alterum ex verbis ejuſdem epiſtolæ v. 3. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia*, quæ non videntur cuipiam hominum convenire, Chriſto excepto. Fabricat tertium ex ſubſequentibus, *Manet ſacerdos in perpetuum*, in quibus enuntiatur æternitas propria ſolius Dei. Promit argumentum quartum ex eo, quod ibidem Apoſtolus verſu 7. facit Melchiſedechum meliorem, ac digniorem Abrahamo. Quintum urget ex c. V. 11. ubi de Melchiſedecho legitur, *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum*: quibus ſane verbis ineffabilem illius magnitudinem, ac divinitatem Paulus deprædicat.

At ad 1. & 2. reſponſum eſt in prima propoſitione: neque addendum modo aliud, niſi Abrahamum jam fœdus

inîſſe

inisse eum habitatoribus Mambre, ex Gen. XIV. 13. nec completum adhuc, dum reverteretur a cæde Chodorlahomor, tempus divinarum promissionum, ideoque collocandum ei non fuisse in Salem domicilium. Victoriis etiam ac dignitate adauctus debuit suam urbem relinquere justo, & erga se beneficentissimo Regi ac Sacerdoti Dei altissimi, Quod sequitur ita accipiendum est, ut intelligamus Sacerdotii Christi nullum finem futurum, & ideo præfiguratum in sacerdotio Melchisedech, de cujus fine nihil in Scripturis habemus: quemadmodum ad commonstrandum Christi sacerdotium non conferri carnali generatione, paullo ante dictum est Melchisedech fuisse *sine genealogia*, idest, sacerdotium Christi spirituale fuisse antitypum sacerdotii Melchisedechi, cujus non proditur in sacris literis origo generis. Apostolus enim ex typo declarat Christiani sacerdotii dignitatem, & ibidem appellat Melchisedech *ἀφωμοιωμένον*, *assimilatum* Filio Dei. Argumentum proximum nil probat, quia Melchisedech dignior erat Abrahamo sacerdotii munere ac typo; nam licet & Abraham tamquam princeps familiæ fuerit sacerdos, & obtulerit sacrificia, ut liquet ex Gen. XV. ex canone Missæ, & ex Divo Thoma III. p. q. 31. art. 2. Melchisedech erat Ἀρχιερεύς, ad Heb. VI. 20., idest, Summus Pontifex, gerebatque typum sacerdotii nostri omnium præstantissimi. Ad ultimum dicimus illa verba, *de quo*, referenda esse ad Christum, aut ad Melchisedech, non absolute, sed ut Christi divinum sacerdotium præsignabat.

Tandem Melchisedech esse Spiritum sanctum probat Auctor Qq. novi & veteris testam. inter opera Augustini iisdem prorsus argumentationibus, quæ ad Filium Dei detorsit Petrus Cunæus. Koerberus eamdem sententiam affricat S. Ambrosio in lib. I. de Abraham c. III. Verum recte Hieronymus appellat Auctorem Qq. illarum *imperitum sermone & scientia*: quem non fuisse Augustinum eruditi omnes consentiunt, demonstrantque invictis momentis PP. S. Mauri in Admonit. in librum earumdem Quæstionum, Append. Tom. III. pag. 34. Qui ineptam illam opinionem tribuit Ambrosio, legens dormitabat. Sancti Doctoris hæc sunt verba, loc. cit. num. 16. *Sacrificium denique obtulit, decimas dedit; ideoque ei Melchisedech, qui interpretatione latina dicitur rex justitiæ, rex pacis, benedixit: erat enim sacerdos summi Dei. Qui est rex justitiæ, sacerdos Dei, cui dicitur, Tu es sacerdos Dei in æternum secundum ordinem Melchisedech, hoc est, Dei filius, sacerdos Patris, qui sui corporis sacrificio Patrem nostris repropitiavit delictis?* Quo in loco Ambrosius tribuit Christo interpretationem nominis *Melchisedech*, non hujus personam: de qua ad hunc modum se habet nostra lucubratiuncula.

PROPOSITIO III. Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quoniam in prisca hujus sacerdotis oblatione *panis & vini* præfiguratum fuit sacratissimum Eucharistiæ sacrificium.

Ita Catholici omnes adversus Novatores, qui fatentur utique Christi sacerdotium præfiguratum in sacerdotio Melchisedechi, ob interpretationem nominis *Melchisedech*, & *Regis Salem*; ob typum divinitatis expressum in eo, quod Melchisedech dicitur *sine genealogia*; ob perpetuitatem sacerdotii significatam iis verbis, *Manet sacerdos in æternum*; ob discrimen a sacerdotio Levitico quod Apostolus innuit, docens generationem Melchisedech non connumerari inter Levitas; ob spiritualem unctionem, ad quam innuendam dicitur Melchisedech factus sacerdos non secundum mandatum carnalis legis, *sed secundum virtutem vitæ insolubilis*; ob præexcellentiam Christiani sacerdotii supra Leviticum in eo commonstratam, quod Melchisedech benedixerit Abrahamo, ex cujus lumbis exierunt filii Levi, ab eoque acceperit decimas: hæc, inquam, tradita ab Apostolo in Epist. ad Hebræos cap. VII. (quam tamen plerique illorum Apostolo abjudicant) ultro heterodoxi concedunt: at dici Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, spectata oblatione *panis, & vini*, istud præfracte abnuunt, idque nos Scripturis, traditione Patrum, atque ratione probamus.

Depromptum ex Scripturis argumentum est hujusmodi. Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech ait David Ps. CIX. 4. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: affirmat Apostolus ad Hebræos cap. V. 7. & VII. 15. verba Davidis esse de Christo accipienda, quod & confirmat omnium Patrum, Theologorum, atque ipsorum hæreticorum assensus. At non aliter Christus appellatus est *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, nisi quia sub speciebus panis ac vini obtulit sacrificium Corporis & Sanguinis sui, prænuntiatum in prisca illa Melchisedechi oblatione. Quid est enim esse sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, nisi secundum ritum ac similitudinem hujus sacerdotis Dei summi? Atqui Christus nequit appellari sacerdos secundum ritum ac similitudinem Melchisedechi, nisi quatenus obtulit sub speciebus *panis & vini* Eucharisticum sacrificium. Igitur ratione hujus oblationis Christus appellatus est Pontifex, & sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*. Et quidem nisi ita appellatus sit ratione illius oblationis, ob quam aliam causam sic appellatum putabimus? Non ob aliquam aliam oblationem, quia non legitur Melchisedechum aliud obtulisse præter panem, & vinum, & si viva animalia mactavit, id non sufficit ad constituendum peculiarem ordinem sacerdotii, cum istiusmodi cruenta sacrificia etiam Abel, etiam Noe, etiam Levitæ omnes obtulerint. Non propter alias Melchisedechi dotes superius connumeratas; nam illæ commonstrant utique Christum fuisse in Melchisedech præfiguratum, at non evincunt fuisse sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*; quippe aliud ad figuræ rationem, aliud ad sacerdotii ritum, ordinemque requiritur. Sat est ad figuræ rationem, ut typi ac signa præcesserint; quare dicitur figura Christi Abel, dicitur Isaac, dicitur Moyses. At ad sacerdotii ritum & *ordinem* necessaria est similitudo etiam in re oblata, nec sufficit ratio figuræ; alioqui diceretur Christus sacerdos secundum ordinem Abel, secundum ordinem Isaac, secundum ordinem Moysis. Immo, ut in Paulum scribit Estius, tametsi Christus in ara crucis obtulerit semetipsum Patri sacrificium cruentum, atque hoc præfiguratum fuerit in mactatione vivorum animalium; quia nulla in cruce est ritus similitudo cum *immolatione pecudum*, nemo jure affirmabit Christum esse sacerdotem *secundum ritum alicujus sacerdotis præcedentis, qui pecudes immolaverit*. Nulla ergo ratio typi, nisi quæ sita est in rei oblatæ similitudine, constituit Christum sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*: & recte Tridentina Synodus Sess. XXII. cap. I. exponens Catholicam de sacrificio Missæ doctrinam ait de Christo: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit.*

Alterum argumentum ex traditione petitum est: quod omnes Patres affirmant non solum Christum esse sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, verum etiam in hujus oblatione, de qua Gen. XIV. 18. præfiguratum sacrificium Christi incruentum, unde apparet quam commentitia sit, quam fallax interpretatio hæreticorum autumantium oblationem illam Melchisedechi fuisse civile epulum, profanamque comitatus Abrahami refectionem. At quid ex Græcis Patribus, ne proferamus omnes, Clemens Alex. Chrysostomus, Theodoretus? quid ex Latinis Cyprianus, Hieronymus, Augustinus? Clemens in IV. Strom. pag. editionis Morelli 539. *Melchisedech*, inquit, *rex Salem, sacerdos Dei altissimi; qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ*. Chrysost. hom. XXXV. in Gen. pag. edit. Commel. 512. etiam in pane, ac vino a Melchisedecho oblatis agnoscens figuram sacrificii nostri, ait: *Protulit*, Melchisedech, *panem & vinum. Videns typum cogita, oro, & veritatem, & admirare divinarum Scripturarum accuratam diligentiam, quomodo superioribus seculis & ab initio futura præsignata sint.* Theodoretus To. I. p. 50. sive in Gen. Inter. 65. inquit de Melchisedecho, *Typum enim gerebat sacerdotii Dominici*. Mitto Eusebium Cæsariensem, qui lib. V. de Demonstr. Evang. cap. 3. ait Melchisedechum nusquam aliis functum sacrificiis, nisi *solo vino, ac pane*, repræsentando corporis & sanguinis Christi mysteria: in quem locum nonnulla erudite Tournelius de Sacram. Euch. p. 339. ad literam exscripta, uti alia ibidem, a Becano Tom. II. Opusc. XI. cap. 4. num. 5. usque ad 10. nulla Becani mentione facta. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium hæc habet: *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex Persona Patris ad Filium dicens, Ante Luciferum genui te: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit.* Hieronymus in Qq. hebraicis Tom. II. pag. 528. hæc habet: *Quod autem ait, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, mysterium nostrum in verbo Ordinis significatur: nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis: sed oblato pane & vino, idest, corpore & sanguine Domini Jesu.* Idem in Epist. XLIV. ad Marcellam Tom. IV. p. 547. *Recurre ad Genesim*, inquit, *& Melchisedech regem Salem hujus principem invenies civitatis: qui jam tum in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris sanguine & corpore dedicavit.* Demum S. P. Augustinus de Doctrina Christiana lib. IV. cap. XXI. num. 45. ait: *In Sacerdote Melchisedech Dominicum sacramentum præfiguratum videmus secundum quod divina Scriptura testatur, & dicit, Et Melchisedech rex Salem protulit panem, & vinum, &c.* Et in Epist. 95. ad Innocentium aliorum quoque Episcoporum nomine data, nunc 177. num. 12. *Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominicæ novit æternum ejus sacerdotium figurare.* Atque lib. XVI. de Civit. Dei cap. 22. de Melchisedecho loquens, *Ibi quippe*, ait, *primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum*. Quid ad hæc heterodoxi? Num Melchisedech typum Christi gessit tantummodo ob res principio hujus thesis commemoratas? At Patres in oblatione panis & vini ab eo facta agnoscunt *typum Eucharistiæ*, typum *ordinis de sacrificio illo venientis*, typum *mensæ Dominicæ*, typum *sacrificii, quod nunc offertur toto orbe terrarum*. Manet itaque incon-

inconcussum, ideo Christum dici sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, quoniam in oblatione *panis & vini* præfigurabatur Eucharistia.

Et quoniam hæretici profana eruditione tumidi, & hebraicæ linguæ peritia superbientes firmissimæ Scripturarum ac Patrum auctoritati opponunt grammaticales quasdam observationes paullo infra expendendas; sciant Rabbinos in textu Geneseos XIV. 18. ac præsertim in iis verbis, *Obtulit panem, & vinum*, percepisse aliquod magnum mysterium, & oblationem illam sacram existimasse, non civilem atque profanam. Nam Rab. Samuel Ben-Nahaman in illa verba inquit: *Erat enim ipse Melchisedech sacrificans panem & vinum*. Rab. Moses Hadarsan, aliique tradunt Melchisedech obtulisse Abrahamo *panes propositionis & vinum libaminum*. R. Ben-Jahir ita exponit verbum הוציא *protulit, exire fecit*, hoc est, *Separavit a cessatione sacrificiorum sacrificium panis & vini*: & Rab. Johai pariter, *Tempore Messiæ omnia sacrificia deficient: sacrificium vero panis & vini nunquam deficiet*. Perlegat hæc eruditionis cupidus apud Galatinum lib. X. c. 5. Adeat & Joseph de Voisin de Lege Divina c. 6. testimoniis Rabbinorum demonstrantem Melchisedechum *in oblatione panis & vini designasse Abrahamo sacrificia & libamina, quæ oblaturus erat Messias*, quod vir doctus probat ex Talmud Tract. *Nedarim* cap. 2. & ex Salomone Jarchi in caput XIV. Genesis. Addimus Commentaria Rab. David Kimchi in Oseæ caput XIV. 8. ab eodem Auctore producta cap. 44. Ipsemet Koerberus §. 23. fatetur ex vetustissima traditione, cujus meminit Patricides, Melchisedechum nullum obtulisse sacrificium *præter panem & vinum*, nihil aliud reponens, quam labile esse firmatum traditione argumentum: portentosa alia hæreticorum doctrina in libro XXII. pluribus refutata.

Suadetur demum propositio Theologica ratione. Hæretici quippe negant Christum appellari Pontificem *secundum ordinem Melchisedechi* ratione oblationis *panis, & vini*, quoniam hanc in Melchisedech nolunt fuisse actionem sacerdotalem. At nisi id asseratur, non est cur Melchisedechus sacerdotii Christi gesserit typum, cum alii characteres, nominis *justitiam*, & *pacem* exprimentis, regalis dignitatis, ac prætermissæ genealogiæ, nequeant sacerdotii munus ritumque signare: unde in quartodecimo Genesis ad commonstrandum oblationem Melchisedechi non fuisse a Sacrificio disjunctam legitur, *At vero Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum*, (*erat enim sacerdos Dei altissimi*) *&c.* quibus in verbis oblationi munus sacerdotale conjungitur. Additur ibidem Melchisedechum benedixisse Abrahamo, ab eoque e manubiis decimas accepisse: unde in VII. ad Hebræos ostendit Apostolus Melchisedechum in ratione sacerdotis fuisse Abrahamo superiorem. Atque hæc Melchisedechi præexcellentia non salvatur per solam regis auctoritatem, quoniam hæc ad constituendum sacerdotii *ordinem* indifferenter se habet, & etiam Abraham princeps erat, regumque victoriis onustus: non per vivorum animalium mactationem, quia hæc non distinguit sacerdotium Melchisedech a Levitico, & Abraham quoque eadem cruenta sacrificia immolavit, Gen. XV. 9. & XXII. 13. non denique per alios Melchisedechi characteres, quoniam hi personæ dignitatem, non sacerdotii *ordinem* præsignabant. Fuit ergo Melchisedech major Abrahamo, quantum ad sacerdotium attinet; spectata oblatione *panis, & vini*, in qua latebat mysterii Eucharistici Sacramentum. Quapropter Scripturarum auctoritate, testimoniis Patrum, atque Theologica ratione assertio nostra munitur.

CAPUT VIII.

Refutantur hæreticorum objecta.

HÆRETICI vero nituntur ostendere nullatenus oblationem panis, & vini a Melchisedech factam, fuisse sacram & mysticam; quod primo evinci autumant ex textu hebraico: in quo Gen. XIV. 18. habetur de Melchisedecho הוֹצִיא לֶחֶם וָיָיִן, *protulit*, sive, *exire fecit panem & vinum*. Habent pariter *protulit*, aut, *eduxit*, aut, *fecit exire*, Versiones reliquæ. Perperam autem hæc demonstrantia epuli exhibitionem ad significandam oblationem sacram detorquentur. Etiam Vulgata legit, *Proferens panem & vinum*, non, *offerens*, aut, *obtulit*. Præterea extat in Græco pronomen, quo demonstratur panem vinumque non Deo oblatum, sed Abrahamo, ideoque actionem fuisse civilem, non sacram: ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους καὶ οἶνον, habet versio LXX. idest, *protulit ILLI panes, ac vinum*. Deinde consuetum fuit, ut victoribus prostrato hoste e bello redeuntibus, magnique principis transeuntibus copiis finitimi reges aut obsequentis animi, aut fœderis, aut benevolentiæ caussa suppeditarent cibaria. Id ergo fecisse perhibetur Melchisedech: quod & Joseph historicus narrat, & asserit Damascenus, & Pontificii quidam Scriptores fatentur. Et Josephus quidem in I. Antiq. cap. X. alias XI. ait: *Iste autem Melchisedeces militibus Abrami justa dedit hospitalia, iisque omnia ad usus vitæ necessarios abunde suppeditavit*. Damascenus lib. IV. de Fide Orthodoxa cap. 14. inquit: *Abrahamum ex alienigenarum strage redeuntem summi Dei sacerdos Melchisedech pane ac vino excepit*. Cajetanus in Genesim p. 74. *Nihil*, inquit, *scribitur hic de sacrificio, seu oblatione, sed de prolatione, seu extractione: quam Josephus dicit factam ad reficiendum victores*. Etiam Gabriel Vasquez disp. 87. cap. 3. art. 6. ait: *Fatemur ingenue in nullo Codice Vulgato esse verbum*, obtulit, *aut participium* offerens, *quod* sacrificare, *aut* sacrificantem *denotat, sed* protulit, *aut* proferens, *quod significat idem, quod* in medium educere, *seu* in medium educens. Quibus Vasquesii verbis recitatis, exclamat gestiens Koerberus: *Videant hic Romanenses, quid ipsi suis in religione συνουσι-τῶν respondeant*. Similia effutiunt Tarnovius, Rungius, Rivetus, aliique novatores. Ex textu itaque hebraico, & Versionibus singulis, ex Josepho, ex Damasceno, ex ipsis Pontificiis Scriptoribus liquet oblationem Melchisedechi non fuisse sacram & mysticam, sed civilem, & qualem commemorat liber Judicum VIII. 5. Polybius etiam l. 3. & Livius 31. idest, datam militibus annonam, & commeatum.

Respondent quamplures, non posse de exhibita annona, aut de epulo facto Abraham accipi laudata Genesis verba, quoniam legitur supra versu 11. Abrahami milites tulisse omnem substantiam Sodomorum, & universa, quæ ad cibum pertinent, & infra vers. 24. eosdem milites ex acceptis hostium prædis fuisse saturos. Addunt sacri libri scriptorem non prætermissurum pretiosiores cibos, si tantum de convivio facto Abrahæ sermonem instituisset. Responsio tamen nostra hæc est, Melchisedech cum esset summi Dei Sacerdos accepto victoriæ nuncio obviam processisse Abrahamo, oblatoque in gratiarum actionem sacrificio panis & vini, & de more sacrificii parte sacrata Deo, Abrahamo ejusque pueris panem sacrum vinumque libaminum distribuisse. Id quippe affirmant Patres, qui tradunt porrectum Abrahamo *panem sanctificatum*, ut inquit Clemens Alexandrinus, sive *typum mensæ Dominicæ*, ut docent alii. Idem tradunt hebræorum Rabbini, qui scribunt Melchisedechum panem vinumque sacrificasse, & Abrahæ protulisse panes propositionis & vinum libaminum. Hoc idem confirmat ratio, quoniam Melchisedech venit in occursum Abrahæ, non ut fœderatus princeps ad exhibendum commeatum, sed ut sacerdos ad offerendum sacrificium in gratiarum actionem, atque ad benedicendum Abrahamo. Itaque ad hebraici textus auctoritatem fatemur hebraicum verbum הוציא, *Hotsi*, idem esse ac *exire fecit*, aut *exire faciens*, & recte in Vulgata reddi *proferens*, in aliis Versionibus, *protulit*, *extraxit*, *exire fecit*; quoniam ex urbe Sacerdos summi Dei *exire fecit* panes vinumque ad offerendum Deo sacrificium gratiarum actionis, & ad præbendum Abrahamo ejusque militibus nutrimentum, non de communi pane, sed de consecrato, typumque mensæ dominicæ præseferente, quemadmodum tradunt Patres ipsique Rabbinorum doctissimi, qui nequeunt vim hebraicorum verborum ignorare. Et quidem verbum illud usurpari etiam ad significandam rem, quæ ad peragendum sacrificium profertur & asportatur, demonstrat doctissimus Bellarminus ex Judicum VI. 18. ubi legitur, *Portans sacrificium, & offerens tibi*, & habet Hebræorum textus, וְהֹצֵאתִי אֶת־מִנְחָתִי, *Exire faciens ad sacrificandum*. Quid, quod Rabbini in verbo הוציא arbitrantur designari separationem sacrificii *panis, & vini* a sacrificiis cruentarum victimarum, ut supra ostendimus? Neque possunt id hæretici refutare, quoniam nunquam e scripturis demonstrabunt Melchisedech hircos pecudesque mactasse. Prior ergo versutorum hominum argutatio hebraicis voculis fabricata, ineptissima est, atque ex Hebræorum Magistris in eos retorquatur. Nullius est pariter momenti quod petunt ex græca versione; primum quia gratis dato inscriptum esse in hac Versione pronomen αὐτῷ, *illi*, manifestum est ex dictis *illi*, idest, Abrahamo exhibuisse Melchisedech *panem sanctificatum*: deinde asserimus Codices melioris notæ, Oxoniensem, Aldinum, Vaticanum, Waltonianum quoque, sicut & hebraicum, carere hoc pronomine. Quod sequitur de officiis ex vetusta consuetudine præstandis Regi a pugna redeunti, & de epulis, cibariisque a Josepho narratis, id quoque a me ultro libenterque conceditur: sed nego Regem Salem, qui erat sacerdos Dei summi, qui obviam ierat Abrahamo ad ei benedicendum, qui sacerdotii Christi gerebat typum, præter consueta regum officia, non exhibuisse panem sanctificatum, ut postulabat ipsius sacerdotii excellentia, ut exigebat typus futurorum, ut tradiderunt Patres, ut agnoverunt Rabbini, ut asseruit in præf. Psicomachiæ Prudentius, ubi de Abrahamo cecinit:

Adhuc recentem cæde de tanta Virum
Donat Sacerdos ferculis cælestibus.

Etsi ergo Melchisedech alimenta dederit Abrahamo, copiisque ejus, ut inquit Josephus, nec non R. Samuel in Berescith Rabba, atque ut facere mos erat finitimis, factum hoc tamen sacrificio præcedente: quod etiam fatetur Grotius in Genesim productis verbis Philonis: ἐπινίκια ἔθυε, *sacra fecit victoriæ caussa*. Idem respondetur ad aucto-

ritatem Damasceni, qui eo loci commendat Christi sacrificium sub speciebus panis, & vini, ac post verba citata addit immediate: *Mensa illa Mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum & sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram & imaginem præseferebat*. Qui ergo talia objectant, aut putres fungos nos credunt, aut ipsi sunt ejuscemodi. Quod attinet ad Vasquesium & Cajetanum reponeret aliquis horum duorum non tanti faciendam esse auctoritatem; sed postulat ratio æquitatis, ut castigetur improba hæreticorum arrogantia. Igitur Cajetanus in III. P. S. Thomæ q. XXII. art. 6. hæc habet: *Cum Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, intelligitur de ordine assimilationis in materia sacrificii: nam panem & vinum assumi instituit in sua memoriali sacrificio pro materia Eucharistia, sicut Melchisedech panem & vinum obtulerat in sacrificium*. Quid his expressius? quid magis communi Catholicorum sententiæ conveniens? Igitur Cajetanus, quamvis Comment. in Gen. scribat verbum *proferens* suapte natura non denotare sacrificium, sed *extractionem*, nec non asserat in textu hebraico non haberi particulam *Enim*, quæ in Vulgata subjicitur ut causa oblationis; putat tamen sacrificium, oblationemque in pane, & vino peractam, priusquam fieret inter Abrami pueros distributio. At Gabriel Vasquez disput. LXXXVI. cap. 3. (ibi enim extant verba citata a Koerbero) ait, quod hebraicum verbum, quod respondet latino, *protulit*, etsi idem sit, ac *in medium eduxit*, prout circumstantia loci exigere videtur, *non quamcunque eductionem rei denotat, sed eductionem hostiæ, & victimæ ad immolandum*. Addit, gratis dato quod hebraicum verbum significet tantum *proferre*, *Melchisedech prius Domino obtulit panem & vinum, postea oblata Domino protulit Abraham, ut ei benediceret*. Concludit porrectum exercitui Abraham panem *oblatum*, vinumque libaminum, *non commune*. Stet suo loco veritas. Nil istic Vasquesius habet non orthodoxum, non libratum, non rectum: ejusque lucubratio ambiguam quorumdam interpretationem complanat. His ergo quid respondeant Romanenses quæritant Fractarii? Responsum est: desinant gestire, & obmutescant.

At enim reponunt hæretici: Abierunt in eam sententiam Papicolæ, quod in ipsorum Vulgata extet, *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, apposita particula *enim* caussam sacræ oblationis exprimentes. Verum id ineptum est supra quam dici possit. Primo enim habet Hebraicus textus, והוא כהן לאל עליון, *Et ipse sacerdos Deo excelso*: non particula *caussali* posita, sed *copulativa*. Deinde incertum est, num hæc verba ad Melchisedechum, num ad Abrahamum sint referenda. Præterea כהן non semper sacerdotem significat; nam filii David II. Regum VIII. 18. dicuntur כהנים *sacerdotes*, quo in loco *sacerdos*, principem, non ministrum sacrum designat. Dispellitur ergo multiplici ex capite Pontificiorum commentatio.

Resp. Theologorum, quos deridendi gratia vocant *Papicolas*, illi autem hoc nomine se cohonestari gloriantur, incorruptam hoc loco esse & immaculatam Versionem. Enim vero, num sunt hæretici in hebræorum dialectis peritiores Hieronymo, qui particulam *Ve* reddidit *enim*? Num doctiores Rab. Samuele Ben-Nahaman, qui legit, *Erat enim ipse Melchisedech sacrificans panem & vinum*, notans vim participii eadem observatione, quam in Maldonato tamquam a *Papista* confictam risu Novatores excipiunt? Num Rabbinis Ben-Jahir, & Johai tradent hebrææ grammatices præceptiones? Eccur non eradunt ex priori Volumine Bibliorum Waltoni pag. 54. interpretationem textus Samaritici, *Protulit panem & vinum. Quia ipse erat sacerdos Deo Altissimo*? Negamus ergo particulam *Ve* non recte reddi per *Enim*; quemadmodum Genesis XX. 3. ea verba, *Et habet virum*, Gen. XXX. 27. *Et benedixerit mihi Deus*, Isaiæ LXIV. 5. *Ecce tu iratus es, & peccavimus*, recte verti, *Habet enim virum*: *Quia benedixerit mihi*: *Quoniam peccavimus*, nemo unus hæreticorum negabit. Gratis etiam dato legendum esse, *Et erat sacerdos Deo altissimo*; petimus, quare commemorata oblatione *panis & vini*, Sacerdotalis muneris fiat mentio. Non quidem ad commonstrandam tantummodo Melchisedech dignitatem, nam ita Sacerdotii character cum Regia dignitate jungendus erat, legendumque, *Melchisedech Rex Salem, & sacerdos Deo excelso*: non ad innuendum, cur Melchisedech benedixerit Abramo; sic enim Sacerdotii nota ponenda erat in illo periodi commate, *Et benedixit ei*, non jungenda præcedenti, *Exire fecit panem & vinum, & ipse sacerdos Deo excelso*: post quæ verba tam Hebraicus codex, quam Onkelos habet *soph pasuch*, periodi membra dispescens. Sive itaque accipiatur particula *Ve* pro causali *Enim*, sive pro copulativa *Et*, stat immobilis Romanensium Theologorum interpretatio. Vocabulum autem *Coen* referendum ad Abram, neque hæretici dicunt, nisi obtusioris ingenii, & crassioris Minervæ: quippe violenta hac interpretatione admissa, sequeretur ea, quæ postea de hoc sacerdote narrantur, esse Abramo, non Melchisedecho adscribenda. Atque ita Abramus benedixisset Melchisedecho, & ab ipso excepisset decimas, non e contra: quod repugnat Paulinæ ad Hebræos epistolæ, libroque Geneseos. Postrema objectio est cassa nuce deterior, כהן quippe nonnisi perraro denotat virum principem, neque sine aperta causa debemus propriam significationem abjicere: ideoque omnes hoc loco *sacrum ministrum* intelligunt, sancti Patres, Judæi, Catholici, hæreticorum quoque præcipui, Munsterus, Drusius, Tremellius, Junius, Piscator. Deinde Melchisedech non solum appellatur *sacerdos*, verum etiam *sacerdos Dei altissimi*: quis autem *princeps summi Dei* fingi potest? Tandem dignitas viri principis expressa satis fuerat præmissis verbis, *Rex Salem*. Non ergo Melchisedech appellatus est *sacerdos*, ut filii David, hoc dignati nomine, quia *primi erant ad manus Regis*, I. Paralip. XVIII. 17. ideoque in Græca versione II. Regum VIII. non *Sacerdotes* appellantur, sed αὐλάρχαι, *aulæ principes*: & hebraice dicuntur כהנים *sacerdotes*, spectata ampliori significatione verbi כהן, idest, λειτουργεῖν, *ministrare*. Præcedens igitur hæreticorum objectio sic a nobis sit refutata.

Insuper opponunt Apostolum ad Hebræos omnes Sacerdotii Christi characteres in Melchisedecho præsignatos enumerare, & Christi Sacerdotium præferre Levitico, ex quo illud maneat in æternum, ex quo Melchisedecho decimas dederit Abraham patriarcha, ex quo ille huic benedixerit, ex quo denique illius sacerdotalis unctio facta non fuerit secundum legem mandati carnalis. Inter quæ penitus prætermittit *panis vinique* oblationem. Istam ergo ad Sacerdotium Melchisedechi spectasse perperam autumant Pontificii. Addunt hæretici nos in Mensa Dominica ideo sacrificium adstruere, quoniam panis & vini immutationem in Christi corpus & sanguinem profitemur, priscis duntaxat manentibus *speciebus*, percipientes nullum sacrificium dari absque oblatæ rei mutatione. At nullam in oblatione facta a Melchisedecho rerum oblatarum immutationem invenienus: ideoque non habet oblatio ista rationem sacrificii; idque animadvertens Apostolus, oblationem ipsam alto præteriit silentio. Immo istiusmodi oblatio nequit discernere sacrificium Melchisedechianum ab Aaronico, quoniam & filii Aaron panem vinumque offerebant. Frustra itaque Romanenses opinantur in præfata oblatione latere mysteria.

Respondemus ipsum Apostoli scopum, cui exponendo tota hæreticorum machinatio incumbit ut veritatem labefactare pertentent, facile priorem argumentationem elidere, quamquam cum solo nitatur Pauli silentio, nihil habet, juxta Dialecticos, firmitudinis. Studet itaque Apostolus hebræorum animos a sacrificiis Aaronicis, quæ magno adhuc habebant in pretio, novi sacerdotii excellentiam ex typo Melchisedechi exponens, penitus removere. Profecto in Melchisedech præfigurata est sacerdotii Christi *excellentia* in perpetua duratione, in decimatione Levitarum, & in unctione spirituali ac virtute indissolubilis vitæ: & præsignatus est *ordo*, ritusque sacerdotis in similitudine rerum oblatarum, videlicet panis & vini. Cum ergo non agat Paulus de Sacerdotii *ordine*, sed tantum de *præexcellentia*, commemorat cetera, quibus Melchisedech gessit typum, & figuram Christi, ejusque sacerdotii dignitatem expressit; præteriitque silentio similitudinem rei oblatæ, in qua proprie situs est sacerdotii ritus & ordo; eo vel maxime, quod hæc oblatio, (si tantum panis vinumque spectetur) non videatur præstantior vivorum animalium mactatione, & ipsi Levitæ quandoque panes ac libamina obtulerunt. Hac de causa Apostolus ejusmodi oblationem prætermisit: præmonens tamen alia in Melchisedecho latere mysteria, quæ captum ipsorum Judæorum adhuc cruentis victimis addictorum superabant, idest, Corporis, & Sanguinis Domini sub speciebus panis vinique præsentiam: quare cap. V. II. ait: *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum*: & versu proximo, *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo*. Quod sequitur breviter expeditur; panis enim immutari poterat in sacrificio Melchisedech coctione facta in clibano, ut Levitici II. 4. Vinum pariter conspersione, vel effusione, vel ratione alia ritus Melchisedech propria. Proximo quoque argumento hæc brevissime retulerim: Differt in oblatione panis, & vini sacerdotium Melchisedech a Levitico: quia ille in pane tantum ac vino sacrificium obtulit, non in cæsis hostiis, hircisque mactatis; at Levitæ sacrificarunt potissimum animalia, eaque immolarunt una *cum libationibus*, ut liquet ex cap. XXIX. Exodi, & XXVIII. Numerorum: ideoque in sacrificio Aaronico oblatio panis & vini non fuit sola, non præcipua, non propria.

Tandem hoc hæretici afferunt: Si a similitudine rei oblatæ desumendus sit *ordo* sacerdotii, Christus sacerdos secundum ordinem Aaron, non *secundum ordinem Melchisedech* dicendus erit. Præcipuum enim sacrificium Christi, imo unicum, fuit sacrificium cruentum crucis: at cruenta sacrificia nunquam Melchisedech fertur immolasse, quemadmodum prælitterunt Levitæ.

Verum hoc ipso argumento in hæreticos invehimur: quippe, etiamsi sacrificium cruentum Christi præsignatum

tum fuerit in victimarum mactatione; quoniam non eadem est res oblata super altare Levitarum, & in ara crucis. neque spectata rei oblatæ substantia, neque specie ac similitudine, nequit appellari Christus sacerdos secundum ordinem Aaron. Igitur etiamsi præfiguratus fuerit in Melchisedech ob rationes complures: nisi obtulit sacrificium simile in re oblata sacrificio Melchisedechi, appellari non potest *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*. Quare abunde objectioni satisfactum est in priori thesis demonstratione. Non diffiteor tamen plura obstare, ne Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Aaron, præsertim quod non fuerit ex tribu Levi, quod institutus non fuerit sacerdos secundum mandatum legis, quod sacrificium crucis non fuerit typus futurorum, sed antitypus veterum, quod semel fuerit oblatum omnemque consummaverit expiationem. Ob quam rem non abjiciendum sacrificium Missæ quotidie oblatum in passionis Christi memoriam, ipsiusque applicationem, alibi demonstrabimus. Addimus responsionem S. Thom. q. xxii. art. 6. ad 2. etiam participationem sacrificii Crucis ejusque effectuum, *in quo præcipue attenditur excellentia Sacerdotii Christi*, expressius fuisse præfiguratam in Sacerdotio Melchisedech; etiamsi oblatio Crucis cum effusione sanguinis magis fuerit expressa in sacerdotio Levitico: propterea quod panis & vinum significant Ecclesiæ, ejusque membrorum unitatem, ut inquit S. P. Augustinus in Psalm. cxlvii. num. 25. & Tract. xxvii. in Joan. num. 13. & habetur in cap. *Quia passus*, de Consecrat. dist. 2.

A P P E N D I X.

Nullo modo propugnari potest sententia eorum, qui Christum sacerdotem Leviticum dixerunt ex Pseudohistoria, quam narrat Suidas Tom. I. pag. 1229. Jesum in sacerdotum numerum, cum adhuc esset adolescens, cooptatum, & repugnantes sacerdotes aliquos, eo quod genus duceret ex tribu Juda, acquievisse ubi compertum fuit genus ejus fuisse mixtum. Fabulosa enim historia illa est, meritoque ab omnibus refutata, cum constet Dominum Jesum fuisse ex semine David, atque ex tribu Juda; quod evidentissime infertur ex Psalmo cxxxi. 21. Luc. 1. 32. Joan. vii. 42. Act. xiii. 23. ad Rom. I. 3. & Apocalypsi xxii. 16. Manifestum quoque est sacerdotes in veteri lege fuisse ex sola tribu Levi, nulla femineæ lineæ ratione habita. Vide Exodi xxix. 9. 44. Levit. viii. 2. 11. Paralip. viii. 14. & ad Hebræos vii. 14. His non repugnat quod habetur Lucæ iv. 16. Jesum in die sabbati legisse in Synagoga, & explicasse Isaiam Prophetam: aut quod ejecerit de Templo ementes & vendentes, Matt. xxi. 12., & Joan. ii. 14. Legere enim in Synagoga, & habere sermonem exhortationis ad plebem, non erat munus tantummodo sacerdotum, cum idem fecerit Paulus de Tribu Benjamin Act. xiii. unde quod Augustinus scribit lib. 1. de Peccat. Meritis cap. xxvi. num. 54. Christum *lectoris etiam functum officio in Synagoga*, nullius sacri ministri innuit ordinem; maxime quod ibidem ait Lucas traditum illi librum, & ab ipso redditum sacris ministris: *Et cum plicuisset librum, reddidit ministro*. Ejecit vero e templo vendentes & ementes permotus zelo domus Dei, divinaque præditus potestate, non ex æditui officio; ideoque Judæi dicebant, *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?*

Falsum præterea est a Davide duos prodiisse stipites, regium unum per Salomonem, sacerdotalem alium per Nathan; quorum unum describat Matthæus, Lucas alterum. Propugnant hanc opinionem Torniellus ad annum M. 4051. num. 15. & 16. quia Nathan fuit filius Davidis non natura, sed adoptione, atque sacerdos, ut liquet ex ii. Regum cap. viii. genitus enim fuerat ab Uria Bethsabee marito de Tribu Levi. Addit hanc esse S. P. Augustini mentem quæst. 61. ex lxxxiii. ubi ait Nathan progenitorem Josephi, (de quo Lucas) fuisse Nathan prophetam, *cujus correptione David peccati abolitionem pœnitendo impetravit*. Similia tradit S. P. lib. ii. de Consensu Evang. cap. 3. Alii etiam Patres, Ambrosius præsertim in Lucam, Hilarius can. 1. in Matth. & Gregorius Nazianzenus in Carmine de Christi Genealogia eumdem ex utraque tribu progenitum asserunt. Accedit in hujus sententiæ confirmationem, quod Maria cognata *Elisabeth de filiabus Aaron*, ex Lucæ 1. 5. cumque lege Numerorum xxxvi. 7. cunctæ feminæ nubere possent tantum suæ tribus hominibus, infertur Mariam Virginem & Elisabetham fuisse de eadem cognatione ac tribu, idest, Levi.

Hæc tamen sententia deprehenditur falsa ex dictis pag. 32. & seq. neque firmo ullo momento fulcitur. Enimvero Nathan, per quem Lucas texit Salvatoris genealogiam, fuit filius Davidis generatione, non adoptione, ut liquet ex 1. Regum cap. v. 14. & 1. Paralip. cap. iii. 5. licet procreatus ex Bethsabee uxore Uriæ. Imo, etiamsi fuisset a Davide adoptatus, non diceretur de tribu Levi; falso enim supponitur Uriam virum Bethsabee ad hanc pertinuisse tribum, cum fuerit Hethæus genere; 2. Regum xi. 3. longe diversæ cognationis ab Uria Pontifice, de quo iv. Reg. xvi. 16. Hethæi quippe terram promissionis circa Hebron incolebant, quæ regio cesserat tribui Juda. Quo autem sensu filii David ii. Regum viii. appellati sunt sacerdotes, paullo supra explicavi. Flaccescit igitur ex hoc capite Tornielli opinatio. Nullam etiam firmitatem habet in auctoritate Augustini, qui lib. ii. Retract. c. 7. & 16. priorem sententiam deposuit distinguens Nathan filium David a Nathan propheta, nullamque adoptionem agnoscens in Eli patre, secundum Lucam, Sponsi Virginis, nisi juxta legem Deuteronomii xxv. 5. ut diximus disputantes de Christi genealogia. Alii vero Patres ambarum Tribuum, Regiæ & Leviticæ permixtionem agnoscunt ratione connubiorum; quod scilicet Sacerdotes in uxores acciperent etiam filias Juda, & vicissim viri Juda sæpenumero filias Aaron: nam liquet ex Juda ortum Dominum Jesum, & ex hac Tribu neminem connumeratum inter Levitas. Legitote Epistolæ ad Hebræos caput vii. Hæc, quæ de Levitarum connubiis dixi, diluunt objectionem postremam: Maria enim potuit esse cognata Elisabeth, tametsi hæc esset *de filiabus Aaron*, ex qua tribu fuit etiam Virginis mater, aut Avia: quamquam Ambrosius lib. iii. in Lucam num. 5. tradat Elisabeth fuisse *de tribu Juda*, & hac ratione cognatam Deiparæ. Nec repugnet assertioni nostræ allata lex Numerorum, quæ spectat tantum ad filias paternorum bonorum hæredes. Id probatur primo ex præcedenti cap. xxvii. 3. ejusdem libri Numerorum, ubi hæc lex dicitur super filias Salphaad a Domino promulgata: quarum filiarum pater *non habuit mares filios*. Deinde cap. xxxvi. 8. exprimitur finis ejusdem legis, idest, *Ut hæreditas permaneat in familiis*; quo fine cessante, cessat lex ipsa. Constat præterea Davidem uxorem duxisse Michol filiam Saul ex Tribu Benjamin, Booz Ruth Moabitidem, & e contra Jojadam Sacerdotem Josabeth sororem regis Ochoziæ. Vide lib. 1. Regum xviii. 27. Ruth iv. 10. & ii. Paralip. xxii. 11. Tandem ubi Vulgata nostra Num. xxxvi. legit, *Et cunctæ feminæ*, extat in hebraico Codice, וְכָל־בַּת יֹרֶשֶׁת נַחֲלָה, *Et omnis filia hæreditans hæreditatem*: Græcus lxx. *Καὶ πᾶσα θυγάτηρ ἀγχιστεύουσα κληρονομίαν*, *Et omnis filia vindicans sibi hæreditatem*: ac similiter Onkelos, Samaritanus, Arabicus in Polyglottis Walt. Tom. II. pag. 710. Nec tamen id succensendum Vulgatæ, cum hæc præcitatis verbis, *Ut hæreditas permaneat in familiis*, eumdem sensum absque ulla ambiguitate præseferat.

C A P U T IX.

De aliis titulis, qui Salvatori nostro conveniunt.

QUEMADMODUM in Melchisedecho prænunciatum fuerat Christi Sacerdotium, ita in Davide, qui reprobato Saule constitutus fuit Rex Israel, præfiguratum novum Christi regnum, scite docet in duodecimo libro contra Faustum c. 33. S. P. Augustinus. Itaque post Christi Sacerdotium, de Regno disserendum nobis est, brevi tamen, cum plura de hoc argumento dicta sint lib. xx. c. 16. prop. 4. & 5. Regem itaque esse Dominum nostrum Jesum Christum, extra omnem dubitationem positum est, commonstrantque textus divinarum Scripturarum locupletissimi. Legitur enim Ps. ii. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, & vers. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Ps. lxxi. 8. *Et dominabitur a mari usque ad mare*. Zach. xi. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator*. Lucæ 1. 32. *Regnabit in domo Jacob in æternum*. Idem testati sunt profecti ex Oriente Magi, & percunctantes Mat. II. 2. *Ubi est, qui natus est rex Judæorum?* Idem asseruit Salvator ipse respondens Pilato illum interroganti xviii. 17. an rex esset, *Tu dicis, quia Rex sum ego*. Idem confirmat caussa mortis ejus inscripta cruci, Mat. xxvii. 37. *Hic est Jesus rex Judæorum*. De hoc itaque nulla est inter Theologos controversia.

Fatentur quoque omnes Christum spirituale regnum habere, ac temporale, si habuit, intentum sublimiori operæ Redemptionis noluisse exercere: non enim rex fuit *ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos, sed rex Israel est, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cælorum credentes, amantesque perducat*; inquit S. P. Tract. li. In Joan. numer. 4. At temporale regnum Christo complures denegant, aut, si dominium aliquod ei tribuunt in Reges terræ, nonnisi illud indirectum putant, & quatenus ad finem supernaturalem conducit, ipsius scilicet regni spiritualis consecutionem. Negant vero omnimode temporale Christi regnum Magdeburgenses, Molinæus, Jandunus, Marsilius Patavinus, aliique apud Capisuccum controversia xix. necnon L'Herminier tom. iii. p. 392. Tournely q. xii. pag. 394. Juenin dissert. vi. q. 9. Indirecte tantum regiam dignitatem Christo in temporalibus tribuunt Bannesius, Sotus, Bellarminus, aliique.

Horum argumenta sunt partim e Scripturis, partim ex Patribus, partim ex ratione deprompta. Enimvero ex Scripturis liquet regnum Christi esse spirituale & æternum; dominium autem temporale ipsum Christum abjecisse, dum descriptus est inter Augusti subditos, Lucæ ii. 5. dum

noluit arbiter sedere inter fratres litigantes, Lucæ XII. 14. dum fugit in montem ne raperetur ad thronum, Joan. VI. 15. dum Pilato confessus est, regnum suum non esse de hoc mundo, Joan. XVIII. 36. Deinde ex Patribus idem videtur evinci, scribente Ambrosio lib. 3. in Lucam, *Regnum ejus non erat in hoc sæculo, supra sæculum erat*: Hieronymo in cap. 22. Jerem. *Regnum ejus non erat terrenum, sed perpetuum atque cæleste*: Augustino Tract. cxv. in Joannem num. 3. *Neque regem talem se esse fatetur, cujus regnum putetur esse de hoc mundo*; & lib. XVII. de Civ. Dei cap. 7. asserente regnare Christum, *non carnaliter, sed spiritualiter*: Magno demum Gregorio hom. VIII. in Evangelia. *Quasi in alieno nascebatur*. His accedit multiplex ratio: ac prima, quoniam regia dignitar ad redemptionis finem erat omnino supervacanea: altera, quod Nicolaus III. cap. *Exiit*, definivit Christum verbo & exemplo docuisse religiosam paupertatem, quæ dominio caret omni: postrema ac præcipua; quia non erat Rex Judæorum, neque gentium ceterarum; cum talis non fuerit hæreditaria successione, neque electione populi, neque jure belli, neque dono Patris, a quo Filio concessum fuit regnum duntaxat spirituale.

Asserimus nihilominus, Dominum Jesum Christum, quantum ad potestatem, & jus regni spectat, fuisse tam spiritualis, quam temporalis regni plenissima præditum auctoritate, etiamsi hanc exercere noluerit, eamque sinat sæcularibus principibus demandari; quemadmodum corporalia officia spiritualis anima committit ministerio membrorum, prout explicavi laudato libro vicesimo. Et revera se tanquam regem a solvendo censu immunem declaravit. Mat. XVII. 24. omnemque potestatem sibi a Patre traditam affirmavit, ejusdem Matth. cap. ult. 18. quæ tam universaliter enuntiata, frustra ad solum spirituale regimen coarctantur. Hujus autem generis plura in scripturis occurrunt, ut Ps. VIII. 7. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*: Act. X. 36. *Hic est omnium Dominus*: Apoc. I. 5. *Princeps regum terræ*, & XIX. 16. *Rex regum, & Dominus dominantium*. Imo, ut alibi ostendimus, ex ipsamet conditione regni spiritualis consequitur potestas in temporalia; quoniam ille, ad quem pertinet finis, debet etiam disponere de iis, quæ sunt ad finem: unde ajebat Bonifacius Papa in Extravaganti, *Unam sanctam. Oportet gladium esse sub gladio, & potestatem temporalem spirituali subjici potestati*. Ex quo itaque Christo spirituale competat regnum, ei omnis potestas etiam temporalis subjici debet: quæ cum sit a Deo, ex Apostolo ad Rom. XIII. 1. debet esse *ordinata*, atque ad spirituale regnum referri, tanquam medium ad finem. Quapropter & Christus se regem orbis terrarum ostendit excipiendo gentium munera, regiamque urbem ingrediendo tanquam rex Israel, universo populo plaudente. Sed vide quæ diximus citato c. XX. necnon Augustinum Triumphum de potest. Papæ, & Petrum de Aragon 2. 2. q. 67. art. 1. ne commemorem exteros, Roffensem, Almaynum, Cardinalem de Lugo, aliosque apud Capisuccum.

Corruunt vero argumenta quæque in contrarium, si animadvertatur unde regia potestas Christi sit derivata, & cur noluerit in terris degens illam immediate exercere. Verissimum est ergo, quod non est Christus totius orbis monarcha jure successionis hæreditariæ, cum sit ex semine ac posteritate Davidis, nullum jus habentis in regna exterorum: imo nec videtur ratione carnalis generationis habuisse jus in regnum Judæorum; cum virgo Maria esset quidem ex genere Davidis, sed non illius familiæ, in qua sceptrum erat, absque regni successione a Jechonia ad Christum usque productæ; quamquam ex hoc capite, & præsertim ex quo Messias esset, propugnari possit jus ad sceptrum Judæorum ipsi Messiæ repromissum. Neque Christus regiam dignitatem obtinuit electione populorum; quippe nunquam ei populus universus, tanquam regi acclamavit, semper Pharisæorum, Scribarumque factione repugnante: & in Prætorio multitudo protestata est se nullum alium regem habere præter Cæsarem: ac multominus jus sceptri acquisivit vi armorum, ac potestate terrena. Cum itaque natura humana ad tam arctam cum Deo Verbo unionem assumpta est, ut fieret eadem cum ipso persona; factus est Christus filius Dei naturalis, omnium Dominus, eique universa in cælo, & in terra subjecta sunt, quocunque titulo servitutis, ac dependentiæ. Neque dicas tantam ei dignitatem non convenire, in quantum homo est: nam in quantum homo, si est naturalis Dei filius, eademque cum Deo Verbo persona, debet habere absolutam plenissimamque potestatem; ideoque præcitato cap. XIX. Apocalypsis speciosus ille titulus, *Rex regum & Dominus dominantium*, dicitur scriptus, *in vestimento & in femore*, quæ sunt hominis notæ. Cumque Christus hinc omnem habeat potestatem ac principatum, & pro humani generis redemptione seipsum exinanierit, *formam servi accipiens*, ut nos ad cæleste regnum eveheret; recte ait regnum suum non esse *de hoc mundo*, quia neque illud obtinuit generatione carnali, neque in illo vim armorum & insignia principatus ostentat, neque ab illius administratione terrenos homines suo fungentes munere arcet.

Ad argumenta itaque ex Scripturis petita recte alibi responsum est in Christo fuisse dignitatem regiam *quantum ad potestatem*, non quantum *ad potestatis exercitationem*, ut etiam inquit 3. p. q. 59. art. 4. S. Thomas: noluisse autem hanc potestatem in omnibus exercere, quia divinis intendens humana commisit hominibus; noluisse regni sceptrum a populo accipere, quoniam illud habet divinitus; atque regnum suum non esse *de hoc mundo*, quoniam neque a mundo regiam auctoritatem nactus est, neque hanc in mundo exercuit armorum violentia, subditorum censu, ac terrenæ majestatis ostentatione. Eadem responsio adhibenda est testimoniis Patrum asserentium Christi regnum esse spirituale ac æternum, spectata regiæ potestatis origine, neglecto rerum temporalium regimine, & considerato beatitudinis fine. Diluuntur eodem pacto argumenta a ratione: etenim ad redemptionis opus perficiendum congruebat *non exercere* regiam potestatem; & majus erat meritum Christi regis ornari spinea corona, quam diademate: major gloria adorari in cruce, quam in throno: major virtus domare orbem doctrina, quam armis. Verbo pariter & exemplo commendavit religiosam paupertatem reclinatus in præsepio, ac derelictus in cruce, abjiciens quicquid sibimet jure poterat vindicare actualis dominatus, regalisve magnificentiæ, quamvis esset Rex regum, & Dominus dominantium: quam dignitatem, quia non poterat refutare quantum ad potestatem attinet, eo quod sit a Filio Dei inseparabilis, noluit in temporalibus immediate exercere parvipendens quicquid potest ceterorum hominum allicere cupiditatem, idest, temporalium bonorum administrationem, copiam, dominiumque omne ex jure sanguinis, cognationis, & hæreditatis exortum. Atque ad rationem postremam, ex dictis liquet regiam Christi dignitatem profectam ex *hypostatica* unione, ex regni spiritualis in temporale dirigendum auctoritate, ex dono etiam Patris, quatenus natura humana nullis præcedentibus meritis prædestinata fuit, ut esset cum Filio Dei, qui est princeps regum, per quem reges regnant, & cui subjecta sunt omnia, una eademque persona.

Ex quo Christus, etiam spectata natura humana prout in persona Verbi subsistit, omnem habeat potestatem in cælo, & in terra, consequitur esse Caput hominum & Angelorum: ut affirmat Apostolus scribens ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, etiam *Angelorum*, ut inquit in hunc locum Hieronymus, & S. P. Aug. conc. 3. in Psalm. XXXVI. n. 4. Quod ut melius percipiatur, tria ad rationem Capitis requiri communis sententia est, præeminentiam, unionem cum membris, & vitalem, ut inquiunt, influxum. Atque de præeminentia nullum oriri potest dubium, scribente ibidem Apostolo Christum constitutum a Patre *supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro*. Similiter de unione capitis membrorumque nullam arbitror instituendam quæstionem, cum etiam Angeli ad cælestem Jerusalem pertineant, cum qua Ecclesia militans vinculo caritatis est conjuncta, & ad hoc divinum Verbum carnem assumpserit, ut numero civium suorum non fraudaretur superna civitas. Quare S. Pater laudato sermone 3. in Psalmum XXXVI. exponens verba Apostoli 1. ad Corinth. XII. 27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*, inquit: *Caput nostrum Christus est; corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus; & in ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos: ut esset & ipse totius Caput civitatis Jerusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, adjunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum, ut fiat illa una civitas sub uno rege, & una quædam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace & salute, laudans Deum sine fine.*

Quantum vero spectat ad gratiarum influxum, ex hac eadem auctoritate constat esse Christum caput prædestinatorum omnium hominum, necnon fidelium etiam reproborum, qui fidem, gratiamque Christi participant; quamquam hi sint corporis Christi membra aliquando abscindenda, non defectu capitis, sed membrorum ipsorum fanie ac putredine, voluntaria scilicet culpa, atque impœnitentia finali. Ampliori quoque sensu est Caput viatorum omnium degentium extra corpus Ecclesiæ, in quantum pro his quoque Ecclesiam ipsam, fontesque gratiarum aperuit, his sæpenumero gratiarum beneficia impertitur, ac neminem, quantum in se est, a compagine membrorum suorum abscindit. Id enim suscepta communis causa humani generis postulat, completumque munus Redemptoris universorum. Verum an sit etiam inspecto hoc gratiarum influxu Caput Angelorum sanctorum, disputant in utramque partem Scholastici.

Et quidam putant ex Christi merito omnia prorsus in Angelos gratiæ & gloriæ munera derivasse, ut Catharinus, Viguerius, Albertus, eo quod Apostolus scribat citato cap. 1. ad Eph. vers. 9. *omnia in Christo* instaurata, *quæ in cælis, & quæ in terra sunt*, similia tradentibus Patribus productis a Vasquesio disp. XLIX. cap. 1. Videntur in eam-

in eamdem sententiam conspirare, qui arbitrantur ex gratia Christi fuisse sanctorum Angelorum perseverantiam: quod nituntur comprobare testimoniis Augustini lib. I. de consensu Evangelistarum cap. 35. Fulg. lib. 2. ad Trasimund. cap. 3. Gregorii Papæ in Ps. 18. & Bern. serm. 32. in Cantic. quorum verba affert Petavius lib. XII. de Incarnat. cap. 10. num 7. Alii tamen negant ex meritis Christi derivasse aut gratiam, aut perseverantiam finalem, aut gloriam Angelorum *essentialem*; nam *accidentalem*, quæ oritur ex instauratis ipsorum ruinis, ex consortio beatorum, ex gloriosa Christi Domini exaltatione, nemo est qui deneget singulari merito Redemptoris. Atque hanc sententiam propugnat major Scholasticorum pars apud laudatum Vasquesium cap. 2. ejusdem disputationis: in eamque nos consentire debemus, qui libro IV. cap. 9. & lib. VI. cap. 6. statuimus sanctos Angelos in accepta justitia stetisse per adjutorium *sine quo*, sive per gratiam Conditoris, non per adjutorium *quo*, idest, per gratiam secundi Adam potentiorem, & actualis perseverantiæ effectricem.

Interim videtur nobis via ad hanc dirimendam controversiam expeditissima, si in Christo distinguamus divinitatem Personæ a suscepta pro redemptione humani generis *forma servi*, & Conditorem universi, ac Reparatorem comparate ad diversam naturam ratione nostra spectemus. Christus itaque, ut Deus Verbum, & universorum Conditor, est Auctor gratiæ & gloriæ Angelorum æque ac hominum; idque tantum docent Patres a Petavio laudati: nam Augustinus de Consensu Evangelistarum demonstrat Angelos habuisse per Christum gratiam permanendi, quia *cum ipse sit sapientia Dei per quam creata sunt omnia, nullæ mentes rationales sive angelorum, sive hominum, nisi participatione ipsius sapientes sunt*. Fulgentius etiam de Deo Verbo cujuslibet gratiæ auctore instituit disputationem: eoque intendit Gregorius demonstrans Angelos *sanctificatos in Filio* ex verbis Psalmographi, *Verbo Domini cæli firmati sunt*; nec aliter est accipiendus Bernardus, & ex Græcis Cyrillus. At si consideretur Christus Dominus quatenus morte sua Mundum reparavit; quemadmodum omnes fatentur adversus Origenem Christum pro solis hominibus crucifixum, ita ad solos homines Christi gratiam fructusque passionis ejus uberrimos dicendum est promanasse, ita tamen, ut etiam Angelis *accidentalis* gloriæ accesserit incrementum. Atque id magis confirmatur in eorum sententia, qui putant ob solam Adæ culpam Christum apparuisse, uti & nos definivimus capite libri XXV. postremo. Ita Christus omnia *instauravit*, quia Ecclesiæ firmiorem posuit basim, & fundamentum, hominesque Angelis sociavit: nam *instaurare* idem est, ac *conjungere*, scribente in hunc locum Chrysostomo: τί ἐστιν ἀνακεφαλαιώσασθαι; συνάψαι. *Quid est instaurare? conjungere*; sanctoque Protoparente in Ench. cap. LXII. n. 16. *Instaurantur quippe quæ in cælis sunt, cum id, quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur.*

Capitis, Regisque dignitati accedit Judicis potestas, & auctoritas, quam Christo concessam liquet ex Psalmo LXXI. I. Mat. XVI. 27. XXVI. 64. Joan. V. 22. 27. Act. X. 42. XVII. 31. Apocalypsi XX. II. Debetur judicandi potestas Christo, quia cum in Judice requiratur rectitudo, sapientia ac potentia, nemo est, in quo ista præfulgeant magis; ideoque Jeremiæ XXIII. 5. de Christo prænuntiatum est, *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra*; Judicandi potestatem competere Domino Jesu Christo, in quantum Deus & homo est, scribit S. Pater Tract. XXI. in Joan. & lib. I. de Trinit. cap. 13. Verum de his legenda quæ diximus libro XXI. in Expositione Apost. Symboli; & orandum assidue, ut priusquam nos ad tribunal Judicis evocemur, nominis Jesu, idest, Salvatoris assequamur maximam atque inexhaustam munificentiam, eamque, de qua proximo libro dicturus sum, peccatorum omnium expiationem.



DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS OCTAVUS,

De satisfactione Christi, ejusque merito dissertationem comprehendens.



PRÆ ceteris titulis, quibus verum Deum, & verum hominem CHRISTUM JESUM maximis fulgentem insignibus, honore atque admiratione prosequitur, censendus est præclarum caritatis ejus monimentum, necnon perfectio, & finis rerum omnium quæ spectant ad hujus Mysterii dispensationem, eximius ille, de quo pertractandum est modo, titulus scilicet REDEMPTORIS. Cur enim sempiternus mortalitatem, & incircumscriptus formam nostram assumpsit, cur humiliavit semetipsum usque ad mortem, cur factus est *peccatum*, & *maledictum*, cur denique e Cruce pependit, nisi ut profuso pretiosi sanguinis lytro nos a captivitate reduceret, ejiceret principem tenebrarum, diriperet inferni spolia, & destrueret regnantis mortis imperium? Ast incredibile dictu, verissimum tamen, omnibusque compertum! ingentem hanc Redemptoris beneficentiam, hanc soluti pretii dignitatem atque oblationem temere, audacter, sacrilege parvipendunt hæreticorum complures: quorum aliqui ad solos prædestinatos, aliqui vero ad neminem prorsus veram redemptionem extendi impiissime dogmatizant. Et illos quidem cum Jansenianis, ac magno aliorum Novatorum numero insectati sumus libro XVII. & si negotium adhuc facessant, haud erit arduum fractos devictosque conterere: at quinam sunt audaciores isti, qui nos repente, & ex insidiis adoriuntur, nondum hac in parte opera nostra vexati, atque universalis reparationis mysterium funditus evertere cogitantes? Sunt hi Poloni, ut dicuntur, Fratres, Faustus Socinus, Joannes Francus, Smalcius, Wolkelius, aliique perditissimi Ebionitæ; qui non tantum anathemata Catholicorum, verum etiam Calvinistarum, atque Lutheranorum execrationem experti, (tam perniciosa dogmata spargere tentaverunt, ut ea nefarii quoque homines disperdenda, & eliminanda esse crediderint) ejecti ac profugi ab hominum conspectu quasi evanuerant, & vix fama præteriti sæculi Scholasticis noti erant. In hujus tamen ævi licentia, cum eruditionis prætextu vetusti suscitarentur errores, erupit iterum pestilentissima lues, atque, ut fertur, fines hæreticorum omnes pervasit, incolumi tantum, quæ nunquam perversi dogmatis labe polluitur, Romana & Apostolica Ecclesia. Id vero me, quamquam virium mearum imbecillitatem agnosco, nec soleo absque animi trepidatione subire literaria certamina, fulcitus sum tamen Catholicæ Fidei præsidio, ac tua, benevole Lector, humanitate, vehementer impulit, ut communis Redemptionis beneficium pessundantes acri dissertatione compescerem: in qua elucubranda si dixero nihil me contulisse laboris, profecto mentiar; si autem affirmavero hanc spartam pro dignitate exornasse, ero utique superbissimus. Quid enim pro Unigenito Filio Dei, qui me tanto redemit pretio, præstare ego poteram homuncio, & vermiculus? quid etiam ingenio rudis in medium proferre, adeo elaboratum, atque expolitum, ut suscepto muneri conveniret? Verum quod possum, illud persolvo; & facienti quod potest, frustra obloquuntur malevoli, & æquo animo boni omnes indulgent.

CAPUT I.

Exponitur Catholicorum Theologorum de Christi satisfactione sententia, & Fausti Socini placitum nefarium atque iniquissimum.

CATHOLICORUM sententia est, definitam æterni Verbi Incarnationem, mortemque Christi teterrimam, ut pro universo humano genere peccati labe contaminato, dæmonisque captivo, piissimus Jesus in se iniquitatum nostrarum pœnam transferens, & affigens cruci damnationis nostræ chirographum, divinæ justitiæ condignam exhiberet satisfactionem, & redemptionis nostræ pretium persolveret. Quamvis enim senserint aliqui fore ut divinum Verbum fieret caro, etiamsi nulla culpa fuisset expianda; supposito tamen Adæ lapsu, etiam nos reparandi Deum-hominem iniisse consilium illi quoque fatentur, qui aliam adventus Christi caussam constituerunt. Verbum ergo carnem factum soluto proprii sanguinis pretio homines reparasse, concordi firmissimoque consensu tradidere Theologi.

Arbitrati sunt quidam fuisse Christi satisfactionem necessario summæ Dei justitiæ exhibendam, supposita Adami prævaricatione, alioqui nullum aliud salutis nostræ potuisse excogitari remedium; cum nulla *pura* creatura potuisset ad juris apices pro suo, vel pro alieno peccato satisfacere, quam tamen rigorosam satisfactionem expostulaverit Dei honor, & incommutabilis justitiæ æquitas. Pro qua opinione præter Ricardum Victor. cap. VIII. de Incarnat. citari solet sanctus Anselmus in libris *Cur Deus homo*. Communior tamen sententia prædictam opinionem expungit, propugnatque, salva omni æquitate, potuisse Deum optimum maximum homines non redimere, aut pro redimendis non exigere condignam satisfactionem; quamquam magis congruum honestumque videatur, si culpæ respondeat punitio, injuriæ honor, & læsæ justitiæ reintegratio. Et quidem potuisse Deum in massa perditionis deserere universum humanum genus, demonstrant sacræ literæ, in quibus reparatio nostra tribuitur gratiæ, caritati, & magnæ erga nos Dei benignitati ac misericordiæ, ut ad Rom. V. 8. ad Ephes. I. 5. ad Tit. II. 21. prima Petri I. 3. & I. Joannis IV. 10. comprobant argumenta omnia prædestinationis ac reprobationis divinæ, quibus evincitur in his, qui liberantur, gratiam esse agnoscendam, in his vero qui damnantur justitiam, debitumque supplicium: confirmat denique idea libertatis; quia Deus plenissima pollens auctoritate, ac bonorum nostrorum non indigens, quicquid ad creaturas attinet, liberrima voluntate decernit, & pro suo beneplacito moderatur.

Poterat etiam Deus perditum hominem reparare absque Christi morte, & liberali condonatione: quod etsi negant nonnulli, quo facilius revincant Socinianos, tradunt tamen Patres omnes, Doctores Scholastici, & ipsorum hæreticorum permulti. Sane id asserunt Athanasius serm. 3. contra Arianos, Gregorius Nazianz. orat. 9. S. Pater Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 10. & 16. necnon de Agone Christiano cap. 11. Magnus Leo serm. 2. & 8. de Nativit. Gregorius Magnus lib. XX. Moral. cap. 26. Bern. epist. CXC. contra Petrum Abaelardum, aliique innumeri. Horum testimonia profert Carolus Witasse q. 2. sect. 4. affirmans sententiam oppositam, quod homo sine Incarnationis beneficio non potuisset reparari, omnibus Calvinianis. Ast, licet nil nostra Sectariorum referat, profecto Calvinus in Joan. cap. XV. 13. inquit, *Poterat nos Deus verbo, aut nutu redimere, nisi aliter nostra causa visum esset, ut proprio & unigenito filio non parcens testatum faceret in ejus persona, quantam habeat salutis nostræ curam.* Similia scribit lib. II. Institut. cap. 12. Vossius autem contra Hermannum Ravenspergerum cap. 28. collectis sententiis Wolfangi Musculi, Hieronymi Zanchii, Danielis Tileni, Wolfangi Franzii, Antonii Thysii, aliorumque multorum, manifesto evincit, etiam Reformatæ, ut inquiunt, Ecclesiæ Theologos concedere Deum absque Christi passione, & citra satisfactionem potuisse condonare peccata. Quare immerito Calvinianis, saltem omnibus, adscribitur contraria opinio: quod tamen, ut dixi, parum, aut nihil nostra refert. Porro cum Deus sit omnipotens, misericors, ac independens, cur non potuit solo nutu hominem reparare, sine satisfactione condonare debitum, & quemadmodum in Christum transtulit peccatorum nostrorum pœnas, ita illas nobis misericorditer relaxare?

Moverunt adversa opinantes, quod justitia exigat punitionem culpæ, nec Deus injustus esse queat: atque ideo Anselmus libro I. *Cur Deus homo*, cap. 12. ait: *Non decet peccatum impunitum dimittere*: quod probat proximo capite, quoniam *nihil servat Deus justius, quam suæ dignitatis honorem*; unde infert necessum esse, sive ut reddatur ablatus honor, sive ut pœna sequatur. Capite autem 19. concludit: *Tene igitur certissime, quia sine satisfactione, idest, sine debiti solutione spontanea, nec Deus potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad beatitudinem, vel talem, qualem habebat antequam peccaret, pervenire.*

Verum optime observatum a Joanne Driedone Tract. III. de Captivitate, & Redemptione generis humani, Deum

Daum esse *ipsam justitiam*, imo omnis justitiæ fontem ac plenitudinam, & consequenter *non esse in aliam justitiam ordinabilem*, sed ad ipsum tanquam ad finem & consummationem omnis justitiæ quamlibet aliam justitiam dirigendam esse: omnia vero, quæ ad finem ultimum referuntur, pro voluntate liberrima primæ causæ fuisse constituta ac disposita. Quæ cum rectæ rationi, ac Theologiæ nostræ principiis sint apprime convanientia, omissis aliorum responsis, dicimus, quod non repugnasset justitiæ Dei absque ulla satisfactione hominem reparata; quoniam si id ilaraisset ac voluisset, talis hominum reparatio juxta divinæ voluntatis prædefinitionem referretur ad finem ultimum, quemadmodum refertur modo exhibita satisfactio, ideoque nihil in hypothesi contingeret inordinatum. Neque enim inordinatum dici potest, quod juxta ordinem a Deo constitutum peragitur. Cumqua Deus sit summa justitia, si remittat absque satisfactiona illatam sibi injuriam, non fit debitor ullius justitiæ; quoniam summa justitie non est alteri subjecta, neque in alteram ordinabilis. Aliter contingere in creaturis, quæ si dimittant scelus imponitum, subjiciuntur justitiæ Dei, res per se loquitur. Ab hac doctrina non recedit S. Thomas 3. p. q. 46. art. 2. ubi damonstrat omnem Dei justitiam ex ajus voluntate pendare. Eamdam esse beati Ansalmi sentantiam liquat ex aodem Opere, *Cur Deus homo*. Libro enim II. cap. 5. solvens objectionem, quod si Deus ex necessitata vitandi indecentiam non dimisit impunita scelera, & per Filii redemptionem salutem procuravit humanam, aufertur, aut minuitur benefacientis gratia; respondet majorem beneficio gratiam daberi, *cum aliquis sponte necessitati benefaciendi se subdit*, allato examplo necessitatis donandi ortæ ex promissione, & ejus, qui sanctæ cogitationis vovet propositum. Atque hinc infert totum gratiæ imputandum, licet non deceat Deum a bono incœpto deficere, quia nihil Deus facit necessitare; *& bonitate sua hominem creando sponte, se ut perficeret incœptum bonum quasi obligavit*. Capita etiam 17. demonstrat omnem necessitatem, de que locutus est, divinæ subjacere voluntati: nihil necessarium esse, nisi quia Deus ita decernit; & licet statuat aliquid immutabiliter se facturum, nullam tamen esse in eo faciendi necessitatem, quia sola operatur in eo voluntas. Ex quibus apparet Anselmum loqui de justitia spectato hoc ordina rerum, & divinæ voluntatis proposito circa hominis creationem atque reparationam, ideoque de illa necessitate, quam Scholastici appellant *ex suppositione, & consequentem*. Quare judicio nostro errat Vasquez, qui in 3. p. disput. 1. cap. 2. & 3. scribit juxte Anselmum Deum ex necessitate ad injustitiam vitandam voluisse Filii satisfactionem: erratque etiam Carolus Witasse, qui disp. 2. sect. 3. ait durius Anselmum locutum, quam ut in bonam partem possit facile inflecti; atque videtur is legisse tantum quæ ex Anselmo Vasquesius exscripsit, aliis neglectis. Inconcussum est ergo, & fere omnium consensione firmatum potuisse omnipotentem uti innumerabilibus modis ad nos liberandos etiam non exhibita per Christum satisfactiona.

Verum facta statuti ordinis hypothesi, in qua Deus decrevit complandam hominum redemptionem reparata injuria sibi per culpam illata, pretioque captivitatis soluto, quam hypothesim congruam, ac supremo Numine dignissimam esse defendimus; firmissima fide tenemus hanc satisfactionem exhibendam, hoc pretium persolvendum a Deo-homine, ipsaqua re illam exhibitam, istud persolutum a Christo: qai peccatorum nostrorum pœnas lueos, & super lignum perferens omnium nostrum iniquitates, seipsum Deo petri pro nobis obtulit hostiam ac sacrificium expiationis. Id congruum aptissimumque fuissa demonstrant Theologi ac Patres, ex quo sanandæ nostræ miseriæ convenientior modus non fuerit, quam iste, in quo nobis Deus contulit remedium, præbuitqua humilitatis, patiantiæ, & dilactionis exemplum. Addunt hac ratione Deum misericordiam & justitiam suam nobis declarasse, decernendo ad ostensionem justitiæ mortem Unigeniti; quam tamen sponte dedit, & misit in mundum, ad caritatam suam commonstrandam. Ad dispellandam quoque cæcitatam, & animi languorem sanandum, quæ duo per Adæ prævaricationem contraximus, nihil videbatur magis idoneum, quam ab illo naturam nostram assumi, qui est veritas, & lux vera, ac poterat exemplo, doctrina, & Spiritus sancti communicatione abundantius præstare Adæ posteris, quam illis paterna transgressio attulerit nocumenti. Sed ceteris causis prætermissis, fet est modo priorem repetere, idest, congruum fuisse, ue peccatum dimitteretur inultum, & satisfieres Deo irato; quamvis ad hunc redemptionis modum absolute divina justitia coarctate non esset, atque in alia rerum hypothasi, si voluissat Deus absque satisfactione homines reparare, id etiam salva æquitate decenterque fecisset. Atque hæc est de Christi satisfactiona Catholicorum sententia.

Huic opponitur portantosus error Socinianorum, non a Fausto, vel Lellio primum excogitatus, sad conflatus ex Paganorum, Ebionitarum, Pelagianorumque blasphemiis, impie recusus, non, ut inquit Crellius, repositus postliminio. Quod ut exponam; Pagani haud percipientes peccati miserrimam conditionem, ac multo minus Trinitatis arcanum, & Verbi facti hominis sacramantum, difficulter assequuntur dari secundam e sancta Trinitate personam, & hanc ad expianda mundi delicta naturam assumpsisse nostram, præsertim cum superis nil afferant detrimenti mortalium scelera, eaque delaantur superni Judicis condonatione. Hanc esse paganorum sententiam neminem latet, demonstratque in Præf. laudati operis Joannes Driedo. Sociniani itaque cum Paganis denegantes Catholicæ Fidei mysteria, & Christum Dominum purum putumque hominem autumantes, atque gloriantes sectari se, (tantu est perditissimorum hominum audacia) Theodotum Byzantinum, Artemonem Paulum Samosatenum, Beryllum Bostrensem, & Photinum Sirmiensem Episcopum, quos majores suos agnoscit Joannas Crellius in Præfatiuncula ad opera didactica & Polemica; consequenter asseruerunt non esse Dominum Jesum tantæ dignitatis personam, ut posset Deo pro alienis peccatis exhibere satisfactionem, neque hanc exigi a divina justitia, quæ beneficentissima condonationa peccata quæque remittit. Hinc recentiores quidam Theologi Socinianos oppugnaturi plurimis Scripturarum sanctarum testimoniis probant esse in Deo constantem voluntatam puniendi peccata, justitiamque immutabilem, quæ tamen omnia non vidantur ad rem: hæretici enim illi fatentur esse in Deo justitiam oppositam misericordiæ, quæ non absolvit, sed ponit nocentes, qui pergunt esse rebelles, nec resipiscunt. atque asserunt peccata dimitti per justitiam, quæ est idem ac misericordia, & distinguitur ab indignatione & vindicta; sive per justitiam, quæ nihil est aliud, quam rectitudo & æquitas, quam Deus exercet condonando peccata, dum agitur pœnitentia, & ingemiscit iniquus: quæ ideo justitia appellatur, quia nihil est divinæ naturæ æquius ac justius, quam beneficiis afficere humanum genus miserum atque despectum. Quamobrem ad revincendos Socinianos non sufficit commonstrare Deum odio habere peccata, & punire scelestos, quod illi annunt; sed opus est, ut demonstretur interfuisse in hominum redemptiona justitiam ipsam, quæ punit, & opponitur misericordiæ, non illam dunraxat æquitatem & rectitudinem, quæ absque ulla satisfactione hominem, licet immeritum, cumulat benaficiis.

At quomodo negant perditissimi homines satisfactionem istiusmodi non fuisse exhibitam a Christo Domino, cum negare non audeant hunc pro nobis crucis patibulum subiisse? Facile id percipies, si animadvertas Socinianos ad Paganorum & Ebionitarum errores, arcessisse, sibique ulterius adoptasse hæresim Pelagianam. Hujus assertores cum originalem labem, & gratiæ reparatricis necessitatem negarent, non salutis præsidium, sed exemplum solum ponabant in Christo, ejus adventum ac mortem ad hoc tantum existimantes valere, ut per Evangelium discamus quomodo vivere debeamus, & negantes ipsum Christum esse *Jesum*, idest, Salvatorem pervulorum, qui sine culpa decedentes, quamvis e regno cælorum extorres, nulla afficerentur peccati pœna. De quo errore legi potest Pelagianæ hæresis acerrimus debellator Augustinus lib. de Nat. & grat. cap. xl. num. 47. lib. v. contra Julianum num. 58. lib. 11. Operis Imperf. numar. 198. & lib. III. numer. 550. Recoxit Pelagianum errorem Petrus Abaelardus quingentis ante Socinum annis, affirmans, ut scribit S. Bernardus Epist. 190. ad Innocentium, nec diabolum post Adæ lapsum jus aliquod in hominum habuisse, nec Filium Dei assumpsisse carnem, ut nos liberaret: sed hujus nativitatam, conversationem, ac mortam ad hoc solum redigans, ut Christus vivendo, & docendo tradiderit hominibus formam vitæ, patiendo autem ac moriendo suam erga nos commendeverit caritatem. Atque hoc idem asseruit Socinus scribens initio disputationis de Christo Servatore: *Ego censeo Jesum Christum ideo Servatorem nostrum esse, quia salutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, & in sua ipsius persona cum vitæ exempla, tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit; divina autem justitia, per quam peccatores damnari meremur, neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret opus fuisse affirmo*. Tradit consimilia Prælactionum Theologicarum cap. 15. in responsionibus ad Volanum, & in Epistolis ad Joannem Niamojavium: idemque profitetur Valentinus Smalcius lib. de Divinit. Christi cap. 11. Joannes Crellius in Responsione ad H. Grotium, Catechesis Polonica cap. 8. omnesque Sociniani unanimi perversitate; dicam verbo; fatentur Sociniani Christum Dominum de ingenti Dai patris in nos caritate certos reddidisse, negant nobis morte sua meruisse salutem, contendunt peccata absque ulla compensatione deleri, asserunt satisfactionem quam nos propugnamus obscurare Dei gloriam, & Christi potestatem labefactare.

Cum tam perniciosum dogma non solum Catholici, verum etiam hæretici execrarentur, & Faustum retrahere a sententia Joannes Baptista Rota, & Jacobus Covetus, aliique frustra tentassent: edidis ille ejusdem Coveti caussa memoratam disputationem *de Christo Salvatore*, quatuor in partes distributam. At de ultima parte, quæ agit de imputatione justitiæ Christi, exagitatque hæreticam doctrinam e nobis quoque lib. XIX. refutatam, nihil

in

in præsentle differtandum. Prior itaque Socinianæ disputationis pars nititur ostendere nullam Dei justitiam postulare ut puniantur peccata, licet aliquando supplicio a Deo plectantur pervicaces: Christum dici Servatorem nostrum ob id tantum, quod nobis salutis æternæ viam annuntiaverit, & confirmaverit vita, morte, promissione, ac resurrectione sua; nullam comprobari satisfactionem ex quo Christus dicatur Mediator, & nos per mortem ejus simus reconciliati. Pars altera demonstrare nititur redemptionem per Christum factam esse metaphoricam, nullumque in ea peragenda pretium fuisse solutum, neque oppositum evinci ex quo legatur in sacris literis Christum peccata nostra portasse, pro nobis passum & mortuum esse, & in ara crucis sacrificium obtulisse figuratum in victimarum legalium mactatione; negatque pervicaciter Salvatorem nostrum, priusquam cælum ingrederetur, functum fuisse munere Sacerdotis. In tertia parte contendit Antichristi præcursor Faustus, Deum nobis absque ulla satisfactione condonare peccata, non potuisse divinæ justitiæ satisfieri nobis non pereuntibus, nec satisfactionem a Christo exhiberi, non potuisse ipsi peccata nostra imputari, maximamque fore injustitiam, si innocens supplicio afficiatur pro sceleratis. Nos ergo impium dogma breviter refutaturi eumdem servabimus ordinem; incipiendo tamen a secunda parte; nam prima est nefariæ sententiæ expositio, & nihil continet quod in sequentibus non recudatur. Etsi enim Hugo Grotius in suo adversus Socinum Opere cap. 4. contendit argumenta, quibus is catholicum dogma it labefactatum, non satis recto ordine fuisse posita; Joannes tamen Crellius Volum. IV. Bib. FF. Polon. pag. 99. ait ordinem illum satis videri commodum: nullamque nos de methodo Adversariis litem intendimus, sed venenata tela, undecunque ejaculentur, retundimus atque vitamus fidei lorica, clypeoque protecti.

Non hac profecto indutus armatura adversus Socinum pugnavit Grotius, sed post editum opus de Christi satisfactione, ut erat ingenio multivolus, ex Calviniano Arminianus, ex Arminiano nullius fere fidei more Academicorum effectus oppugnatori suo Joanni Crellio literis datis Parisiis anno 1631. officiose gratias egit, & librorum Crellii lectione non solum plurimum se delectari significavit, sed etiam inde interpretationes ebibit perniciosas, passim in suis Bibliorum Commentariis dispersas. A quibus lectori accurate cavendum recte monet in Præfat. ad 3. sacrorum librorum volumen postremæ Venetæ editionis vir multijugis litteraturæ, & si veterum officiorum memor ait, sodalis noster ac necessarius; quod & præmonuerat Admonitione in Psalmos praeclarissimus Meldensium Episcopus. Cumque Grotianum opus oppugnandum cœpisset Hermannus Ravenspergerus adjiciens illi depromptam ex Daniele inscriptionem *Tekel*, idest, *Appensus lancibus, & inventus minoris ponderis*; Ravenspergerum confutavit Jo. Gerardus Vossius erudita dissertatione, quæ Grotianæ solet adjungi. Grotius tamen adversariis suis noluit respondere, non quod prorsus in partes Crellianas concessisset, ut visum plerisque: sed quoniam arbitratus est quæstionem ejusmodi talis esse generis, ut in ea salva religione ac pietate possint homines dissidere, ut non obscure colligitur ex ipsa ad Crellium Epistola, nobisque, antequam hanc legeremus, in suspicionem venerat; prout innuimus lib. XXII. cap. 4. differentes de fide in Christi divinitatem. Atque ita Grotius in hæresi Sociniana, quam alibi appellavit ceteris nocentiorem, & venenum Ecclesiæ præsentissimum, non diffitetur plura doceri utilia, ac servari pietatem: ex quo diversa prodierunt de Grotio judicia, nec omnino iniqua; tametsi in sua quadam ad Vossium epistola data Kal. Januarii an. 1638. retundens impactas sibi accusationes profiteatur de summa Trinitate Orthodoxam sententiam, erroresque Socini, Crellii, Scho[l]kii de Christi satisfactione detestetur. Quos breviter refutaturis cum a falsa Grotii pietate sedulo cavendum erit, tum a Vossii aliorumque hæreticorum palmari, atque supino errore circa redemptionis Christi participationem per solam fidem, & imputationem justitiæ ejus: iisque prænotatis, ex Grotii quoque, & ex Vossii conatibus plura delibare fas erit ad Socinum, ejusque amasios profligandos idonea. Sed erit primum, ac validissimum præsidium nostrum in sacris literis, & Catholicorum Patrum interpretamentis: quæ opponere studebimus pestilentissimis Fausti & Crellii commentationibus, veri hominum Redemptoris Christi Jesu, cujus causam agimus, implorato summo, divinoque auxilio.

CAPUT II.

Demonstratur adversus Socinianos Redemptionem nostram per Christum factam non esse metaphoricam, sed in ea peragenda verum pro nobis pretium fuisse solutum, & Dominum Jesum esse vere, ac proprie hominum Redemptorem.

ITAQUE adversus Socinianos, ut illum servemus ordinem, quem in secunda ac tertia parte disputationis suæ Faustus tenuit, demonstrabimus decem propositionibus nos vere, atque interveniente pretio fuisse a Christo redemptos, idque nullatenus summi Dei repugnare æquitati. Erunt autem propositiones nostræ, quæ sequuntur. I. Revera Christus Jesus humanum genus redemit. II. Hanc redemptionem non solum exemplo, & commendatione caritatis peregit, sed etiam soluto pretio. III. Hujus rei caussa mortem pertulit. IV. In morte perferenda peccatorum nostrorum pœnas luit. V. Fuit affixus cruci salutaris victima, oblatumque pro nobis sacrificium. VI. Per hanc hostiam & sacrificium, cum essemus filii iræ & vindictæ, reconciliati sumus Deo. VII. Reconciliatio ista facta est per veram peccatorum expiationem. VIII. Noluit itaque Deus peccata nostra per solam condonationem dimittere. IX. Decebat enim quammaxime, ut divinæ justitiæ satisfactio exhiberetur condigne. X. Nec fuit injustum, non pereuntibus nobis, Christum subire crucis supplicium, eique peccata nostra imputari. Postremæ tres theses, quoniam impetunt tertiam Socinianæ dissertationis partem, erunt proximi capitis argumentum: in prioribus septem præsens disquisitio versabitur.

PROPOSITIO I. Revera Christus Jesus humanum genus redemit.

Hanc propositionem probant invictissime sequentia divinorum librorum testimonia. I. Mat. XX. 28. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis.* In Græco: ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἦλθε δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Indubitatum est τὸ λύτρον esse pretium solutum ad redimendum captivum, derivatum a λύω, quod est *solvo*, ut animadvertit in hunc locum etiam Erasmus. II. Apostolus ad Galatas I. 4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam:* & III. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* Ubi in Græco extat verbum ἐξηγόρασεν, a propositione ἐξ, & ἀγοράζειν, quod est *redimere*, & *emere* magno soluto pretio: de hoc tamen loco infra prop. 4. III. Idem Apostolus ad Ephes. I. 7. scribit: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Græce: Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων; quo in loco notandum vocabulum ἀπολύτρωσιν, quod valet idem, ac *pretium*, quod ad redimendum captivum persolvitur, denotatque redemptionem gravi peractam impendio. Occurrit idem vocabulum ad Rom. III. 24. ubi loquitur Apostolus de justificatione, quæ ita beneficium est gratiæ, ut ipsam tamen gratiam Christus nobis promeruerit. IV. In priori ad Timotheum II. 6. ait ipsemet Paulus: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et istic habetur in Græco vocabulum ἀντίλυτρον, solutum *pretium* pro redemptione captivi. Ignatius in Epistola ad Trallianos legit λύτρον, *pretium.* Hesychius ἀντίψυχον. Ἀντίψυχος est ille, qui pro altero se morti devovet, ut apud Gallos Soldurii, de quibus Cæsar lib. III. cap. 22. & apud Romanos Decii, de quibus Cicero in I. Tuscul. & S. P. Aug. lib. IV. de Civit. Dei cap. 20. Dio Cassius ait: ἀντίψυχοι οἱ ἀποθανεῖν ἐθελήσαντες: *Antipsychi ii sunt, qui pro altero se tradere morti perempiunt.* Vide etiam ad Coloss. I. 14. ad Hebræos IX. 15. & Apocalyps. I. 5. Ex quibus hæc ratiocinatio fabricatur. Ille revera humanum genus redemit, qui soluto proprii sanguinis *pretio*, & ad nos liberandos se diræ morti devovens eripuit homines a peccatorum captivitate. Id præstitit Christus Jesus. Igitur Christus Jesus revera humanum genus redemit.

PROPOSITIO II. Cum hæc redemptio contigerit *pretio* oblato, non fuit peracta duntaxat Domini Jesu prædicatione & exemplo.

Sequitur ex dictis; ubi enim *lytrum* intervenit, ibi non est redemptio metaphorica, qualem adstruunt Sociniani. Confirmatur autem I. Apostolus in priori ad Corinth. VI. 20. inquit: *Empti enim estis pretio magno*: Græce, ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς. De verbo ἀγοράζειν, quod est *emere* pretio soluto, dictum paullo supra. *Magno* non extet in Græco, neque in Syriaco, nec apud Tertullianum de Pudic. cap. 16. & lib. 2. ad Uxorem cap. 3. sed τιμῆς legendum esse cum emphasi ostendit Estius, quoniam alioqui redundaret; non enim proprie fit emptio sine pretii solutione. Recte itaque Vulgata lectio. Quod hic notandum est; demonstrat Paulus nobis incontaminate corpore, animoque vivendum ducta eb emptitiis comparatione. Nam sicut qui pretio emuntur, non sunt juris sui, sed alieni; ita nos impensius Domino servire debemus, quoniam empti pretio sanguinis Jesu Christi effecti sumus Dominici juris. Atque hæc interpretatio liquet ex scopo Apostoli hortantis eo loci ad vitandam fornicationem, atque ex Commentariis Patrum, præsertim Chrysostomi Hom. XVIII. p. 476. scribentis: *In memoriam enim revocat magnitudinem beneficii modum salutis ostendens, quod cum essemus alienati, empti sumus, & non absolute, sed pretio.* Idem tradit Theophylactus pag. 211. & Œcum. pag. 474. qui etiam locum Apostoli reddunt, *Et non estis vestri ipsorum: siquidem empti estis pretio.* Similia habet auctor Comment. quæ tribuuntur Ambrosio Tom. 2. pag. 132. Quænam vero esset Apostoli ratiocinatio, quænam ratio comparationis,

tionis quænam exhortationis vis, si redemptio nostra fuisset absque pretio peracta? II. Eumdem sensum habent verba Apostoli proximo cap. VII. 23. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*, Græce: Τιμῆς ἠγοράσθητε, μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων, idest, Cum emptitii sitis, nec proinde vestri juris, non debetis aliquid ad hominum gratiam factitare, & illorum jussa, qui prava injunxerint, exequi. Videatur Œcumenius in hunc locum pag. 209. III. Petrus quoque in Epistola I. cap. I. 18. scribit nos redemptos a servitute legis, & a priscorum rituum observatione debere incolatus nostri tempore conversari cum summa Dei reverentia, eo quod magni æstimanda est collata nobis libertas, quam non pecuniarum impendio acquisivimus, sed supereminenti pretio, idest, effuso in ara Crucis sanguine immolati pro nobis Filii Dei. *Scientes*, inquit Apostolorum Princeps, *quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*. Græce: Εἰδότες ὅτι οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Χριστοῦ. Istic verbum ἐλυτρώθητε designat liberationem factam *soluto pretio* a th. λυτρόω, *pretio redimo*: idem pretium argento, auroque, quibus redimuntur captivi, præfertur, & quale sit assignatur, nempe pretiosus Christi sanguis: cui redemptio nostra tribuitur ad Ephes. I. 7. II. 13. ad Coloss. I. 14. ad Hebr. IX. 14. X. 19. prima Joannis I. 7. Apocalyps. I. 5. &c. IV. Quidnam significat canticum illud novum Agno pro nobis occiso decantatum Apocalyp. V. 9. nisi attributam Christo judicii potestatem, quoniam pro nobis immolatus iram placavit, & nova, ac mirabili expiatione peccati redemit nos proprio sanguine? *Dignus es Domine* (ajebant ante thronum decumbentes) *accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo*: Græce, Ἄξιος εἶ λαβεῖν τὸ βιβλίον, καὶ ἀνοῖξαι τὰς σφραγῖδας αὐτοῦ, ὅτι ἐσφάγης, καὶ ἠγόρασας τῷ Θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματί σου. Ubi *redemisti*, est aoristus verbi ἀγοράζειν, *pretio emere*, de quo supra, ac pariter pretium sanguinis designatur propositione ἐν, *in*, quæ juncta dativo idem est, ac *per*, denotatque causam instrumentalem. Hinc Æthiopica legit, *Mercatus es cum sanguine tuo*, Arabica autem, Syriaca, *Emisti nos Deo per sanguinem tuum*. Videsis N. Test. Wal. pag. 944. & interpretationem Arethæ ad calcem Œcumenii. Lege etiam Augustinum serm. 329. num. I. & 336. num. 4. egregie explicantem quomodo Christus lancea transfixus in cruce, quasi *conscisso sacco* egerit grande commercium, atque totius orbis pretium fuderit. Quare ita Socinianos revincimus: Nisi Christus nos soluto pretio redemisset, nequaquam diceremur *Empti*, & ad jus Dominicum translati per Christi mortem; neque sanguis Christi analogiam haberet cum auro, & argento, quo redimuntur captivi. Atqui id repugnat productis modo, expositisque Scripturis. Christus ergo nos vere, proprie, ac soluto pretio redemit.

PROPOSITIO III. Christus eo fine, ut nos a peccato, dæmonisque captivitate redimeret, mortem pertulit.

Enimvero Joan. XI. 50. Pontifex Caiphas, *non a semetipso*, sed divino numine afflante inquit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*: Græce, συμφέρει ἡμῖν, ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. Conantur Sociniani ea Scripturæ loca, in quibus Christus dicitur *pro nobis*, vel *propter peccata nostra* mortuus, ita interpretari, ut particula ὑπὲρ, nihil aliud significet, quam *caussa nostri*, non caussa antecedente, & impulsiva, sed finali duntaxat, sive mera puta occasione, scilicet, ideo Christum pro peccatis nostris passum fuisse, quia inde consecutus est effectus aliquis peccata respiciens nostra; non quatenus mortuus sit ad satisfaciendum pro eisdem peccatis, sed quia inde fides gignitur nobis peccatum divina benignitate remissum iri. Ita Socinus Præl. Th. cap. 20. & de Christ. Serv. p. 2. cap. 10. At facilius Herculi clavam, quam nobis producti testimonii firmissimum præsidium extorquebunt. Etenim prophetavit Caiphas perituram totam gentem nisi Christus moreretur pro populo: fuit ergo causa antecedens, & impulsiva mortis Christi imminens perditio populi. Præterea ubicunque particula illa ὑπὲρ morti, aut perpessionibus jungitur, semper antecedentem ac meritoriam caussam significat: nec exemplum contrarium inveniri, aut in Scripturis, aut in idoneo quoquam Scriptore affirmat Vossius adversus Ravensperg. cap. 17. Hoc autem loco particula illa ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, conjungitur morti Christi. Igitur vim habet caussæ antecedentis & impulsivæ. Insuper eo loci Socinus, & Crellius c. 11. adversus Grotium contendunt *a Caipha* nullum alium interitum consideratum, nisi qui tum demum fuisset populo metuendus, si Christus mansisset superstes, idest, futuram Romanorum militum incursionem, de qua ipse Caiphas versu 48. cum suis ratiocinabatur, *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem*. At ineptum supra quam dici possit, ac temerarium figmentum! Ineptum quidem, nam nec Sociniana interpretatione admissa, inde sequeretur Christum non fuisse occisum pro re-

parando imminenti Judæorum interitu, temporali saltem, & qualis ob carnalium mentem obversabatur; nec sequeretur Messiam præstolantes eidem non credituros, ut a servitute Romani Imperii eo duce liberarentur. Temerarium vero, quoniam citata verba vers. 48. sunt Concilii Pharisæorum, non Caiphæ, qui eis contradicens inquit: *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit, &c.* quæ verba *a semetipso non dixit*, commonstrans ab alia servitute, quam a Romanorum jugo, fore per Christi mortem liberandum populum, idest, a dæmonis captivitate. Ergo ut nos hinc erueret, piissimus Redemptor mortem oppetiit. II. Apostolus ad Romanos cap. V. 6. demonstrans nos justificatos in sanguine Christi, & reconciliatos Deo salvos futuros ab ira per ipsum, utitur argumento a majori ad minus, quoniam scilicet pro impiis mortuus est, ac multo magis salvabit justos, sibique acceptos: *Ut quid enim Christus*, inquit, *cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?* Græce: ἔτι γὰρ Χριστὸς, ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε. Et versu 8. *Christus pro nobis mortuus est*. Græce: Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε. His in locis particulam ὑπὲρ significare *substitutionem*, idest, Christum mortuum loco nostri, atque ut nos ab ira Dei redderemur immunes, liquet primo, quoniam ostendit Apostolus commendari caritatem Dei in nobis ex quo, cum peccatores essemus, pro nobis mortuus sit Christus. Si enim vix reperitur inter mortales, qui pro justo, aut amico se devoveat, ut fecerunt pro Reipublicæ incolumitate Curtius, Decius, Codrus, quam singularis erit amor sese devovere pro impiis? *Vix enim pro justo quis moritur*; inquit Paulus. Ubi, etsi Erasmus, imo & Hieronymus ad Algasiam q. 7. *justitiam*, non personam intelligit, quod nullo pacto vim argumentationis infringit; personam accipiendam commonstrat antithesis, ut observarunt docti viri Estius, & Jo. Gagnæus: comprobantque Versiones Æthiopica, & Arabica in novo Testam. Walt. pag. 648. At dum quis pro amico, aut justo se morti devovet, pro alterius incolumitate vitam surrogat suam. Id ergo, teste Apostolo, longe præstantiori caritate fecit Christus pro impiis, & inimicis. Accedit quod proximo versu 10. id expressius exponens ait Paulus: *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, &c.* quibus in verbis effectus mortis Christi, de quo infra, idest, peccatorum reconciliatio apertissime declaratur. III. Idem Apostolus in prima ad Corinth. I. 13. ne humanæ eloquentiæ, & eorum, qui sibi Evangelium annuntiaverant, merito se fidem crederent assecutos, *Nunquid*, ait, *Paulus crucifixus est pro vobis?* Μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ὑμῶν; Quo sane in loco particula ὑπὲρ, plus aliquid innuit, quam ubi ipse inquit percupere fieri anathema pro fratribus, aut nos jubemur pro fratribus animam ponere. Ibidem quippe significat Paulus neminem mortalium, nisi Christum, morte nobis impetrasse quæ ad salutem perducunt, licet multi, & prædicatione, & exemplo, & etiam martyrio salutem nostram studuerint promovere, ideoque nos Christi esse, non Pauli, non Apollo, non Cephæ, ut ajebant Corinthii. Hujus autem rei optimam profert causam S. P. Augustinus Tract. LXXXIV. in Joan. num. 2. scribens: *Etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullus sanguis Martyrum funditur: quod fecit Christus pro nobis*. IV. In altera ad Corinth. V. 14. ostendit Paulus impelli nos caritate Christi, ut illi vivamus, *quoniam unus pro omnibus mortuus est*. Græce: ὅτι εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν. Illic quoque ὑπὲρ πάντων subrogationem mortis Christi pro vera omnium redemptione commonstrat; quoniam Sociniano sensu, ad promovendam scilicet fidem, & caritatem commendandam, non unus, sed complures mortem oppetiere: & quoniam e vestigio Paulus denegatam a Socinianis antecedentem caussam mortis Christi, transfusam scilicet in omnes originariam prævaricationem commemorat dicens: *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Quare hinc Augustinus sexcentis in locis, ut dictum alibi, probat contra Pelagianos originale peccatum. V. Non solum particula ὑπὲρ, occurrit, ubi Christus dicitur mortuus pro nobis, sed etiam particula ἀντὶ, in textu Matt. citato Prop. I. quæ particula commutationem, & substitutionem significat, ut demonstrat Grotius cap. 9. ex Matth. II. 22., & XVII. 27. ex Lucæ XI. II. ex I. ad Corinth. XI. 15. ad Hebr. XII. 16. ex I. Petri III. 9. quæ loca exscripsit etiam Tournely de Incarn. pag. 175. Imo Socinus, & Crellius ea particula ἀντὶ commutationem significari haud negant, comminiscentes commutationem quamdam a subrogatione diversam, veluti dum captivi inter se permutantur, nec tamen alter vice alterius captivus evadit. Non enim Crellius locum invenire potuit, ubi ἀντὶ commutationem non denotet. Videatur Tom. IV. Operum Crellii pag. 190. At quis percipere potest duorum captivorum permutationem, nisi uterque captivus sit? Quis nostrum redemptione peracta asserit quempiam remanere captivum? Quis inficias eat ex duobus captivis unum tradi in pretium & redemptionem alterius, & ideo utrumque solvi a captivitate, quia soluto pretio uterque solvitur a jure, & potestate Tyranni? Perperam ergo Faustus

& Crellius tentant istinc evadere. Habet autem vim eamdem vocabulum *ἀντίλυτρον* 1. ad Timoth. II. 6. supra explicatum. Ex quibus omnibus ad thesim probandam hæc construitur argumentatio. Si in locis, ubi Christus dicitur pro nobis mortuus, non solum significet particula *pro* aliquam utilitatem nobis provenientem ex Christi passione, qualem percipimus ex Apostolica prædicatione & exemplo; verum etiam demonstret mortem illum oppetiisse, ut nos a sempiterna emeret perditione, ut se loco nostri substitueret ad placandam Dei indignationem, ut nobis impertiret gratiam, & peccatorum remissionem, ut nos denique a peccati captivitate redimeret; profecto Christus redemptionis nostræ causa mortem oppetiit. Atqui explicato nuper sensu dicitur *pro nobis mortuus*. Ergo Christus eo fine, ut nos redimeret a peccato, dæmonisque captivitate, mortem pertulit.

PROPOSITIO IV. Christus in morte perferenda peccatorum nostrorum pœnas luit.

Christum in cruce peccatorum nostrorum pœnas pertulisse ea sequentibus locis evincitur, I. Esaias cap. LIII. 4. de Christo, ut Socinus fatetur P. 2. cap. 4. pag. 149. vaticinatus, nec sermonem instituens de Jeremia, ut opinatur Grotius Tom. I. pag. 323. (falso enim Tournely scribit pag. 177. Grotium ad ipsum Isaiam literæ sensum inflectere) etsi magis *κατὰ λέξιν*, *secundum verba*, fateatur in Christum potius, subliminusque vaticinium congruere: Esaias inquam, ait: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Hebraice: אכן חלינו הוא נשא ומכאבינו סבלם quorum verborum sensus est, *Vere debitas peccatis nostris pœnas tulit*. Contendit Socinus verbum נשא, *Nasà*, idem esse, atque *auferre*, non *perferre*, ac *sustinere*, eo quod Matthæus cap. VIII. 17. hunc locum interpretetur de languoribus, morbisque corporis, quos Christus sanavit, nec tamen transtulit in semetipsum. Idem censet Forerius Tom. III. Crit. Sacr. pag. 601. At primum cum נשא significet *pœnam luere* Exodi XXVIII. 43. Ezech. XXIX. 19. aliisque in locis plurimis; quare sensum istic non præfert eumdem? Certe Versio Syriaca habet: *Vere passiones nostras ipse pertulit, & dolores nostros ipse passus est*. Arabica, *Ipse portat peccata nostra, & pro nobis dolore afficitur*. Græca, *οὗτος ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται*. *Ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet*. Deinde non solum verbum נשא occurrit hoc loco, sed etiam סבל *sabal*, quod nullibi aliud significat quam *sustinere*, ac *bajulare*. Vide hebraica Biblia Gen. XLIX. 15. If. 46. 4. Thren. V. 7. &c. Præterea Christum peccata delere quis negat? pœnas vero peccatorum ipsum non pertulisse Socinus undenam probat? Sane quæ sequuntur, evincunt oppositum. Neque ad rem est præcitatus locus Matthæi. Etenim *languores* Isaias dixit, & qui animum afficiunt, & qui in peccatorum pœnam torquent corpora: & Christus utrosque curavit, quoniam *factus in similitudinem carnis peccati* pertulit infirmitates nostras ut a nobis languores animi, corporisque morbos dispelleret. Quare recte Matthæus, etsi loquatur de ægrotantibus corpore, utitur testimonio Isaiæ, ut per corporalium morborum curationes mentem erigamus ad percipienda spiritualia beneficia, ut curatio corporis esset veluti præambula redemptionis animarum, ut subaperiret plurimas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere. Videatur Joannes Chrysostomus hom. 28. in Matth. pag. 275. Estius, Arias Montanus, ac præ ceteris Taddæus noster Perusinus in Isaiam, Maldonatus, Jansenius, Nat. Alex. in cap. VIII. Matthæi. Sanare itaque Christum animi, corporisque languores concedimus; de utrisque loquutum Esaiam quatenus mors, & infirmitates sunt pœna peccati, haud inficiamur: Christum vero utrisque languoribus attulisse medelam, quoniam ipse pertulit infirmitates nostras, & peccatorum nostrorum pœnas in se transtulit, firmissime profitemur. Atque id Esaias sequentibus verbis confirmat. Versu enim proximo inquit: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Hebraice: והוא מחלל מפשענו מדכא מעונתינו *Et ipse vulneratus a prævaricationibus nostris, attritus ab iniquitatibus nostris*. Quo in loco iniquitates & scelera nostra fuisse mortis, ac suppliciorum Christi causam effectricem ac meritoriam satis ipsa verba declarant. Sequitur autem Propheta: *Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus*. Hebr.: מוסר שלומנו עליו ובחברתו נרפא לנו *Castigatio pacificationum nostrarum super eam, & in livore ejus medicatum est nobis*. His apertissime significat Vates castigationem, quam divina justitia pro offensis nostris postulabat, ex qua conciliatio & pax consequeretur, Christo fuisse impositam; ut ea proprietate linguæ sanctæ demonstrat Arias Montanus Tom. 2. in Esaiam p. 1160. Temere negat Socinus pag. 151. *castigationem* hoc loco significare punitionem, quoniam ei conjungitur *pax*; nam punitio peccati dicitur *castigatio pacis*, quoniam per mortem Christi reconciliati sumus Deo, ut infra ostendam, innuitque ibidem Profeta dicens, *Et in livore ejus medicatum est nobis*. Habet Syriacus: *Castigatio pacis nostræ ipsi imponitur, & cicatricibus ejus curabimur*. Et Arabicus, *Castigatio pacis nostræ imposita est ei, per ejus vulnera nos sanati sumus*. Tom. 3. Polygl. pag. 145. Expende totum illud caput LIII. de quo hactenus. II. Apostolus in 2. ad Corinth. V. 21. scribit: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Perspicuum est male a quibusdam legi, *Is*, idest Christus, *peccatum fecit*, quam lectionem rejicit Augustinus cap. XLI. Ench. num. 13. sed legendum, *Eum, qui non noverat peccatum*, ut habet Vulgata, & Græcus codex, *τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν*, ideoque sensus est, *Deus fecit Christum pro nobis peccatum*, scilicet, *sacrificium pro peccato*; ut ostendimus hujus Volum. pag. 51. Nam Levit. IV. 29. ubi habet Vulgata, *Ponetque manum super caput hostiæ, quæ pro peccato est*, legunt Hebræi, על ראש החטאת *super caput peccati*, & LXX. pariter *τὴν κεφαλὴν τὰ ἁμαρτήματος αὐτοῦ*. Recte itaque Augustinus citato loco, necnon Q. 12. super Num. & lib. I. contra Maximinum cap. 2. ait *peccatum* dici ab Apostolo *sacrificium, quod pro peccato offertur*: quod & demonstrat scopus Apostoli ibidem loquentis de peccatorum reconciliatione. Possunt Apostolica verba & hunc habere sensum, *Fecit Deus Christum subjectum suppliciis, & punitioni peccati*: quem sensum comprobat citato loc. contra Max. S. Pater ex alio Pauli contextu, ad Rom. VIII. 3. *De peccato damnavit peccatum in carne*: ubi in Græco est verbum *κατέκρινε*, idest, *condemnavit, judicavit, morti tradidit*. Sive autem dicas Christum fuisse pro peccatis nostris mactatum, sive in ipsius carne affixa cruci apparere peccati judicium, ac punitionem; quid aliud, te amabo, dices, nisi Christum scelerum nostrorum luisse pœnas? III. Invictissime Socinianos revincit quod scribit Paulus ad Galatas III. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Hic maledictionem & execrationem dici pœnam inflictam in punitionem peccati pluribus ostendimus contra Phereponum Tom. II. pag. 185. & seq. Omnia, quæ ibidem diximus, demonstrant verborum Apostoli sensum esse, Christum nos redemisse a peccatorum pœna & execratione, a qua liberare non poterat lex scripta, ipsam execrationem ac pœnam in se suscipiendo. Confirmat hanc interpretationem primo lex ipsa Deuteronomii XXI. 22. quæ agit de suspensis in patibulo ob gravissimum scelus: idem commonstrant exempla suspensorum, quæ habentur Num. XXV. 4. ob idololatriam, & scortationem, Josue VIII. 29. & X. 26. ob intentatas clades Israelitis, cultumque Deorum, 2. Reg. XXI. 9. ob peccatum Saulis in Gabaonitas, & in divinæ vindictæ exemplar. Deinde etiam veteres Rabbini suspensum esse maledictum observant, quia peccavit coram Domino, & suspensus est in pœnam scelerum, & convitiorum, quibus Deum proscidit. Ita Onkelos, Talmud lib. Sanhed. cap. 6. Abenezra, Kimki, aliique collecti a Coccejo, Vitringa, & Seldeno. Catholicos Interpretes laudavi cit. Tom. pag. 186. Postremo maledictionis causa non a suspendio petenda est, sed a delicto, alioqui mortem Christi maledictam diceremus, quam phrasim in Catechesi Palatina etiam hæretici *indisciplinatam* appellaverunt. *Non enim*, inquit Hieronymus in hunc locum, *maledictus quia pendet, sed ideo pendet quia maledictus*. Igitur esse *maledictum* est esse suspensum in ligno in punitionem peccati. Cum itaque Christum ibidem appellet Apostolus *μὴ γνόντα ἁμαρτίαν*, *innocuum, & nescientem labem*, & ad Hebr. VII. 26. *ὅσιον, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν*, *sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus*, quomodo fecit illum Deus *maledictum*? Non alia ratione, nisi quia aliena peccata in se suscepit, ut pro iis pœnas lueret; quemadmodum debitor appellatur tam qui per se debitum contrahit, quam qui pro alio vadimonium promittit, præs, atque sponsor. IV. Petrus Epist. I. cap. II. 24. inquit: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*. Græce, *Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον*. Carolus Witasse pag. 374. de Incarn. inquit Socinianos respondere Petrum non usum verbo simplici *φέρειν*, quod est, *ferre*, sed composito, quod est *auferre & delere*. Non ita inepiiunt Sociniani, ut fateantur *φέρειν* esse *perferre*, aut diversam habere significationem ab *ἀναφέρειν*: sed Joan. Crel. pag. 20. ait, quamquam dixisset Petrus, *τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἀνήνεγκεν*, quod est a verbo simplici *φέρειν*, *non tamen verba illa protinus significarent pœnæ proprie dictæ perpessionem*; nec forte ignorant Isaiæ LIII. v. 4., habere LXX. *οὗτος ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει*, ubi tamen *φέρει* interpretantur, *aufert, delet*. Reponunt itaque, uti eodem verbo *ἀναφέρειν* Paulum in Epistola ad Hebr. IX. versu ult. ubi tamen, veritate cogente, etiam nos legimus *ad multorum exhaurienda peccata*: unde constat *ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας* non esse *perferre* peccata, sed *tollere & auferre*. Ita Faustus pag. 152. Addit Crellius pag. 21. verbum *ἀναφέρειν* poni a LXX. pro hebraico *Hezlah*, ascendere fecit, ut adnotavit Tremellius in editione Syriaca. Addat, si lubeat, Theodorum Bezam, & Erasmum Schmidium. Est autem *adscendere facere*, idem ac *transportare*, & *auferre*, ut de ossibus Josephi ex Ægypto asportatis legi-

legitur Josue xxiv. 32. Hæc Sociniani. At primum, si grammaticis significationibus pugnandum est, *ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν*, ait *scelus in aliud transferre*, ut exquisitis exemplis demonstrat Budæus Comment. ling. Græc. p. 401. Deinde non ait tantum Petrus, *ἀνήνεγκεν*, *tulit*, *portavit*, sed *ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον*, *portavit in corpore suo super lignum*. At corpus suum cruci affixit. Ergo etiam affixit cruci peccatum, ut ad Coloss. ii. 14. inquit Paulus, de quo loco infra. Præterea quis nostrum negat Christum abstulisse peccata? Abstulit, delevit; sed pro nobis luendo pœnas: quod innuit eo loci Petrus, nos exhortans ut Christi exemplo feramus æquo animo maledicta, & convicia. De testimonio autem Pauli idem omnino dicimus. Optime Vulgata habet: *Ad multorum exhaurienda peccata*; at quo pacto peccata exhaurivit? Eorum supplicium in cruce perferens, & corpus suum vulneratum, clavisque transfixum exhibens Deo *hostiam* propitiationis. Inquit enim ibidem Paulus, *Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit*. At quid est *per hostiam suam*, nisi forte *per corpus suum*, *quod fecit hostiam pro peccato*, ut observat in hunc locum Primasius? Ad hæc Paulus eo loci instituit antithesim inter adventum Christi primum, & secundum: & in hoc ait apparitarum *χωρὶς ἁμαρτίας*, *sine peccato*, idest, impassibilem atque immortalem. Igitur in primo adventu dicitur *tulisse peccata*, quatenus pro his passus ac mortuus est: alioqui inter adventum primum & secundum nulla ibidem exprimeretur *ἀντίθεσις*. Quod proinde ait Crellius *ἀνήνεγκε* idem esse, *ac adscendere fecit*, producta Syriaca Versione, notisque Tremellii, excipimus gratanter. *Ascendere fecit*, sed super lignum, quemadmodum attollebatur in ara holocaustum pro peccato. *Nam lxx. Interpretes verbum istud* העל, *Adscendere fecit*, *vertunt ἀναφέρειν*, *ac inter alia cum de sacrificiorum oblatione agitur*, *ubi utriusque verbi frequens est usus*. Ita Crellius. Ex cujus confessione infertur, quod Christus in corpore suo affixo cruci ideo peccata sustulit, quoniam corpus illud ligno suffixum erat pro peccatis sacrificium & hostia. Ita ea invitis pectoribus erumpit veritas. Atque hæc omnia syllogismum istum efficiunt: Luit peccati pœnas quisquis pro iniquitatibus confodisur, & vulneratur, quisquis in execrationem culpæ suspenditur; quisquis pro peccatis tamquam hostia conteritur, & mactatur. Atqui hæc omnia Christus perpessus est. Igitur Christus peccatorum nostrorom pœnas luit.

PROPOSITIO V. Christus affixus cruci fuit pro peccatis nostris hostia, & sacrificium Deo sponte immolatum.

Hanc thesim confirmant verba Pauli in 2. ad Corinth. v. 21. & quæ nuper diximus de loco Petri Epist. prima ii. 24. ax confessiona Joannis Crellii. Sed ulterius comprobatur. I. Indubicatum est, neque id Sociniani audent negare, Christum præfiguratum fuisse in sacrificiis veteris Testamenti. Hoc nos demonstravimus libri xx. nono capite; hoc scribunt Patres, ut Hieronymus in caput 2. ad Ephes. & Augustinus lib. xx. contra Faustum cap. 18. & x. de Civ. D. cap. 20. Hoc testatur Apostolus ad Hebr. x. 1. hoc denique Christus in Cruce exclamans, *Consummatum est*. At sacrificia veteris legis, si non omnia, plura saltem pro peccatorum expiatione immolabantur: quod testatur Apostolus ad Hebræos v. 1. & viii. 3. Nolunt vim hujus argumentationis hostes veritatis percipere. Negant antiquas victimas aliquod præseferre veræ expiationis vestigium: negant agnum, qui potissimum Christum præfigurabat, fuisse aliquando pro peccato immolatum: negant victimas illas aliquam per se habuisse vim divinæ justitiæ satisfaciendi, atque ad id comprobandum appellant ad consensum doctorum virorum: addunt & rationem, quia nec inter homines & bestias est speciei communio, nec earum oblatione indiget Deus omnium universorum. Hæc Socinus P. 2. pag. 156. & seq. Ad quæ cum multa respondeat Grotius cap. 10. omnia nos facillime elidi arbitramur, si duo per se obvia prænotentur; unum, quod *si totum præcedat in typo, jam non typus, sed historia veritas est appellanda*: alterum, quod *de umbra transeuntibus ad veritatem, & de lege ad Evangelium, pro brevibus & præsentibus futura, & æterna succedunt*: quorum primum tradit Hieronymus in cap. xi. Oseæ, alterum in cap. xiii. Zachariæ. Etsi ergo vetera sacrificia per se non delebant peccati maculam, typus tamen erant sacrificii Christi, per quod peccatum expiatur; atque ipsa peccati expiatio præsignabatur in oblatione immunditiæ legalis, & in relaxatione temporalis pœnæ, quam lex transgressoribus minabatur. Etenim effusionem sanguinis pecudum fuisse homini *pro animæ piaculo*, legitur xvii. Levit. versu 11. Et quamvis Deus pecudum & arietum sit Dominus; ea libera mactatione, qua pro hominibus caroe immundis mundæ pecudes necabantur, parcebat transgressoribus, ne iis mortem immitteret violentam. Sicut ergo per hostiarum sanguinem abstergebatur carnis inquinamentum, ita per sanguinem Christi detergitur labes peccati. Vide Augustinum lib. xviii. contra Faustum cap. 6. & Apostolum ad Hebræos c. ix. 13. Itaque sive hostia pro peccato, quæ erat piaculum animæ, sensu explicato, sive mactatio agni, sive hirci emissarii, sive oblationes pro legali immunditia, præsignarunt effectum passionis Christi, qui uno sacrificio omnia consummavit: nec opus est, ut præmonui, in typis totum præcedere, & carnalibus tribuere spiritualia. De mactatione agni, liquet ex cap. xii. 13. Exodi ejus sanguinem liberasse *a plaga disperdente*: immolatos agnos pro delicto patet ex Levit. xiv. 13. & Num. vi. 14. quod & fatetur Crellius pag. 205. ægre ferens a Grotio in hoc reprehendi Socinum: qua in re arbitror potius Crellium peccare; nam Socinus P. 2. cap. 1. pag. 156. negat Baptistam appellasse Christum *Agnum*, respiciendo, tamquam *ad typum*, ad agnos immolatitios, & hanc rationem profert, *Cum in vetere fœdere, ut jam dictum est, pro peccato nullus agnus immolaretur*. Quæ ratio cum Crellii confessione falsa sit; Christus dicitur *Agnus Dei*, quia in peccatorum expiationem tamquam agnus occisus est, ut prænuntiavet Esaias liii. 7. & in illius passione completum testatur Philippus Act. viii. 32. Vide supra Prop. 2. num. 3. & 4. II. Apostolus ad Ephesios v. 2. nos hortatur, ut ambulemus in dilectione, *Sicut & Christus dilexit nos*, & *tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Græce, *προσφορὰν, καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας*. Hostiam, *θυσίαν*, esse victimæ mactationem a *θύω*, *macto*, *sacrifico*, negare non audent Sociniani, præsertim si adjungatur *προσφορά*, *oblatio*, quæ vox *nunc ipsum offerendi actum*, *nunc rem oblatam significat*, inquit Crellius p. 223. oppugnaturos Grotium, qui inter *θυσίαν*, & *προσφορὰν* haud mala distinguit, cum non omnis oblatio sit mactatio hostiæ, ut res per se loquitur. At si discrimen illud approbes, aperte sequetur Christum non solum pro peccatis nostris oblatum caritate, & amore, verum etiam effuso sanguine mactatum atque immolatum: si oblationem accipias pro ipso actu mactationis; consequetur sacrificium quod pro nobis Christus obtulit, cruenta sanguinis effusione fuisse peractum. Quicquid ergo affirmes, negari nequit Christum esse pro peccatis nostris oblationem & hostiam, acceptis *προσφορᾶς*, & *θυσίας* vocabulis pro *concreto*, nam Christus tradidisse *semetipsum*, innuit ibidem Paulus. Quamobrem bene sapienterque Interpretes nostri observatunt Christum Dominum esse simul hostiam & Sacerdotem. At enim respondet Crellius, in mactatione nullam haberi rationem sacrificii, cum & Levitæ sacerdotio privati holocausta victimasque mactarent, Ezech. xliv. 10. 11. Verum ibidem versu 15. sacerdotes appellantur, qui offerunt Domino *adipem & sanguinem*: quibus verbis verum sacrificium designari p. 224. fatetur Crellius. Cum itaque Christus obtulerit se Deo hostiam, & cruentatam victimam, ut inquit Apostolus; sacrificium pro nobis obtulisse negat frustra idem Ebionita. Subtilius aliquid videtur reponere, dum ait illorom verborum *in odorem bonæ fragrantiæ* vix ullum esse usum, cum de expiatoriis sacrificiis est sermo. Sed primo de holocaustis ea verba usurpantur Gen. viii. 21. de mactatione arietis Exodi xxix. 16. de immolatione avium Levit. 1. 17. de hostia boum, & ovium Num. xv. 3. Deinde etiam de hostia, *quæ pro peccato est*, ea phrasi fit sermo Levit. iv. 31. Verum tamen est ubique appellari sacrificium *in odorem suavitatis* non mactationem pecudis, aut effusionem sanguinis, sed adustionem holocausti, & cremationem adipis: ignis enim, intestina, incensum, & suffimenta caritatem, animique rectitudinem, ad quam Deus attendit, significant. Itaque Apostolus sacrificium Christi, tanta caritate ac dilectione peractum, rectissime appellat *hostiam in odorem bonæ fragrantiæ*; gerebatque typum mortis Christi victimarum mactatio; dilectionis autem, & flagrantissimæ caritatis crematio adipis. III. In epistola ad Hebr. oblati pro nobis sacrificii pluribus mentio fit, inter Sacerdotium Leviticum, & Christi allato discrimine. Ac primum cap. vii. 27. Christi commendatur sanctitas ac perfectio, quod non habuerit necessitatem, quemadmodum Sacerdotes, quotidie offerre hostias pro suis delictis, deinde pro populi: *Hoc enim fecit semel seipsum offerendo*, in ara Crucis, ut recte Tridentini Patres sess. 22. cap. 1. subaudi *pro delictis populi*, nam versu præcedenti dicitur Christus *sanctus*, *innocens*, *impollutus*, *segregatus a peccatoribus*. Hanc oblationem in cælis fieri perperam autumant Poloni fratres, nam Apostolus loquitur de oblatione hostiæ, hanc semel peractam ait, statuitque discrimen inter cruentam mactationem victimarum sæpenumero repetitam, & immaculati Agni occisionem semel peractam. At in cælo *semper vivit ad interpellandum pro nobis*, ait eodem capite Paulus, nec mactatur denuo, sed incessanter effusi sanguinis pretium exhibet Patri. Deinde Apostolus c. ix. 11. inquit: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, *&c.* quibus verbis sempiternum ejus Sacerdotium commendat, per quod cælestem nobis aditum reseravit, *& per proprium sanguinem introivit semel in sancta*, *æterna redemptione inventa*. Et hic ludunt operam Socinus, Crellius, Smalcius, Wolchelius, aliæque pestes, asserendo Christum nonnisi in cælo Sacerdotis munere fungi, ut summus Pontifex Aaronicus quotannis ingrediebatur sanctuarium cum sanguine hircino, & vitulino, ut legitur ibid. versu 25., & Levit. xvi. 2. At revera mentita est iniquitas sibi: enimvero illa verba, *Christus assistens Pontifex*, Græce habentur, Χριστὸς δὲ παραγενόμενος ἀρχιερεὺς *Postquam advenisset* Pon-

Pontifex, idest, postquam in sua Incarnatione factus esset Pontifex: & si in cælum ingressus dicitur διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *per proprium sanguinem*, sive ut legit Arabs, *cum sanguine*; profecto jam sanguinem effuderat, & obtulerat hostiam. Atque ita Aaron ingredi non poterat sanctuarium, nisi antea obtulisset *vitulum pro peccato; & arietem in holocaustum*, citato cap. Levitici versu 3. Nec inferre poterat sanguinem intra cælum, nisi prius mactasset *hircum pro peccato populi*, ibid. vers. 15. Omnia ergo quadrant adamussim, si dicamus Christum effuso sanguine obtulisse sacrificium in cruce, cujus pretium indesinenter exhibet Patri. Eodem cap. IX. ad Hebr. versu 14. producto typo junicis rufæ, de qua Num. XIX. 2. ait Apostolus: *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram*, designans longe perfectius esse sacrificium sanguinis Christi immaculati, & absque omni prorsus labe, quo emundantur conscientiæ sordes, quam fuerit sanguis & cinis vaccæ rufæ sanctificans inquinatos *ad emundationem carnis*. Dicent ne Sociniani gregarii factam hanc oblationem in cælo? At de vacca rufa legitur Num. XIX. 3. immolatam *extra castra*: & de Christo ad Hebr. XIII. 12. *Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Videsis II. volum. hujus op. pag. 194. In eadem ad Hebræos Epist. citato cap. v. 22. habetur: *Semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit*. Dictum *apparuit* in primo adventu, nam sequitur, *secundo sine peccato apparebit*. Dum ergo inquiunt hanc hostiam immolari in cælis, delirant FF. Poloni. Non debent permoveri illis verbis *in consummatione sæculorum*; nam & his designatur tempus Dominicæ Incarnationis, ad Galatas IV. 4. & ad Ephes. I. 10. Denique Apostolus laudata Epistola ad Hebr. cap. X. 12. ait: *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextra Dei*. Audin cavillatores: *sedet offerens*, inquiunt, non obtulit in cruce pendulus. At quis non videt antithesim præcedentium verborum, *Omnis Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem semper offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata?* Itaque sensus est: Christus una oblatione peracta in cruce *consummavit in sempiternum sanctificatos*; cum sacrificia Aaronica essent quotidie innovanda. Ita Apostolus proximo versu 14. cujus sensum optime assecutus est suis in Paulum Adnotationibus sodalis noster, Joannes Thomas de Bonis. Addo pro *offerens* extare in Græco προσενέγκας, participium præteriti temporis, idem valens, ac *cum obtulisset*. Adeas Estium in Paulum. Offert itaque Christus in cælo illam eamdem hostiam quam obtulit in cruce; eamdemque nos in altari immolamus in commemorationem, & applicationem illius sacrificii, quod *consummavit in sempiternum sanctificatos*. Atque his abunde refutavimus hæreticos, qui negant Christum in terris degentem functum munere sacerdotis, & seipsum in satisfactionem pro peccatis nostris sacrificasse. Possunt autem dicta hac ratiocinatione concludi: Esse antitypum victimarum legalium, tradere semetipsum oblationem & hostiam Deo, ac semetipsum immolare pro delictis populi, idem est, ac pro peccatis offerre sacrificium. Atqui Christus in ara Crucis fuit antitypus victimarum legalium, tradidit semetipsum oblationem, & hostiam Deo, atque pro delictis populi immolatus est. Ergo Christus in ara crucis semetipsum pro peccatis nostris obtulit sacrificium.

PROPOSITIO VI. Per hanc hostiam, & sacrificium reconciliati sumus Deo.

Reconciliationem hominum per Christum factam, quatenus nostram procuravit conversionem, & effecit ne pœnam, quam promeriti fuimus, sentiamus, fatetur Socinus P. 2. cap. 8. & Crellius in respons. ad cap. 7. dissert. Grotianæ. Negant tantum morte Christi iram Dei fuisse placatam, & Deum nobis reconciliatum intuitu passionis ejus; quam impiam tergiversationem superioribus, & sequentibus argumentis refutamus. I. Apostolus ad Rom. III. 24. & seq. de nostra justificatione sermonem instituens, inquit: *Justificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius*. Clarissimus Pauli interpres doctissimus Seripandus pag. 57. Apostoli verba hac perspicuitate declarat. Justificati gratis: *absque ullo eorum promerito*. Per gratiam ipsius: *non per opera legis, sed per bonam, liberalem & benignam Dei erga nos voluntatem*. Per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. *In hoc Dei erga homines præclara voluntas excelluit, quod pretium, quo redimerentur a servitute peccati, non in auro, non in argento, non in humanis quibuscumque, aut operibus, aut divitiis posuit, sed in carne unigeniti filii sui Jesu Christi*. Abeant nunc in malam crucem inimici Redemptoris. Inquiunt, Si reconciliati sumus gratis, quomodo per sanguinis Christi placamentum? At *gratis* ait Apostolus, excludens nostra promerita, & legis opera, de quibus paullo supra, *Ex operibus non justificabitur omnis caro*, non excludens *redemptionem, quæ est in Christo Jesu*; sive ἀπολύτρωσιν, ut legunt Græci, *pretium*, quo rediumuntur captivi: quod sane pretium gratiam non tollit, quoniam libera Dei voluntas proposuit nobis Christum *propitiationem*, ἱλαστήριον, *iræ placamen*. Reponunt nusquam extare scriptum quod Deus reconciliatus sit nobis, sed quod nos reconciliati simus Deo. Quid vero inde? Reconciliatio percipi nequit, nisi intelligatur placari, qui averso erat animo. At non Deo nos, sed nobis Deus iratus erat, ipse pœnalem legem statuerat, ipse erat offensus. Ita ergo Deo reconciliati sumus, ut ipse placatus sit, pœnamque debitam relaxaverit. Dicitur autem in sacris literis *propitiari Deo peccatorem*, ut dicitur summus Sacerdos, ad Heb. II. 17. *repropitiare delicta populi*, idest, placare Deum ob delicta populi iratum, consueta Scripturarum locutione, quam dicunt Grammatici *enallagen*, scilicet, permutationem. Ajunt non esse tribuendam hanc placationem sanguini Redemptoris, quoniam si Deus proposuit Christum *propitiationem*, jam salutem nostram concupierat, & media, quæ ad eam pertinebant, statuerat; ideoque nullam adversus nos fovebat indignationem. Sed ait Apostolus hanc propitiationem positam *in sanguine ipsius*, & proximo capite v. 10. affirmat nos, *cum inimici essemus*, reconciliatos Deo *per mortem filii ejus*: de quo loco etiam supra Prop. 3. Itaque sanguis & mors Christi hanc propitiationem effecerunt: neque id gratiæ & misericordiæ repugnat, quia, ut diximus cum Seripando, reconciliationis pretium libera Dei voluntas *proposuit*. II. In 2. ad Corinth. v. 19. ait Paulus: *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Ubi nota Christo tribui *reconciliationem*, Apostolis autem, qui pro Christo legatione funguntur, *ministerium reconciliationis*, quod exercent dispensatione verbi, & administratione sacramentorum. Christus ergo proprio sanguine non solum Dei reconciliationem annuntiavit, sed etiam promeruit. III. Et reconciliationem, & placamentum, & sanguinem, & crucem Christi complectitur Doctor gentium ad Colossens. I. 20. scribens; *Per eum* (complacuit Deus) *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus*. Legit Œcum. pag. 121. *Pace facta per sanguinem crucis suæ*. Perperam itaque a reconciliatione placamen, a placamine sanguinis, & Crucis Christi efficientiam sejungunt Sociniani. IV. Joannes Epist. prima II. 1. 2. scribit: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Quid ad hæc Socinus, quid Crellius? Ille lib. I. cap. 7. contendit Christum dici advocatum nostrum, ac mediatorem, quia, ut Moses, internuncii munus gessit, non quod *pacificatoris* locum teneat; sed aliter suadet Paulus I. ad Timot. II. 5. scribens: *Unus est mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; de quo loco propos. I. & ad Hebr. IX. 15. *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, &c.* Christus ergo est Mediator, & advocatus speciali titulo, quia tradens semetipsum [illegible], *pretium* liberationis, factus est propitiatio pro peccatis nostris: quod nec Mosi convenit, nec ulli mortalium. Crellius autem reponit pag. 147. a Joanne nullam mortis Christi mentionem fieri, & dici ipsum Christum advocatum apud Patrem, quia semper vivit *ad interpellandum pro nobis*, ut ad Hebr. VII. 24. Verum meminisse oportebat, paullo supra scripsisse Joannem, *Et sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato*. Illud quoque observandum erat, Paulum ad Hebræos commonstrare eo loci sempiternum Christi Sacerdotium, redemptionem æternam, & assiduam pro nobis intercessionem, quia semel obtulit seipsum hostiam perfectam pro delictis populi. Quamobrem ubicumque Christi mediatio, officiumque advocationis commendatur, sanguinis ejus placamentum non excluditur, sed supponitur. Immobilis stat ergo thesis nostra, quandoquidem reconciliati sumus Deo per Christum, tanquam per hostiam pro nobis mactatam; si in ejus sanguine habeamus propitiationem, & ob mortem crucis ipse fuerit pacis nostræ sequester ac mediator. Atqui in sanguine Christi propitiationem habemus, & ipse per supplicium crucis sequester pacis, & Mediator noster effectus est. Ergo per ipsum, tanquam per hostiam, & sacrificium placaminis, reconciliati sumus Deo.

PROPOSITIO VII. In hac reconciliatione a peccatis expiati fuimus, deleto per passionem Christi delictorum nostrorum chirographo.

Adversus Socinum, qui lib. 2. pag. 173. cap. 20. ait expiasse quidem Christum peccata nostra, quatenus ea peregerit, quibus peractis veniam delictorum nostrorum jam nobis sponte decretam, & promissam, consecuti simus, vel etiam eam veniam nos consecutos esse declaratum sit, non autem quatenus obtulerit pro nobis sacrificium expiatorium, pugnant quæ diximus quinta propositione. Ut appareat modo, Christum in cruce non declarasse peccata nostra expiata, nec tantum ingenerasse nobis fidem, qua a peccatis in posterum retrahamur, ut inquit Crellius cap. 10. contra Grotium pag. 215. dicimus nos per Christum a peccatis expiatos, quatenus ipse per crucem & mortem suam vere divinæ justitiæ a nobis pœnam exigenti cruciatibus suis satisfecerit: quod non solum præcedentium consectarium est, verum etiam apertissime traditur ab

tur ab Apostolo, I. Is enim ait ad Galat. 3. aliisque in locis, Christum, ut nos solveret a maledicto legis, idest, a pœna nobis infligenda, factum pro nobis *maledictum*, hoc est, subjectum punitioni, ac supplicio. Vide supra IV. Prop. Quid est autem aliena expiare peccata, nisi delere reatum, & sacrificiis purgare noxium a scelere? Quod cum factum sit etiam substitutione Unigeniti, pro inimicis alias damnandis, nil restat ad veram satisfactionem constituendam. II. Idem Apostolus ad Coloss. II. 14. ait: *Delens quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* In quem locum Chrysostomus hom. 6. p. 1357. *Vides quantum posuerit studium, ut deleretur chirographum. Utpote eramus omnes obnoxii peccato, & pœnæ. Ipse punitus solvit & peccatum & pœnam: punitus autem fuit in cruce. Illic ergo ipsum affixit, tanquam qui haberet potestatem, ipsum disrupit. Quodnam chirographum? Aut id, quod dicebant Mosi, Quæcunque dixit Deus faciemus, & audiemus. Aut si non hoc, quod Deo debemus obedientiam. Aut si non hoc, quod id tenebat Diabolus chirographum, quod Deus fecit Adamo dicens, Qua die e ligno comederis, morieris. Hoc ergo chirographum tenebat diabolus: nec id nobis dedit Christus, sed ipse id scidit.* Idem scribunt Œcumenius pag. 132. & Theophylactus pag. 651. Auctor etiam Comment. quæ tribuuntur Ambrosio, pag. 269. tom. 2. chirographum interpretatur *peccatum, quod ex Adæ erat prævaricatione, quod nos a mortuis resurgere non sinebat.* Socinus P. 2. cap. 24. pag. 181. respondet ex verbis Pauli non Christum sed Deum delevisse chirographum, nec in cruce deletum, sed postquam deletum erat, affixum cruci. Ingeniosa cavillatio, nisi in Græcis extaret, *προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ*, ubi *affigens* exprimitur participio præteriti temporis, quo significatur deletum chirographum, postquam fuerat affixum. Deinde ait Socinus, hujusmodi chirographum esse veterem legem, & cæremonialia præcepta, quoniam de iis loquitur Apostolus: unde concludit postmodum, *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu.* Illud peterem a Socino; si cæremonialia præcepta non fuerunt abrogata, nisi in morte Christi; quomodo *chirographum*, quo hæc præcepta significantur, erat deletum antequam Christus esset affixus cruci? Sed me aliquantulum commovet, quod *chirographum* hoc loco legem Mosaicam interpretatur etiam Grotius Socini adversarius. Quid mihi cum Grotio? Sodalis quoque noster Joannes-Thomas: imo & Estius, qui eamdem ac Socinus rationem profert, quod Paulus loquatur adversus judaizantes, qui Colossenses abrogatæ legi subjicere conabantur: additque Estius hunc sensum præcipue a Græcis interpretibus probari, & eos, qui *chirographum* interpretantur aut legem datam in Paradiso, aut mortis æternæ obligationem, quam omnes incurrunt peccando, sensum hujus loci ultra Pauli mentem extendere. Qua in re Estium recedere ab interpretatione Græcorum, quos tamen pro se laudat, ex dictis est manifestum. Quamobrem Grotii, Estii, Sodalis nostri, aliorumque interpretatio, nisi accipiatur, ut inquiunt, cum grano salis, nihil est aliud, quam evasio Sociniana. Itaque verum est, agere Apostolum de abrogatione legis Mosaicæ, quod optime probat Estius, imo & Socinus: sed lex non dicitur *chirographum* eo sensu, quod ea premebantur; sed quia legem, quæ peccata arguit, profitentes fatebantur se reos legis, prævaricatores, & obnoxios pœnæ, a qua sola Christi mors potest nos liberare. Est enim chirographum propriæ manus syngrapha, qua aliquis se debitorem fatetur; unde Apostolus addit: *Et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, idest, vicit diabolum ac dæmones nobis peccatorum reatum objicientes, ut exponit lib. IX. Confess. cap. 13. num. 36. Augustinus: qui etiam disputans contra Pelagianos *chirographum* appellare solet culpæ debitum. Verum est ergo Apostolum loqui de abrogatione legis; sed nihilosecius in abolitione legis deletum ait, quod adversum nos erat, *chirographum*, idest, peccatum, & pœnam, quam promerebamur *mortui in delictis*, quæ lex Mosis arguebat & increpabat. Et quoniam peccato, quod lex accusabat, non sanabat, obnoxii fuimus non solum transgressione legis scriptæ, sed etiam prævaricatione Adæ, præferendam puto interpretationem Chrysostomi, maxime quod *chirographum decreti* Græce dicitur *χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν*, *decretis*, plurali numero; atque ita etiam legit S. Pater Epistola 59. ad Paulinum, nunc 149. num. 26. Quam facile hac præmissa explicatione dirumpatur rete, quod in araneolis texit Faustus Socinus, eliquatissimum censeo. III. Peccatorum expiatio speciali titulo morti, & sanguini Christi tribuitur. Adeas Matth. XXVI. 28. ad Rom. III. 24. & V. 9. ad Ephes. I. 7. ad Colossens. I. 14. ad Hebr. IX. 20. 22. aliaque loca superius explicata. At mors, & effusio sanguinis justitiam potius, quam misericordiam commonstrant, licet caritas fuerit maxima Unigenitum Filium Dei pro inimicis supplicio affici: quare ad Rom. III. 25. 26. Christus dicitur mortuus *ad ostensionem justitiæ*. Fidem quoque excitare potiori jure videtur prædicatio, patratio miraculorum, & præsertim resurrectio, quam mors in se duntaxat spectata: nam si dixeris resurrectionem ipsam, & fidem effectus esse mortis Christi, id etiam nos profitemur. Cur ergo morti ac sanguini tribuitur expiatio culparum, non vero miraculis, quibus permulti crediderunt in Christum, non terræ concussioni, aliisque signis, quibus visis Centurio, aliique e Golgotha *revertebantur percutientes pectora sua*, non resurrectioni, qua comprobata Christo Judæorum quamplurimi nomen dederunt? Ipse Socinus veritate cogente lib. 2. cap. 3. p. 147. hanc assignat rationem: *Neque enim ea analogia, sive proportio est resurrectionis Christi ad pretium, quæ mortis. Christus siquidem resurgendo nihil de suo dat aut impendit; sed moriendo vitam suam & sanguinem perfundit.* Ergo non fidem ingenerando, sed sanguinem profundendo nos Christus a peccato expiavit: qua expiatione facta, & *reconciliati Deo per mortem filii ejus*, ut inquit Apostolus ad Rom. V. 10. ad justificationem disponimur, credentes vera esse quæ divinitus sunt revelata, atque illud in primis justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Vide lib. XIX. cap. 4. Atque his prior absolvitur dissertatio. Enimvero reconciliati sumus per Christum Deo vera exhibita satisfactione; si hæc reconciliatio facta sit substitutione mortis, delatione chirographi, & sanguinis effusione. Liquet autem ex Apostolo factam hanc reconciliationem substitutione mortis Christi, abolitione chirographi, & sanguinis profusione. Ergo liquet nos Deo reconciliatos esse per Christum vera exhibita satisfactione.

CAPUT III.

Sequitur perversi dogmatis FF. Polonorum confutatio.

VIDENDUM modo qualem in satisfactione Christi locum habeat divina justitia: qua in re, ut præmonui priori capite, solent quidam Theologi ad refellendos Socinianos demonstrare, quod sit in Deo justitia vindex peccatorum reposcens pœnas, & constans voluntas puniendi sceleitos. Id vero accuratius præstant, qui studiosorum teruntur manibus, A. Boucat dissert. VII. sect. I. art. I. Honoratus Tournely Q. V. art. I. Carolus Witasse Q. II. sect. 5. cap. I. & Nicol. L'Herm. pag. 399. volum. 3. Atque sunt argumenta illa deprompta ex pœnis, quibus Deus in impios animadvertit: sit in exemplo mors primo homini inflicta, universale diluvium, Sodomorum eversio, immissio ignitorum serpentium, Assyriorum captivitas, ac Jerosolymorum vastatio. Accedunt prophetica, & Evangelica oracula, quibus in impios ira, maledictio, ultio, gehenna prænuntiantur: ut Deut. VII. 10. Ezech. V. 13. ad Rom. I. 18. ad Galat. III. 10. aliisque in locis sexcentis; quæ sat erit in præsentia commemorasse. Enimvero Socinus de Christo Servat. pag. 122. illam in Deo agnoscit justitiam, qua Deus perdit contumaces, & qua etiam impios non perditæ spei punit ac deserit, iisdem testimoniis, quæ nunc in eum contorquentur, ad hanc justitiam comprobandam accitis, ac præsertim Exodi XXXIV. 7. Num. XIV. 18. Luc. XIII. 2. ad Rom. II. 4. 5. Crellius vero non solum vindicem justitiam fatetur, sed etiam in lib. de Attributis divinis pag. 69. ait hujus justitiæ effectus esse iis, qui non resipiscunt, semper negare veniam, nonnunquam illos, eorum resipiscentia non expectata, e medio tollere, & aliquando oculos sponte claudentibus lucem veritatis subtrahere. Etsi ergo laudatorum Theologorum probo conatus, miror eruditionem, & ipsorum quoque lectione me profecisse, si profeci tamen, confiteor; opportunius arbitror non permiscere in gravi hac controversia quæ de Justitia vindice peccatorum nobiscum hostes propugnant, sed illud inquirere, quod controversiæ caput est, an hæc justitia pœnam ab iniquis reposcens interfuerit in hominum redemptione. Atque hoc pacto non poterunt reponere adversarii, quod novimus Coveto respondisse Socinum citato Op. pag. 123. *Quod igitur ais Deum iniquitatem impunitam non relinquere, hoc quidem verum est, idque perpetuo, si obstinatam hominis malitiam, ejusque perseverantiam in malis perpetrandis intelligis: sed si de ea iniquitate, in qua quis non persistat, verba facis, id a veritate quamlongissime abhorret, præsertim si de ea punitione loqueris, quia Deus summo jure agens in delicta hominum vindicare potest.* Prosecuturus itaque nefariæ hæresis confutationem statuam proximas positiones.

PROPOSITIO VIII. Noluit Deus in hominum redemptione peccata dimittere non exhibita divinæ justitiæ satisfactione.

At primo fatetur Socinus in Deo esse justitiam, atque severitatem, qua animadvertit in homines pervicaces, qui persistunt in perpetrando scelere, nec resipiscunt. At ubi de originali peccato & de gratia Christi disputatum est, vidimus filios Adæ nasci culpæ obnoxios, peccati captivos, concupiscentia, animique languore affectos, scribente Apostolo ad Rom. V. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Disimus quoque neminem absque gratia posse a peccatis resipiscere; imo

nec

nec bonam concipere voluntatem. Hæc autem gratia si non ex Christi donaretur merito, & aliunde haberi posset justitia, gratis idem Christus mortuus esset: quare nil in Paulo expressius, quam nos habere per Christum accessum in gratiam illam, nec amplius peccatum dominari, quia sumus sub hac gratia. Quid ergo? Nisi Christus solvisset maledictionem, & sicut per inobedientiam Adæ regnavit delictum, ita per Christi obedirionem ac meritum superabundaret gratia, dominaretur peccatum, nec quis nostrum de resipiscentia cogitaret. Atqui assentitur Socinus divinam justitiam punire & damnare pervicaces, qui ad bonam frugem non redeunt. Igitur nisi Christi mors maledictionem solvisset antiquam, & obedientiæ merito per ipsum regnaret gratia, justitia puniret omnes; quia omnes pervicaces forent, in omnes esset judicium ex uno in condemnationem, in omnibus regnaret mors, dominaretur peccatum, persisteret vetusta captivitas. Intuitu ergo meritorum Christi, & satisfactionis ejus ab ira, & a punitione salvi erimus. II. Revere redemptionem nostram, non condonatione tantum, sed judicio, ac justitia fuisse peractam literæ evincunt sacræ; quas priusquam profero, peto an condonatio sit, an justitia, si reus ad tribunal judicis ab adversario compulsus, cum miserrimus sit, & ad solvendum impar, nactus misericordem Advocatum, Vademque ditissimum, hujus opera ac solutione abeat immunis? Gratis quidem reus absolvitur, si attendas ipsius miseriam; at ex justitia, si consideres Advocati officium, & solutum a Vade pretium. Ad hunc plane modum Christum nos redemisse sacra testantur eloquia. Illustre est vaticinium Michææ VII. 9. *Ego autem ad Dominum adspitiam, expectabo Deum Salvatorem meum, audiet me Deus meus. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum*. Et Dominus Jesus passioni proximus, Joan. XII. 31. ait: *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. In hoc judicio Patet non tantum personæ offensæ vices gerit, sed & judicis: quem proinde Advocatus noster Christus Jesus, clientulorum causam *suam* dicens, ad hunc modum alloquitur, Ps. VII. 9. *Judica me Domine secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Consumetur nequitia peccatorum*. Et Jerem. Thr. III. 58. *Judicasti Domine causam animæ meæ. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum*. Recte in hunc locum Auctor Comment. inter Opera Hieron. Tom. V. pag. 829. *Judicavit Dominus causam animæ Christi, quando innocentis mortem pervenire fecit ad salutem generis humani*. Adversarium nostrum, & accusatorem fuisse diabolum, in Christi passione privatum principatu ac dominio, quo in pœnam peccati, & tanquam divinæ justitiæ minister captivum tenebat genus humanum, liquet ex verbis Christi Joan. XII. nuper citetis: nos reos esse, debitores, & impares ad solvendum, satis per se constat. Omnes ergo, qui ad constituendum judicii actum concurrunt, in redemptione nostra interfuere, Judex, reus, Advocatus, accusator. Judex Deus, reus homo. Advocatus Christus, accusator diabolus. III. Ne putes advocatum nullo soluto pretio reportasse de accusatore triumphum, tria animadverte. Ac primum nullam in Christo sine labe concepto actionem habuisse adversarium, unde ajebat Dominus Joan. XIV. 30. *Venit enim princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam*. Pilatus etiam Lucæ XXIII. 14. *Nullam*, inquit, *invenio causam in homine isto*. Deinde observa, sponsoris, & præsertim si idem sit sponsor & advocatus, eamdem cum reo causam esse: quare causa Christi fuit cum ipsius morte finita, quia procurandam susceperat salutem nostram, & se pro nobis vadem fecerat ac sponsorem. Hinc causa supra ejus crucem posita fuit, Matth. XXVII. 37. & Marc. XV. 26. *Hic est Jesus rex Judæorum*. Et quamquam Pontifices dixerant præsuli, ut non titulum hunc præfigeret cruci, sed, *Quia ipse dicit, Rex sum Judæorum*, nempe ut spectatores perciperent, Jesum damnari ob usurpatam regni auctoritatem; Pilatus tamen, qui illum invenerat innocentem, noluit causam illam mutare, responditque, *Quod scripsi, scripsi*. Recole *Jesu* nomen fuisse Salvatori nostro impositum, quia ipse debebat *salvum facere populum suum a peccatis eorum*, Mat. I. 21. Luc. I. 31. Hæc itaque, (non regni usurpatio) est causa mortis ejus inscripta Cruci. Nota postremo, non posse cogi advocatum ad satisfaciendum pro reo, nisi etiam sit vas, ejusque vadimonium Judex acceptet. Acceptasse Patrem hanc Vadis nostri sponsionem liquet, quia *irruere fecit Dominus in eum iniquitatem omnium nostrum*, Is. LIII. 6. id vero non quoad culpæ maculam, sed quoad debitum duntaxat, ac pœnæ repetitionem. Hoc debitum a Christo solutum, ipsemet testatur ore Psalmographi Ps. LXVIII. 5. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam*. Psalmum hunc esse de Christi passione perspicuum est: atque hæc verba significant Christum, licet non rapuerit Deo honorem transgrediendo legem, reddidisse tamen quæ rapuerat homo transgressor, singulari obedientia ac passione. Præclare Augustinus in eumdem Psalmum numer. 9. *Non rapui, & exsolvebam: non peccavi, & pœnas dabam*. Consimilia habet Tractatu LXXIX. in Joan. num. 2. consentit Hilarius in hunc Ps. numer. 7. Hieronymus Brev. in Psalt. Tom. 2. pag. 295. aliique nobiliores interpretes. In hac ergo redemptionis causa quis justitiæ satisfactum esse non videt? IV. Dum hac ratione refellitur Socini dogma, ei penitus obstruitur os putidum. Objicienti quippe redemptionem esse opus misericordiæ, & gratis nos esse redemptos, annuimus toto capite: magna est enim misericordia & caritas Dei tradere Unigenitum pro inimicis, & justum pro injustis, ac summa Domini Jesu benignitas exsolvere quæ non rapuerat. Contigit etiam remissio debiti absque debitoris dispendio, dum solvit ex propriis sponsor. Opponenti Socino diabolum non esse creditorem, cui esset satisfaciendum; respondemus non creditorem esse, sed accusatorem, utpote qui, id supremo Judice in pœnam peccati permittente, factus princeps impiorum, ac tenens sub tyrannide humanum genus ægre ferebat ejici se foras, superboque dominatu exspoliari. Denique objicienti Deum esse partem offensam, quæ injuriam pro sua potestate, plenoque jure remittit; dicimus esse quoque Judicem, supremumque rectorem zelotem honoris sui, vindicemque improborum. Sed ne videamur scholasticam abjecisse methodum, ex dictis ita adversarios perstringimus. In humani generis redemptione locum habet justitia vindex, si Deus in illa se gesserit ut Judicem, & Dominus Jesus impleverit vices vadis atque sponsoris, ac debitum solverit pro clientibus. Atqui Deus in hac redemptione exercuit munus Judicis, & piissimus Jesus Advocatus noster & sponsor pro nobis clientulis suis solvit debitum. Ergo in humani generis redemptione locum habuit justitia vindex.

BROPOSITIO IX. Decebat quammaxime, ut divinæ justitiæ condigna exhiberetur satisfactio.

Non illo ego utar argumento, quod Justitia vindex sit de conceptu essentiali divinitatis, nec fieri possit quin Deus retribuat male agentibus debitam pœnam, ut contendunt Tournely loco supra citato, aliique perpauci. Absolute enim potuisse Deum salvare humanum genus absque divini Verbi *Incarnatione*, & sola voluntate homini perdito afferre salutem, ut diximus cap. I. tradunt Patres, & consentiunt antiqui Theologi. Si autem poterat Deus solo nutu mortis dominatum evertere; non video, quomodo probetur necessitas satisfactionis Christi, ex quo Deus concipi nequeat sine justitia vindice. Non desunt præterea, qui negant hanc justitiam esse proprie in Deo, imo illam quamplurimi a numero divinorum attributorum sejungunt, ut Vasquez I. p. disput. 85. cap. 4. & Suarez Opusc. de Justit. sect. 5. Præterea sicut per injuriam constituitur debitor is, qui injuriam infert, non qui recipit; ita per culpam nulla Judici supremo accedit ratio debiti, per quam teneatur de culpa vindictam sumere, quemadmodum tenentur judices alii, qui superiorum leges custodire debent. Accedit quod sententia nostra divina attributa distinguuntur comparate ad effectus productos; erga quos nulla est in Deo necessitas, nisi consequens liberam voluntatis ejus præfinitionem. Quod ergo in hoc rerum ordine, & facta hypothesi, quod Deus talem legem statuerit, ut pœna sit comes individua peccati, non possit Deus non animadvertere in impios, verissimum est, ac traditum ab Augustino lib. XXVI. contra Faustum cap. 3. aliisque in locis: quod vero Deus teneatur absolute punire iniquos, idque sit *de conceptu Dei essentiali*, ut tenet memoratus Theologus, id tarditas ingenii mei non assequitur. Quod ait Deum necessario habere odio peccatum, verum est: at non est verum, ex odio consequi necessario vindictam, si id quod odio habetur, possit sine vindicta deleri. Nec putes ea sententia facilius revinci Socinianos: cum potius illius falsitas fecerit Crellium audaciorem, isque dogmati Sociniano aliquam peperit existimationem, ubi contra incautos adversarios demonstrasse visus est, Deum esse supremum Dominum sub nullo judice constitutum, qui propterea habeat liberam pœnas condonandi potestatem. Ita in respons. ad caput 2. Grotii a pag. 60. usq. ad 88. Non ergo nos hoc levi, incertoque prælio velitabimur. Deus est supremus Dominus, potuitque cedere juri suo, debitamque scelestis pœnam gratis remittere. Quid ni? Cuinam, si id fecisset, irrogasset injuriam? At ea iis, quæ Socinianis concedimus, hanc adversus ipsos deducimus consecutionem: Supremus Dominus potest cedere juri suo, & gratis pœnam remittere; ergo potuit jus suum reposcere, & debitam pœnam infligere. Si remittat, exercebit misericordiam; si reposcat, judicium. In satisfactione autem, quam nos propugnamus, relucet misericordia, & relaxatio debiti in redemptione miserrimi hominis; justitia, & inflictio pœnæ in passione Unigeniti. Ubi ergo Socinus misericordiam a justitia disjungit, nos in ipsa misericordia justitiam commendamus, repetentes cum Davide Ps. LXXXIV. 11. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*. Atque nil hic adversarii excogitare poterunt, quod non sit undequaque honestum, & supremo Domino dignum. II. Si ipsum summum Judicem, Rectoremque spectemus, non solum in hoc liberationis modo ostendit, quantum sit *misericors, & justus Dominus*, verum

& ob

& ob oculos nostros statuit quanta sit peccati turpitudo, ut ex remedii qualitate pensemus morbi conditionem, & deinceps vitemus pericula: atque hinc Auctor de Cardinalibus Christi Operibus inter scripta Cypriani, serm. 14. ait: *Hoc vult intelligi, quæ sit causa mortis, quis quæstus; ut utraque re cognita peccatum appareat, & gratia; & quanti ponderis sit utrumque, verum probet effectus: cum originali morti nullum, nisi in Christi morte, potuerit esse remedium; nec reconciliare Deo potuerit exules, & damnatas qualibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium. Et sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum; sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam vix Christi cohibent passiones*, &c. Habet similia S. P. Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 17. numer. 22. & Bernardus Epist. 190. adversus P. Abaelardum, cujus impium dogma Socinus, ut prænotavimus, revocavit ab Orco. III. Magna exhibendæ Deo satisfactionis congruitas etiam ex ipso Redemptore nostro depromitur; erga quem, cum *justus pro injustis* mortuus sit, & exhibuerit pretium, quod nemo nostrum potis erat persolvere, facilius excitatur compassionis affectus, gratique animi recordatio. Legantur quæ scribit Magnus Gregorius lib. XX. Moralium cap. 26. IV. Etiam utilitatem hominum peccantium promovet magna, quam Deus in redemptione exercuit, justitiæ æquitas, tum quia, ut diximus, inflictio pœnæ cohibet iniquorum licentiam; tum etiam quia ea pretio, quo redemptus est homo, imaginem Dei pluris æstimare didicit, gratiarum beneficia pensitare, & ne iterum incidat in laqueum diaboli præcavere: impensius quoque exhibet Christo servitutem, eumque *glorificat in corpore suo* abstinens ab omni immunditia, dum se emptitium considerat, & alieni juris, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. VI. 20. de quo loco præced. cap. prop. 2. Ea propter S. P. Augustinus cit. libro XIII. de Trinit. cap. 10. docet, *non alium modum*, nos liberandi, *possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse*. Similiter Athanasius ser. 3. contra Arianos ait: *Poterat sine ullo adventu Christi solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem. Ceterum spectandum hic est quid hominibus sit utile, non quid situm sit in Dei omnipotentia*. V. Inspecta etiam dæmonis tyrannide, videtur magis congruum ex Dei justitia, quam ea potentia repetere redemptionem. Etenim cum homo in peccatum non impellente necessitate, sed libera voluntate prolapsus sit, dæmon debito dominatu sibi tyrannicum jus in hominem vindicabat: quo jure merito privatus est, dum Christum nullius peccati conscium supplicio crucis affecit: debet enim jure exspoliari, qui illo in perniciem innocentis abutitur. Hac ratione S. P. August. citato lib. XIII. cap. 13. num. 17. & cap. 15. num. 19. demonstrat *placuisse Deo ut propter emendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur*; & motivis quibusdam aliis adductis, *Ut*, inquit, *quia eos diabolus merito detinebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit*. Item S. Leo serm. 2. de Nativ. cap. 3. *Verax misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ. Nam superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines jus tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei spontaneos in obsequium suæ voluntatis illexerat. Non itaque juste amitteret dedititii generis servitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur*. Habet similia in celebri ad Flavianum Epistola caput 2. & 3. Ex quibus apparet hæc momenta, non ea necessitate vindictæ, sed ex convenientia justitiæ petita, esse consentanea tam rationi, quam Patrum auctoritati. Quamobrem hac valida ratiocinatione adversarios urgemus: Redemptio humani generis peracta cum satisfactione justitiæ fuit convenientissima ad æquitatem Dei commonstrandam, ad Christi commendandam caritatem, ad infirmitatem sanandam nostram, & ad diaboli tyrannidem evertendam. Igitur decebat summopere, divinæ justitiæ in hominibus redimendis condignam exhiberi satisfactionem.

PROPOSITIO X. Non fuit injustum, non pereuntibus nobis, Christum subire crucis patibulum, eique peccata nostra imputari.

Ac primo, cum id factum sit, & magnopere æquitati congruat, illud etiam justissimum fateantur adversarii, quod supremo universorum Domino visum fuerit; quidnam apparere potest in hoc, quod Deo decernente executioni mandatum est, justitiæ repugnans? Arripiam confessionem Crellii scribentis pag. 60. col. 2. adversus Grotium: *Quia Deus omnium hominum, ut aliarum quoque rerum universarum, Dominus est absolutus: ideo etiam in Christum, qui natura homo erat*, (adde & Deus summus) *inque ejus vitam ac corpus jus dominii absoluti habebat. Itaque pro eo jure ipsum nostræ salutis causa poterat in mortem tradere, & corpus ipsius cruci affigendum dare*. Ex qua ratione liquet, quam imperite objectent postmodum Sociniani, fas non esse cuique mortalium insontem pro scelesto devovere supplicia, quasi sit eadem auctoritas supremi Judicis, & eorum, qui illius legi subjiciuntur. Adde posse Deum compensare necem illatam innocenti, immortali vita, resurrectione corporis, & nominis exaltatione; quemadmodum compensatum cum Christo testatur Apostolus ad Philip. II. 9. Et Crellius ibidem, *Quia Deus*, inquit, *animes* (Christi) *cruciatus præmio infinitis partibus majori compensaturus erat, jure tanquam Dominus absolutus de eo statuendi habuit arbitrium*. Quod si Deus potuit decernere mortem Unigeniti, spectato duntaxat dominii jure; cur non accedente etiam consilio populum suum redimendi? Sane id expedire, per os Pontificia asseruit Spiritus veritatis. Vide Propos. 3. Ex parte itaque Dei, sive attendas jus supremum, sive consilium reparandi perditum hominem, sive prædestinationem gloriæ Unigeniti, nihil apparet in hoc negotio injustum. II. Dignoscitur ulterius justitiæ æquitas spectata Redemptoris nostri persona. Is quippe non invitus ad necem perductus est, sed habens *potestatem* animæ suæ, *oblatus quia voluit*, ut legimus Is. LIII. 7. & Joan. X. 17. 18. Est autem juris proloquium etiam vulgi sermone tritum, *Volenti nulla fit injuria*. Debemus etiam illum considerare ut sponsorem, & vadem, cui volenti nostra imputarentur delicta, ob quam causam ibidem Propheta eum appellat *percussum & humiliatum*; quoniam *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & disciplina pacis nostræ super eum*. Nec inusitatum est, legique repugnans, sponsorem plecti & multari pro reo. Nam id in re pecuniaria evenire non diffitetur Socinus P. III. cap. 3. & liquet ex L. *Si quis reum*. D. de custod. & exhibit. reor. & L. *Si a reo*. D. de fidejuss. Hæc cum objecisset Grotius, respondit Crellius pag. 115. non esse eamdem rationem de solutione pecuniæ, & afflictione corporis, quoniam pecunia unius potest fieri alterius, non item afflictio: addidit nec fidejussorem liberare absentem reum ab obligatione pecuniæ, quam potest repetere. Sed quid hæc efficiant, non video. Primo enim pecunia a fidejussore soluta non fit debitoris, sed creditoris; atque ita pretium sanguinis Christi non peccatoribus, sed Deo creditori persolutum est: deinde cum possit fidejussor pecuniam donare, cur non potest Dominus Jesus *habens potestatem animæ suæ* illam pro nobis impendere? Insuper & ipse potest a nobis sanguinem proprium exquirere, nisi animam magno a se emptam pretio sine crimine exhibeamus: nam & ad hoc accepit potestatem judicium faciendi, *quoniam occisus est, & redemit nos Deo in sanguine suo*. Vide Apoc. V. 9. Præterea non tantum in re pecuniaria, verum etiam in capitalibus insontes pro reis plecti consueverunt, quod Grotius probat ex historia Damonis, & Pithiæ. Eamdem affert Witasse sect. III. in resp. ad object. 3. in qua caput IV. dissertationis Grotianæ expilavit. Huic tamen responderat Joannes Francus pag. 116. adducendum non esse in exemplum, quod a Dionysio crudelissimo tyranno semel factum est. At stat in suo robore quod ait Grotius; jus enim in alienam vitam, si innocens sit occidendus, nulli mortalium conceditur: Deo tamen illud inesse fatentur Sociniani, comprobatque exemplum Isaac, quem Dei jussu a Patre immolatum sacra proponit historia. Id ergo, quod præter fas jusque homines præstiterunt, vindicat sibi Deus inviolata æquitate. Addit Grotius exempla obsidum, quos hostes etiam humanissimi trucidarunt, Thessali, Romani, Daci, alii: ideoque non confirmatur veritas uno Dionysii facto. Non solum Christus Sponsor noster est, sed etiam Rector, & Pastor, qui de semetipso inquit Joan. X. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Et decebat quammaxime, ut oves propria morte redimeret, ut fures & latrones, qui mactabant illas & perdebant, non possent repetere, prout innuit ibidem Evangelista, & nos præced. propositione explicavimus. Ponendo etiam animam suam pro ovibus suis magnum sibi apud Patrem meritum comparavit; cujus intuitu diximus majori honore, & gloria fuisse honestatum. *Propterea*, ait ipsemet Salvator cit. cap. X. 17. *me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*: & Apostolus ad Hebr. II. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*. Itaque nulla injustitia Christus pertulit mortem, quam sponte subiit qua implevit Redemptoris officium, & quæ illi summam contulit dignitatem. III. Postremo nec contra naturam pœnæ est, si ea publicæ salutis caussa afficiantur innoxii. In filiis enim, & posteris Deum visitare peccata parentum liquet ex cap. XX. 5. & XXXIV. 7. Exodi, ex Jerem. Thr. I. 5. & V. 7. &c. Ob delictum Chami punitum Chanaan, ob crimen Saulis crucifixos septem filios, ob peccatum Davidis periisse septuaginta hominum millia, constat ex Genes. IX. 25. II. Regum XXI. 8. XXIV. 15. Hujusmodi pœnæ permutatio, cum fiat, ubi qui plectuntur nequeunt Deo satisfacere, vel ad incutiendum timorem posteris, vel ad augendam peccantium confusionem; fitque iis invitis, qui loco aliorum puniuntur: quanto magis absque injustitia fieri potest, dum is, qui pro alienis peccatis afficitur supplicio, sponte morti subjicitur, ac moriendo liberat reos, Deum placat, divinæque

neque justitiæ satisfacit ? Quare dum Crellius pag. 106. & seq. ad prædicta Scripturarum exempla reponit, innocentes filios afflictos in pœnam & ignominiam parentum, & post punitionem aliorum in reos adhuc sævitum, non oppugnat pœnæ permutationem, sed illam argumento a fortiori confirmat. Quod enim licet ad malorum perniciem, id multo magis ob Dei gloriam, hominumque reparationem potest salva æquitate permitti. Duo etiam sunt in causa, cur in punitione aliorum absoluti non fuerint Saul, Achan, & Jeroboam, quorum facta Crellius persequitur: scilicet, quod illatam Deo per peccatum injuriam nulla hominum punitio expiaverit, nec potuerit sontibus veniam promereri, eisque gratiam ad resipiscendum conferre: quæ duo præstari a morte Christi agnovisset Crellius, si de ejus divinitate, ac gratia melius sensisset. At nos quemadmodum divinitatis naturam, ita redemptionis gratiam in Domino Jesu Christo pro viribus propugnamus; & quod attinet ad hanc thesim, dicta hoc ratiocinio colligimus: Non debet censeri injustum, quod non repugnat supremi Judicis æquitati, quod non opponitur Christi innocentiæ, quod non adversatur merito delictorum. Sed Christum subiisse crucis patibulum in punitionem peccatorum nostrorum non adversatur delictorum merito, non opponitur innocentiæ Christi, non repugnat supremi Judicis æquitati. Ergo quod Christus crucifixus fuerit in peccatorum nostrorum pœnam, non debet censeri injustum.

CAPUT IV.

Catholicum dogma perpetua Patrum traditione roborari.

QUAMQUAM nihil est apud hæresum propugnatores solemne magis, & usitatius, quam Patrum contemnere documenta, ac Sociniani præsertim fulgidissimis Ecclesiæ luminibus præferre audent nonnullos a fidelium cœtu dejectos, lucifugas, atque tenebriones: attamen cum veritatis argumentum sit invictissimum, universorum, præsertim doctrina, probitate, & ceterorum existimatione præstantium in eodem dogmate consensus & conspiratio, atque hinc percipiant orthodoxi teneri a se antiquam, & Apostolicam traditionem; hoc loci, brevi, quantum fieri poterit, prædecessorum nostrorum sententiam investigabimus. Ac primo S. Martyr Justinus in dialogo, quem habuit cum Tryphone, scribit Christum *ex omni mortalium genere omnium maledictionem suscepisse*: in Epist. ad Diognetum ait Deum dedisse *proprium filium pretium redemptionis pro nobis*: & in respons. ad q. XCIX. ad orthod., si tamen hoc opus Justino jure adscribitur, docet etiam victimas ratione carentium animalium ex divina benignitate ita acceptas, *perinde atque animam suam hoc modo legis prævaricator offerret*: ubi aperte traditur *substitutio*, quam in veteribus sacrificiis perperam negant Sociniani. Irenæus lib. IV. adversus hæres. cap. 18. sive ex distinct. Massuet 8. scribit Christum summi Sacerdotis operam perfecisse, *moriens ut exsiliatus homo exiret de condemnatione*: quo in loco adnotavit Feuard. ex Hebræorum lege mortuo Pontifice exules domum rediisse. Habes autem illic paucis verbis expressam redemptionem, & peractum a Christo Sacerdotis munus in morte. Ait ibidem Irenæus Christum *propitiasse pro hominibus Deum*. Fugit tam insignis locus comprobans veram redemptionem, sacrificium Christi, & sanguinis ejus placamentum, tam Grotium, quam illius recentiores expilatores. Vide & lib. V. cap. 21. ubi multa de Satanæ, qui captivum duxerat hominem, facta per Christum alligatione. Tertulliani adversus Judæos cap. 13. est præclara sententia: *Hunc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est, & velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum*. Origenis innumera extant loca: Hom. 3. in Levit. demonstrat quomodo sacrificium Pontificis fuerit mortis Christi figura. Hom. IV. in Num. scribit: *Si non fuisset peccatum, non necesse erat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari, sed mansisset hoc quod in principio erat, Deus Verbum. Verum quoniam introiit peccatum in mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccato*. In primo autem contra Celsum, Christum comparat iis: *qui sponte se morti devoverunt ad averruncandam grassantem in sua patria pestilentiam, & qui ultronea morte obita pro republica totos populos, totasque gentes a calamitatibus liberarunt*: additque *traditum fuisse, utpote purum, pro omnibus, qui peccaverant*. Cyprianus de Lapsis pag. 378. *Veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris*. Idem in Epist. ad Fortunatum ait Christum passum *pro alienis peccatis*. Carmen de Passione Domini Lactantio attributum sic incipit:

Quisquis ades, mediique subis in limina templi,
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
Respice me, me conde animo, me in pectore serva.

Idem Lactantius lib. IV. de vera Relig. & sap. cap. 25. scribit: *Discant igitur homines & intelligant quare Deus summus, cum legatum & nuncium suum mitteret, ad erudiendam præceptis justitiæ suæ mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui, & cruciatu affici, & morte mulctari*. Eusebius Cæsar. lib. 1. demonstr. Evang. cap. 10. erudite de sacrificiorum origine pertractans ratione, & auctoritate divina demonstrat in sacrificiis *brutorum animam* pro anima hominum fuisse oblatam, & ideo unumquemque, dum sacrificabat, capiti victimæ manus habuisse injectas, quasi *pro suo capite* hostiam exhibuisset; sublatisque antiquis sacrificiis venisse Christum Dei *instar pecudis pro toto genere humano interficiendum*. Hinc infert ideo dici Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, & esse *magni æstimandum pro redimendis pretium, pro toto mundo piaculum, pro anima cunctorum hominum sacrificium, pro omni macula, & peccato purissimam hostiam*. Et in præf. ad lib. X. ostendit Christum dici agnum de nostro grege assumptum, ductum ad cædem, oblatumque *pro reliquis cognatis agnis, & pro omni humano grege, Deo victimam*. Proximo capite primo ad hunc modum loquitur: *Ceterum non modo rebus his gestis Dei Agnus, verum etiam pro nobis tormenta passus, supplicioque affectus, quæ ipse quidem dignus minime erat, sed nos ipsi propter multitudinem peccatorum, ut peccata nobis dimitterentur auctor extitit: utpote qui pro nobis & mortem subierit, & verbera, & probra, & contumelias, quibus nos digni eramus, in seipsum transtulerit: & execratio pro nobis factus, execrationem, quæ nobis debebatur, ad seipsum attraxerit*. Hæc aliaque plura ab Eusebio sacris literis confirmata suppeditabunt studioso lectori adversus hæreticorum tela clypeum munitissimum. Sequitur beatissimus Athanasius, qui de Incarnat. Verbi Dei, adventus Christi causis luculenter expositis, num. 9. inquit: *Hinc corpus, quod sibi accepit, velut hostiam, & victimam omni puram macula morti offerendo, id quod debebatur, in morte solvit*: & num. 10. *Mortem, in quam illi incurrerant, proprio oblato corpore delevit*. Et infra: *Idcirco ipsum Verbum sibi corpus accepit, ut victima pro similibus corporibus fieret*. Ac num. 21. *Mortuus est, ut pretium pro omnibus solveret*.

Hilarius Pictavorum Episcopus in Psalm. LXIV. num. 4. ait: *Scientes tandem vetera delicta, & antiqua impietatis crimina Deo propitianda esse per Christum. Ipse enim secundum Apostolum nostra placatio est, &c.* In cap. X. Matth. n. 18. *Et quidem, quæ sub peccato vendita sunt, redemit ex lege Christus: ergo quod venditur, corpus & anima est; & cui venditur peccatum est: quia Christus & de peccato redemit, & animæ ac corporis est redemptor*. In Psalmum CXXXV. num. 15. *Redemit nos, cum se pro peccatis nostris dedit, redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per mortem suam, per resurrectionem suam. Hæc magno vitæ nostræ pretia sunt. Magno enim, ait Apostolus, pretio redempti estis: & redempti ab inimicis, a diabolo, ab angelis ejus, a filio perditionis, a principibus aeris, a mundi potentibus, ab inimica morte*. Optatus Milev. lib. III. de Schismate Donatist. num. XI. *Quis est ille nescio quis angelus, qui nundinas fecit animarum, quas ante ejus adventum diabolus possidebat? has sanguine suo Christus Salvator noster redemit, Apostolo dicente, Empti enim estis pretio magno*. S. Basilius in Psalm. XLVIII. *Quid enim usquam tanti est momenti, quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ? Inventum tamen unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit: quamobrem pretio sumus empti*. Gregorius Nyssenus magni Basilii frater in libro de Christiana perfect. ad Olympium docet ab Apostolo appellari Christum ἀπολύτρωσιν, *redemptionem*, quia *seipsum ut nos redimeret pretium dedit*; probatque ex hac pretii solutione, illum *nos a morte a se per vitam coemptos propriam sibi possessionem effecisse*. Ambrosius de fuga sæculi cap. 7. num. 44. *Ideo ergo suscepit Jesus carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret; & factus est pro nobis maledictum, ut benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam, vita mortem. Suscepit enim & mortem, ut impleretur sententia, satisfieret judicato: Maledictum carnis peccatricis usque ad mortem*. Idem de Joseph Patriarcha cap. 4. num. 19. *Pretio igitur nostrum debitum, non suo ære contraxit, chirographum sustulit, fæneratorem removit, exuit debitorem: unus exsolvit, quod ab omnibus debebatur. Non licebat nobis exire servitio. Suscepit hoc ille pro nobis, ut servitutem mundi repelleret, libertatem paradisi restitueret, gratiam novam consortii sui honore donaret*. Et lib. VII. in Lucam num. 117. *Etenim adversarius tanquam captiva mancipia vilioris pretii æstimationis addicit: at vero Dominus tanquam speciosa servitia, quæ ad imaginem & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator magno pretio nos redemit, sicut sanctus Apostolus dixit: Empti enim estis pretio magno. Et bene Magno, qui non æstimatur ære, sed sanguine, quia pro nobis mortuus est Christus, qui pretioso nos sanguine liberavit, &c.* Epiphanius lib. II. h. LV. quæ

est

est Melchisedechianorum, num. 4. de Christo inquit: *Qui sacerdotale Patri suo munus offert, accepta ex natura hominum massa, ut pro nobis Sacerdos secundum ordinem Melchisedech successione omni carentem constituatur. Manet enim, & assidue dona pro nobis offert. Imprimis quippe semetipsum obtulit, ut perfectiore, vivaque pro totius mundi salute mactata hostia, veteris Testamenti sacrificium aboleret. In quo quidem ipse victima fuit, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, &c.* Hieronymus in cap. LIII. Isaiæ Tom. III. pag. 384. *Quod enim nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis sue, sive que in terra, sive que in cælis sunt.* Infra: *Qui igitur oblatus est Pilato, quia ipse voluit, & non respondit, ut patibulum pro nobis damnatus adscenderet, ipse sicut ovis ad occisionem ductus est.* Ac paucis interjectis: *Hic agnus est, in cujus typo immolabatur agnus, cujus cruor linitus in postibus exterminatorem fugabat Ægypti, qui non solum sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, ut algentes infidelitate sua veste calefaceret.* Et prope finem ejusdem capitis: *Peccata enim nostra portavit in corpore suo, ligno crucis affigens ea, ut deleret chirographum, quod diabolo & angelis illius feceramus, scriptum manibus anima, idest, operibus ejus.* Sanctus P. Augustinus in Psalmum xcv. numer. 5. *Venit redemptor, & dedit pretium; fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis, quid, nisi omnes gentes?* In Psalmum cxxix. num. 7. *Sacerdos noster a nobis accepit quod pro nobis offeret. Accepit enim a nobis carnem: in ipsa carne victima factus est, holocaustum factus est, sacrificium factus est. In passione sacrificium factus est: in resurrectione innovavit illud, quod occisum est, & tanquam primitias tuas dedit Deo, &c.* Vide lib. IV. contra duas Epist. Pelagian. cap. 4. numer. 8. & contra Faustum lib. XIV. cap. 4. Joannis Chrysostomi, Gregorii Magni, Leonis aliorumque sententiæ duobus præcedentibus capitibus sunt productæ. Cyrilli Alexandrini præclara testimonia, & ad revincendam quamdam cavillationem Fausti Socini satis idonea, proferam proximo capite ad 3. opposit. Dignissima lectu est S. Paulini Epist. IV. ad Severum pag. edit. Plansinianæ 52. & Bernardi exc. ad Innocentium cap. 5. & 6. nunc inter Tractatus Tom. IV. pag. 114. Venantius Honorius Clementinianus Fortunatus secundum de Cruce Domini librum sic auspicatur:

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit,
Atque cruore suo vulnera nostra lavit.
Mitis amore pio pro nobis victima factus,
Traxit ab ore lupi, qua sacer Agnus oves:
Transfixis palmis ubi mundum a clade redemit,
Atque suo clausit funere mortis iter.
Hic manus illa fuit clavis confixa cruentis,
Qua eripuit Paulum crimine, morte Petrum.

Expressissimis hisce SS. Patrum testimoniis collustrantur quæ de sacris literis, earumque sensu diximus paullo supra, simulque nefastissima FF. Polonorum hæresis firmissimo Orthodoxorum consensu revincitur. Nam inepte redemptio adstruitur metaphorica, ubi intervenit magnum pretium, ubi solvitur debitum, ubi satisfit judicato: audacter denegatur sacrificium Crucis expiatorium, in qua incontaminatus agnus seipsum pro nobis obtulit, ductus tanquam ovis ad victimam, holocaustum factus, & pro totius mundi salute mactata hostia: impie ac temere substitutionem, ac surrogationem Christi pro iniquis inficiantur Sociniani, si ipse peccata nostra portaverit, execrationem ad seipsum attraxerit, supplicia, quibus nos eramus digni, in semetipsum transtulerit. At Patres Orthodoxi disertissime affirmant in humani generis redemptione magnum intercessisse sanguinis Christi pretium, eoque empta corpora & animas peccato vendita: luculentissime tradunt Christum Dei Agnum factum in cruce hostiam, victimam, sacrificium, holocaustum, ac pro toto mundo piaculum: apertissime docent Unigenitum Dei Filium omnium maledictionem suscepisse, verbera, probra, & contumelias tolerasse, pro nobis affectum cruciatu, pro nobis interfectum, pro nobis morte multatum. Itaque Sociniani inepte adstruunt Redemptionem impropriam, & metaphoricam: audacter negant sacrificium Crucis expiatorium; & impie ac temere inficiantur mortis Christi pro nobis subrogationem, atque substitutionem.

CAPUT V.

Fausti Socini refeSuntur, & refutantur sophismata.

AT objicit Faustus: Christus non ideo hominum Servator est, quia illos redemerit soluto pretio, sed ob alias causas a divina Scriptura aperte commemoratas. Prima est, quod nobis viam salutis annuntiaverit; ideo namque dicitur missus, ut testimonium redderet veritati, & prædicaret Evangelium. Ita legitur Marci I. 38. Lucæ IV. 18. 19. 43. Joan. XVIII. 37. Atque hinc appellatur Apocal. I. 5. *Testis fidelis*, & dicitur ab Apostolo in prima ad Tim. II. 6. & vs. 13. *testimonium temporibus suis*. Id vero sublimiori titulo competit Christo, quam Apostolis; nam ille *testis* simpliciter dicitur, isti autem Act. I. 8. *testes* tantummodo *Jesu Christi*, propterea quod non propriam, sed Christi doctrinam prædicaverint: quare non eliduni Socini argumentum, qui Apostolorum exemplo nituntur ostendere redemptionem nihil aliud importare, quam æternæ salutis annuntiationem. Deinde appellatur Christus Salvator hominum, quia veritatem confirmavit sanguinis effusione: nam ob eam rem pretiosus ille sanguis dicitur sanguis *novi fœderis*, Mat. XXVI. 28. & ad Hebræos XIII. 20. nimirum quia meliora annuntiat, ac loquitur, quam sanguis Abel, ut Apostolus ibidem ait cap. XII. 24. Constat etiam ex cap. XXIV. Exodi versu 8. in vetere fœdere sanciendo effusum sanguinem, quod & priscarum gentium servavit consuetudo. Frustra reponeres id in Martyres etiam quadrare; cum hi sancitum a Christo fœdus confirmarint, iccirco appellati Act. XX. 15. 20. & Apoc. VII. 17. *Testes Jesu Christi*. Tertio sacræ literæ appellant Christum hominum Servatorem, quia mortuus est, ut ipsum imitantes consequamur æternam vitam. quod expresse docet Apostolus ad Rom. XIII. 13. ad Ephes. IV. 20. & Petrus I. Epist. II. 21. Præterea dicitur Christus Redemptor noster, quoniam resurgens a mortuis nos in fide & justificatione firmavit. Videatur Apostolus ad Rom. VI. 5. ad Corinthios prima, VI. 14. ad Ephes. II. 6. ad Philipp. III. 12. Ratio manifesta depromitur ex quo per resurrectionem declaratus filius Dei firmiorem nobis fidem ingeneraverit. Videsis Joan. XX. 31. Act. XIII. 33. Apost. ad Rom. I. 4. Tandem Christus Reparator est nostri, quia nobis æternam vitam daturus est, ut colligitur ex Matt. XXVIII. 18. Joan. XVII. 2. ad Hebræos IV. 14. Cum tam apertas caussas Scriptura proferas, cur Christus dicatur Reparator humani generis, quid necessum est recurrere ad exhibitam satisfactionem, ad solutionem pretii, ad pœnarum subrogationem?

Respondetur nihil concludi pro Socino, etiamsi omnia, quæ hactenus objecta sunt, concedantur. Quæ enim inepta magis, & futilis consecutio, quam hæc Sociniana, Servator noster vitam annuntiavit æternam, fœdus sancivit novum, resurrexit ne vana esset fides nostra, nobisque salutem impertitur; ergo nos soluto pretio non redemit? Imo si ob auctoritatem Scripturarum sanctarum, quæ in antecedenti præmittuntur, vera sunt; verissimum est etiam nos a Christo fuisse magno pretio coemptos, pretiosum ipsius sanguinem esse *lytrum*, ac satisfactionis medium, & pro nobis immaculatum Agnum fuisse in cruce mactatum, hostiam, sacrificium, placamen, id pariter sacris literis contestantibus: in quibus si propria satisfactio erat nobis significanda, quæ verba magis idonea nuncupare poterant divinitus afflati Scriptores? Poterant asserere Christum pro nobis dedisse animam suam, fudisse sanguinem, solvisse pretium? Affirmare factum pro nobis *maledictum*, portasse peccata nostra, fuisse prævaricationibus nostris percussum ac vulneratum? Demonstrare nos ejus morte a dæmonis potestate erutos, reconciliatos Deo, a peccatorum inquinamento expiatos? Asseruerunt, affirmarunt, demonstraverunt. Propriam ergo redemptionem frustra Sociniani Scripturis oppugnant. At cur nostra redemptio predicatione etiam, miraculis, & resurrectione peracta est? Cum Deus hominem condiderit liberi arbitrii, is non a Deo humanum genus instituente, neque impellente & cogente causa aliqua, sed propria voluntate suggerenti diabolo assensum præbens, venumdatus est sub peccato. Ut ergo venditioni responderet redemptio, non tantum Christus pretium solvit, hostemque devicit; sed etiam voluit, ut homo erueretur a diaboli potestate non reluctans & invitus, sed Deo invitanti, ac trahenti libere obtemperans. Atque hinc est, quod licet omnes redempti simus persoluto pro singulis pretiosi sanguinis pretio; degunt tamen complures sub dæmonis captivitate, quia per liberum arbitrium nolunt resipiscere. Tantummodo parvulis absque motu voluntatis propriæ applicatur per Sacramentum regenerationis fructus passionis Christi, quoniam illi absque propriæ voluntatis actu peccaverunt in Adam: ab aliis jure voluntatis assensus requiritur, quoniam diaboli illecebris volentes, non inviti detinentur captivi. Mortuus est ergo Christus, ut effuso sanguine redemptionis nostræ pretium solveret: prædicavit, ut delitescentes in tenebris veritatem agnoscerent: patravit miracula, ut increduli præberent fidem: resurrexit, ut in fide complantati ad justificationem disponerentur: promisit vitam æternam, ut traherentur ad gratiam meliorum bonorum expectatione. Atque ita, licet ad redemptionem spectent omnia Christi opera, ratione tamen præcipua tribuitur ipsa redemptio sanguinis effusioni, ut vidimus cap. 2. prop. 2. quia sanguis habet rationem pretii, cetera spectant ad alliciendam captivi hominis voluntatem: in quibus si præsertim sita esset redemptio, hæc non passioni, sed Christi miraculis, & resurrectioni speciali titulo conveniret. Hæc vero abunde convellunt Sociniana sophismata. Brevi ad primum reponimus Marcum cap. I. asserere Christum venisse

nisse ad prædicandum, sed in hoc tantum sitam redemptionem divinat Faustus. Lucas cap. iv. non solum ait Christum evangelizasse, sed etiam prædicasse *captivis remissionem*: neque illic habes hac prædicatione mundum fuisse redemptum. Joannes pariter cap. xviii. ait Christum in mundum venisse, ut testimonium perhiberet veritati: nil aliud hoc loci. Apostolus in prima ad Timoth. vi. præter testimonium commemorat etiam *redemptionem*, & quidem Græco vocabulo *ἀντίλυτρον*: de quo cap. 2. prop. 5. Apocalypsis addit, *Et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Discrimen inter Christum, & Apostolos ac Martyres in eo situm, quod Christus solus crucifixus sit pro humani generis redemptione, ceteri habent reconciliationis ministerium, vidimus cit. cap. 2. prop. iii. num. 2. 3. 4. 5. & prop. vi. num. 2. Hoc tamen discrimen tollitur, si redemptio in sola prædicatione constituatur. Ad secundum dicimus Christi sanguinem esse *sanguinem fœderis, ac testamenti*, quia cum factum sit peccatorum nostrorum placamen, pactum Dei cum justis initum, & ob iniquorum culpas contractum firmiori nexu sancivit. *Fœderis* quoque vocabulum, factum Mosis Exodi xxiv. & gentium consuetudo ineundi fœdera effuso hostiarum sanguine catholicam sententiam confirmant; quia cum antiquitus fœderum transgressores capite plecterentur, facta per sanguinem expiatione hostes reconciliabantur, hostia loco fœdifragorum mactata. Vide Lippomanum in Exodum pag. 234. Illa quoque cæremonia significatum veteribus, fractores fœderum more mactatarum pecudum discerptum iri, ut ostendit de Conviviis Vet. cap. viii. Jos. Laurentius Lucensis. Itaque Sanguis Christi appellatus est *sanguis fœderis*, quoniam & pro transgressoribus effusus est, & novum Dei pactum firmavit. Et ideo melius loquitur, quam sanguis Abel, quia effusus in remissionem peccatorum loquitur veniam & gratiam, cum sanguis Abel loqueretur supplicium, atque vindictam, Gen. iv. 10. Ad tertium dico recte sanguinem Christi nos hortari, ut ejus vestigia sectemur, cum Christus *veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis, post omnes injurias & contumelias passus quoque & crucifixus, ut nos pati & mori exemplo suo doceret, ut nulla sit homini excusatio pro se non pati, cum passus sit ille pro nobis, & cum ille passus sit pro alienis peccatis, multo magis pro peccatis suis pati unumquemque debere*. Ita Cyprianus Epist. ad Fortunatum, sive de Exhortat. Martyrii cap. 5. & Auctor Carminis de Passione Domini inter Lactantii Opera sic Dominum Jesum nos alloquentem inducit:

Sectare mea vestigia vita,
Ipsaque supplicia inspiciens, mortemque severam,
Corporis innumeros memorans, animique dolores,
Disce adversa pati, & propriæ invigilare saluti.

Quartum argumentum retorquetur adversus Socinum; nam si Christus declaratus est filius Dei per resurrectionem, in morte autem cum sceleratis reputatus est; aut redemptio potissimum non consistit in fidei confirmatione, aut per resurrectionem, non per mortem Christi principaliter redempti sumus. At Socinus redemptionem nostram tribuendam præsertim Domini Jesu passioni, non uno in loco fatetur, neque tam audax est, ut id queat denegare. Citatis autem locis resurrectioni potius fidei firmitudo & justificatio tribuitur, quam expiatio delictorum, & solutio captivitatis: nimirum Christus, ut inquit Augustinus citatus cap. præcedenti, *in passione sacrificium factus est, in resurrectione innovavit illud quod occisum est, & tanquam primitias dedit Deo*. Hinc Apostolus ad Rom. iv. 25. de Christo ait: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; non quod Christus resurgendo a mortuis justitiam nostram promeruerit, sed quia traditus est, ut sua morte peccatorum nostrorum pœnam lueret; & resurrexit, ut justitiæ & novitatis vitæ typum quemdam præferret, sive, ut loquitur Ecclesia in Præfat. Paschali, *Mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit*. In quinto necessum non est immorari. quippe Christum nobis æternam vitam dedisse, & omnem potestatem adeptum esse, ut legitur in locis postremo a Socino citatis, est prorsus indubitatum; sed æque indubitatum est hanc vitam nobis teterrimæ ejus mortis beneficio compararem: quia *Christi sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut omne peccatum possit delere*: quod docet S. P. Augustinus Tract. xcii. in Joan. num. 1. nec everti unquam poterit Socinianis machinationibus.

Pergit objectare Socinus: Redimere nihil aliud est, quam captivum liberare nullo soluto pretio. Primo namque populus Israel dicitur ex Ægypto redemptus, Exodi xv. 13. & Deut. vii. 8. nec ulla tamen in hac redemptione interfuit pretii solutio. Moses quoque Act. vii. 35. appellatur Redemptor, & quidem Græco vocabulo *λυτρωτής*, nec tamen pro reducendis suorum tribubus fudit sanguinem. Eo prorsus pacto se absque ullo pretio redemptum a Domino in Psal. xxx. 6. ait regius Vates. Præterea redimere ac vendere ad invicem opponuntur: at Scripturarum phrasi is dicitur sub peccato venumdatus, qui nullo pretio in servitutem traditur, subjicitur, mancipatur. Aperte id colligitur ex Deut. xxxii. 30. Judic. iii. 8. & Isaiæ l. 1. Idem dicendum de redemptione liquet ex eodem Propheta cap. lii. 3. Ad hæc redemptionem nihil esse aliud, quam remissionem peccatorum, affirmat Apostolus ad Coloss. 1. 14. Hanc autem remissionem nobis gratis impendi idem Apostolus docet in primo ad Eph. versu 7. Frustra itaque ex verbo *redimendi* infertur Christum pro nobis satisfecisse.

Resp. *Redimere* nihil aliud esse, quam captivum soluto pretio liberare, id fatente Socino cap. 1. secundi libri, nec aliam significationem habere hebraicum verbum פדה, & græcum *λυτρώσασθαι*: & quamvis eadem verba aliquando accipiantur metaphorice pro liberatione a miseria, quemadmodum vendere interdum dicitur Deus quem a sua misericordia alienat, specie, ut Lorinus inquit in Psal. vii. 3. usurpata pro genere; non fit consequens quod ubi de humani generis reparatione occurrit sermo, verbum *redimere* sensum non præferat proprium. Non enim redempti tantum dicimur, sed redempti sanguine, empti pretio magno: & sanguis Christi hujus redemptionis appellatur *λύτρον*, & auro, argentoque, per quod redimuntur captivi, præfertur. Atque illud mirandum est, Socinianos, qui acuti dialectici videri volunt, ex quo verbum *redimere* alicubi accipiatur sensu ampliori, nullibi, nec ubi pretium innuitur, propriam illi tribuere significationem. Itaque ad primum concedimus populum Israel absque pretio redemptum ex tyrannide Pharaonis: sed dicimus hanc liberationem appellari Redemptionem ob typum, quia Paschalis Agnus tunc immolatus præfigurabat Christum, cujus morte redempti sumus: nec oportet, ut omnia prorsus conveniant in figura, & in veritate; ut vidimus cap. ii. prop. 5. quamquam populus Israel non dicitur de Ægypto redemptus pretio, ut nos dicimur empti a Christo, sed iisdem in locis, quæ Socinus objicit, dicitur Deus redemisse populum suum *in brachio excelso, in manu forti, in misericordia, in fortitudine*; ita, ut Scriptura ipsa innuat hanc liberationem peractam fuisse divina virtute, ac potentia miraculorum. Quod additur de Mose, eamdem habet solutionem: siquidem in Actis dicitur *λυτρωτής*, quatenus gerebat Christi typum; ut etiam Cyrus appellatus est *Christus*, præsignans libertatem a captivitate peccati, aliique permulti Messiam præfigurarunt. Ut ergo nomen *Christi* de Cyro propter typum, de Jesu Nazareno ob veritatem enuntiatur: ita nomen Redemptoris de Mose improprie, de Domino Jesu, qui non solum internuncii functus est munere, sed etiam tradidit semetipsum, sanguinisque pretium effudit, asseritur proprio sensu. Hinc Basilius in Psalmum xlviii. pag. 280. & S. P. Augustinus lib. iv. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 4. num. 8. demonstrant Redemptoris ac Mediatoris nomen proprie Christo dumtaxat competere. Vide supra cap. 2. prop. 6. Addo Syriace Mosen dici, non *Redemptorem*, sed דיָנא, *diremptorem litium*, a radice דין, *judicare*: in versione autem Arabica, & Æthiopica, *liberatorem*; quamvis liquet ex Græco, ex Hieronymo, & ex vetustissimo Codice Vaticano præferendam esse lectionem Vulgatæ, ac decipi Lutherum, Bezam, ac Schmidium abjicientes vocabulum *Redemptoris*. Quod sequitur de venditione diluitur ex dictis; ut enim qui vendit, rem a suo dominio alienat, ita Deus iniquos abjicit, traditque ministris justitiæ suæ puniendos: ac dicitur gratis vendere, quasi vili æstimet, ac parvipendat. Ita redimere valet aliquando idem, ac liberare a vexatione & tyrannide: quod tamen in humani generis reparatione non gratis perfectum est, sed pretio persoluto. Nec oppositum evincit Isaias cap. lii. ubi dicimur sine argento redempti, quoniam non captivorum promeritis, sed Christi passione contigit liberatio. Atque his refutatur postrema objectio, quod Apostolus docet nos gratis justificari: de qua recole quæ dixi Prop. iii. num. 2. & Prop. vi. ubi virtea Socini tela fuerunt contrita. Addo nunc præclaram Augustini adnotationem q. xvii. in librum Jud. scriptum a propheta nos *gratis* esse venumdatos, non autem redemptos gratis & sine pretio, sed redemptos *sine argento*, ut pretium redemptionis intelligamus, quale dicit Apostolus Petrus, *Non enim auro, vel argento redempti estis sed pretio sanguinis Agni immaculati*. Itaque Isaias ait, *sine argento redimemini*, quoniam pretio quidem sanguinis Christi, non tamen *pretio pecuniario* eramus redimendi. Hæc Augustinus. Addamus ulterius, etiam in venditione peccatorum pretium aliquod intercedere, licet non semper pecuniarium, scribente Polybio lib. 4. *ὤνια πανταχῆ τὰ κακὰ γέγονε*, *mala quælibet esse venalia*, cum nemo sine maximo impendio sectetur crimina. Vide quæ de Jasone narrat Auctor 2. lib. Machab. cap. iv. 8. Quæ ab improbo amatore extorquet libido recenset lib. iv. Lucretius, & quæ ab avaro fames auri, Persius Satyra v. ab eo versu, *Mane piger stertis &c.*

Tertio loco opponit Faustus Socinus: *Portare peccata* nihil est aliud, quam illa auferre ac delere: frustra itaque hinc satisfactionem Christi nituntur comprobare Catholici. Ac primo sunt loca permulta, in quibus *ferre*, & *auferre* idem sonant, ut Exodi xxxiv. 7. & Joannis xx. 5. Deinde celebris Isaiæ textus cap. 53. *Vere languores* no-

nostras ipse tulit, in Evangelio Matth. VIII. 16. exponitur de corporis infirmitatibus, quas tamen Salvator in se non transtulit. Ad hæc Levit. XVI. 22. dicitur hircus emissarius portasse *iniquitates in terram solitariam*, cum tamen non mactaretur in expiationem peccati, sed vivus emitteretur in desertum. Præterea licet portare peccata sit scelerum pœnam subire, nulla inde consequitur satisfactio; nam & Judæi in captivitate dicuntur portasse patrum suorum iniquitatem, Jerem. Lam. cap. v. 7. nec tamen Deo nullam exhibuerunt satisfactionem.

Resp. Christum eo sensu portasse peccata omnium nostrum, quatenus propter scelera nostra attritus est; quatenus pro nobis factus est peccatum & maledictum, scilicet sacrificium & hostia; quatenus peccatorum nostrorum pœnas luit; ut ostendimus cap. 2. prop. 4. ideoque, etsi *portare* sit idem alicubi, atque *auferre*, dum agitur de Redemptione importat quoque supplicium peccato debitum, præsertim cum Salvator non solum dicatur *portasse peccata*, verum etiam ea *sustulisse in corpore suo super lignum*, crucemque latronum. De cap. VIII. Mat. plura nuper citata propositione. Quod vero attinet ad hircum emissarium, respondent quidam fuisse typum Christi, nec de typo ad antitypum valere comparationem. At in primis eodem cap. XVI. Levit. asseritur alium hircum *pro peccato populi* fuisse mactatum: qui cum pariter fuerit Christi typus, commonstrat hunc proprio sanguine scelera nostra expiasse. Quomodo autem mactatione hostiarum peccata olim expiarentur, dictum cap. XI. prop. 5. Deinde hircus quoque deportatus in solitudinem, si Hebræis interpretibus habenda est fides, e sublimi loco præcipitatus dabatur neci, aut saltem illa in solitarium locum abactio ei mortem ex ferarum laniatibus minabatur. Sed detur hircum emissarium non fuisse in præcipitium actum, atque discerptum: cum omnia vetere sacrificia fuerint typus Christi, in re significata hircus mactatus non est spectandus tamquam aliquid ab hirco ablegatitio diversum. Alloquemur itaque Socinum verbis, quibus Cyrillus Alex. lib. IX. p. 301. urget Julianum: *Cerne ergo, cerne mysterium etiam in capris duobus recte adumbratum. Caper enim, sive hircus pro peccatis sacerdotis & populi mactabatur ex præscripto legis. Ut enim ait Esaias propheta: Omnes sicut oves erravimus, & Dominus tradidit eum pro peccatis nostris. Duo siquidem hirci assumuntur, non tamquam duo Christi sint, aut duo juxta nonnullos filii, sed potius, quod oportebat eumdem immolari pro nobis, & mori quidem secundum carnem, vivere autem secundum spiritum.* Facit etiam ad rem nostram, quod Sacerdos imprecabatur capiti hirci emissarii, ut quicquid malorum venturum erat super filios Israel, caderet super hircum, cui etiam tradunt ligatas ad caput schedas peccatis inscriptas. Verum de his Joan. Lorinus in Levit. pag. 503. Tertullianus de hirco emissario lib. 3. adv. Marcionem inquit: *Circumdatus coccino, maledictus, & consputatus, & convulsus, & compunctus a populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus Dominicæ passionis.* Depromptus ex Lament. Jeremiæ locus demonstrat quomodo *portare peccata* aliquando idem sit ac *propter peccata puniri*: atque hoc sensu Christum portasse peccata nostra, ut pro illis subiret mortem, nos affirmamus. Quare hinc revincitur Socinus contendens quod portare peccata sit illa *auferre*, non *perferre*: quod ipsemet in multis Scripturæ locis significari fatetur cap. 21. suarum Prælectionum. Christus vero non solum peccata pertulit, sed etiam pro nobis satisfaciens illa delevit, quia pro nobis vulneratus est, & nos ejus livore sanati sumus, atque factus pro nobis maledictum nos redemit de maledicto. Sed perlege laudatam IV. propositionem cap. 2.

Rursus Sociniani objiciunt: Dum Christus dicitur *pro nobis* mortuus, sensus est morte sua nobis beneficium maximum contulisse contestans suam erga nos caritatem, ac Patris misericordiam promittens; nullo autem pacto infertur loco nostri fuisse mactatum. I. Quia particula ὑπὲρ *pro*, significat occasionem, causamque finalem, non autem personæ substitutionem. II. Joannis I. cap. III. 16. legitur nos debere *pro fratribus animas ponere*, exemplum spectantes Christi, qui *pro nobis posuit animam suam*. At nos fratribus utilitatem afferre possumus, non satisfacere pro iisdem. III. Dicitur Christus *pro nobis* mortuus, quatenus nos exemplo suo in sempiternam vitam transtulit, & in ejus nomine baptizamur; ut colligitur ex I. ad Corinth. I. 13. *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* IV. Idem Apostolus ad Heb. II. 9. inquit Christum *gratia Dei* pro omnibus gustasse mortem. Ideo dicitur ergo mortuus pro nobis, quia declaravit nos *gratiam*, maximumque beneficium fuisse assecutos. V. Joan. X. II. se comparat Jesus Pastori, qui *animam suam dat pro ovibus suis*. Pastor autem se propter oves servandas periculo exponit, sed nullam illis moriens affert libertatem: imo si moriatur, quomodo servantur oves? VI. Frangens apud Lucam panem Eucharisticum cap. XXII. 19. ait Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*; nec tamen in Cœna pro homine redimendo fuit immolatus. VII. Dum quis pro redimendo captivo substituitur, loco illius captivus permanet. Si ergo Christus mortuus pro nobis esset, ut nos redimeret, loco nostri mansisset captivus. Itaque dum Christus dicitur *pro nobis mortuus*, particula *pro* finalem tantum causam importat, non personæ substitutionem.

Resp. refelli hæc inania sophismata prop. 3. capit. 2. ubi ostendimus quod licet particula ὑπὲρ aliquando significet tantummodo utilitatem aliquam, in redemptionis negotio denotat substitutionem, cum Christus sit mortuus pro impiis, ut ipsi eriperentur a perditione. Ostendimus ibidem haberi etiam in Scripturis particulam aliam ἀντὶ, quæ adversariorum confessione demonstrat permutationem. Ad primum ego respondemus nusquam de fidelibus legi quod debeant pro fratribus animam ponere, ut eos solvant a maledicto, ut illi reconcilientur Deo, ut eruantur a damnatione Adæ; quemadmodum de Redemptore nostro id affirmatur. Joannes itaque exemplo Christi nos ad caritatem hortatur, *ex quo simul empti sumus, & unum sit pretium omnium nostrum*, ut S. Pater demonstrat Tract. VI. in cit. Epistol. num. 12. At non possumus in ponendo animam pro fratribus Christo esse pares: *ille enim potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam; nos autem nec quantum volumus vivimus, & morimur etiamsi nolumus: ille moriens mox in se occidit mortem; nos in ejus morte liberamur a morte: illius caro non vidit corruptionem; nostra post corruptionem in fine sæculi per illum induet incorruptionem: ille nobis non indiguit ut nos salvos faceret; nos sine illo nihil possumus facere: ille se nobis palmitibus præbuit vitem; nos habere præter illum non possumus vitam. Postremo etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis Martyris funditur; quod fecit ille pro nobis.* Hæc idem Aug. Tract. in Joan. LXXXIV. n. 2. Ex quibus verbis apparet quantum in *ponendo* pro aliis *animam* Christus a nobis differat. At quod sequitur in Socinum retorquetur; nam Paulus Corinthios hortatur ad unitatem spiritus, & ad vitanda schismata ex quo solus Christus *pro nobis fit crucifixus*, ejusque virtute ac merito consecuti sumus in baptismo remissionem peccatorum. Eo itaque pacto, quo Christus pro nobis est mortuus, nemo mori potest pro fratribus: sed ille fudit sanguinem ob redemptionem, alii ad exemplum, & communionem caritatis. Quod sequitur ex cap. 2. ad Hebræos demonstrat Christum *gustasse* mortem, non necessitate ductum, sed caritate, ac redemptionis nostræ caussa; ut legitur quoque ad Rom. V. 8. ad Titum III. 4. aliisque in locis. Est autem in Græco: ὅπως χάριτι Θεοῦ, & vocula ὅπως modum, non finalem caussam significat; unde legit Syrus, *Per gratiam suam*, & Arabs, *Ex Dei gratia*, idest, per humanitatem, beneficentiam, φιλανθρωπίαν. Vide Bibl. Reg. N. Test. pag. 442. & Walton. 853. Ad proximum æque facilis est responsio: quippe *Bonus Pastor* ut oves redimeret, dedit animam suam; & ne iterum lupi gregem discerperent, ne gloriarentur Judæi quasi prævaluerint, surrexit a mortuis; quamobrem e vestigio addit, *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*. Ex quo etiam Christus dicatur antonomastice *Bonus Pastor*, infertur neminem in ponendo pro ovibus animam suam esse illi simillimum. At legendus Augustinus Tract. XLVII. in Joan. num. 3. & 10. Quod additur ex Luc. XXII. de Pane Eucharistico, si ea verba, *Quod pro vobis datur*, conferantur cum Epist. I. ad Corinth. XI. 24. ubi legitur, *Quod pro vobis tradetur*, & cum iis, quæ ibidem apud Lucam habentur versu 20. de sanguine, *Qui pro vobis fundetur*; liquet posse habere significationem futuri, ac idem esse, ac *pro vobis dabitur* in mortem; etsi nos profitentes in consecratione panis verum sacrificium haud negamus significationem præsentis temporis, ut idem sit *datur*, ac *offertur*. Quod si ad hujus loci versiones confugiamus, his Lucæ verbis refellitur omnis Socini tergiversatio: legitur quippe in Arabica: *Quod commutabitur pro vobis*: in Æthiopica, *Quod datur propter vos in redemptionem*; in Syriaca, *Quod pro vobis tradetur*. En commutatio victimæ loco nostri: en expressa redemptio: en futura in cruce immolatio. Adeas N. Test. Walt. p. 378. & Bibl. Max. Tom. XIV. pag. 254. Postremum nihil evincit; nam Christum pro captivis substitutum ultro fatemur, sed ei non erat in captivitate permanendum, quia Diabolus, qui captivum tenebat humanum genus, Redemptorem nostrum nullius peccati reum pœna mortis afficiens devictus & ejectus est; ideoque Christus abstulit ejus arma, & spolia distribuit, Luc. XI. 22. elevatus in cruce omnia ad seipsum traxit, & quos redemit, emptitios fecit, suique juris, ac hujus mundi principem ejecit foras, Joan. XII. 32. & denique a mortuis resurgens, atque in altitudinem cælorum adscendens, ad fidem redigens qui erant sub tyrannide diaboli, captivam duxit captivitatem, Ps. LXVII. 19. & ad Ephes. IV. 8. Collustrabunt hanc responsionem quæ diximus cap. III. prop. 9. num. 5.

Præterea opponunt: Ita per Christi sanguinem reconciliati sumus, ut ille nullatenus fuerit redemptionis nostræ *lytrum*, ac pretium. Ac primo ad Rom. V. 10. legitur: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus per mor-*

rem filii ejus: multa magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius; ubi magis vitæ, quam morti Salvatoris nostra tribuitur salus. Deinde idem Apostolus 2. ad Corinth. v. 19. inquit; *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*. Vides quo pacto reconciliati sumus per Christum? sola non imputatione peccati. Addit Paulus: *Et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Itaque hortatione, ministerio verbi, & internuncii completo munere nos Christus reconciliavit Patri. Denique ex eodem Apostolo ad Ephes. iv. 32. ut ad Rom. iii. 24. *gratis*, ideoque absque pretio justificamur.

Resp. hæc omnia fuisse abunde refutata cap. 2. prop. 3. Brevi nunc ad primum dicimus ibidem Apostolum asserere nos esse reconciliatos *per mortem filii ejus*, & *in sanguine ipsius*. Sanguini itaque & morti reconciliatio nostra præcipue tribuitur, & ideo per vitam salutem consequimur, quia reconciliati sumus per mortem. Quod ut aperte percipias, animadverte Apostolum instituere *antithesim* inter inimicos & reconciliatos, inter mortem & vitam Christi. Verborum itaque illorum sensus obvius, & apertissimus est: Si cum peccatores essemus, redempti sumus pretio sanguinis, & reconciliati per mortem: curnam si justi erimus, eo vivente, nunquam moriturum, & interpellante pro nobis, reconciliati & amici salutem non assequemur? Præclare Chrysostomus hom. ix. in Paul. p. 93. *Vides quantum locus hic fundamentum habeat ad adstruendam futurorum spem: ante hunc enim duo quidem erant ad salutem nostram difficilia; & quod peccatores essemus, & quod salus per Domini mortem necessaria: quod ipsum minus persuasibile erat, antequam fieret, ac magnam adeo caritatem requirebat, ut fieret; nunc autem posteaquam hæc evenere, reliqua faciliora sunt. Etenim amici facti sumus, nec morte amplius opus est, &c.* Et S. Pater Aug. lib. xiii. de Trinit. cap. xvi. num. 21. *In vita salvi, quia per mortem reconciliati. Quis enim dubitet daturum amicis vitam suam, pro quibus inimicis dedit mortem suam?* Quod sequitur, inepte ad hanc rem detorquetur a Socino; etsi enim reconciliatio fieret per solam non imputationem peccati, ut tenent hæretici plurimi, minime excluderetur Christi redemptio, quoniam ait ibidem Paulus nos reconciliatos *esse in Christo*, & ad Colos. i. 20. *per sanguinem crucis ejus*. Ceterum non juvat hic locus nefarium aliud de justificatione placitum; quoniam Apostolus explicat reconciliationem ex parte, quæ continet abolitionem offensæ; non excludit gratiam habitualem, per quam reddimur sancti, & immaculati, ut demonstrat in h. l. illustris Estius, & nos vidimus lib. xix. cap. 2. Alterum in Socinianos retorquetur: nam Paulus tribuit Apostolis ministerium reconciliationis ob prædicationis officium, & munus legati atque oratoris; Christo autem tribuit ipsam reconciliationem, ideoque is non solum prædicatione & exemplo, verum etiam solutione pretii, sanguinisque effusione reconciliationis est auctor. Recte Chrysostomus hom. xi. in 2. ad Corinth. p. 821. *Ob idque etiam dicebat Apostolus, Deus erat mundum sibi reconcilians in Christo, hoc est, per Christum. Quoniam enim dixerat, Qui dedit nobis ministerium reconciliationis, temperamento quodam utitur, perinde ac si diceret: Non est quod existimetis summam hujus rei auctoritatem penes nos esse, ministri tantum sumus. Deus est qui totum hoc efficit, qui per Unigenitum suum terrarum orbem in gratiam recepit.* Comprobat hanc expositionem S. P. Aug. serm. clii. de Verbis Apostoli num. 10. ex iis, quæ apud Paulum sequuntur, *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: ubi *peccatum* significare hostiam pro peccato, etiam ibidem tradit S. Doctor: quod nos ostendimus prop. iv. num. 2. Scimus contendere Socinum pag. 137. de Christo Servatore, *peccatum* non hostiam significare, sed hominem habitum ut peccatorem. Sed præterquamquod refellitur ex dictis ibidem: quid infertur ex interpretatione versutissimi hominis, nisi Christum, ut nos Deo reconciliaret, factum esse *peccatum*, id est, *tanquam peccatorem aliquem pœnis obnoxium*, ut exponit quoque pag. 639. Œcumenius? Stat ergo reconciliationem nostram ex morte Christi esse repetendam. Ad ult. dictum est cit. prop. 6. nos justificatos esse gratis, *& per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*, ut *gratis* ad nostra promerita, non ad exhibitam a Christo satisfactionem debeat referri.

Ad hæc Sociniani objectant: Sacrificio Crucis nulla inerat vis expiandi; legales enim victimæ erant figura passionis Christi, ut serpens æneus, de quo Num. xi. 9. At quemadmodum qui respiciebant serpentem illum, eripiebantur a morte; ita qui Christo credunt, non pereunt, sed habent vitam æternam, ut inquit Joan. iii. 14. Item arca Noe, mare rubrum, & aquæ, quæ fluxerunt de petra, præfigurabant baptismum ex Apost. 1. ad Corinth. x. 6. 11. & 1. Petri iii. 21. quamvis nullam haberent vim expiandi. Præterea victimæ nullam sanctificationem afferebant, & tamen omnia illarum sanguine secundum legem mundabantur, ut Apostolus docet ad Hebr. ix. 22. quia sacrificiis peractis Deus plenam remissionem credentibus conferebat. Præterea falsum est Christum Sacerdotis munere functum, priusquam cælum ingrederetur. I. Quia Apostolus ad Heb. ii. 17. ait debuisse Christum per *omnia fratribus similari, ut Pontifex fieret*: assimilatus est autem per mortem; ideoque nondum in cruce fuerat Pontifex constitutus. II. Quia in eadem epist. cap. v. 5. legitur, *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quæ verba de resurrectione esse accipienda liquet ex Act. xiii. 33. non ergo ante resurrectionem Christus Pontifex erat. III. Quia in eadem ad Hebræos Epist. vii. 26. habetur: *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus*. Priusquam ergo Salvator ab impiis segregatus cælum conscenderet, nequaquam Sacerdotali functus est munere. IV. Quia in capite ejusdem epist. viii. 4. extat, *Si ergo esset super terram, non esset Sacerdos*. Quomodo ergo sacerdos erat e ligno pendens?

Resp. Aperte jam a nobis prop. 5. cap. 2. demonstratum cruentum, atque expiatorium crucis sacrificium, ostensumque qualem vim expiandi haberent olim mactatæ pecudes, & quo pacto præsignarent immaculati Agni immolationem. Ad illud ergo, quod priori loco objicitur, dicimus diversis typis, non uno duntaxat, Christum præfiguratum, ut diversa ejus munera innuerentur; & consequenter necessum non esse in unoquoque typo sacrificii rationem adinveniri: quamquam & serpens æneus Christum exaltatum in cruce, & petra, unde fluxerunt aquæ, latus illius apertum lancea, & Arca Noe Christi incarnationem, mortem, resurrectionem, & Ecclesiam præsignarint; ut accurate exponit S. P. Aug. serm. 6. ad populum, alias 17. de diversis num. 7. Tract. xii. in Joan. num. 11. q. 35. in Num. & libro xii. contra Faustum cap. 14. & seq. Quod additur de victimis, satis citata prop. 5. dilutum est, quippe, licet illæ non impertirentur vi sua animarum sanctitatem, eam præfigurabant, quatenus loco transgressorum mactatæ illos eruebant a pœna temporali, & mactationes animalium erant *præmissivæ figura* illius sacrificii, per quod habemus remissionem peccatorum, prout explicat idem S. P. lib. xxii. contra Faustum cap. 17. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 3. ad 5. ait: *Per occisionem animalium significatur destructio peccatorum, & quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur ad significandam expiationem peccatorum*. Et quoniam Sociniani negant victimarum pro transgressoribus substitutionem; dicant, quæso, cur Levitæ super caput immolandi vituli manus imponerent, Lev. i. 4. & iv. 4. cur super caput hirci posita utraque manu confitebatur sacerdos omnes iniquitates filiorum Israel, & imprecans capiti ejus illum in solitudinem emittebat, Levit. xvi. 21. cur dicebatur hircus ille portare omnium iniquitates, ibidem versu 22. nisi ut eo ritu demonstraretur victimam illam hominum iniquorum esse, pro illis immolari, ejusque sanguinem esse pro animarum *piacula*, ut habetur eodem libro Levit. xvii. 11.? Si ad hæc oculos aperire nolunt miserrimi Sociniani; videant saltem Genes. xxii. 13. pro Isaac in holocaustum offerendo immolatum arietem inter vepres hærentem cornibus: quo exemplo non tantum comprobatur victimæ pro homine substitutio, verum etiam præsignatur Christi immaculati agni pro nobis oblatio. Quare bene sapienterque Chrysostomus hom. xlvii. in Gen. pag. 665. *Hæc autem omnia figura fuerunt crucis: propterea & Christus Judæis dicebat, Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; & vidit, & gavisus est. Quomodo vidit, qui tot annis præcessit? Per figuram, per umbram. Sicut enim hic ovis oblata est pro Isaac, ita & rationalis agnus oblatus est pro mundo*. Similia Ambrosius lib. 1. de Abraham c. viii. num. 74. & S. P. August. lib. xvi. de Civit. Dei cap. 32. num. 1. & lib. ii. contra Maxim. 2. 9. Quæ adduntur ad probandum, Christum priusquam cælum adscenderet, non obtulisse sacrificium, sunt prorsus futilia; quum introierit *per proprium sanguinem*, & jam sacrificio peracto: unde sacrificium ab illius applicatione, & mactationem hostiæ ab ejus repræsentatione hæretici non distinguunt; nec animadvertunt, olim Pontificem victimam extra sanctuarium immolasse, postea intulisse sanguinem intra velum: ac pariter Jesum prius fuisse oblatum in cruce, postea ingressum cælos, ut pretium sanguinis jam effusi Patri exhibens semper viveret *ad interpellandum pro nobis*. Facta hac semel peractæ mactationis, & repræsentationis, oblationisque perpetuæ distinctione, quam faciendam esse ostendimus laudata prop. v. numer. 3. corruit tota machina Socinianæ perfidiæ. Ad quatuor autem loca paullo supra ex Epistola ad Hebr. petita laboriosum non est respondere. Nam priori loco docet Apostolus nos non habere Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, cum fuerit *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*, ut infra caput iv. 15. sed misericordem ac fidelem, qui vere illud efficit quod nomine, officioque suo pollicetur, idest, Deum placat, atque ad hoc efficiendum formam induit nostram, *ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis im-*

tis imperium, idest, diabolum. Ita nimirum sese explicat Apostolus præced. versu 14. Quamobrem non docet ibidem quando Christus constitutus sit Pontifex, sed quod factus sit particeps conditionis ac mortalitatis nostræ, ut fieret Pontifex misericors, & iis, quos fratres appellare dignatus est, assimilatus laborem sustineret, anxio esset animo, mortem subiret, & dolores nostros expertus facilius nobis condoleret: quod cum præstiterit suffixus cruci, in cruce factus est Pontifex misericors & fidelis. Legi potest in hunc locum Ribera. At cap. v. ait Paulus Christum non se extulisse, ut fieret Pontifex; sed glorificatum a Patre, qui illum filium appellavit. Quamvis ergo Christus fuisset filius Dei tantum post resurrectionem; nihil afferret adjumenti hac in re locus iste Socinianis. Declaratus est tamen filius etiam ante mortem, dum baptizaretur in Jordane, Mat. III. 17. dum gloriosus appareret in monte, Mat. XVII. 5. & 2. Petri I. 17. Imo cum sit filius generatione, ut etiam infertur ex cit. cap. XIII. Act., nunquam fuit non filius proprius, ac naturalis. Quo autem sensu ea verba, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quadrent resurrectioni, dixi libro VII. cap. 9. In tertio loco non immorabimur, cum ibi asserat tantum Apostolus assumptæ humanitatis Christi exaltationem in cælis post peractum crucis sacrificium, sicut olim Pontifex ingrediebatur in sancta mactato vitulo; ideoque sicut is erat Sacerdos, & sacrificium obtulerat antequam sanctuarium ingrederetur; ita Dominus Jesus, cum cælos penetravit, erat Pontifex, & peregerat sacrificium. Postremi loci planissimus sensus est, quod si Christus esset ex genere sacerdotum illorum, qui super terram offerunt victimas, ut erant sacerdotes Levitici, ipse non esset sacerdos, quia munera a sacerdotibus Leviticis oblata suos habebant ministros lege statutos, inter quos non poterat connumerari Christus ortus de tribu Juda: unde post ea verba, *Si esset super terram nec esset sacerdos*, addit Paulus, *Cum essent, qui offerrent secundum legem munera*. Potest & sic intelligi, si esset super terram, nec esset sacerdos: quam enim victimam, nisi moreretur, offerret? Pecudes? minime, quia non esset ex genere Levitarum. Seipsum? nequaquam, quia se cruentam hostiam obtulit moriendo; incruentam vero, ut mortem suam hominibus applicaret. Itaque si viveret super terram, sacerdos non esset. Œcumenius in Paulum Tom. II. pag. 375. aliam responsionem suppeditat minime contemnendam scribens: *Si mortuus non fuisset, neque resuscitatus assumptus fuisset, ne sacerdos quidem esset. Essent enim alii, & jam sedito esset in hac re*: nimirum persisteret adhuc sacerdotium Leviticum; nam, ut sequenti cap. IX. 8. docet Apostolus, statum habuit prius tabernaculum, antequam Christus seipsum offerret hostiam placabilem, & per proprium sanguinem introiret semel in Sancta. Quod si distinguas duo illa munera sacerdotis paullo ante explicata, sacrificare, & inferre sanguinem intra velum; adhibere poteris aliam responsionem, quam præ ceteris arripuit Witassius de Incarn. pag. 394. fuse autem explicavit Cameron volum. VII. Critic. Sacr. pag. 1029. idest, si Christus permansisset in terra, defuturam Sacerdotio Christi partem illam præsignatam in ingressu Pontificis intra velum, scilicet, oblationem, qua peracto sacrificio sistit se ante Deum pro nobis interpellando. De qua oblatione accipiendum quod legitur eodem cap. VIII. 3. *Necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat*; manifestius expressum proximo cap. IX. 24. *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit exemplaria verorum. sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*, &c. Ex quibus verbis etiam liquet factam in cælis oblationem nihil aliud esse, quam exhibitionem illius mortis, qua non frequenter mactatur, *sed semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, ibid. versu 28. Obstruamus igitur ora Socinianorum verbis Theophylacti p. 964. *Cum oblatione ingressus est, qua posset placare Patrem, Pontifex quotannis ingreditur, Christus vero semel. Ille in sanguine alieno, taurorum & hircorum; Christus autem in proprio. Si sæpe oblaturus erat seipsum, oportebat eum & sæpius mori, quandoquidem per proprium sanguinem oblationem facere debuisset*. Nil his proferri potest Paulinæ Epistolæ congruentius, nil simplicius, nil ad frangendam pervicaciam robustius.

Deinde nititur Socinus commonstrare repugnantiam satisfactionis ex parte Dei, ejusque misericordiæ. Ad hanc vero repugnantiam demonstrandam utitur primo veterum justorum exemplo, qui absque ulla Christi satisfactione salutem sunt assecuti, ut Abelis, de quo Mat. XXIII. 35. & ad Hebr. XI. 4. Noe, de quo 1. Petri III. 20. aliorumque multorum. Affert 2. testimonia Scripturarum, quibus resipiscenti repromittitur venia, nulla alia apposita conditione, quam ut iniquus ingemiscat, & convertatur ad Dominum. Vide Deut. IV. 30. Psalm. XXXII. 19. & Jeremiæ IX. 24. Idem confirmat ex quo, etiamsi sententiam Deus tulerit, si peccatorem pœniteat, omnium iniquitatum illius obliviscitur; ut idem Jeremias inquit XVIII. 8. necnon Ezech. XXXIII. 14. hujusque rei profert experimentum in Ezechia, in Achab, in Ninivitis. Cum ex his appareat Deum nulla accepta satisfactione condonare peccata, nonne Dei misericordiam obscurat decantata a Catholicis satisfactio? An non pugnant invicem misericordia & punitio, liberalis condonatio & debiti repetitio, beneficentissima largitas magnique pretii solutio? Præterea qui in hoc putant Deum liberalissimum, quod pro nobis tradiderit Unigenitum, faciunt ipsum Deum injustum magis & iniquum. Quis enim regem tenacem & avarum non dixerit, qui cum possit debitas condonare pecunias, eas ab illo, qui nihil ipsi debebat, repetierit? Ad hæc ille dicendus est munificus & liberalis, non qui est causa ut alter beneficio afficiatur, sed qui de suo donat atque largitur: & ideo Dei misericordiam obscurat, quisquis opinatur dedisse filium ut nos redimeret, & benefactis cumularet, non vero gratis debita condonasse. Quid? quod misericors Deus non misit Filium suum in mundum, ut dissolveret debitum, sed *ut omnis, qui credit in eum, non pereat*, teste Joanne III. 16. Insuper Apostolus hortatur, ut simus *invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut & Deus in Christo donavit* nobis, ad Ephes. IV. 32. Similia repetit proximo cap. V. 1. & ad Coloss. III. 13. Si ergo nos debemus ita proximo condonare injurias, ut non reposcamus satisfactionem; Deus quoque nihil a nobis repetens peccata donavit: quod verum non est, si aut nos, aut pro nobis quispiam alter persolvat. Insuper nec Deus ratione sui, nec ratione alterius potest exigere satisfactionem: non ratione sui, quid enim emolumenti ipsi afferre potest solutio debiti? quid ei ablatum fuit transgressione & peccato, nisi forte extrinsecus honor, qui sine punitione peccati ei redditur per resipiscentiam iniquorum? Nemo autem est alter, cujus intuitu debitum velit reposcere. Quis enim erit? Peccator? At is miser ac reus nullum jus habet repetundarum. Diabolus vero? Sed nihil debetur carnifici, atque tortori, nullaque est illi actio adversus supremum Dominum. Denique reposcit Deus ab iniquis pœnitentiam, ac bona opera in scelerum satisfactionem: atque id quo jure, si pro nobis abunde satisfecit filius ejus Unigenitus? Num potest aliquis solutam pecuniam repetere? Repugnat ergo ex parte Dei illa redemptio, quæ non fiat per solam condonationem.

Resp. Christi satisfactionem Dei misericordiæ, quæ nunquam a justitia divellitur, esse magnopere congruentem, ut III. cap. prop. 9. explanavimus; quæ vero ad hanc veritatem labefactandam Sociniani producunt, esse portenta vetustarum hæresum, gerrasque germanas. Ac primum Pelagius, ejusque discipuli a gratia Redemptoris excludere nitebantur veteres justos, ut Augustinus ait de Peccat. Origin. cap. 26. n. 30. & lib. 2. contra Julianum Operis Imp. n. 188. Refellitur autem aperte hæc hæresis ab eodem Augustino, ex quo solus Christus sit Dei hominumque Mediator juxta Apostolum I. ad Timot. II. 5. ex quo nullum aliud nomen sit sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, prout habetur Act. IV. 12. & ex quo veteres justi eumdem cum nobis habuerint spiritum fidei, ut legitur 2. ad Corint. IV. 13. quorum argumentorum primum urgetur a strenuissimo Pelagianorum Debellatore lib. de Perfect. just. cap. 19. n. 42. & lib. 5. Operis Imp. num. 524. alterum De peccat. origin. cap. 24. num. 28. tertium Epist. 190. num. 6. & de Patientia cap. 25. num. 18. Huc spectant quæ scripsimus lib. XXIII. cap. 7. prop. 1. de necessitate fidei in mediatorem. Prima itaque objectio Socini nullius est ponderis, quoniam in antiquis Justis operabatur virtus futuræ passionis Christi, qua & redempti fuerunt, & adepti sunt gratiam; veluti absolvitur debitor intuitu fidejussoris pollicentis definito tempore pretium persolvere. Quæ de misericordia Dei subjiciuntur, nihil pro Socino efficiunt; quippe non repugnat idem opus esse summæ misericordiæ respectu hominis nullum habentis promeritum, & justitiæ respectu Christi solventis quæ non rapuerat; præsertim cum ipsa Dei caritas hunc Unigenitum salutis nostræ causa in mundum miserit: quæ cum dilucide explicata sint citata prop. 9. & 6. præced. necessum non est iterum inculcare. Nobis itaque pœnitentiam agentibus misericordiam impendi, & si noverimus vitam renovare, mutari quoque divinas comminationes, verissimum est; sed cum reconciliati simus per mortem Christi, divinæ liberalitatis exercitatio non excludit, sed supponit Redemptoris satisfactionem. Accedit quod absque Christi meritis expertes gratiæ, & facti servi peccati nec possemus agere pœnitentiam, nec de resipiscentia cogitare; ut diximus prop. 8. cap. 3. ideoque ipsa Dei ad pœnitentiam invitamenta ex beneficio peractæ redemptionis proficiscuntur. Neque avaritia est, sed æquitas repetere pecuniam ab eo, qui nihil debebat, si fidejussor ac sponsor sit; hoc enim ipso, quod fidejubet, debitor constituitur. Ineptum vero est, & supra quam dici possit futile, ac ludicrum quod ajunt non esse in Catholica sententia summum Deum munificum & liberalem, quia de suo non donat: proprius enim Dei filius est, cui pro nobis non pepercit, eumque non coactus necessitate, sed caritate beneficentissima tradidit, id sacris eloquiis asserentibus, Joan. III. 16. & ad Rom. VIII. 32. At istic, in-

quit

quit Socinus, dicitur Christus traditus ut credamus. Recte, quia fides necessaria est, ut nobis meritum passionis Christi applicetur, ut paullo post explicabo; quum unus redemptionis effectus alterum non excludat, nec fides satisfactionem innumeris aliis testimoniis expressam. Proxima objectio petita ex cap. iv. ad Ephesios diluitur a S. Anselmo lib. 1. *Cur Deus homo* cap. xii. pag. 57. his verbis: *Nulla in hoc est repugnantia, quia Deus hoc præcipit nobis*, (ut condonemus invicem) *ut non præsumamus quod solius Dei est. Ad nullum enim pertinet vindictam facere, nisi ad illum qui Dominus est omnium*, &c. Quod si reponas inutilem fore Pauli hortationem, si Deus in condonandis delictis respiciat ad Filii mortem; dico ex hoc etiam capite Apostolica verba nos vehementius ad condonandas injurias permovere: quod evidenter ostendit eloquentissimus Joannes Chrysostomus hom. xvii. in Ep. ad Ephes. Tom. 2. pag. 5139. ea verba, *Sicut Deus in Christo donavit nobis*, sic apte graviterque exponens: *Hoc quoque magnum habet ænigma. Non absolute, inquit, sed cum periculo filii. Ut tibi ignosceret, sacrificavit filium. Tu autem sæpe videns condonationem & sine periculo, & sine sumptu, non facis.* Ac pariter Theophylactus pag. 547. *Deus donavit nobis. Quomodo? In Christo, hoc est, cum periculo filii sui, mactationeque ejus. Tu fortasse citra periculum donas; ille vero non sic: ac tu quidem fratri tuo; ille vero tibi, cum hostis esses remisit ac donavit.* Ad insequentem Socini objectationum dico nos redemptos a diabolo, non tanquam a Domino, sed tamquam a ministro divinæ justitiæ, & lictore, a quo congruum erat nos liberari, non sola Dei omnipotentia, sed justitia; quoniam ipse jure aliquo hominem tenebat captivum, prout explicavi citata prop. 10. n. 5. Quoniam tamen pretium solvitur Domino & proprietario, non ministro aut custodi; summo Deo, non diabolo, pretium redemptionis nostræ fuit persolutum. Quæris quid Deo accesserit emolumenti? Profectu nihil intrinsecum, sed gloria, & honor, quem ei abstulit primus homo: nam quemadmodum Deus puniendo pervicaces, licet in sui usum non convertat aut vitam quam aufert impio, aut beatitudinem quam ei denegat, sicut homo convertit pecuniam ablatam debitori in propriam utilitatem; *hoc tamen quod aufert* (inquit Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 14. pag. 58.) *utitur ad sui honorem per hoc quia aufert: auferendo enim peccatorem, & quæ illius sunt, subjecta sibi esse probat.* Ita Dominus Jesus nulli obnoxius peccato, & factus obediens usque ad mortem crucis, atque hac obedientia naturam nostram tamquam victimam Deo subjiciens reddidit ei honorem, ac supremi Domini cultum, quem inobedientia denegaverat Adam prævaricatus. Ad ultimum omnes Theologi respondent, Christum quidem pretium pro nobis persolvisse, nec tamen inanes esse conatus nostros, ac bona opera supervacanea; quoniam mors Christi necessaria erat ad satisfaciendum divinæ justitiæ, & ad redimendum humanum genus, nostra autem opera requiruntur ad applicationem passionis Christi, ejusque fructus percipiendos: neque id ejusdem passionis merito quicquam detrahit, quia non tollit exquisiti medicamenti virtutem necessitas applicationis; atque *Christus sua passione nos a peccato liberavit causaliter, idest, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata quandocumque remitti vel præterita, vel præsentia, vel futura: sicut si medicus faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari etiam in futurum.* Ut vero passio Christi sortiatur effectum suum, debet applicari *per fidem, & caritatem, & per fidei sacramenta.* Ita & nos docuimus Volum. 1. pag. 98. magni Aquinatis verba adhibentes. Quod si petas, cur ad applicationem istam cooperatio requiratur nostra; responsionem exhibent quæ diximus ad primam objectionem Socini, nimirum homines libero arbitrio præditos, & nulla necessitate cogente factos peccati, dæmonisque mancipia soluto quoque redemptionis lytro, volentes tantum, non invitos erui a captivitate; ideoque ad prædictam applicationem requiritur motus liberi arbitrii, & conatus eo major, quo majori voluntate adhærent peccato, ita, ut relapsis etiam pœnitentia ac tabula post naufragium sit necessaria, gravatis autem consuetudine vehementior nisus, & contumacis animi compressio. Adeat qui plura cupit Joannem Driedonem inter medii ævi Scholasticos de his accuratissime pertractantem in elaborato Opere de Captivit. & redemp. humani generis Tract. 1. 5. pag. 66. editionis Lovaniensis.

Insuper Socinus demonstrare conatur fieri non potuisse, ut divinæ justitiæ satisfieret, nobis non pereuntibus: quod ut evincat opponit. I. Pœna peccati constituta est mors æterna, & hæc a nemine ferri potest, nisi qui peccavit; unius quippe pecunia potest alterius effici, at non mors inflicta, ac sempiternum supplicium. II. Quamvis homines libidine excæcati vindictæ aliquando in justum deseviant; nunquam tamen plectunt aliquem innocentem incolumi sponte dimisso qui intulit injurias. At si homines barbari nunquam de innocentibus pœnam sumunt, consulto dimissis nocentibus; quomodo id plusquam immane ac ferinum censeri poterit dignum Deo? III. Vituperationem promeretur exemplum Zaleuci Locrensis, qui cum deberet utrunque oculum eruere filio, sibi unum, filio alterum effodit; ac dum simul parcere nocenti filio, & legi satisfacere curat, neutrum facit. Ita in Catholicorum sententia nec filio unigenito pepercit Deus, nec punivit iniquos. IV. Omnium gentium exemplo comprobatum est non debere, nec posse corporalem pœnam, quam unus debet, ab alio persolvi; quod & supremus legumlator Deus apertissime docuit. Deut. xxiv. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Habentur consimilia iv. Regum xiv. 6. & Ezechielis xviii. 20. Si autem pro patre satisfacere nequit filius conjunctissima patri persona; quomodo satisfacere potuit pro ceteris hominibus Christus? V. Si Deus erga homines voluit exercere misericordiam, cur filium affecit supplicio? Si justitiam, cur non potius animadvertit in eos, qui deliquerant? Num repones exercuisse utrumque? Non est perfecta misericordia, quæ cum peccatum condonare valeat, non condonat: nec perfecta justitia, quæ pœnam non exigit a delinquentibus. VI. Vera satisfactio est plena debiti persolutio. Unusquisque debebat divinæ justitiæ mortem æternam. Igitur nequit justitiæ satisfactum iri, nisi unusquisque mortem illam persolvat. VII. Quomodo potest quis eam corporalem pœnam pro aliis solvere, quam ipse debeat? VIII. Si dixeris Christum non fuisse obnoxium morti, utpote qui nihil deliquerit, unicam tamen habebat vitam, quæ substitui non poterat pro vita hominum singulorum, sicut qui habet tantum centum aureos nummos, satisfacere nequit pro innumeris debitoribus, quorum singuli debeant centum nummos aureos. IX. Non potest unius justitia, alterius qui injustus fuerit justitia censeri. Igitur nec pœna unius pœna alterius: ait enim Ezechiel citato cap. xviii. 20. *Justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum.*

Resp. his quoque Socini argumentationibus a me satisfactum c. 3. prop. 10. Ad priorem ergo nego quod non possit pro vita nocentium subrogari vita Innocentis, si vas ille sit ac fidejussor, si potestatem habeat ponendi animam suam, si non invitus, sed lubens ad supplicium trahatur, & si debitum persolvat supremo Domino, qui accepta exhibita satisfactione, oblati innocentis mactationem ob meritum spontaneæ immolationis compenset vita meliori ac sempiterna. Et si innocens, qui mortem subit, sit Deus homo; nego etiam ejus cruciatus corporisque vitæ profusionem, quamvis factam exiguo tempore, non esse propter infinitam personæ dignitatem cum sempiterna universorum hominum punitione æquali ac majori pretio æstimandam. Verum id proximo capite est demonstrandum. Hæc divina persona plenissimo vitæ suæ dominio prædita, potest illam pro aliis profundere; non minus ac fidejussor propriam pro debitore pecuniam; nam ideo inter homines fit pecuniarum, non vitæ, subrogatio, quoniam hanc supremus Dominus juri suo reservavit, præcipiens ne quis absque divina auctoritate funderet humanum sanguinem. Ad 2. dico homines vindictæ excæcatos libidine non spectare æquitatem, sed hostium suorum necem ac perditionem, ac propterea nunquam illos dimittere incolumes, si detur potestas ulciscendi. At Deus justitiam suam spectans, hominumque incolumitati prospiciens, his ob Unigeniti mortem pepercit; maxime quod non oderat creaturam suam, cum scriptum sit, *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, Sap. xi. 25. sed oderat iniquitatem quam incolumi opera manuum ejus punivit in Filio. Atque ita justus exemplo Domini sui *magis cupit inimicum suum corrigi, quam puniri, & cum in eum videt a Domino vindicari, non ejus delectatur pœna, quia non eum odit, sed divina justitia, quia Deum diligit. E contra malevolus animus contristatur, si ejus inimicus correctus evaserit pœnam: & cum puniri eum videt, vindicari se ita gaudet, ut non justitia Dei, quem non diligit, sed illius quem odit miseria delectetur.* Hæc sapientissimus Augustinus Enarrat. in Ps. lxxviii. n. 14. Ex quibus apparet cur in hominibus vindictæ cupidis appareat ferinum odium & vesana libido; in Deo autem æquitas simul, & caritatis munificentia splendescat. Perlegas & S. Patris librum contra Adimantum cap. xiii. num. 3. Ad id, quod sequitur, primum liquet imperite a Socino proferri exemplum Zaleuci, cum mortalium nemo queat manus in seipsum inferre; ac supremus Dominus, Socino non diffitente, addicere potuerit teterrimæ morti Filium nullius criminis conscium, idque perditissimus hæreticus afferat, quamvis non credat Dei Unigenitum peccata nostra portasse, nostrumque fuisse vadem, atque fidejussorem; id quod difficilius esse intellectu, quam si affirmes oblatum, quia voluit, ut lytrum pro nobis solveret, & nos a captivitate reduceret, percipit quilibet homo cordatus. Vidit propterea hujus exempli incohærentiam idem Socinus, vir, si bene usus fuisset ingenio, nec rudis, nec incultus, scribens pag. 195. de Christo Servatore, *Sed jam inepto hoc exemplo valere jusso.* Deinde Zaleucum commendant Heraclides de Politiis Græcorum, Aristoteles de Locrorum Republica, Diodorus lib. xii. Strabo libro vi. Ælianus lib. iii. Clemens quoque Alex. in 1. Stroma-

natum: de exemplo, quod objicitur a Socino, scriptum ab Emmio de Rep. Locrensium, Tom. IV. Antiq. Græc. pag. 595. *Sic & filio consultum, & legi satisfactum, & robur majus additum*, Quarto loco impetite Socinas opponit Gentium universarum consuetudinem; primum, quia citata prop. 10. demonstravimus exemplo Damonis, Pythiæ, obsidum, & eorum quos Græci appellant ἀντιψύχους, idest, *animæ alterius vicarios*, sumptum apud Gentes etiam de insontibus supplicium, si devoti essent, aut vades ac fidejubentes; quod non solum testatur Ausonius, & Diodorus in Excerptis Paresianis, verum etiam S. Pater Augustinus Epist. 54. ad Macedonium, nunc 153. num. 17. De qua te legi potest Grotius de Jure belli & pacis lib. 2. cap. 21. num. 11. Nec repugnat iniquum & atrox visum fuisse Narseti, Scipioni, aliisque de innoxiis obsidibus supplicium sumere: nam & nos id inhumanum existimamus, quia nihil juris est homini in vitam suam, vel alterius, sed tantum in alias res, quæ in proprietatem veniunt, & quarum transfertur dominium. Quamobtem Gentes ejusmodi jus usurpantes arbitrabantur fas esse sævire in vitam innocentium; & quia hoc jure carebant, ab aliquo probo viro redarguebantur: cum Deus, qui pollet supremo jure, possit inviolata æquitate plectere innoxium, maxime non invitum, & se constituentem alterius vadem, ut inde Dei gloria, hominum salus, peccati abolitio, vitaque proveniat æterna. Atque hinc eruitur responsio altera, idest, quod si ab hominibus morte tantummodo afficiantur innoxii, dum pereunt justi, scelesti autem evadunt incolumes, labefactatur respublica: quod sane incommodum non oritur ex Christi morte, cujus efficacia deleta est culpa, & instituta sunt peccatorum omnium remedia. Insuper non esse contra naturam pœnæ si ea plectantur innoxii demonstratum est prop. 10. num. 3. pluribus Scripturarum testimoniis, eisque addi possunt Hesiodi, & Virgilii carmina, & profanarum historiarum exempla partim collecta a Justo Lipsio lib. 2. de Constantia pag. 23. tom. 2. partim vero a Jo. Lorino in cap. 24. Deut. tom. 2. p. 213. Socinianis ergo mirantibus quod nos credamus irruisse in Christum debita peccatis nostris supplicia, æquum est cum eodem Lipsio respondere: *Hem! ita ne hoc novum, aut mirum? Ima miror ego mirari istos miriones.* Atque hinc habes objecta Scripturarum loca esse accipienda de lege ordinaria, quando filii ab originali noxa expiati legem custodiunt, quando ex illorum punitione nullum commodum capessit respublica, quando justis supplicio affectis improbi pervicaciores persistunt, & quando judicia exercentur ab homine nullam habente in vitam alterius potestatem. Quare his finibus non continetur altissimum homines reparandi consilium, executioni mandatum pro impiis scelere paterno inquinatis, mortem Christi decernente supremo Domino, eamdem subeunte Unigenito summa prædito potestate, atque hinc commodis inumeris provenientibus. Ad 5. patet responsio ex 9. prop. ubi ostendimus quomodo in hominum redemptione *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*, Quamvis vero sit imperfecta misericordia, quæ delectatur morte delinquentium; perfectissima est, quæ delectatur justitia, non peccatorum miseria: ac talis fuit misericordia Dei, cui accepta fuit passio Christi non propter Filii cruciatus, sed propter hominum liberationem: nec deest huic misericordiæ liberalis condonatio, quia ipsa donavit proprium filium, qui satisfaceret; nec deest perfectio justitiæ, quia cum satisfacere non posset debitor, condignum pretium exegit a Vade: ac si Deus vel peccata gratis condonasset, vel satisfactionem exegisset ab homine, (quamvis cum sit supremus Dominus facere potuisset utrumque) minus appareret misericordia, quia non donasset hominibus proprium Filium; & minus justitia, quia non exegisset condignam satisfactionem. *In hoc ergo apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum*, inquit Joannes Epist. 1. cap. IV. 9. Præclara sunt etiam S. P. Augustini verba serm. CCVII. alias 71. de diversis num. 5. *Quæ autem major esse misericordia super miseros potuit, quam illa, quæ cæli Creatorem de cælo deposuit, vel terreno corpore terræ induit conditorem; eam qui in æternitate Patri manet æqualis mortalitate coæquavit & nobis, formam servi mundi Domino imposuit, ut ipse panis esuriret, satietas sitiret, virtus infirmaretur, sanitas vulneraretur, vita moreretur? Hoc autem ut nostra pasceretur fames, rigaretur ariditas, consolaretur infirmitas, extingueretur iniquitas, ardesceret caritas. Quæ major misericordia, quam creari creatorem, servire dominatorem, vendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi suscitatorem?* Ad 6. 7. & 8. dictum paullo supra, & proximo capite repetendum, vitam unius Domini Jesu Christi majoris esse pretii, quam sit vita hominum universorum, & illam voluntaria immolatione profusam satis esse ad totius mundi exhaurienda peccata. Ad ultimum dicimus posse justitiam Christi esse justitiam nostram *efficienter*, idest, nobis promerendo caritatem & gratiam, per quam *formaliter* justificati lavacro regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, hærentes Domino, *per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritalis*, salvi simus ab ira *in vita ipsius*; ut explicatum est libro XIX. cap. 2. Quare si justificemur in Christo, de nobis ob Christi merita recte enuntiabitur. *Justitia justi super eum erit*; sicut de iniquis, qui a gratia exciderunt, *Et impietas impii erit super eum*.

Conatur insuper Socinus evincere Christum neque satisfecisse pro nobis, nec satisfacere potuisse. Ac primum probare nititur ad hunc modum. Priusquam, inquit, Christus in mundum veniret, jam Deus erat placato erga nos animo; ait enim Joannes Epist. 1. cap. IV. 10. *Ipse Deus dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Jam ergo nobis condonaverat illatas sibi injurias. Deinde non subiit Christus æternam mortem, alioquin non resurrexisset, & multo minus expertus est pœnas damnatorum; ac proinde non pertulit quicquid peccato debetur. Præterea ad hoc ut superaret mortem, necessarium fuit, ut resurgeret: ergo satisfactio nostra vitam Christi potius requirit, quam mortem. Quid enim opus fuerat per resurrectionem mortem superari, si peccatis deletis eadem mors amplius non poterat dominari? *Aculeus mortis peccatum*, inquit Paulus 1. ad Corinth. XV. 56. Si igitur peccatum auferas, mors caret aculeo, & nocere non potest. Ineptum est quod respondere solent Catholici resurrectionem fuisse necessariam ad fidem. *Nunquid enim*, ait Socinus pag. 198. *si aliquis pro me creditori meo satisfecerit, & pecuniam reipsa meo nomine solverit, quam repetere jam non possit, neque solutum, neque satisfactum erit, nisi prius ego id verum esse credam?* Ad hæc ante resurrectionem nihil fuit in Christo, quod in nobis futurum non sit, nam & nos resurgemus in æternum regnaturi, Apoc. XXII. 5. Non ergo ante resurrectionem pro nobis satisfecerat, præsertim cum scribat Apostolus cit. Epist. 1. ad Corinth. XV. 15. nos in peccatis nostris futuros fuisse, nisi Christus resurrexisset. Accedit, quod in nos adhuc dominantur mors corporis, & calamitates quamplurimæ, quæ peccatum consequuntur; & innumeri homines plectuntur sempiternis quoque suppliciis, ac magnus numerus parvulorum excluditur a cælesti regno: quod salva æquitate fieri non posset, si pro peccatis omnium Christus satisfecisset. His ergo momentis constat nullum redemptionis pretium fuisse ab eodem Christo solutum. Sed neque id fieri potuit: primo quia ipsemet factus erat *sub lege*, ad Galatas IV. 4. Legi itaque subjectus quomodo pro aliis satisfacere poterat? deinceps erat innocens, ac omnis pœna peccatum supponit, ut non semel est repetitum.

Resp. facillime superatis aliis eludit conatus istos Socinianorum infirmiores. Et priorem quidem difficultatem proponit majori etiam vi, quam Socinus faciat, S. Pater Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 21. num. 15. eamque in sequentibus luculentissime solvit. Quærit primum cur jam placatus Pater proprio Filio non parcens pro nobis illum tradiderit, & nihilominus Filius pro nobis mortuus sit, & reconcilietur nobis Pater per mortem ejus: quorum unum docet Apostolus ad Rom. VIII. 31. alterum ad Rom. V. 10. nec tamen una sententia alteri sit adversa? Deinde ait Patrem dilexisse nos, non solum antequam pro nobis Filius moreretur, sed etiam antequam conderet mundum, ipso teste Apostolo ad Ephes. I. 4. ipsumque Filium Patre sibi non parcente non invitum esse traditum, sed dilectione & caritate sua, ut scriptum est Galat. II. 20. sanctum quoque Spiritum, quum pariter & concorditer cum Patre & Filio operetur, nullram reconciliationem decrevisse, & tamen nos justificatos esse in Christi sanguine, & reconciliatos Deo per mortem Filii ejus. Explicans deinde quomodo id factum sit, narrat quadam justitia Dei in potestatem diaboli fuisse traditum genus humanum, & non potentia, sed justitia fuisse eruendum, quod factum est beneficio mortis Christi; quia cum in eo nihil morte dignum inveniretur, occidit eum tamen diabolus: atque ita justum erat, ut quos debitores tenebat, liberi dimitterentur, quia occisus liber a debito mortis solvit quæ non rapuerat, in remissionem peccatorum nostrorum innocente sanguine effuso. Hæc Augustinus demonstrat testimoniis Scripturarum invictissimis usque ad cap. XIV. n. 18. & omnia cohærent cum his, quæ diximus c. 3. prop. 8. num. 3. & prop. 9. num. 5. hoc de Trinitate Opere laudato. Præcedit itaque misericordia tradens Filium, sequitur justitia vincens diabolum. Et quoniam Socinus objectat priorem Joannis Epistolam, adeat eumdem Augustinum Tract. VII. num. 9. respondentem, ideo Deum prius dilexisse nos, quia *misit Filium suum litatorem pro peccatis nostris*, & ipse Filius non inveniens *hostiam, quam puram volebat offerre, seipsum obtulit*. Sed quid plura, cum idem eo loci affirmet Joannes verbis, ut inquiunt, quadratis? Ad illud, quod proxime sequitur, diximus Christi mortem æquivalere, imo præponderare cuilibet alteri pretio. Ad alterum responsum est in 1. harum objectionum classe numer. 4. ubi diximus resurrectionem fuisse necessariam ad fidei confirmationem; quia articulo resurrectionis sublato concidit spes nostra, inanis est fides, & Apostoli faciunt Deum mendacem, falsique sunt testes. *Nam si mortuus non potuit resurgere, neque abolitum est peccatum*,

neque

neque mors est perempta, nec ablatum est maledictum & execratio, & non solum nos inania prædicamus, sed vos quoque credidistis inania, inquit ibidem Apostolus versu 14. & 55. Chrysostomo interprete, Hom. XXXVIII. Tom. 1. in Paulum pag. 675. Petit Socinus, quid necessum erat resurgere, si mors carebat aculeo? Quid sit aculeus, sive stimulus mortis docet Apostolus scribens v. 56. *Stimulus autem mortis peccatum*. Mors ob Adæ culpam *in omnes homines pertransiit*, teste eodem Apostolo ad Rom. v. 12. nec pertransiit tantum, dominabatur quoque, & *habebat imperium*, ad Hebræos II. 14. At post resurrectionem *mors ultra non dominabitur*, ad Rom. VI. 9. quia *mortale hoc induet immortalitatem*, ad Corinth. XV. 53. Necessum ergo erat, ut Christus a mortuis resurgeret, & resurrectionem prænuntiaret nostram; ut perciperemus cessasse mortis imperium, & fore ut aliquando diceremus, *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? idest, ubi est mors victoria tua, qua omnes sic viceras, ut etiam Dei Filius tecum confligeret, teque non vitando, sed suscipiendo superaret? Ubi est aculeus tuus, hoc est, peccatum, quo puncti & venenati sumus, ut te etiam in nostris corporibus figeres, & ea tam longo tempore possideres?* Audis, opinor, Socine, quis loquatur. Augustinus is est in III. de remissione peccat. libro cap. XI. num. 20. Mortuus est ergo Christus, ut nullus esset mortis aculeus: resurrexit, ut nulla esset mortis victoria. Quod si reponas per nos contrahi a pueris originale peccatum, adeoque habere adhuc mortem aculeum; aperta est ex dictis responsio, necessarium esse, ut consepulti simus Christo in baptismo, & complantati similitudini mortis ejus, ad hoc ut redemptionis fructum percipiamus: quod ipse docet Apost. ad Rom. VI. 4. ad Colossen. II. 12. & Petrus 1. Epist. III. 21. Aliud est enim de redemptione loqui, aliud de ejus applicatione. Ergo, ut ad Socini argumentationem revertar, surrexit Christus ne inanis esset fides nostra, id Apostolo absque ambage ulla asserente in 1. ad Corinth. XV. 15. Nec requiritur fides nostra, ut pretium sit seipsa a Christo solutum, ut mussat tergiversator; sed ut pretium applicetur nobis, quemadmodum semel, iterumque explicatum est supra. Quod ait nos post resurrectionem in æternum regnaturos, si se excipiat, aliosque ministros Satanæ, nec non improbos omnes ingratos Redemptori, id credimus & speramus: sed ideo regnabimus, quia agnus occisus redemit nos in sanguine suo, & fecit nos Deo nostro regnum; quod pariter legimus in Apocalypsi V. 10. aliisque in locis compluribus. Illud, quod proximo loco objicitur de morte, ceterisque miseriis etiamnum debacchantibus, diluitur a magno Augustino lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 31. num. 50. & seqq. quia nisi homines a Christo redempti experirentur corporis mortem, *carni quadam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo*: deinde quia nemo *ad illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis festinaret*: alterius quia dum seminatur corpus animale, & resurgit spiritale, Redemptor *plus fidelibus suis sine dubitatione donavit*: insuper quia *res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus solvit, tamen ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur, & exerceantur in agone justitiæ*. Revera, ut S. Pater ait proximo cap. 33. num. 53. propter peccatum *spinas & tribulos* parit terra: propter peccatum dixit Deus homini, *In sudore vultus tui vesceris pane*. Gen. III. 19. propter peccatum dictum est mulieri, *In dolore paries*, ib. vers. 16. & tamen nonne post remissionem peccatorum terra germinat aspera? nonne labor permanet? nonne feminæ dolores parturiendo patiuntur? Negare itaque non potest Socinus, nisi alienus a fide catholica etiam sacris literis adversetur, mortem, & calamitates, quæ *ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem esse certamina exercitationesque justorum*. Ita Pelagianorum argumentationes recoquenti Socino cum Pelagianorum oppugnatore respondemus. Legi item possunt quæ de hoc argumento scribit Athanasius de Incarnat. Verbi Dei num. 21. Tom. 1. pag. 65. Quod autem addebatur de iniquis pereuntibus, & de infantibus decedentibus sine regenerationis lavacro, cum dictum sit supra necessariam esse applicationem per fidem, per caritatem, & per Sacramenta, ut Christi passio effectum sortiatur suum, alia modo confutatione non eget. Ad rationem, quæ in postrema parte nobis opponitur, respondeo ad hunc modum. Tres caussæ sunt, propter quas Christus, tametsi legi subjectus, potuit nihilominus pro nobis satisfacere. *Prima* est, quod huic subjectioni sponte sese addixit, ut haberet quod posset immolare pro nobis, accipiens *formam servi, & in similitudinem hominum factus*, ut docet Apostolus ad Philipp. II. 7. imo & eodem loco, qui opponitur ad Galat. IV. 4. assumendo autem formam servi, & factus sub lege, non amisit quod erat in principio, idest, formam Dei, per quam est æqualis Patri, ideoque potuit esse Redemptor, ac Mediator inter Deum & homines, inter justum & injustum, inter immortalem & mortales, quia *assumpsit aliquid ab inimicis & mortalibus servans aliquid cum justo & immortali*, inquit S. P. Augustinus serm. 365. alias 220. de diversis num 16. Altera causa est, quia habebat *potestatem ponendi animam* suam, Joann. X. 10. & consequenter *mortem carnis non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit*, ait idem Augustinus in Psalm. LXXXVII. num. 3. Tertia causa est, quia mors homini inflicta est in pœnam peccati, & cum Dominus Jesus aliquid non haberet quare juste moreretur, carnem assumens nostram *de peccato damnavit peccatum in carne*, ad Rom. VIII. 3. *Unde illa mors Domini dignationis fuit, non debiti*, inquit prælaudatus Augustinus in Expositione prop. ex Ep. ad R. n. 48. Postremum abunde refutatum est supra.

Tandem Socinus contendit nos Christi satisfactionem defendere philosophicis inventis, dum ad probandum exhibiti pretii valorem confugimus ad personæ divinæ infinitam dignitatem. Quod ut probet decem urget argumenta, aut ineptias potius aniles. Principio, inquit, nulla est apud Deum personarum acceptio. Deinde illud urget: Nunquid si vir princeps unius horæ exilio mulctetur, idem erit, ac si homo plebejus perpetuo damnetur exilio? Tertio repetit Christum passum non fuisse damnatorum pœnas. & quamvis non defuerint qui id senserint, explosam tamen esse communi suffragio sententiam istam. Præterea opponit Christus ad gloriam ea quam antea habebat infinitis partibus majorem evectus est: quomodo ergo ejus passio tanti fuit pretii, ut promereretur pro aliis? Addit quinto loco: Finiti ad infinitum, ut dici solet, nulla est proportio: pœnæ Christi exiguo tempore finitæ fuerunt; nullam ergo proportionem habent ad nostras perpetuo non finiendas. Argumentum sextum illud est: Creditur Christus a Catholicis verus Deus, sed falso, non enim opus fuisset, ut tot acerbos cruciatus, mortemque tam diram perferret. Insuper argutatur: Dato quod Christus Deus sit, ut Deus non poterat quidquam pati; passus itaque est ut homo. Nec sufficit unio, quam dicunt hypostaticam, ad conferendam passioni humanitatis majorem efficaciam: nam qua majori prædita est vi sumptio cibi vel potus in homine, quam in ceteris animantibus? Ergo plaga corpori hominis inflicta nullam aliam vim habet, quam si inflicta fuisset bestiæ, nec aliam mors illata homini Deo, quam si illata esset puro homini. Illud quoque objicit: Divina natura non potuit afflictari, sicut animantia, quæ dum corpus affliguntur persæpe dolent; nullam igitur vim contulit afflictationibus naturæ humanæ. Octavo illud affert: Etiamsi Deus sit infinitus, non tamen operationes Dei, quantumvis maximi, infinitum habent pretium; non enim tanti æstimatur mundus, homo, & quælibet res creata, quanti summus Deus Auctor, & Conditor. Idem asserendum de Christi operibus. Aliam quoque rationem adjicit, nimirum, quod ille, qui satisfacit, debet esse ejusdem generis & naturæ, cujus ille est, pro quo satisfacit; unde infert opus fuisse, ut Christus satisfaceret in quantum homo: quod ob finitam humanitatis conditionem fieri non potuit. Postremum argumentum hoc pacto intenditur: Ipsa divina natura ipse Deus erat, cui erat satisfaciendum; quomodo ergo Christus ut Deus poterat satisfacere? Si recurras ad divinarum personarum distinctionem; nonne ipsius Filii personæ, non minus, quam personæ Patris, satisfaciendum fuerat? Hæc Socinus: qui, ut ex dictis apparet, quicquid adversus Christi satisfactionem afferre poterat vel perfidia hæresis, vel fallax dialectica, vel dæmonis inspiratio, & quicquid ipsius gregarii ore pestifero evomuerunt, retuxit & propinavit: & quem nos data opera oppugnaru studuimus everso funditus universo ejus systemate: nam quæ objecta sunt nuper Scholastici omnes norunt, & contriverunt in quæstione proximo capite instituenda.

CAPUT VI.

An satisfactio Christi fuerit condigna, atque ad juris apices?

CONTRA postremas Socini argutationes ferunt nobis suppetias omnes in Schola Theologi in ea quæstione, utrum Christi satisfactio fuerit æquivalens, & ex stricta justitia. Omnes enim condignam & æquivalentem fatentur propter personæ satisfacientis infinitam dignitatem; quamvis Scotus, Durandus, & Gabr. in distinct. XIX. libri 3. ac nonnulli alii eorumdem sectatores negent fuisse ex rigorosa justitia, si omnes conditiones spectentur justitiæ hujus, quas singuli approbant. Sunt vero conditiones illæ quatuor: ac prima, ut satisfactio sit æquivalens, & creditori quantum ablatum est persolvatur: secunda, ut sit ad alterum: tertia, ut sit ex propriis bonis personæ, quæ satisfacit, eaque bona sint alias indebita: ultima, ut non interveniat ex parte creditoris alicujus partis debiti gratiosa remissio. Addunt quidam conditiones alias, ut satisfactio sit libera, ut sit a persona offendente, ut denique creditor teneatur illam acceptare: quas tres conditiones arbitror non esse modo expendendas; nam quantum ad libertatem attinet, requiritur tantum ratione meriti, & Christum mortuum plenissima libertate consentiunt omnes; satisfactionem exhibendam ab ipsa persona offensa verum est, si nullus adsit fidejussor, qui solvat; ac de-

mum

tum nullam in Deo creditore reperiri necessitatem absolutam, sed hypotheticam tantum, ac supposita redimendi humanum genus gratuita prædefinitione, liquet ex priori capita hujus libri. Occurrit ergo difficultas de quatuor illis conditionibus principio positis, præsertim cum illustris Scotista Mastrius fateatur disp. IV. q. 4. dub. 3. postremas ab omnibus non requiri.

His conditionibus non obstantibus, satisfactionem Christi fuisse ad juris apices tenet universa Schola Thomistarum, ac nostra, subscribentibus Salmant. disp. 1. dub. 7. Sylvio quæst. 1. art. 2. q. 3. Suaresio disp. 4. sect. 5. L'Herminerio Tom. 3. pag. 115. Du-Hamel lib. IV. dissert. 1. cap. 2. Tournely quæst. V. art. 3. Witasse quæst. XI. art. 2. quos a magno numero sat est laudasse. Nec desunt, qui sententiam oppositam appellent sacrilegam, impiam, & Christo Domino indignam, ut Barth. Medina, Capreolus, Soto, Cabrera, apud præcitatos Salm. num. 214. Sed cum illius auctores pretii valorem non minuant, ac tantum de his conditionibus dissentiant, temperandum est a censura, quam hac ratione propulsat Mastrius loco citato. Distinguenda itaque est illa quæstio, an Christi satisfactio fuerit æquivalens & condigna, ab altera, an fuerit ad strictos apices juris: quarum primam negative resolvere esset meritis Christi detrahere, & instaurare ad bellum confractas Socini vires: alteram affirmative propugnare, licet id catholica fides non exigat, est omnino extremos ejusdem Socini impetus confringere, cum & ipse, ut vidimus, iisdem justitiæ conditionibus objectis tela ejaculet: quod nonnulli ad concertationem domesticam, quam ad hostium conflictum, paratiores, minime prævideruns. Duabus ergo propositionibus id, quod quæritur, explanabimus.

PROPOSITIO I. Satisfactio Christi nedum æquivalens est, verum etiam superabundans.

Probatur I. ex Scripturis: nam Psalm. CXXIX. 7. legimus: *Copiosa apud eum redemptio*; ubi non solum advertendum est redemptionem dici *copiosam*, *multam*, *eximiam*; verum etiam addi, *Ipse redimet Israel*, ad commonstrandum, inquit August. Enarrat. in hunc Psalm. n. 12. *quia Israel vendere se potuit, & fieri venundatus sub peccata; redimere se ab iniquitatibus non potest: sed ille potuit redimere, qui se non potuit vendere*. At satisfactio imperfecta etiam ab homine, qui se vendidit, poterat exhiberi. II. Ad Rom. V. 20. inquit Apostolus: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*: quo in loco fieri ex contrariis collationem probat adversus Jul. S. P. Aug. lib. 2. Op. Imperf. n. 217. cum *ex una parte generatio ponatur, & ex altera regeneratio; ex una regnum mortis, ex altera regnum vitæ; ex una abundantia, ex altera remissio peccatorum*. Atqui, ait Sylvius, peccatum de rigore justitiæ intulit damna, quibus homo erat obnoxius. Ergo gratia Christi etiam de rigore justitiæ damna illa reparavit. Aperta est in eumdem locum sententia Theophylacti pag. 54. *Veluti igitur contrariæ inter se se pugnantes acies constituuntur, peccatum quidem militem habuit mortem, gratia vero justitiam*. III. Idem Apostolus ad Hebr. X. 12. 14. instituens comparationem inter legales hostias, & Christi mortem, de illis inquit: *Numquam possunt auferre peccata*; de hac autem: *Consummavit in æternum sanctificatos*: atque utitur hac ratione, ut ostendat cur olim Sacerdos quotidie præsto esset ministrans, easdemque *semper* offerens hostias, Christus vero unam *semel* obtulerit: quod sane nihil evinceret, nisi Christi satisfactio omne debitum persolvisset æquivalenti pretio, nam & sacrificia legalia purgare poterant ex Dei liberalitate peccata; & justa adesset causa aliam quotidie hostiam mactandi, nisi Christus semel oblatus sanguinis sui magno pretio peccata omnium exhausisset. Audias in hunc locum Œcumenium Tom. 2. pag. 395. *Unica enim oblatione, quam obtulit Christus, perfecte a peccatis liberavit*. Et infra: *Quæ necessitas est multarum oblationum, quum unica illa, quam exhibuit Christus, fuerit sufficiens ad auferenda peccata?* IV. Huc spectant omnia fere argumenta, quibus cap. 2. & 3. ex sacris literis probatum est nos emptos pretio magno, damnatum peccatum ex peccato, Christum peccata nostra portasse, & cetera, quæ repetere non est opus.

Deinde probatur ex Patribus: nam Chrysostomus hom. X. in Epist. ad Rom. pag. 100. *Quemadmodum*, inquit, *si quis eum, qui obulos decem sibi debeat, in carcerem conjiciat, nec eum tamen solum, sed ejus causa tum uxorem, tum liberos, tum famulos; atque hic superveniens unus aliquis decem quos dixi obulos non numeret modo, sed cum infinita item auri talenta largitur, tum vero in aulas regias vinctum illum introducat, cum eo summum honorem, reliquumque principalem splendorem communicet, non possint utique postea oboli illi decem illius memoria obversari, qui eos numeraverit mutuaveritque; sic & in nobis evenit: multo enim plura iis, quæ debebamus, dependit Christus, atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum majus esse possit*. Cyrillus Jerosolymit. Catech. XIII. pag. edit. Morelli 316. *Custodivit enim & decreti veritatem, & benignitatis virtutem. Assumpsit Christus peccata in corpore, in lignum: ut per mortem ipsius nos peccatis mortui justitia viveremus. Non parvus erat, qui mortuus est pro nobis. Non erat ovis sensilis. Non erat simplex homo: non erat angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis justitia; non tantum nos peccavimus, quantum ille juste egit, qui animam pro nobis posuit, qui posuit quando voluit, & rursus accepit quando voluit*. S. P. Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 13. num. 17. ait: *Diabolus non potentia Dei, sed justitia superandus fuit*: quod postea pluribus probat, repetitque cap. 1. Ench. num. 14. Et in Ps. 95. num. 15. & 129. num. 3. docet quomodo Christus *pro toto pretium dedit: delevit omnia peccata nocentium: redemit omnes captivos*. Sed plura ex Augustino præcedenti cap. sunt producta. Magnus Leo serm. XII. de Passione Domini cap. 3. pag. 59. inquit; *Effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: quoniam, sicut Apostolus ait, Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia. Et cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quam debitum servitutis*. Divus Bernardus contra Petrum Abael. cap. 8. pag. 117. *Fuit vero sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est ut effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius utpote levioris deletione nullam omnino dubitatem relinqueret*. Ac ne repetamus quæ attulimus tertio capite, Clemens V. in Extrav. *Unigenitus*, de pœnit. & remiss. cap. 2. hæc Tarraconensi Archiepiscopo scripsit: *Non enim corruptibilibus auro & argento, sed sui ipsius agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit: quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse: ita, ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso*. Ubi animadvertit Sylvius, Pontificem pro causa, cur una gutta pretiosi sanguinis suffecisset, afferre humanæ naturæ unionem ad Verbum, & ideo ineptum esse quorumdam responsum, Clementis verba exponentium, *divina acceptatione supposita*. Accedit Triburiense Concilium celebratum tempore Formosi Papæ anno 895. cap. 19. Tom. IX. Collect. Lab. pag. 451. causas afferens cur Sacra non conficiantur sine aquæ vinique mixtione, præter allatas a Florentino in decreto Eugenii ad Armenos Tom. XIII. p. 536. & a Tridentino sess. 22. cap. 7. Tom. XIV. 854., de quibus alibi, præcipere, *ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aqua, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ*.

Tertio comprobatur propositio ratione: Christus erat, quantum ad personam attinet, verus Deus, & licet passio, & quicquid ei convenit ratione assumptæ naturæ sit physica entitate spectata finitum, quia tamen persona ad sua jura transfert naturæ utriusque actus, nam illa humanitatem regit, cum ea conjunctim operatur, & quicquid operis ab ea elicitur, tribuitur ipsimet personæ; nulla fuit Christi actio libera ac meriti laude condecorata, cui non inesset valor infinitus, summumque pretium. Ejus itaque satisfactio non solum omnium hominum iniquitati diluendæ fuit æquivalens, verum etiam pluris æstimanda ac præponderans, cum nihil Verbo Deo excogitari possit præstantius. Nota hic obiter ab infinita dignitate personæ repetere satisfactionis æqualitatem cum Patres, tum Theologos præstantissimos: nam Cyrillus Jerosolymit. laudata Catech. 13. demonstrat Christum plene pro nobis satisdedisse; quia non erat ψιλὸς ἄνθρωπος, *parvus* ac finitus *homo*, sed *filius Dei unigenitus*, ἀλλ' υἱὸς Θεοῦ μονογενὴς ὁ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθνήσκων, *qui pro nobis mortem subiit*. Cyrillus alter Alex. in caput 1. Joann. Tom. IV. pag. 27. ostendit quomodo gratia, per quam filii Dei constituimur, nobis sit conferenda per Christum, quoniam ipse duntaxat *proprie filius est, non spurius, neque falso nuncupatus: unus ex uno, semper coexistens, & patri insitus*. Et in Epist. ad Monachos Ægypti Tom. V. 2. p. pag. 18. demonstrat contritam mortem; quia temere hostiliterque insultavit corpori, *quod ipsius vitæ corpus erat*, τῷ τῆς ζωῆς σώματι. Damascenus lib. III. de Fide Orthod. cap. 26. declarat quomodo ipsum Verbum omnia carne sustinuerit, etiamsi divina natura ab omni doloris sensu permanserit incolumis, quoniam *unus ex divinitate & humanitate compositus* vere patiebatur, atque hinc meriti illius seq. cap. repetit granditatem. Idem Latini docent. Ambrosius enim lib. V. in Lucam num. 102. probat ex divinæ personæ testimonio nihil posse majori pretio æstimari, quam Dei Unigenitum *se obtulisse pro mundo*. Augustinus lib. X. Confess. cap. 43. num. 68. ait Mediatorem debuisse utramque sibi copulare naturam, ut *per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem*: quod repetit serm. XXVI. num. 7.

neque mors est perempta, nec ablatum est maledictum & execratio, & non solum nos inania prædicamus, sed vos quoque credidistis inania, inquit ibidem Apostolus versu 14. & 15. Chrysostomo interprete, Hom. XXXVIII. Tom. 1. in Paulum pag. 675. Petit Socinus, quid necessum erat resurgere, si mors carebat aculeo? Quid sit aculeus, sive stimulus mortis docet Apostolus scribens v. 56. *Stimulus autem mortis peccatum*. Mors ob Adæ culpam *in omnes homines pertransiit*, teste eodem Apostolo ad Rom. v. 12. nec pertransiit tantum, dominabatur quoque, & *habebat imperium*, ad Hebræos II. 14. At post resurrectionem *mors ultra non dominabitur*, ad Rom. VI. 9. quia *mortale hoc induet immortalitatem*, ad Corinth. XV. 53. Necessum ergo erat, ut Christus a mortuis resurgeret, & resurrectionem prænuntiaret nostram; ut perciperemus cessasse mortis imperium, & fore ut aliquando diceremus, *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? idest, ubi est mors victoria tua, qua omnes sic viceras, ut etiam Dei Filius tecum confligeret, teque non vitando, sed suscipiendo superaret? Ubi est aculeus tuus, hoc est, peccatum, quo puncti & venenati sumus, ut te etiam in nostris corporibus figeres, & ea tam longo tempore possideres?* Audis, opinor, Socine, quis loquatur. Augustinus is est in lib. de remissione peccat. libro cap. XI. num. 20. Mortuus est ergo Christus, ut nullus esset mortis aculeus: resurrexit, ut nulla esset mortis victoria. Quod si reponas per nos contrahi a pueris originale peccatum, adeoque habere adhuc mortem aculeum; aperta est ex dictis responsio, necessarium esse, ut consepulti simus Christo in baptismo, & complantati similitudini mortis ejus, ad hoc ut redemptionis fructum percipiamus: quod ipse docet Apost. ad Rom. VI. 4. ad Colossen. II. 12. & Petrus 1. Epist. III. 21. Aliud est enim de redemptione loqui, aliud de ejus applicatione. Ergo, ut ad Socini argumentationem revertar, surrexit Christus ne inanis esset fides nostra, id Apostolo absque ambage ulla asserente in 1. ad Corinth. XV. 15. Nec requiritur fides nostra, ut pretium sit reipsa a Christo solutum, ut mussat tergiversator; sed ut pretium applicetur nobis, quemadmodum semel, iterumque explicatum est supra. Quod ait nos post resurrectionem in æternum regnaturos, si se excipiat, aliosque ministros Satanæ, nec non improbos omnes ingratos Redemptori, id credimus & speramus: sed ideo regnabimus, quia agnus occisus redemit nos in sanguine suo, & fecit nos Deo nostro regnum; quod pariter legimus in Apocalypsi v. 10. alisque in locis compluribus. Illud, quod proximo loco objicitur de morte, ceterisque miseriis etiamnum debacchantibus, diluitur a magno Augustino lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 31. num. 50. & seqq. quia nisi homines a Christo redempti experirentur corporis mortem, *carni quadam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo*: deinde quia nemo *ad illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis festinaret*: ulterius quia dum seminatur corpus animale, & resurgit spiritale, Redemptor *plus fidelibus suis sine dubitatione donavit*: insuper quia *res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus solvit, tamen ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur, & exerceantur in agone justitiæ*. Revera, ut S. Pater ait proximo cap. 33. num. 53. propter peccatum *spinas & tribulos* parit terra: propter peccatum dixit Deus homini, *In sudore vultus tui vesceris pane*. Gen. III. 19. propter peccatum dictum est mulieri, *In dolore paries*, ib. vers. 16. & tamen nonne post remissionem peccatorum terra germinat aspera? nonne labor permanet? nonne feminæ dolores parturiendo patiuntur? Negare itaque non potest Socinus, nisi alienus a fide catholica etiam sacris literis adversetur, mortem, & calamitates, quæ *ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem esse certamina exercitationesque justorum*. Ita Pelagianorum argumentationes recoquenti Socino cum Pelagianorum oppugnatore respondemus. Legi item possunt quæ de hoc argumento scribit Athanasius de Incarnat. Verbi Dei num. 21. Tom. 1. pag. 65. Quod autem addebatur de iniquis pereuntibus, & de infantibus decedentibus sine regenerationis lavacro, cum dictum sit supra necessariam esse applicationem per fidem, per caritatem, & per Sacramenta, ut Christi passio effectum sortiatur suum, alia modo confutatione non eget. Ad rationem, quæ in postrema parte nobis opponitur, respondeo ad hunc modum. Tres caussæ sunt, propter quas Christus, tametsi legi subjectus, potuit nihilominus pro nobis satisfacere. Prima est, quod huic subjectioni sponte sese addixit, ut haberet quod posset immolare pro nobis, accipiens *formam servi, & in similitudinem hominum factus*, ut docet Apostolus ad Philipp. II. 7. imo & eodem loco, qui opponitur ad Galat. IV. 4. assumendo autem formam servi, & factus sub lege, non amisit quod erat in principio, idest, formam Dei, per quam est æqualis Patri, ideoque potuit esse Redemptor, ac Mediator inter Deum & homines, inter justum & injustum, inter immortalem & mortales, quia *assumpsit aliquid ab inimicis & mortalibus servans aliquid cum justo & immortali*, inquit S. P. Augustinus serm. 361. alias 220. de diversis num 16. Altera causa est, quia habebat *potestatem ponendi animam suam*, Joann. X. 10. & consequenter *mortem carnis non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit*, ait idem Augustinus in Psalm. LXXXVII. num. 3. Tertia causa est, quia mors homini inflicta est in pœnam peccati, & cum Dominus Jesus aliquid non haberet quare juste moreretur, carnem assumens nostram *de peccato damnavit peccatum in carne*, ad Rom. VIII. 3. *Unde illa mors Domini dignationis fuit, non debiti*, inquit prælaudatus Augustinus in Expositione prop. ex Ep. ad R. n. 48. Postremum abunde refutatum est supra.

Tandem Socinus contendit nos Christi satisfactionem defendere philosophicis inventis, dum ad probandum exhibiti pretii valorem confugimus ad personæ divinæ infinitam dignitatem. Quod ut probet decem urget argumenta, aut ineptias potius aniles. Principio, inquit, nulla est apud Deum personarum acceptio. Deinde illud urget: Nunquid si vir princeps unius horæ exilio mulctetur, idem erit, ac si homo plebejus perpetuo damnetur exilio? Tertio repetit Christum passum non fuisse damnatorum pœnas, & quamvis non defuerint qui id senserint, explosam tamen esse communi suffragio sententiam istam. Præterea opponit Christus ad gloriam ea quam antea habebat infinitis partibus majorem evectus est: quomodo ergo ejus passio tanti fuit pretii, ut promereretur pro aliis? Addit quinto loco: Finiti ad infinitum, ut dici solet, nulla est proportio: pœnæ Christi exiguo tempore finitæ fuerunt; nullam ergo proportionem habent ad nostras perpetuo non finiendas. Argumentum sextum illud est: Creditur Christus a Catholicis verus Deus, sed falso, non enim opus fuisset, ut tot acerbos cruciatus, mortemque tam diram perferret. Insuper argutatur: Dato quod Christus Deus sit, ut Deus non poterat quidquam pati; passus itaque est ut homo. Nec sufficit unio, quam dicunt hypostaticam, ad conferendam passioni humanitatis majorem efficaciam: nam qua majori prædita est vi sumptio cibi vel potus in homine, quam in ceteris animantibus? Ergo plaga corpori hominis inflicta nullam aliam vim habet, quam si inflicta fuisset bestiæ, nec aliam mors illata homini Deo, quam si illata esset puro homini. Illud quoque objicit: Divina natura non potuit afflictari, sicut animantia, quæ dum corpus affligitur persæpe dolent; nullam igitur vim contulit afflictationibus naturæ humanæ. Octavo illud affert: Etiamsi Deus sit infinitus, non tamen operationes Dei, quantumvis maximi, infinitum habent pretium; non enim tanti æstimatur mundus, homo, & quælibet res creata, quanti summus Deus Auctor, & Conditor. Idem asserendum de Christi operibus. Aliam quoque rationem adjicit, nimirum, quod ille, qui satisfacit, debet esse ejusdem generis & naturæ, cujus ille est, pro quo satisfacit; unde infert opus fuisse, ut Christus satisfaceret in quantum homo: quod ob finitam humanitatis conditionem fieri non potuit. Postremum argumentum hoc pacto intenditur: Ipsa divina natura ipse Deus erat, cui erat satisfaciendum; quomodo ergo Christus ut Deus poterat satisfacere? Si recurras ad divinarum personarum distinctionem; nonne ipsius Filii personæ, non minus, quam personæ Patris, satisfaciendum fuerat? Hæc Socinus: qui, ut ex dictis apparet, quicquid adversus Christi satisfactionem afferre poterat vel perfidia hæresis, vel fallax dialectica, vel dæmonis inspiratio, & quicquid ipsius gregarii ore pestifero evomuerunt, retexit & propinavit: & quem nos dare opera oppugnare studuimus everso funditus universo ejus systemate: nam quæ objecta sunt nuper Scholastici omnes norunt, & contriverunt in quæstione proximo capite instituenda.

CAPUT VI.

An satisfactio Christi fuerit condigna, atque ad juris apices?

CONTRA postremas Socini argutationes ferunt nobis suppetias omnes e Schola Theologi in ea quæstione, utrum Christi satisfactio fuerit æquivalens, & ex stricta justitia. Omnes enim condignam & æquivalentem fatentur propter personæ satisfacientis infinitam dignitatem; quamvis Scotus, Durandus, & Gabr. in distinct. XIX. libri 3. ac nonnulli alii eorumdem sectatores negent fuisse ex rigorosa justitia, si omnes conditiones spectentur justitiæ hujus, quas singuli approbant. Sunt vero conditiones illæ quatuor: ac prima, ut satisfactio sit æquivalens, & creditori quantum ablatum est persolvatur: secunda, ut sit ad alterum: tertia, ut sit ex propriis bonis personæ, quæ satisfacit, eaque bona sint alias indebita: ultima, ut non interveniat ex parte creditoris alicujus partis debiti gratiosa remissio. Addunt quidam conditiones alias, ut satisfactio sit libera, ut sit a persona offendente, ut denique creditor teneatur illam acceptare: quas tres conditiones arbitror non esse modo expendendas; nam quantum ad libertatem attinet, requiritur tantum ratione meriti, & Christum mortuum plenissima libertate consentiunt omnes; satisfactionem exhibendam ab ipsa persona offensa verum est, si nullus adsit fidejussor, qui solvat; ac demum

mum nullam in Deo creditore reperiri necessitatem absolutam, sed hypotheticam tantum, ac supposita redimendi humanum genus gratuita prædefinitione, liquet ex priori capite hujus libri. Occurrit ergo difficultas de quatuor illis conditionibus principio positis, præsertim cum illustris Scotista Mastrius fateatur disp. IV. q. 4. dub. 3. postremas ab omnibus non requiri.

His conditionibus non obstantibus, satisfactionem Christi fuisse ad juris apices tenet universa Schola Thomistarum, ac nostra, subscribentibus Salmant. disp. 1. dub. 7. Sylvio quæst. 1. art. 2. q. 3. Soaresio disp. 4. sect. 5. L' Herminerio Tom. 3. pag. 115. Du-Hamel lib. IV. dissert. 1. cap. 2. Tournely quæst. V. art. 3. Witasse quæst. XI. art. 2. quos e magno numero sat est laudasse. Nec desunt, qui sententiam oppositam appellent sacrilegam, impiam, & Christo Domino indignam, ut Barth. Medina, Capreolus, Soto, Cabrera, apud præcitatos Salm. num. 214. Sed cum illius auctores pretii valorem non minuant, ac tantum de his conditionibus dissentiant, temperandum est a censura, quam hac ratione propulsat Mastrius loco citato. Distinguenda itaque est illa quæstio, an Christi satisfactio fuerit æquivalens & condigna, ab altera, an fuerit ad strictos apices juris: quarum primam negative resolvere esset meritis Christi detrahere, & instaurare ad bellum confractas Socini vires: alteram affirmative propugnare, licet id catholica fides non exigat, est omnino extremos ejusdem Socini impetus confringere, cum & ipse, ut vidimus, iisdem justitiæ conditionibus objectis tela ejaculet: quod nonnulli ad concertationem domesticam, quam ad hostium conflictum, paratiores, minime prævideront. Duabus ergo propositionibus id, quod quæritur, explanabimus.

PROPOSITIO I. Satisfactio Christi nedum æquivalens est, verum etiam superabundans.

Probatur 1. ex Scripturis: nam Psalm. CXXIX. 7. legimus: *Copiosa apud eum redemptio*; ubi non solum advertendum est redemptionem dici *copiosam*, *multam*, *eximiam*; verum etiam addi, *Ipse redimet Israel*, ad commonstrandum, inquit August. Enarrat. in hunc Psalm. n. 12. *quia Israel vendere se potuit, & fieri venundatus sub peccato; redimere se ab iniquitatibus non potest: sed ille potuit redimere, qui se non potuit vendere*. At satisfactio imperfecta etiam ab homine, qui se vendidit, poterat exhiberi. II. Ad Rom. V. 20. inquit Apostolus: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*: quo in loco fieri ex contrariis collationem probat adversus Jul. S. P. Aug. lib. 2. Op. Imperf. n. 217. cum *ex una parte generatio ponatur, & ex altera regeneratio; ex una regnum mortis, ex altera regnum vitæ; ex una abundantia, ex altera remissio peccatorum*. Atqui, ait Sylvius, peccatum de rigore justitiæ intulit damna, quibus homo erat obnoxius. Ergo gratia Christi etiam de rigore justitiæ damna illa reparavit. Aperta est in eumdem locum sententia Theophylacti pag. 54. *Veluti igitur contrariæ inter se se pugnantes acies constituuntur, peccatum quidem militem habuit mortem, gratia vero justitiam*. III. Idem Apostolus ad Hebr. X. 12. 14. instituens comparationem inter legales hostias, & Christi mortem, de illis inquit: *Numquam possunt auferre peccata*; de hac autem: *Consummavit in æternum sanctificatos*: atque utitur hac ratione, ut ostendat cur olim Sacerdos quotidie præsto esset ministrans, easdemque *semper* offerens hostias, Christus vero unam *semel* obtulerit: quod sane nihil evinceret, nisi Christi satisfactio omne debitum persolvisset æquivalenti prezio, nam & sacrificia legalia purgare poterant ex Dei liberalitate peccata; & justa adesset causa aliam quotidie hostiam mactandi, nisi Christus semel oblatus sanguinis sui magno pretio peccata omnium exhauriisset. Audias in hunc locum Œcumenium Tom. 2. pag. 395. *Unica enim oblatione, quam obtulit Christus, perfecte a peccatis liberavit*. Et infra: *Quæ necessitas est multarum oblationum, quum unica illa, quam exhibuit Christus, fuerit sufficiens ad auferenda peccata?* IV. Huc spectant omnia fere argumenta, quibus cap. 2. & 3. ex sacris literis probatum est nos emptos pretio magno, damnatum peccatum ex peccato, Christum peccata nostra portasse, & cetera, quæ repetere non est opus.

Deinde probatur ex Patribus: nam Chrysostomus hom. X. in Epist. ad Rom. pag. 100. *Quemadmodum*, inquit, *si quis eum, qui obulos decem sibi debeat, in carcerem conjiciat, nec enim tamen solum, sed ejus causa tum uxorem, tum liberos, tum famulos; atque hic superveniens unus aliquis decem quos dixi obulos non numeret modo, sed cum insuper item auri talenta largitur, tum vero in aulas regias vinctum illum introducat, cum in summum honorem, reliquumque principalem splendorem communicet, non possint utique postea oboli illi decem illius memoriæ obversari, qui eos numeraverit mutuaveritque; sic & in nobis evenit: multo enim plura iis, quæ debebamus, dependit Christus, atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum majus esse possit*. Cyrillus Jerosolymit. Catech. XIII. pag. edit. Morelli 316. *Custodivit enim & decreti veritatem, & benignitatis virtutem. Assumpsit Christus peccata in corpore, in lignum: ut per mortem ipsius nos peccatis mortui justitiæ viveremus. Non parvus erat, qui mortuus est pro nobis. Non erat ovis sensilis. Non erat simplex homo: non erat angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis justitia; non tantum nos peccavimus, quantum ille juste egit, qui animam pro nobis posuit, qui posuit quando voluit, & rursus accepit quando voluit*. S. P. Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 13. num. 17. ait: *Diabolus non potentia Dei, sed justitia superandus fuit*: quod postea pluribus probat, repetitque cap. 1. Ench. num. 14. Et in Ps. 95. num. 15. & 129. num. 3. docet quomodo Christus *pro toto pretium dedit: delevit omnia peccata nocentium: redemit omnes captivos*. Sed plura ex Augustino præcedenti cap. sunt producta. Magnus Leo serm. XII. de Passione Domini cap. 3. pag. 59. inquit; *Effusio enim pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: quoniam, sicut Apostolus ait, Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia. Et cum sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quam debitum servitutis*. Divus Bernardus contra Petrum Abael. cap. 8. pag. 117. *Fuit vero sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est ut effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius utpote levioris deletione nullam omnino dubietatem relinqueret*. Ac ne repetamus quæ attulimus tertio capite, Clemens V. in Extrav. *Unigenitus*, de pœnit. & remiss. cap. 2. hæc Tarraconensi Archiepiscopo scripsit: *Non enim corruptibilibus auro & argento, sed sui ipsius agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit: quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse: ita, ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso*. Ubi animadvertit Sylvius, Pontificem pro causa, cur una gutta pretiosi sanguinis suffecisset, adferre humanæ naturæ unionem ad Verbum, & ideo ineptum esse quorumdam responsum, Clementis verba exponentium, *divina acceptatione supposita*. Accedit Triburiense Concilium celebratum tempore Formosi Papæ anno 895. cap. 19. Tom. IX. Collect. Lab. pag. 451. causas afferens cur Sacra non conficiantur sine aquæ vinique mixtione, præter allatas a Florentino in decreto Eugenii ad Armenos Tom. XIII. p. 536. & a Tridentino sess. 22. cap. 7. Tom. XIV. 854., de quibus alibi, præcipere, *ut duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia aqua, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ*.

Tertio comprobatur propositio ratione: Christus erat, quantum ad personam attinet, verus Deus, & licet passio, & quicquid ei convenit ratione assumptæ naturæ sit physica entitate spectata finitum, quia tamen persona ad sua jura transfert naturæ utriusque actus, nam illa humanitatem regit, cum ea conjunctim operatur, & quicquid operis ab ea elicitur, tribuitur ipsimet personæ; nulla fuit Christi actio libera ac meriti laude condecorata, cui non inesset valor infinitus, summumque pretium. Ejus itaque satisfactio non solum omnium hominum iniquitati diluendæ fuit æquivalens, verum etiam pluris æstimanda ac præponderans, cum nihil Verbo Deo excogitari possit præstantius. Nota hic obiter ab infinita dignitate personæ repetere satisfactionis æqualitatem cum Patres, tum Theologos præstantissimos: nam Cyrillus Jerosolymit. laudata Catech. 13. demonstrat Christum plene pro nobis satisdedisse; quia non erat ψιλὸς ἄνθρωπος, *parvus* ac finitus *homo*, sed *filius Dei unigenitus*, ἀλλ' υἱὸς Θεοῦ μονογενὴς ὁ ὑπεραποθνήσκων, *qui pro nobis mortem subiit*. Cyrillus alter Alex. in caput 1. Joann. Tom. IV. pag. 27. ostendit quomodo gratia, per quam filii Dei constituimur, nobis sit conferenda per Christum, quoniam ipse duntaxat *proprie filius est, non spurius, neque falso nuncupatus: unus ex uno, semper coexistens, & patri insitus*. Et in Epist. ad Monachos Ægypti Tom. V. 2. p. pag. 18. demonstrat contritam mortem; quia temere hostiliterque insultavit corpori, *quod ipsius vita corpus erat*, τῷ τῆς ζωῆς σώματι. Damascenus lib. III. de Fide Orthod. cap. 26. declarat quomodo ipsum Verbum omnia carne sustinuerit, etiamsi divina natura ab omni doloris sensu permanserit incolumis, quoniam *unus ex divinitate & humanitate compositus* vere patiebatur, atque hinc meriti illius seq. cap. repetit granditatem. Idem Latini docent. Ambrosius enim lib. V. in Lucam num. 102. probat ex divinæ personæ testimonio nihil posse majori pretio æstimari, quam Dei Unigenitum *se obtulisse pro mundo*. Augustinus lib. X. Confess. cap. 43. num. 68. ait Mediatorem debuisse utramque sibi copulare naturam, ut *per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem*: quod repetit serm. XXVI. num. 7.

& ccxl. num. 5. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 6. demonstrat non potuisse Deo satisfacere *nisi Deum*, & cap. proximo satisfecisse Christum, *quia est Deus homo*, & quia duæ naturæ integræ in eo convenerunt in unam personam, quemadmodum corpus & anima rationalis conveniunt in unum hominem. Atque ex his inferrur nullatenus posse repudiari rationem, quam pro hac assertione proferunt Scholastici cum S. Thoma in 3. dist. xx. 3. & 3. p. q. 48. art. 2. & S. Bonav. in Breviloq. p. 4. cap. 7. petitam ex quo vita, quam pro nobis Salvator dependit, quamvis corporalis, fuerit tamen *vita Dei hominis*.

Ex his diluitur vulgaris objectio, quod omnis actio Christi fuerit finita, si loquamur de actionibus humanis ex natura assumpta prodeuntibus, quibus proculdubio peracta est generis humani redemptio. Missis enim responsis aliis, videtur nobis facile præfatam objectionem elidi, si reponamus actionem quoque finitam & humanam esse summo pretio æstimandam, si efficiatur ab *homine Deo*, in hac enim hypothesi divina persona, quæ agit in utraque natura, trahit ad jus suum quicquid in humana operatur, & revera dicitur: Hanc mortem pertulit ipse Deus: ad hanc humilitatem exinanivit semetipsum qui permanet in forma Dei; ac proinde hæc humilitas, hæc passio æstimanda non est tamquam *puri* hominis, sed tamquam Dei, licet nihil acciderit divinitati: quemadmodum mors inflicta corpori hominis non est æque æstimanda, ac mors illata bestiæ, licet non interficiatur spiritualis anima; sed recte dicitur mors rationalis hominis, quia vita illa corporis, quamvis communis sit bestiæ, non erat vita cujuslibet animantis, sed hominis: ita nimirum a dignitate personæ, cujus vita est, mutuatur ipsa vita rationem pretii. Quamobrem utroque pollice subscribendum censeo magno Aquinati cit. loco scribenti: *Vita corporalis Christi habebat quemdam infinitum valorem ex conjunctu divinitate, in quantum non erat vita puri hominis, sed Dei & hominis*.

Dices: cum scribat Apostolus ad Coloss. 1. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia*; dicendum est aliquid defuisse exhibitæ a Christo satisfactioni, ideoque non fuisse tanti, ut inquiunt, pretii. Resp. minime asserere Apostolum, quod aliquid desit Christi passionibus *in seipsis inspectis*, sed affirmare deesse tantum aliquid in *carne nostra*, & in corpore Ecclesiæ; quoniam, ut supra explicavimus, compati debemus, ut conglorificemur cum Christo: & licet ipsius Christi passio sufficiens sit ad universorum salutem; debet nihilominus adnitentibus nobis, & opera bona exercentibus applicari, ut effectum suum sortiatur. Audias Augustinum summum Theologorum culmen in Psalm. 86. num. 5. *Videte quid dixit Apostolus, quia in ipso Christus patiebatur. Ut adimpleam, inquit, quæ desunt pressurarum Christi in carne mea. Ut adimpleam: quid? quæ desunt. Cui desunt? pressurarum Christi. Ubi desunt? in carne mea. Nunquid aliquid pressurarum deerat in illo homine, quod factum est Verbum Dei, nato de Maria Virgine? Passus enim est quicquid pati deberet ex sua voluntate, non ex peccati necessitate: & videtur quia omnia. In cruce enim positus accepit acetum ultimum, & ait, Perfectum est*. Potest etiam responderi, Apostolum pressuras, quas patiebatur, ut Christo reconciliaret Ecclesiam, *non suas velle passiones esse, sed illius*; quia ipse Christus per ministros suos curam gerit Ecclesiarum, & quicquid hi præstant, tribuendum est Redemptoris nostri sollicitudini ac merito. Atque hæc interpretatio cum ceteris, quæ ibidem tradit Paulus, mire cohærens, est Chrysostomi Hom. iv. in eamdem ad Coloss. Epistolam pag. 1342. edit. Commel. necnon Theophyl. p. 642. Addit Œcumenius pag. 125. *complere* hoc in loco nihil esse aliud, quam ἴσως καὶ ὁμοίως παθεῖν, *æque ac similiter pati*; & omnes nos debitores constituros, *ut ipsi etiam toleremus, & vicissim sustineamus afflictiones pro Christi Ecclesia*. S. Thomas in cap. 1. ad Coloss. lect. 6. *Hoc deerat*, inquit, *quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in aliis*; quia nimirum Deus in sua prædestinatione prævidit sanctorum suorum merita, inter quæ connumerantur passiones martyrum: & licet capitis merita sint infinita, quilibet sanctus exhibet aliqua merita, *secundum mensuram suam*: quæ juxta eumdem Apostolum ad Ephes. iv. 7. est mensura *donationis Christi*, gratia scilicet meritis ejus collata. Id vero a præmissa Augustini interpretatione parum, vel nihil differt.

PROPOSITIO II. In Christi satisfactione omnes conditiones interfuerunt, quæ requiruntur ad exactas justitiæ leges.

Ut hanc positionem firmemus momentis Patrum auctoritate munitis, aliqua præmittemus. Ac primum sit, nullam Redemptoris operationem, sive agat assumpta forma, sive divina, sejungendam esse a communione personæ, quoniam, ut diximus lib. xxvi. cap. 11. licet caro exequatur quod carnis est, & divinitas pariter quod proprium habet; utraque natura, divinitatis, & carnis assumptæ, operatur in una persona Unigeniti Dei Patris *inconfuse atque indivise*. Vid. supra pag. 47. Ratio hujus rei apertissima est, quia sicut nisi ageret utraque forma, Christus non esset Deus & homo; ita nisi operaretur eadem indivisa persona, Christus & Mediator non esset unus. Hinc sequitur, quod mors & passio, quæ, si spectetur tantummodo forma humanitatis assumptæ, nota est infirmitatis ac subjectionis, si attendatur persona, quæ sibi humanitatem *hypostatice* univit, est plenissimæ potestatis ac libertatis. Ac sic in Christi satisfactione gratior facta est in humilitate justitia, quia *nisi* Christus *homo esset, non potuisset occidi; nisi Deus esset, non crederetur noluisse quod potuit, sed non potuisse quod voluit: nec ab eo justitium prælatum fuisse, sed ei defuisse potentiam putaremus. Nunc vero humana pro nobis passus est, quia homo erat: sed si noluisset, etiam hoc non pati potuisset quia Deus erat*. Hæc Augustinus lib. xiii. de Trinit. cap. 14. num. 18.

Animadvertendum deinde est, quod juxta plurimorum doctrinam, etiamsi quælibet rationalis creatura teneatur Deo omne obsequium & reverentiam præstare, supposita tamen rectissima justitiæ præscriptione, ut mors sit pœna peccati, si sponte creatura innocens mortem subeat, Deo exhibet quod pro se non debet. Quamquam enim vita creaturarum omnium sit Dei; posteaquam illam beneficentissima largitate impertitus est, libero subjiciens arbitrio, ac stata lege, ut perpetuo creatura vivat, nisi concessa libertate abutatur, si quis habens vitæ suæ potestatem hanc profundat, dat aliquid proprium, suique juris, nec alio titulo debitum: quemadmodum etiam servus data sibi dono pecunia a Domino, facta ei facultate, ut illam industria sua det mutuam, aut pro libito impendat, non tenetur titulo servitutis Domino suo reportatum inde lucrum rependere; & filius emancipatus, suique juris, potest iis, quæ in dominium ipsius transferuntur, satisfacere patri; licet neque inter Dominum & servum, neque inter patrem & filium vera intercedat justitia in iis, quæ non transeunt in servorum, *filiorumque dominium. Hoc pacto mundi Redemptor, quamvis deberet supremo Domino præstare obedientiam, & omnia mandata ejus implere; accepta tamen plenissima potestate ponendi animam suam, subeundo mortem debitam tantummodo filiis Adæ peccato obnoxiis, ipse nulla culpa inquinatus, & persolvens quod non rapuerat, dependit pretium a se non debitum. Neque hujus pretii valorem imminuit mandatum Patris præcipientis ut subiret supplicium crucis, quia Pater non tantum potestatem in mundi redemptione, sed etiam judicium exercens, idest, justitia utens, non sola auctoritate dominii, ideo præcepit Christo ut moreretur, quia erat fidejussor in quem irruerant omnium hominum scelera; alias id non præcepturus, quia decreverat antea, mortem non esse infligendam nisi in pœnam peccati. Quare S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 11. *Si dicimus* (inquit) *quia dabit seipsum ad obediendum Deo, ut perseverando & servando justitiam subdat se ejus voluntati; non erit hoc dare, quod Deus ab illo non exigat ut debitor: omnis enim rationalis creatura debet hanc obedientiam Deo*. Ac postea: *Videamus si forte hoc sit vitam suam dare, sive ponere animam suam, sive tradere seipsum morti ad honorem Dei. Hoc ex debito Deus non exiget ab illo: quoniam namque non erat peccatum in illo, non debebat mori*.

Præterea notandum est, esse quidem in Deo unam operationem, quia est una virtus effectrix, nec non unam summam majestatem, quæ a peccatoribus afficitur injuria, quia est una divinitas, una potestas, unum bonum incommutabile: sed propter incomprehensibilem trium personarum in una divinitatis natura coexistentiam, ita quæ ejusdem naturæ propria sunt, æqualiter conveniunt tribus personis, ut quæ ad personarum proprietatem attinent, competant uni, non alteri. Singulis enim personis convenit ex æquo æternitas, immensitas, omnipotentia; at soli Patri esse expertem originis, soli Filio nativitas, atque soli Spiritui sancto ab utroque procedere. Atque id non nisi ab ineffabilis Trinitatis perfectione repetendum est. Itaque cum nihil in Trinitate sit ratione operationis divisum, Verbi Incarnatio E. G. a tota Trinitate peracta est, quatenus est opus aliquod, ut inquiunt, *ad extra*, & Filius non solum dicitur missus a Patre, sed etiam a Spiritu sancto; imo & Filius ipse, in quantum existens *in forma Dei*, misit semetipsum ut existentem *in forma servi*: alioqui divideretur operatio, nec *eadem* essent *opera patris, & filii*, contra testimonia scripturarum, ac primæ causæ propriam trium personarum rationem. Verum, ut dixi, cum hac indivisa operationis unitate, proveniente ex individua divinitatis natura, consistit discretio quædam orta ex distinctione personarum in iis, quæ ipsarum personarum sunt propria: per quam discretionem Pater dicitur mittens, Filius missus, Spiritus sanctus illuminans: atque ita, ubi est in actione communio propter unitatem ejusdem substantiæ, adinvenitur singularis proprietas ob discretionem personarum. Hæc, quæ ad catholicam fidem spectant, gravi & eloquenti oratione declarantur a Leone Magno sermone 3. de Pentec. cap. 2. pag. 76. his verbis: *Una est ibi benignitatis misericordia, una censura justitiæ; nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat*

nat Filius, illuminat Spiritus sanctus. Cumque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis, simul nobis & unitas manifestatur & Trinitas; ut essentia habens æqualitatem, & non recipiens solitudinem, & ejusdem substantiæ, & non ejusdem intelligatur esse persona. Quod ergo salva cooperatione inseparabilis Deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam propria Spiritus sanctus exequitur nostræ dispositio redemptionis, nostræ salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diaboli fraude deceptus a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset; Creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo patri filius Deus formam servi, aut similitudinem carnis peccati assumeret. Sed quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, & aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine majestatis suæ damno & verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet: divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis; ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret. Hactenus Magnus Leo.

Ex his prænotationibus tanta auctoritate firmatis videtur mihi amplissimam quæstionem de Christi satisfactione perfecta, & ad strictos apices juris, finitam esse, & etiam quorumdam Scholasticorum cavillationibus cumulatissime satisfactum. Verum enim vero ex priori notatione ex Augustino deprompta liquet in Christi satisfactione interfuisse pretii æqualitatem, non alicujus partis debiti liberalem condonationem; quoniam vita, quam pro reparatione nostra profudit, erat vita Dei, qui pati non poterat, si tantum *in forma Dei* permansisset, atque ut pateretur assumpsit *formam servi*, sine qua non potuisset occidi. Quare errant, me judice, qui passionem Christi, & quælibet opera carnis propria spectant *in seipsis*, ut ex horum finitate inferant inæqualitatem satisfactionis; cum debeat attendi infinita personæ dignitas: cujus personæ erat caro quæ pependit in ligno, sanguis qui effusus est, & spiritus morte divulsus a corpore. Neque in re tanti momenti obsequendum arbitror humani ingenii excursionibus; quibus in humanitatem, qua Christus est passus, non in Verbum divinum, cujus est humanitas ipsa, solent quidam dirigere mentis aciem: sed, *ut appareat gratior in humilitate justitia*, attendendum est Jesum pro nobis passum esse verum hominem & verum Deum, & tam humanitatis, quam divinitatis operationes ad eamdem pertinere personam.

Infertur ex eadem prænotatione, & ex proxima collustrata verbis beati Anselmi, Redemptoris nostri satisfactionem fuisse ex propriis, & alias indebitis: quoniam assumpta a Verbo natura hominis translata est in jus divinæ personæ, quæ cum Deus sit, habet plenissimam potestatem *ponendi animam suam*, & hanc omni jure sibi vindicans, dum illam offert Patri hostiam *placationis*, dat quod sibi proprium est, ac magis proprium, quam sit solventis debitum pecunia, utpote unitam sibi *hypostatice*, & substantialiter; unde recte citato loco Augustinus, *Si noluisset*, inquit, *hoc non pati potuisset, quia Deus erat*: Et quamvis quidquid Christus habet, acceperit a Patre, ut merito ipsum his verbis alloqueretur, Joann. XVII. 10. *Omnia mea tua sunt*: in quantum tamen daca sunt Filio coæterno & consubstantiali, ita sunt dona Patris, ut simul transeant in jus Filii, in cujus manu sunt *omnia*, Joan. III. 35. & qui habet *vitam in semetipso*, v. 26. liberam *ponendi animam* suam facultatem, x. 18. atque *potestatem omnis carnis*, XVII. 2. Ergo & assumpta forma hominis, & anima, & vita, & innumera beneficia gratiarum, quæ inveniuntur in Christo, propria ejus sunt, & ab omni prorsus soluta debito; quoniam omnia sibi in proprietatem vindicat persona Verbi, quæ est Deus summus. Atque hoc pacto, si *hypostatica* unio attendatur, quam diximus in hoc satisfactionis negotio accurate spectandam; pretium pro nobis solvit persona a quocunque debito immunis. Id vero aperte sequitur ex doctrina Augustini. Dato enim, quod in Christo Domino attendatur ratio creaturæ duntaxat, quæ est subjecta Deo, eique debet obtemperare (tametsi præmonui ab hac, ut inquiunt, *præcisione* cavendum Theologo castigate disputanti de Deo homine Christo Jesu) dirimit subtiliter disputantium oppositiones Anselmus, demonstrans neque a creatura exigi *ex debito* mortem, quando nulli est obnoxia peccato; cum divina justitia ipsam mortem infligat hominibus, qui peccaverunt in Adam: quod supra ejusdem Anselmi verbis, & pervulgato exemplo fuit declaratum.

Præterea ex prænotatione tertio loco posita, & verbis Magni Leonis fulfulta apparet nimium esse litigiosos, qui negant Christi satisfactionem fuisse *ad alterum*. Mirabilis quippe divinitatis unitas, & personarum discretio præstat, ut *Incarnatio* sit opus Trinitatis indivisum, & divinum Verbum existens *in forma Dei* miserit seipsum ut existens *in forma servi*. Pari ergo jure tribus personis infertur per peccatum injuria; & nihilominus Verbum divinum ut existens *in forma servi* potuit satisfacere sibi ipsi, quatenus est offensum ut existens *in forma Dei*. Ut ergo satisfactio Christi dicatur *ad alterum*, sufficit duplex in eo natura per quam, licet sit una persona, esse potest satisfaciens & creditor; quemadmodum est Deus & homo, mittens & missus. Explanant id nonnulli Scholastici exemplo tutoris, qui pupilli nomine, si creditor etiam sit, potest satisfacere sibi ipsi. Verum ne aliunde petantur exempla; etiam mittere & mitti, præcipere & obtemperare dicunt ordinem *ad alterum*, non minus ac solvere debitum & satisfacere: & si assumpta *forma servi* sat est, ut Christus sit missus a tota Trinitate, ut toti Trinitati factus sit obediens usque ad mortem, ut a tota Trinitate sit exaltatus & clarificatus; non percipio mehercule, cur id non sufficiat, ut revera toti Trinitati plenam exhibuerit satisfactionem. Quare conditiones necessarias ad plenissimam satisfactionem facile inveniemus in Christo, si in Deo inseparabilem deitatem a proprietatibus personarum, & in ipso Christo unitatem personæ a duplici natura ratiocinando minime divellamus. Ita enim intelligemus quomodo hæc satisfactio sit debitis peccatorum æquivalens, ac proinde nulla pars debiti remissa sit gratis: quomodo sit ex propriis, & alias indebitis; quomodo etiam sit ad alterum: quod erat hac propositione inquirendum.

His nobis videtur posse Subtilis Scholæ Theologos acquiescere; neque aliud censemus reponendum esse ad illorum argumentationes ab Auctoribus principio laudatis multifariam discussas. Duo tamen ex illa schola prodierunt percelebres viri, quorum placitum postulat animadversionem aliquam nostram. Est unus Claudius Frassen, qui disput. 1. de Incarnat. art. 7. sect. 3. q. 4. propugnat satisfactionem Christi *supposito divino pacto* habere omnes conditiones, quæ requiruntur ad satisfactionem ex rigorosa justitia, atque id esse sententiæ Scoti magis conforme. Verum & nos divinum beneplacitum in humana redemptione interfuisse concedimus; quia nullo nostro præcedente promerito, cum posset supremus Dominus omnes homines perdere, nulla necessitate absoluta ductus, dignatus est tradere pro nobis proprium Filium, ut pretium, cui solvendo non erant debitores, persolveret Fidejussor. At posteaquam id pro beneplacito voluntatis suæ definivit, non potest datam a tanto Fidejussore satisfactionem respuere: & quod respectu nostri munificentia est, comparate ad Redemptorem nostrum habet veram rationem justitiæ, ut non semel supra explicavimus. Si ergo Frassen Scoti mentem est assecutus; possumus etiam cum florentissima ipsius Schola facile convenire.

Theologus alter est Franciscus Macedo, qui Collat. v. differentia 4. demonstrat justitiam Dei longe esse diversam ab ea, quam agnoverunt Philosophi: ab illa procul eliminandam omnem rationem debiti ac dependentiæ, quæ repugnant supremo dominio Dei, & nihilominus perfectissimam justitiam esse: sicuti perfectissima est sapientia, quæ caret discursu, quamvis ad sapientiam homines discurrendo pertingant. Atque hæc Macedo ornate, & luculenter demonstrat. His autem positis miratur Theologos tanto studio contendere Deum esse justum eo modo, quo nos justi sumus, redarguit sodales quod formam justitiæ nostræ in Deum transferant, ait controversiam hanc tantis animorum dissidiis exagitatam pendere a notione justitiæ, concludit denique satisfactionem Christi non esse ex rigore illius justitiæ, quam Aristoteles invexit, esse tamen ad apices justitiæ illius sublimioris, quæ cum sit independens, nulli obligationi, nisi ex liberrima voluntate Dei, subjicitur, atque id nihil detrahere dignitati Christi, quoniam rigorosa justitia, quæ Deum debitorem constituat, est indigna ipso Deo, eique aufert rationem independentiæ. At non est, cur Macedo Theologos alios redarguat, ac multo minus cur animadversionem hanc suam, ut novam, lectori proponat. Nullus quippe Theologorum tam demisse sentit de divina justitia, ut credat illam ab ea, quæ versatur inter homines, nulla ratione differre. Inter Scotistas Cardinalis de Laurea Tom. 2. in 3. p. disput. xx. art. 1. demonstrat in Deo esse quidem justitiam erga homines, sed hanc esse ipsam Dei voluntatem, & justitiam *non simpliciter* esse appellandam, sed tantum *secundum quid*; quoniam Deus nulli legi subjicitur, coronat dona sua, & obligatur tantum ex sua liberalitate. Suarez disput. IV. sect. V. & lib. 12. de Grat. cap. 7. demonstrat Deum non posse constitui debitorem, nisi ex sui promissione. Vasquez citatus cap. 3. prop. 9. negat justitiam commutativam esse proprie in Deo, ac inter Thomistas Deum non posse constitui debitorem, *nisi ex sui promissione*, nec aliquid habere rationem meriti, *nisi ex suppositione ordinationis divinæ*, tenent cum Angelico Doctore 1. 2. q. 114. art. 1. & 3. p. q. 46. art. 2. Joannes a S. Thoma, Alvarez, aliique complures apud Salmant. disput. 1. dub. 8. Quod ergo tanquam novum, & peracutum proponit Macedo, id in triviis, & frequenti loco persæpe audierat. Sed reposuerant etiam Theologi, non requiri, ut unus teneatur acceptare quod offertur ab altero, ad hoc ut inter ipsos vera justitia intercedat: *nam etsi* (inquit Sylvius) *Rex, aut mercator non teneatur acceptare justum captivi, vel mercis pretium; si tamen acceptet, vera intercedet justitia, modo sit æqualitas rei ad rem*. Attamen si placeat huc revocare controversiam, ut in Deo præsupponatur

ad constituendam justitiam illius promissio, & liberalis voluntas; dicimus distinguendam duplicem necessitatem: *absolutam*, quæ nunquam in Deum cadit in iis quæ pertinent ad creaturas, & *hypotheticam*, cui absque ullo independentiæ præjudicio Deus positis prædefinitionibus suis subjicitur, atque hac necessitate acceptasse Deum satisfactionem Christi Domini, posteaquam ob nimiam erga nos caritatem illum miserat *in similitudinem carnis peccati*, ita, ut in humani generis reparatione sibi justitia & pax obviaverint, & quod est gratiarum maxima si attendatur Christi prædestinatio, sit summa æquitas si inspiciantur amplissima illius merita: quod non semel asserui in præcedenti Sociniani dogmatis refutatione.

CAPUT VII.

In quo refelluntur postrema argumenta capitis quinti.

REDEO nunc ad Socinum, qui non assereret defendi a nobis Christi satisfactionem philosophicis inventis, si in obsequium Fidei, qua nos profitemur Unigeniti divinitatem, captivasset angustum & sæpe numero aberrans ingenium. Quoniam ergo in sola humana ratione, & in dialectica arte censat locandum esse veritatis præsidium, abjicitque divinarum rerum agnoscendarum æquissimam rectissimamque normam, idest, Catholicæ Ecclesiæ doctrinam; fatendum illi est, se potius, quam nos superno fidei lumine fultos, confugere ad inventa philosophorum. Illud ergo, quod in classe posteriorum argutationum obtinet primum locum, scilicet, apud Deum nullam esse acceptionem personarum, nescio quem ob finem Socinus proferat. Paulus in VI. ad Ephes. 9. utitur ea sententia, *Personarum acceptio non est apud eum*, eaque in sacris literis frequenter occurrit; ac semper hunc præsefert sensum, legem Domini nullam noscere differentiam, communiter Deum omnibus benefacere, & Judæo simul & Græco, dummodo bonum operentur, retribuere mercedem. *Unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber*, inquit ibidem Apostolus, ac similia II. ad Romanos. 11. Optimam affert rationem Chrysostomus Hom. XXII. pag. 1181. quoniam apud Deum nulla est ratio vel servi, vel liberi; nam etiam inter homines non induxit servitutem jus primarium, sed illam peperit *avaritia, sordidus & illiberalis quæstus, atque insatiabilitas*. Verum ex hac communi suprema lege omnibus æquo animo benefaciendi, minime sequitur teneri Deum ad impertiendum beneficia iniquis hominibus, quoniam nulla est personarum acceptio, nisi *ille qui judicat relinquens causæ meritum, de qua judicat, alteri contra alterum suffragatur*; ut demonstrat Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. cap. VII. num. 13. Quis enim dixerit acceptatorem personarum creditorem, qui debitori uni dimittat debitum, ab altero exigat, aut vineæ dominum, qui operarios æquales facit in mercede, nulli denegando denarium, de quo pactus fuerat? Ex Apostolica ergo sententia, si Socinus inferat potuisse Deum Optimum Maximum sine acceptatione personarum dare Redemptorem hominibus & non dæmonibus, eligere Jacob ac reprobare Esau, & etiam redemptione pacta unum præveniente misericordia trahere ad fidem, alterum in pœnam perversitatis deserere, quia nulla est acceptio personarum *in debitoribus æqualiter reis*; dicet aliquid in confessionem gratiæ Redemptoris, quam ipse negat cum Pelagianis: sed cum ex eadem sententia impia consecutione deducit tam iniquum, quam justum Deo acceptos esse, aut nullam dari discrepantiam meritorum, aut nullum versari discrimen inter personam Unigeniti, & hominum ceterorum; profecto ludit operam, & ex abysso in abyssum prolabitur.

Quod addit Socinus de Viro principe ad unam horam pulso in exilium, nullius est momenti: nam si spectetur exilium in se, pluris quidem æstimandum est hominis alterius e plebe exilium diuturnum atque perpetuum; sed conditione personarum spectata, quis dixerit idem esse exulare regem, ac minimum ipsius famulum? At in satisfactione Christi considerandam esse mortem, non in se tantum, sed comparata ad personam, quæ illam subiit, capite præcedenti monuimus. Corruit hac responsione tertia argumentatio, nam mors hominis Dei majori pretio æstimanda est, quam sempiternum damnatorum supplicium. Quod si negat Socinus; istud ab eo petam cum Anselmo lib. 2. Cur *Deus homo*, cap. XIV. pag. 72. *Si præsens esset homo ille, & quis esset scires, & diceretur tibi, Nisi occidas hominem illum, peribit mundus iste totus, & quicquid Deus non est, faceres hoc pro conservanda omni alia creatura?* Si respondeat Socinus, ut ibidem Boso, *Non facerem, etiamsi mihi infinitus numerus mundorum ostenderetur*; ex sui ipsius conscientia discet quanti vita Domini Jesu sit æstimanda: si respondeat autem, *Facerem*: abeat impiissimus cum manu in foro Præsidis conclamantium, *Tolle, tolle, crucifige eum*. At Pater, inquit, illum absque immanitate tradidit crucifixoribus. Dixi cap. III. prop. 10. tradidisse, quia ipse voluit, quia se exhibuit sponsorem nostrum ac vadem, quia nullum aliud inveniri poterat pretium condignæ satisfactionis: unde ipsa justitiæ æquitas commendat Patris caritatem, sicut mors tam dira commonstrat quanti ponderis sit peccatum, quod nonnisi morte Unigeniti filii Dei poterat expiari. Solvitur eadem responsione quarta Socini argumentatio: quandoquidem cum satisfactio Christi sit infiniti valoris, poterat ob valorem pretii facere satis justitiæ, & ob meritum obedientiæ obtinere tantam Christi exaltationem; non enim oblatus est invitus, *sed quia voluit*: unde Apostolus, qui pretio sanguinis nostram tribuit redemptionem ad Ephes. 1. 7., ait quoque ad Philipp. II. 8. exaltationem nominis Jesu esse præmium singularis obedientiæ, & maximæ humilitatis.

Argumentatio quinta nullam aliam postulat responsionem: sed redarguenda est tamen Socini audacia, dum detrahit passioni Christi, ex quo peracta sit exiguo temporis intervallo. Plura enim sunt, quæ passionem ejus supra humanum captum adaugent. I. Quod in ejus mortem homines cujuscunque ordinis conspirarunt, Pontifices, Sacerdotes, Præsides, Ecclesiasticum, & Sæculare forum, Judæi, Ethnici, viri, ac mulieres. Accusarunt eum falsi testes, abnegavit Petrus, vendidit Judas, damnarunt contribules, deriserunt milites, improperavit latro, defecerunt propinqui. II. A planta pedis ad verticem usque capitis dolores maximos pertulit: caput spinea corona circumdatum, facies colaphis palmisque contusa, cæsum diris flagellis dorsum, extensa brachia, manus pedesque transfixi. III. Quolibet exteriori, & interiori sensu eximiam pœnam expertus est, excipiens auribus impiorum convicia, labiis amaritudinem fellis, oculis piissimæ Matris lacrymas, animo peccatorum nostrorum aculeos. IV. Perpessus est famæ, rei, & vitæ jacturam, appellatus seductor, posthabitus homicidæ, inter latrones suffixus, venditus vili pretio, exutus vestibus, nudus expositus, vitamque profundens ad ultimum usque spiritum. V. Ejus passio diuturnitate superavit ceteras, expectata a priori conceptionis momento, semper præsens menti, frequenter prænuntiata, prolixam habens agoniam, afflictationes innumeras, & mortem; cum qua diu luctatus est, non capite truncatus, non absumptus igne, non aqua demersus, sed in cruce ad horam usque nonam blasphemiis, subsannationibus, ludibriis objectus. VI. His accedit corpus divina virtute formatum, ut esset hostia placaminis, sensus vegetior, mens perspicacior, vita innocentior, honoris sui major quam dici possit existimatio, cujusque consolationis voluntaria abjectio, ut mors in illum vehementiori atrocitate sæviret. Videat ergo Socinus, an Redemptoris nostri cruciatus leves sint, & exigui; an potius de his vaticinatus fuerit in Threnis 1. 12. Jeremias, dum ait: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus*. Adeas, Lector, Augustinum in Ps. LXVIII. Thomam Aquinatem 3. p. q. 46. art. 5. & 6. Joan. Driedonem de capt. & red. hum. gen. 3. p. 2. cap. 2. tract. art. 1. &c.

Ea, quibus Socinus impetit personæ Christi dignitatem, percurram breviter, ne hoc loco longior sim, quam necesse est. Fatemur itaque unam pretiosi sanguinis guttam fuisse redemptionis humanæ sufficiens lytrum: & nihilominus affirmamus Christum tot cruciatus mortemque acerbissimam haud inutiliter pertulisse; quandoquidem ostendit primum quid sit causa mortis, & quæstus peccati, quanta prævaricationem Adæ consecuta sint damna, quantum divinam justitiam pertimescere debeamus, quali studio cohibenda sit vitiorum licentia. Deinde nimiam erga nos caritatem testatam fecit, præbuit invictæ patientiæ exemplum, ostendit ingentem humanæ salutis ardorem, deprecatus est veniam interfectoribus; & quia venerat non solum redemptor, sed etiam novæ vitæ institutor, tanta passus est, ut sequamur vestigia ejus. Voluit præterea, ne qua justitiæ pars deesset, iisdem rationibus delere peccatum, quibus admissum fuerat, expiare obedientia culpam inobedientiæ, qua primus parens deliquerat, & per salutiferum Crucis lignum superare infensissimum hostem humani generis, qui per lethiferum interdictæ arboris lignum protoparentem deceperat; mortem denique *stipendium peccati*, ut dicitur ab Apostolo, ad Rom. VI. 23., moriendo destruere, æternamque vitam iis, qui morti ejus complantantur, conferre. Hæc perpolita oratione de Passione Domini, plurimum ab Alexandro VI. probata, & quam Aldus Manucius gestabat in sinu, & legendam tradebat omnibus, prosequitur noster Lippus: quibus addenda sunt momenta a nobis capite tertio præmissa.

Ad confutationem septimi faciunt quæ diximus postremo capite. Revera enim Christus satisfecit, ut homo; sed natura humana, in qua passus est, erat *hypostatice* unita divino Verbo: *Et divinitas* (inquit Damascenus lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 15. pag. 245.) *miracula perpetrabat, sed non citra carnem; caro rursus humilia & abjecta efficiebat, sed non a divinitate sejuncta. Nam & patienti carni connexa erat divinitas ab omnis doloris sensu incolumis permanens, & salutares cruciatus efficiens; ac rursus operanti Verbi divinitati mens sancta conjuncta erat,*

erat, cogitans & intelligens ea, quæ patrabantur. Imperite ergo in satisfactionis negotio attenditur humanitatis natura, non Verbi persona, absque cujus regimine ac nutu illa nec existebat, nec patiebatur. Eadem responsione eliditur insequens Socini objectio; quippe & mundi productio, & quælibet alia operatio summi Dei, tametsi comparate ad *terminum*, sive ad rem creatam atque productam, finita sit, habet ex parte causæ effectricis infinitam virtutem. Ideo autem mundus in se finitum habet pretium, quia infinita illa virtus causæ efficientis est extrinseca rei creatæ: sed personæ dignitas est ratio intrinseca merito, quoniam ipsa persona est, quæ pretium exhibet, quæ sacrificium offert, quæ oblatæ rei dominium habet ac potestatem. Et quoniam in iis, quæ absque deliberatione patrantur, nulla deprehenditur ratio meriti; satis apparet, quam inscite producat Socinus exemplum bestiæ cibum, potumque sumentis, & naturalem facultatem confundat cum libera; bestia ipse, ac monstrum naturæ, si neget rationalem hominem promereri jejunio, quo sine ullo merito belva fame laborans atteritur. His una quoque objectatio refutata est.

Postrema eludi primum potest repetito discrimine duarum naturarum, quæ in Christo conveniunt in unitatem personæ: illo enim discrimine posito, potuit Verbum in humana natura subsistens sibi tanquam Deo satisfacere: de qua re plura prop. 2. præced. cap. Deinde, quoniam nobis concertatio est cum hæreticis omnium pervicacissimis, dicimus Christi personam, quamvis una est, moraliter censeri unam, & alteram, quoniam constans naturis duabus, vindicat sibimet divinitatis, atque humanitatis jura: cumque habeat divinitatis plenitudinem, & *formæ*, quam assumpsit, potestatem; hanc *ut homo* in redemptionis pretium exhibet, quam *ut Deus* acceptat in satisfactionem justitiæ. Idem quippe homo habens jus creditoris, & potestatem ratandi eum, qui nondum pervenit ad pubertatem, ob hæc duo jura in capite libero constituta potest satisfacere sibi ipsi, ac debitum pupilli persolvere, ut diximus eadem 2. propositione. At mittamus Socinum, qui nos coegit in hac controversia diutine commorari, & celerius reliqua percurramus.

C A P U T VIII.

An pura creatura possit Deo pro peccato proprio, vel alieno condignam exhibere satisfactionem?

EX his, quæ sæpe repetita sunt, *Incarnationem* divini Verbi necessariam fuisse facta hypothesi, quod Deus decreverit servato omni jure æquitatis redimere captivum hominem, manifesta illatione consequitur, nullam creaturam a divina persona *hypostatice* non assumptam, neque ad consortium, nexumque substantialem divinitatis evectam, posse munus mediatoris, ac redemptoris implere tali soluto pretio, quod æquare valeat peccati magnitudinem, ac debitum prorsus delere. Qua in re, etsi Scholastici, ut solent, vel in oppositas partes abeant, vel etiam uni adhærentes producta ab aliis momenta studeant exagitare; geram me temperanter admodum, & pacate, certior factus Patrum documentis, & majori etiam Scholarum assensu, fieri non posse, ut exhibita ab homine, vel ab angelo satisfactio tantum honoris persolvat supremo Domino, quantum illi prævaricatoris iniquitas intulit injuriæ. Verum quia de hominibus originali peccato obnoxiis, & de creatura quæ posset a Deo produci gratiæ decore exornata, proferenda non censeo omnia indiscriminatim argumenta, quæ inveniuntur apud divinarum rerum tractatores; consilium est eadem sejunctis thesibus ad hunc modum disponere.

PROPOSITIO I. Rationalis creatura obstricta peccato nequit vel pro se, vel pro aliis condigne Deo satisfacere.

Demonstratur primo ex Scripturis, quæ docent ideo Christum nos a maledicto solvisse, *eo quod iniquitatem non fecerit*, Is. LIII. 9. quia *peccatum in eo non est*, 1. Joan. III. 5. quem in locum ait Augustinus Tract. IV. num. 8. *In quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret*. Quomodo ergo creatura aliqua inquinata peccato potest culpam abstergere, & solvere maledictionem? II. Confirmatur concordissima SS. Patrum traditione. Divus enim Irenæus lib. III. adversus Hær. cap. 20. & ex distinct. Massuet 18. n. 2. ait: *Non erat possibile eum hominem, qui semel victus fuerat & elisus per inobedientiam, replasmare, & obtinere bravium victoriæ, &c.* S. P. August. in Ps. XXIX. num. 12. *Quia Israel vendere se potuit, & fieri venumdatus sub peccato, redimere se ab iniquitatibus non potest*. Eusebius Emissenus hom. 6. de Paschate ita loquitur: *Non subvenire peccato poterat similis peccato obnoxius, nec intervenire pro servis adstrictus legibus servitutis*. Vide ceteros similia tradentes apud Dionys. Petavium lib. II. de Incarnat. cap. 12. III. Idem Theologica ratione firmatur; quoniam, ut diximus II. Volumine pag. 237. mortale peccatum, in quantum est Dei offensa, infinitam habet malitiam, cui nullum bonum opus quantavis caritate ab homine *puro* peractum, potest æquivalere: quod repetam paullo infra. Deinde fieri nequit, ut homo æternam mortem, quæ peccato mortali debetur, atque ad ultimum quadrantem persolvat, quippe æterna punitio non habet fines, qui possint attingi: atque temporalis quælibet poena, nisi sit personæ sempiterna, maximaque majestate fulgentis, æquiparari non potest cum perpetuo gehennæ supplicio. Cum insuper anima, quam impius peccato vendidit, sit Dei imago tot, tantisque divinæ beneficentiæ muneribus decorata; (ut repetam verba divinæ Sapientiæ ore prolata, Mat. XVI. 26.) *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Ac tandem, cum omnia creaturarum bona sint a Deo, si quid ipsi exhibeat homo, vel angelus; id non ex propriis solvit, sed ex liberalitate Creatoris: neque enim quod habet a supremo Domino, potest creatura aliqua in jus suum vindicare; at præcedenti capite VII. diximus de Unigenito Filio Dei, qui cum sit Deus summus, habuit a seipso quicquid dependit pro humani generis redemptione: mortem vero, quam juxta Anselmi doctrinam ex debito Deus ab innocente non exigit, qui semel legem transgressus esset, omni jure persolveret; nec in satisfactionem justitiæ posset impendere vitam, quæ post peccatum evasit indebitum beneficium, inter bona, quorum jus habeat iniquus, nullatenus recensendam.

PROPOSITIO II. Nulla creatura, quantumvis gratia, meritoque exornata, potest exhibere Deo pro mortali peccato coæqualem satisfactionem.

Id primo evincitur ex Scripturis, asserentibus tantummodo Domino Jesu Christo competere, ut sit *Mediator Dei, & hominum*, ad Tim. II. 5. & ad Heb. IX. 15. ut pacem conciliet nostram, quia *fecit utraque unum*, ad Ephes. II. 14. ut nobis sit *Pontifex impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus*, nec habens necessitatem pro suis delictis hostias offerre, ad Hebr. VII. 26. Hæc non solum in hac rerum constitutione valere existimanda sunt, ut quidam sentiunt, verum etiam in quocumque ordine, quoniam non potest esse mediator, nisi qui utriusque habeat naturam, nec sanguinem in redemptionem fundere, qui non habeat potestatem ponendi animam suam, quemadmodum diximus Patrum auctoritate suffulti disputantes contra Socinum. Sed aperta sunt verba Psalmographi XLVIII. 8. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionem animæ suæ:* quæ fatentibus omnibus de Christo sunt prænuntiata. Ita est, inquis, sed fieri tamen potuit, ut redimeret *frater*. Hæc quidem Scholasticorum nonnulli. Quid autem in hunc Psalmum Basilius? Is Tom. 1. pag. edit. Morel. 282. *Neque enim*, inquit, *fratrem in redemptionem quæris, sed unum aliquem, qui nostram exuperet naturam: non item hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare potest*. Similia Ambrosius Tom. 1. pag. 949. Et Augustinus in eumdem Ps. num. 8. serm. 1. quasi eam prævidens responsionem, inquit mirabundus: *Aliquis homo redimet, si Filius hominis non redimit?* Audis ergo non tantum nos a Filio hominis fuisse redemptos, verum & non posse hominem *nudum*, qui non excedit communem naturam, dare Deo placationem. II. Et quoniam ad Patres progressa est disputatio; Irænæus lib. III. cap. XVIII. num. 7. assertum nostrum extra omnem hæsitationem his verbis confirmat: *Nisi homo conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis*. Addit quod supra diximus, non posse officium Mediatoris exerceri, *nisi ab homine Deo*. Addit etiam quod nulla ratione possemus fieri participes adoptionis filiorum, *nisi per Filium eam, quæ est ad ipsum, recepissemus communionem*. Athanasius lib. 2. contra Apollin. habet ea verba, quæ laudantur Act. 8. Synodi VI. *Nisi in ea, quæ peccaverat, natura impeccabilitas visa esset, peccatum in carne damnari non potuisset*. S. P. Augustinus in Enchir. cap. CVIII. num. 28. ait: *Neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum, nisi esset & Deus*. Fulgentius lib. II. ad Trasim. cap. 2. pag. edit. Lugd. 457. demonstrat nec Angelum potuisse reparationis munus obire, quoniam est juvaminis egenus, nec potest propriæ stabilitati sufficere: & de Incarnat. & Grat. cap. 4. pag. 636. docet nunquam naturam humanam idoneam futuram esse ad auferendum peccatum, *nisi in unionem Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum personali unitate transiret*. Loca producunt alia Petavius lib. II. de Incarnat. cap. 12. & 14. L'Herminier pag. 105. Witasse q. 1. cap. 2. Tournely q. v. pag. 161. Verum a nobis selecta videntur insigniora, & ad aliam confugientium hypothesim diruunt perfugium: quippe nulla simplex creatura est Deus & homo, nulla personali unitate conjuncta esset Deo, nulla per communicationem proprii spiritus impertiretur filiorum adoptionem; quod tam expresse tradunt Ecclesiæ Patres. III. Auctoritati accedit ratio, & ea primum, quam supra dixi petendam esse a pravitate peccati: de quo licet sit in Scholis fervida partium contentio, verissima sen-

ma sententia est infinitam habere labem ac turpitudinem. A majestata enim personæ offensæ æstimatur gravitas injuriæ, quamvis damnum illatum dignoscatur a pretio illius rei, quæ aufertur: quod puto etiam manifestum fieri ex ipsa hominum consuetudine. Nam si per vim regium diadema legitimo ablatum principi, imponas capiti alicujus tyranni, quamvis postea reddas quod rapueras, non tamen illatum dedecus poteris facile compensare: & si aliquam inter homines etiam disparis ordinis compensationem inveneris, frustra illam *nudus* homo satagет ei dare, a cujus majestate infinitis intervallis recedit. Quare videntur mihi qui mortale peccatum finitum faciunt, minus accurate distinguere inter peccati, ut inquiunt, *entitatem*, atque malitiam. Sane hæc ratio inconcussa visa est S. Anselmo lib. I. *Cur Deus homo*, cap. 21. pag. 63. ubi demonstrat quanti ponderis sit peccatum, ea eo etiam, quod nemo illud perpetraret, divina majestate perspecta, quamvis universi moles rueret, & redigeretur in nihilum. Neque arbitror diversa sentire mortalium aliquem, qui Deum timeat. Liquet ergo ex ipsa hominis recti conscientia plus horroris incutere peccatum, quam mundialis machinæ, & creaturarum universarum ruinam, profecto propter divinæ Majestatis contemptum, cui nihil possumus comparare. Hoc propterea momento deprompto *ex infinitate divinæ majestatis* utitur S. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. Æg. dist. 1. p. 2. q. 1. S. Bonav. dist. xx. q. 4. Suarez disp. xv. q. 1. art. 2. sect. 7. Estius dist. 20. §. 3. Sylvius Q. 1. q. 4. art. 2. & ne alios commemorem, nostræ, ac Thomisticæ scholæ universi. Spectata itaque gravitate peccati, ut in historia Dominicæ Passionis carmine conscripta cecinit F. Adam Januensis vir Instituti nostri pius, atque eruditus,

Ista salus hominis sub opaca mole ferenda
Tanti erat, ut totum natura creata, vel omnis
Angelica humanum Genus instaurare nequiret.

Atque id non solum de redemptione hominum universorum, sed etiam de rigorosa satisfactione pro uno duntaxat impio, propter peccati granditatem est asserendum.

Sunt præterea, qui idem non sentiunt de magnitudine peccati; & tamen negant posse puram creaturam ad æqualitatem Deo satisfacere ea ducti ratione, quod Deus supremum ordinem teneat, creatura autem medium, aut infimum, & asserentes opus esse, ut injuria ac satisfactio ordinis sint ejusdem. Si enim plebejus colaphum impingat regi, finitam quidem injuriam infert, non tamen huic ullo actu obsequii satisfacit: nec damnum illatum honori compensatur solutione pecuniæ; propterea quod rex & plebejus, fama ac divitiæ teneant ordines discrepantes. Et quamvis contingat aliquando, ut in hominum æstimatione minimum damnum ordinis præstantioris, sit in exemplo, famæ, censeatur ad æqualitatem compensatum per eximiam satisfactionem inferioris ordinis, v. g. per ingentem solutionem rei pecuniariæ; quam ob causam Vasquesius dispot. iv. cap. 4. n. 36. Cardin. de Lugo disput. v. sect. 4. aliique rationem illam refellunt: potest tamen hæc valide propugnari, quoniam inter unum, & alterum ordinem creatarum rerum datur quædam propinquitas, per quam inferiorum suprema possunt ad infera superiorum pertingere; sed hæc propinquitas inveniri nequaquam potest inter supremum Dominum & creaturam. Si cui autem placeat hac incedere, facem ei præferet L'Herminier pag. 106. Suaresius quoque præcitata sect. 7. & Augustinensis Gibbon disput. 11. dub. 6. quamvis hæc semita minus trita sit, & a via ampliori, quam sequimur, parum distet.

Quæ adversus positionem hanc objiciuntur, sunt istiusmodi. Primum *simplex* homo eliciens actum contritionis perfectæ tantumdem reddit Deo, quantum ei abstulit gravitate delicti: & quemadmodum se per noxiam cupiditatem converterat ad bona commutabilia, & finem ultimum constituerat in rebus creatis; ita per castam delectationem retrahens animum a fluxis bonis, & ad incommutabile vergens, locat finem suum in Deo, compensatque merito sanctæ caritatis quicquid prava dilectione contraxit. At si creditori restituas omne, quod abstulisti, satisfacis ad juris apices. Per actum ergo perfectæ contritionis potes exhibere Deo satisfactionem condignam. Præterea contritione perfecta promereris remissionem peccatorum; & si ornatus fueris sanctitatis decore, erit tibi vita æterna condigna merces, & corona justitiæ. Si tantum gratia condecoratus mereri potes, cur non satisfacere pro peccati injuria? Insuper conferre tibi potest summi Dei liberalitas adeo eximiam sanctitatem, ad quam nemo unquam pervenerit: ac talem saltem dignitatem nactus, par eris solvendo peccati debito. Ad hæc, si Deus rationalem creaturam constituat Caput morale ceterarum, ut fuit Adam posterorum hominum, poterit illa suam in alios justitiam transfundere, quemadmodum Adam ipse communem naturam vitiando homines universos infecit. Postremo ratio deprompta a gravitate peccati, est admodum imbecillis; quoniam si a dignitate personæ offensæ desumenda foret turpitudo peccati, neque esset discrimen inter veniale & lethiferum, neque unum mortale excederet fœditatem alterius, neque pro minima culpa posset condigna satisfieri: quarum assertionum duæ priores redolent impietatem, & hæresim; tertia vero fere ab omnibus improbatur.

Ad primum igitur sic respondeo. Duo in mortali peccato attendi debent, quod aufertur, & cui aufertur, sive, ut inquiunt cum Sylvio quidam e Schola, injuria *realis*, ac *personalis*: quorum illud æstimatur ex rei pretio, alterum pensatur ex personæ amplitudine ac dignitate. Neque enim tantum refert expendere, an furatus sit quispiam obulum, vel aureum, an inflixerit colaphum, aut vulnus; sed etiam an damnum illatum sit diviti vel pauperi, an plaga inflicta plebicolæ vel principi; & quid discriminis intersit inter eum qui ignominiam inurit, & qui eamdem perpetitur. Atque restituta re oblata, obulo nimirum, vel aureo, & vulnere inflicto pro vulnere, alapa impacta pro alapa, persolvendum quoque est, ni locum habeat hostimentum & talio, debitum contumeliæ, aut loris, aut triremi, aut suspendio, idque facta offendentis offensique comparatione: nam si servus conservum percusserit, eadem saltem pœna multabitur; si quemdam procerum, exilio; si regem, furca. Injuriam vero irrogatam Auctori suo, maximo, atque beneficentissimo, quæ multa multabit? Distinguo itaque majorem propositionem: Contritione perfecta redditur Deo tantumdem, quantum peccato ablatum fuerat, spectata duntaxat rei magnitudine, & *reali injuria*, concedo: attento Deum inter, hominesque discrimine, atque *injuria personali*, nego. Deinde per actum contritionis cuinam peccato satisfacies? Proprio? Minime, quoniam caritatem gratis, & eo fine ut resipisceres, tibi Pater luminum inspiravit: nec est ex propriis, aut condigna ea satisfactio, in qua tibi remittitur debitum carendi gratia, ac novo obstringaris beneficio. Alieno ne? Nequaquam: pro illa enim gratia, quæ te exornat, ne interim commemorem debita alia quamplurima, debes Deo tuo, quicquid habes. Sed de primo quidem argumento satis. Ad alterum nego quod per contritionem mereatur quis remissionem peccati, merito *de condigno*: justificatio enim gratia est, non corona, vel merces. Vitam vero æternam homo justus meretur quidem, etiam *condigne*, sed quia Christo tamquam palmiti inseritur, & Christi gratia fit in eo *fons aquæ vitæ salientis in vitam æternam*; & quia accepta adoptione filiorum habet quoque hæreditatis pignus & arrham: ideoque meritum a gratia *habituali*, non ab opere in se spectato, talem habet condignitatem. Accedit, quod non est eadem ratio merendi, atque satisfaciendi: quippe in merito intervenit divina promissio, cum nequeat Deus constitui debitor creaturarum suarum, nisi sua largitate; in satisfactione autem attenditur personæ offensæ amplitudo, & pravitas injuriæ. Vide lib. xix. cap. 6. & 8. Illud, quod tertio loco objicitur, nullius est ponderis: nam sanctitas qualibet creaturarum, quantumvis eximia, finita est: &, si etiam infinita fingatur, distat a Dei majestate infinito intervallo, ut infinitum accidens ab infinita substantia, & infinitum in quantitate ab infinito in omni genere; & ideo nunquam erit inter meritum creaturæ, & injuriam Deo illatam proportio. In solutione argumenti quarti me vano labore non frangam, siquidem *nudus* homo potest esse morale caput in ordine ad transfusionem peccati, quia illius prævaricatio habet infinitam turpitudinem, & peccatum originale transfunditur viriata generatione, cujus homo primus est auctor: at meritum cujuslibet simplicis creaturæ finitum est, nec ejus intuitu tenetur Deus gratiam posteris impertiri, nisi ex sua promissione; & consequenter *purus* homo nequit constitui morale caput, ea quo non ea Dei munifica largitate, sed ex justitia profluat gratia, & sanctitas ceterorum. In postremo pariter argumento haud multum operis & verborum insumam. Dixi enim libro xxi. cap. 8. offensam, quæ commensuratur cum dignitate personæ, esse illam, quæ conjuncta est cum despicientia & contemptu; & ideo veniale peccatum, licet sit Dei offensa, caret illa gravitate, quæ est in mortali, per quod constituitur finis ultimus in creatura. Affirmavi præterea adversus Jovinianum dari inter peccata mortalia discrimen, quia licet omnia afficiant injuria supremum Dominum, habeantque ex hoc capite maximam turpitudinem, ratione tamen violandi præcepta, & considerata cujuscunque peccati materia, unum est gravius altero, quia habet majorem voluntatis perversitatem, magisque recedit a regula incommutabilis æquitatis. Sed necessum non est, ut eo loci exposita repetantur. At, inquis, pro veniali peccato potest ne *purus* homo satisfacere ad juris apices? Attenta peccati turpitudine potest quidem; idque tenent e schola permulti: nam cum veniale peccatum non habeat infinitam gravitatem, potest justus boni aliquid præstare, quod illi æquivaleat. Negant id tamen alii, quia hæc satisfactio esset ex gratia, non vero ex propriis. Ceterum non videtur omnibus momentum istud invictum, quoniam peccato duntaxat veniali non contrahitur debitum carendi ipsa gratia; neque hæc sublata esset post ejusdem venialis peccati perpetrationem, ut ratiocinatur Suaresius disp. iv. q. 1. art. 2. sect. 9. Potest autem, inquiunt, fieri satisfactio etiam ex bonis dono acceptis, dummodo

non

non conferantur post contractum debitum, & eo fine, ut istud deleatur, sicuti pecunia dono collata persolvitur inter homines debitum aliunde proveniens. Verum, si cui inhæreat opposita persuasio, reponet nunquam creaturam vindicate sibi jus donorum Domini sui; licet id eveniat inter homines, quos inter transferri potest dominium. Adde gravitatem peccati, nisi infinita sit, spectare nihilominus ordinis diversitatem: quæ omnia declarata sunt paullo supra. Ex quibus colliges me in postremam sententiam propendere, altera tamen in suo jure relicta.

CAPUT IX.

Ad universos homines, etiam feminei sexus, non vero ad dæmones, pertinere Christi Domini redemptionem.

CIRCA humani generis redemptionem tria adhuc remanent inquirenda: quorum primum est, an pro omnibus, ac singulis hominibus pissimus Jesus sanguinem fuderit, an duntaxat pro electis ante Mundi constitutionem: quod postremum commenti sunt Calvini asseclæ, Janseniani, & quorumdam opinione Prædestinatiani hæretici quinto Ecclesiæ sæculo, & vertente 9. Gothescalcus, damnatus in Carisiaca Synodo ab Hincmaro Remensi coacta. De quibus postremis quid sentiamus, vide lib. VI. cap. 14. Immitem hanc, rigidamque sententiam, non solum a prælaudata Synodo, verum etiam a Tridentina sess. VI. cap. 2. ac postea in V. propositione Jansenii Romanorum Pontificum definitione damnatam, contumeliosam Christo, ejusque flagrantissimæ, maximæque caritati derogantem, 3. capite lib. XVII. refutavimus. Contraria est enim divinis Scripturis, asserentibus *unum pro omnibus mortuum esse: dedisse semetipsum redemptionem pro multis: pro omnibus gustasse mortem: Salvatorem esse omnium; nec pro nostris tantum peccatis propitiationem esse, sed etiam pro totius mundi*. Hæc enim leguntur 2. ad Corinth. V. 14. prima ad Tim. II. 6. ad Heb. II. 9. ad Tim. IV. 10. ac I. Joan. II. 2. Quæ loca, quoniam producta sunt eodem libro XVII. & repetita hoc, in quo versamur, contra Socinum, necessum non arbitror prolixius, diuque inculcare. Repugnat quoque sententia illa impia, ac blasphema traditioni Patrum universorum; Irenæi asserentis cap. 17. lib. V. Christum *propitiasse pro omnibus Patrem*: Clem. Alex. scribentis in VII. Strom. illum *prorsus omnium, nullo excepto, Servatorem esse*: Origenis in IV. adversus Celsum conscribentis, *non iis tantum mederi voluisse, qui in uno erant orbis angulo, sed, quantum in ipso fuit, iis qui ubique sunt*: Nazianz. Orat. 42. *universum orbem instaurasse*: Ambrosii in 2. lib. de Abel & Cain, cap. 3. *pro salute universorum advenisse*: S. P. Augustini tract. XXXVI. in Joan. *venisse ut salvaret eos etiam, qui salvari noluerunt*: Prosperi ad object. IX. Gallorum, *rectissime dici pro totius mundi redemptione crucifixum*: Anselmi in primam ad Tim. cap. 2. *mortem pro omnibus sustinuisse, ut omnes a morte redimeret*. Atque hæc pariter, cum obvia sint iis omnibus, qui vel in nostras, vel in aliorum dissertationes oculos conjecerunt, satis est recapitulatione quadam recensuisse. Adversatur tandem placitum illud hæreticorum rationi, quæ petitur ex originali peccato, cui omnes filii Adam nascuntur obnoxii: ex oratione, quam pro omnibus tenemur effundere: ex Ecclesia, quæ in sui gremium quoscunque excipit: ex Evangelii prædicatione per universum terrarum orbem: ex Domini *Jesu* nomine: ex Mediatoris officio, ex Judicis potestate: ex sacrificii ejus valore: ex caritate, qua proditorem amplexus est, qua pro crucifixoribus exoravit, qua tota die ad populum non credentem, & contradicentem manus extendit; quæ item produximus Tom. II. pag. 96. & sequentibus.

In hac tamen universali redemptione permultos esse, qui mortis ejus beneficium non recipiunt, expressa est definitio Tridentini sess. VI. cap. 3. ac tradita olim ab Augustino in Ps. 87. & Tract. in Joan. 45. a Prospero ad ob. Gallorum 9. necnon a Valentina Synodo cap. 4. & a Lugdunensi Ecclesia in Epist. *de tenenda Ecclesiæ veritate*; & quam comprobat experientia reproborum multorum; quorum aliqui prædicato Evangelio non credunt, aliqui suscepta fide transgrediuntur mandata, aliqui a justificatione statim decidunt, aliqui demum justitiam, quam diu servaverant, miserando lapsu pessundant. Id tamen communi Redemptioni, qua Christus pro universis hominibus profudit sanguinem, minime derogat: sive dicamus Christum sua passione omnes redemisse *instituendo causam nostræ liberationis*, sed passionem ipsam suo carere effectu, nisi applicetur *per fidem, per caritatem, per Sacramenta*; quæ est sententia nostra præcitato Volumine pag. 98. imo S. Thomæ 3. p. q. 49. art. I. sive asseramus, quod idem prorsus est, requiri ad percipiendum fructum redemptionis assensum nostrum, quo non inviti, sed libero arbitrio cooperante divinæ gratiæ, accedamus ad Christum, & corpori ejus coaptemur; ut explicavimus præcedenti cap. 5. sive cum Theologis plurimis dicamus adesse singulis beneficio Christi sufficientem gratiam, qua possint salutem consequi: sive denique affirmemus gratiam ipsam universis præparari, atque exhiberi, neque denegari ulli mortalium, nisi quis sua culpa, rectissimoque judicio Dei permittente, veræ luci, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, claudat oculos: quod nos pariter diximus Tom. II. pag. 136. in qua sententia nihil derogari voluntati, quæ in Deo est, salvandi omnes, & beneficio universalissimæ redemptionis, hinc colligitur, quod non est tribuendum Soli, *si quis generali lucis beneficio se fraudet, quia clausis fenestris immissos radios excludat*; ut diximus eodem volum. pag. 136. & docuerat ante nos S. Thomas I. 2. q. 79. art. 3. ante Thomam vero iisdem verbis Ambrosius in Ps. 118. serm. 8. n. 57.

Verum tamen est, quod pro ovibus suis, in sempiternum regnum prædestinatis, non tantum Christus mortuus est *causaliter*, & instituens *causam liberationis*, sed etiam iis mortis suæ fructum impertitur, & salutiferum remedium reapse applicat: quod est redemptionis singularis quædam proprietas; veluti si medicus non solum faciat medicinam, ex qua possint morbi omnes sanari, verum etiam quibusdam ægrotis illam applicet: quod est peculiaris benevolentiæ argumentum, haud imminuens virtutum medicaminis instituti pro omnibus, exhibiti singulis, & adversus omnium morborum genera efficacissimi. Specialem hanc erga electos dilectionem probant ea Scripturarum, Sanctorumque testimonia, quibus abutuntur hæretici, ut imperitis suadeant Christum pro solis electis sanguinem profudisse; respicientes, ut ajebat beatus Prosper, ad infidelium partem, qui delectati captivitate redimi noluerunt, aut ad eamdem sunt servitutem reversi, non vero ad Sacramenti virtutem, atque ad mortem, quam Redemptor subiit propter communem omnium hominum perditionem. Nos itaque redemptionem, ejusque fructum, Augustino, Prospero, S. Thoma, ac Tridentinis Patribus erudientibus, accurate distinguentes nulla Novatorum cavillatione percellimur. Nec quod illi ajunt Christo perspectam fuisse reproborum pervicaciam, ac damnationem, nos aliqua ratione perstringit: quia non debebat munus suum ob aliquorum perversitatem deserere; sicut publicus medicus visitat omnes in Xenodochio laborantes, & publicus advocatus damnandorum quoque agit caussam; ne quis dicat, ille medici culpa decessit, is strangulatur indiligentia advocati. Communi ergo suscepta causa, debuit Christus pro omnibus immolari; ne perditissimi homines vel pretium sanguinis ejus parvipenderent, vel prætermisso Mediatoris officio propriam adscriberent damnationem. Atque his summatim, omnibusque simul comprehensis pertractata iterum est controversia de universali hominum Redemptione.

DE MULIERIBUS.

Nunc vero præconceptam a nobis justissimam indignationem adversus Redemptoris nostri inimicos, deliniam lepida quæstiuncula, quæ est hujus capitis pars altera, an mulieres quoque sint a Christo redemptæ. Id etiam, inquis, in disputatione positum est? nonne & mulier formata ex una costarum Adæ habet nobiscum ejusdem generis corpus, animumque ratione præditum? quisnam tam insanus fuit, ut ad hoc insinuandum ipse voce & sensu obbrutesceret, aut sacrilegio jocaretur? Fuit is quidam Horatius Plata in opusculo typis edito Lugduni 1647. ejusque meminit in Historia hæresum Dominicus Bernini Tom. I. pag. 30. ac refutavit tam supinum errorem Philippus Maria Boninus edito adversus Platam libro vernacula lingua conscripto, & postea Opere, cui titulus, *Advocatus mulierum*, Franciscus Bordonius.

At primo manifestum est, mulieres eamdem nobiscum naturam gerere, quia Gen. I. 26. post ea verba, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, sequitur, *Masculum & feminam creavit eos*; quo textu non utor modo cum Bordonio, ut probem in femina, sicut in viro, imaginem Dei relucere, quippe ibidem, & versu proximo, necnon cap. V. versu I. Dei imago singulari numero tribuitur ipsimet viro, eique revera titulo convenit speciali, tametsi etiam mulier ratione mentis, & animi divinam imaginem præseferat; sed interim illud tantum assumo, quod pronomen *eos* nequeat ad aliud referri vocabulum, nisi ad præcedens, *hominem*; ideoque tam masculus, quam femina *homo* est. Deinde volucres, jumenta, ac bestias terræ, sive masculini sint generis, sive feminei, species habere suas, atque in his masculum & feminam non esse dissimiles, constat ex eodem cap. I. Genesis, versu 24. & ex cap. VI. 19. Quare autem brutis conceditur ejusdem naturæ femella, non autem viro? Præterea II. Genes. vers. 18. appellatur mulier *adjutorium simile* Adamo: atque Adam ipse cap. III. 12. suam illam vocavit *sociam*. Ineptit autem Plata, dum ait mulierem esse viri adjutorium, ut sutoris acus, & agricolæ asellus; quandoquidem mulier est *adjutorium simile*: non seau, ut per se liquet, adeoque natura. Si enim ad similitudinem sufficit ratio tantum adminiculi, vel instrumenti; irrisorem feminei seaus dicemus jure simi-

lem

lem asino, si unquam hoc animal ipsum proprio dorso vectavit. Est insuper mulier procreata in viri adjutorium, ut esset gignendorum liberorum auctrix; quod, ut commonstrat idea generationis, requirit naturæ similitudinem. Societas quoque est ratione utentium mutua consuetudo, Philosophorum nemine repugnante. Demum, ut vir, ita femina corpore, animoque prædita est. Et de corpore quidem ait Adam Gen. II. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* de anima vero, sive per *metonymiam* de personis anima non destitutis, Petrus Epist. 1. cap. III. 20. *Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam*: in quibus connumerari uxores Noe, & filiorum ejus constat ex Genes. VII. 7. quo etiam in libro cap. XLVI. 27. *Animæ domum Jacob* ingressæ in Ægyptum dicuntur *septuaginta*: animæ scilicet *filiorum*, & *filiarum*, ut habetur eodem cap. versu 15. Est ergo mulier animal præditum anima & corpore. Nec dici potest animam mulierum destitutam esse ratione; divina enim Scriptura, Patres, Historici, nostrorum quoque temporum experientia commendant mulieres plurimas, nulli virorum sanctitate, prudentia, doctrina, & rerum agendarum experimento posthabendas. Quis enim præstantior Sara, Rebecca, Juditha, Esthere, Anna, aliisque in veteris Testamenti historia magnopere commendatis? Quis eloquentior apud Ethnicos Aspasia, Amphiclæa, Sapho, cæterisque compluribus? Claret Hieronymi laudibus Eustochium, Paula, Fabiola, Marcella; Augustini præconiis Monica, Italica, Florentina: laudat Clemens Alexandrinus Arthemision, Didymus Anaxandram, Eusebius Hypatiam. At sanctarum martyrum, ac virginum gloriosa pro fide certamina, & virtutum omnium decora nec recensere possumus, nec digne admirari. Una tantum femina hominum, & angelorum universorum merita superavit, Genitrix Dei, & perpetua Virgo Maria. Verum illustriores apud Gentes mulieres laudarunt Boccacius, Ribera, Alexander Piccolomineus: inter Divos relatas recensent Sanctorum Acta: eas autem, quæ florent ætate nostra ingenii acumine, morumque honestate, celebrabit venerabunda posteritas.

Sunt ergo feminæ ejusdem cum viris naturæ, ideoque redemptæ a Christo, qui communem causam suscepit. Et quantum spectat ad Redemptionem; apertissimum est, etiam in mulieres debacchari mortem, & calamitates innumeras, quæ consequuntur antiquam maledictionem, ad quam solvendam venit humani generis Reparator. Is ergo debuit etiam pro mulieribus subire mortem. Nam ad quos pertransit pœna primæ prævaricationis, ad illos omnes extenditur passio Christi; ut demonstrat serm. 214. Tom. 2. pag. 154. Albertus noster Patavinus, vulgari disticho:

Mortis homo calicem gustavit ut omnis in uno;
Omnis in unius morte revixit homo.

Et quidem legimus Act. II. 17. tam filios hominum, quam filias frui participatione Spiritus Christi: in priori ad Corinth. VI. 18. nedum filiis, sed & filiabus adoptionis filiorum Dei beneficium conferri: ad Philipp. IV. 3. mulierum quoque nomina esse in libro vitæ: in prima Petri III. 5. etiam mulieres sanctas sperare in Deo, & versu 7. cohæredes esse *gratiæ vitæ*. Quomodo autem iis, quæ non sunt participes redemptionis, conferri potest Christi gratia, communicatio Spiritus sancti, & pignus hæreditatis? Præterea Christum gessisse salvandarum mulierum solicitudinem comprobatur ex misericordia qua excepit Chananæam, ex illius cum Samaritana colloquio, ex ejus ad Martham exhortationibus, ex ingenti erga hujus sororem caritate, ex suscepto adulteræ patrocinio, ex collocutione facta, dum Golgotham adscenderet, cum filiabus Jerusalem: licet præbens nobis exemplum nimiæ familiaritatis vitandæ, a feminarum contubernis diligentius caveret, quam a conviviis publicanorum. Apostoli denique mulierum salutem æque ac virorum procurarunt. Paulus in I. ad Corinth. VII. docet quæ cura habenda sit virginum: ad Philipp. IV. admonet Evodiam, ut cum Syntyche concordi sit animo: ad Timoth. I. cap. V. plura habet de viduis: Petrus Epist. I. cap. 3. instituit, atque erudit ad probitatem junctas marito. Ita Clemens Alex. Tertullianus, Ambrosius, aliique Patres de Pædagogis puellarum, de habitu mulierum, & de Institutione Virginis pertractarunt: non causa duntaxat nostri, quo fine reguntur & bestiæ; sed ut ipsæ mulieres consequerentur nobiscum sempiternam felicitatem; quippe non solum eis tradiderunt regulas domesticorum officiorum, verum etiam capessendæ æternæ vitæ præcepta. Hanc ergo tam viri, quam mulieres assequi possunt beneficio passionis Christi.

Ex III. argumentis, quæ urget Plata adversus mulieres, hæc sunt præcipua. Primum femina non est producta ad imaginem Dei. Non itaque participat rationalem animum, in quo sita est hæc imago. Antecedens probatur ex Genes. I. 27. ubi legitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos.* Similia habentur cap. V. 1. & utrobique imago Dei tribuitur tantum viro. Accedit Apostolus, qui in I. ad Corinth. XI. 6. ait de muliere: *Velet caput suum*: at de homine, versu proximo inquit: *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est.* Ergo mulier juxta Apostolum non est imago & gloria Dei. Item in cap. *Hæc imago*, Caussa XXXIII. q. 5. n. 13. Augustini verbis sic Apostoli sententia explicatur, *Mulier autem ideo velet, quia non est imago Dei.* In eamdem rem conspirat Ambrosius in 1. Epistolam ad Corinthios. Præcitatus Augustinus libro XI. de Gen. ad lit. cap. 42. num. 58. asserit Apostolum mulieri imaginem Dei non tribuere: idem sensit Magister Sent. dist. XVIII. lib. II. n. 2. Præterea objicit Plata. Mulieres destitutas esse ratione, inde colligitur, quod nec peccati labem, nec remissionis gratiam habere queant. Si enim peccatum contrahunt, cur pro ipsis institutum non fuit originariæ contagionis remedium, uti pro masculis circumcisio? Etiam baptismum pro viris tantum institutum fuisse colligitur ex cap. ult. Mat. versu 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos.* Non istic occurrit feminini generis pronomen, ut exigebat τὸ Gentes, ne quis crederet mulieres sacro tingendas esse lavacro. Rursus opponit, feminas subjici dominio viri, ut bestiæ & jumenta Genes. I. 26. subjecta sunt Adæ: ineptas esse ad Reipublicæ regimen, eisque prohiberi docendi munus in prima ad Timoth. II. 12. necnon cap. *Mulierem*, Caus. XXXIII. q. 5. nu. 17. Ex quibus liquet quantum intercedat inter feminas, virosque discrimen. Postremo nullam habere illas in redemptione partem, infert Plata ex quo satis demonstratum supponat in humano genere non comprehendi: additque fuisse Christo Domino summopere exosas: cani comparasse mulierem Chananæam: eidem dixisse se non pro feminis missum, sed pro ovibus domus Israel, Matth. XV. 24. nullum mulieribus beneficium præstasse; nam & puella, quam fertur revocasse ad vitam, Lucæ VIII. 52. dormiebat: præcepisse ut relinquerentur uxores, Mat. XIX. 29. & Lucæ XIV. 26. non permisisse tangi se e muliere post resurrectionem, Joan. XX. 17. Quid plura? etiam Matri hoc responsum dedisse, Jo. II. 4. *Quid mihi, & tibi est, mulier?* Indiciis igitur tam apertis ostendit Dominus, quam vehementer sexum femineum aspernaretur. Hæc improbus derisor, ineptus oculator, & pessimus dialecticus.

Respondetur ad primum, levis hujus scrupuli eximendi rationem esse, si quid importet Dei imago attendamus. Hæc primum sita est in facultate intelligendi ac volendi, deinde in dominio, quo rationalis creatura præest cunctis animantibus; tandem in productione, qua primus homo omnes ex sua posteritate præcedit. Disseruimus de hac re Vol. 1. pag. 177. & 305. Ergo si accipiamus imaginem Dei pro facultate intellectrice, in qua consistit natura hominis, tam masculus, quam femina refert imaginem Auctoris sui; si pro dominio erga res homini subjectas, hæc imago principaliter in homine, deinde etiam in muliere invenitur; si denique pro initio & prima causa effectrice humani generis, solus vir est gloria & imago Dei. Itaque in primo Genesis ratio divinæ Imaginis masculo ac feminæ indiscriminatim tribuitur, ubi legitur, *Creavit Deus hominem ad imaginem suam;* hic enim *homo* est masculus, & femina, nam sequitur, *masculum & feminam creavit eos;* nimirum uterque productus fuit præditus corpore & animo. Ibidem tribuitur tam viro, quam mulieri dominium in alia terræ animantia; legitur enim ibidem, *Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, &c.* Nihilominus quia vir prior, quam femina, creatus est, de illo singulari numero repetitur, *Ad imaginem Dei creavit illum.* Liquet vero quod si accipiatur *imago* hoc postremo sensu, etsi tribuatur duntaxat viro, non infert in illo naturæ diversitatem, nam alias nullus filiorum Adam esset homo. quoniam prior factus est Adam, quam filii possent ab eo gigni. Apostolus pariter docens feminas humilitatem & verecundiam, usurpat vocabulum *imaginis*, quatenus in homine effulget regiminis dignitas, & principatus: unde ait, *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Atque hinc recte sequitur, caput mulieris velandum esse, quia velamen in capite indicium est potestatis alterius, teste eodem Apostolo, qui ibidem versu 10. pro velamine usurpat *metonymice* vocabulum potestatis, scribens, *Debet mulier potestatem habere supra caput*: & e contra non velare caput suum, ut Augustinus inquit serm. IV. in Octava Paschæ, nunc 376. num. 2. *est indicium libertatis.* Eodem pacto accipitur Dei imago in Cap. XIII. Caussa 33. q. 5. quippe legitur eo loci, *Hæc imago Dei est in homine, ut unus factus sit quasi Dominus, ex quo cæteri orirentur, habens imperium Dei, quasi vicarius ejus.* Opus tamen Quæst. vet. & novi Test. ex cujus cap. 106. desumptus est canon, non esse Augustini consentiunt Eruditi. Mitto responsionem Auctoris libri *de nobilitate mulierum*, Etrusco idiomate eloquenter conscripti, editique anno 1549. pag. 15. Ambrosio etiam falso tribuuntur Commentaria in Epistolas Pauli; ubi tamen adversus Platam legitur, *Quamvis una substantia sit vir & mulier.* In lib. XI. de Gen. ad lit. loquitur Augustinus eodem sensu, quatenus mulier subjicitur *viro regenti, &*

dispen-

dispensanti: at S. Pater Dei imaginem locat etiam in rationalis animi perceptione, & amore, lib. vii. de Trinit. & xxiv. contra Faustum. Atque his omnibus subscribit Magister, cujus citato loco hæc sunt verba: *Per hoc imago Dei in homine apparuit, quia sicut Deus omnibus rebus extitit principium creationis; ita homo omnibus hominibus principium generationis*. Dicam verbo, Mulier non est imago Dei, ratione *naturæ*, nego: ratione *potestatis*, concedo. Vide quæ scripsimus lib. xii. cap. 7.

Ad argumentum alterum hoc habeto responsum, si mulier peccare nequit, cur Levitici xx. adversus illas, quæ viris alienis commiscentur, æque, ac viris ipsis, mors præscribitur? cur in adulterio deprehensæ ait Jesus, Joan. viii. 11. *Vade, jam amplius noli peccare*? cur mulieri, *quæ erat in civitate peccatrix*, inquit, Lucæ vii. 48. *Remittuntur tibi peccata*? Pro feminis ergo instituta remedia peccatorum indubitatum est; cum in Levitico pro utroque sexu occurrant sacrificia, atque expiationes; & licet ignoremus quala fuerit olim remedium pro originali peccato, quantum ad feminas attinet, negare non possumus extitisse; sicut fateri tenetur adversarius de masculis ante institutam circumcisionem. De baptismate vero scriptum est, *Baptizantes eos*, digniori genere consueta oratione usurpato pro epicœno & promiscuo, ut Gen. i. 27. *Masculum & feminam creavit eos*. Mirum! quod adeo insanierit Plata, ut mulieribus denegarit regenerationis lavacrum, tam labili fundamento innixus. Quomodo enim in ejus mentem cadere potuit nullam extitisse feminam in domo Stephanæ, quam baptizavit Paulus, 1. ad Corinth. i. 16. nullam in familia custodis carcerum, cujus domum totam baptizatam legimus Act. xvi. 36. nullam in multitudine trium millium, de quibus eodem libro, cap. ii. 41.? Atque si id quoque potuit comminisci; nonne in ipsis Apostolorum Actibus cap. xvi. 15. de Lydia purpuraria muliere civitatis Thyatirenorum habetur, *Cum autem baptizata esset, & domus ejus*? nonne legimus præcedenti cap. viii. 12. *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres*? Vide ergo quam Plata deliret, dum in patrocinium erroris sui advocat sacras literas.

At argumentum tertium sic refellitur. Nedum viro, sed & mulieri dictum est Gen. i. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*; non ergo eo pacto, quo jumenta, viris subjectæ sunt feminæ; a quibus domum quoque regendam docet Paulus in priori ad Timoth. v. 4. Debebat vero uxor subdi marito, quoniam in quolibet bene instituto regimine unus præest; ut imperator exercitibus, civibus princeps: nec tamen ratione carent qui reguntur, alioqui bestia fuit Plata alieno subjectus imperio. Ut mulieres in Ecclesia taceant, recte monet Apostolus 1. ad Corinth. xiv. 34. & ad Timoth. ii. 11. nam docere publice in loco est auctoritatis indicium; atque hæc causa affertur præcitato Canone, *Mulierem constat*: sed esse feminas ad perdiscendum idoneas asserit Apostolus utroque in loco; in primo quidem scribens, *Si volunt discere, domi viros suos interrogent*: in altero *Mulier in silentio discat cum omni subjectione*. Imo non defuerunt, quæ, ut olim apud Græcos Aspasia, apud Italos in publico Lycæo tradiderint disciplinas, Patavii præsertim, ac Bononiæ, ubi etiamnum ingenii sui specimina exhibet lectissima mulier Laura Catharina. Num optime id factum, non quæro; nam sat est hinc inferre, uti masculos, ita feminas pollere mentis acumine, ingeniique præstantia.

Ultimum vero argumentum indignum est, ut a nobis responsum habeat; perlegat ergo adversarius Evangeliorum historias, & inveniet Mariam sororem Marthæ a Christo laudari Lucæ x. 42. sanatam ab ipso socrum Simonis, iv. 39. feminam alteram habentem decem & octo annos infirmitatis, xiii. 12. *reversum* eo jubente *spiritum* mortuæ puellæ viii. 55. exhibuisse illum Samaritanæ *aquam vivam*, Joan. iv. 10. dilexisse Martham ac sororem xi. 5. commendasse Matrem discipulo, xix. 27. plorantem mulierem fuisse solatum, xx. 15. Quærit cur de Filia principis synagogæ dixerit, Lucæ viii. 52. *Non est mortua puella, sed dormit*? Etiam de Lazaro vita functo inquit Joan. xi. 11. *Amicus noster dormit*; quia potest Dominus *tanta facilitate excitare mortuum e sepulcro, quanta* nos non excitamus *dormientem de lecto*; ut ait Tract. xlix. n. 9. Augustinus. Petit cur Chananæam comparaverit *cani*? Ipse quoque appellatus est *Agnus*, & quemadmodum Christus *Agno* comparatur propter humilitatem, ita Gentes *canibus* assimilantur, quoniam colentes idola quasi *lapides lingunt*, ut animadvertit S. P. serm. 74. de Chananæa, nunc 77. num. 10. Inquirit cur Dominus se missum dixerit *ad oves Israel*? Etiam pro hominibus non Israelitis genere passum Christum, fatetur Romanus homo mulierum despector; & Judæis Dominus ita *sui corporis præsentiam* exhibuit, ut oves, *quas habebat in gentibus, non contemneret*, inquit Augustinus citato Serm. num. 4. In cap. xix. Matth. & Lucæ xiv. non solum uxores dicuntur relinquendæ, sed etiam filii, parentes, ac fratres. Nullus ergo hominum est homo? Quis ita deliret? Immo uxores diligendas amore quodam peculiari, legimus Gen. ii. 24. Matth. v. 32. ad Eph. v. 25. & ad Colos. iii. 19. Mulieres ergo, (quomodo & ceteri hominum) fugiendæ sunt, *si in Dei nobis itinere obsistant*, inquit hom. 37. in Evang. Gregorius Magnus. Noluit Christus post resurrectionem tangi a muliere, quia hæc figurabat Ecclesiam de gentibus, *quæ in Christum non credidit, nisi cum adscendisset ad Patrem*, juxta Augustinum Tract. in Joan. cxxi. n. 3. vel quia *non est quærenda gloria, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam secura*, juxta Bernardum serm. v. de Omnib. SS. num. 7. Præstitisse Jesum Genitrici obedientiam filii constat ex Lucæ ii. 51. In Cana autem Galilææ cur illam appellaverit *mulierem* communi vocabulo, diximus hoc eodem Volumine pag. 32. Si quis ergo joculari audacia tecum nugas agat ineptiens cum Plata; hac nostra lucubratiuncula, juxta vetus adagium Proverb. xxvi. 5. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*.

DE DÆMONIBUS.

Tertio loco quærendum est, an Christus dici possit redemptor dæmonum, & damnatorum hominum: Origenes enim hom. i. in Levit. Comment. in Joannem, & in Epist. ad Rom. etiam angelos, imo & astra, quæ arbitratus est spiritali animo prædita, censuit morte Christi fuisse purgata; quod & sensit Didymus in Epistolam 1. Petri, Tom. iv. Bibl. vet. PP. p. 325. & quamquam Vasquesius iii. p. disput. 49. cap. 5. scribat falli Sixtum Senensem, qui lib. v. Bibl. An. 117. adscribat prædictum errorem Origeni Com. in Leviticum, & videatur de aliis Origenianis locis ambigere; ipse tamen Vasquesius, inquit eruditus Petavius lib. xiv. de Incarnat. cap. 10. *falsus est*. Profecto Origenem in ea fuisse sententia, quod perpetua non sit pœna dæmonum & damnatorum, (qui error est huic valde affinis) exploratissimum est, ut diximus lib. x. cap. 17. Verum aliquando illius pœnæ finem videtur adscribere sacrificio Crucis jam peracto; aliquando autem tradit iterum venturum Dominum, ut pro angelis crucifigatur, uti legitur in Epistola Justiniani Imperatoris ad Mennam, quæ extat in Actis v. Synodi, alisque in locis paullo post proferendis. Nonnulli eumdem errorem de redemptis a Christo angelis tribuerunt S. Hieronymo, post Rufinum in priori Invectiva. Vasquez citato loco scribit non satis constare, an Hieronymus ex propria, an ex alterius sententia ita docuerit; sed paullo post castigatius loquens, existimo, inquit, errorem memoratum non docuisse ex propria sententia; sed ex aliorum libris, aut Origenis, aut Apollinarii, aut Didymi ad verbum transtulisse. Id extra omnem dubitationem positum esse demonstravi primo Volumine pag. 266. Divinum Verbum Angeli induisse naturam est hæresis vetustior Origene, refutata a Tertulliano cap. xiv. de carne Christi: sed Tertullianus ibidem non redarguit asserentes a Christo redemptos dæmones, ut falso scribunt recentiores quidam eruditi; sed ex quo angeli non sint redempti, refellit nonnullos, qui opinabantur, non Christum esse salutis nostræ auctorem, sed angelum, quem Christus induerit: quod constat ex ipso Tertulliano, & adnotatum est a Jacobo Pamelio num. 110.

At primum Origeniana sententia refellitur iis momentis, quibus alibi demonstravimus sempiterna fore dæmonum, aliorumque reproborum supplicia: quod expresse habetur Dan. xii. 2. Matth. xxv. 41. Marci iii. 29. ad Thessalon. secunda i. 9. in Epistola Judæ versu 13. Apoc. xiv. 11. ac traditur ab Irenæo lib. iv. cap. 47. nunc 28. a Tertulliano cap. 13. Apologetici, a Lactantio in secundo Institut. libro cap. 12. ab Hilario Canone 27. in Matth. ab Ambrosio in Octonario 20. Ps. 118. ab Hieronymo in cap. 25. Matth. ab Augustino lib. xxi. de Civit. Dei, a Magno Gregorio lib. xxxiv. Moralium cap. 16. nec non ab aliis Patribus, quorum constantissimam traditionem necessum non est iterum explorare. Deinde ex sacris litteris colligitur Christum esse Mediatorem *Dei & hominum*, 1. ad Timoth. ii. 6. Salvatorem *omnium hominum*, ibidem cap. iv. 10. dedisse *semetipsum pro nobis*, ad Tit. ii. 14. Ubi autem legitur, esse Mediatorem Angelorum, Salvatorem dæmonum, Redemptorem damnatorum? Præterea ineptum est, putidumque commentum, asserere divinum Verbum induisse Angelorum naturam, cum Joannes cap. i. 14. affirmet tantummodo factum carnem, & in nobis habitasse, Paulus ad Heb. ii. 16. scribat nunquam ab illo apprehensos *Angelos*, sed *semen* duntaxat *Abrahæ*; ipse Dominus testetur Lucæ xv. 4. advenisse se ad inveniendam ovem unam perditam, in qua Patres figuratum agnoscunt humanum genus: atque aperte asserat capite ejusdem Lucæ xi. 22. a se dæmonis spolia diripienda, Joan. xiv. 30. nihil sibi negotii esse cum principe tenebrarum, & præcedenti cap. xii. 31. foras hunc ejiciendum esse, atque exturbandum. Insuper apertissime Patres hanc veritatem confirmant. Tertullianus citato cap. xiv. de carne Christi inquit: *Nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus a Patre: quod Pater nec repromisit, nec mandavit, Christus administrare non potuit*. S. P. Augustinus in Ench. ad Laurentium cap. lxi. n. 16. ait: *Non enim pro Angelis mortuus est Christus*. Greg. Magnus lib. iii.

In Regum libros Tom. I. pag. 115. scribit malos angelos *pœnitentiam agere de perpetrata superbia nunquam posse*: & in IV. Moral. cap. 12. Tom. 2. pag. 382. *Idcirco namque Redemptor noster, non angelus, sed homo factus est, quia hoc proculdubio fieri debuit, quod redemit, ut & perditum angelum non apprehendendo desereret, & hominem in semetipso apprehendendo repararet.* Ad hunc modum loquuntur alii Patres. Ad hæc vel Angeli mali salvari possunt beneficio mortis Christi jam præteritæ, vel juxta Origenianum delirium morte, quam iterum Christus perferet. Non beneficio mortis Christi transactæ; quoniam, ut vidimus, in hac devictus est diabolus, non redemptus; expulsus & judicatus, non factus salvus: perseveratque etiamnum inimicitia inter semen mulieris, & antiquum serpentem: cui nihil molestum magis & odiosum, quam Christi gloriosissimum nomen fideique & Ecclesiæ propagatio. Multo minus futura Christi morte salvabuntur cum membris suis angeli tenebrarum; nam *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, inquit Paulus ad Rom. VI. 9. Quo testimonio Bernardus serm. 54. in Cantica num. 5. Origenianum delirium refutat, damnatque *impudentis mendacii*: quemadmodum illud appellaverat *sacrilegum* Hieronymus in Epist. 59. nunc 94. ad Avitum, & apud Hincmarum loco citato Theophilus Alexandrinus in secunda Synodali, *vecordiam*, atque *dementiam*. Tandem, ut eo loci Theophilus & Hieronymus observarunt, fabricatum est Origenis commentum ex revolutione animorum: in qua sicuti opinabatur omnia circumagi, donec in meliorem substantiam commutentur, ita credidit Redemptorem nostrum, qui salutem operatus est in medio terræ, iterum pro dæmonibus ac spiritualibus nequitiis in aere, vel apud superos affigendum cruci. Ut ergo ea revolutio, & animorum migratio est Platonicorum, Pythagoreorumque delirium, a nobis explosum lib. XII. cap. 6. ita eodemque jure subruitur, hoc fundamento suffosso, superstructa hujus & ceterorum errorum compago.

Opponebant Origenistæ duo Pauli loca: unum ex Epistola ad Eph. I. 10. ubi legimus instaurari in Christo omnia, *quæ in cælis & quæ in terra sunt*: alterum ad Coloss. I. 20. ubi legimus omnia per Christum reconciliata, & pacificata, *sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*. His addi potest illustris sententia Hieronymi scribentis in Epistolam ad Ephesios Tom. 4. pag. 337. *Potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit, & sidera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paveat Creatoris adventum. Unde & crux Salvatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam ea quæ in cælis erant, purgasse perhibetur.* Accedit quod Christus Agnus Dei, ut inquit Joannes I. 29. *tollit peccatum mundi*, atque, ut idem Joannes ait Epist. prima cap. II. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi*.

Verum hæc nil pro Origenianis evincunt: prioris enim loci sensus est, quem tradit Augustinus cap. 62. Ench. num. 16. his verbis: *Instaurantur quippe quæ in cælis sunt, cum id, quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur: instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur.* Si autem contendas idem esse *instaurare*, ac *recapitulare*, cum extet in Græco ἀνακεφαλαιώσασθαι, *in unum colligere*; sensus erit, quod *omnis dispensatio, quæ est ante mundum, & postea esse cœpit in mundo, tam invisibilium, quam visibilium creaturarum, adventum Dei Filii pollicebatur*; inquit Hieronym. citato loco pag. 330. Chrysostomus hom. 2. pag. 1038. ait per peccatum abscissa fuisse *cælestia a terrestribus*, & per Christum fuisse iterum conjuncta: & *instaurare* nihil esse aliud, quam *conjungere*. Exponendus est eadem ratione locus alter; quoniam Angeli per Christi redemptionem cum hominibus redierunt in gratiam, *post inimicitias, quas inter homines, & sanctos angelos peccata fecerunt*; inquit S. P. Augustinus cap. 61. Ench. & Hieronymus eodem loco pag. 345. *quod Christus in suo sanguine terrena & cælestia copulavit, quæ inter se antea dissidebant*. Ac Joannes Chrysostomus hom. III. p. 1337. *Quæ autem sunt in cælis quomodo pacificavit? Illic quoque erat bellum, & pugna. Abscissa erat terra a cælo. bellum gerebant Angeli adversus homines, videntes suum dominum probro, & contumelia affectum.* Nihil ergo in Epistolis Pauli pro dæmonum redemptione. Sed nec in Joanne: nam mundi nomine intelliguntur homines in toto terrarum orbe diffusi, tam mali, quorum princeps diabolus dicitur *princeps mundi*, Joan. XIV. 30. quam boni, ex quorum corde *princeps hujus mundi*, idest, ipse diabolus *ejicitur foras*, Joan. XVI. 11. Legitote Augustinum Tract. LII. in Joannem num. 10. Innumera sunt Scripturarum loca, in quibus *mundus* pro terra, & inhabitantibus in ea hominibus usurpatur, Mat. XXVI. 13. Marc. XIV. 9. XVI. 15. Joan. I. 10. III. 17. VIII. 23. XII. 19. XVI. 28. ad Rom. I. 8. &c.

Quantum ad Hieronymum attinet; si quæ sunt in ejus Commentariis ad Epistolam Pauli ad Ephesios, quæ redolere videantur Origenianum dogma, ipsi Hieronymo nequaquam sunt tribuenda. Respondet enim Rufino similia objicienti libro I. Apologiæ pag. 365. Tom. IV. *Ego in Commentariis ad Ephesios sic Origenem & Didymum & Apollinarium sequutus sum (qui certe contraria inter se habent dogmata), ut fidei meæ non amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt: quæ obscure scripta sunt, plano sermone manifestant: multorum sententias replicant, & dicunt: Hunc locum quidam sic edisserunt: alii sic interpretantur: illi sensum suum, & intelligentiam his testimoniis, & hac nituntur ratione firmare: ut prudens lector, cum diversas explanationes legerit, & multorum vel probanda, vel improbanda didicerit, judicet quid verius sit: & quasi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Num diversæ interpretationis, & contrariorum inter se sensuum tenebitur reus, qui in uno opere, quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum?* Vide hujus Operis Tom. I. pag. 266. Addendum est modo, S. Hieronymum in fine Præf. Commentariorum in Epistolam ad Ephesios, in qua Præfatione obsecrat Paulam, Eustochium, & Marcellam, ne *maledicis & invidis* opuscula sua tradant, asserere se dedisse operam, *ut studiosus statim in principio lector agnosceret*, an *hoc opus* suum esset, *vel alienum*: unde arbitror in Hieronymi autographo fuisse accurate distincta, quæ sunt Origenis, quæ Apollinarii, quæ Didymi: ea vero postmodum indiligentia Amanuensium permixta nonnisi difficulter distingui. Præterea dato, quod verba superius objecta sint Hieronymi, possunt facile exponi ex dictis: asserendo scilicet, eatenus per crucem Salvatoris fuisse purgata omnia, quatenus terrenis & cælestibus copulatis, inter sanctos angelos, & homines inita est amicitia. Idem enim Hieronymus sese aperte explicat infra pag. 345. *Et hanc totam intelligentiam ad angelos, virtutesque cælestes, & ad animas temperabit humanas: quod Christus in suo sanguine terrena, & cælestia copularit, quæ inter se antea dissidebant: & bonus pastor morbidam ad montem revectans ovem, fecerit esse cum ceteris; drachmamque, quæ perierat, drachmis quæ salvæ fuerant copulaverit: & mandata legalia ad illa retraxerit dogmata, ad quorum typum, & imaginem Moyses quæ essent in tabernaculo fabricanda conspexit. Atque ita fieri, ut crux Domini non solum terræ, sed & cælo profuerit: non solum hominibus, sed & angelis: & omnis creatura Domini sui cruore purgata sit.* En aperte Hieronymus *purgationem* creaturarum omnium, de qua supra pag. 337. scripserat, *Crux Salvatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam ea quæ in cælis erant, purgasse perhibetur*, nihil aliud esse declarat, quam hominis, qui perierat, & angelorum, qui nunquam Deo contrarii fuerant, copulatio.

Præterea objiciunt Christum ad inferos descendisse, ut inde erueret etiam incredulos impiosque, scribente Apostolorum Principe in Priori Epist. cap. III. 18. 19. 20. *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam, cum fabricaretur Arca.* Verum perdifficilis Petri textus, etsi omnium fere interpretum torquet ingenia, nullo tamen pacto probat, incredulos, qui sine pœnitentia discesserant, fuisse extractos a Christo a sempiternis gehennæ suppliciis: sed accipiendus est uno, vel altero sensu ex iis, quos innuimus II. volumine p. 283. idest, quod Christus spiritu divinitatis prædicarat olim incredulis, quemadmodum adveniens in carne Judæis primum, deinde Gentibus Evangelium nuntiavit; sive quod ad inferos descendens, detentis in Patrum *lymbo* spiritibus lætum attulerit nuntium redemptionis peractæ, inter quos & ii connumerabantur, qui, dum fabricaretur Arca, quamvis aliquandiu increduli fuerint, nihilominus, priusquam fluctibus mergerentur, egerunt pœnitentiam. His addo Patrum eo loci nos hortari ad ferendum adversa, & calumniantium dicteria, proposito nobis exemplo Christi: qui cum justus esset, mortem oppetiit pro impiis, nec deseruit pervicaces; sed, ut olim ad pœnitentiam vocavit incredulos, ita venit ad filios Israel, qui ipsum recipere noluerunt: nec ad hos tantum, etiam ad nos delitescentes in tenebris & idolis addictos, quos salvos fecit, & per lavacrum regenerationis locavit in Ecclesia, cujus typum gerebat Arca Noe. Atque de hac planiori interpretatione legi poterit noster Basilius Poncius P. s. variarum disputationum quæst. 9. expositiva, nam hunc præ ceteris Petri verba accurate enodasse liquet ex Indice illustriorum interpretum Fabiani Justiniani.

Nunc ago, quoniam prior interpretatio est Augustini in Epistola 164. ad Evodium, & postrema traditur a præclarissimo Ordinis nostri Theologo, in utramque paulisper intendam animum. Interpretationem Augustini refellit doctissimus Bellarminus, modeste tamen, eoque consilio, ut ex loco producto Petri demonstret adversus Novatores catholicum dogma de Christi descensu ad inferos. Ait se ideo ab Augustino recedere, quoniam & ipse fatetur se hunc locum minime intellexisse, rogatque, ut qui commo-

commodiorem invenerit interpretationem, ipsi impertiat: alia autem ex parte expositionem diversam suppeditant Patres; & momenta, quibus ductus est Augustinus, videntur infirma, cum Christi *spiritum* non ad animam referat, sed ad virtutem divinitatis, & nomine *carceris* intelligat custodiam corporis, non inferna animorum receptacula. Cornelius a Lapide Augustinianam illam interpretationem non rejicit, sed inquit esse potius symbolicam, & mysticam. Benedictus Justinianus ait, ab hac Augustini sententia parum admodum discrepare Novatores. Permulti illam absque nota ulla recensent, præferunt tamen allatam paullo supra secundo loco.

Principio itaque affirmo Augustinianam expositionem nulla esse censura notandam; cum in eadem Epistola num. 3. non solum Augustinus asserat Christi descensum ad inferos, verum etiam hunc demonstret ex Psalmo xv. 10. & ex Act. 11. 24. 27. concludatque in hæc verba: *Quis ergo, nisi infidelis, negaverit fuisse apud inferos Christum?* Quibus similia habet lib. xII. de Gen. ad lit. cap. 33. n. 63. & de Civit. Dei lib. xx. cap. 15. Nihil ergo habet Augustinus affine damnatis placitis Novatorum. Deinde assero, non solum Augustini sententiam probari a Beda, a S. Thoma, atque ab Interpretibus a Cornelio a Lapide laudatis, verum & ab aliis, ut a Joanne Gagnæo, a Tacito Nicolao Zegem, a Francisco Titelmanno, ceterisque compluribus: Divum autem Thomam non probare illam duntaxat, sed existimare alia qualibet meliorem; nam 3. p. q. 52. art. 2. ad tertium inquit: *Augustinus tamen melius exponit in Epistola ad Evodium, ut referatur non ad descensum Christi ad inferos, sed ad operationem divinitatis ejus, quam exercuit a principio mundi.* Affirmo præterea, Augustinum existimasse traditam a se expositionem, non ambiguam & fluxam, sed talem, quæ non possit de falsitate convinci, & ex singulari ejus modestia non esse arripiendam ansam eam refellendi, sed apprehendendum documentum alias quoque interpretationes Sanctorum debito obsequio excipiendi, ut nos præstare studuimus præcitato volumine secundo. Ad hunc enim modum loquitur S. Pater in ipsa ad Evodium Epistola num. 22. *Hæc expositio verborum Petri, cui displicet, vel cui, etiamsi non displicet, non tamen sufficit, quærat ea secundum inferos intelligere. Qui si valuerit illa, quibus me moveri supra commemoravi, ita solvere, ut eorum auferat dubitationem, impartiat & mihi: quod si factum fuerit, poterunt illa verba utroque modo intelligi; sed ista sententia de nulla falsitate convincitur.* Dico insuper probabilius videri, quod Petrus sermonem instituat de prædicatione facta incredulis, dum adhuc detinerentur in carne. Enimvero pro *iis, qui in carcere erant*, habent nonnullæ Versiones, *iis, qui in carne conclusi erant*: neque ita legit solus Thomas Anglicus, quem unicum citat A Lapide; verum etiam hanc lectionem præfert Venerabilis Beda: eamdem occurrere in nonnullis codicibus vetustioribus scribit Zegerus: idem affirmat Corrensis apud Erasmum. Præferendam tamen censemus vulgatam Versionem, cum extet in Græco, ἐν φυλακῇ, *in carcere*: atque arbitramur sapientissime adhibuisse Petrum eam verborum phrasim, dum ageret de incredulis; eo quod uno vocabulo designavit corpus, quo concluditur anima, & mentis cæcitatem, & captivitatem dæmonis, in qua delitescunt increduli: unde Augustinus laudata Epist. num. 16. ait: *Ad illum ergo sensum, qui te movet, ideo videntur adtracti qui hoc Petrum sensisse crediderunt, quia dixit conclusis in carcere spiritibus prædicatum; quasi animæ non possint intelligi spiritus, quæ tunc erant in carne, atque ignorantiæ tenebris velut carcere claudebantur: de quali carcere se desiderat liberari ille, qui dicit, Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo; quæ alibi umbra mortis appellatur. De qua non utique apud inferos, sed hic liberati sunt, de quibus scriptum est, Qui sedebant in umbra mortis, lumen ortum est eis.* Neque in uno tantum loco, sed in multis infideles & iniqui dicuntur sedentes in tenebris, mortui, captivi; tametsi vitam agant corpoream: ut If. IX. 2. LXI. 1. Matth. IV. 16. Luc. 1. 79. IV. 18. Rom. v. 15. VI. 11. VII. 6. Tandem assero particulas illas, *In quo*, si referantur ad *spiritum*, quod, ut dicam paullo infra, non est necessarium omnino, melius significare *spiritum divinitatis*, quo Filius Dei antequam veniret in carne, venit ab initio mundi ad homines commonendos, quam *animam*, in qua descendit ad inferos. Si enim attendatur verborum ordo, inquit Petrus Christum fuisse mortificatum carne, vivificatum vero spiritu: *in quo* spiritu, in eo scilicet, quo vivificante resurrexit, prædicavit & illis spiritibus, qui increduli fuerant aliquando in diebus Noe: præsertim cum difficile sit demonstrare eos pœnitentiam egisse, & rationem afferre, cur iis Christus apud inferos prædicaverit, aut Petrus illorum potius, quam aliorum mentionem fecerit, atque hac in re tot fere inveniantur sententiæ, quot capita.

Ex quibus omnibus infertur Augustinianam expositionem de nulla posse falsitate convinci: & ad eam corroborandam ulterius animadverto, S. Hieronymum in caput LIV. Isaiæ absque ulla ambiguitate referre verba Petri ad prædicationem factam in diebus Noe, & dum inferebatur diluvium. *Unde* (inquit Tom. III. pag. 395.) *Dominum fecisse diluvium, qui juxta Apostolum Petrum occisus est carne, vivificatus spiritu, & prædicavit spiritibus in carcere constitutis, quando Dei patientia expectabatur in diebus Noe, diluvium impiis inferens.* Audin quando prædicavit? *In diebus Noe.* Vides quomodo? *Diluvium inferens.* Revera de quo argumento pertractat Apostolorum Princeps? Aut de perferendis contumeliis, ut mihi satis perspicuum videtur; aut de Ecclesia, quam ibidem comparat Arcæ Noe. Ad perferendas contumelias movet quidem plurimum, si dicamus etiam Christum justum pro injustis passum fuisse deglutiendo pro nobis mortem, nec detrectasse Evangelium nuntiare Judæis, quamvis credere noluerint, quemadmodum diluvii tempore vocavit ad pœnitentiam incredulos, eos quoque, qui perierunt extra arcam: sed quam vim habeas ad hoc comprobandum commemorare beneficia facta iis, qui egerant pœnitentiam, id mehercule non satis assequor. Quod enim habet roboris hæc exhortatio, Patimini eos, qui detrahunt vobis, vestramque calumniantur conversationem, quoniam & Christus evangelizavit spiritibus olim incredulis, sed justis postmodum, ac fidelibus? Nonne habere videtur majorem efficaciam hortatio istiusmodi: Patimini, quoniam etiam Christus olim spatio centum annorum pertulit incredulos, postea Judæis pervicacibus in carne apparuit, deinde pro iniquis subiit crudelissimum supplicium crucis, & modo vos omni labe inquinatos purgavit baptismate. Itaque Augustini interpretatio scopo Petri cohæret quammaxime. Quod si dicas hunc instituere comparationem inter Arcam Noe, & Ecclesiam; nec illud percipio, quomodo gentibus, quæ venerunt ad fidem, æquiparari possint increduli, qui extra Arcam demersi sunt, & qui typum gesserunt damnandorum, ut legimus Matth. XXIV. 37. & Lucæ XVII. 26.

Ut modo expositionem Augustini cum Basilio Legionensi referamus etiam ad pervicaces Judæos, quibus Christus adveniens in carne prædicavit, & percipiamus quomodo & ii sint, *qui fuerunt increduli, dum fabricaretur Arca*; observandum est, quod supra dixi, particulas illas, *in quo*, non esse necessario accipiendas de *spiritu*. Habere enim vim caussalis, & idem valere, ac, *ideo*, *propter quod*, *quapropter*, tradunt scholia Græcorum, & Œcumenius præsertim scribens Tom. 2. pag. 514. τοῦτ᾽ ἐστι τῷ διό, *Hoc*, ἐν ᾧ, *causaliter sumitur pro ideo.* Idem Poncius plura indigitat loca, ubi propositio *In* sexto juncta casui est idem, ac *propter*: ut Psalmo LXV. 3. *In multitudine virtutis tuæ.* Michææ III. 11. *Principes ejus in muneribus judicabant.* Mat. II. 6. *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*: quibus in locis constat sensum esse, *Ob multitudinem virtutis tuæ*, *Propter munera*, *Propter me*. Illis quoque verbis, *In diebus Noe*, censet Basilius supplendum *sicut*; ut sensus sit, *Propter quod*, idest, ut nos offerret Deo *mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu*, veniens prædicavit etiam illis, qui aliquando fuerant increduli, *sicut* increduli fuerant homines, cum fabricaretur Arca. At videtur Legionensis probare lectionem quorumdam Bibliorum, ut Plantinianorum anni 1583. Sixti V. anni 1590. & Complutensium: quum proculdubio legendum sit *mortificatus*, & *vivificatus*, ut habet modo Scriptura Canonica, necnon correctior Sixtina anni 1592. in cujus margine aureis notis propria manu conscriptis Angelus Rocca demonstrat hanc lectionem esse ceteris præferendam. Retenta hac tamen, persistit adhuc sententia Legionensis, si dicamus morem esse cum profanorum, tum sacrorum Scriptorum, dum alloquuntur præsentes, eis tribuere, quæ eisdem antiquitus acciderunt, veluti dum idem populus putatur, qui nunc extat, & qui fuit majorum ætate, aut plurimis ab hinc annis. Atque exempla apertissima hujus rei occurrunt apud Marc. x. 3. Joan. VI. 32. VII. 19. Act. VII. 38. & apud Latinos quoque, Græcosque Scriptores laudatos a Grotio lib. 2. de Jure belli & pacis cap. 9. Hanc loquendi consuetudinem eo magis servare debebat Petrus, quo pervicaces, & increduli, quibus prædicavit Christus, aut in spiritu Christi prædicarunt Apostoli, non minus ac ii, qui vixerunt ætate Noe, degebant sub peccati captivitate; & quemadmodum ad naufragium vitandum tunc Arca construebatur, ita Christi, & Apostolorum temporibus ad salutem credentium ædificabatur Ecclesia. Recte itaque Basilius Poncius supplendum censuit τὸ *sicut*, nec male Petri locum explicavit de incredulis in carne viventibus: quod postea fecerunt alii citati a Calmet, & nuperrime Joannes-Thomas Melitensis.

Infertur ex hactenus dictis posse utramque sententiam Augustini, ejusque discipuli simul defendi, & commodiorem esse intelligentiam Apostolici textus, si dicamus proponi nobis ad patientiæ exemplum Dominum Jesum Christum, qui pro injustis affixus est cruci; qui venit ad oves quæ perierant domus Israel; qui post resurrectionem ex mortuis per Apostolos prædicavit spiritu virtutis suæ gentibus idololatris, sicut olim antequam appareret in carne, aut per ora prophetarum, aut occulto divinitatis suæ spiritu increpaverat improbos, rectosque docuerat, ut unumquemque erueret e dæmonis captivitate:

quæ fusiori stilo dicta sint ad vindicandam Augustini expositionem, ad explicandam alteram eximii Augustinensis Theologi, ad enodandum Scripturæ locum, in quo expediendo sudant quamplurimi, salva tamen interpretatione meliori, & persistente Catholico, & Orthodoxo dogmate de Christi descensu ad inferos, quod libro XXII. cap. 7. adversus hæreticos propugnavimus.

CAPUT X.

De Christi merito, oratione, & Mediatoris officio.

FACILE ex præmissis disputationibus infertur quid Candidati nostri tenere debent in ceteris quæstionibus apud omnes fere Scholasticos pertractatis, circa Christi meritum, orationem, atque munus, officiumque Mediatoris: sed nihilominus eas in hujus libri postremo capite diluere curabimus, ne rudiores querantur, quod illæ non sint a nobis singillatim expositæ. Ergo circa meritum Christi illud primo loco definimus quod revera fuerit merendi capax: nam fuit in ipso necessaria ad meritum libertas, cum oblatus sit quia voluit, & potestatem habuerit ponendi animam suam, Is. LIII. 7. & Joan. X. 18. Servavit præterea mandatum Patris factus obediens usque ad mortem, ad Philipp. II. 8. Fuisse plenum Spiritu sancto, & gratia exornatum liquet ex Is. XI. 2. Dan. IX. 24. & Luc. II. 35. Ad hunc quoque finem in mundum venerat, ut salutem nostram operaretur, atque honorem libera prævaricatorum culpa Deo ablatum, voluntaria sui ipsius immolatione restitueret, Joan. III. 16. & Epistola prima IV. 9. Ejus præterea singulari obedientiæ retributum a Deo præmium exaltationis nominis sui, Patris glorificationem in universo terrarum orbe, necnon omnium redemptionem, justificationem multorum, atque electorum suorum gloriam, manifeste colligitur ex Isaia LIII. 10. Joan. XVII. 5. 9. Rom. V. 2. 9. 11. Fuerunt autem hæc omnia suis quæque locis comprobata. Nihil ergo ad Christi meritum deest: non arbitrii libertas, non gratiæ ornamentum, non obedientiæ perfectio, non denique Dei præordinatio, ac promissio.

Quærunt deinde nonnulli, quandonam Christus Dominus incœperit promereri: qua in re arbitramur subscribendum sententiæ communiori, quam propugnat Magister in III. dist. XVIII. S. Thomas q. 34. art. 3. Scotus in distinct. præcitatam, Argentinas ibidem q. 1. art. 3. Gavardi q. VIII. art. 1. Gabr. a S. Vincent. disp. XIX. dub. 2. Juenin disser. VI. q. 6. Witasse q. X. ar. 3. & cum his propemodum infiniti, quod nempe Christus meruerit a primo suæ conceptionis momento. Ac præter Scriptorum auctoritatem, constat I. ex Apostolo ad Hebræos X. 5. 7. Dominum Jesum in exordio vitæ suæ, & mundum ingrediendo sese obtulisse Deo hostiam & oblationem pro peccato, cum ad hoc expiandum satis non essent holocautumata, eoque priori momento divinæ voluntati obedientiam præstasse: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*. Diximus præterea lib. X. cap. 15. nec Angelis id denegandum, quin promeruerint in primo instanti; quamvis ordine causalitatis ipsorum mentis perceptio præcesserit motum liberum voluntatis: quod multo magis est asserendum de Christo, in quo fuit plenitudo scientiæ, neque ad deliberandum potuit præcedere hæsitatio ulla animi fluctuantis. Insuper affirmavimus eo loci, nunquam juxta Magnum Gregorium lib. I. in Ezech. hom. 6. beatissimam Christi animam fuisse absque merito. Ad hæc Christus & lumine gloriæ, & gratiæ virtute suffultus fuit. Ut ergo per lumen gloriæ statim vidit Dei essentiam; ita per effectricis gratiæ virtutem statim promeruit. Demum quod movit perpaucos sententiæ oppositæ assertores, requiri scilicet ad meritum liberum arbitrium, ad istud vero indifferentiam, non videtur alicujus esse ponderis. Alia est enim indifferentia suspensionis, quæ sita est in hæsitatione animi, & per quam quid agendum sit, consultatione quadam inquiritur: alia est indifferentia libertatis, qua ita operamur, ut possimus non operari propter mediorum liberam electionem. Prior quidem indifferentia nequit conjungi cum actu; sed cum proveniat ex Ignorantia, & sit arbitrii defectus, locum non habuit in Christo. At indifferentia altera cum ipso actu persistit, cum sit exercitium libertatis; quamvis idem actus a voluntate perspicuo scientiæ lumine collustrata absque ulla mora exeratur. Vide Tom. I. pagina 133.

Tertia, eaque præcipua quæstio, est, an Christi merita infiniti sint pretii: sed hanc etiam dirimunt quæ præcedenti capite sexto disserui de Christi satisfactione. Infinita quippe esse Christi merita inde colligimus, quia etsi meruit per actiones tantum humanæ naturæ, cujus proprium est Deo subjici, & ipsius mandatis obtemperare; ipsæ tamen actiones erant hominis-Dei, & a persona, quæ in sua jura eas vindicabat, habebant summum, maximumque valorem. Demonstravimus enim Patres ideo satisfactioni Christi tantam vim tribuere, ut non solum sufficiens fuerit ad omnia exhaurienda peccata, verum etiam superexcedens, plurisque æstimanda, quoniam non homo nudus passus est, sed homo-Deus: neque a forma assumptæ humanitatis segreganda est divinæ personæ majestas. Quare, ut cum Damasceno, & Leone Magno dictum est, patienti carni connexa erat divinitas; & licet aliud sit Creator, aliud creatura, aliud deitas inviolabilis, aliud caro passibilis; in una tamen persona concurrit proprietas utriusque substantiæ, ut sive in infirmitatibus, sive in virtutibus, ejusdem sit contumelia, cujus est gloria. Verum ab iis repetendis, in quibus multum locavi operis, supersedeo.

Prætermittendum non est autem, negare quosdam infinitum meritorum Christi valorem; propterea quod promeruerit operibus naturæ humanæ finitis, & finita quoque fuerit gratia ipsius, effectrix causa promeriti. Illud quoque nonnullos movet, quo pacto si infinita fuerunt Christi merita, non sit una tantum actione consummata humani generis redemptio. Quærunt denique quomodo diversa merita in Christo sint, si infinitum est unumquodque, neque in suo genere potest perfici.

Verum hæc omnia diluimus disputantes contra Socinum. Ad primum enim dictum est, stare cum humano opere, & finita gratia promeritum summum atque infinitum, si persona, ex cujus dignitate æstimatur opus, sit Deus ipse. Ad alterum responsum est, Christum actionibus plurimis, quarum unaquæque ad nos redimendos sufficiens erat, dedisse nobis salutaria præcepta, & ingentem erga nos caritatem manifestasse. Adde fuisse in ea potestatem referendi vel mortem, vel opus aliud ad hominum reparationem, cum sit Deus summus plenissima pollens auctoritate. Ad ultimum dicimus unum quidem esse singulorum operum Christi valorem attenta dignitate personæ, sed esse multiplicem respectu operum & objectorum: quemadmodum est una Dei actio, si referatur ad ejus omnipotentiam; multiplex, si ad res creatas: servato tamen discrimine, de quo superiori capite VII.

Quid, & quibus Christus meruerit, hoc loco non repetam; cum ex cap. 20. libri XXVII. constet non potuisse sibi promereri hypostaticam unionem, ac primam gratiam, quæ duo merita quæque præcedunt. Eadem ratio est de beatifica visione, & sanctitatis ornatu, quæ unionem ipsam hypostaticam consequuntur: non enim cadunt sub merito, quæ in primo conceptionis momento alicui tribuuntur. Meruit ergo Dominus Jesus sibimet gloriam corporis, nominis exaltationem, cultum populorum, creaturarum omnium obsequium, dæmonum subjectionem, & Ecclesiæ suæ firmitatem, atque incrementum. Quæ omnia licet sibi deberentur jure divinæ generationis, ad nostræ tamen profectum virtutis comparare voluit profusione sanguinis, maximorumque meritorum impendio. Illustris est sententia Hugonis Victorini q. 150. in Epist. ad Rom. scribentis: *Mereri geminam habet significationem: dicitur enim mereri, cum per bonum opus efficitur dignus aliquis qui prius non erat dignus; secundum quam significationem videtur nobis quod nec secundum divinitatem, nec secundum humanitatem Christus aliquid meruit, etiam in ipsa morte. Dicitur etiam aliquis mereri, cum bonum aliquid facit, quod sit dignum remuneratione; secundum quod Deus dicitur etiam mereri, cum beneficia præstat pro quibus tenemur eum in æternum laudare, & Christus secundum humanitatem in sua passione meruit nobis introitum vitæ æternæ*. Vide Thomas. lib. V. cap. 16. & Du-Hamel lib. IV. cap. 1. At nobis Christum promeruisse redemptionem, remissionem peccatorum, omniaque gratiarum munera, quæ justificationem præcedunt, vel subsequuntur, liquet ex II. capite hujus libri: quid demum promeruerit Angelis dictum est supra pag. 100. & 101. Hæc itaque de Christi merito.

DE CHRISTI ORATIONE.

De oratione autem illud principio statuendum est, Christum Dominum Patrem orasse: quod extra controversiam omnem positum censeo. Lucæ enim VI. 12. legitur: *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*. Joann. XVII. 1. *Et sublevatis oculis in cælum dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Ibidem versu 20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Legimus quoque orasse dum in Bethania suscitaret Lazarum, Joan. XI. 41. in horto Gethsemani, Mat. XXVI. 39. necnon e cruce pendens, Lucæ XXIII. 34. Atque id factum optime, primo ut nobis demonstraret unde petendum sit auxilium, & quomodo in corporis animique angustiis divinam voluntatem debeamus eligere; ut præclare demonstrat hom. 38. in Mat. pag. 707. Jo. Chrysostomus. Deinde ut omnia referret ad Patrem, inquit Epiphanius hæresi 69. quæ est Arianorum, num. 30. Tum ut nobis Filii persona innotesceret, & sermo deprecantis alterum nobis fidem Trinitatis & Incarnationis insinuaret, juxta doctrinam Hilarii libro X. num. 22.

præ-

præterea, ut impleret Mediatoris officium, Sacerdotis munus, Capitis nostri partes, optimique Magistri munia; quemadmodum exponunt Augustinus in Psalm. lxxxv. num. 1. & Damascenus lib. III. de Fide orthodoxa cap. 24.

Secundo loco animadverto Christi orationem non tam illum verum hominem demonstrasse, quam ostendisse majestatem divinitatis: quod summopere notandum est adversus Arianos. Primo enim orans pro electis suis, Joan. XVII. 10. dixit sua esse omnia, quæ Patris sunt: & versu 21. rogans, *ut omnes unum sint*, ait, *sicut tu, Pater, in me, & ego in te*; non vero, *ut tu in nobis, & nos in te*, aperte se a creaturis separans, inquit Ambrosius lib. IV. de Fide cap. 3. num. 37. Item orans eodem cap. versu 5. *Nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te*, ostendit, *Unigenitum, quod ad divinam quidem naturam spectat, gloria sibi convenienti non esse destitutum*, inquit Cyrillus lib. XI. in Joan. cap. 4. Lazarum pariter suscitaturus, Joan. XI. 43. postquam Patri gratias egerat, ait voce magna, *Lazare veni foras*, quæ vox imperantis est, non precantis, demonstrarque insitam Christi gratiam vivificantem, & divinitatis potentiam, juxta Augustinum. Tract. XLIX. in Joan. num. 24. Demum, ne alia exempla proferam, Lucæ XXIII. 34. exoravit veniam crucifixoribus suis, sed ibidem vers. 43. ait Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*, ostendens, quomodo propria auctoritate regnum dabat, ut inquit Ambrosius citato libro IV. cap. 5. num. 56. Itaque, ut eo loci concludit sanctus Antistes, *Rogat quando passurus ostenditur, imperat quando filius Dei creditur*. Atque hinc duo inferuntur digna notatu; perperam Arianos ex oratione, qua Christus comprobavit propriam humanitatem, impugnare divinitatis substantiam: & Paulinum Aquilejensem, dum libro 1. adversus Felicem tinctum pice Nestoriana, videtur asserere Christum non orasse, intelligendum esse de illa oratione, quæ divinæ personæ deprimit majestatem.

Affirmo tertio loco quamlibet Christi orationem, absolutam, atque proficiscentem ex voluntate regimine rationis directa fuisse a Patre exauditam, ut docet S. Thomas 3. p. q. 21. art. 4. Sylvius, ac Thomistæ omnes ibidem, Estius in dist. XVII. §. 4. aliique unanimiter. Atque id in sacris literis expressum est. In Psalmo enim XX. 3. de Christo Rege legimus prænuntiatum: *Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*. Martha Joannis XI. 22. ait: *Sed & nunc scio, quia quodcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*. Ipsemet Christus eodem capite vers. 42. *Ego autem sciebam quia semper me audis*. Paulus denique in Epistola ad Heb. V. 7. *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis efferens, exauditus est pro sua reverentia*. Et quidem duo sunt, quæ non sinunt quemquam de hac re dubitare: unum, quod Christus nullam habens voluntatem rationis contrariam Deo, nil poterat absolute precibus petere, quod nollet idem Deus elargiri; ideoque exaudiri debuit omnis oratio istiusmodi voluntatis interpretativa; quæ est ratiocinatio S. Thomæ: alterum vero, quod cum omnia quæ petuntur in Christi nomine, cunctis, juxta Evangelica eloquia, concedantur, Mat. XXI. 21. Marc. XI. 24. Joan. XIV. 13. multo magis credendus est accepisse quicquid petiit Unigenitus filius: cujus orationi neque caritatis fervor defuit, neque fiduciæ firmitas, neque expetendarum rerum honestas, neque præstantia meritorum.

Hæc cum ita sint, illud principio a me quæritas, Eccur quando oravit ad Patrem, Matth. XXVI. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste*, nequaquam fuerit exauditus? Sed quamquam id Christus peteret commonstrans humanam infirmitatem, ac sensum, pro quo mortem refugiebat; in ipsa tamen oratione expressit desiderium ratione directum, atque absolutum & efficax, ut Patris adimpleretur voluntas, idque iterum, ac tertio dicens, *Fiat voluntas tua, & ostendens*, ut diximus paullo supra cum Chrysostomo, *voluntatem se Dei omnino continere, & ubique voluntatem Dei quærendam & eligendam esse*. Quamobrem in hac oratione non solum attendi debet voluntas, quæ sentiens tristitiam mortis, exclamavit, *Transeat a me calix iste*, verum etiam imperium rationis, quo addidit, *Fiat voluntas tua*: atque istud præsertim, cum voluntas quæ sequitur rationis deliberationem, sit absoluta & propria; quæ vero sectatur motum sensualitatis, (inquit ibidem S. Thomas) sit potius *velleitas*. In illa ergo oratione quod Christus absolute petiit, & deliberata voluntate exoravit, impletum est: atque huic responsioni lubens subscribo. Est tamen sententia beati Hilarii lib. X. de Trinit. num. 37. 38. & 41. non sibi orationem illam Christum fecisse, sed Apostolis, qui per calicem Dominicæ passionis tentandi erant: at Hilarius de Christi divinitate ibidem disserens demonstrat mortis tristitiam non potuisse perturbare mentem divinitati conjunctam, quod evenire atique potest hominibus ceteris; ideoque non indigebat Christus auxilio ad voluntatis reprimendam obluctationem: quale auxilium Martyribus implorabat. Quare, ni fallor, potest Hilarii sententia propugnari simul cum præcedenti. Idem dicendum arbitror de responsione quorumdam asserentium orationem Christi exauditam fuisse, non ut mortem evaderet non patiendo, sed ut mortem vinceret resurgendo, quod videtur conforme verbis Apostoli ad Hebr. V. 7. Recurrit enim responsio prima; quoniam ut mortem vinceret erat divina voluntas, idque Christus orabat voluntate deliberata: quamquam, me quidem judice, ea verba, *Transeat a me calix iste*, non mortis victoriam significant, sed afflictionem potius atque passionem, calicis poculo compararam Matth. XX. 22. & Joan. XVIII. 11.

Quæris prætorea, quomodo exaudita fuerit altera Christi oratio, qua in cruce clamavit, Luc. XXIII. 34. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*? Complures enim teterrimæ illius mortis auctores, atque magna Judæorum in illam conspirantium pars miserrime perierunt. Respondet autem S. Thomas citato art. 4. ad 2. non orasse Christum *pro omnibus crucifixoribus, sed pro iis solum, qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam*: quam responsionem omnino tenendam esse demonstrat ibidem Sylvius ex verbis Christi Joannis XVII. 9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt*: quo loco & nos usi sumus Tom. II. pag. 97. ad demonstrandam in Christo pro salute electorum peculiarem sollicitudinem. Accedit ad hanc responsionem corroborandam Augustinus, cujus Tract. XXXI. in Joan. num. 9. hæc sunt verba: *Videbat quosdam suos inter multos alienos: illis jam petebat veniam, a quibus adhuc accipiebat injuriam*. Verum cum sæpenumero dictum sit mortem Christi omnibus, etiam reprobis, attulisse redemptionem, ac parasse salutarem medicinam, quamvis illius mortis beneficium singuli non accipiant, sed ii tantum, quibus per fidem, per caritatem, & per sacramenta applicatur: cohærenter assero, Christum in cruce pro electis orasse, *ut salutem consequerentur*, quod optime expressit S. Thomas; pro reprobis vero orasse, ut iis quoque pararetur salubre medicamentum, neque ulli mortalium pœnitentiam agenti denegaretur venia, atque in utraque parte exauditam fuisse Christi orationem. Audiendus est Augustinus serm. 175. alias 9. de verbis Apost. num. 2. & 3. *Ille autem*, inquit, *etiam cum occideretur medicus erat, vapulabat, & curabat: patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum: tenebatur, alligabatur, colaphis percutiebatur, arundine plagas accipiebat, irridebatur, insultabatur ei, postremo occidebatur, damnabatur, ligno suspendebatur, undique circumferebatur, & medicus erat. Agnoscis phreneticos, agnosce & medicum. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Illi perdita mente sæviebant, & medici sanguinem sæviendo fundebant: ille etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamentum faciebat. Non enim frustra dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; orat Christianus, & exauditur: orat Christus, & non exauditur? Prorsus exauditus est. Ibi erant, ibi sæviebant. Erant in ipso populo, a quo ipse medicus occidebatur, & in ejus sanguine etiam ipsis antidotum parabatur*. Hactenus de Christi oratione.

DE CHRISTO MEDIATORE.

Postremo loco dicenda nonnulla sunt de officio Mediatoris. Ac primo Christum Mediatorem esse peculiari quodam titulo, & ad differentiam Sanctorum, quatenus ipse solus nos redemit, ac pretio sanguinis sui debita persolvit nostra, quamvis etiam Sancti per Christi gratiam, & redemptione peracta, pro nobis fungantur intercessorum officio, satis superque demonstratum esse contra Socinum, ac traditam ab Apostolo 2. ad Corinth. V. 18. prima ad Timot. II. 5. aliisque in locis innumeris. Inquirendum remanet, secundum quam naturam Christus sit Mediator, an secundum divinam, an secundum humanam, an secundum utramque. Missis itaque Socinianis, qui divinam in Christo naturam negant, aliisque Arianis & Ebionitis; sciendum est Andream Osiandrum Lutheri discipulum, cum refutaret sententiam aliorum Novatorum, autumantium justificari homines per solam fidem, excogitasse absurdiorem alteram, quam amplexi sunt Joachimus Westphalus, & Joannes Wigardus, fieri scilicet justificationem per ipsam justitiam *substantialem* Christi sanctis inhabitantem. Quem errorem oppugnaturus Franciscus Stancarus Mantuanus addictus partibus Lutheranis in Apologia edita adversus Wirtembergenses, docuit Osiandri sententiam labili innixam esse momento, cum Christus sit mediator, & justificationis auctor, spectata tantum natura humana, quæ nequit justis singulis inhærere. Ita Osiander divinæ tantum naturæ, Stancarus humanæ duntaxat tribuit Mediatoris officium. Legatus Florimundus Ræmundus lib. II. cap. XIV. num. 6. & cap. XV. num. 1. Contra Stancarum conscripsit Joannes Calvinus duas ad Polonos epistolas: in quibus mediam ingressus viam tradidit Christum Mediatorem esse secundum utramque naturam. Sed nec Calvinus recta incessit, autumans juxta utram-

utramque naturam Christum persunctum Mediatoris officio: quum sententia Catholica teneat, Christum utique esse Mediatorem ut Deum & hominem, sed ex humana tantum natura, tamquam a principio, ut inquiunt, *formali*, prodiisse opera redemptionis; que a persona Verbi exequentis quæ carnis erant, habebant pretium, valorem, ac dignitatem.

Hæc si probe distinguas, nihil occurret in hac materia difficultatis: & quamquam ad ea distinguenda satis superque sufficiunt quæ diximus in confutatione trium hæresum, Monothelitarum, Nestorianorum, Eutychianorum: majoris tamen perspicuitatis gratia affirmo primum, non fuisse Christum Mediatorem, prout est homo a persona Verbi præcisus. Quod probatur primo, quia in nostræ Redemptionis negotio non debet humanitas considerari a divinitate sejuncta; quoniam Christus non potuit occidi nisi ut homo, & non potuit morti suæ tantum conferre pretium, nisi ut Deus. Atque id præcedenti cap. VI. ratione, & auctoritate probatum est. Deinde ipsum Mediatoris nomen commonstrat, debuisse Christum habere aliquid cum Deo, & cum hominibus commune, quemadmodum docet Irenæus lib. III. cap. 20. nunc 18. num. 7. Joannes Chrysost. hom. VII. in Epistolam 1. ad Timotheum, Theodoretus Dialogo III. Lactantius lib. IV. cap. 25. & S. P. Augustinus in Enchirid. cap. 108. num. 28. lib. X. Confess. cap. 42. num. 67. serm. 2. in Ps. 90. n. 1. aliisque in locis supra productis. Depromitur præterea illustris ratio ex ipsomet Augustino lib. 1. de Consensu Evangelistarum cap. 35. num. 53. quæ ex Theologiæ nostræ principiis sponte fluit: & quam ut percipias, recole immutabilem virtutis regulam nihil esse aliud, quam sapientiam Dei: rectam esse rationalem Creaturam, dum hujus sapientiæ particeps facta casto amore adhæret summo bono; impiam vero, dum avertens mentis obtutum a luce sapientiæ, convertit se ad imaginem rerum commutabilium, atque his adhærescit amore noxiæ cupiditatis. Ut ergo hinc animus divellatur, & ad suprema redeat, opus habet ipsa Dei sapientia, quæ nos ex imis attrahat ad superna. Audi nunc citato loco Augustinum: *Quia omnia, quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur, & ab æterna justitia temporalis iniquitas nos alienabat; opus ergo erat media justitia temporali, quæ medietas temporalis esset de imis, justa de summis, atque ita se nec abrumpens a summis, & contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei & hominum dictus est, inter Deum immortalem, & hominem mortalem Deus & homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat.*

Nihilominus assero, quod si attendantur opera, per quæ Christus partes Mediatoris implevit, Mediator est in quantum homo. Principio id affirmat Apostolus in 1. ad Timoth. I[illegible]. scribens: *Unus Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*. Præterea Augustinus de Peccat. Origin. cap. 28. num. 33. inquit: *Non autem per hoc Mediator est, per quod æqualis est Patri*. Similia habet Tract. 82. in Joan. num. 4. & lib. X. Confess. cap. 43. num. 63. Deinde idem tradit Magister dist. 19. & antiqui omnes Scholastici, necnon S. Thomas q. XXVI. art. 2. Sylvius ibidem, Estius in dist. XIX. §. 7. Denique ratione constat mortem, obedientiam, orationem, sacrificium crucis, & cetera Mediatoris officia peracta quidem esse a persona divina, sed ratione naturæ assumptæ. Quamobrem mirari soleo recentiores aliquos, qui longam instituunt disputationem, ut ostendant hæc non juvare Scantariados. Isti enim cum Nestorio negabant Verbi personam redemptionis opera perpetrasse, affirmantes τὸν λόγον adfuisse tantum naturæ humanæ, ut posset passionem perferre, ut inquit citato loco Ræmundus, Canisius in Præmonit. ed librum 1. de Corruptelis Verbi Dei, necnon Vasquesius disput. 83. cap. 2. At nos ipsum Dei Verbum passum, mortuum, & Mediatoris officio persunctum profitemur ratione humanitatis assumptæ, quam a Verbi persona minime separamus, refutaturi hac fidei professione Stancari, Osiandri, Calvini, aliorumque omnium hæreticorum errores.

Habes hinc, Lector, quantum in Mediatoris officio Dominus Jesus discrepet a Sanctis suis. Primum quia humana natura Christi est Verbo unita *hypostatice*, Mediator est, ut inquiunt Theologi, per *mediationem substantialem*, idest, Mediator noster non morali tantum affectu, ut sancti alii, sed *substantiali* unione conjunctus est Deo. Ille insuper est reconciliatio & propitiatio pro peccatis totius mundi: alii habent ministerium reconciliationis. Fecit ille proprio sanguine ægrotis medicamentum: ceteri tantum dant operam, ut ægrotis medicina applicetur. Christus est fons gratiarum, lux, via, veritas, vita; alii Christi gratiam suppliciter petunt, lumen quærunt, viam commonstrant, veritatem docent, vitam annuntiant. Christus denique est Ecclesiæ caput, vivus Panis, Sacerdos & holocaustum: sancti autem sunt Christi membra, pascuntur ad Christi mensam, offerunt Christi victimam.

Denique inquirunt aliqui, an etiamnum sedens e dextris Dei orando, atque interpellando pro nobis exerceat pissimus Jesus officium Mediatoris. Exercet utique. Nam Apostolus ad Rom. VIII. 34. ait: *Christus Jesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*: & ad Hebr. VII. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Joannes etiam in priori Epistola cap. II. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. Legatur Augustinus Epist. 59. ad Paulinum quæst. 5. nunc 149. num. 14. & 17. & Tract. 1. in Epist. Joan. num. 8. Joannes Chrysostomus hom. XVIII. in Epist. ad Rom. hanc profert rationem, quoniam Christus in cælis *nostri curam non deposuit, & adhuc eamdem caritatem constanter servat*. Scribit idem Theodoretus Tom. III. pag. 70. Theophylactus in cap. VIII. ad Rom. ac Patres alii. Me non latet eruditum Vasquesium disp. LXXXII. cap. 2. contendere Patrum testimoniis, quod Christus in cælis non oret, nisi naturam nostram in Patris dextera collocatam incessanter Patri manifestando, ut inquit Paulinus Aquilejensis in libro Sacrosyllabo, Nazianzenus orat. 36. num. 52. & Gregorius libro 22. Moralium cap. 13. Verum manifestat quidem Salvator Patri susceptam pro nobis humanitatem; sed non absque interpellatione, atque oratione: quam si aliqui Patrum denegare videntur, aut sermonem instituunt de oratione illa, quam fecit in diebus carnis suæ cum lacrymis & clamore valido, ut inquit Apostolus ad Hebr. V. 7. vel de oratione, qua petitur redemptio hominum, non redemptionis applicatio; vel de ea, quæ sita est in vocibus oris, non in cogitationibus cordis. Priori sensu loquuntur Nazianzenus & Paulinus, postremo autem Gregorius: nam illi oppugnant hæreticos deprimentes personam Christi; hic vero demonstrat æternam vitam corde potius, quam ore petendam esse. Profecto orationem Christi nihil gloriæ & majestati ipsius derogare, demonstrat citato loco Theodoretus duorum regum exemplo: quorum unus si a regni consorte petat, ut ei quispiam reconcilietur, *hoc ne* (inquit Præsul Cyrensis) *de ejus qui petit dignitate detrahit? Nequaquam*. Atque hæc dicta sint de humani generis redemptione, de Unigeniti Filii Dei nimia erga nos caritate, de magno Sanguinis ejus pretio, & de beneficiorum omnium maximo perpetua contemplatione in memoriam revocando.

Hoc igitur pretio captivi cum redimuntur,
Agnoscant quali conclusi carcere, quove
Obsessi fuerint morbo: quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quam morte Medentis:

inquit in Carmine de Ingratis cap. 54. alias 43. Aquitanorum decus, & Augustinianæ doctrinæ vindex, beatus Prosper.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS NONUS,

In quo disputatur de tempore perfectæ Reparationis.



ESCIO, qua de causa recentiores Scholastici dantes operam Theologicis institutionibus politiori stilo tradendis, gravissimas disputationes de Christi ætate, ac de rebus ab ipso gestis omittant; nisi forte, quod hujusmodi dissertationes difficillimæ sint, easque sibi sacrarum Historiarum Scriptores, Chronologi, & Critici soleant jure suo quodammodo vindicare. At ego illas penitus non prætermittam, propterea quod Chronologicæ saltem necessariæ videntur, ut percipiantur libri xxv. supputationes; præsertim cum nostratium plurimi, non viri summi, ac domestici Norisii, sed Alexandri Natalis, doctissimi quidem, sed cum Usserio, ceterisque postremi ævi Chronologis haud recte de Christi ætate differentis, dediti pervolvendis lucubrationibus, atque assueti duntaxat lectioni Theologicorum librorum, qui nuper e Galliis ad nos cum magna Auctorum fama delati in dies typis Italicis recuduntur, nisi forte in controversiis ceteris, in his saltem a vero exorbitant: nec Norisii tantum, quod in Augustinensibus doleo magnopere, sed & Augustini de Christo affixo cruci Coss. duobus Geminis sententiam aut deserunt, aut ignorant, necnon, si probe scio, in supputatione hebdomadarum Danielis ignoranter, ac temere oppugnant. Perpaucis itaque disputationibus exornandis, quæ ad domestica limina Norisianam Chronologiam revocarent, dicandos putavi conatus istos tenuissimi ingenii mei, fortassis Instituti nostri sodalibus haud inutiles, exterisque minime ingratos. Et quoniam etiam sunt, qui ut uno, vel altero studiorum anno se plurimum profecisse videantur, vix conjicientes oculos in Serrium, Tillemontium, Honoratum, aut Criticum alium, vel Historicum recentiorem, pervulgatis controversiis rejectis, disputare solent absque delectu de re aliqua, sciolis nova, & jucunda litteratulorum congressibus; ut iis simul morem geram, ostendamque quid in vellicandis receptis traditionibus sit periculi, & audaciæ, inferam Chronologicis discussionibus aliquam animadversionem in Christi vitam. Ero tamen hac in re brevis, tum quia plura non patiuntur voluminis hujus angustiæ; tum etiam quia opinione nostra Scholastica Theologia methodo, & ordine a nobis servatis tradenda est, ut juvenes his studiis peractis, certisque imbuti elementis, aut Ecclesiasticæ historiæ, aut lectioni sacrorum Canonum, aut Patrum monimentis se totos libero, ac maturo judicio devoveant. Si quis vero nobis auscultet; illum forte consilii non pœnitebit: neque ætate grandævus mirabitur se perperam diu lusisse operam, quod nos fecisse maximo cum dolore experimur. Ceterum, ut me revocem ad munus pensumque meum; Doctores quoque Scholastici multa de rebus a Christo patratis disseruerunt, Sanctus Thomas, Alexander Alensis, Suaresius, Sylvius, alii: ut mihi succensendum non sit, quod nonnulla tradam necessaria admodum, & quibusdam forsitan eruditulis hactenus incomperta.

CAPUT I.

Exposita sententia nostra de genere Herodis, hujus Epocha figitur, & explanatur.

CUM natus sit Jesus, teste Evangelista, in diebus Herodis regis; priusquam definiam annum salutiferæ nativitatis, statuere cogitavi Epocham Herodianam: quod nunc faciam, investigato genere ejusdem regis. Non consentiunt Auctores, cujas Herodes fuerit. Genus illum traxisse a primoribus Judæorum ait Nicolaus Damascenus apud Josephum lib. xiv. Antiq. cap. 2. nunc 1. num. 3. Fuisse Idumæum genere scribit eo loci Josephus, necnon lib. 1. de Bello cap. 5. nunc 6. num. 2. Assentiuntur Hegesippus lib. 1. cap. 14. Photius in Biblioth. num. 238. Petavius lib. x. de Doctrina Temp. cap. 5. Natalis Alex. vi. Æt. M. dissert. 9. Valesius in Notis ad Euseb. lib. 1. cap. 6. Usserius ad an. P. Jul. 4642. Ezech. Spanhemius in Stemm. Herodis, Cellarius in Hist. Herod. Noldius in Historia Idumæa, Sam. Basnagius in principio Annalium; innumeri denique, cum orthodoxi, tum hæretici. Fuisse Ascalonitam genere, ejusque patrem Antipatrum postea ab irruentibus Idumæis in Idumæam adductum, Ascalone in templo Apollinis functum officio æditui narrat Eusebius lib. 1. cap. 6. ex Epistola Africani ad Aristidem, & S. Epiphanius Hæres. 20. quæ est Herodianorum: idem propugnat Baronius in Apparatu, Salianus ad annum 3989. n. 12. in singulari opusculo de Herode Nicolaus Serarius, nec dissentiunt Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. cap. 3. Sive Idumæus fuerit, sive Ascalonita, fuisse alienigenam est communis traditio Patrum, quam defendunt Serrius Exerc. de Christ. 17. Tournelius q. 3. de Incarnat. art. 1. Witasse q. 3. art. 1. cap. 1. Censendum esse indigenam, & Judæum genere contendunt Joseph Scaliger in Animadvers. Eusebianis ad an. 1983. Casaubonus exercit. 1. in Baronium, Torniellus ad annum 4018. num. 7. Daniel Huetius in Demonstr. Evangelica prop. ix. cap. 4. & Claudius Frassen disp. 1. art. 1. sect. 3. q. 5. Sententiam nostram proxima thesi explicabimus.

PROPOSITIO I. Herodes alienigena dicendus est: an Idumæus fuerit, an Ascalonita, incertum; videtur tamen probabilior opinio eorum, qui illum existimant Idumæum.

Demonstratur prima pars testimonio Judæorum. In omnibus quippe Hebræorum Chronicis, Regnum Herodianum appellatur regnum *Proselytorum*: deinde Josephus lib. xiv. Antiq. cap. 2. nunc 1. num. 3. ait Antipatrum fuisse *genere Idumæum*; fuit autem Antipater pater Herodis. Ibidem ait Nicolaum Damascenum deducentem Antipatri genus *a primoribus Judæorum*, mentiri *in gratiam Herodis quem fortuna ad Hebræorum regnum evexit*. De eodem Antipatro scribit lib. 1. de Bello cap. 5. nunc 6. num. 2. *Erat autem genere Idumæus, & nobilitate, & opibus, & alia potestate gentis suæ princeps*. Probatur præterea traditione Patrum, quorum singuli Herodem faciunt *alienigenam*, etiamsi non videantur convenire in eo, an fuerit Idumæus genere, an Ascalonita; sed hanc esse nominis, verborumque discrepantiam merito asseruit citato loco Petavius. Sive enim dixeris Antipatrum Ascalone natum, & illinc abductum ab Idumæis cum Africano, atque Epiphanio; sive Idumæum genere, & Ascalone commoratum, ut dicam paullo infra, persistit sententia Herodem adstruens alienigenam, & cohærentia inter eos, quorum aliqui Herodem Ascalonitam appellant, aliqui vero Idumæum. Torniellus & Frassen respondent non esse attendendam traditionem Patrum, quod nec de genere Herodis hi data opera pertractarint, nec hæc quæstio ad fidem pertineat. Sed cum omnia argumenta, quæ adversus traditionem istam proferuntur, inepta sint, & futilia; intemperanter se gerunt, qui putant Patres omnes in errore fuisse versatos, maxime cum Patribus ipsis compertum fuerit tradi Judæorum historiis literisque certissimis, *primum alienigenam Herodem regem fuisse in gente Judæorum quo tempore Christus natus est*, ut inquit Augustinus lib. xii. contra Faustum cap. 42.

Herodem itaque fuisse Ascalonitam probant primo ex Julio Africano, qui in Epist. ad Aristidem apud Eusebium inquit *Herodem Antipatri fuisse filium: huic vero Herodem quemdam Ascalonitam unum ex numero servorum templi Apollinis, quod Ascalone est, fuisse patrem: Antipatrum, cum admodum puer a latronibus Idumæis captus esset, cum iisdem diutius vixisse, eo quod pater præ inopia pretium pro redemptione illius solvere non valeret; moribus postea, atque institutis Idumæorum innutritum Hircani Judæorum Sacerdotis amicitiam fuisse consecutum*. Idem confirmant ex Epiphanio eamdem historiam narrante ad hæresim xx. Herodianorum. Accedit S. Ambrosius lib. iii. in Lucam num. 41. Ad hæc Herodem *Ascalonitam* appellant S. Martyr Justinus in Dialogo cum Tryphone, Theodoretus dialogo primo, Severus Sulpitius lib. 2. Historiæ sacræ, Photius etiam in Bibliotheca num. 76. licet Cod. 238. faciat *Idumæum*, Eutychius denique Alexandrinus in Annalibus editis a Pocochio. Qui hanc sententiam propugnant, asserunt Herodem ab aliis Patribus dici Idumæum a nativitate, cum ab avorum origine fuerit Ascalonita. Atque ita facile singulos revocant ad concordiam.

At fuisse *Idumæum* genere affirmant longe plures, qui-

quibus adstipulatur, ut vidimus, Flavius Josephus. Hegesippus pariter lib. 1. cap. 14. scribit de Antipatro: *Is erat Idumæus genere, moribus apud suos clarus, non tenuis pecuniæ, & prævalidæ potentiæ.* Rupertus libro 9. in Gen. cap. 49. *Herodes*, inquit, *Alienigena, patre Idumæus, matre ortus Hebraica.* Qui autem huic sententiæ subscribunt, possunt reponere ab aliis Patribus Herodem dici *Ascalonitam*, quia etsi Idumæus genere, quandoque Ascalonem inhabitaverit; quæ videtur sententia Norisii dissert. v. de Epoch. Syromacedonum Tom. 11. pag. 542. Ex his probatur propositionis nostræ pars prima: Omnium prorsus consensu Herodes vel Idumæus est, vel Ascalonita: aut fuerit Ascalonita genere, & nativitate Idumæus; aut Idumæus origine, Ascalonita domicilio atque sede. At sive Ascalonitam, sive Idumæum dixeris, semper alienigena est. Igitur Herodes est alienigena. Recte Serarius de Herode cap. 9. *Modo ex Hebræa gente non fuerit Herodes, cujusque gentis alterius fuerit, alienigena semper contra Scaligerum intelligitur.*

Quærenti a me tamen, cui parti potius adhæream, primum respondeo me summopere eos commendare, qui vitantes ejuscemodi conflictum dicunt absolute Herodem alienigenam: atque ut id asseram, ducor hisce momentis. Primum est, quod hac ratione stat sua cuique Patrum auctoritas. Alterum, quod docti viri ajunt hanc esse verborum conflictationem, & cum possunt facile componi Scriptorum dissidia, non opus est singula expendere minutatim. Tertium quod Eusebius commendans traditionem Africani, laudat quoque sententiam Josephi scribentis Herodem paterno genere fuisse Idumæum. Quartum denique, quod inter Patres præstantissimi vocant Herodem alienigenam & proselytum, nihil de ipsius patria definientes: ut Hieronymus lib. 1. in Oseam cap. 3. & lib. 111. in Matth. cap. 22. S. P. Augustinus lib. xviii. de Civit. Dei cap. 45. num. 3. atque lib. xii. contra Faustum cap. 42. necnon Cyrillus Alexandrinus lib. viii. contra Julianum pag. 260. quorum testimonia magis videntur expedita ad eos revincendos, qui arbitrantur Herodem Judæum genere.

Deinde affirmo videri mihi probabiliorem sententiam eorum, qui Herodem existimant *Idumæum*. Movet autem me primo numerus & eruditio eorum Scriptorum, qui sententiam istam propugnant. Deinde S. Ambrosius lib. 111. in Lucam numer. 41. ait opinionem alteram tradi *ab his, qui sive argumentati, sive simpliciter docentes, sive vera adstruentes* Herodem fecerunt Ascalonitam: in quæ verba adnotarunt Benedictini, *Narratio illa ut prorsus fabulosa, & commentitia rejicitur, neque omnino probatur Ambrosio.* Præterea non conveniunt Africanus atque Epiphanius, cum unus *Hierodulum*, sive æditum Apollinis faciat Antipatrum, alter Herodem Antipatri patrem; & aliunde constet patrem Antipatri appellatum fuisse *Antipatrum Antipam*, ex Josepho lib. xiv. Antiq. cap. 2. nunc 6. quamquam fateor hæc posse facile conciliari, si Antipatro ac patri idem tribuamus in templo Apollinis ministerium, & avo Herodis nomen *Herodis* simul atque *Antipatri*. Verum gratis id fingimr. Insuper conciliari nulla ratione potest, Antipatrum fuisse non tenuis pecuniæ & prævalidæ potentiæ virum, ut cum Josepho scribit Hegesippus; ac non potuisse *præ inopia* rediroi ab Idumæis, quemadmodum Epiphanius inquit post Africanum. Item quod de Antipatro scribit Josephus ex hoc redditur probabilius, quod vir miserrimus & captivus non adeo facile venisset in amicitiam Hircani summi Judæorum Pontificis, neque is Mariamnem neptem suam formæ venustate insignem, & nobilissimo exortam genere Herodi locasset in matrimonium. Insuper pater Antipatri, auctore ibidem Josepho, tenuit totius Idumææ præfecturam: quomodo ergo Antipater captivus in Idumæam a latronibus adductus est? Ad hæc cum Africanus opinionis suæ neminem alium laudet auctorem, quam privatam traditionem quorumdam, qui se faciebant Domini cognatos, Josephus autem gentis suæ origines, historiasque conscribat, antiquior etiam sit, & ætati Herodis proximior, hujusce avum, parentes, uxores, filios, universamque familiam recenseat; huic potius, quam illi videtur fides præstanda. Hæc sunt quæ me permovent, ut Herodem asseram Idumæum.

Non hinc tamen infertur, male a multis Patribus dictum *Ascalonitam*. Enimvero constat ex Josepho citato loco Antipam patrem Antipatri *fecisse amicitiam cum Arabibus, Gazæis, & Ascalonitis, eosque sibi multis & magnis muneribus conciliavisse*. Factum id, uti adnoravit dissert. 5. de Epoch. Syromaced. Norisius, ut si forte æmulorum invidia excideret a gratia Alexandri regis, posset Ascalonem ad amicam urbem secedere. Valde itaque probabile est majores Herodis quandoque Ascalone fuisse commoratos. Confirmat sententiam suam Norisius, ex quo Herodes ad regnum evectus, memor pristinæ amicitiæ, & paterni domicilii construxerit *Ascalonitis balneas & fontes magnificos, prætereaque peristylia tam opere, quam magnitudine suspicienda*, ut ait Josephus lib. 1. de Bello cap. 16. nunc 21. numer. 11. Cæsar etiam Herodis *sorori Salomi ædes regias in Ascalone largitus est*, ut inquit idem Historicus lib. 2. de Bello cap. 4. nunc 6. num. 3. Igitur Herodes & Idumæus, & Ascalonita recte dicitur; *Idumæus genere, Ascalonita* domicilio, semper tamen *proselytus, atque alienigena.*

Qui Herodem putant Judæum, opponunt primo testimonia Scriptorum, Nicolai Damasceni, de quo supra: ipsius Josephi, qui lib. xx. cap. 6. nunc 8. num. 7. sermonem instituens de rixa inter Judæos, & Syros orta Cæsareæ, inquit: *Judæi primas sibi deferri volebant, quod Rex illorum Herodes fuerit Judæus.* Libro etiam xv. Antiq. cap. 14. Judæi ab Herode dicti sunt *viri ejusdem originis*, ἄνδρες ὁμόφυλοι. Strabo quoque lib. xvi. Geographiæ Herodem vocat ἄνδρα ἐπιχώριον, *virum indigenam*. II. Si Herodes fuisset Idumæus genere, ad solium evectus studuisset Idumæorum ritus inducere, quemadmodum Hircanus coegerat Idumæos ad Judæorum legem, ac politiam. III. Ex Josepho lib. xv. cap. 7. num. 9. Costobarus Idumæus factus gener regis indignum existimabat Idumæos servire Judæis. Herodes ergo Idumæos ipsos in suam libertatem vindicavisset, si ortus esset eodem genere. IV. Hircanus alienigenæ non locasset in matrimonium neptem suam Mariamnem, cum id Exodi xxxiv. 16. & Deut. vii. 3. inhibeatur. V. Prætulit Herodes Judaicæ legis zelum maximum, adeo ut Cæsar apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 4. cum audisset Herodem occidisse filium suum, dixerit, *Melius est Herodis esse porcum, quam filium.* Ejusdem religionis argumentum sunt instauratum ab ipso Templum, solicitudo ne statua Caji Cæsaris persisteret in sacris ædibus, aliaque hujus generis facinora. VI. Nisi Judæus Herodes fuisset, falsitatis convinceretur vaticinium Genesis xxv. 23. *Major serviet minori*, quandoquidem Idumæi originem ducentes ab Esau imperassent Jacobi posteritati. VII. Multo magis corrueret oraculum Jacobeum Gen. xlix. 10. de non auferendo sceptro de Juda usque ad Messiæ adventum; nam ablatum foret anno ante Christum 35. dum Herodes regnum Judæorum adeptus est. VIII. Matth. 22. commemorantur Herodiani. Hi existimabant Herodem esse Christum, juxta Epiph. h. 20. Incredibile est autem habitum fuisse, ut Messiam, principem non Judæum. IX. Tandem Idumæi quoque erant Judæi: si ergo Herodes fuit Idumæus, Judæus fuit.

Resp. ad primum nil probare prædictorum Scriptorum testimonia, nam Nicolaum Damascenum in gratiam Herodis mentitum affirmat Joseph lib. xiv. cap. 1. num. 3. Ad seipsum, ceterosque intelligendos, facem præfert idem Historicus lib. xiii. cap. 9. num. 1. ubi de Idumæis ab Hircano devictis inquit: *Illi vero patria sua amore tum circumcisionem admiserunt, tum vitam in ceteris similiter ac Judæi agere constituerunt. Atque eo tempore ipsis contigit, ut deinceps Judæi essent.* Hoc sensu dici ὁμόφυλοι *Judæis*, atque *Idumæos* a Stephano, & a Strabone, compertum est. Ergo Judæi, Idumæique *idem genus* sunt, quatenus Judæorum nomine veniunt recutiti, & ritibus Mosis addicti; non quatenus designantur eo nomine posteri Jacob. Alterum diluitur iis, quæ de moribus Herodis narrantur lib. xv. Antiq. cap. 9. num. 6. *Cogebatur a receptis moribus decedere & patria instituta violare, dum & urbes ambitiosa sui ostentatione conderet, & templa erigeret, non hæc quidem in Judæa, nam Judæi nunquam tulissent, cum nobis interdictum sit statuas & simulacra Græcorum more colere, sed alias regiones & urbes ita instruxit & ornavit, Judæis semet purgans, quod non suapte sponte, sed ex jussu & mandatis hoc faceret, a Cæsare vero & Romanis gratiam iniens, quasi non adeo patriis moribus, ac eorum honori studeret.* Itaque Herodes non induxit ritus Idumæos, ne Judaicum populum adversum se concitaret, & quoniam Hebræorum statutis imbutus veram noverat religionem. Ad tertium respondeo Costobarum fuisse *de genere Sacerdotum Coze, quem Deum existimant Idumæi*, studuisse autem, ut Judæorum excoteret jugum, *quod arbitrabatur accisis Herodis viribus facile se posse gentis Idumææ dominatum adipisci*, inquit Historicus lib. xv. cap. 7. num. 9. Perperam itaque comparatur proselyto & regi homo principatum affectans atque idololatra. Ad quartum dico primum, vetitum Judæis jungere connubia cum idololatris, ut liquet ex locis objectis; Herodem vero fuisse *proselytum*: deinde peto a Tomiello & Frassenio, qui adeo commendant Herodis pro lege zelum, & has argutiuncolas objectant, cur Herodes Costobaro Idumæo, apud Josephum cit. loco, *Salomen sororem suam nuptui dedit?* Ad quintum idem, ac ad secundum, esto responsum; ne longior sim narrando servitutem qua Herodes Judæos premebat, insidias quas struxit Aristobulo, cædem Hircano illatam, interfectam Mariamnem, aliaque flagitia innumera. In argumentatione sexta non immorabimor, longo enim tempore posteri Jacob tenuerunt principatum in filios Esau, at non semper. Quod sequitur nullius est ponderis; tempore quippe Herodis sceptrum penitus ablatum est, & quia ipse fuit Rex primus alienigena, & quia non permansit eo regnante *Dux de femoribus Juda*, ait Hieronym. lib. 3. in Matth. cap. 22., *Rex de semine Juda*, inquit Augustinus lib. xii. contra Faustum cap. 42. *Principes ex tribu Juda & David qui per successores sceptrum ad regnum Herodis usque transmiserunt*, scribit Cy-

rillus

rillus lib. VIII. contra Julianum 260. Quo autem pacto ad Herodem usque sceptrum permanserit non solum in Judæorum populo, sed etiam *in tribu David, in semine Juda, in duce ex hujus femoribus orta*, diximus alibi. Si vero cum viris doctis sceptrum referas ad solum regem genere Judæum; dico ablatum quidem paullo ante Christum, sed non esse vaticinium Jacobæum ad punctum & particulam temporis coarctandam: nam & in magnis rerum eventis solet tempus diutinum designari, ut dum dicimus adventurum Antichristum in fine mundi: & signum debet rem, quam promittit, præcedere. Sane Jacobi vaticinium eventum omnium maximum portendebat: & sceptri Judaici finem tanquam signum illius eventi prænuntiabat. Fateor tamen non posse falsitatis convinci celeberrimum vaticinium, etiamsi Herodes dicatur *indigena*, quoniam successor ejus Archelaus non obtinuit a Cæsare *regii nominis honorem*, ut legimus lib. XVII. Antiq. cap. 13. nunc 11. numer. 4. Quare sententia Tornielli, Frassenii, & Huetii nullatenus enervat, ut quidam arbitrantur, oraculum Jacobeum: sed rejicitur a nobis tantummodo tanquam falsa. Ad objectionem octavam dico in sententia Hieronymi Herodianos fuisse *Herodis milites*, & S. Doctoris lib. III. in Matth. pag. 104. Tomi IV. hæc verba legi: *Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Christum esse credebant: quod nusquam omnino legimus*. Sed dato id Herodianos credidisse; quid mirum hos Herodem pro Messia coluisse, cum Joseph Historicus Messiam dixerit Vespasianum, aliique Simonem Magnum, & Dositheum Samaritas? Adde hoc argumento, si quid evinceret, etiam probari Herodem esse filium Davidis, atque de Tribu Juda, quoniam verus Messias a semine David expectabatur. Postrema objectio facillime ex dictis diluitur, quoniam Idumæi erant quidem Judæi religione, sed genere atque origine ἀλλόφυλοι, *proselyti, alienigenæ*; qualem fuisse Herodem dixi hactenus: nunc de Epocha.

PROPOSITIO II. Duplex distinguenda est Epocha Herodiana, quarum prima figenda est anno U. C. 714. P. Julianæ 4674. Coss. Domitio Calvino II. & Asinio Pollione: altera anno U. C. 717. P. Jul. 4677. Coss. M. Vipsanio Agrippa, & L. Caninio Gallo.

De priori Epocha consentiunt accuratissimi Chronologi, Petavius lib. X. de Doctrina Temp. Norisius dissert. 2. Cenot. Pisan., dissert. V. de Epoch. Syromaced. & in Paræn. ad Johan. Harduinum, Usserius ad annum 3964. Calvisius in Augusto, Pagius in Apparatu num. 80. Basnagius ad an. P. Jul. 4711. Auctor Chronologiæ ad Biblia Antonii Vitrè, & post doctrinam temporum majori in lumine collocatam, omnes propemodum. Demonstratur autem I. Joseph lib. XIV. Antiq. cap. 14. num. 5. olim cap. 26. inquit de Herode: *Ille regnum suscepit Olympiade centesima nonagesima quarta, Cajo Domitio Calvino iterum, & Cajo Asinio Pollione Consulibus*. Eadem repetit lib. I. de Bello cap. XIV. num. 4. Perspicuum est autem Consulatum Calvini, & Asinii Pollionis concurrere cum anno Augusti Imperatoris quinto, correctionis Julianæ sexto, P. Jul. 4674. & U. C. 714. nullo Chronologorum dissentiente. II. Utroque loco Josephus narrat Herodem decreto Senatus salutatum regem, *quod etiam ad Parthicum bellum expediret ut rex fieret*. Atqui Parthi aggressi Syriam ducibus Pacoro regis Parthorum filio, & Labieno, universam subegere anno U. 714. ex Dione Cassio lib. 48. pag. 372. edit. Hanoviæ, atque ex ipso Josepho lib. XIV. Antiq. cap. 2. Igitur eodem anno U. 714. Herodes a Romanis declaratus est Rex. III. Josephus eo loci scribit occupatam Syriam a Parthis altero anno ab adventu Antonii in Asiam. Antonius vero in Asiam se contulit anno Romæ 713. ex Dione ibidem. Sequenti ergo anno 714. Herodes senatus consulto declaratus est rex Palæstinæ & Judææ. De priori hac regni Herodiani Epocha nulla difficultas superesse videtur, inquit Cl. Pagius in App. num. 90. Similia Norisius de Nummo Herodis Antipæ Tom. 2. pag. 655. Emanuel a Schelstrate dissert. 1. Antiq. Eccl. cap. 2. art. 1. aliique complures.

Altera Epocha figenda est in anno, quo captis a Sosio & Herode Jerosolymis, atque interfecto Antigono, ipse Herodes rerum potitus est: quod etsi non omnino sit exploratum, contigisse arbitramur anno U. Romæ 717. Coss. Aggrippa, & Gallo. I. Joseph. lib. XIV. Antiq. cap. 28. nunc 16. numer. 4. ait accidisse Jerosolymitarum cladem *M. Agrippa & Caninio Gallo consulibus, olympiade centesima, & octagesima quinta, mense tertio, jejunii solemnitate, tanquam recurrente in idem temporis momento illata a Pompejo Judæis calamitate: nam & eodem die ab illa post septem & viginti annos Hierosolyma capta fuerat*. Memoratum consulatum incidere in annum U. 717. commonstrant Fasti. Occupatam a Pompejo Jerosolymam *Coss. M. Cicerone, & Antonio*, idest, anno Romæ 691. narrat etiam Dio lib. 36. pag. 36. Hinc ergo connumeratis annis 27. pervenitur ad consulatum M. Agrippæ, & Caninii Galli, & duplici nota, Fastorum scilicet, & devictæ a Pompejo Jerosolymæ, constat hanc a Sosio, & Herode fuisse occupatam anno 717. urbis Romæ. II. Consentiunt omnes captam Jerosolymam proximo anno post secundam victoriam, quam de Parthis retulit Ventidius. Is Labienum Parthorum ducem priori conflictu devicit anno U. 715. juxta Dionem lib. 48. pag. 380. Id confirmat Cl. Pagius in App. numer. 91. & seq. ex quo Ventidius ab Antonio missus fuerit ad reprimendos Parthos post ultimum fœdus initum cum Cæsare, ut liquet ex Vellejo cap. 77. libri 2. & Appiano lib. 5. de Bello civ. At de pace pertractatum non est, nisi labente anno 714. ex ipso Dione libro 48. pag. 376. dum Sextus Pompejus occupata Sicilia vastabat Italiam; ideoque non potuit Ventidius Labienum superare, nisi vertente anno U. 715. Atqui secunda victoria Parthica, qua P. Ventidius Pacorum in Syria Cyrrhestica prælio vicit, contigit elapso anno post primam e Labieno relatam: non ergo accidit ante annum U. 716. quo etiam anno narratur a Dione libro 49. pag. 404. cumque Chronologis omnibus assentientibus Sosius & Herodes Jerosolymas expugnaverint anno proximo post secundam victoriam P. Ventidii, idque colligatur etiam ex Josepho lib. XIV. Antiq. cap. 27. nunc 15. num. 7. & lib. I. de Bello cap. 12. nunc 16. num. 6. consequens est Jerosolymitanam cladem consignandam esse anno Romæ 717.

Dixi tamen id omnino exploratum non videri. Doctissimus enim Norisius dissert. 2. Cenotaph. Pisan. contendit captas Jerosolymas anno U. 716. Claudio, & Norbano Coss. quoniam hoc anno consignatur a Dione facta a Sosio & Herode expugnatio lib. 49. pag. 405. ubi etiam Dio addit: *Anno insequenti nihil memoratu dignum a Romanis in Syria actum est*. Addit Scriptor Eminentissimus Josephum deceptum anno Sabbatico, qui inchoatus fuit anno U. 716. mense Tisri, exiitque vertente anno 717. ideoque Josephum annum captæ urbis illum putasse, quo exibat annus Sabbaticus, cum revera fuerit A. U. 716. Vide Tom. III. pag. 231. Ita valde probabile est, ex Dione corrigendum esse Josephum. Fateor tamen me in priorem sententiam propendere: primum quia ubique Josephus sibi constans ait Herodem castra prope urbem metatum anno tertio postquam Romæ declaratus rex fuerat, & regnasse annos 34. ab interfecto Antigono, postquam vero rex designatus est a Romanis, 37. Ita lib. I. de Bello cap. 13. nunc 17. numer. 8. & cap. ultimo num. 8. Videntur ergo tres anni inter unam, & alteram Epocham statuendi. Præterea Josephus consignans cladem Jerosolymitanam anno U. 717. diem, mensem, olympiadem, & priorem expugnationem commemorans satis ostendit quantum hac in re fuerit accuratus. Deinde præcedentia argumenta ipsius Dionis testimoniis corroborata aperte evincunt Dionem, non Josephum errasse; quod Toinardus, Pagius, aliique viri doctissimi hujus problematis inquisitioni toto ingenii nisu insudantes rem nunc definitam, & in luce positam arbitrantur. Verum tanta est Norisii in Chronologicis difficultatibus enodandis diligentia, tantum argumentorum ejus pondus, & tanta ipsius apud omnes existimatio, ut illius judicium nec possim, nec debeam extrudere; præsertim cum id parum scopo hujus disceptationis afferat adjumenti.

PROPOSITIO III. Herodes decessit ante festum Paschatis anni U. C. 751. a palilibus, sive antequam exiret annus U. C. 750. Augusti 41. correctionis Jul. 42. & P. Julianæ 4710. quo autem mense præcise, arduum est definire.

In priori propositionis parte conveniunt recentiores Chronologi, in altera plurimum dissentiunt; nam Herodem fatis cessisse circa festum Paschatis anni U. C. 750. putant Petavius lib. XI. cap. 1. & lib. XIII. ad annum P. Julianæ 4710. Henschenius & Papebrochius in Apparatu ad Chronolog. Pontificiam, quæ præmittitur Tom. 1. Act. SS. Aprilis, Tillemontius in Hist. Imp. Tom. 1. p. 2. pag. 1041. aliique viri doctissimi. Herodem vita functum eodem anno U. 750. die 25. Novemb. tenent Usserius ad annum P. Jul. 4710. Schelstratius dissert. 1. Antiq. Eccles. Franciscus Blanchinus in Chronolog. Consul. Tom. 2. Anastasii Prolog. p. 164. Antonius Pagius in App. n. 142. nec dissentit Norisius in dissert. de nummo Herodis Antipæ Tom. 2. p. 654. sed Pagius hoc asserit ex sententia Usserii, nec aperte negat contigisse mortem Herodis sequenti anno circa festa Paschalia, quod & propugnat Norisius dissert. 2. Cenotaph. Pisan. Tom. III. pag. 232. & seq. Hi enim duo viri de Chronologia optime meriti certo statuunt Herodis obitum ante festum Paschatis anni Romæ 751. a palilibus, diem ex sententia Usserii duntaxat innuentes. Eo denique anno 751. non vertente 750. ad fata Herodem venisse scribunt loco nuper laudato Norisius, Ægidius Bucherius in Belgio Romano lib. II. sect. 3. Samuel Basnagius ad annum P. J. 4711. sive 43. Juliano, & U. 751. His positis primam thesis partem sic demonstro. I. Herodes regnavit annos ab interfecto Antigono 34. & ex quo salutatus fuerat rex a Romanis 37. Scribit enim Josephus lib. 17. Antiq. cap. 10. nunc 8. numer. 1. *Quinta post occisum Antipatrum die vitam finivit, cum regnasset post interfectum Antigonum annos triginta quatuor, postquam autem rex a Romanis creatus fuerat, triginta septem*. Et lib. I. de Bello cap. ult. numer. 8. *Postquam autem a filii cæde quinque dies vixisset, mortem*

obiit, cum scilicet regnasset annos quidem triginta quatuor, ex quo Antigono interfecto rerum potitus est, triginta vero septem ex quo rex a Romanis declaratus est. At sive supputentur anni 37. ab anno U. 714. quo demonstratum est Herodem acclamatum fuisse regem; sive anni 34. ab anno U. 717. quo cum Sosio Jerosolymas expugnavit, pervenitur ad annum Romæ 751. Hoc ergo anno Herodes magnus interiit. II. Post Herodis obitum ejus filii Romæ apud Augustum de paterna hæreditate judicio disceptarunt: atque hoc judicium habitum Lentulo & Messalino Coss. constat ex quo eidem interfuerit Cajus Cæsar superiori anno Kalendis Januariis Consul destinatus, nec interesse potuerit Lucius Cæsar, designatus consul anno insequenti, Coss. Augusto XIII. & Silvano, idest, anno Romæ 752. a palilibus. Decesserat ergo Herodes ante Azymorum festivitatem Cornelio Lentulo, & Valerio Messalino Consulibus, & anno Urbis 751. Præterea Archelaus successor Herodis, accusantibus fratribus ac primoribus Judæorum ab Augusto Viennam in Galliis relegatus est, *anno regni nono*, ex Josepho lib. 2. de Bello cap. 6. nunc 7. num. 3, sive *anno decimo*, ex eodem Auctore lib. 17. Antiq. cap. 15. nunc 13. num. 4. idest, expleto anno *nono*, & *decimo* inchoato. Pulsum vero in exilium Archelaum *nono* principatus sui exacto anno consentiunt omnes, Eusebius ad annum Augusti 56. Beda Tom. 7. p. 195. Philippus Bergomas Historicus Ordinis lib. VIII. Supplem. Petavius, Norisius, Pagius, Tirinus, Usserius, Scaliger, omnes. Disceptatur tantum de anno hujusmodi exilii. Et quamquam Ecclesiasticorum Annalium Parens id contigisse contendat anno U. 767. paullo ante mortem Augusti, quem fatis cessisse hoc anno duobus Sextis Consulibus, 14. Kalendas Septembris, *est doctorum omnium sententia*, inquit Fastorum Pater Panvinius lib. 2. Fast. cap. 302. attamen compertum modo est Archelaum pulsum in exilium anno Romæ 766. Coss. Gretico, & Nerva, septem annis ante Augusti obitum. Relegato enim Archelao Quirinius ejus facultates redegit in censum, *anno post Actiacam pugnam trigesimo septimo*, ex Josepho lib. XVIII. cap. 3. nunc 2. numer. 1. Cumque pugna Actiaca contigerit anno Urbis 723. Coss. Augusto III. & Messala, annus 37. a pugna Actiaca inceptus est tricesima die mensis Augusti anno U. C. 760. Ab hoc ergo anno retro enumeratis integris annis novem, devenitur ad annum U. 751. ideoque hoc anno Herodes magnus obierat. Liquet autem ex dictis Josephum sibimet per omnia constare, & perperam damnari a multis antilogiæ. IV. Julia Augusti filia in exilium deportata est anno U. C. 752. Coss. Augusto III. & Silvano, ob turpem vitam, & deditam libidini consuetudinem. At Philippus Tetrarcha filius Herodis Bethsaidam urbem ornatam splendidissimis ædificiis e nomine filiæ Augusti appellavit *Juliam*, non ut quidam autumant in honorem Liviæ Augusti uxoris, urbem *Juliæ* confundentes cum ædificata ab Herode Antipa fratre Philippi *Juliade*. Vide lib. 18. Antiq. cap. 3. nunc 2. num. 1. At numquam Julia ingrata Cæsari, adulteriisque infamis a Philippo tales habuisset honores. Præcedenti ergo anno Philippus Tetrarchiæ potitus Bethsaidam ornaverat, & appellaverat *Juliam*.

Ex his constat Herodem vita functum ante Pascha anni Romæ 751. Dixi autem perdifficile esse definire præcisum mortis tempus. Obiisse illum anno 750. ante Pascha, videtur colligi ex eclipsi lunæ hujus mortis prænuncia, ut legitur lib. 17. Antiq. cap. 8. sive 6. nu. 4. quam eclipsim Keplerus, & tabulæ Astronomicæ consignant die 13. Martii tribus oris ante solis ortum, apud Bucherium in Belgio Rom. lib. 2. pag. 79. & Petavium lib. XI. de doctr. Temp. Tom. 2. pag. 292. Præterea constat ex Dione lib. 55. pag. 567. Archelaum trans alpes relegatum M. Æmilio Lepido, & L. Arruntio Coss. idest, anno U. C. 759. ideoque exordium habuit Archelai principatus ab anno 750. Insuper liquet ex nummo Rigordiano, de quo extat erudita dissert. Norisii, Herodem Antipam attigisse Tetrarchiæ suæ annum 43. extat enim in postica, ΗΡΩΔΗС. ΤΕΤΡΑΡΧΗС. L. ΜΓ. *Herodes tetrarcha, anno quadragesimo tertio.* Atqui in altera nummi parte cusum est nomen Caji Cæsaris, cujus postremus imperii annus est U. C. 793. Ab hoc ergo anno detractis 43. adinvenitur annus Urbis 750. ac primus tetrarchiæ Herodis Antipæ. Obiter nota Rigordii nummum Parisios delatum ab omnibus eruditis judicatum fuisse antiquissimum, & germanum, & Cl. Norisium, qui initio dubitabat num esset adulterinus, deposuisse tandem omnem dubitationem. Legendus Schelstrate diss. 1. p. 32.

Decessisse Herodem eodem anno 750. labente Novembri, conjiciunt alii ex cit. lib. 17. Josephi, ubi narrat post prædictam eclipsim, sumptumque de Mathia, ceterisque seditiosis supplicium, Herodem ingravescente morbo, & pœnam impietatis exigente Numine, profectum ultra Jordanem calidis aquis se fovisse apud Callirrohen, reversum deinde Hierichuntem, vocatos ad se Judæorum nobiliores conclusisse in circo, aliud testamentum condidisse, mandasse necem Antipatri, & exactis ab hujus morte diebus quinque cessisse fatis. Quæ omnia longiori egent tempore, quam quod inter diem 13. Martii, & festum Paschatis intercessit. Præterea Hebræi die septima mensis Cisleu, idest, die 25. Novembris festum celebrant ob mortem Herodis, ut liquet ex ספר תענית, *Sepher thahanith*, seu ex Volumine Jejunii edito Amstelodami anno 1659. ubi cap. 9. pag. 45. legitur, בשבעה ביה יום טוב יום שמת הורודוס מפני שה׳ הורודוס שונא את החכמים :, *Septima die hujus, festiva dies; in hac enim mors Herodis: & habuit odio Herodes sapientes.* Fertur autem volumen illud Jejunii scriptum a sociis Rab. Eliezer Ben-Chaninà, qui floruit paullo post obitum ipsius Herodis. Atque hoc argumentum præcipuum est Livellii, Usserii, Emanuelis a Schelstrate, Gravesonii, aliorumque multorum; quod diximus prorsus non rejici a viris eruditissimis Pagio, & Norisio.

Demum qui putant Herodem decessisse ante festum Paschatis anni Urbis 751. atque Paschate ipso imminente, his momentis ducuntur. Primo melius in hac sententia enumerantur anni Herodis 37. de quibus supra, & triginta quatuor a morte Antigoni; enim hi anni mense Novembri A. 750. vix fuerint inchoari. Deinde si Herodes obiit paullo ante Pascha, fatentibus adversariis, annus tricesimus septimus, ex quo Herodes declaratus fuit rex a Romanis, nec inchoatus erit; quoniam declaratus fuit rex labente autumno anni U. 714. Obiisse autem paullo ante Pascha, præter consensum omnium omnino veterum Chronologorum, videtur aperte demonstrari ex ipso Josepho, quia lib. 17. Antiq. cap. 11. nunc 9. num. 3. narrat instante festo Azymorum nonnullos Judæorum deflevisse Mathiam, aliosque Aquilæ aureæ violatores ab Herode supplicio affectos, *clamoribus, & ejulatu in defunctum regem jactantes convicia*: quod Historicus repetit lib. 2. de Bello cap. 1. & licet Judæi ad tempus animi amaritudinem simularint, perperam tamen asseritur a Novembri ad Pascha conceptum dolorem corde intimo compressisse; præsertim cum Herode mortuo necessaria non fuerit hæc simulatio ad regis indignationem evitandam.

Quamquam vero is ego non sum, qui possim hunc nodum dissolvere, atque ad institutum meum sat est, Herodem vita functum ante festivitatem Azymorum anni U. 751. quod puto evidentissime demonstratum: fateor tamen videri mihi postremam sententiam probabiliorem. Ad quam confirmandam tria addam argumenta. Ac primum sit. Joseph citato cap. 2. lib. 2. de Bello narrat Archelaum diebus septem in lugendo patrem consumptis, epulisque feralibus populo exhibitis, indutum candida veste processisse ad Templum, solioque aureo residentem cunctis in gratiam populi postulatis annuisse. Deinde celebratis hostiis, invitasse amicos ad epulas: & ea die post meridiem excitatum fletum eorum, qui plorabant damnatos ob Aquilam auream. *Deinde* (inquit Historicus ibidem n. 2.) *re divina facta cum amicis convivia inibat. Ibi igitur sub vesperam non pauci ex illis, qui novis rebus studebant, congregati, quando pro rege in communi luctu esse desierunt, vicem suam lamentari cœperunt eos lugentes quos supplicio affecerat Herodes propter Aquilam e templo auream e templi porta excisam.* Paucis ergo diebus post Herodis funera seditionis auctores tumultus excitaverunt; cumque id factum sit instante festo Azymorum, quis non videt Herodem paullo ante Pascha obiisse? Accedit argumentum alterum. Ait eo loci Josephus hac seditione irritatum fuisse Archelaum, *quod Romam proficisci omni festinatione pararet*, nimirum eo iter arripuerat Antipas paterni regni competitor. Hinc metu perculsus Archelaus immisso tribuno cum cohorte militum studuit cohibere seditionis auctores, deinde irritata multitudine immisit exercitum, pedites per civitatem, equitesque per campum, dum omnes sacris faciendis intenti essent: atque ita compositis rebus, & relicto Philippo, ut simul regias tueretur, suamque domum curaret, *Ipse cum matre, nec non & Popla, & Ptolomæo, & Nicolao amicis ad mare descendit.* Vide & lib. XVII. Antiq. cap. 11. nunc 9. numer. 3. At magna profecto esset solicitudo, & itineris festinatio, discedere Jerosolymis post festum Azymorum, cum pater sex antea mensibus e vita migrasset! Tertium argumentum est hujusmodi. Eodem libro 2. de Bello cap. 1. nunc 2. numer. 2. ait Historicus: *Illis autem* (Archelao & sociis) *Cæsareæ obviam fit Sabinus Syriæ præses, in Judæam ascendens ad pecunias Herodis custodiendas.* Sabinum in itinere *properasse* & ratio proficiscendi commonstrat, & tradit idem Historicus lib. XVII. Antiq. citato loco, pagina postremæ edit. Amst. 851. At est prorsus incredibile Sabinum e Syria advenisse Cæsaream duntaxat post Pascha, dum properabat ad custodiendam demortui regis pecuniam. Hæc itaque me in tertiam sententiam magis trahunt.

Si quis ergo hanc præferendam sentit, momentis, quibus aliæ sententiæ nituntur, poterit respondere eclipsim, quæ contigit ante Herodis obitum, fuisse quemdam lunæ pallorem, ut solis deliquium, de quo idem Historicus lib. XIV. Antiq. cap. 21. nunc 12. num. 3. & quod eclipsim solarem non fuisse demonstrat Petavius lib. X. de doctr. Temp. cap. 66. quare illustris Pagius in App. n. 142. ait, ex illa eclipsi annum mortis Herodis *certo non detegi*. Et revera anno 42. Juliano, quo eclipsis contigit, ante Pascha non attigerat Herodes annum regni trigesimum septi-

septimum: quare secundæ sententiæ patroni putant commemorari a Josepho eclipsim aliam, quæ contigit eodem anno Juliano, & Urbis 750. die quinta Septembris, a qua Herodem protraxisse contendunt languidam vitam usque ad Novembris vicesimam quintam. De exilio autem Archelai, standum sententiæ Josephi, præsertim cum Dio eodem libro 55. pag. 567. Archelaum appellet Herodem Palæstinum, eodemque anno U. C. 759. scribat partem dictionis ejus in publicum redactam, quod factum constat anno insequenti; nisi mavis asserere accusatum quidem Archelaum a fratribus anno 759. sed anno proximo pulsum in exilium: quo pacto omnia conciliantur. Ad Volumen Jejunii, dicendum pugnare cum historia, & nihili esse faciendum, ut censent in Conatu Chronologico Papebrochius, & ad annum 751. U. C. Samuel Basnagius. Et quidem in Hebræorum Kalendario Tom. 2. Bibl. Rabbin. Julii Bartolocci pag. 558. nihil aliud die septima mensis Chisleu adnotatur præter jejunium ob combustum a *Jojakim* volumen legis conscriptum a Baruch. Nummus denique Rigordianus aut cusus est cum sententia Romæ jam lata nondum promulgata esset in Galilæa; aut Herodes Antipa in exilium detrusus est, cum vix annum tetrarchiæ 43. attigisset. Verum cum petitum ex hoc nummo argumentum sit talis ponderis, ut etiam Norisius, qui in Genotaphiis Pisanis traderet Herodem decessisse *circa festum paschatis*, Tom. 3. p. 232. in Epist. ad Pagium de eodem nummo disserens consignet cum Usserio obitum Herodis in labente autumno anni Urbis 750. Tom. 2. pag. 654. & idem Pagius in App. num. 142. post consignatum cum Usserio Herodis obitum in autumno anni U. 750. non audeat negare quin *anno sequenti mortuus fuerit*: hinc fidenter pronuntio Herodem magnum decessisse ante Pascha anni U. 751. ignorans num eodem anno, num vero autumno elapso migrarit e vita, proferens momenta, ob quæ in priorem sententiam propendeam, & haud denegans propriam miserabilem ignorantiam. Ergo Herodes ante festum Azymorum anni Romæ 751. decessit; quo autem mense, vel die, me fugit.

Adversus statutam Epocham Herodianam objiciunt 1. Herodes, cum illi Antipater Galilæam commisit, *quindecim tantum annos natus erat*, ex Josepho lib. xiv. Antiq. cap. 17. nunc 9. num. 2. commendata autem fuit Galilæa Herodi anno U. 707. Cum ergo vixerit annos septuaginta, ex eodem Historico lib. xvii. cap. 8. nunc 6. n. 1. & lib. 1. de Bello cap. 21. nunc 33. num. 1. sequitur Herodem obiisse anno U. C. 759. Ita Baronius ad annum Christi vii. num. 1. Præterea Archelaus in exilium pulsus est duobus Sextis Coss., idest, anno U. 767. paullo ante mortem Augusti. At relegatus ille est nono principatus sui anno, ex Josepho lib. 2. de Bello cap. 6. Igitur anno U. 759. obtinueret suam, mortuo parente, tetrarchiam. Hæc idem Baronius ad annum Christi xvi. num. 1. Insuper Herodes magnus urbem Cæsaream in Judæa condidit, & splendidissimis ædificiis ornatam dedicavit *anno regni sui duodevigesimo*, ex Jos. lib. xv. Antiq. cap. 9. nunc 5. num. 1. Perfectam Cæsaream an. U. 745. Druso, & Crispino Consulibus demonstrant accurati quidam Chronologi. Si autem annus 28. regni Herodis incidat in annum Urbis 745. trigesimus septimus ac postremus concurret cum anno U. 754. primo Vulgaris æræ, quo anno Herodem obiisse tenent quidam recentiores, statuentes Christi nativitatem in anno præcedenti 753. Lentulo, & Pisone Coss. Tandem ex eodem Josepho lib. xv. Antiq. cap. 12. nunc 9. num. 1. liquet annum, quo Herodes condidit Sebastem, fuisse regni sui *decimum tertium*, paullo ante, quam Ælius Gallus in Arabiam felicem susceperit expeditionem. Expeditio Ælii Galli contigit ex Dione anno U. 730. Sebaste ergo condita fuit anno U. 729. Coss. Augusto IX. & Silano, ut demonstrat Norisius dissert. v. de Epochis Syromacedonum §. 1. Tom. 2. pag. 559. Ab hoc ergo anno Romæ 729. & decimotertio regni Herodis, enumeratis aliis 24., (regnavit enim Herodes annos 37.) inchoabitur trigesimus septimus anno U. C. 753. ut demonstratum quoque est præcedenti argumentatione.

Hæc argumenta, si primum excipias, sententiam nostram confirmant, & miramur summopere esse inter Sodales nostros, qui eadem plurimum urgeant, magni Norisii in nos auctoritatem contorquentes, qua ipsimet penitus profligantur. Ac de exilio Archelai satis dictum supra: sive enim consignetur cum Josepho anno U. 760. sive cum Dione anno præcedenti, utcunque res se habeat, semper Herodes ante festum Azymorum anni U. 751., ut Norisius docet, fatis concesserat. Perfectam Cæsaream anno 28. Herodis concedo: sed si annos Herodianos numeras *a nece Antigoni*, & annum regni Herodis 28. refers in annum U. 745. residui sunt vitæ Herodis anni sex tantum, quoniam ab interfecto Antigono non regnavit Herodes annos xxxvii., sed xxxiv. Ergo hoc eodem argumento petito a dedicatione Cæsareæ evincitur obiisse Herodem anno U. 751. quandoquidem sex anni additi anno *vigesimo octavo* complent numerum annorum xxxiv. additi vero anno U. 745. constituunt annum Romæ 751. Quod si anni regni Herodiani supputentur ab anno U. C. 714. quo declaratus fuit rex a Romanis, *Cæsarea perfecta fuit anno U. Romæ 742.*, inquit Norisius in Par. ad Harduinum Tom. 3. p. 1284. non anno R. 745. Ab anno autem 742. ad annum 751. sunt anni 9. qui una cum 28. constituunt annos regni Herodiani xxxvii. Quocunque ergo te vertas, ex ipsis quoque argumentis in nos contortis liquet anno U. 751. Herodem fuisse mortuum. Nec aliud sequitur ex argumento postremo. Norisius dissert. v. de Epochis Syromaced. Tom. 2. pag. 559. inquit: *Cum vero Josephus ait Sebastem conditam anno* xiii. *regni Herodis, annos regni, non quidem a Triumviris primum A. U. C. 714. accepti, sed post necem Antigoni legitimi Judæorum regis A. U. 717. ab Herode initi, intelligit*. Bene habet. Enimvero si primus annus Herodiani regni inchoatus est anno Romæ 717. decimustertius initium ducit ab anno U. 729. postremus vero, & trigesimus quartus ab anno U. C. 750. Mortuus est ergo Herodes, etiam juxta adversariorum nostrorum calculos, ante festivitatem Azymorum anni U. DCCLI.

Itaque ad argumentum depromptum ex lib. xiv. Antiq. cap. 9. quo videtur evinci mortuum Herodem anno Romæ 759. liquet primum inde potius erui quod obierit anno U. 762. quod nemo unquam somniavit. Cum enim Herodes vixerit annos 70. si annus 707. fuit Herodis decimusquintus, superadditis annis vitæ Herodis lv. perveniemus ad annum 762. Respondent ergo doctissimi viri Possevinus Tom. 1. Bibl. Tom. 2. cap. 6. Langius de annis Christi lib. 2. p. 1. cap. 6. Casaubonus exercit. 1. in Baronium, Keplerus de Anno Nat. Christi pag. 52. Norisius in Cenotaphiis dissert. 2. cap. 6. Pagius in Apparatu num. 62. Hudsonus Adnot. in hunc locum, aliique permulti legendum esse κε. xxv. non ιε, xv. quæ literæ potuerunt facile ab Amanuensibus permutari, quamquam ιε, legit etiam Photius in Bibl. Cod. 238. pag. 970. Et quidem Usserius & Pagius putant Ptolomæum, & Nicolaum Damascenum Josepho antiquiores, non ιε, xv. sed κε, xxv. scripsisse. Norisius vero mendum in Josephi textum irrepsisse invicte demonstrat, quoniam Herodes anno U. C. 687. jam vivebat, cum proximo anno una cum fratre Pherora, qui Herode erat major natu, datus sit ab Antipatro obses Aretæ regi Arabum. Herodes ergo anno U. 707. quando illi commissa est Galilæa, jam annum vigesimum excesserat: ideoque in textu Josephi xxv. non xv. legendum est. Atque mire cohærent omnia, si enim Herodes anno U. 707. expleverat annos tantum xxv. anno U. 751. inchoaverat annum vitæ suæ septuagesimum, quem non explevisse constat ex Josepho lib. 1. de Bello cap. 21. nunc 33. num. 1. Quod si petas, quomodo Herodes annos natus 25. dici potuerit *adolescens*, sive, ut habetur in Græco, νέος, *omnino juvenis*, respondent viri prælaudati, etiam Cæsarem a Sallustio in Catil. appellatum *adolescentem*, dum annos natus 27. superavit Q. Catulum in petitione Pontificatus: a Cicerone in Divinat. contra Verrem, M. Cecilium jam ad Prætoris dignitatem evectum: a Tacito lib. 1. An. anno U. 760. Cæsarem Germanicum, cum ageret 29. ætatis annum. Itaque adolescentia, atque νεότης, etiam adultis juvenibus convenit, imo iis potius, quam primum exeuntibus a pubertate, & quos accuratiores Scriptores non adolescentes dixerunt, sed egressos ex ephebis, aut hirquitallos. Tandem si in textu Josephi legendum contendas cum Christiano Noldio in vita Herodum pag. 342. xv. non xxv., dices cum eodem auctore, Herodem vixisse annos lx. non lxx. quod non rejicit Schelstretius pag. 16. Tom. 1. Antiq. Eccl. Verum scribente Josepho citato loco de Bello, necnon lib. xvii. Ant. cap. 8. nunc 6. num. 1. Herodem vixisse annos fere lxx. ejusque invaletudinem nimium fuisse gravatam *senectute pariter, ac mœrore*, non videtur hæc responsio alteri præferenda. Atque hæc de Epocha Herodiana.

CAPUT II.

In quo pertractatur de tempore Dominicæ Nativitatis.

ANNO Herodis emortuali firmato, inquirendum est de anno Nativitatis Dominicæ. Ut autem in re admodum dubia utamur certioribus Chronologiæ principiis, non disputabimus de anno Mundi, sed de annis Julianis, Augusteis, Urbis conditæ, Romanorumque Consulum; quoniam istorum fixa est Epocha Tom. 1. pag. 291. eorumque ignorantia *nonnullos coegit errare*, ut lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 28. recte Augustinus animadvertit. Et quidem quam variæ sint annorum supputationes a condito orbe ad Reparatoris adventum, legi potest in Elementis Hist. Vallemontii, apud Scifelsium in dissert. de quarta ætate mundi, atque in Tabulis Chronologicis Bibliorum nuper editorum Venetiis. At si fixis epochis insistamus, videntur nobis tantorum Auctorum opiniones, saltem quæ fulciuntur momento aliquo, ad septem nunc servato annorum ordine recensendas posse commode revocari. Est itaque sententia prima, quæ tenet natum Dominum anno U. C. 748. Consulibus Balbo & Vetere, sive anno Juliano 40. Cæs. Augusti 39. ac tertio Olym. 193. quam sententiam propugnant doctissimi viri, Antonius

Pagius in App. Pagius alter in Brev. Summ. Pontif. in præfixa Operi ferie Augustorum, Emanuel a Schelstrate Differt. 1. Antiq. Eccl. cap. 2. art. 4. Franciscus Blanchinus in Chronologia Consulari Tom. 2. Anastasii Biblioth. pag. 164. aliique recentiores. Secunda sententia refert Natalem Christi in annum proximum U. C. 749. Coss. Augusto XII. & Sulla, sive in labentem annum Julianum 41. Cæs. Augusti 40. & 4. Olympiadis 193. quam sententiam propugnant Decherius apud Petavium lib. XII. de Doctr. Temporum cap. 6. Chronicon Weingartense, Cornelius a Lapide in cap. 2. Lucæ, Norisius in Cenotaph. Pisanis differt. 2. Usserius, Cappellus, Tirinus, Basnagius, Natalis Alexander, Gravesonius, Antonius Vitrè, aliique complures. Locat sententia tertia Nativitatem Christi in anno U. C. 750. Coss. Calvisio Sabino II. & L. Passieno Rufo, sive in anno Juliano 42. Cæs. Augusti 41. & 1. Olymp. 194. & hanc sententiam defendit in Apparatu Chronologico Bern. Lamy, neque ab ea videntur abhorrere Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, & Severus Sulpitius, quamquam incertum est, unde hi supputent annos Augusti. Sententia quarta natum Christum tenet proximo U. anno 751. Coss. Lentulo ac Messalino, sive anno Juliano 43. Augusti 42. & 2. Olym. 194. atque ita sentiunt Baronius, Gerardus Vossius, Scaliger, Langius, Calvisius, Marianus Scotus, Salianus, Sigebertus, & Cornelius a Lapide in Pentat. quam tamen sententiam retractavit, ut diximus, in cap. 2. Lucæ. Quinta sententia est Fastorum Conditoris Panvinii contendentis Christum natum anno U. C. 752. Coss. Augusto XIII. & M. Plautino Silvano, idest, anno Juliano 44. Augusti 43. & Olymp. 194. anno 3. a qua sententia non videntur recedere ex Patribus Epiphanius, ex Historicis Eusebius, Nicephorus, & Sigonius, atque ex sacrarum literarum Interpretibus Pererius, & Maldonatus. Accedit sententia sexta referens Natalem Christi ad annum U. 753. Coss. Cornelio Lentulo, & L. Calpurnio Pisone, Julianum 45. Cæs. Augusti 44. postremum Olympiadis 194. Habet & hæc sententia assertores plurimos, eosque gravissimos, Joannem Lucidum, Dionysium Exiguum, Apollinarium Laodicenum, Burgensem, Tostatum, Genebrardum, Labbeum, quos nuper sequutus est noster Augustinus Ætini summopere Chronologicis studiis addictus. Postrema sententia est eorum, qui protrahunt Christi nativitatem ad annum U. 754. Coss. C. Jul. Cæsare Augusti F. & L. Æmilio Paullo, ad annum nempe Julianum 46. Augusti 45. & Olympiadis 195. annum primum. Traditur hæc sententia ab Auctore Fastorum, quos laudat Joannes Cuspinianus, ac plurimum desiderari ajebat Ægidius Bucherius, erutos autem ex vetusta membrana Bibliothecæ Cæsareæ vulgavit primum ad calcem Operis de Epochis Syromaced. Norisius noster, postea Schelstratius in Append. Tom. 1. Antiq. Eccles. ; & Collector Epitomes Romanarum Historiarum edit. Florentiæ an. 1723. Videtur in eamdem sententiam conspirare Cl. Bossuet in Epitome Univers. Hist. in Latinum conversæ ab Emmanuele de Partenay pag. 92. sed vir doctissimus loquitur de principio Æ. Vulgaris, & Natali Christi Dionysiano, quem a vero Natali distinguendum præmonuimus Tom. 1. pag. 290. & seq. ac paullo post demonstrabimus. Cum enim vir doctissimus affirmet Romam conditam anno M. 3250. & Christum natum desinente anno M. 4999. consequenter supponit veram Christi nativitatem consignandam anno U. C. 749. desinente, ut fert sententia, quam utpote probabiliorem amplectimur.

PROPOSITIO I. Christus natus est anno U. C. 749. P. Julianæ 4709. Olymp. 193. anno 4. Coss. Augusto XII. & Sulla, anno Juliano 41. Cæsaris Augusti 40. aut saltem præcedenti anno Romæ 748.

Demonstratur. Supposita Epocha Herodiana Christus natus est ante festum Azymorum an. U. C. 751. At primo non potest retrahi Christi Natalis ad annum U. 747. Christus enim natus est *toto orbe in pace composito*, ex communi & vetustissima PP. traditione. Atqui constat anno U. C. 747. Tiberium Neronem Cos. II. Kalendis Januariis post devictos Germanos triumphasse, ac paullo post coortis iterum in Germania motibus ad bellum fuisse profectum, Norisio differt. 2. Cenotaph. Pisan. cap. 10. id evidentissime commonstrante. Non ergo ad annum U. 747. retrahi potest annus Christi Natalis. II. Nec differri potest post annum 750. Enimvero Christus natus est *in diebus Herodis Regis*, atque, ut fert Ecclesiæ traditio inferius comprobanda, VIII. Kal. Januarias. Decessit autem Herodes ante Pascha anni U. C. 751. Eodem ergo anno, Decembri mense, & Herode e vivis sublato, Christus nasci non poterat. III. Multo minus consignari potest Christi Natalis an. U. C. 752. aut sequentibus; quoniam & Herodes obierat, & eo anno erupit bellum, contigit Caji Cæsaris expeditio in Orientem, atque exinde Parthicum bellum per tres annos perduravit: ideoque nec anno 752. nec tribus sequentibus natus est Rex pacificus, mundique Redemptor. Nec bellum tantum Parthicum, verum etiam Arabicum, & Armenicum erupit prædicto anno U. 752. *& circa exitum ejusdem anni*, inquit Norisius, *universus Romanus orbis armorum fragore resonabat*. III. Christus baptizatus est, cum esset annorum *quasi triginta*, ex Luca III. 23. idque retinendum *auctoritate Evangelica*, docet S. P. Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 28. Baptizatus est autem anno U. C. 779. ut cap. 5. demonstrabo. Si ergo retrocedas per annos XXX., vel trigesimus inchoatus tantum erit, & incides in annum U. C. 749. vel exactus, inccepto jam anno XXXI. & pervenies ad annum U. 748. At quæris, ex his duabus sententiis quænam est probabilior? Arbitror primam, eo quod verba Lucæ, *quasi annorum triginta*, videantur significare potius tricesimum annum inchoatum, quam exactum, suo loco discutiendum est: & quoniam anno U. 748. etsi nusquam gesta a Romanis bella commemorentur, Dio tamen apud Zonaram narrat quosdam Armeniæ tumultus, quos Cæs. Augustus constituto Armeniis rege Artavasde compescuit. Quia tamen sedari poterant hi tumultus ante hiemales brumas, nec parvi ponderis est argumentum petitum ex nummis Quintilii Vari paullo post producendum, fateor sententiam referentem Christi natalem ad annum U. C. 748. non posse aperte revinci, quamvis non sit, ut fidenter quidam pronuntiant, exploratissima, & alteri præferenda. IV. Vulgaris Æra Dionysiana incipit, ut mox ostendam, anno U. C. 754. Atqui constat ex vetustis Ægyptiacis monumentis apud Laurentium-Alexandrum Zacagnium Tom. 1. Collectan. Monum. Vet. Eccl. Græcæ & Latinæ, ac nostrum Gulielmum Bonjour Exercit. in Mon. Coptica Vaticana, vulgarem Æram solido quadriennio anteverti a Christi Nativitate: ibi enim Euthalius Episcopus Sulcensis scribit usque ad Consulatum Leonis Augusti, (qui consulatum iniit anno Ær. vulgaris 458. Indict. XII. & Epochæ Diocletiani 173.) exactos fuisse a Dominica Nativitate *annos quadringentos sexaginta duos*. Igitur solido quadriennio ante annum U. 754. idest, anno 749. labente natus est Christus. Obiter nota sententiam nostram, priusquam calculis recentiorum Chronologorum probaretur, fuisse olim apud Ægyptios exploratissimam, atque receptam.

PROPOSITIO II. Vulgaris Æra incipit anno U. C. 754. Coss. C. Cæs. Augusti F. & L. Æm. Paulo, anno nempe Juliano 46. Augusti 45. Olym. 195. anno primo, & P. Julianæ 4714. solido quadriennio post veram Christi Nativitatem.

Adversus Scaligerum, qui in Animadversionibus Eusebianis asseruit Æram Diocletianam, sive Martyrum Alexandrinorum initium ducere ab anno Christi 288. demonstrarunt apertissime viri clarissimi, Norisius in differt. de duobus Nummis Dioclet. & Licinii, Pagius ad annum Chr. 284. Petavius lib. XI. de Doctr. Temp. c. 29. Em. a Schelstrate differt. 2. Antiq. Eccl. cap. 8. revera initium imperii Diocletiani incidere in annum V. Æ. 284. & in Consulatum Carini Augusti II. & M. Aurelii Numeriani Aug. II. Atque id evincitur primo ex Cod. Justin. lib. 3. l. *Ut nemo*, quæ habet Rescriptum, *Dat. Id. Octob. Carino II. & Num. Coss.* Deinde confirmatur ex Consulatu anni proximi Æ. V. 285. quo idem Diocletianus una cum Aristobulo Consul prodiit, posteaquam XV. Kal. Octobris elapsi anni Chalcedone renuntiatus fuerat Imperator, ut liquet ex Chronico Alexandrino. Præterea idem probatur ex Epist. Ambrosii ad Episcopos Æmiliæ, in qua annum vulgarem 373. quo luna 14. incidit in diem nonum ante Kal. Aprilis, appellat S. Antistes *annum Diocletiani octogesimum nonum*; & annum 377. quo luna 14. incidit in V. Id. Aprilis vocat *annum Diocletianum nonagesimum tertium*. Detractis autem annis 89. ab anno Chr. 373. residui erunt anni 284. detractisque annis 93. ab anno Chr. 377. erunt pariter residui anni 284. ideoque hoc anno incipit Æra Diocletiani. Idem eruitur ex Inscriptione, quæ extat Romæ in atrio ædium Tiberii Cævuli, & apud Gruterum pag. 279. n. 3. in qua Diocletianus nominatur TRIB. POTEST. COS. II. At Diocletianus iniit Consulatum II. cum Aristobulo anno Vulg. Æræ 285. ut dictum est paullo supra. Igitur Tribunitiam potestatem consecutus fuerat anno præcedenti 284. Ita ratiocinatur Baronius ad hunc annum, & Petavius lib. XI. de Doctr. Temp. cap. 30. Denique Diocletianam æram initium ducere ab anno vulgari 284. eruitur ex Apographo Græco Fastorum edito a Du-Cange, & latine reddito a Schelstratio, ubi ad Consulatum Carini & Numeriani apponitur titulus, τὰ ἀπὸ Φιλίππου μέχρι Διοκλητιανοῦ τὸ Β, ἔτη χζ, *Anni a Philippo usque ad Diocletiani secundum*, 607. quod indicium est eodem anno incipere Epocham Martyrum. Hoc autem evidentissime demonstrato sequitur assertum nostrum manifesta illatione: quippe si anni 284. retro numerentur a Consulatu Carini & Numeriani, & ab U. C. 1073. pervenietur ad Consulatum Cæsaris & Pauli, idest, ad annum U. C. 754. & consequenter erit iste vulgaris Æræ annus primus.

Opp. 1. adversus primam propositionem. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 7. ait *testem fidelissimum Dominicæ Nativitatis* esse censum a Saturnino in Judæa actum, & inquit acta illius census *in Romanis Archivis custodiri*: quod repetit cap. 19. Descriptio itaque, quam Lucas cap. 2. ait factam *a Præside Syriæ Cyrino*, per Saturninum peracta est, unde Valesius in Notis ad H. Eccl.

Eccl. Eusebii lib. 1. cap. 5. demonstrare nititur pro Cyrini, aut Quirinii nomine, scriptum olim in Evangelio nomen *Saturnini*. Atqui Sentius Saturninus anno U. C. 748. Syriæ præfecturam absolvit; nec in superiorem annum retrahi potest Christi Natalis ob bella, quæ tunc grassabantur per Romanum orbem. Igitur anno U. C. 748. natus est Christus. Et quidem hoc anno Saturninum Syriæ absolvisse præfecturam, constat ex nummis Quintilii Vari apud Norisium de Epoch. Syromacedonum cap. 7. Pagium in Apparatu ad Annal. Harduinum in Antirrhetico, Schelstratium in App. Tom. 1. ex quibus liquet Varum jam ab anno U. 748. Syriam administrasse. unde Norisius, qui in Cenotaph. Pis. scripserat Saturninum præfuisse Syriæ anno U. 749. suos confessus est anachronismos, & Parergon Præsidum reformavit.

Resp. 1. A me quoque hanc opinionem existimari probabilem. Deinde, ut appareat hoc argumento non refutari sententiam alteram ætati Christi, & vetustis monumentis magis consentaneam; concedo Varum præfuisse Syriæ anno U. 748. & nego descriptionem totius orbis factam tempore Dominicæ Nativitatis vel actam fuisse a Quintilio Varo, vel indictam a Saturnino. De Varo quidem nullam aliam afferunt conjecturam, nisi quod erat tunc temporis præses Syriæ. Sed quid Syriæ præsidi cum regno Judææ, vivente rege, licet Augusti beneficentia ad solium evecto, nondum tamen vectigali, quemadmodum factum est demortuo Herode, & denegato filiis regio titulo? Peractum ergo censum illum universalem ab administrante Syriam Præside eadem facilitate rejicitur, qua asseritur. Ac dato etiam actum censum illum a Syriæ præside, nullibi legimus peractum a Varo, & etiam dato hoc, Varus anno U. C. 749. non discesserat a Palæstina. Indictum vero censum a Saturnino, principio, missa auctoritate Tertulliani, absque ulla temeritate negare possum. Cyrinum apud Lucam lego, Cyrinum apud Ignatium disputantem cum Tryphone, Cyrinum apud ceteros Patres universos. Est ne magis æquum, ut Evangelio credamus, ac Traditioni universæ, an uni Tertulliano? Deinde nego Tertullianum agere de censu acto tempore Dominicæ Nativitatis, ubi meminit Saturnini. In cap. 7. adversus Marcionem, in quo de Dominica Nativitate verba facit, censum quidem commemorat, Saturninum vero nequaquam. Cap. autem 19. ait utique, *Sed & census constat actos sub Augusto, nunc in Judæa per Sentium Saturninum*. At istic non loquitur Tertullianus de censu acto tempore Dominicæ Nativitatis, sed de aliis, quos ille opinatur actos a Saturnino, cum in Syriæ administratione successit Pisoni, anno Æ. V. 19. sive U. C. 772. jam Christo adulto: atque ita Tertullianus, & Lucæ Evangelium mire concordant, & perperam istud emendandum contendunt Valesius, Cappellus, & alii, qui pro Cyrino legendum putant Saturninum; necnon Huetius, qui substituendum censet Quintilium, nullius vel antiqui Scriptoris, vel Ms. auctoritate. Profecto Tertullianum citato cap. 19. loqui de censu acto per Saturninum adulto Christo, demonstrat particula *Nunc*, idest, dum illum Mater fratresque requirebant, ut liquet ex textu: ex vetere scriptura ad marginem Rhenani, quæ talis est, *Nunc, idest, cum Christus illa diceret nuntiantibus adesse matrem, & fratres*; & ex notis in hunc Tertulliani locum Nic. Rigaltii pag. 100. Mirum hæc non observasse aut Pagium, aut Schelstratium, qui unice ob Tertulliani testimonium sententiam nostram repudiarunt. Sane C. Sentium Saturninum præfuisse Syriæ anno U. 772. & Æ. Vulg. 19. probat ex Tacito idem Schelstratius Tom. 1. Antiq. Eccl. pag. 123. & Pagius Tom. 1. pag. 16. num. 3. Nego itaque descriptionem universi orbis factam tempore Nativitatis Dominicæ per Saturninum, & nego id asserere Tertullianum: quem census alios ab eo, quem egit Cyrenius, innuere eodem lib. IV. contra Marcionem cap. 36. illum vero neque cap. 7. ejusdem libri, neque adversus Judæos pag. 219. adscribere Saturnino, ex ipso Tertulliano facile deprehendet lector.

Opp. 2. Natus est Christus dum describeretur universus orbis, & hæc descriptio facta est a Cyrino Syriam administrante. Augustus, ut inquit Suetonius in Octavio, *censum populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus*. Quo tempore acti fuerint singuli, constat ex lapide Ancyrano, quem attulit e Byzantina Legatione Busbequius, apud Andream Schottum in Scholiis ad Epitomen Aurelii Victoris, & apud Janum Gruterum lib. 1. Inscript. pag. 230. num. 2. Peractus est prior census Augusto & Agrippa Coss. anno 726. & cum Lap. Ancyrano concordat Dio lib. 53. Alterum censum peractum constat anno U. 746. si cum Justo Lipsio legatur in fragmento lapidis, *Censorino, & Asinio Gallo Coss.* Tertius peractus est Coss. duobus Sextis, paullo ante Augusti obitum, anno U. 767. Horum censuum nullus incidit in annum U. C. 749. Cyrinus vero, aut Quirinius in Judæam redactam in provinciam venit post Archelai relegationem anno U. C. 760. ut dictum est cap. præcedenti, aut juxta Dionem anno 759.

Resp. 1. Non probari, quin descriptio facta tempore Dominici Natalis fuerit media, quam Augustus egit solus: nam anno U. 746. nullum censum commemorat Dio Consulum nomina abrasa sunt; ac necessum non est, ut asseramus actum censum ubique terrarum eodem anno. Deinde respondeo præter census actos ob exigenda tributa, factam ab Augusto descriptionem omnium capitum, ut ederet totius Imperii Breviarium: quod scriptum reliquisse legimus apud Dionem lib. 56. Suetonium in Octavio cap. 102. Suidam in voce, Ἀπογραφή. Hujus Breviarii conficiendi caussa in omnes provincias selectos viros dimissos, ibidem Dio & Suidas testantur. De hac universali descriptione loquitur S. Lucas, dum ait: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Missus ad hanc rem, non ut Syriæ præses, sed extraordinaria legatione Quirinius, nam in Judæa nondum exigebantur tributa, Herode magno superstite; nec opus erat ad censenda Judæorum capita Syriæ Præsidibus. Eorum itaque verborum, *Hæc descriptio prima facta a præside Syriæ Cyrino*, sensus magis planus hic est: Hæc descriptio est prima facta a Quirinio, qui ad hunc conficiendum censum prius venit, quam rediret relegato Archelao redacturus illius pecunias in fiscum, Præses tunc Syriæ ordinarius. Cur enim dicitur descriptio illa πρώτη, *prima*, nisi respectu alterius ab eodem Quirinio peractæ? Quod si velis, Quirinium faciendæ descriptioni præpositum, & fortassis anno U. C. 749. in Judæa, quæ ditio populi Romani amica erat, post devictos Homonadenses commorantem dici Syriæ præsidem, quatenus imperium aliquod obtinebat, non prout fungebatur munere Proprætoris, neque id absurdum erit, cum vox ἡγεμών, qua utitur Evangelista, omnem rectorem, ducemque significet, penes quem est arbitrium. Denique si contendas geminam Quirinii delegationem esse commentitiam, potes respondere, positivum πρώτη habere vim comparativi προτέρα respectu genitivi ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ut sensus sit: Hæc descriptio est prior ea, quæ postea fuit instituta administrante Syriam Cyrenio. Responsio prima est apud Interpretes vulgaris, plana, ceterisque præfertur a Petavio lib. XII. de Doctrina Temp. cap. 8. Frassenio in disquisit. Bibl. pag. 396. aliisque permultis. Alteram, quæ cum prima conciliari potest, probat Pagius in Apparatu num. 129. & Norisius dissert. 2. Cenot. Pisan. Tom. 3. pag. 509. Usserius ad annum M. 4000. pag. 531. Adhærent tertiæ Georgius Hervvartus Chron. cap. 241. Henschenius in App. ad Chronologiam Pontif. Exercit. 2. Samuel Basnagius ad an. U. C. 749. pag. 109. Verum quocunque anno locaveris Natalem Christi, hoc tibi argumentum solvendum erit, cum Quirinius ordinarius Syriæ præses fuerit anno 37. Actiaco, U. C. 760. & Æ. V. 7. ut diximus capite præcedenti.

Opp. 3. Christum natum anno ab U. condita 752. & anno Imp. Octaviani Augusti 42. tenet Ecclesia in Martyrologio Romano: assentitur Cassiodorus, vir Consularis, omniumque scientiarum splendore clarissimus in Chronico ad Regem Theodoricum, Eus. in Chronico, Epiph. in Panario lib. 1. H. 20. aliique profitentes Christum natum anno Octaviani 42. Ad quam sententiam accedunt omnes qui natum Dominum censent anno ejusdem Octaviani 41. quoniam hi non a nece Julii Cæsaris, sed a Triumviratu constituto Augusti annos enumerant.

Resp. Ecclesiam in Martyrologio Romano adhibere Æram Dionysianam, & Vulgarem, licet hæc minime sit exacta, ut vidimus supra, idque prudentissime, ne ob tricas & dissensiones Chronologicas, Æram semel receptam exantiquando quisque in annorum computatione propriam opinionem sequatur: quod inde liquet, quia ibidem in Martyrologio sequitur Ecclesia supputationem Bibliorum Græcorum, asserens Christum natum anno a creatione mundi 5199. ob reverentiam antiquorum Patrum, qui LXX. Interpretum secuti sunt chronotaxim; cum tamen præferat in Vulgata hebraicam supputationem. Usus autem Vulg. Æ. in Ecclesia perantiquus non est, sed illam suadente Blondo adhibuit primum in publicis tabulis Eugenius IV. cum olim in Ecclesia usus obtinuerit annos numerandi per Græcorum Olympiades, per Fastos Consulares, & per Æram Alexandrinam. Ac Baronius editor novi Martyrologii, (in vetusto enim Martyrologio Ecclesiæ Occidentalis, a Cassiodoro, Beda, aliisque appellatum Hieronymi, & ex probatæ fidei codicibus an. 1668. edito a Florentinio, illa annorum partitio non legitur, sed tantum, VIII. *Kal. Nativitas Domini, & passio Anastasiæ Virginis*:) ideo vulgarem Æram deduxit ab anno U. 752. quoniam imperante Gallieno expunxit Consulatus duos ordinarios, idest, anno Christi 259. Æmilianum & Bassum, & seq. anno 260. Cornelium Secularem, & Julium Donatum, neque in viam rediit rectæ Chronologiæ, nisi anno V. Æ. 280. Similiter Conditor Fastorum Panvinius eamdem Æram adsumens in usum, ac statuens Christi nativitatem Anno Juliano 44. & Augusti 43. in aptandis fastis primorum sæculorum historias integro semper anno aberravit, donec anno Christi 217. prætermisso Consulatu Probi & Paulini, quem existimavit suffectum, in rectam sese reduxit. Neque nos imperiti de viris maximis Baronio, & Panvinio hæc dicimus; sed qui Fastos & Annales emendarunt, Norisius ac Pagius: ef-

fossi

fossi autem lapides, ac nummi, quos illi cernere non potuerunt, excusant ipsorum errorem; horum vero perspicacitatem commendant. Istorum beneficio Consulares Fastos, Herodianam Epocham non vidimus modo, sed contrectavimus: nec possumus iis assentiri, qui diversis supputationibus, & discrepantibus sententiis Veterum conantur nobis ostendere natum Dominum eo anno, quo Herodem regem invenire non possumus inter vivos. Supputantur utique anni Augusti e nece Julii Cæsaris, sive ab anno U. 710. a constituto Triumviratu, idest, ab anno insequenti 711. necnon ab Actiaca pugna, & ab anno U. 723. sed nequeunt calculi arithmetici dies Herodianos producere, vel certare.

Opp. ultimo. In vetustis Consulum Fastis supra commemoratis ad annum U. C. 754. scriptum est: *Hoc Cons. Christus natus est* VIII. *Kal. Jan. lun.* XV. Igitur vulgaris Æra incipit ab anno Natali Reparatoris. Respondeo in iisdem Fastis hæc verba præter fidem Codicis addita esse ad commonstrandum initium Æræ Dionysianæ; nam anno 782. ibidem signatur Passio Christi, nec potest circumscribi universa Salvatoris nostri ætas annis duntaxat XXVIII. quot sunt ab anno 754. ad 782. Eodem anno 754. die 25. Decembris luna signari debebat XVII. cum ibi proximis Kalendis Januariis signetur luna XXIV. & nihilominus signata est luna XV. quæ duo sunt manifesta factæ additionis argumenta. Compertum denique est Fastos ipsos non esse tantæ, ut olim credebatur, antiquitatis, sed Conradus Janningus in Epistola ad Schelstratium ait vix attingere ætatem 500. annorum, Schelstratius putat nec superare ætatem annorum 300. Vide Append. ad Opus Chronologicum pag. 541.

C A P U T III.

In quo demonstratur natum Christum VIII. *Kalendas Januarias.*

NON solum de anno, verum etiam de mense ac die Dominicæ Nativitatis litem nobis intentant quamplures. Nonnulli apud Clem. Alex. lib. 1. Stromatum pag. 340. edit. Morelli natum Dominum autumarunt die 25. Pachon, idest, 20. Maji juxta Christmannum, & Sylburgium, juxta Basnagium 25. Quin etiam eo loci quidam dixerunt natum Christum die 24. vel 25. Pharmuthi, Aprilis 19. aut 20. Epiphanius hæresi 51. num. 24. & 29. scribit Christum natum VIII. Idus Januarias, qui est apud Rom. Januarii dies 6. Ægyptiis autem Tybi 11. Syris, Græcisque Andynæi 6. Et quidem in Ecclesia Orientali celebratam olim ex antiqua traditione Epiphaniam simul, ac Domini Nativitatem affirmat etiam Cassianus Collat. X. cap. 2. Hinc Novatores plurimi asserunt nihil certum haberi, & falsam esse Ecclesiæ Romanæ vulgarem opinionem, ut Gerardus Vossius Tom. 6. p. 81. Samuel Basnagius ad an. ante Christum 5. num. 34. Clericus in dissert. 1. Harm. Evangelicæ subjecta. At Casaubonus Exercit. 2. in Baronium standum putat sententiæ Epiphanii, & Domini Nativitatem ac Theophaniam, diemque, ut Græci appellant, sanctorum Luminum esse unam eamdemque. Joseph Scaliger natum Christum contendit exeunte Septembri, vel Octobri ineunte, quæ fuit etiam sententia Matthæi Beroaldi, Hospiniani, & Henrici Wolfii gravi censura notata in Martyrologio Hispano Tom. 11. pag. 386. & a Gretsero lib. 1. de Festis cap. 29. pag. edit. Ingolstadii 216. & tamen hanc recudit Harduinus in Antirrhetico cuso Parisiis anno 1689. pag. 65. Recentiores Critici quamvis natum Christum VIII. Kal. Januarias aut certum, aut saltem probabile fateantur; negant tamen id sequi ex Dominica Incarnatione peracta, ut fertur, die 25. Martii: quod postremum vellicant Thomassinus lib. 2. de Festis, Tillemontius Annot. 1. in Jesum Christum, Serrius Exercit. 31. num. 3. & in Vit. SS. 25. Martii art. 7. Bailletus. Nos a Romanæ Ecclesiæ traditione nullatenus recedentes sententiam nostram sequenti propositione explicamus.

PROPOSITIO. Christus natus est VIII. Kalendas Januarias.

Hæc enim sententia semper in Romana Ecclesia obtinuit, nec quando recepta sit demonstrare poterunt adversarii. Auctor Constitut. Apostol. lib. 5. cap. 13. pag. 312. inquit: *Dies festos custodite, fratres, in primis Natalem, qui celebratur a vobis die 25. x. mensis: post quem Epiphania dies sit in maximo honore.* Vetustissimum Ms. Regium laudatum ibidem a Cotelerio habet: *Sciri debet, quod Annuntiatio facta est die Martii 25. Nativ. vero die 25. Decembris.* Laudat ibidem Cotelerius Ms. Regium alterum num. 1819. Idem tradit Chronicum Alexandrinum. Idem Kalendarium pervetustum editum a Bucherio. Idem omnia Martyrologia Occidentalis Ecclesiæ, cum reformato a Baronio. II. Hujus veritatis fulcimentum est maximum Traditio Patrum, cujus testem locupletissimum laudamus Hieronymum, qui initio Commentar. in Ezech. diem Epiphaniorum a Natali aperte distinguit, hac producta ex *Epiphania* etymo ratione, *Tunc enim absconditus est, non apparuit*: quo in loco Hieronymum contrarium esse præceptori suo Nazianzeno, immerito queritur, ut mox videbimus, Isaacius Casaubonus. S. P. Augustinus idem docet in Psalm. 132. lib. IV. contra Cresconium cap. 37. & lib. IV. de Trinit. cap. IV. nec ex vulgi opinione, sed *ex traditione majorum*. Ut nonnullos ex Græcis proferam, missa Epistola Joannis Nicæni edita a Combefisio, quam spuriam arbitrantur permulti, ac missis testimoniis aliorum, de quibus plura Suaresius q. 31. de vita Christi, & Natalis Alex. dissert. 2. sæc. 1. S. Joannes Chrysostomus homilia in Natalem Domini, quam laudat etiam Vossius Tom. VI. pag. 78. ait, sententiam nostram *Occidentem incolentibus jam a superioribus temporibus notam*: addit, *ab illis, qui exacte hæc norunt, hunc diem se accepisse*: concludit veritatis signum esse apertissimum, quod repente hæc sententia increverit, & ab omnibus recepta fuerit. Vide Tom. V. edit. Com. pag. 446. Produci etiam potest altera Chrysostomi Homilia de Nativitate Domini, in qua ait traditionem de die Servatoris nostri Natali in Romana Ecclesia fuisse servatam, atque in Occidente doceri nos e Petro, non in Oriente, ubi ortæ sunt hæreses, & discordiæ: quæ Homilia extat Tom. 2. edit. Basileensis pag. 1090. ac Lugdun. 522. Quamquam enim apparet spuria, neque Chrysostomi habet salivam, & a Sixto Senensi lib. IV. Bibl. S. aliisque rejicitur; accurate notandum est, e Tito Bostrensi fuisse collectam ex Commentariis Chrysostomi in Lucam, qui licet magno litterariæ Reipublicæ detrimento perierint, e Chrysostomo tamen editos affirmant Suidas, & Euthymius. Asservari enim Florentiæ in S. Marci Bibliotheca perantiquum Ms. collectum ex Commentariis Chrysostomi in Lucam, Titi Bostrorum Episcopi inscriptum nomine, in quo hæc eadem oratio est secunda numero, scripsit olim ad Joannem Casam Christophorus Sarrarigus. Atque iis defendi possunt, qui hujus homiliæ ducuntur auctoritate. III. Annunciatio quoque Deiparæ Virginis die 25. Martii recte colitur, atque ita *traditum a Majoribus*, scribit citato libro IV. de Trinit. cap. 5. S. P. Augustinus. Auctor Chronici Alexandrini & die 25. Martii Dominum conceptum asserit, & enumeratis diebus ab apparitione facta Zachariæ mense Septembri explicat, quomodo in Virginis Annunciatione Elisabeth sextum mensem ageret a Præcursoris concepto, Tom. XII. Bibl. PP. pag. 924. Idem demonstrat Chrysostomus præcitata homilia in Servatoris nostri Natalem; comprobatque Præcursoris Nativitas, quæ contigit, *sicut tradit Ecclesia*, VIII. *Kal. Julias*, ut inquit Augustinus in Psalmum 132. Conceptum Dominum die 25. Martii tradit Tom. IX. Bibliothecæ Patrum pag. 939. Anastasius Antiochenus, & Auctor Chronici Paschalis apud Honoratum in Animadv. Criticis Tom. 1. pag. 267. Accedunt vetera Martyrologia, antiquissimum Anglo-Britanicum ante annos mille exaratum, de quo Henschenius Tom. III. Martii, attributum Hieronymo apud Salianum ad annum Christi 34. antiquum Corbejense, & Ms. Reginæ Sueciæ nongentorum fere annorum apud Florentinium pag. 396. Si autem VIII. Kal. Aprilis conceptus est Christus, quare in dubium revocatur traditio de die Natali, cum omnes fere infantuli diebus 276. quot numerantur ab illa die usque ad 25. Decembris, idest, novem mensibus materno in utero claudantur? IV. Denique non desunt congruentiæ, cur debuerit in Decembri Salvator nasci: quandoquidem tempus, quo frigus riget, & crescere incipiunt dies, commonstrat mundi Reparatorem pro nobis vitæ hujus incommoda suscepisse, atque ortum justitiæ Solem, ut nos de tenebris revocaret ad lucem, præbuisse nobis exemplum ferendi æquo animo ingruentes calamitates, dum ipse, cujus in arbitrio erat quodcunque vellet eligere tempus, natalem suum asperrimo molestissimoque alligavit; nascendo tandem in fine anni extremam mundi ætatem adventu suo consecratam in mentem hominum revocasse. Verum de his Augustinus citata enarrat. in Psalm. 132. num. 11. Bernardus serm. 3. de Nat. Dom. Guilelmus etiam Durandus lib. VI. Enchiridii divinorum Officiorum cap. 13. num. 2.

Oppones 1. Nequit ex traditione certo colligi dies Christi natalis, cum apud Clementem Alexandrinum diversæ de hac re notentur sententiæ, & Græci, ut liquet ex Epiphanio, & Cassiano supra laudatis, Domini Nativitatem cum Epiphania simul celebraverint.

Resp. 1. Traditionem, si apud Orientales aliquandiu fuit incomperta, viguisse perpetuam atque incorruptam in Ecclesia Romana aliarum omnium Magistra: unde Chrysostomus citata homilia in Servatoris nostri Natalem interprete Petro Pantino, ait: *Quare non erraverit, qui eumdem diem novum simul & antiquum nuncupet: novum quidem, quod nunc demum exacta ejus notitia ad nos provenerit: antiquum vero & vetustum, quod celeriter vetustioribus ætate velut suppar redditus sit, & ad eumdem cum ipsis temporibus commensum evaserit. Ut enim generosæ & nobiles stirpes (etenim simul terra inseruntur, etiam celeriter in altitudinem magnam succrescunt, fructibusque onerantur) non aliter hic dies, cum ab exordio iis qui in Occidente habitant cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus, repente ita increvit, talemque fructum tulit, qualem nunc cernere li-*

cet

cet septis nostris ubique refertis, temploque universo præ multitudine concurrentium angustato. Deinda respondeo Orientales utique priscis sæculis simul Natalem Christi, & Theophaniam celebrasse, ut liquet ex Menologio per Sirletum edito, & ex dissert. de Dominicis Græcorum Leonis Allatii, num. 32. Græcorum tamen complures nativitatem ab Epiphania, Epiphaniam a Theophania, sive diem qua Christus apparuit in carne nascendo, ab illa, qua manifestatus est gentibus, distinxisse. Theodorus enim Studita 37. catechasim sic incipit: *Αἱ ἑορταὶ ἤδη παρῆλθον, τά τε Θεοφάνια, καὶ Ἐπιφάνια: Jam feriæ transiere, cum Theophania, tum Epiphania*: Gregorii Nazianzeni Orat. 39. titulum præfert de secundis Epiphaniis appositus, ut inquit Cotelerius ad lib. 5. Constit. Apost., a Rufino. *Duas Epiphanias*, unam qua Christus apparuit Pastoribus, alteram qua revelatus est gentibus, distinguit etiam Isidorus lib. vi. Origin. cap. 18. & Auctor sermonis olim 18. inter Ambrosianos, nunc 137. in Appendice Augustinianorum. Potest ergo Latinorum, Græcorumque traditio facile conciliari, dicendo Orientales duas Apparitiones simul celebravisse: unde plurali numero hujus celebritatis diem nuncuparunt *Epiphaniorum*, *Theophaniorum*, *Sanctorum luminum*. Ita Nazianzeno secundas Epiphanias agnoscenti non adversatur Hieronymus, ut conqueritur Casaubonus. Da Clementa Aleaandrino plura non dicam, cum duas sententias a nostra diversas repudiet, affirmetque primam a curiosis quibusdam confictam, a Basilidianis postremam.

Opp. 2. Non ex Veterum traditione, sed duplici alia ex causa alligavit Romana Ecclesia Natalem Domini viii. Kal. Januarias: quarum causarum una est, quod Ethnici celebrabant eadem die ortum Solis; in Kalendario enim Romano de Mithra, idest, Sole extabat, viii. *Kal. Jan. N. Inv.* hoc est, *Natalis Invicti*. Invictum vero esse Solem recte notavit Grævius, & ea Nummis Gallieni demonstravit Harduinus. Igitur congruum visum est eodem die Christi, qui est Sol justitiæ, recolere natalitia. Causam alteram præbuit falsa opinio, quod Zacharias fuerit summus Sacerdos: unde quidam inferunt mense Septembri, in festu Tabernaculorum, ingresso Pontifici in Sancta, quo semel tantum in anno fas erat ingredi, Gabrielem Archangelum prænuntiasse nativitatem Joannis Baptistæ, & seato post mense, ut legimus Lucæ ii. 36., nempe Martio, factam Virginis Annunciationem, ac novem revoluris mensibus natum Christum in Decembri. Id autem & valde dubiam habet supputationem, & falsum supponit; quia reveta Zacharias non fuit summus Sacerdos, sed ex una ex 24. familiis, quæ non uno tantum die in Sancto Sanctorum, sed per unam hebdomadam, juxta familiarum vicissitudinem & sortitionem, extra velum, ubi erat ara suffitus, administrabant liturgiam: quod innuit ibidem Evangelista versu 8. illis verbis, *cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ.*

Resp. ineptam esse primam ea hisce duabus causis: nunquam enim Ecclesia Christi celebritatum suarum normam accepit ab Ethnicis, imo ea adverso dæmon superstitionis auctor cultus ritusque instituit in veræ religionis contemptum; & hæc cæremonias suas ad idololatriam eliminandam: quare ex ea ratione potius inferendum est, Orientales olim non celebrasse Domini natalitia proprio dia, ut se opponerent Ethnicis celebrantibus ortum Mithræ, quam Occidentales ex hujus cultu in diem impropriam transtulisse solemnia salutiferæ Nativitatis. Causam alteram nos quidem non produximus: nequit enim labefactari antiqua traditio per hoc, quod in ea comprobanda quidam scripserint aliquid falsi; quoniam traditio antiquitate sua, & Ecclesiæ auctoritate roboratur, non ratiocinantium additamentis. Sive ergo Zacharias summus Sacerdos fuerit, sive non fuerit; potuit Joannes nasci die xxiv. Junii, potuit Christus concipi dia xxv. Martii: atque ita factum esse accepimus a Majoribus. Age tamen, nonnulla etiam de hac re disseramus. Zachariam simplicem fuisse Sacerdotem non solum tradunt Hetherodoxi, verum & Nostratium plurimi, Lyranus, Salmeron, Jansenius, Barradas, Sylveira, Didacus Stella, aliique Interpretes in Lucam. Adde Sigonium da Republica Hebr. lib. v. cap. 3. & Card. Gotti Tom. iv. de Verit. R. Ch. cap. 7. Sed Zachariam fuisse Pontificem affirmat Joannes Chrysostomus citata Homilia in Servatoris nostri Natalem pag. 473. Auctor Chronici Alexandrini a Radero latine reddito Tom. xii. Bibliothecæ Patrum pag. 924. Anastasius Sinaita Tom. ix. pag. 939. Theophylactus in Lucam pag. 300. Ambrosius (quamquam is utitur verbo, *videtur*) lib. i. in Lucam num. 22. Augustinus Tract. 44. in Joannem 2. parte Tom. iii. pag. 629. Venerabilis Beda Tom. v. pag. 219. Nec repugnat Hieronymus, qui Epistola 4. ad Rusticum in edit. Martian. 95. appellat Joannem Baptistam *filium Pontificis*. Arbitror non posse pro sententia opposita talem Patrum numerum laudari, imo pro se nullum citati Interpretes proferunt; quare majori ducuntur auctoritate Hofmeisterus, Paulus Burgensis, & Cajetanus, qui Zachariam connumerant inter Pontifices. Videtur id magis conforme etiam Evangelio Lucæ, ubi versu x. legitur; *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi*; siquidem Levitici xvi. 17. præcipitur, ut *nullus hominum sit in Tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur*: ibique notatur in margine prædictus versus 10. Lucæ. Versu etiam proximo legitur, *Apparuit autem illi Angelus Domini stans a dextris altaris incensi*: nimirum, quod Pontifea semel in anno deprecaretur super cornua Altaris, ut legitur Exodi xxx. 10. Addit Evangelista versu 21. *Et mirabantur quod tardaret ipse in templo;* quæ aut significant Zachariam plebe eapectante latitasse intra velum, aut saltem solum, & nullo Sacerdote comitante ingressum in Sancta: alioqui rei novitas ceteris innotuisset. Prætarea probabilitate non caret intra velum fuisse situm altare thymiamatis: quod non solus Augustinus affirmat, ut inquit Lyranus, verum etiam Chrysostomus citato loco scribens, *Altare sacrificiorum & holocaustorum foris erat, intus vero incensi*: imo Apostolus ad Hebr. ix. 4. ait *thuribulum* fuisse *post velamentum secundum*: quod multum torsit interpretes, & perdifficile fatentur Salmeron disput. 32. Tom. 2. Joan. de la Haje in 30. caput Exodi. At, sive θυμιατήριον sit mensa, sive batillum cum prunis; cur intra velum collocabatur, nisi ob adolendum incensum? Probabilis est ergo sententia Patrum, quam temere nonnulli vellicant, de Zachariæ summo Pontificatu. Nam quod ajunt habitasse in montanis, non Jerosolymæ, ubi morabatur Pontifex, & dici Sacerdotem *de vice Abia*, solutum est ab Augustino præcit. Tract. 49. num. 27. ubi ait olim quidem unum fuisse summum Sacerdotem, cui mortuo succederet alius, sed postea constitutum, ut plures essent, & singulis vicibus ministrarent: idemque affirmat Beda superius laudatus, & serm. 92. Chrysologus. Ex Evangelica quoqua Historia Luc. iii. 2. liquet fuissa eodem tempore Sacerdotum principes Annam & Caipham; & ea verbis Joannis xviii. 13. *Qui erat Pontifex anni illius*, infertur Pontifices singulis annis fuisse forte ac vicissitudine permutatos. Hæc tamen omnia dicta sint in defensionem sententiæ Augustini, aliorumque Patrum; quamvis in opposita adhuc persistat vetus traditio de tempore Dominicæ Nativitatis.

Opp. 3. Ea nocte, qua est natus Salvator mundi, *Pastores erant vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum*, Lucæ ii. 8. At incredibile est summa hieme armenta, ac pastores sub dio pernoctasse. Resp. Wolfii, & Beroaldi argumentum, etsi probatum Scaligero, & ab Harduino recoctum, sicut & affine aliud, quod census non fuisset indictus a Cæsare cum tanto populorum incommodo, dici a Gretsero vanitatem, & ratiunculam, necnon parum solidum etiam a Casaubono Exercit. ii. sect. 7. & a Vossio num. 13. quia etiam in Anglia, ubi nullus est a lupis, & aliis noxis animalibus metus, armanta toto anno in agris pernoctant, idque Vossius, cum sæpius per Angliam iter faceret, a se compertum testatur: ac verisimilius est, si loquamur de Palæstino agro, non adeo glacie, nivibusque obsito; & si ulterius animadvertamus pastores mapalia construere, ingredi palaaria, succendere arbusta, ac se vestire cæsi pecudis pellibus. Rejicimus tamen sententiam eorum, qui Lucæ textum eaponunt de diurnis excubiis, eo quod ἀγραυλεῖν potius sit sub *dio agere*, quam *excubare*: atenim quod sequitur, φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτός, *Custodientes vigilias noctis*, nocturnas excubias satis exprimit.

Opp. 4. Etiamsi detur conceptum Dominum die 25. Martii, non sequitur natum 25. Decembris, cum aliquando infantes ultra novem menses gestentur materno in utero, aliquando in lucem breviori tempore proferantur. Resp. 1. Nos attendere ad Ecclesiæ traditionem. Deinde dicimus cum Augustino lib. iv. de Civit. Dei cap. 5. parientibus feminis imputari decem menses, idest, novem menses & sex dies, & licet non omnes ad seatum diem post nonum mensem perveniant, corpus tamen Domini diebus 276. fuisse perfectum, quia tot computantur ab viii. Kalendas Aprilis ad viii. Kal. Januarias. Addimus si citius, aut tardius emittatur fœtus, vel causam esse hujus imperfectionem, vel matris invaletudinem. Denique de Elisabeth legimus Lucæ i. 57. *Impletum est tempus pariendi*, & de Maria Virgine Lucæ ii. 6. *Impleti sunt dies, ut pareret*: quæ verba nullibi in universa Scriptura leguntur, nisi de partu Joannis, & Christi, ut percipiamus servatum in his ordinarium tempus maturandi partum, quamvis unus fuerit de sterili, alter da puella conceptus.

Opp. ult. Ammianus Marcellinus de Cæsare Juliano Apostata inquit: *Feriarum die, quem celebrantes mense Januario Epiphaniam dictitant, progressus in eorum Ecclesiam, solemniter Numine adorato discessit*: quod referens Tom. iii. Annal. Zonaras ait, *ipse Natali Domini Ecclesiam ingressus, adorata Numina discessit*. Dies argo Epiphaniæ, & Natalis est idem prorsus. Resp. nego conseq. nam Julianus tunc versabatur in Galliis, inquit Coteletius, ubi more Occidentali dies Nativitatis & Epiphaniæ separate observabantur. Ad hæc nonne potuit utraque die Julianus adire templorum limina? Tandem Zonaras appellare potest *diem Epiphaniorum* diem Natalem, quod Græci olim duas simul Apparitiones recolerent, ut dictum est supra.

pra. Nota Casaubonum ipsum refellendo sententiam Scaligeri de Christo nato exeunte Septembri hæc verba veritate cogente protulisse, *Vetusta traditio Ecclesia non temere nobis rejicienda*. Dignum, quo dissertatio nostra absolvatur, proloquium.

CAPUT IV.

Vindicantur nonnulla, quæ in vita Christi ante baptismum acta perstringunt morosi Critici.

ITAQUE VIII. Kal. Januarias anno Cæs. Augusti xl. cum Joseph a Nazareth, sed familie Bethlehemensis, & Maria desponsata illi uxor Bethlehemum se contulissent, causa census a Cæsare indicti, ut capita omnia provinciarum, regnorumque amicorum describerentur; impletis diebus ut pareret Virgo habens in utero de Spiritu sancto conceptum Desiderium gentium, ac mundi Reparatorem; enixa hunc est, & reclinavit in præsepio, cum nullus esset ei locus in diversorio referto hospitum multitudine. Paullo post advenerunt Jerosolymam Magi quærentes Regem Judæorum nuper natum, cujus stellam inusitato lumine radiantem in Oriente a se conspectam dixerunt; reique novitate Herode rege, & Jerosolymorum civibus perturbatis, cum assererent Scribæ Christum nasciturum in Bethlehem Judæ oppido, juxta Michææ vaticinium, illuc dimissi Magi profecti sunt, & adorato Puero, auri, thuris, & myrrhæ munera illi obtulere. Nec ad Herodem reversi sunt; sed diversum arripientes iter, illuso rege ipsorum reditum expectante, patrios lares adierunt. Tunc Herodes infantes omnes bimulos, minorisque ætatis in finibus Bethlehemiticis immanissime trucidavit; at interim Christo circumciso, ceterisque peractis secundum consuetudinem legis, Joseph, cum Maria ac puerulo, ab Angelo monitus in Ægyptum confugit; ibique permansit usque ad Herodis obitum: quo vita functo, Angelo pariter commonente, Joseph cum Virgine, divinoque Pignore in patriam reversus habitavit in Nazareth, quæ est civitas Galilææ distans a monte Thabor duabus leucis, & ab urbe Jerosolyme trium dierum itinere. Ab illa autem civitate, Domini primum conceptione, Lucæ I. 26. deinde vero incolatu, Matth. II. 23. celeberrima, & eo grandiori, quo Judæi dictitabant e Galilæa nullum prophetam, atque e Nazareth nihil esse boni oriturum, Joan. I. 46. & VII. 52. ab illa, inquam, civitate Jesus Christus appellatus est Nazaræus.

I.

Quantum ad Domini præsepe, & incunabula attinet, arguunt nos quidam nimiæ credulitatis, quod persuasum nobis sit præsepi elligatos bovem & asinum. Sunt autem argumenta eorum, quæ sequuntur. Primum ea verba Is. I. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*: & quæ habentur Habacuc III. 2. *In medio duorum animalium cognosceris*, non secundum literam debent accipi, sed primum locum exponunt Patres de Judæorum erga innumera Dei beneficia ingrato animo: alterum de Gentibus, quæ ad Christum venerunt, aut de Testamentis duobus, ut nos etiam cum Hieronymo, & Augustino diximus Tom. I. pag. 292. ac præterea ita legitur juxta lxx. cum Vulgata & Hebraica habeant, *In medio annorum*. Bos ergo & asinus ad præsepe accubantes sunt *irrationabiles gentes pecudum intra præsepia more viventes*, inquit Ambrosius lib. I. in Lucam num. 43. & Prudentius in Cathemerinon hym. XI.

Adorat hæc brutum pecus,
Indocta turba scilicet.

Argumentum alterum est Lucæ silentium, qui pastoribus ab Angelo hoc brutorum indicium ad puerum inveniendum minime datum commemorat. Ad hæc duo reducuntur quæ adversus piam fidelium traditionem objectant Erasmus in notis ad præfatum hymnum pag. edit. Hanoviæ 174. Rich. Montacutius P. I. Originum Ecclesiasticarum n. 30. Basnagius ad annum 5. ante Christum, num. 21. Tillemontius Annot. 5. in *Jesum Christum*, Serrius Exercit. XXX. n. 4. & seqq.

Nunquam vero ad oppugnandam veritatem producta sunt infirmiora sophismata. Etenim quod bruta *per anagogen* commonstrent populum Judaicum, vel Gentilem, nil profecto historiam elevat: alias nihil fere in veteri Testamento gestum esset, cum omnia ibidem narrata aliquid præsignarint. Reprobat idem Basnagius aliorum ratiocinationes, ad sola testimonia Scripturæ nos provocans, nec negans Patres bene multos tradidisse, quod bos, & asinus ad præsepe Dominicum accubuerint. *Nobis constat*, inquit, *non allegorice duntaxat Patres esse locutos, sed etiam fide historica. Allegorica siquidem explicatio in historia nititur*. Incaute Novator ille quicquid alii exstruxerunt, evertit. Sed vicit aliquando etiam tenebriones aperta veritas. Hieronymus in Epist. 27. nunc 86. ad Eustochium Tom. 4. p. 674. absque ulla morali interpretatione *simpliciter* de Paula inquit: *In Bethlehem ingressa & in specum Salvatoris introiens vidit sacrum Virginis diversorium, & stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Paulinus epist. XI. ad Sev. pag. edit. Plantin. 139. *In Bethlehem quoque, ubi cognoverat bos possessorem suum, &c.* Nazianzenus orat. 38. pag. edit. Morelli 623. *Cognosce ut bos possessorem suum, & cum asino præsepe Domini tui, cum stella curre, cum Magis adora, cum Angelis tripudia*. Quid est ad literam Scripturæ verba intelligere, si hoc non est? Vere stella antecessit, vere Magi adorarunt, vere Angeli gaudium magnum nuntiarunt. Ergo vere bos, & asinus ad Christi incunabula cubuerunt. Imo & Ambrosius prinsquam mysticum innueret sensum, præcedenti num. 42. inquit: *Non audis bovis Dominum agnoscentis mugitus*; necnon Prudentius appellaverat cunabula divini pueruli, *Mutis & ipsis credita*, idest, (inquit Georgius Fabricius ejusdem edit. Hanoviæ pag. 343. quem opponimus Erasmo Roterodamo) *pecoribus, quæ vocem non proferunt. Bos & asellus gratiores fuerunt, quam homines*.

Ad primum itaque argumentum respondemus stare allegoricam Patrum interpretationem cum veritate historiæ: ac priorem locum ex Esaia promptum e Patribus etiam aptari præsepi Dominico: alterum vero etiam ab Ecclesia in Officio Nativitatis & Circumcisionis ad puerum Jesum referri. Neque obstat quod sit in Hebraico, *In medio annorum*, ac ita pariter in Vulgata: quia utrumque cohæret, *In medio annorum*, si loquamur de tempore; *In medio animalium*, si loquamur de loco. Etiam in Græca lxx. versione ζωων valet, *animalium*, &, *vitarum*; cum olim neque circumflexus accentus fuerit in secundo *omega*, neque acutus in primo: quare *vitarum* habent Cyrillus Jerosolymitanus, & Theophylactus, *animalium* ceteri. Utrumque significaret etiam hebraicum בקרב חיים, quemadmodum legisse lxx. opinantur nonnulli. Non ergo exploditur decantata lectio, *In medio duorum animalium*, ut inquit Serrius num. 6. Utramque lectionem probat Ecclesia, utramque tradunt Patres, utramque non solum Versio lxx. verum etiam Hebraici Codices patiuntur. Ad alterum argumentum breviter respondemus, dum Lucas mentionem fecit præsepis, satis innuisse locum, in quo jacebat infantulus; nec necesse erat fœnum, animalia, & cetera hujusmodi commemorare, quæ non esse in præsepe nequit nisi temere denegari; cum ibidem esse non repugnet, fatente Basnagio. At quod Lucas non scripsit, tradiderunt Majores. Mirum quod Critici subscribant Broccardo asserenti in descript. Terræ sanctæ præsepe illud fuisse *excisum in rupe*, ac studeant Broccardum componere cum iis, qui *lateritium* faciunt atque ex luto coctili, & cum Ecclesia, quæ in Basilica Liberiana *ligneum* veneratur: ac nolint postea allegoricam significationem cum historia componere! Sed nec illud satis congrue conciliant, dum inquiunt *lateritiam* fuisse cavitatem, cui ad majorem firmitudinem inclusum erat vas *ligneum*, & utramque, vas, & cavitatem recte dici *præsepe*. Præsepe enim proprie est locus præseptus, ubi pecudes stabulantur, a *sepio* dictus, atque hic locus est lapideus, vel *lateritius*, & per synecdochen præsepe dicitur *linter*, in quo pabulum jumentis ponitur, atque hic est vimineus, aut *ligneus*. Docet hæc etiam *Calepinus*, sive Latinum lexicon, ita a celebri familiæ nostræ Grammatico nuncupatum.

II.

De Magis etiam Christi adoratoribus complures nobis succensent, quod Reges illos populari credulitate arbitremur. De qua re placet mihi admodum exhortatio viri cl. Melchioris Cani lib. XI. de Locis cap. 5. ubi, posteaquam dixerat extremæ dementiæ esse frustra niti, & nihil aliud quam laborando odium quærere, *Sine*, inquit, *plebem probabilissimam opinionem, præsertim quæ penitus insedit & inveteravit, cum suis majoribus retinere*. Quod monitum, cum etiam Rich. Montacutius pag. 206. probarit, & omnibus hic legendum proposuerit, decet nos quammaxime custodire. Sed quoniam Magos fuisse reges negant præfracte, ac se evidenter demonstrare opinantur Casaubonus adversus Baronium, Stolbergius, & Dan. Rhoden Tom. 2. Thes. Theol. Philologici. Schmidius in Matth. aliique Heterodoxi; necnon in Carm. de Epiph. Domini Mantuanus, & Hyacinthus Serrius Exercitat. 34. num. 2. idque incertum saltem atque inexploratum scribunt Calmet, Tillemontius, & alii; ideo non videtur omnino hæc quæstio prætermittenda. De qua, si quis postea iis, quæ subjicimus, plura desideret, adire poterit Baronium ad annum I. Christi num. 3. Joannem Eckium hom. 2. de Epiphanie, Hieronymum a S. Fide Tom. 26. Bibl. Patrum, Salmeronem Tom. 3. Hist. Evang. tract. 37. Maldonatum, Barradium, Sylveiram, Jansenium, Cornelium a Lapide, & Natalem Alex. in Evangelia, necnon Ægidium Gelenium in Fastis Coloniensibus, Suaresium Tom. 2. in 3. p. disput. 14. sect. 2. Vincentium Cardinalem Gotti Tom. IV. Verit. Relig. Christ. cap. XI. §. 2. Honoratum in Animadv. Criticis Tom. 2. pag. 206. &

Richar-

Richardum ipsum Montacutium P. I. Originum Eccles. pag. 202. ex quorum omnium lectione poterit etiam de hac nostra lucubratiuncula proferre judicium.

Ac primum non video quæ adversus piam populorum traditionem urgeri queant, nisi insequentia. I. Magi dicuntur, qui in rerum contemplatione, ac præsertim in inspectione siderum sunt occupati; sic dicti, quasi מגושים, ab radicali, הגה, *meditari*, juxta Vossium in Etym. & Hofmannum in Lexico. Erasmus in Matthæum *sophos*, aut *philosophos* appellat; quidam alii ex Apulejo in Apolog. *idolorum sacerdotes*. Nec desunt, qui in pravum sensum nomen illud accipiant, quatenus magia est *theurgia*, cultusque dæmonum, in qua significatione dicuntur magi præstigiatores Ægypti, Simon, & Elymas. De his plura Rhoden, & Storbergius. At sive Christi adoratores dicas inspectores astrorum, sive sapientes, sive sacerdotes, sive ariolos, nihil id est ad comprobandam regiam eorum dignitatem. II. Quamquam olim Magi regali apud Persas auctoritate pollerent; tempore tamen Natalis Christi dudum cessarat in Magis imperium, scribente Strabone lib. I. eosdem Magos *non amplius ad regios fasces extolli*: quo argumento utitur in Matth. Schmidius. III. Barradius, aliique interpretes traditionis suæ ficulneum auxilium quærunt e licentia pictorum; atque hinc refelluntur a Casaubono. IV. Evangelista Magorum regium comitatum, & cetera, quæ in Dei honorem cederent, minime prætermisisset, cum & *Reguli* meminerit, cujus filium Christus restituit sanitati. Accedit veterum quoque Patrum silentium. Scripturæ testimonia, quæ huc a quibusdam adducuntur, non sunt peculiariter accipienda de Magis, sed universe de regibus gentium advocandis ad Christi fidem. VI. Si reges fuissent Magi, quomodo non præmissis nunciis ingressi fuissent ditionem Herodis? quomodo Herodes ipse cum imperio egisset cum illis, dicens, *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis renunciate mihi?* Postrema argumenta sunt Walæi in Matth. aliorumque. Vidit hæc & Mantuanus, dum cecinit:

Nec reges, ut opinor, erant, nec enim tacuissent
Historia sacra Auctores genus istud honoris,
Inter mortales quo non sublimius ullum.
Adde quod Herodes, ut magnificentia Regum
Postulat, hospitibus tantis regale dedisset
Hospitium, secumque lares duxisset in amplos.

Ut iis respondeam ex ordine, ac simul vindicem piam, ac valde probabilem fidelium traditionem; animadvertendum est splendidissime mentiri Casaubonum Exercit. 2. in Baronium, & Theodorum Bezam in Matthæum, dum inquiunt Romanam Ecclesiam sola tyrannide tradere, ut fide certum, insignitos fuisse Magos dignitate regali, nec pati aliud quomodolibet opinantes. Movit id stomachum etiam Montacutio, qui Casaubono respondet, aliter de pia traditione loquendum: non prodiisse hanc e gurgustio; sed fulciri Patrum multorum auctoritate. Diximus qua moderatione loquatur Canus: eamdem adhibet Cornelius Jensenius in Concordia cap. 9. Cardinalis Gotti pag. 236. & qui vel sententiam oppugnant, vel nihil definiunt, ut præcitatus Mantuanus, & Calmet. Atque nos pariter communiori sententiæ ita assentimur, ut adversariis nullatenus indignemur. Primum itaque argumentum confirmat potius regiam in Magis dignitatem, quam evertit. Etenim in Oriente, & præsertim in Perside neminem regio potitum fastigio, qui non calleret Magorum disciplinam, affirmat Cicero in primo de divinatione num. 41. atque olim Magos imperium obtinuisse scribunt Strabo lib. I. Geograph. Plato in Alcibiade, Plinius lib. 3. cap. 1. Justinus lib. 1. Histor. cap. 9. Ammianus Marcell. lib. 24. Severus Sulpitius lib. 2. Hist. sacræ cap. 13. Ex quo ergo Magi fuerint sapientes, & in astrorum contemplatione occupati, quomodo eosdem non fuisse Reges evincitur? At, inquit Schmidius, Magi ex Strabone ab honore pristino ceciderant. Utique: non erant amplius Monarchæ; sed tamen honore adhuc conspicui, regni *primores*, ut appellantur a Juvenco pio quarti sæculi Vate, sive Dynastæ, Toparchæ, reguli, ac alterius principis tributarii: quales permultos tunc temporis extitisse demonstrant subjecti Romano Imperio, Ariobarzanes, Aretas, Tigranes, Dejotarus, Herodes ipse. Neque enim credibile est dejectos Magos ad fortunæ ludibrium, sive apud Persas, sive apud finitimas gentes; quibus semper fuit nomen inspectorum stellarum, Sophorumque præclarum atque honestissimum. Quod picturas attinet, nec recentiores omnino, nec plebis inventa dicendæ sunt quæ Magos referunt reges; quippe x. sæculi extant nummi, ubi sculpti visuntur tres reges puerulum Jesum adorantes; de quibus vide Anselmum Bandurium Numism. Imp. Tom. 2. & Cangium in Familia Zimiscæ pag. 152. edit. Billainii.

Cur Evangelista, qui & *Reguli* meminit, & Herodem immanissimum tyrannum non fraudavit regis titulo, regiam istorum conditionem nequaquam expresserit, rationes satis congruas reddiderunt Interpretes. Prima ratio est, quod ad veritatem occultam confirmandam regia appellatio otiosa erat, Magorum vox opportuna & præclara. Ita Canus. Alteram afferunt Pelatius & Salmeron, ut commoneret Evangelista neminem mortalium coram summo principe Christo regia appellatione esse dignum. Tertiam assignat noster Simon a Cassia, quoniam reges quidem erant, sed parvi. Non militat eadem ratio de Herode, quia erat rex appellandus, ut distingueretur ab Herode Tetrarcha, atque ut ex rege alienigena innueretur Messiæ adventus. Joannis IV. 46. Regulo non aliud tribuitur nomen, quo distinguatur: at Magi proprio designati sunt charactere. Quid præterea, si inficiamur hunc *Regulum* fuisse parvulum regem? Si Capharnaites erat, & sub Herodis Tetrarchia, quomodo Rex? *Regulum* dictum arbitror, quoniam erat Herodis, aut Tiberii minister. Βασιλικὸς *Regius*, habent Græci Codices vetustiores, & Syrus, & Arabs, *Servus regius*. Non repugno tamen legendum Βασιλίσκος, *Regulus*, & Christum etiam primoribus attulisse salutem: sed quid cavilli valeant, ostendo duntaxat. Regium apparatum utique in Matthæo non legimus, quod humilis fuerit Christi Adoratorum incessus: legimus tamen ad eorum adventum commotam urbem universam: legimus liberos ab Herode dimissos: legimus obtulisse munera *apertis thesauris*; quod in reges maxime quadrat.

Quod spectat ad Patres, fatemur permultos regiam dignitatem in Magis non celebrare, quosdam etiam id non asserere quod contendunt quidam Interpretes. Sed Magos tamen fuisse reges probabilius est, quod nullus Patrum id expresse neget, nonnulli diserte affirment. Tertullianus adversus Judæos cap. IX. inquit: *De hoc auri munere etiam David dixit, Et dabitur illi de auro Arabiæ: & iterum, Reges Arabum & Saba munera afferent illi. Nam & Magos reges fere habuit Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, cujus tunc virtutem Christus accepit.* Ubi Judæis objicientibus Christum Messiam non esse, quoniam non accepit Damasci spolia, neque regum obsequia, respondet id completum in Magis, quoniam & reges erant, & ex Arabia, cui deputabatur Damascus. Idem tradit in III. contra Marcionem cap. 13. & utrobique, quicquid alii sentiant, literalem sensum exponit, rationem afferens, cur Magi sint Damasci spolia, atque in iis completum fuerit vaticinium Psalmographi. Quare ut vere juxta Tertullianum erant Damasci robur, quia Arabes, ita vere erant reges. Auctor Hom. de Baptismo Christi inter Opera Cypriani inquit: *Non satis est quod Angeli locuti sunt Pastoribus, quod apparuerit stella Regibus, &c.* Theophylactus in cap. 2. Matth. ait: *Judæi quare turbantur? Oportebat enim gaudere potius, quod regem ipsi habituri essent, qui a Persicis regibus adoraretur.* Innocentius III. serm. 1. de Epiph. *Secundum historiam isti Magi tres Reges fuerunt.* In vetustissimo hymno, quem Damaso adscribunt, legitur:

Ecce pastores ovibus relictis
Convolant Bethlehem, videant ut ortum
Principem mundi, properant & acti
Sidere Reges.

His accedunt Cæsarius serm. 43. in Append. Augustinensium, Paschasius Radbertus in cap. 2. Matth. & alii. Addere possumus Martyrologia Usuardi, & Germanicum apud Bollandum Tom. 1. pag. 8. & 323. Ms. Florarium apud eumdem Bollandum die XI. Januarii, Molenum in Addit. Usuardi, vetustum Codicem Carthusianum, Gelenium, & Broelmannum eodem Tom. 1. pag. 664. Flavium Lucium Dextrum in Chronico ad an. 70. qui omnes communem traditionem reddunt probabiliorem, & quartam objectionem abunde refellunt.

Sacræ quoque literæ piam ipsam traditionem confirmant: nam Isaiæ LX. 3. de Christo prænuntiatum est, *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui*: ac Psal. LXXI. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent.* Accipienda hæc de vocatione Gentium fatemur, sed gentium fuerunt Magi primitiæ. In iis propterea implendum vaticinium, & ad Messiæ incunabula adventuros Reges agnoverunt veteres quoque Rabbini, de quibus Joannes a S. Fide cap. 6. & Raymundus Martini Pug. Fidei P. 3. dist. 3. cap. 10. Atque impletum reapse videtur tenere Ecclesia, quæ dum celebrat Magorum adventum, laudata verba frequenter intonat, affirmatque disertissime Leo III. & Fidei propugnator Eckius in homiliis supra laudatis. Et quidem tria in his vaticiniis prænuntiantur: lumen & splendor ortus, oblatio munerum, & regalis conditio. Primum completum est in stella, quæ apparuit in Oriente; alterum in auro, thure, ac myrrha: cur tertium quoque non putabitur adimpletum? Accedit quod si Magi ex Arabia venisse dicantur, ut sententia fert nostra, etiam aliæ præcitati Psalmi notæ in ipsos quadrant. Dicuntur enim versu 9. *Æthiopes* hebraico vocabulo ציים, quo intelliguntur incolæ *Æthiopiæ Orientalis* habitantes *circa Arabicum sinum*, juxta Strabonem lib. 2. pag. 89. Æthiopes enim Occidentales appellantur, כושים. Dicuntur *reges Tharsis & insularum*, מלכי תרשיש ואיים, nempe, ut Pagninus, & Marinus reddiderunt, incolentes *insulas maris*. Dicuntur denique *Reges Arabum, &*

Saba, מלכי שבא וסבא, ubi *Saba* scriptum cum ש, Hieronymo interprete, *Arabiam* designat, cum ס, vero *urbem* Æthiopicam. Quare si dicamus Magos venisse ex Arabia, vel, ut quidam tenent, e Carmania, ex Strabone lib. xv. pag. 449. Arabis, Persisque conterminа, non erit in Psalmi lxxi. nono, ac decimo versu lexis aliqua, quæ Magis ad literam non conveniat. Ipsi Æthiopes, ipsi Arabes, ipsi insularum incolæ, ipsi Sabæi, ipsi postremo Reges.

Quod in eos Herodes cum imperio se gesserit, illius superbiæ tribuit cum Interpretibus ceteris noster Sanctotisius pag. 144. in Matth. Addo verba illa *Ite*, *&c.* non esse præcipientis, sed cum simulatione dimittentis. In tanta enim perturbatione, si fas ei fuit exercere in Magos imperium, cur ut redirent indictis pœnis eos non coegit? Cur dies ad redeundum non præscripsit? Cur liberos absque satellitibus dimisit? Optime nimirum noverat, (ut in Catena inquit ex Chrysostomo S. Thomas) quod tales viros non potuisset blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere. Nam in regiam urbem ingressi, quamquam scirent Herodem illic regnare, natum tamen Regem Judæorum, eique se detulisse munera palam testati sunt, quamquam regi alienigenæ nil posset nuntiari molestius, quam ortus regis proprii, ac legitimi. Talis ergo conditionis erant Magi, ut Herodis indignationem minime pertimescerent.

Baptistæ denique Mantuano Carmelitæ doctissimo opponimus alium ejusdem Instituti virum celebrem Joannem Mariam Verratum Ferrariensem, qui in *Catena* docet Magos fuisse *sapientes ac reges*. Et si Poetarum versibus certandum est, sententiam pangunt nostram Alvarus Gomez in Thalichrist. lib. 7. & Emmanuel Pimenta lib. 3. sacrorum Poematum. Contentus ero antiquo Epigrammate;

Dum tibi Chaldæi prænuntia munera Reges.
Mirrham homo, Rex aurum, suscipe thura Deus.

Claudiano tribuitur a multis, eique adscribendum ex Cujaciano libro omnium optimo affirmat Joannes Camers in Vita Claudiani, & Gaspar Barthius in notis. Hunc tamen Poetam fuisse a Christi nomine alienum scribunt Augustinus lib. v. de Civit. Dei cap. 26. & Orosius lib. v. Historiarum cap. 35. Ceterum, *si Claudiani non est, certe elegantissimi poetæ est*, inquit Canus.

III.

De exhibita a Magis adoratione autumarunt Sociniani non fuisse religiosam, & quæ possit divinitatis Christi præbere argumentum, sed qualem Orientis populi regibus suis exhibere consueverunt. Idem scripsit in caput secundum Matthæi Grotius; atque in dubium vertit, de qua adoratione loquatur Evangelista, Auctor versionis Gallicæ Bibliorum, quæ typis Trevoltiensibus cusa est anno 1702. ejusdemque versionis Apologista adversus Censuras eodem anno emanatas a Meldensi doctissimo Episcopo Bossuetio, & a Cardinali de Noailles Archipræsule Parisiorum, sive Apologista ille fuerit Simonius, sive alius quispiam. Refellitur autem perniciosus error ipsa Evangelica historia, traditione Patrum, mysterio munerum, necnon manifesta ratione. Primo enim ex Evangelio colligimus, Magos ex Oriente profectos non spectasse ad Judaici Regni ditionem, ut deberent nato regi Judæorum, tanquam regi suo in faciem procidentes præstare obsequium, atque hujus rei causa ex longinqua regione, sponte, ac tanta animi alacritate discedere, digna Deo munera offerre, & jacentem angusto in loco puerulum absque ullo majestatis apparatu, tam demisse venerari; ac tametsi Grotius, & Sociniani observarunt Josephum de Davide Saulem venerante scripsisse, *Adorat eum in faciem procidens, ut moris erat*; attamen in novo Testamento nullibi, quem viderim, locus occurrit, ubi ea phrasis πεσὼν προσκυνεῖται, *procidens adorat*, aliam significet adorationem, quam Deo dignam. Nam Apostolus 1. ad Corinth. xiv. 25. ait: πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει τῷ Θεῷ *Cadens in faciem adorabit Deum*: ac diabolus, qui non aliam affectabat adorationem, nisi divinam, inquit Matthæi iv. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, quæ phrasis etiam usurpatur de Christo Patrem adorante Mat. xxvi. 39. de Petro ad Christi genua provoluto Lucæ v. 8. de leproso Samaritano, cujus fides ceteris præfertur Lucæ xvii. 16. de senioribus ante Dei thronum prostratis Apocal. xix. 4. ubique iisdem Græcis verbis appositis. Historia itaque Evangelica verborumque accurata proprietas commonstrant revelatam Magis puerili Jesu divinitatem. II. Patres diserte affirmant Magos exhibuisse Christo adorationem, tamquam Deo. Irenæus lib. iii. cap. 10. nunc 9. num. 4. scribit, *deductos Magos a stella ad Emmanuel per ea quæ obtulerunt munera ostendisse quis erat, qui adorabatur*. Origenes lib. 1. contra Celsum ait decrevisse adorare eum, quoniam e stella prænunciatrice conjectarant *potentiorem esse omnibus dæmoniis*. Nazianzenus Orat. 38. pag. 623. *Cum stella curre: cum Magis dona: offer aurum, thus, mirrham, ut Regi, ut Deo, ut tua causa mortuo*. Theophylactus in Matth. pag. 14. *Vide animæ illustrationem. Pauperem videbant, & adorabant; multis enim argumentis didicerant quod esset Deus: ideo & ei offerunt munera ut Deo, & ut homini*. Consentiunt Græcis Latini PP. quos inter Ambrosius lib. 2. in Lucam num. 48. *Et cognoverunt hanc esse stellam, quæ hominem, Deumque significat. Adoraverunt parvulum: utique non adorassent, si parvulum tantummodo credidissent*. Hieronymus in cap. 2. Matthæi pag. 10. Tom. iv. *Pulcherrime munerum sacramenta Juvencus presbyter uno versiculo comprehendit, Thus, aurum, myrrham, regique hominique Deoque Dona ferunt*. S. P. Augustinus serm. 200. alias 30. de Temp. num. 3. instituens antithesim inter Judæos, & Magos, *Isti*, inquit, *in membris parvis Deum agnoverunt, illi in factis magnis nec tanquam homini pepercerunt*. Et serm. proximo num. 1. *Numquid tanta devotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent, nisi eum agnoscerent regem Judæorum, qui rex est etiam sæculorum?* Gregorius Magnus lib. 1. in Evang. hom. x. num. 6. *Eum ergo Magi quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant: auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem*. III. Ex iis consequitur, quod tertio loco posuimus, Magos fidem suam oblatis muneribus contestatos, quod expressit etiam auctor antiqui Epigrammatis Claudiano attributi, nec non Sedulius lib. 2. num. 97.

Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulto.

Magos denique puerum Jesum veneratos tamquam Deum, comprobat ipsamet ratio: primo, quia illi erant *primitiæ Gentium*, atque ut ait S. Pater serm. 31. de Temp. nunc 201. num. 1. *Inde cœpit, quod in universo mundo fructificaret & cresceret*; fides nempe Evangelica, qua profitemur Christi divinitatem. Præterea hanc *mirabilem* in Magis *fidem* ostendit Chrysostomus hom. 8. in Mat. pag. 73. ex eo, quod admoniti ne redirent ad Herodem, *in nullum hinc scandalum commoventur, nihilque omnino turbantur, neque ipsi secum disputant dicentes: Si magnum quiddam esset hic puer, & potentiæ aliquid haberet, nobis adoratoribus ejus quid opus esset fuga, occultusque discessus?* Incredibile demum est, *viros superni luminis ductum, & prævii fulgoris indicium intentu contemplationis comitantes, ad agnitionem veritatis gratiæ splendore non pervenisse*, ut inquit S. Leo serm. 1. de Epiph. cap. 2. præsertim cum sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestarint, & quod cordibus credebant, professati sint muneribus, *scienter divinam humanamque naturam venerantes*.

Opposita vero argumenta nullius sunt roboris. Objiciebat auctor Apologiæ Simonio attributæ, nullum legitimum censorem alicujus Versionis censendum esse, nisi habeat exquisitam linguarum peritiam: Lucam Brugensem, aliosque nonnullos fateri verbum προσκυνεῖν, *adoro*, usurpari etiam dum homo hominem veneratur.

At responder Cl. Meldensis Episcopus Instruct. 1. pag. xxi. *Minime a linguarum peritia pendere præcipuas circa dogmata notas*; eosque decipi, qui contrarium sentiunt: quo nihil dici poterat verum magis, & utilius, cum fidei norma sit Ecclesiæ traditio, non loquacitas Grammaticorum. At Cardinalis de Noailles in sua Censura num. 12. arrogantiam quoque Apologistæ jure, meritoque his verbis perstringit: *Il s'éleve avec une presomption insupportable audessus de tous ceux qui ont traduit de nos jours le nouveau Testament: il ne craint pas même de se donner cet aire de superiorité sur les saints Peres, saint Chrysostome, saint Jerome, & sur tous les interpretes anciens, & nouveaux: & fait paroître par sa vanité, qu'il n'a pas été conduit par l'esprit, qui a dicté le livre, dont il a entrepris la Traduction*. Ostendimus præterea paullo supra ea phrasi, *Et procidentes adoraverunt eum*, non uno in loco novi Testamenti religiosam adorationem, cultumque latriæ designari. Nonnulli denique interpretes, si de Catholicis loquamur, dixerunt tantummodo verbum *adorare* suapte natura cultum latriæ non semper præseferre; sed Magos civile tantum obsequium præstitisse, nullus, quod sciam, affirmavit: & idem Burgensis pag. 24. ait: *Prosecuti sunt puerum honore, ea qui regem, immo qui Deum decet*, & paucis interjectis, *In sacrificium munera ista dederunt*. Quod si aliquando interpretes aliqui minus accurate locuti sunt; exorta nondum erat tanta opinionum licentia, & audacia Criticorum, aut saltem hæc nondum Catholicorum studia labefactarat. Quamobrem Simonius, aut quisquis conscripsit citatam Apologiam, dum laudat Burgensem, Huræum, & Biblia quædam Gallica edita an. 1534. & 1541. Antuerpiæ, quemadmodum ait eruditus Auctor Bibliothecæ Criticæ sacræ Tom. iv. pag. 107. num. 86. *miserrimam ostentat eruditionem*.

IV.

Sunt præterea, qui negant Domum Nazarethanam Angelorum ministerio e Syria translatam Tersactum, olim Tarsaticam, hinc vero in Picenorum agrum, inter Recinetum & maris Adriatici oram, nunc Lauretum, urbem augustissimo templo, atque peregrinorum undique confluentium religiosa pietate, clarissimam. Conati sunt præ

Nova-

Novatoribus ceteris translationem banc oppugnere Apostata Vergerius in *Idolo Mariano*, Thomas Beruegerus, Basuagius, & alit. Sed refutautur a Hieronymo Angelite in Historia Virginis Lauretanæ, a Cbristiauo Adrichomio pag. s4t. a Ceuisio lib. v. de Virgine Deipara cap. a5. a Raynaudo Tom. vstt. pag. t45. a Turfellino lib. i. Historiæ Laureraux, a Francisco Turriano contra libellum Vergerii, a coutarraueo uostro Sylvio Serralto a Petrasancta, ab Houorato Auimadversionum lib. r11. dissert. t. ac postremo a Viro Cl. & de Lauretana Historia optime merito Petro Valerio Martorelli Auximate, Episcopo olim Leopolitano. Ut eiiem ex Angelita, ac Turselliuo narrat Tom. xiv. Eccl. Auual. Raynaldus, Nazareua Ecclesia, iu qua sacra Deiparæ ædicula claudebatur, a Saracenis Syriam iuundantibus solo æquate, Tersactum Dalmatiæ oppidum sacra ipsa ædes divinitus transvecta ast enno 1291. vtr. idus Majas, Nicolao IV. Pontifice Maximo: inda vero, sedente S. Cælestino V. anno 1294. sv. idus Decembris in Picenum delate. ibique posteaquam sedem semel iterumque mutevit proximo anuo, in loco, in quo eitammum colitur, stationem alegit. Appellatur vero *Lauretana Domus*, & urbs *Lauretum* a loco, ubi constitit, ut inquit lib. 6. Agelariorum Mantuanus:

Et quia transvectam mulier Laureta recepit
Virginis adiculam, prabens ubi sisteret agrum,
Laureta delubra vocant.

Ut hæc ad fabules Novatores amandeut; negant primo facrum Virginis domicilium Nazarethæ sarvatum ad annum usqua 1291. non alio iouixi argumento, nisi quod vero simile nou videatur, e Romauorum legionibus Syriam occupautibus ædiculam illem dirutam non fuisse, præsertim cum Hieronymus Epist. 17. nunc 44. & 27. nunc 86. jajuue admodum loquerur de Nazareth, quam aliam alibi eppellat *Nazaram* exiguum *viculum Galilea*. Utirur hoc ergomeum Basuagius ad anuum 3. ante Dominum n. 25. At primum ex ipso Hieronymo colligi poteft Nazarethanem domum eo tempore perstitisse, cum vetustæ urbis servaretur adhuc exiguus *viculus*, Deo minima permittanxe, ut profaui milites tuguriolum sacrarissimum violarent; maxime quod iu amplas ædes, nou in casas, idest, rusticas domos, ubi nulla supellex, furit militaris licentia. Cur etiam Paula, ut ibidam inquir Hieronymus, *percucurrit Nazareth nutriculam Domini?* cue is ad haue invisandam invitat Eustochium, scribeus, *Ibimus ad Nazareth, & juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus Galilea*, si in *Nazara* exiguo tunc viculo, nihil veneretiona diguum supererat? Verum cum Haterodoxi urgaant negantes coujecturas nullius epud Dialecticos firmitudinis; nos Virgiuis ædiculam perstitisse comprobamus etiam testimonio Scriptorum. Nam Imperatricem Helenam, *cum pervenisset Nazareth salutationis Angelica domo reperta, ibidem peramænum excitasse templum*, scribit lib. viii. cap. 30. Nicephorus. Ejusdem templi meminit Venerab. Beda de Locis sanctis cap. 16. in eo se confecissa sacrum testatur in descript. Tarræ sanctæ Jecobus S. Rom. Eccl. Cardinalis de Vitriaco & ibidem S. Ludovicum Francorum Regem sacram accepisse communionam, non solum affirmat Jodocus Clitovæus laudatus a Tursallino cap. x. & e Rutilio in Speculo Episcop. disp. t. q. 1. verum eriam præclari gestorum Ludovici Scriptores, Guilelmus de Naugiaco Monachus S. Dionysii Tom. v. Hist. Francomm pag. 359. & Gaufridus de Belloloco pagina ejusdam Voluminis 457. Cassa itaque, & nullo fulti testimonio Sectarii autumant eb axundantibus Romanomm copiis sacram Virginis Ædem fuisse eversam.

Negant præterea Deiparæ ædiculam Tersacti apud Dalmates constitissa, quom id assarendi nullum aliud habeant fundamentum, quam pervicaciam. Primo euim traditionis nostræ invictum argumentum est perpetua & constans sententia omuium Illyricorum, ac Liburnensium, qui hæc a majoribus acceperunt; & præter cultum, quem exhibent sacratæ domus vestigiis, quotannis magno in numero Lauretum profecti teoaris lacrymis, ut ad propria revertatur, exoraut. Insupar cum Dalmatiam Prætor regeret Nicolaus Fregipanius, verirata comperta cum juramenio Tarsactensium, tum missis Nazaretham legatis, in iisdem vestigiis ubi steterat sacra domus, parem axtruxit, temploque Virgini sacm circumdedit: ibique in antiquo marmore legitur: *Hic est locus, in quo olim fuit sanctissima domus de Laureto, quæ nunc in Recineti partibus colitur*. Prætarea Tersacti sacratam stetissa ædiculam, & illinc anno 1294. ab angelis asportatam, compertum est ax autographo invento in oppido Fluminis ad oram Adriatici siuus adjacente; quod autographum transmissum est ad Leonem X. Pontificem Maximum Illyricis conscriptum literis, nostrisque redditum Lauretana in Æde asservatur.

Derident insuper Novatores transmigrationem sanctæ domunculæ ad Picanos, utpote nullis suffultam momentis: nos contra firmissimis adminiculis muuitam contendimus. Ac t. liquet ax Angelita anno 1296. Recinetenses quosdam viros probatæ fidei jubenta Magistratu Tarsaticam primum in Liburniam transmisissa, ac inde Nazaretham, & utrobiqua recentem populi recordationem explorasse, vestigia transvectæ ædis inspexisse, eademque accurate fuissa dimeosos, & omnia prænarratæ historiæ, & Lauretani Cubiculi dimensionibus respondissa. Temere antem Adversarii negant hæc vestigia in Nazareth diu permansisse; cum ibidem constructum templum ab Augusta Constantini Matre narrent historiæ, imo hodierna die antique aadem vestigia superesse scribat in Historia itineris sui Morissonius. II. Paulus Rinaldutius, & Franciscus Recinatenses cives se ab avis multorias audivisse, quomodo sacra ædes ipsis, aliisque conspicientibus traiarit Lauretum, non semel interposito sacramento asseroarunt; uti relarum est in publicas tabulas, & scriptum ab Augalita. III. Accedunt in varitatis confirmationem miracula innumera ab eodem Auctore, a Riera, & a Tursellino e certis monumentis conscripte Pauli a Sylve anachoretæ per decennium cælestium flammarum intuitus in loco eodem, in quo stitit se Deiparæ sacrosanctum cubiculum: Turcarum, Judæorumque restimonia mirabili eventu corroborata, quæ in Psalmum lxxxvi. cap. 31. recenset Lauretanus Episcopus Rutilius Benzonius: confloentium ex tota Europa, non vulgarium modo, sed procerum, virorumqua principum devotio, fides, vota, donaria: Romanorum Pontificum Gregorii XII. Joanois XXIV. Pauli III. Sixti V. Alexendri VII. aliorumqua Constitutiones, Privilegia, ec Pontificiæ munificentiæ plurima, amplissimaque ergumenta: quæ omnia apud Martorellum legi possunt, cum nequeant brevi hac dissertatione comprehendi.

Denique objiciunt oppugnatores, ex varbis Bedæ scribentis esse in Nazareth Ecclesiam, *ubi domus erat, in qua Angelus ad Mariam venit*, everti hujus translationis miraculum; quoniam ex iis verbis infertur antiquam Virginis domum ætate Bedæ non extitissa. Addit Basnagius tuguriolum, quo Maria utebatur, fuisse conductitium, ideoque ajus sanctitatem, posteaquam Virgo eo recessit, a profanis hospitibus violetam: idque conjectat ex Virginis pauperrete. Addit labentibus annis quadringentis Virginis cubiculum in tenebris latitasse, cum Eusebius non asseret Imperatricem Helenam Nazaretham urbem, & domicilium illud lustrasse. Quærit præterea cur Angelicis manibus transvecta potius non sit domus Servatoris Capernaitica, & consistens Jerosolymis sepulchrum? Atr danique rem tam miram ab illius ævi Scriptoribus ignoratam, nec traditem a Nicephoro, qui floruit sub ea ætate, nec ab Antonino, qui anuis duntaxat uno & quinquaginta transvectionis hujus tempora posterior fuit.

Hæc cum levissima sint, bravissime percurremus. Verba enim Bedæ sic accipiende sunt, ut eadem sacra ædes fuerit simul domus, ac templum, & in Dei cultum veneratione fidelium consecrata: quæ etsi fuisset conductitia, ob peractum in ea Incemationis mysterium, omni foret veneratione dignissima; sed inepta ratiocinatur Basnagius, dum arbitratur conductam, cum potius ex quo ibidem habitaverit Virgo ab Angelo salotete, etque ad eamdem redierit cum Viro ex Ægypto revarsa, (quamquam is genere esset Bethlehamiticus) haud obscure conjicitur, paternum fuisse domicilium, etiam sanctorum parentum habitationa conspicuum. At de Helene contrarium, quam Basnagius seutiat, asserimus; cum hoc discrimine, quod ille inepta pugnat paucorum silentio; nos publica traditiona, ac testimonio multomm. Cur vero elta Terræ sanctæ monumenta Salvatoris nostri sanguine consecrata ad nos divinitus asportata non fuerint, cum plura tamen Romæ veneremur, altissimo Dei judicio humillime reservamus. In postremo denique ergumanto nimium Basnagius exorbitet. Sanctus enim Florentinorum Archiepiscopus Antoninus floruit medio sæculo xv. obiitque die 2. Maji 1459. quo tempore Lauretanum templum fuissa *totius Italiæ celeberrimum* scribit Blondus Flavius, qui fuit Eugenio IV. a secretis, & ejusdem cum Antonino ætatis, pag. edit. Basileensis 339. &, quod nescio num gratanter audituri sint adversarii, eodam fere tempore concione, liturgia, precibusque Lauretanam Virginem decoravit Erasmus Rotarodemus: de quo vide illustrem Cenisium lib. v. de Maria Deipare Virgine pag. 798. Floruit paullo post Mantuanus, de quo supra. Sed ente horum ætatem meminit almæ Lauretanæ Domus in Apostolicis literis Benedictus XII. qui Pontificatum iniit anno 1334. apud Tursell. & Martorellum Tom. 1. pag. 47.

Probabilitate non caret Lauretanæ domus mentionem fecisse celeberrimum quoque poetam Danthem Aligharium, natum anno 1265. vel ut quidam scribunt, 1260. & qui tempore transvectionis sacræ ædis ætate, ac fama florebet, dum de Petro Damiani Cantico 111. cant. xxt. loquit:

In quel loco fu io Pier Damiano
Et Pietro pescator fu nella casa
Di nostra donna in sul lito Adriano.

Ite legitur in Veneta editione anni 1529. pag. 270. & in altere 1569. pag. 525 Octo editiones similia habentes adnotavit vir clarissimus Joannes-Antonius Vulpius in sua anni 1727. pag. 402. Ipse tamen secutus est lectionem alteram, *Et Pietro peccator fu nella Casa:* quam vidimus haberi in Florentina editione antiquiori anni 1481. & arbi-

tiamur fulciri Mss. optimæ notæ; quippe eam probavit Landinus, qui ita in hunc locum scripsit: *In quel luogo, i. nell' heremo di Catria fu io piero damiano: & pone el nome proprio. Et pietro peccatore fu nella casa di nostra donna in fullito adriano: La sententia a io fui heremita in catria dove non si chiama peccatore: perche purgato gia da vitii era dato alla contemplatione. Ma prima era stato monacho in sancta maria di ravenna in fullito del mare adriatico: & quivi si chiama peccatore perche non era ancora purgato da vitii.* Ita juxta editionem anni 1481. Martorellus tamen ex sententia Antonii Magliabeci V. C. priorem lectionem præferendam censet Tom. 2. pag. 394. Mihi compertum est ex Vita Petri Damiani conscripta a Joanne Monacho ejus discipulo, & ex altera edita per Joannem Antonium Flaminium, non in Cœnobio S. Mariæ ad litus Maris Adriani, sed in Eremo Avellana eumdem Monachum induisse. Quare falsus est Landinus: qui etiam errat, dum montem Catriæ situm in diœcesi Engubina locat inter Picenum, & Aprutium. Si ergo Danthes tam primo, quam secundo versu loquitur de Damiano, dicendum est cum Augustino Fortunio lib. v. Hist. Camal. cap. 6. Petrum antequam ad Eremum Avellanam sub Catria sitam commigrasset, sese aliquandiu in cœnobio ad Adrianum litus exercuisse *ad eremitici rigoris similitudinem*, quamvis Joannes Monachus. & Flaminius scribant illum se ad eremiticæ sanctionis instar conformasse *in cellula quadam*, nullo commemorato cœnobio. Sed & illud falsum est, Petrum priusquam ad eremum iter arriperet, indulsisse vitiis; cum illius afflictationes, eleemosynas, sæcularis fastus contemptum, atque supra ætatem singularem prudentiam laudati Scriptores commendent. Vero itaque simillius est, Petrum nec *peccatorem* in Danthis Cantico nuncupari, nec ad litus Adrianum posuisse vitæ eremiticæ tyrocinia; ideoque poetam clarissimum memoriam *Lauretanæ domus* eodem tempore, quo ad Picentes transvecta est, literis consignasse. Verum quicquid sit de Danthis Cantico, Lauretanam Ædem Catholici omnes venerantur, atque ut Mantuani verbis hanc absolvam dissertationem,

Huc Itali, Siculique ferunt solemnia vota:
Huc fluit Epirus, fluit Illyris, accola Rheni,
Accola Danubii: venit usque a litore Narbo
Gallia, & Isthmiaca Spartanus ab æquore terra.

SCHOLION.

„ QUÆ ex Florentino Poeta Danthe paullo superius produximus, non ad fidem firmissimam, invictissimamque rationem faciendam idonea esse arbitramur, sed ad aliquam tantummodo adstruendam probabilitatem. Novimus quippe diversas esse cum in manuscriptis, tum in editis codicibus lectiones. Nonnullas, quæ nobis hanc *de Domo Virginis* disceptationem elucubrantibus ad manus erant, laudavimus. In alias postmodum offendimus accuratissimas, ac magni pretii, & præmissæ a nobis conjecturæ faventes. Legimus enim, *Et Pietro pescator, &c.* in adnotationibus ad marginem Editionis Florentinæ Academicorum, qui *Della Crusca* patrio sermone appellantur, summis coris, & plurimorum MSS. collatione perfectam anno 1595. ubi extat pag. 448. adnotatio 8. *Stamp. Pescator*. Haud secus in editionibus aliis ad hujus normam procusis, ut in Neapolitana anni 1716. Cominiana, seu Patavina anni 1727. quam sub nomine Joannis Antonii Vulpii laudavimus, & Veneta omnium novissime, atque elegantissima in fine paginæ 281. Viri tamen docti hunc passim locum interpretantur, quod S. Petrus Damianus, antequam in Chatriæ eremum se reciperet, in monasterio sito non procul a Ravenna vetustissima Æmiliæ urbe, & ad litus maris Adriatici, ubi Deiparæ ædes, spatio quadraginta dierum eremiticæ vitæ posuerit tyrocinium, ut ejusdem Petri Acta testantur. Ceterum ea lectio, *Et Pietro Pescator*, non solum prædictis marginalibus notis fulcitur, verum etiam textu Editionum complurium, & quæ videntur ceteris præferendæ. Vidimus prælaudatas editiones Venetas anni 1529. & 1569. Adde modo duas alias emendatissimas, unam in Ædibus Aldi anni 1502. alteram in Ædibus Andreæ de Asola anni 1515. Legitur quoque *Et Pietro piscator*, in editione Danthis anni 1472. in cujus fine rudes hi versus habentur,

„ *Nel mille quatro cento septe & due*
„ *Nel quarto mese a di cinque & sei*
„ *Questa opera gentile impressa fue*
„ *Jo maestro Johanni Numeister opera Dei*
„ *Alla decta impressione & meco fue*
„ *El fulginato Evangelista mei.*

„ Cum hæc sit prima hujus Poetæ Editio, neque enim est alia vetustior, (cum Mantuana cum ista de primatu decertans sit ejusdem anni 1472.) sequitur Lectionem ipsam, *Et Pietro Pescator, &c.* non esse temere rejiciendam.

CAPUT V.

Definitur Epocha Tiberii Cæsaris, & annus, quo Christus suscepit baptismum.

S. LUCAS Evangelista cap. III. I. narrat Joannem Baptistam ministerium suum cœpisse prope Jordanem anno xv. imperii Tiberii Cæsaris, & versu 23. Christum ad baptismum venisse cum ageret ætatis suæ annum trigesimum. Liquido constat Tiberium, postquam decessit Augustus, adeptum imperium anno U. C. 767. die 19. sextilis mensis. Annus itaque xv. erit annus U. 782. quo juxta recentiores Chronologos cœpit Joannes baptizare, & si Christum natum dixeris cum Martyrol. Rom. an. U. C. 752. tunc annum trigesimum ipse Salvator inierat; si placeat Baptismum ejus cum iisdem recentioribus referre in annum proximum 783. & secundum prædicationis Joannis, juxta veterem Chronologiam inchoaverat Dominus a diebus XIII. trigesimum primum ætatis annum. Verum cum iidem recentiores Chronologi nobiscum Natalem Christi retrahant ad an. U. C. 749. & quidam etiam ad præcedentem, servata Epocha illa Tiberiana, nequeunt locare baptismum Christi in Urbis anno 782. Tiberii quintodecimo, vel in proximo U. 783. Tiberii XVI. nisi affirment baptizatum dominum anno trigesimo tertio, aut trigesimo quarto ineunte: quam postremam sententiam propugnat vir clariss. Natal. Alex. diss. II. q. 2. Nobis vero extra controversiam positum esse videtur, venisse Christum ad baptismum cum esset *fera annorum triginta*, idque ex Evangelica historia, ac Traditione compertum esse; ideoque consentientibus jam omnibus Christum natum anno U. 749. aut saltem præcedenti, jure contendimus tinctum Joannis baptismate anno U. 779. die sexta Januarii, cum ageret annum trigesimum, vel hunc a paucis diebus explesset. Verum cum iste sit annus Tiberii ab Augusti obitu duodecimus; gravis oritur quæstio, quomodo Joannes incœperit ministrare baptismum anno Tiberii decimoquinto: aut quomodo si hoc anno, vel insequenti baptizatus est Jesus, non attigerit ætatem illam, quam adstruunt Recentiores.

Ut hunc solvamus nodum recurrendum est ad imperium Tiberii Proconsulare: de quo etiam non levis insurgit quæstio, a quo anno sit deducendum. Pagius enim in dissert. Hyp. censet hanc dignitatem adeptum Tiberium anno U. C. 763. X. Vulgaris Æræ, Coss. Dolabella & Silano, anno ante obitum Augusti IV. quam opinionem propugnat dissert. c. 4. Schelstratius, & dissert. X. de Myst. & An. Christi Cl. Gravesonius. At Pagius postea ad annum Christi XI. n. 2. & 10. retulit hunc Tiberii principatum in annum proximum U. 764. Coss. Lepido & Tauro: quæ fuit quoque sententia Cappelli dissert. de Anno Pass. Christi, & Henschenii in Exposit. vet. Catal. Pontif. Et quamvis Gravesonius asserat non videre se cur doctissimus Pagius a priori sententia recesserit, permotum hunc fuisse momentis firmissimis ea, quæ subjiciam, apertissime commonstrabunt. Tanent præterea Petavius lib. XI. de Doct. Tem. cap. 7. Norisius dissert. 2. Cenotaph. Pisan. pag. 519. Tom. III. & in Epist. IV. ad Pagium Tom. IV. pag. 765. nec non Tillemont. Not. IV. in hist. Augusti, indeptum Tiberium Proconsularem dignitatem Coss. Cæsare Germanico & Capitone, anno V. Æ. XII. & U. C. 765. quam sententiam nec Pagius rejicit, scribens citato num. 10. incertum esse, an erraverit Vellejus affirmans collatum imperium Tiberio ante triumphum, an Suetonius asserens concessum triumpho acto. Nam possunt hæc in eamdem annum convenire, idest, in præcitatum Romæ 765. quo Tiberium egisse triumphum res est apertissima. Pighius denique Tom. III. Annalium ait datam Tiberio in provinciis parem cum Augusto auctoritatem anno U. 766. C. Silio & Munatio Planco Coss. & V. Æ. XIII. quod Suetonius id evenisse scripserit post triumphum.

PROP. I. Tiberius imperium Proconsulare indeptus est an. U. C. 765. Coss. Cæsare & Capitone, anno IV. olymp. 197. Juliano 57. P. Jul. 4725. Æ. V. XII.

Etenim Vellejus Paterculus lib. II. cap. 121. de Tiberio ait: *Cum res Galliarum maxima molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis, quam pœna mollisset; & Senatus populusque Romanus postulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset: (etenim absurdum erat non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non judicari parem) in Urbem reversus, jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Dalmatisque egit triumphum.* Igitur tum primo Imperium Proconsulare Tiberio delatum est, cum sedato Viennensium tumultu, compositisque rebus Germanicis reversus erat ad Urbem, ut ageret triumphum ob Varianam cædem, bellorumque continuationem dilatum. At Tiberius triumphum egit anno U. 765. Cæs. Germ. & C. Fontejo Capitone Coss. Hoc ergo anno Tiberio æquum cum Augusto jus in provinciis collatum est. Præterea Suetonius *in Tiberio* cum narrasset domito Illyrico Tiberium distulisse triumphum, mœsta civitate clade Variana, scribit proximo anno repetita Germania prof-

pere

pere rem gessisse, ac e Germania in Urbem *post biennium* reversum, decretum, dilatumque egisse triumphum; & denique cap. 21. inquit: *Ac non multo post lege per Consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, &c.* Animadvertit Norisius in hoc tantum discrepare a Vellejo Suetonium, quod unus paullo post triumphum, alter paullo ante, Tiberium evectum ad honorem Proconsulis, litteris consignarit; ac Pagius, *Uter*, inquit, *erraverit incertum*. At sive paullo ante triumphum, sive paullo post, affirmes latam per Consules legem decernentem Tiberio par cum Augusto jus in provinciis; cum certum sit illum triumphum egisse anno V. Æ. XII. in hunc annum referri debet Tiberiani principatus initium. Æquum tamen est, ut Vellejo potius, quam Suetonio, credamus: illi enim fratrique suo triumphantem Tiberium, (ut scribit laudato cap. 121.) *inter præcipuos, præcipuisque donis adornatos viros, comitari contigit*.

Contraria argumenta sunt. I. Suetonii hæc sunt verba: *Dedicavit & Concordiæ ædem. Item Pollucis, & Castoris, suo fratrisque nomine de manubiis. Ac non multo post lege per Consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, &c.* Aedem vero Concordiæ dedicatam an. U. 763. die 17. Kal. Februarias constat ex Dione lib. LVI. pag. 586. & ex Ovidio 1. Fastorum. Igitur paullo post hanc dedicationem, eodem anno 763. Coss. Dolabella & Silano Tiberius Proconsulare imperium indeptus est. II. Tacitus lib. I. Annal. cap. 3. inquit: *Nero solus e privignis erat: illuc cuncta vergere: Filius collega imperii, consors Tribunitiæ potestatis adsumitur, omnesque per exercitus ostentatur*. III. Dio Cassius citato loco pertractans de rebus gestis Coss. M. Æm. Lepido, & T. Statilio Tauro, idest, anno U. 764. inquit: *Tiberius & Germanicus cui Proconsulare erat imperium impressionem in Germaniam fecerunt*. Dio autem minime appellasset Tiberium Proconsulem initio anni 764. si tantum V. Kal. Septembris ejusdem anni, vel anno proximo accepisset imperium. IV. Scripserat ibidem Dio ob victoriam a Tiberio relatam e Dalmatis, *Tiberio nomen Imperatorium ac triumphum decretum*; & Suetonius pariter cap. 17. *Triumphus ei decretus est, multique & magni honores:* ideoque Tiberius antequam Germaniam repeteret, potitus erat imperio. V. Plinius lib. XIV. cap. ult. appellat Tiberium Principem, quando Pisonem ad præfecturam Urbis delegit. At Piso obiit anno U. 785. Domitio & Scriboniano Coss. ex Tacito lib. VI. Ann. cap. 2. *viginti per annos probatus*. Si ergo viginti hinc eximas annos, invenies anno U. C. 765. Tiberium Imperii collegam. Hæc sunt argumenta, quibus Schelstratius & Gravesonius certissimum putant Epocham Imperii Proconsularis figendam in anno U. 763. ita, ut Gravesonius scripserit: *Nec sane video, qua ratione doctissimus Pagius ab hac certissima Epocha, quam in sua dissertat. Hypatica multis stabilierat argumentis, postea in sua Critica Annalium recesserit*.

At recessit, me quidem judice, jure ac merito, cum nihil his argumentis erui queat circa exordium imperii Tiberiani. Etenim, quantum ad primum attinet, Suetonius non solum eo loci commemorat dedicationem ædis Concordiæ, verum etiam Castoris & Pollucis, quam liquet consecratam anno U. 759. Coss. Lepido, & Arruntio. Suetonius ergo ordinem temporum non servavit, sed utramque dedicationem, nec non manubias, & prædatitias pecunias, quæ pompam auxerant, narravit post triumphum ann. U. 765. Quæ cum Norisius per Epistolam Pagio significasset, recte is sententiam verbis Suetonii haud recte ponderatis innixam retractavit. Igitur ea verba, *ac non multo post*. non ad ædis Concordiæ dedicationem, sed ad triumphum referri debent: maxime cum sint exordium alterius capitis, & a præcedentibus sint sejungenda: ideoque Suetonius sententiam nostram confirmat. Tacitus vero demonstrat sane imperium Tiberii, sed de imperii exordio ne *μῦ* quidem. Drusi tantum, & Caji narrat obitum, ea quo colligi nequit Tiberii Epocha: nam Drusus obiit anno U. 755. ut demonstrat Panvinius lib. 2. Fastorum pag. 296. ex T. Livio, & Suetonio, ac Justus Lipsius in lib. 1. Taciti num. 26. Cajus autem aa Norisio dissert. 2. Cenotaph. Pis. cap. 17. decessit anno Romæ 756. IX. Kal. Martias. Argumentum quoque tertium corroborat sententiam nostram, nam Dionis verba, *Cui Proconsulare erat imperium*, ut liquet, non ad Tiberium sunt referenda, sed ad Germanicum: quod recte animadvertit Norisius in Cenotaph. diss. 2. cap. 9. & manifestissimum est ex Græco Dionis textu, *Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπάτου ἄρχων*, *Germanicus pro consule imperans*. Cum ergo Tiberius & Germanicus anno U. 764. *impressionem in Germaniam fecerunt*, Tiberius nondum adeptus fuerat æquum cum Augusto in provinciis imperium, sed illud obtinuit anno duntaxat insequenti. Quod sequitur, & nullius est roboris, & sententiam adversariorum evertit: nomen quippe *Imperatoris* non significat *imperium proconsulare:* sed appellatio erat militaris, qua duces confecto bello, primum acclamatione militum, deinde Senatus decreto honestabantur, ea Dempstero lib. X. Antiq. Rom. cap. 6. quare Tiberius appellatus est *Imperator* anno U. 759. ob res contra Illyricos præclare gestas, ex Panvinio in 2. Fastorum, & ea ipso Dione, ac Suetonio ante Varianam cladem; ideoque ante annum U. 763. Sed nec verum est consignandam cladem Varianam anno U. 763. a. V. Æ. & Dolabella & Silano Coss. ut Schelstratius ait Tom. I. Antiq. Eccl. pag. 63. forte deceptus a Baronio idem tradente ad an. XII. Christi. Hunc enim anachronismum emendarunt summi viri, Petavius lib. XIII. de Doct. temp. pag. 663. Norisius in Cenotaph. Tom. III. pag. 494. Pagius ad annum Christi IX. num. 2. cum ex Dione lib. LVI. pag. 663. quem sequitur Panvinius in Fastis p. 41. inciderit Variana cædes in Consulatum Cametini, & Poppæi, scilicet, in præcedentem annum Urbis 762. & nonum vulgaris Æræ. Postrema denique argumentatio ejusdem farinæ est: primo, quia anni XX. inter annum U. 765. & 785. intercessere, & consequenter non refutatur sententia nostra ea anno Pisonis emortuali: deinde Lipsius in notis ad lib. VI. Taciti ait ex geminata litera X. errorem in Taciti librum irrepsisse, quod pluribus confirmat Norisius Cenotaph. diss. 2. cap. XVI. §. 12. Denique Suetonius *in Tiberio*, cap. 42. scribit Tiberium in epulis, quas noctem, continuumque biduum cum Pomponio Flacco, & L. Pisone protraxit, illi *Syriam provinciam*, huic vero *præfecturam urbis detulisse*. Syria autem Pomponio Flacco commissa est juxta Norisium anno U. 775. Æ. V. 22. non dissentiente a Schelstrate Tom. I. Antiq. Eccl. pag. 124. imo & Pagio ad annum XXII. num. 3. licet is ad annum Christi XI. num. 5. scribat incertum esse, num Flaccus statim demandatam provinciam inierit, an propter ignotas nobis caussas tardius profectus fuerit ad Syriam regendam. Ut ut sit, nequeunt hæc argumenta Tiberianam Epocham e suo loco amovere; cumque Pighius statuens illius initium in an. 766. nulla alia ratione utatur, quam petita ex verbis Suetonii scribentis lata per Consules lege. ut cum Augusto provincias administraret, *simulque censum ageret, condito lustro in Illyricum* Tyberium profectum esse: quorum verborum sensus est, legem hanc latam *non multo post* triumphum, non vero *paullulum ante* lustrum an. 767. conditum; firmior apparet assertio nostra etiam confutatione contrariarum, certissima autem ea ea, quæ consequitur, positione.

PROPOSITIO II. Christus baptizatus est anno U. C. 779. Coss. Cornelio Lentulo Getulico, & Calvisio Sabino, Æ. V. XXVI. secundo Olymp. 201. P. Julianæ 4739. ætatis suæ trigesimo anno ineunte.

Demonstratur 1. Lucæ cap. III. describitur tempus prædicationis Joannis, quo baptizante confluentem ad eum multitudinem, ipse Jesus ad nostræ humilitatis exemplum ad baptismum accessit. Est autem tempus illud annus imperii Tiberii Cæsaris XV. *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris*, inquit Evangelista. Atqui hoc loci nequit intelligi annus XV. quo Tiberius regnavit a morte Augusti, juxta enim hanc Epocham quintus decimus imperii annus incipit a die sextilis mensis XIX. anno U. C. 781. & si Christus dicatur natus VIII. Kal. Januarias, an. U. 749. eadem die, labente præcitato anno Romæ 781. usque ad palilia explevisset annos duos supra triginta, atque die sexta Januarii egisset annum trigesimum tertium, aut, si retrahas Christi natalem in præcedentem annum U. 748. vel unum annum statuas inter inchoatam Joannis prædicationem & Salvatoris baptismum, (ut quidam faciunt) annum inchoasset quartum supra tricesimum; quod eidem Evangelistæ, & Ecclesiæ auctoritati repugnat. Igitur Evangelista loquitur de anno XV. imperii Proconsularis, qui annus XV. juxta epocham fixam præcedenti propositione incidit in annum U. C. 779. ideoque hoc anno Christus baptismum suscepit. Et Jesum quidem baptizatum anno Tiberii XV. tradunt communiter Patres, & nemo unus, quem legerim, differt Redemptoris baptismum in annum Tiberii XVI. Imo antiquissimus auctor Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 15. scribit baptizatum Dominum *anno* XII. *Tiberii Cæsaris*: quo in loco perperam Tertullianus a Pamelio, aliisque reprehenditur; cum fixa Epocha Imperii Proconsularis anno U. 765. vere cum anno 779. concurrat annus Tiberii XII. Augustalis.

Præterea confirmatur propositio versu 23. prælaudati capitis Lucæ, *Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta*. Cum itaque Christus natus sit anno U. C. 749. inchoaverat annum trigesimum anno U. 779. ideoque hoc anno baptizatus est. Quid vero ad tam expeditum, apertumque momentum Recentiores? Reponunt quidam extare in Græco particulam *ὡσεὶ* i. *circiter*, per quam particulam ætatem, qua Christus ab baptismum venit, possimus extendere ad annum usque tricesimum quartum inchoatum: respondent alii participium illud *incipiens* non ad baptismum, sed ad prædicationem Christi esse referendum. Mirum doctos viros ad suam chronotaxim defensandam tam absurda effutire! Resellitur enim responsio, sive, ut melius dicam, commentatio prima sequentibus argumentis. Primum dato particulam *ὡσεὶ* idem valere, ac *circiter*, nonne potius innueret annum Christi XXIX. aut XXXI. quorum unus per diminutionem, alter per excessum annum circiter tricesimum complectuntur? Deinde particula *ὡσεὶ*, *quasi*, aut diminutionem, aut certe non tantam amplitudinem significat: nam, ut sa-

ut sacra proferantur exempla, ubi legimus Joan. I. 39. *Hora autem erat quasi decima*. IV. 6. *Hora erat quasi sexta*. XIX. 14. *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta*: & versu 39. *quasi libras centum*, non habet adverbium *quasi* amplam significationem; quemadmodum nec apud Latinos: inter quos dum Suetonius in Caligula ait, *Hora quasi septima cunctatus an ad prandium surgeret*, dum Terentius Heaut. *Quasi talenta ad quindecim coegi*, dum Cicero quarto Academ. qq. *Quantulus vobis videtur? mihi quidem quasi pedalis*; in iis, aliisque locis quamplurimis τὸ *quasi* diminutionem, non ampliationem significat. Præterea participium *incipiens*, de quo paullo infra, omnem particulæ *quasi* tollit ambiguitatem, demonstratque Christum, dum ad baptismum venit, annum inchoasse tricesimum. Insuper cum Latina mire conspirant Versiones aliæ: nam habet Syriaca, *Et Jesus erat quasi filius annorum triginta*. Æthiopica, *Et sufficiebat trigesimus annus Domino Jesu*. Persica, & Arabica, *Et Jesus cœperat ingredi in trigesimum annum*. Dominum baptizatum esse *annorum fere triginta*, (ut inquit S. P. Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 28. numer. 42.) *retinemus auctoritate Evangelica*; necnon perpetua traditione Sanctorum. Justinus enim in Dialogo cum Tryphone pag. 315. scribit baptizatum Christum, *cum haberet annos plus, minus triginta*. Irenæus lib. 2. adv. hæreses cap. 22. numer. 1. alias cap. 38. *Salvator triginta annorum existens venit ad baptismum*. Eusebius lib. I. Hist. cap. 10. *Quando jam ætatis suæ annum trigesimum agere incipiebat, ut scribit Evangelista, ad Joannem, ut lavacro baptismatis tingeretur, se contulit*. Gregorius Nazianzenus Orat. 39. *Christus cum trigesimum ageret annum baptizatur*. Hieronymus in cap. 1. Ezech. *Illud quoque intelligendum, quod trigesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptismum venerit*. Mitto brevitatis gratia Bedam, S. Thomam, Chronicum Alexandrinum, Zonaram, Genebrardum, Suaresium, Petrerium, Nicolaum Lyranum, Dionysium Carthusianum, Tostatum, Cajetanum, Hugonem, & ex Chronologis Gravesonium, Pagium, Schelstratium, Norisium: Quid enim multus ero Scriptores connumerando, cum nec unum aut percelebrem, aut proletarium, qui asserat Christum baptizatum anno ætatis suæ XXXIII. aut XXXIV. novitiæ hujus sententiæ patroni in medium proferre valeant?

Excutitur etiam facillime commentatio altera, quod participium *incipiens* non anni tricesimi, sed prædicationis Christi sit nota. Enimvero in tertio Lucæ capite, non Christi prædicatio, sed ætas, atque genealogia citato versu 23. & sequentibus describuntur: ac subinde initio capitis IV. regressus Salvatoris a Jordane, quadragenarium jejunium, & diaboli tentatio enarrantur; quæ etiam ex capite Matthæi quarto baptismum inter & Evangelicæ prædicationis initium intercessere. Quomodo ergo huc spectat τὸ *incipiens*? quomodo e versu 23. cap. III. divulsum, ad versum 15. capitis IV. violenter pertrahitur? Ad hæc perspicua est Vulgatæ authentica lectio, *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*: quibus in verbis *incipiens* ætati conjunctum est. Neque quidquam officit participii postpositio extans in Græco, cum interpunctione, quam ferunt ab Origene appositam, ad hunc plane modum: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρχόμενος. Ad quid enim, quæso, hæc interpunctio, nisi forte, ut participium ἀρχόμενος ad rectum Ἰησοῦς pertinere percipiatur? Adde, quod emendatissima exemplaria, & omnia, quæ vidimus, inter quæ Angelicæ Bibliothecæ Codex regius, ipsam interpunctionem non habent. Insuper Græcus antiquissimus Vaticanus n. 1209. habet, Καὶ αὐτὸς ἦν Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, mire conveniens cum Vulgata, & commentitiam recentiorum interpretationem revincens. Præterea in Græco non extat illud tantum *incipiens*, sed, *incipiens existens*, ἀρχόμενος ὤν: quod ad ætatem, non ad ministerium referri debet; unde Vatablus, Isidorus Clarius, necnon Erasmus reddiderunt: *Incipiebat agere annum tricesimum. Incipiebat esse annorum triginta*. Denique si concedamus τὸ *incipiens* ad prædicationem spectare, quid adversum nos erit consecutionis? Nonne post baptismum, jejunio tamen dierum quadraginta præmisso, *cœpit Jesus prædicare*, ut inquit Matth. IV. 17. Marcus I. 14. & Petrus Act. I. 22.? Christus itaque agens annum trigesimum baptizatus est in Jordane, eodemque anno prædicationem incœpit suam.

Insuper propositio confirmatur ex quo in priori anno Dominicæ prædicationis Judæorum quidam de Herodiano templo dixerint, Joan. II. 20. *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc*, quæ verba de Templi ornatu, non de corpore ædificii accipienda esse ostendimus pag. 18. Ex Josepho insuper lib. VI. de Bello cap. 6. imo ex Mat. XXIV. I. infertur in sacræ ædis structura plurimum operis etiam posterioribus annis insumptum, neque, dum ea verba Judæi pronuntiarant, fuisse amplissimum ædificium undequaque perfectum. At ex eodem Josepho lib. XV. Antiq. cap. 14. nunc 11. Herodes arduum hoc opus aggressus est *anno decimo octavo regni sui*; sive, ut inquit idem Historicus lib. 1. de Bello Jud. cap. 21. alias 16. *anno regni sui decimo quinto*, idest, anno XV. a cæde Antigoni; anno XVIII. ab accepto regno a Romanis: ita enim nulla offenditur in probatissimo Auctore contradictio. Herodianum ergo Templum inchoatum est anno U. C. 732. qui est Regni Herodis a cæde Antigoni XV. & ab anno, quo a Romanis declaratus est Rex, XVIII. Addantur modo *quadraginta sex anni*, ac nobis tempora supputanda erunt usque ad annum Romæ 778. quo exacto, nimirum anno U. C. 779. præterierant adamussim anni ædificationis templi XLVI. & consequenter idem annus Urbis est primus Dominicæ prædicationis, & baptismatis Christi.

Opp. I. Illa Evangelistæ verba, *Anno quintodecimo*, *&c.* non sunt Chronologica nota imperii Proconsularis Tiberii, sed imperii Augustalis. Atqui annus imperii Augustei quintus decimus concurrit cum anno U. C. 782. & cum anno vitæ Christi tricesimo tertio, idest, Æ. V. 29. & Dominus baptizatus est altero anno prædicationis Joannis, ut argumentatione proxima demonstrabimus. Ergo Dominus ad baptismum venit anno U. 783. Coss. Vinitio, & Cassio, anno Æ. V. 30. atque ætatis suæ tricesimo quarto ineunte. Probatur major. I. Ex Tacito lib. 1. Annalium, Livia Tiberii Mater defuncto Augusto *acribus custodiis domum & vias sepsit*, Filiumque vix ingressum Illyricum properis literis revocavit. Quid autem pertimescebat Livia, si Tiberius Senatusconsulto summum jam indeptus erat principatum? II. Inquit ibidem Tacitus: *Primum facinus novi principatus fuit postumi Agrippæ cædes*: ubi aperte imperium Tiberii dicitur *novum*, nuper scilicet arreptum. III. Ælius Spartianus de M. Aurelio & L. Vero inquit: *Hi sunt, qui postea duo pariter Augusti primi Rempublicam gubernavere*: ideoque nemo ante M. Aurelium, & L. Verum, in consortium imperii fuerat assumptus. IV. Historici omnes in supputandis annis Tiberii Epocham Augustianam usurpant, dum inquiunt Tiberium imperasse tribus ferme ac viginti annis, sive annis 22. mensibus septem: quibus accedunt PP. Clem. Alex. lib. 1. Stromat. Tertull. lib. adversus Judæos cap. 8. & Lactantius lib. IV. Institut. cap. 10. asserentes Christum affixum cruci anno XV. Tiberii, annos natum quasi triginta, & Consulibus duobus Geminis. Consulatus quippe duorum Geminorum concurrit cum anno XV. imperii Augustei, non Proconsularis. Commentitium est itaque Proconsulare imperium Tiberii, & incredibile omnino est Lucam Evangelistam in historia ubique terrarum narranda Epocham usurpasse sacris, profanisque scriptoribus prorsus ignotam.

Resp. nego majorem, quæ nullatenus tribus primis momentis fulcitur; quippe nos fatemur Tiberium in provinciis tantum parem cum Augusto adeptum eo vivente auctoritatem, quod & scribit Tacitus; non asserimus illum evectum ad imperium Augusteum, de quo anxia erat Livia, ne illius potiretur Germanicus, *in cujus manu tot legiones, & immensa sociorum auxilia*, ut eo loci narrat Historicus. Nihil ergo adversum nos aut Taciti, aut Ælii Spartiani testimonia. Sed & parum, aut nihil urget argumentum quartum, & quantum ad Patres attinet sententiam communit nostram. Quomodo enim Christus mortuus est anno XV. Tiberii, uti scribunt Clemens Alex. ac Tertullianus, si anno XV. venit ad baptismum, & adversarii, qui hæc objectant, inter baptismum, & mortem Christi quatuor Paschata fatentur intercessisse? Baptizatus est ergo Dominus anno XV. imperii Proconsularis, & Augustei XII. mortuus anno XV. imperii Augustiani, & Proconsularis XVIII. & qui imperium Augusteum a Proconsulari non distinxerunt, maluerunt asserere Christum passum anno trigesimo vitæ suæ, quam explotatissimam traditionem deserere de anno Christi emortuali. Nam e sententia nostra consequitur vere Christum suffixum cruci anno XV. Tiberii, & duobus Geminis Coss. ut suo loco dicetur. Falsum præterea est secutum Evangelistam Epocham ignotam penitus, cum ex dictis manifestum sit illam comprobari ex Tacito, Velleio, & Suetonio. Idem Clem. Alexandrinus lib. I. Strom. pag. edit. Morelli 339. ait Tiberii tempora a quibusdam diversa ratione describi. Tertullianus dum scribit baptizatum Dominum anno Tiberii XII. nequit accipi nisi de anno Augusteo, at supponit alteram fixam a nobis Epocham. Atque hanc secutus est Evangelista usurpans notam imperii in provinciis notissimi; quemadmodum Jeremias, & sacra Regum Historia supputant annos Nabuchodonosoris Regis Babyloniorum ab ejus in Syriam expeditione, a quo tempore regnavit annis XLIV. quamvis Berosus lib. 3. Chald. hist. Josephus in X. Antiq. & Ptolomæus in Canone nonnisi annos XL. dinumerent, illos supputantes a morte patris. Quare Evangelista secutus quoque est aliorum divinorum Scriptorum consuetudinem.

Opp. 2. Non XV. Tiberii anno, sed XVI. baptizatus est Dominus: inter initium quippe prædicationis Joannis unum, vel alterum annum interfluxisse demonstrant viri clarissimi, Pagius, Schelstratius, & Gravesonius, ex quo Dominus ad baptismum accesserit, *cum impleret Joannes cursum suum*, ex Act. XIII. 25. & *cum baptizaretur omnis populus*, ex Lucæ III. 21.

Resp. doctissimorum virorum, quorum mentio a nobis

facta

facta est, chronotaxim nobis nullatenus adversari, cum Epocham imperii Proconsularis Tiberii vel uno, vel duobus annis antevertant. Placet tamen nobis in anno potius xv. quam xvi. Christi baptismum locare, primum quia circa principatum Tiberii subscribendum censemus Norisio: deinde quia nullus aut Historicorum, aut Patrum asseruit Christum lavacro Jordanis tinctum anno xvi. Tiberii, sed concordissime factum id narrant anno xv. excepto Tertulliano, qui posuit annum xii. recte concurrentem in sententia nostra cum anno U. C. 779. computatis annis xii. a morte Augusti, sive ab anno U. 767. & annis xv. ab exordio imperii Proconsularis, scilicet ab anno Romæ 765. Tandem quia argumentum istud nullius est efficaciæ. Annus quippe Tiberii xv. concurrit cum anno Æ. Vulgaris xxv. & xxvi. cum Tiberius imperium indeptus fuerit Sextili mense. A Septembri autem anni xxv. usque ad Januarium anni proximi, quatuor mensium decursu potuit Joannis nomen undique resonare, & ad Jordanis fluenta confluere populi multitudo: nam & Christi fama initio prædicationis *exiit per universum regionem*, Lucæ iv. 14. Atque his accedit, quod non expleto Joannis ministerio, sed *cum impleretur*, (ex iisdem, quæ objiciuntur, locis) Christus suscepit baptismum. Sed & Joannes peragravit duntaxat omnem regionem Jordanis, idest, omnia circa Jerichuntem campestria, quæ sacer fluvius perlustrat, & quæ quatuor tantum mensibus poterat prænuntii ministerio commode circuire.

Opp. 3. Evangelista non solum meminit anni Tiberiani xv. verum etiam Pilati eo temporis Judæam procurantis. At Pilatus anno U. 779. nondum erat Procurator Judææ: inde enim urgente Vitellio discedens *exactis in sua Provincia decem annis*, ad Urbem iter suscepit, quo priusquam perveniret, excessit e vita Tiberius. Obiit autem Tiberius Consulibus Cn. Acerronio Proculo, & C. Pontio Nigrino, idest, anno Æ. V. 37. & U. C. 790. Pilatus ergo ante annum U. 780. non fuit Judææ Procurator. Vide Josephum lib. xviii. Antiq. cap. 3. alias 5. & de Bello Jud. lib. ii. cap. 13.

Resp. Pilatum ex Josepho ibidem missum in Judæam successorem Grati, qui exactis annis xi. Romam repetiit anno Æ. V. 25. & U. C. 778. Quomodo ergo Pilatus proximo anno minime Judæam procurabat? Pervenit utique Romam anno U. 790. sublato e vivis Tiberio xvIII. Kal. Apriles: sed Josephus scribens Romam illum venisse *consumptis decem annis in Judaea*, vel omisit menses aliquot primi ac postremi anni, ut efferret numerum annorum rotundum, vel pro δέκα *decem*, scripsit ἕνδεκα, *undecim*: vel sane Pilatus male sibi conscius, & judicium refugiens, seu morbum finxerit, seu ventorum contrarietatem, seu caussam aliam, expectavit in itinere mortem Tiberii Cæsaris.

Opp. 4. Ex Evangelicis verbis, *Et ipse Jesus erat quasi annorum triginta*: inferre non possumus, qua ætate Christus baptismum susceperit. Particula enim *Quasi* definitiva non est: nam de turbis a Domino satiatis legimus Marci viii. 9. *Erant qui manducaverant quasi quatuor millia*. Joannis vi. 10. *Quasi quinque millia*; & Matth. xiv. 21. *Erant autem quinque millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus*. Possumus ergo asserere Christum ad baptismum venisse anno ætatis suæ tricesimo quarto ineunte.

Resp. neque a nobis usurpari particulam illam *Quasi* tanquam anni tricesimi definitivam, cum sententia nostra veniens Dominus ad baptismum vix tricesimum annum attigerit. Quare affirmamus hujus particulæ eamdem vim esse, ac si diceretur *plus minus*, quemadmodum ait S. Martyr Justinus disputans cum Tryphone. In sensu autem diminutivo particulam illam accipiendam putamus, quod participium *incipiens* denotet inchoatum annum tricesimum, non exactum; quod communiter Patres, qui dum sacræ literæ ambiguæ sunt, nobis facem præferunt, baptizatum Dominum ubique affirment anno labente tricesimo; quod præterea id maxime cohæreat cum annis Domini tam natali, quam emortuali. In præcitatis vero Evangelistarum verbis nihil prorsus difficultatis offendimus. Etenim Marcus cap. viii. enarrat aliud Christi miraculum, atque ipsemet cap. vi. 44. *Erant autem* (inquit) *qui manducaverant quinque millia virorum*, non secus, ac in capite xiv. Matthæus. Miraculum istud patratum est in deserto, multiplicatis quinque panibus, & duobus piscibus: at quod Marcus narrat cap. viii. contigit prope mare Galilææ in panibus septem, paucisque pisciculis. Perperam itaque hisce exemplis nonnulli utuntur ut differant baptismum Christi ad annum quartum ac tricesimum, passionem vero ad tricesimum septimum: quod pariter repugnans est, adversatur Patrum traditioni, & paullo post refutabitur.

Opp. ultimo: Negari saltem non potest, quin Dominus ad baptismum accedens annum tricesimum exegerit; quippe id comprobatur expresso testimonio Ignatii Martyris scribentis ad Trallesios, *Et expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus est a Joanne*. Adversus autem tam patens de ætate Christi testimonium nemo vel mutire, nedum refragari debet, inquit Baronius. Accedunt Canones præscribentes, *ne quis presbyter ordinetur, nisi triginta ætatis annos impleverit, quoniam & Dominus trigesimo anno baptizatus est*. Ita Canon xi. Concilii Neocæsariensis, 17. Agathensis, 4. Carthaginensis iii. & 20. Toletani iv. Consonat & antiquus Ordo Romanus laudatus ab Albino Flacco de Off. Eccles. cap. 6. nec non cap. *Siquis*, dist. 78. & cap. *Cum in cunctis*, de Elect. & Electi potest.

Resp. 1. His nullo pacto sententiam nostram concuti, si natalem Christi referamus ad annum U. 748. aut inter passionem ac baptismum tria duntaxat Paschata dinumeremus: quæ duo possunt aliqua probabilitate defendi, nec pugnant cum Antiquorum consensu, quemadmodum pugnat sententia eorum, qui contendunt Christum baptizatum anno ætatis suæ xxxiv. Respondemus præterea his quoque momentis demonstrari baptizatum Dominum anno xxx. inchoato, nondum autem exacto. Martyr enim Ignatius ad Trallianos inquit: Καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου ἀληθῶς: *Et triginta annos agens baptizatus est a Joanne vere*: non ut vertit olim Vairlenius Silvius, *Et expletis tribus annorum decadibus*. Pagius in Apparatu numer. 151. observat hæc verba legi quidem in Epistola Ignatii interpolata, at non in genuina. Revera non comparent in Florentino Codice edito ab Isacio Vossio. Extant tamen in vetustissimo Vaticano numer. 850. & laudantur ab Auctore Chronici Alexandrini. Ignatii itaque testimonio admisso, eodem sententia nostra fulcitur. Canon etiam Neocæsariensis habet, *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur*, nec aliter Agathensis, ac Toletanus. In antiquo pariter Ordine Romano legitur, *Expletis enim Christus quasi triginta annorum curriculis venit ad Jordanem, ut baptizaretur*; non autem absolute, *expletis*. Aliter legi fatemur in cap. *Siquis*, dist. 78. sed ex regulis Juris, & ex eadem distinct. infertur canonem explicandum esse de anno tricesimo duntaxat inchoato; quoniam dum agitur de muneribus & honoribus, computatur etiam tempus, quo infans in utero materno delituit, & sat est si annus præscriptus una tantum die attingatur, ut censeatur transactus; uti observat Glossa in lib. 1. Decret. tit. 6. c. 7. & de Laicorum muneribus extat ff. *de mun. & hon. ad Remp.* Canone etiam *Cum in sanctis*, nequaquam inhibetur, (servatis terminis juris) ne Episcopus eligatur dum tetigit, nec explevit annum trigesimum; sed id inhibitum duntaxat est Constitutione Gregorii XV. edita die 15. Maji an. 1591. ut inquit in hunc titulum Emmanuel Gonzalez. At Joannes Cardinalis a Turrecremata in cap. *Siquis*, definitam quidem censet ætatem tricesimi anni completi: sed ait rationem petitam *ex Christi baptismate* videri Glossæ & Hugoni inefficacem; cum Christus ad baptismum accedens non attigerit anni tricesimi, nisi diem tertiumdecimum. In distinct. lxxvii. cap. *Nemo presbyter*, definitur, *ne quis dum consecratur, minor triginta annis sit*; atque proximo cap. *Si triginta*, ut si necessitas exposcat, *a vigintiquinque annis & supra Levitæ, & Sacerdotes ordinentur*. In veteri quoque Testamento legimus Num. iv. 3. admissos Levitas ad ministrandum in tabernaculo fœderis, *a trigesimo anno & supra*, habet Vulgata, & Hebræus Codex, *a filio triginta annorum*. מִבֶּן שְׁלֹשִׁים שָׁנָה. At ibi in Versione lxx. legitur, ἀπὸ εἰκοσιπέντε ἐτῶν καὶ ἐπάνω, *a vigintiquinque annis, & supra*. Hæc spectasse videntur prædictorum canonum Conditores, ac Tridentina Synodus sess. xxiii. cap. 12. dum ait: *Nullus in posterum ad Presbyteratus Ordinem ante vigesimum quintum ætatis annum promoveatur*. Cum igitur in promovendis presbyteris post Tridentinum Concilium requiratur tantum annus vicesimus quintus inchoatus, non autem expletus; dicendum est eamdem ætatem præscribi Canone, *Si triginta*, dist. 78. quemadmodum tricesimum annum Can. *Siquis*, eadem distinctione, necnon præcitatis definitionibus Toletani, Carthaginensis, & Agathensis Conciliorum; præsertim cum Toletanum apud Aguirre Tom. ii. pag. 483. præferat legem præcitatam Numerorum. Ex quibus infertur præscriptionibus Canonum nequaquam adversari, sed quammaxime consentire sententiam, quæ asserit baptizatum Dominum anno tricesimo nondum expleto; prout nos hac dissertatione exponere, & comprobare curavimus.

PROPOSITIO III. Christus baptizatus est viii. idus Januarias.

Hanc propositionem addimus adversus recentiores perpaucos, qui unius Epiphanii sententiam secuti baptismum Christi referunt in autumnum, cum idem Epiphanius H. li. scribat baptizatum Jesum *die 12. mensis Athir, idest, octavo Novembris*. Verum cum hæc Epiphanii sententia singularis sit, ab ea recedendum esse arbitramur. Movet nos primum traditio Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ in solemni Epiphaniorum die Magorum adventum, & Redemptoris baptismum concelebrat, affirmatque eadem die recurrente utrumque contigisse. Viget eadem traditio apud Ecclesias ceteras: nam Christiani Copti, ut scribit Scaliger lib. vii. Emendat. temporum, quotannis sexta Januarii die memoriam baptismi Dominici recolentes

lentes sese in piscinam immergunt. Armenii pariter VIII. idus Januarias crucem in equam immittunt Christi baptismum recolentes, eppellantque diem illem *Caeceiurun*, idest, *Crucis immersionem*: atque hanc Armeniorum cæremoniam se in Perside vidissa scribit Epist. VIII. Patrus a Valle. Ecclesiæ Orientis aliæ prædicta die in aquam Christi statuam immittunt trine immersione, etque eamdem aquam diutissime incorruptam permenere narrat ad annum Christi eo. Antonius Pagius, referens Josephum Georgerinum Archiepiscopum in insula Arcipelagi enno 1676. hoc Orientalium ritu servato Aquam consecrasse, quæ limpidissima perduravit annis plurimis, & servata esset diutius, nisi phiala fortuito fuisset confracta. Apud Ægyptios recoli in Epiphaniis Christi revelationem, etque baptismum, scribit Collet. 2. cap. 2. Joannes Cassianus. Omnes Orientis Christianos die 6. Januarii in memoriam Dominici baptismatis solemni ritu benedicere flumen, quo regio ipsorum ebluitur, nerrat lib. 2. de Festis cap. 7. Thomassinus. Est ergo utriusque Ecclesiæ cum Latinæ, tum Græcæ, aliarumque universarum sensus unanimis baptizatum Dominum in Jordana VIII. idus Januaries.

Cujus traditionis meminerunt etiam Patres. Nam Eusebius in Epistole ad Marinum epud Baronium ed annum Ch. XXXI. num. 18. ait constare *antiquissima traditione*, quod Christus baptizatus sit sexta dia Januerii. Epistolæ Eusebianæ fragmentum posteriteti traditum est e Christophorsono post Historiam Evagrii. S. Hieronymus in cap. 1. Ezech. Tom. III. pag. 699. inquit: *Illud quoque intelligendum quod in tricesimo atatis suu anno Dominus ad baptisma venerit, in quarto mense, qui apud nos vocatur Januarius, & est iu anni primus exordio*. S. Paulinus Nat. IX. in S. Felicem da Epiphaniorum die cecinit:

Quu Puerum stellu duce mystica dona ferentes
Supplicitar videre Magi; seu qua magis illum
Jordanis trepidans lavit tingente Joanne
Sacrantem cunctis vecreandes gentibus undas.

Accedit Chronicon Alexandrinum, in quo Tom. VII. Bibl. PP. p. 927. legimus: *Christus verus Deus noster in Jordane tinctus est die sexto Januarii mensis, quemadmodum sine controversiu eodem die Catholicu & Apostolicu Ecclesia in suo ipsius typo & XII. Apostolorum suorum diem festum Luminum, sive Epiphaniam Domini nostri Jesu Christi magni Dei & Salvatoris celebrare consuevit*. In Codice item Regio epud Cotaler. Tom. I. PP. Apost. pag. 312. legitur: *Et cum esset annorum triginta, baptizatus est a Joanne 6. Januarii mensis, hora 7. diei*. Denique ipsi severiores Critici fatentur hac die Dominum baptizatum. Hyacinthus Serry Exercit. XLV. num. 5. ait: *In id consentiunt universi, ut dit 5. aut 6. Januarii fuerit baptizatus, quu die etiam Ecclesia Catholica a primis sæculis Theophaniam solitu est celebrare*. Tillemontius Not. XVI. in Jesum Christum ait certiorem esse diam baptismatis Christi, (quod & ipsa alligat diei Januarii sextæ), quam diem Dominicæ Nativitaris. Ipse Basnagius, quamvis diem que Christus baptizatus est effirmet prorsus incertam, mansem quod ettinet, fatetur vero simile Januarium fuisse baptismo Dominico consecratum. De die nutat Basnagius, quoniam Clemens Alexandrinus, lib. I. Stromatum de Basilidis sectatoribus inquit: *Dicunt autem eum esse quintumdecimum annum Tiberii, quintumdecimum mensit Tybi. Aliqui autem esse undecimum ejusdem mensis*. Incidit vero Tybi XV. in Januarii 2. & Tybi XI. in Jenuarii VI. Addit Basnagius Hieronymum in cap. 1. Ezech. elligare baptismum Domini quintæ Januarii, non sextæ diei. Objicit & Epiphanium, qui hæresi LI. n. 24. ait Christum baptizatum VI. *idus Novembris*. Sed hæc parum urgent. Sectatorum enim Basilidis nullam rationem habemus; & qui in ea secte baptismum Domini celabrebant dia X. Jannerii, eb eliorum consuetudine desciverant. Ex quo præterea aliqui assererent consecratum Dominico beptismate diem XI. Tybi, sive VI. Januarii traditionis nostræ colligi potast antiquitas. Hieronymus ait, *Quintum autem diem mensis adjungit* (Ezechial), *ut significet baptisma, in que uperti sunt Christo culi*: sed festivitates celebrantur e vespera præcedentis diei, consuetudina vetustissima. Epiphanius deniqua unus est, qui asseruit Jesum baptizatum die octeve Novembris, ut etiam Tillemontius adnotavit præciteto loco, etsi ibidem male pro die VIII. Novembris scripserit VI. Sane unus Epiphanius non sufficit ad probandam Ecclesiæ universæ traditionem: erretque Bernardus Lamy, qui in apparatu Chronologico pag. 234. scribit: *Huc die octava Novembris Jesus baptizatus est juxtu veterem traditionem ex S. Epiphanio*. Id legi in Panario Epiphanii, verum est; tenendum tamquam traditionem vaterem, falsum prorsus, atqua ementitum.

CAPUT VI.

De Christi post susceptum baptismum prædicatione.

TAMETSI nonnulli Patrum Christum uno tantum anno prædicasse existimaverint, ut Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. Philastrius hær. 106. & Gaudentius Tract. 3. de I. Dominica Paschæ, & quidam alii; necnon fuerint, qui prædicationem Domini dixerint annis duobus completam, ut Apollinarius Laodicenus apud Hieronymum in cap. 9. Dan. & Cyrillus Alex. in Isaiæ 61. omnes tamen hujus ævi Chronologi tribus annis, ac totidem mensibus Dominum Jesum Evangelium annuntiassa fatentur; sive contendant baptizatum Dominum anno XII. Imperii *Augustalis* Tiberii, Æ. V. 26. ac passum enno Tiberii XV. Æ. V. 29. sive baptizatum hoc enno, crucifixum vero anno Tiberii XVIII. Æ. V. 32. sive denique baptizatum anno Tiberii XVI. Æ. V. 30. affixum cruci anno Tib. XIX. & Æ. V. 33. In unaqueque enim istarum sententiarum tres anni inter baptismum & mortem Christi intercesserunt, ec præterea tres circiter menses, quibus baptismus entevertit Paschati Azymorum.

Et quidem juxta Augustinum lib. II. de Doct. Christ. cap. XXVIII. n. 42. quot annos Dominus in hac vite egerit post baptismum, ex textu ipso Evangelii animadverti potest, *& ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historiu gentium colluta cum Evangelio liquidius certiusque colligitur*. Ex Evangelio constat baptizatum Dominum cum esset *fere annorum trigintu*, quod & nos *retinemus auctoritatu Evangelica*, inquit ibidem S. Peter. Ea Gentilium historiis liquet Consuletum duorum Geminorum incidere in annum U. C. 78e. Æ. V. 29. quo enno Christum affixum cruci demonstrabo capite sequenti, & absqua ulla hæsitationa asserit idemmet Augustinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 54. Cum itaqua demonstratum sit præced. cap. Christum baptizatum anno Æ. V. 26. dia 6. Januarii, dum egatet annum tricesimum, idque sit consentaneum historiæ Evangelicæ; si passus est duobus Geminis Coss. quos ex Romanis historiis constat iniisse consulatum anno Æ. V. 29. apertissime ex Evangelio cum Romanorum Fastis collato sequitur Dominum tribus integris annis prædicasse. II. Idem ex Evangelio potest confirmari, ubi invenimus baptismum inter, ac mortam Domini quatuor Paschata. Primum post miraculum in nuptiis Canæ patratum, de quo Peschete Joannis II. 13. *Et prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymum*. Alterum est Pasche, de quo Joannis V. 1. *Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam*. Tertium Pascha est, de quo idem Evangelista cap. VI. 4. *Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum*. Quartum denique illud est, in cujus solemnitate impii Dominum crucifixerunt, Mat. XXVI. 17. & Joannis XVIII. 39. Ac de primo quidem, tertio, ac postremo Paschate nulla oriri potast dubitatio: diem tamen festum, de quo Joannis V. 1. fuisse Pentecostem tradiderunt nonnulli Patres, quibus subscribit S. Thomas in caput V. Joan. lect. 1. Sunt & qui putant fuissa festum Encæniorum. Sed fuisse Azymorum solemnitatem tenent in Commentariis h. l. Rupertus, Jansenius, Cornelius a Lapide, Pererius in Dan. Suarez disp. 30. da Vita Christi, sect. 3. Natalis Alex. in Synopsi I. sæc. art. 4. Gravesonius dissert. XV. §. 2. Cardin. Gotti de Christi gestis cap. 19. necnon Usserius ed annum P. J. 4744. Grotius in Joannem, & alii permulti. His ultro subscribimus, quia *dies festus* absolute denotat Pascha, atiamsi in Græco ubique non apponatur articulus, ut Marci XV. 6. & Lucæ XXIII. 17. Conferas Mat. XXVI. 5. & Joan. XII. 12. ac XIII. 29. Adde Joannem, ubi in aliis locis usurpat vocabulum *diei festi* ad aliam festivitatam commonstrandam præter Paschalem, adjicere proprium festivitatis nomen, ut *Scenopegiæ* cap. VII. 2. & *Encæniorum*, cap. 2. X2. Prætarea Irenæus lib. 2. adv. H. cap. 39. nunc 22. num. 3. scribit: *Secunda vice ascendit* (Jesus) *ad diem festum Paschæ in Hierosolymam, quando paralyticum curavit*: quod enarratur Jo. V. Deinde ex præcedenti cap. IV. Joan. vers. 35. cum esset Dominus in Sameria, ait: *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*: postea adiit Galilæam; & cum ibi aliquandiu essat commoratus, ascendit Jerosolymam *ad diem festum*: ed quem festum, nisi ad festum Paschatis, quo redannte solent in Judæa segetes maturescare? Postremo Dominum Jesum quotannis in Azymorum solemnitate Jerosolymas adscendisse epparet ex sacra Evangaliorum historia. Itaque *festus dies*, de quo Joannis V. 1., Pascha erat: & quatuor Paschate baptismum inter, ac mortem Christi interfluxerunt. IV. In sententia quoque S. Thomæ connumerantur quatuor hæc Paschata; nam inter baptismum, & nuptias in Cana Galilææ celabratas Doctor Angalicus Lect. 1. in cap. 2. Joan. censat annum solidum interfuisse, quod & esserunt Intarpretum bene multi, ec noster Simon e Cassia in Evan. Hist. lib. V. capite I. qui scribit eadem die, *revoluto anno*, a Domino primum signum patratum, que die undis tinctus fuerat Jordanis. In hac antem sentantia, si inter baptismum & prædicationis initia annus solidus intercessit, Pascha da quo Joan. II. 13. ast a baptizato Domino secundum, non primum; ideoque in eadem opinione, etsi Joannis V. 1. de Paschete non fiat sermo, idem tamen ennorum numerus computatur. At nos sententiæ præcedenti subscribimus; neque arbitramur Dominum Jesum in baptismata divina voce manifestatum, anno integro latitasse; præsertim quod ex cap. I.

Joan-

Joannis vers. 35. colligitur paucis post baptismum diebus Andream ac Petrum secutos Dominum, ac paullo post in Cana Galilææ factas nuptias: ex Matthæi autem IV. 1. Marci I. 12. & Lucæ IV. 1. liquet, Jesum statim post baptismum ductum in desertum e Spiritu, post jejunium vero, ac Satanæ tentationem profectum ad prædicandum in Galilæam. III. Tribus annis Dominum prædicasse commonstrat Patrum traditio. Ignatius ad Trallianos, *Tribus annis*, inquit, *prædicavit Evangelium*: atque hunc locum insititium non esse ostendimus supra ex vetustissimo Cod. Vaticano, & ex Chronico Alexandrino: unde quæ non leguntur circa ætatem Christi in editione Vossiana, jure sunt restituta a Schelstrateno Tom. I. Antiq. Eccl. pag. 58. & a Cotelerio Tom. II. Pat. Apost. pag. 68. Irenæus cit. loco pag. 147. (quemquem adversus Gnosticos unum prædicationis annum Christo tribuentes asserat passum Dominum circa annum quinquagesimum ætatis suæ) idem tamen Dominicæ prædicationis spatium ad tres annos extendi ex Evangelica historia demonstrat. Hinc Pagius ad annum 32. num. V., contendit ea, quæ de anno passionis Christi scribit Irenæus, insititia esse & corrupta, quoniam si Irenæus fatetur Christum baptizatum anno tricesimo, & prædicationis tempore tria paschata peregisse, debuit consignare passionem Christi, non anno ipsius quinquegesimo, sed tricesimotertio. Sed fallitur vir doctissimus, quoniam Irenæus tria Paschata non a baptismo enumerat, sed ab eo tempore, quo magistri munere fungi cœpit, spatio plurium annorum interjecto, ut evidenter probat Massuetus dissert. III. art. 6. num. 72. Verum, cum ex dictis constet annorum intervallum inter baptismi, & prædicetionis tempus minime intercessisse; haud obscure ex ipsomet Irenæo ætatem Domini, & maxime tempus prædicationis inferimus. Tertullianus scribens lib. I. adversus Marcionem cap. 15. Dominum revelatum *anno* XII. *Tiberii Cæsaris*, & contra Judæos cap. 8. passum anno Tib. XV. *Consulibus duobus Geminis*, sententiæ noster adstipulator est, ac patronus. Joannes Chrysostomus Tom. VI. pag. 509. in illud, *Exiit edictum*, inquit: *Jesus Tiberio imperante, cum annorum triginta esset, suam apud discipulos divinitatem declaravit, ac per tres deinceps annos prædicavit*. Suffragatur Chrysostomo Leontius Byzantinus, cujus in libro de Sectis hæc sunt verba: *Annos natus* XXX. *baptizatus fuit, ac post baptismum prodigia facere cœpit, & Judæos docere, atque anno* XXXIII. *in crucem actus*. Theodoretus in Dan. Tom. 2. pag. 665. *Cum annos* (inquit) *circiter tres cum dimidio prædicasset Dominus, suosque discipulos doctrina & miraculis confirmasset, tunc passus est*. Ex his vero, aliisque apparet cur Beda hanc sententiam adeo certam putaverit, ut eam ad fidem pertinere arbitratus fuerit, scribens de Rat. temp. cap. 45. *Habet, ni fallor, Ecclesiæ fides Dominum in carne paullo plus quam triginta tribus annis vixisse*. IV. Accedunt fere omnes Historici: inter quos Eusebius lib. I. H. E. cap. 10. edit. Valesii pag. 17. inquit: *Servator, ac Dominus noster Jesus Christus anno ætatis circiter tricesimo* (est in Græco ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, quæ verba denotant anni tricesimi initie) *ad Joannis lavacrum accessit, tuncque primum Evangelium prædicare instituit*; & paucis interjectis, *Universum prædicationis Dominicæ tempus non totos quatuor annos complecti manifestum est*. Eadem scribit Nicephorus lib. I. cap. 18. & cap. 29. Historici autem posteriores concordissime. Fatemur tamen Eusebii, ac Nicephori argumentum petitum ex serie Pontificum ab Anna ad Caipham, non esse firmissimum; quoniam Caiphas factus est Pontifex e Valerio Grato, qui ex Judæa discessit anno Tiberii XII. & idem Caiphas una cum Anna, ex Lucæ III. 1., anno, quo Christus baptizatus est, erat Pontifex, sive per vices summi Sacerdotii munere fungeretur, sive Anna esset ex-Pontifex, ut contendit Henricus Valesius. Sane series Pontificum Annæ, Ismaelis Ben-Baphi, Eleazari filii Annæ, Simonis filii Camithi, & Caiphæ, quos Valerius Gratus substituit, ex Josepho lib. XVIII. Antiq. præcedit annos Dominicæ prædicationis, quæ proinde nequit ex ipsa serie Pontificum definiri, præsertim quod Caiphas Pontificatum obtinuit anno baptismatis Christi, & anno Passionis, ac fortassis toto tempore administrationis Pilati. V. Fulcitur denique assertum nostrum vetustissimis monumentis. Christum enim tribus annis prædicasse, & quatuor celebrasse post baptismum Paschata, probat ex Evangelio Joannis Auctor Chronici Alexandrini: idem tradunt Evodius Apostolorum discipulus apud Nicephorum Callistum lib. II. cap. 3. & Euthymium Zygabenum in cap. 2. Joannis, Hippolytus Thebanus in libro de Cognat. Christi apud Canisium tom. III. Antiq. lect. & Schelstratium in Append. ad Opus Chronologicum: Auctor antiquissimi Ms. Codicis Florentini conscripti temporibus Honorii primi, cujus meminit Ant. Capellus, & Schelstratius diss. I. pag. 57. in quo legitur ex traditione Apostolorum, *Christum Dominum mansisse in hac vita* XXXIII. *annos, & menses* III. Manuscriptum denique Regium, ac vetustissimum, de quo Cotelerius ad lib. V. Constit. Apostol. pag. 312. Firmissimis itaque argumentis Evangelica historia, traditione Patrum, Historicorum testimonio, & antiquorum fragmentorum fide corroboratis constat Dominum Jesum tricesimo anno baptizatum, atque post tres annos prædicationis exactos affixum cruci.

Ab hac sententia recedendum non est, vel ob Irenæum, qui lib. 2. cap. 22. num 6. scribit passum Dominum, cum non multum e quinquagesimo anno abesset, ductus traditione *Seniorum*, a quibus acceperat Christum quadragenerio majorem cœpisse prædicationem, necnon textu Joan. VIII. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* I. Quia hæc traditio Apostolica non erat, cum neque ab Ignatio, neque ab Evodio, neque a Clemente, neque ab aliis Apostolorum discipulis profluxerit, sed vel e Papia, ut putat Feuardentius, vel ab alio quopiam ingenii pertenuis. II. Quia S. P. Augustinus lib. II. Doct. Ch. cap. 28. scribit, *Ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum*, Irenæi sententiam suppresso nomine abjiciens. Tertio quia Irenæus Gnosticos asserentes uno post baptismum anno Dominum prædicasse ita refellit, ut Christi ætatem ultra Tiberii Cæsaris Principatum protrahat. IV. Quia ibidem Irenæus num. 4. recte scribit baptizatum Dominum cum tricesimum annum ageret, & posteaquam vinum fecit ex aqua in Cana Galilææ, tria Paschata celebrasse: dempto itaque magno illo annorum spatio inter Christi lavacrum & prædicationis ministerium, ipsius Irenæi sententia a communi traditione patrum, vel nihil discrepabit.

Neque ad ætatem Christi definiendam plurimum valent ea Judæorum verba, *Quinquaginta annos nondum habes, &c.* Principio enim subscribendum est Lyrano plane ea verba explicanti, *Nondum vixisti unum Jubilæum*; aut Menochio similiter reddenti, *Ut te maxime provectum ætate facias, certe te facere non potes quinquagenarium*. Theophylactus in Evangelia pag. 690. inquit: *Hoc dicebant, existimantes Dominum fere quinquaginta annorum esse; tametsi tunc triginta & tres tantum annos haberet*: sed post pauca, *Veruntamen dicunt quidam quinquagesimum annum ad honorem anni Jubilæi dictum*. Chrysostomus hom. 54. in Joan. pag. edit. Commel. 779. legit *quadraginta*: in quem locum irrepsisse mendum putat Erasmus ductus præcitatis verbis Theophylacti: quod non assentior; cum Euthymius in Joannem pag. 364. edit. Parisiensis scribat: *Quædam autem exemplaria habent quadraginta*. Aliquo igitur hujus generis exemplari ad Vulgatam tamen, & meliorum Codicum fidem castigando, usus est Chrysostomus, cujus lectiones omnes conspirant.

Eorum quoque opinio, qui Domini prædicationem ad unum contraxerunt annum, & fundata in vaticinio Isaiæ LXI. 2. *Ut prædicarem annum placabilem Domino*, nequit firmo talo consistere: eamque recensitis in Evangelio Joannis Paschatibus refutet cit. loco Irenæus tamquam Gnosticorum commentum, scribens num. 3. *Quoniam autem hæc Pascha tempora non sunt unus annus, quomodo uno anno tantum Dominus prædicavit?* Ibidem ait Irenæus annum Domini acceptabilem esse *omne ab adventu ejus tempus usque ad consummationem, in quo ut fructus eos qui salvantur acquirit*. Potest insuper annus acceptabilis accipi non pro toto tempore Dominicæ prædicationis, sed pro anno redemptionis: unde Cyrillus Alex. lib. V. in Isaiam p. 859. ait: *Acceptus annus erat, quo pro nobis crucifixus est Christus*. Etsi vero Gnostici, quos exagitat Irenæus, annum duntaxat unum Christi prædicationis statuerint; Clemens tamen Alexandrinus, Philastrius, Gaudentius, & qui pariter coarctarunt Dominicæ doctrinæ ministerium, nequaquam id acceperunt a Gnosticis; sed in eam sententiam abierunt, quod non satis distinguerent inter imperium Tiberii Proconsulare, & Augusteum, atque illis aliunde persuasum foret Christum baptizatum an. Tiberii XV. & affixum Cruci Coss. Gemino, & Gemino: quorum primum habetur in Evangelio, alterum liquet ex Veterum traditione. Hinc recte de sententia S. Gaudentii in notis ad ejus Opera edita jussu doctissimi Cardinalis, Brixiensis Antistitis, & Apostolicæ Sedis Bibliothecarii Angeli Mariæ Quirini, pag. 249. scribit vir eruditus Paulus Galeardus, in eadem fuisse complures ex antiquis Patribus, præsertim qui mortem Christi anno XV. Imperii Tiberii Cæsaris, duobus Geminis Coss. consignerunt: quamquam in sententia quam propugnamus utrumque verum est, Dominum cruci suffixum anno XV. imperii Augustalis Tiberii, & in Consulatu Geminorum, ut complures veterum tradiderunt, & tribus annis prædicasse, ut demonstratum est modo.

II.

In Christi prædicatione venit priori loco recensenda vocatio Apostolorum: quorum nomina hoc ordine recitat Matthæus cap. X. 2. 3. 4. *Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddeus*,

dæus, *Simon Chananæus*, & *Judas Iſcariotes*, *qui & tradidit eum*. Apoſtolorum Princeps *Simon* vulgari apud Hebræos vocabulo appellatus, & quo denotatur *vir obediens*, filius *Joannis*, Jo. XXI. 15. & *Jona* Mat. XVI. 17. quo nomine etiam *Columba* ſignatur, ſuperinditum habet a Chriſto nomen *Petrus*, Matth. XVI. 18. ſive *Cephas*, Joan. I. 42. eo quod ipſe ſit Eccleſiæ *petra*, *fundamentum*, & *caput*. Neque hæreticis denegantibus Romanorum Pontificum in Eccleſia primatum ſuffragantur illi Patres, qui ea verba Matth. XVI. 18. *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, aliquando ad Chriſtum referunt, aliquando ad fidei confeſſionem; enim vero hi Patres minime negant Petrum quoque eſſe Eccleſiæ *petram*, & in Eccleſia tenuiſſe primatum; imo aſſerunt ideo primatum obtinuiſſe, quoniam in ejus perſona Chriſti fides inconcuſſa debebat perſiſtere, & ipſe Petrus Chriſti, qui Eccleſiæ fundamentum eſt, & angularis lapis, vices gerebat. Quare optime S. P. Auguſtinus Tract. CXXIV. in Joan. num. 5. ait ædificatam Eccleſiam ſuper *Petram*, quæ eſt Chriſtus; & ſerm. LXXVI. alias 13. de Verbis Dom. num. 1. ſuper *Petram*, quam Petrus confeſſus fuerat, ac demum lib. I. Retract. cap. 21. num. 1. ait, ut lector eligat ſententiam, quam putat probabiliorem, ideſt, an *Petra* ad Chriſtum, an ad Petrum ſit referenda. Verum S. Pater litem omnem dirimit ſcribens eodem Tractatu CXXIV. quod ſi dicamus Eccleſiam ædificatam ſuper *Petram*, quæ eſt Chriſtus, claves datæ ſunt Eccleſiæ, quatenus collatæ ſunt Petro, qui ejuſdem Eccleſiæ *propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam*. Quod Auguſtinus repetit citato ſerm. 76. num. 3. ſcribens: *Idem ergo Petrus a petra cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens, &c.* & lib. I. Retract. loco citato non rejicit quod ſcripſerat adverſus Epiſtolam Donati, *quod in Petro, tanquam in petra, fundata ſit Eccleſia: qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente, culpam diluit*. In Pſalmum denique VIII. num. 1. ait S. Pater Eccleſiæ Petrum *in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum quem in diſcipulis habuit*. Sive ergo dixerit Petrum ipſum eſſe *petram*, ſive dici *petram* vel a Chriſto, qui petra eſt, vel a fidei firmitudine & confeſſione, ſemper Petrus habet in Eccleſia primatum, ad quem commonſtrandum dictus eſt *Cephas*. Atque hac ratione facilius reſpondebis Novatoribus, quam ſi cum Bellarmino lib. I. de Rom. Pontif. cap. 10. dixeris Auguſtinum ex ignorantia linguæ Hebrææ fuiſſe deceptum. Verum de his alibi.

Petro conjungitur Gentium Apoſtolus Paulus, quamvis poſt Chriſti aſcenſionem vocatus, Act. IX. 4. ex quo loco intelligimus proprium ipſius nomen fuiſſe *Saulum*. Hinc derivatum nomen *Pauli*, addita terminatione Græcorum more, & priori litera commutata, ut ea vocabulo Syro-hebraico fieret Græcis, Latiniſque commune. Alii tamen derivatum putant a Proconſule Paulo. Penes Græcos *Paulus* idem ſonat, ac *humilis & quietus*, a παύω; apud Latinos id, quod *puſillus*. Andreas frater Simonis Petri, & qui omnium primus ſecutus eſt Dominum, dicitur ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, idemque valet, ac, *fortis*, *virilis*. Jacobo & Joanni filiis Zebedæi, quem e Galilææ primoribus putat Turrianus contra Vergerum, neſcio quo ductus argumento, ſuperadditum Marci III. 17. nomen *Boanerges*, ideſt, *filii tonitrui*, Syro-hebraice, בני־רעם, *Benereem*, juxta Hieronymum. In Pſalmo LXXX. 8. רעם, *tonitruum*, nos legimus *tempeſtatem*, quidam vero *majeſtatem*, quod ut plurimum divina Majeſtas cum tonitru apparuerit, ut Exodi XIX. 18. Jacobus itaque & Joannes *Boanerges* dicti ſunt, quaſi ad eximiam eorum electionem præſignandam, quod ſeorſim a ceteris cum Petro Apoſtolorum principe aſſumpti fuerint teſtes Dominicæ transfigurationis; & unus primus omnium ſanguinem pro Chriſto fuderit: alter Apoſtolis omnibus ſuperſtes teſtimonium diutiſſime perhibuerit veritati. *Philippus* Græcum nomen eſt ſatis notum, niſi repetendum velis ab פלאי, quaſi, *ore mirabilis*, ut cenſet Grotius in VI. Act. Fuit ille Andreæ, ac Petri concivis, hoc eſt, a Bethſaida, ſita ad ripam maris Tiberiadis occiduam, in diſtrictu tribus Zabulon, non, ut inquit ad annum 31. num. 70. Baſnagius, *in tractu tribus Gad*. Et quidem ad tribum Zabulon Betſaidam pertinere docent in deſcriptiona Terræ ſanctæ Guilelmus Sanſon Tom. 2. Op. S. Hieron. pag. 505. Chriſtianus Adrichomius pag. 137. & in Tabulis Geographicis noſter Lubin, Philippus de la Rue, M. de Fer, & alii; nec dubium eſt, quin Baſnagius deceptus fuerit a Lightfootio locante Betſaidam ultra Galilææ tractum. Quare imperite ſimul, ac temere idem Baſnagius reprehendit Baronium ſcribentem ad annum 32. num. 7. ex tribu Zabulon fuiſſe prælaudatos Apoſtolos; cum Baronii ſententia vera ſit, ac tradita etiam a magno Palæſtinæ incola Hieronymo in caput 9. Iſaiæ Tom. III. pag. 83.

Bartholomæus videtur dictus [illegible], quaſi *Filius Ptolomæi*, unde non male Onuphrius noſter, Rupertus, Janſenius, Serarius, necnon Grotius in caput Lucæ 24. opinantur Bartholomæum eſſe *Nathanaelem*, de quo Joan. I. 46. Matthæus appellatus quoque eſt *Levi*, Marci II. 14. & Lucæ IV. 27. an patronymice, an proprio nomine, incertum. Sunt qui contendunt *Levin* fuiſſe diverſum a Matthæo, & fratrem Jacobi minoris, ſiquidem a Luca appellatur filius Alphæi, non tamen fuiſſe Apoſtolum: in qua ſententia videtur fuiſſe Origenes diſputans adverſus Celſum. Thomas Joannis XX. 24. dicitur *Didymus*, ideſt, *gemenus*; Hebræi namque gemellos appellant תאמים, *Thomim*: unde falluntur, qui cenſent eumdem Apoſtolum fuiſſe binomium. Thaddæi nomen proprium fuit *Judas*, ideoque in Græco Matthæi textu legitur, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, *cognominatus Thaddæus*. Judam Jacobi appellat Lucas VI. 16. Thaddæus dictus eſt etiam Λεββαῖος, *Lebbæus*, quod Hieronymus interpretatur *corculum*. Romani *corculum* appellabant virum egregie cordatum, & prudentia conſpicuum, ut P. Naſicam ex Cicerone lib. I. Tuſcul. c. 9. Sunt qui Lebbæum derivant a לבי, quod Hebræi eos, qui nomen habebant Judæ, vocarent ex Jacobi vaticinio *Leones*. Judas idem eſt, ac *laudator*, & *confeſſor*: eoque nomina duo inter Apoſtolos vocati ſunt, *unus Domini ſectator*, *alter inſectator*, inquit Tract. LXXVI. in Joannem S. P. Auguſtinus. Simon dicitur Chananæus, non a terra Chanaam, ſed a קנא, *æmulari*: appellatur enim *zelotes* apud Lucam VI. 15. quod nomen derivatum a *Chanà* legitur etiam Exodi XX. 5.

Apoſtolorum poſtremus fuit Judas *Iſcariotes*, in cujus locum ſuffectum Mathiam legimus Act. I. 26. *Iſcariotem* appellatum ab urbe *Carioth*, communis opinio eſt; quod *Iſcariotes* idem Hebraice ſonet ac *vir*, איש, *Iſc*, קריות, *Kerjoth*. Hinc Serrius Exerc. 56. num. 7. inquit eos, qui hujus vocabuli originem repetunt a tribu *Iſſachar*, repugnantem habere Hieronymum, cum aliis Eccleſiæ Patribus: incertum tamen eſſe, an Judas fuerit ex *Carioth* in tribu *Juda*, de qua Joſue XV. 25. an ea *Carioth* in tribu *Ephraim*, de qua Jeremias XLVIII. 41. & Amos II. 2. Puto patriam Judæ fuiſſe *Scharioth*, aut *Iſcharioth*, vicum quemdam tribus Ephraim, non *Carioth* urbem, cujus nomen ſine aſpiratione in priori ſyllaba ſcribitur: quæ eſt ſententia Hieronymi in cap. XXVIII. Iſaiæ, tom. III. pag. 234. Ab *Scharioth* dicitur *Schariotes*, ſive *Iſcariotes* præpoſita Jod euphoniæ gratia: a *Carioth* dicendus potius erat *Cariotes*. Non probo autem dictum Judam *Iſcariotem* ab איש, *Iſc*, & קריות, *Carioth*: nam in textu Hebraico, & Syro legitur, סכריוטא, *Schariota*, imo & Origenes in III. Periarchon cap. 3. Judam appellat *Scariotem*: in Mſs. etiam Hieronymi legitur cit. loco, *de vico ejuſdem tribus Scharioth*, Cum itaque in ea voce סכריוטא, neque איש, neque קריות contineatur, imo diverſæ omnino ſint radicales literæ; dicendum cum Hieronymo vicum *Scharioth*, non urbem *Carioth*, proditoris fuiſſe patriam. Hac ratione facilius refutatur Lightfootius, qui putat Judam dici *Iſcariotem* vel ab אסקורטיא, *cinctorio corario*, vel ab אסכרא, *ſtrangulatione*, ob affinitatem horum vocabulorum cum סכריוטא. At primum nequit eſſe hominis diſtinctivum; alterum non competit Judæ dum viveret. Dicendum aſt ergo hunc vocari *Iſcariotem* a vico *Scharioth*. Ceterum admiſſa literarum permutatione haud repugnat *Iſcariotem* derivari a tribu *Iſſachar*, quaſi idem ſit, ac איש יששכר; ſed nimia literarum variatio. Non rejicit tamen, (quicquid ſcribat Serrius), hanc interpretationem Hieronymus; nam lib. I. in Matthæum Tom. IV. pag. 35. de Juda inquit: *Vel a vico, aut ab urbe, in qua ortus eſt, vel ex tribu Iſſachar vocabulum ſumpſit: ut quodam vaticinio in condemnationem ſui natus ſit. Iſſachar enim interpretatur merces, ut ſignificetur pretium proditoris*. Quidam derivat nomen *Iſcariotes* ea איש, & סכר, *concludere in manu hoſtium*; ita, ut ſignificet *ſupplantatorem*, ac *proditorem*. In Hebraicorum vocabulorum Interpretatione in Polyglottis Waltonianis ad calcem Tom. 6. *Iſcariotes* interpretatur *vir occiſionis & mortis*. Hæc tantum de nomine XII. Apoſtolorum.

III.

Prædicationem ſuam Chriſtus confirmavit miraculis divina virtute patratis, quæ neque ab Evangeliſtis conficta, neque peracta naturali aut magica facultate diximus lib. I. cap. 7. XXII. 3. necnon XXV. II. Unum duntaxat hoc in loco commemorabo maximum, & præclariſſimum, quatriduani ſcilicet Lazari reſurrectionem. I. Nequit miraculum iſtud in dubium revocari: Judæi enim complures, qui in Marthæ ac Mariæ domum convenerant, Joan. XI. 31. ſpectatores hujus prodigii fuere; ac *multi rei novitate, & miraculo victi crediderunt; alii vero livore impulſi occaſionem inde ſumpſerunt patrandi ea, quæ invidis mos eſt, principibuſque quod factum erat retulerunt*, inquit Cyrillus Alex. lib. VII. in Joannem Tom. IV. pag. 691. & idem Evangeliſta citato cap. XI. 45. & 46. Teſtantur itaque ſigni magnitudinem non tantum Apoſtoli qui aderant, & Lazari piæ ſorores; verum etiam converſi ad fidem Judæi, necnon invidi ac pervicaces, ita ut nullus prodigioſæ rei eventus poſſit ampliori te-

ſtium

stium auctoritate firmari. II. Fingi nequit Lazarum apparenter, & imaginatione quadam fuisse suscitatum: enim vero absente Domino idem Lazarus vita functus conditus fuerat tumulo; & dum Christus venit Bethaniam, ille *quatuor jam dies habebat in monumento*, Joan. xi. 17. Non ipse Christus amovit lapidem; sed Judæi, quibus ille ait vers. 39. *Tollite lapidem*. Curnam, quæso? Audire præstat eloquentissimum Joannem Chrysostomum hom. lxii. in Joan. pag. 324. *Ait ergo, tollite lapidem; quid tandem absens non idem jusserat, atque perfecerat? Quid non dimisso lapide suscitavit? Poterat enim, qui corpus mortuum voce movit, & corrupto animam inspiravit, multo magis lapidem movere: sed cur non fecit? Ut eos testes faceret miraculi, ne dicerent quod & de cæco, Hic est, non est*. Postquam etiam prodiit Lazarus e monumento manibus, pedibusque ligatus, non solvit illum Jesus, sed circumstantibus inquit versu 44. *Solvite eum*; nempe, ut ait prælaudatus Chrysostomus hom. lxiii. pag. 331. *jussit solvi, ut tangentes, & propius facti noscerent vere resurrexisse*. Postmodum etiam facta cœna, *Lazarus unus erat ex discumbentibus*, Joannis xii. 2. eoque confluxit turba multa, *ut Lazarum viderent*, ibid. versu 9. Præclare magnus Augustinus Tract. L. in Joannem num. 5. *Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, unus erat ex recumbentibus, vivebat, loquebatur, epulabatur: veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur*. Commonstrant itaque nullam hic interfuisse sensuum illusionem funeris apparatus, Judæorum conventus, lapis sepulchralis, membrorum ligamenta, contrectatio manuum, commune epulum, perturbatio maligantium, atque confluentis multitudinis stupor, auditus, aspectus. III. Patratum hoc signum divina virtute, non autem in nomine Beelzebub, aut magico summissoque susurro, liquet ex oratione facta ad Patrem, ut circumstans populus crederet, & ex magna voce, qua clamavit, *Lazare veni foras*, Joan. xi. 43. quod consulto factum notat Cyrillus pag. 684. *ne amplius dicerent illum facere signa in Beelzebub*; ac Theophylactus pariter in Joann. pag. 727. *Ut ne adversarium Dei illum putarent, ut ne dicerent, Non est ex Deo*: quæ deprompta sunt ex Chrysostomo Hom. lxiv. in Joan. IV. Nulla virtute naturali excitari potest mortuus quatriduanus. Neque enim Lazarus affectus fuerat lipothymia, asphyxia, syncope, aut alio hujus generis morbo, quo extemplo sensuum facultatibus concidentibus, pulsuque plane abolito interdum viventes instar cadaverum jacent: quandoquidem Lazari legimus languorem, & præcedentem infirmitatem, Joan. xi. 1. ac subinde mortem versu 14. Præterea quamvis tali virium prostratione correpti aliquandiu mortuis similes videantur, superveniente tamen apoplexia, juxta Schenckium, & Benivenium, ac juxta Paulum Zacchiam, ceterosque artis medicæ peritissimos, jacere possunt sensu omni penitus destituti tribus tantum diebus, sive spatio horarum lxxii. affecti autem forti syncope vix horis viginti quatuor: atque in his præterea exili aliqua respiratione, admoto ori speculo, minimo saltem circa carotides motu, aliisque experimentis dignosci potest an prostratus vitam agat, an decesserit. Hæc quoque experimenta necessaria non sunt, si ut in Lazaro, certa caussa mortis præcessit; tum enim ægrotus e vivis exemptus deprehenditur ex corporis frigiditate, ac pondere, vocisque, pulsus, & respirationis defectu. At de his plura in magno Opere de Servorum Dei Beatificat. & Beatorum Canoniz. lib. iv. P. I. cap. 21. vir eruditione Summus, literarum cultu Eximius, dignitate ter Maximus, nobisque, & universæ Ecclesiæ in Pastorem Optimum ac Munificentissimum, hoc labente anno xvi. Kalend. Septembris divinitus datus, BENEDICTUS XIV. Quantum ergo ad Lazarum attinet, & præcedens caussa, & quatriduana sepultura evidentissime comprobant vere illum fuisse mortuum, & ad vitam insigni miraculo revocatum; necnon jure an. 1316. Patavii igni damnata ossa Petri de Apono, quod inter cetera flagitia istud quoque patratum in Lazaro miraculum elevaret, ut scribit lib. iv. Sentent. dist. xxxix. art. 4. præclarus Instituti nostri Theologus Thomas ab Argentina, qui Patavii tum temporis commorabatur. Spondanus tamen ad annum 1316. num. 8. narrat sublato furtim cadavere combustam inanem Petri statuam. Haud recte itaque ex Inscriptione Patavina opinantur nonnulli, Petrum Aponum *falsa hæresis postulatum, & absolutum fuisse*, idque frustra confirmant ex libro 2. classe 9. Bernardini Scardeonii, qui licet p. 201. scribat Petrum fuisse orthodoxum; inquit tamen, *Inquisitores id, quod præ manibus erat judicium prosequuti, uti ex propriis scriptis convictum, eum vel sic defunctum condemnarunt: præcipientes sub pœna anathematis Potestati, & præfectis Reipublicæ Patavinæ, ut ipsius cadaver effossum publicitus ureretur*. Deinde narrat sublatum Petri cadaver a Marieta quadam ejus contubernali, & incensam in medio foro illius statuam. Hinc liquet exscripsisse Spondanum. V. Ut ad Lazarum revertatur oratio; non solum e monumento surrexit, sed etiam *prodiit ligatus manus, & pedes institis*, Joan. xi. 44. In quem locum Patres aliud miraculum agnoverunt: unde scribit Chrysostomus hom. lxiii. in Joannem: *Prodire ligatum non minus admirandum videbatur, quam suscitari*. Augustinus Tract. xlix. num. 24. *Quomodo processit ligatis manibus miraris, & non miraris quia surrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui*. Basilius pag. edit. Morelli 360. hom. de Grat. act. *Ligatus quoque ambulabat. Admirere miraculum in miraculo, Pedes institis habebat invinctos, nec interim a motu prohibebatur: aderat enim vis quædam superior remorantibus vinculis*. Theophylactus pag. 728. *Et miraculum erat vere vinctum moveri, conjunctum miraculo resurrectionis*. Euthymius denique in Joan. Interprete Joanne Hentenio pag. 378. *O maximum, ac duplum miraculum! Non solum qui jam olebat resurrexit, sed etiam qui obvinctus erat, exivit a monumento*. VI. Adaugent postremo miraculi granditatem Lazari ante Domini pedes velata quamvis facie progressio, repentinus abscessus fœtoris atque putredinis, aliæque circumstantiæ, de quibus ornate tom. iv. pag. 689. Cyrillus Alexandrinus: *Fœtentem mortuum post quartum a morte diem e sepulcro eduxit, vinctumque ac impeditum ambulare jussit; tuncque repente & mors aufugit, & mortuus a putredine liberatus cucurrit, abjecto omni ejus fœtore portis mortis elapsus, nihil vinculis suis vivere prohibitus. Et vultus quidem velamento videndi usu privatus, nullo tamen impedimento, quominus ad eum qui vocaverat curreret retardatus agnoscens Domini vocem, &c.* Ex quibus omnibus constat Lazari suscitationem ejusmodi esse, quæ sola possit confirmare veritatem Evangelicæ prædicationis.

IV.

Fama virtutum ac miraculorum Christi extra Judæorum fines resonante, fertur ad eum epistolam dedisse Abgarus Edessenorum Toparcha, & vicissim Domini literas recepisse: quarum exemplum e Syriaco idiomate Græce redditum profert lib. 1. H. Ec. cap. 13. Eusebius. Spuriam utramque epistolam censent bene multi, Canus lib. xi. cap. 6. Dupinius initio Bibliothecæ, Nat. Alex. dissert. 3. sæc. 1. Gravesonius dissert. 13. de myst. & annis Christi, Cardinalis Gotti de libris Novi Testam. cap. 4. & de Gestis Ch. cap. 9. nec non ex Acatholicis Casaubonus Exercit. xxxiii. ad an. 31. Clericus ad annum xxix. post Adscens. num. 13. Basnagius ad an. Ch. 29. ut mittam Cocum, Rivetum, Spanhemium, aliosque quamplurimos. Ducimur autem his argumentis. I. Gelasius utramque Epistolam anno 494. declaravit *apocrypham*. II. Augustinus lib. 1. de Cons. Evan. cap. 7. Hieronymus in cap. 45. Ezech. & S. Thomas iii. P. q. 42. art. 4. docent Salvatorem nihil scripsisse. III. Si revera Jesus Christus aliquam propria manu conscripsisset Epistolam, nonne illius meminissent historiæ Evangelicæ Conditores? IV. Ex quo saltem pervenit ad Ecclesiarum notitiam, eamdem divinarum Scripturarum canoni inseruissent. V. Extant in Epistola Abgaro supposita, hæc verba: *Statui in animo meo unum esse e duobus, aut quia tu sis Deus, & descenderis de cælo, ut hæc facias; aut quod filius Dei sis, qui hæc facis*: quæ si essent genuina, proculdubio ea usurpassent Orthodoxi Patres contra Arianos; maxime quod in Græco habetur, *ὁ Θεὸς*, & *τοῦ Θεοῦ υἱὸς*, cum articulo. VI. Hanc etiam loquendi rationem, qua exprimitur Deus *κατ' ἐξοχὴν*, in Ethnicum minime quadrat. VII. In Rescripto quoque ad Abgarum est sententia quædam deprompta ex Evangelio Joannis cap. xx. 29. nondum mandato literis, videlicet: *De me enim scriptum est, eos qui me viderint non credituros in me, ut qui non vident credant, & vitam accipiant*. VIII. Abgaro credenti nequaquam piissimus Jesus beneficium distulisset sanitatis. IX. Cur præterea promittere missurum se Edessam post assumptionem ad Abgari sanandam ægritudinem aliquem discipulorum, dum poterat statim, verbo, vel nutu sanitatem illi præstare? X. Thaddæus etiam dicitur ab Eusebio ex Actis Edessenis venisse ad Abgarum anno Edessenorum ccccxxx. qui est primus Olympiadis ccii. cum Osdroeni uterentur Epocha Seleuci, annos supputantes ab anno 1. Olymp. cxvii. ut animadvertit Valesius in Notis ad Eusebium pag. 23. & Norisius Tom. iii. pag. 516. Annus autem 1. Olym. ccii. annum xxxiii. Æ. V. quo passus est Christus, solido quadriennio præcedit.

Complures tamen utramque Epistolam Abgari ad Christum, & Christi ad Abgarum genuinam esse propugnant: ac præ ceteris Jacobus Gretserus de Imaginibus non manufactis cap. 3. Tillemontius not. vii. in S. Thomam Apostolum, Serrius Exercitat. 46. Honoratus Animadvers. Critic. lib. iv. dissert. 2. Gardeboschius de Scriptoribus Ecclesiasticis, & nuper vir Cl. Petrus Thomas Cacciari in notis ad Eusebium: ex Acatholicis autem Centuriatores cent. 1. lib. 1. cap. 2. Rich. Montacutius Tom. 1. Orig. Eccles. p. 2. num. 96. Guilelmus Cave initio Historiæ Eccl. Script. & in Spicilegio Joannes Ernestus Grabe, qui data opera studet impugnare Alexandrum. Neque hi rationum præsidio destituuntur. Etenim eruit has literas ex Edessenis Archivis, & Græca lingua donavit primus historiæ Ecclesiasticæ Conditor Eusebius, quem

os sibi sublini passum, temere affirmat Jo. Clericus. II. Monumenta Edessena laudat probatque lib. I. in Matth. Tom. IV. pag. 35. Hieronymus; quamquam is ait missum ad Abgarum Osroenæ regem Thaddæum, sive Judam Jacobi, unum ex duodecim Apostolis; cum Eusebius scribat missum ad Abgarum Thaddæum quemdam unum ex septuaginta discipulis: quod eruditi existimant probabilius. III. Meminerunt prædictarum Epistolarum Historici omnes celebratissimi, Evagrius libro IV. cap. 27. pag. edit. Valesii 400. Procopius Rhetor lib. 2. Rerum Persic. apud Photium Cod. 63. pag. 75. Cedrenus lib. 2. Comp. hist. & alii. IV. Accedit S. Ephræm Syrus & Ecclesiæ Edessenæ Diaconus, qui in Opusculo inscripto *Testamentum Ephræm*, Tom. III. pag. 292. edit. Vatic. Epistolas ipsas commemorat. Ipsius vero Ephræmi testimonium, quoniam ille eruditione plurimum præstat, nec ignorare poterat Ecclesiæ suæ traditionem, minime est contemnendum. V. Earumdem Epistolarum mentionem fecerunt viri alii percelebres, Darius Comes Epistola ad Augustinum 263. nunc 230. numer. 5. Theodorus Studita Epistola ad Paschalem Romanum Pontificem, & S. Joannes Damasc. lib. IV. Fid. Orthodoxæ cap. 17. VI. Servatas has literas ad tempora usque Michaelis Paphlagonis, idest, ad annum 1035. tradunt Cedrenus, Zonaras, & Niceras apud Serrium pag. 312. & Honoratum pag. 275. VII. Gregorius II. in Epistola ad Leonem Isauricum apud Baronium ad annum 726. & Tom. VII. Concil. Collect. Labbeanæ pag. 14. scribit: *Cum Jerosolymis ageret Christus, Augarus, qui tum temporis dominabatur, & rex erat Urbis Edessenorum, cum Christi miracula inaudisset, epistolam scripsit ad Christum, qui manu sua responsum, & sanctam gloriosamque faciem suam ad eum misit.* VIII. Tandem ad explodenda tanquam supposititia vetera monumenta idoneæ nequaquam sunt levissimæ conjecturæ; sed requiruntur testimonia Antiquorum, firmissimaque argumenta: istiusmodi autem non videntur ex Dupinio, Natali Alexandro, Basnagio, aliisque paullo supra deprompta, & innixa duntaxat negantibus ratiocinationibus, quorumdam silentio, infirmisque momentis.

Qui ergo pro iisdem Epistolis pugnandum censet, poterit hæc adversariis reponere. Primum argumentum inane est, quoniam Gelasius recenset has Epistolas inter apocrypha, *apocryphum* appellans quod non est hagiographum, & in Evangelio conscriptum, non quod est confictum, atque suppositum, ut animadvertit Baronius ad annum XXXI. numer. 6. Alterum facile diluitur, si dicamus Augustinum ac S. Thomam accipiendos de libris, qui res a Christo gestas enarrent; Hieronymum vero de opusculis, quæ in Ecclesiæ incunabulis ad Apostolica scripta labefactanda Simon, Cleobius, aliique hæretici evulgarunt, ut legitur lib. VI. Constit. Apostolic. cap. 16. pag. 345. Id quod sequitur, facillimæ expeditionis est; multa enim fecit Jesus, quæ non sunt scripta in Evangelica historia, ut inquit Joannes cap. XXI. vers. ult. Ad proximum respondetur ea scripta inserta canoni, quæ spectant universorum fidelium eruditionem. Ad quintum respondent verba Abgari nullius esse efficaciæ ad Arianos revincendos, cum discrimen statuere videantur inter Deum summum, ac Filium. Quod e vestigio additur, nil probat; nam & potuit Ethnicus aliquod supremum Numen agnoscere, & fortassis emphatico articolo carebat Epistola Abgari Syrorum charactere conscripta. Septimam argumentationem refellunt negando Jesum in sua Epistola digitum intendere ad cap. Joannis XX. cum videatur potius respicere ad Vaticinium Isaiæ cap. V. 9. ac sæpenumero usus fuerit hujusmodi apophthegmatibus. Octavum, ac nonum diluunt hoc pacto: distulit Jesus impendere regulo sanitatis beneficium, ut ei prius impertiretur Evangelicæ fidei donum, neque e Judæa discessit, ne videretur deserere *oves domus Israel*, quibus nuntiandum erat verbum salutis, antequam Apostoli converterentur ad gentes. Argumentatio postrema nullatenus eos urget, qui tenent passum Dominum anno Tib. XV. Coss. duobus Geminis, & U. C. 782. iste quippe annus concurrit cum I. Olymp. CCII. unde qui hanc sententiam propugnant, eamdem Actis Edessenis confirmant, ut dicam infra. Habes in epitomen redactum quicquid de Epistolis Abgari ad Christum, & Christi ad Abgarum tradunt fusiori stilo prælaudati Scriptores: & quamvis illas non rejiciam, ut ex dictis arbitror manifestum, imitabor tamen Augustinum, qui Dario Comiti easdem Epistolas proponenti respondet ep. 264. nunc 231. sed nullam de his epistolis mentionem facit, ratus, ut arbitror, parum interesse si habeantur tanquam genuinæ, vel rejiciantur inter apocrypha.

CAPUT VII.

Quo anno, ac die Salvator noster cruci suffixus sit.

AMPLISSIMAM, gravissimamque de tempore Dominicæ passionis quæstionem aggredimur, ex præmissis tamen dissertationibus nostris perspicue, ut opinamur, definiendam. Facta enim hypothesi, quod Christus a baptismate tribus annis, mensibusque nonnullis vitam ad passionem usque protraxerit, undis autem Jordanis tinctus fuerit Coss. Cornelio Lentulo Getulico, & C. Calvisio Sabino, idest, anno vulgari, juxta communiorem supputationem, XXVI. consequitur apertissime crucis patibulum subiisse, Coss. Rubellio Gemino, & C. Fusio Gemino, hoc est, V. Æ. anno XXIX. Neque falsa reputanda est hæc sententia, quod eam repudient Chronologorum recentiorum innumeri, atque ii omnes, qui vel fictitium censent Proconsulare imperium Tiberii, vel posterius, ac nos statuimus, Domini natale consignant, & quos in figendis superioribus Epochis laudavimus: cum adstipulentur nobis Ecclesiæ Patres antiquissimi, ac praeclarissimi, necnon ex accuratis Chronologis Antonius Capellus in libro de Christi Cœna suprema, Godefridus Henschenius in App. ad Chronol. Pontif. Exercit. I. Norisius in Cenotaph. Pis. dissert. 2. Tom. III. pag. 515. Antonius Pagius ad an. XXX. numer. 3. & seq. Em. Schelestratenus dissert. I. cap. 4. Gravesonius de Myst. & annis Christi dissert. 15. eximius Blanchinus in Prolegom. ad Anast. Tom. II. pag. X. & in Chron. Consulari pag. CLXX., ac, ne singulos commemorem, cum aliis Acatholicis junioribus Joannes Clericus in Harmonia, & in Historia priorum Sæculorum ad annum Ch. XXIX. Imo non desunt, qui Patrum auctoritate coacti consignent passionem Domini in consulatu duorum Geminorum, quamquam illum biennio tantum ante vulgarem Æram natum existimant, anno scilicet U. C. 752. Coss. C. Octav. Augusto XIII. & M. Plautio Silvano, aut anno præced. 751. Coss. Cn. Cornelio Lentulo, & Valerio Messala: quam sententiam propugnavit olim Jo. Gerardus Vossius dissert. 2. de annis Christi nu. III. ac nuper Honoratus a S. Maria Tom. III. pag. edit. Venetæ 32. Sed cum juxta Vossium Consulatus Geminorum concurrat in annum ætatis Christi XXXI. juxta Honoratum vero in XXX. neque ad tam exiguum tempus coarctari possit Domini prædicatio; ac præterea male hi de obitu Herodis, & de anno Christi natali ratiocinentur, prout liquido percipiet, qui præmissas lucubratiunculas nostras pervolutarit: nequeunt hi duo viam nobis sternere, quam inoffenso pede, & absque difficultate ingrediamur. Id vero iis, quibus chronologia arridet nostra, erit tanquam certissimum præsupponendum. In Chronologia autem præstantissimi viri Francisci Blanchini ad præcedentem annum Vulg. Æ. 28. consulatus Geminorum retrahitur, quod non absque prævalidis momentis factum est: tametsi nos consulum pervulgatas, probatasque Norisio, Pagio, aliisque Fastorum Tabulas secuti sumus, ne qui his utuntur, rhombi adinstar agitarentur: atque id pariter prænotamus, ne oscitantiæ nos damnet qui adierit laudatum a nobis egregium ornatissimumque Scriptorem. At ne prologio quempiam exanimemus, accedendum ad theorema.

PROPOSITIO I. Christus crucem subiit anno U. C. 782. Coss. Rubellio Gemino, & C. Fusio Gemino, ætatis suæ anno XXXIII. imperii Augustei Tiberii Cæsaris XV. imperii autem Proconsularis XVIII. anno I. Olimpiadis CCII. Æræ Vulg. XXIX. Correct. Jul. 74. Periodi Julianæ 4742.

Ac primum demonstratur ex præmissis Chronologicis thesibus. Christus enim, assentientibus iisdem recentioribus, qui mortem Domini protrahunt ad annum Æ. V. XXXIII. ætatis suæ XXXVII. & U. C. 786. natus est an. U. C. 749. anno 4. Olymp. CXCIII. Fatentur iidem Recentiores, & præcedenti cap. demonstratum est, post susceptum baptismum Dominum Jesum quatuor Paschata celebrasse: baptismate autem tinctum anno tricesimo ætatis suæ, Evangelica historia, Patres, & recta chronotaxis evincunt; quicquid moliantur adversarii, ut arenoso fundamento suam de morte Christi sententiam superstruere nitantur. Quid ergo? Addantur anno U. C. 749. anni XXX. compertum erit Dominum baptizatum anno U. 779. huic anno adjiciantur quatuor Paschata, ac tres anni Dominicæ prædicationis; inveniemus Jesum suffixum cruci an. U. C. 782. duobus Geminis consulibus. II. Prædixit Daniel occidendum Christum in medio hebdomadæ LXX. idest, anno ab hebdomadum exordio 486. Incipiunt autem hebdomadæ Danielis anno ante Æ. V. 457. & VII. Artax. Longimani, ut diximus lib. XXV. cap. 5. At si anno quadringentesimo quinquagesimo septimo ante Christianam Æram addantur anni ejusdem æræ XXIX. resultabunt anni 486. Idem ergo annus Æræ communis XXIX. est dimidium hebdomadæ LXX. in qua juxta Danielis vaticinium delenda erat iniquitas, Christo suorum livore in cruce sublato. III. Apertissimus character ad annum passionis Christi investigandum est Eclipsis illa percelebris, quam recensent Matt. XXVII. 45. Marcus XV. 33. & Lucas XXIII. 44. De hac mentionem fecisse Phlegontem Hadriani Augusti libertum, eximiumque Chronologum scribunt Tertullianus in Apologetico adversus Gentes cap. 21. Origenes lib. 2. contra Celsum, Julius Africanus, qui floruit Heliogabali tempore, apud Georgium Syncellum pag. edit. Regiæ 322. Eusebius in Chronico ad annum Tib. XVIII. Orosius lib. VII. Hist. cap. 4. Nec de alia solis defectione potest Phlegon explicari, cum scribat illam fuisse *magnam, & excellentem inter omnes, quæ antea acciderant*,

rant, evenisse autem hora sexta diei: quæ omnia tenebris moriente Auctore ac Redemptore nostro factis super universam terram, conveniunt quammaxime. Verum hinc inferunt passum Dominum anno vulg. Æræ xxxiii. Usserius ad annum Per. Jul. 4746. Natalis Alex. dissert. ii. i. sæc. q. 3. Pussinus Epist. i. ad Papebrochium, num. 13. & qui vel Usserianam Chronologiam sectantes putant passum Christum anno ætatis suæ xxxvii. vel hærentes adhuc Eusebianæ ad annum xviii. *Augustalem* Tiberii referunt tricesimum tertium ætatis Christi: plaudumtque sibi plurimum, quoniam apud Eusebium citato loco Phlegon scribit contigisse memoratam Eclipsim *quarto anno Olympiadis* 202. qui incidit in annum vulgarem tertium, ac tricesimum; si Olympiades, quæ a solstitio æstatis ducunt initium, cum anno sæculari supputentur. At Africanus, ex quo hæc exscripserat Eusebius, ait præcitatam eclipsim a Phlegonte commemoratam incidisse *in annum Tiberii decimum sextum, & in annum 2. Olympiadis* 202. non solum apud Syncellum pag. 323. verum etiam apud Eusebium lib. viii. Dem. Evangelicæ pag. 558. edit. Basileensis, & apud Hieronymum in cap. ix. Dan. Tom. iii. pag. 1112. hoc tantum excepto, quod Hieronymus non annum Tiberii xvi. ponit, sed xv. nulla, ut liquet, contradictione, si anni Tiberii supputentur cum anno sæculari, non a sextili mense. & ab obitu Augusti. Igitur anno 2. Olymp. ccii. ex Africano, Eusebio, & Hieronymo Phlegon horrendam illam, ac mirabilem eclipsim consignavit; quamvis Eusebius in Chronico chronotaxi insistens suæ scripserit *Olimpiadis* 202. *annum quartum*. Adde modo Africanum antevertere communes Olympiades biennio, easque auspicari ab anno periodi Græco-Romanæ 4716. licet Olympias communis incœperit anno ejusdem periodi 4718., ut inquit Schelstratius Tom. i. Antiq. Ecclesiæ pag. 73. demonstratque Pagius ad annum Ch. xxxii. num. ii. quod non animadvertentes illustres viri, Petavius, & Keplerus putarunt memoratam a Phlegonte eclipsim contigisse anno Christiano xxxi. concorrente cum 2. Olymp. 212. post solstitium æstatis, melius tamen tempora supputantes, quam faciant rejicientes eclipsim illam in annum iv. Olymp. præcitatæ, imo in annum i. Olymp. 203. ut observarunt Schelstratenus & Gravesonius. Dele itaque biennium, quo Africanus anticipavit Æram Olympiadum communem, & meridiana luce perspicuum erit mirabilem illam eclipsim consignandam ex Phlegonte anno vulgari xxix. Quid vero ingeniolum nostrum obruimus calculis arithmeticis, dum apud Hieronymum, qui testatur proferre se verba ipsa Africani, legimus annum Tiberii Cæsaris xv., apud Eusebium autem, & Georgium Syncellum annum Tiberii xvi. qui duo anni concurrunt cum anno Æræ Christianæ xxix.? Hoc itaque anno accidit magna illa defectio lucis, hoc anno naturæ Auctor mortem oppetiit. IV. Traditur expresse sententia nostra a Patribus: unde Natalis Alexander ad propriam opinionem firmandam præmittendum censuit, non posse annum passionis Christi certo colligi ex traditione, ut etiam affirmat Serins Exercit. 56. falso tamen, ut dicam infra. In consulatu ergo duorum Geminorum passum Christum tradit Tertullianus lib. adversus Judæos cap. 8. scribens: *Quæ passio hujus exterminii intra tempora lxx. hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare Coss. Rubellio Gemino, & Rufio Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die* viii. *Calendarum Aprilium, die prima Azymorum, qua Agnum ut occiderent ad vesperam a Moyse fuerat præceptum*. Eodem capite inquit Tertullianus: *Hujus* (Tiberii scilicet) *quintodecimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi* xxx. *cum pateretur*: ubi Hieronymus Tom. iii. pag. 1116. legit, *annos habens quasi triginta tres*: quod consentaneum est iis, quæ scribit Tertullianus in i. adversus Marcionem, *Christum anno* xii. *Tiberii Cæs. revelatum*. Tertullianus ergo triplicem nobis notam ad tempus passionis dominicæ investigandum suppeditat, annum ætatis Christi xxxiii. annum principatus Tiberii xv. & Consulatum Gemini, & Gemini; omnesque hi characteres quadrant in annum vulgarem xxix. Lactantius Firmianus lib. iv. Instit. cap. 10. ait: *Sub imperio Tiberii Cæsaris anno quintodecimo, idest, duobus Geminis Coss. ante diem septimam Calendarum Aprilium Judæi Christum cruci affixerunt*. Habent nonnulli Codices, *ante diem decimum*: sed *ante septimam* effert, quo utimur, pag. 115. atque ita legendum hoc in loco, & in libro de mortibus Persecutorum, consentiunt Bernlejus, Blanchinus, & alii: utroque autem loco signari mortem Christi *in consulatu Geminorum*, nemo unus inficiabitur. Augustinus quoque lib. xviii. de Civit. Dei cap. 54. hæc habet: *Mortuus est ergo Christus duobus Geminis Coss. octavo Kalendas Aprilis*. Victorius etiam Aquitanus in Chronico Paschali scripto anno Domini 457. inquit: *Ex tempore Dominicæ Passionis diebus Kalendarum Januariarum, & nominibus Consulum, a duobus Geminis Ruso scilicet, & Rubellio, usque ad Consulatum Constantini, & Rufi, diligenti annotatione collectis, per* cccc. *&* xxx. *annos cum lunis, atque temporibus, &c.* Ubi præter expressum consulatum duorum Geminorum, notanda est summa annorum 430. a Domini passione ad consulatum Constantini & Rufi, idest, ad annum Christi 457. a quo arithmetica numeratione comprehenso, si retrocedas per annos 430. pervenies ad annum communis Æræ xxix. Extat in eodem Victorii canone inobservata hactenus nota: in vetustissimo enim MS. S. Andreæ de Valle legitur: *Anno a passione Domini* cccxl. *Lupicino, & Jovino Coss. Gratianus Imperator factus est*: quod vir doctissimus Lucas Holstenius propria manu signavit ad pag. 48. Bucheriani Codicis Angelicæ Bibliothecæ. Constat vero Gratianum a patre dictum Augustum Ambianis ix. Kal. Septemb. anno vulgari 367. a quo pariter connumerato si retrahamur per annos 340. sistendum erit in anno V. Æ. xxix. Quid ergo requiritur manifestius, ut eodem anno consignemus Dominicæ Passionis Epocham? V. Alii quoque Patres, quos nobis Natalis Alex. opponit, ut evincat traditionem hac in re non esse attendendam, singuli ex novæ Chronologiæ principiis sententiam confirmant nostram. *Anno quintodecimo Tiberii* passum Dominum scribunt Clem. Alex. Tertullianus, Gaudentius, aliique superius laudati. Annum quintumdecimum Tiberii adversantes nobis Chronologi non agnoscunt, nisi imperii Augustei. Ille vero xv. annus nonne concurrit, ante diem 19. Augusti, cum anno vulgari Dionysiano xxix.? Hi ergo Patres, quantum ad annum Passionis attinet, nobiscum consentiunt, quamvis universam Christi vitam triginta annis definiant; quod tamen, si de Tertulliano loquamur, concedendum non est adversariis. Martyr Ignatius, Chrysostomus, Leontius Byzantius, & Ven. Beda Christo xxxiii. annos tribuunt. At quando ex Virginali utero Redemptor in lucem prodiit? Haud negant novæ Chronologiæ defensores natum anno U. C. 749. Designato huic anno addamus, quæso, annos xxxiii. an non resultat annus U. 782. quo consulatum inierunt duo Gemini? Protrahit Irenæus mortem Domini ad annum fere quinquagesimum; at nonne baptizatum scribit anno ineunte *tricesimo*, nonne prædicationem *ad tres annos* coarctat? Tricesimum annum inchoasse Dominum anno U. 779. haud negat Natalis: de tempore peracti ministerii funem contentionis non ducit. Cur ergo nobis Irenæum objectat? Eusebius ipse qui omnium primus ad annum Tiberii xviii. & juxta correctionem Scaligeri xix. protraxit Domini crucifixionem, scite animadvertens baptizatum Christum anno Tiberii xv. & vitam egisse annis xxxiii., si locasset natalem Christi in anno U. C. 749. uti locandum annuunt adversarii, nonne affirmasset baptizatum Dominum anno xv. imperii Proconsulatis, qui est annus Christi *tricesimus*, & in crucem actum anno Æ. V. xxix. qui est vitæ Christi xxxiii.? Sententia ergo nostra omnium Patrum traditione fulcitur, & quamquam illi ætatem Domini recensentes in diversam abeant opinionem, nullus eorum undequaque nobis opponitur. Inquiunt passum Jesum anno xv. Tiberii Cæsaris? His nos assentimur. Annis tribus a suscepto baptismate? Iis adhæremus. Anno tricesimo tertio ætatis suæ? Horum sententiam propugnamus. VI. Quoniam Eusebium nuper commemoravi, is sub finem libri i. H. Ec. loquens de Taddæo ad Edessenos profecto, *Acta*, inquit, *sunt hæc anno quadragesimo ac trecentesimo*: ita enim restituit Valesius ex vetustissimis exemplaribus, nec aliter habet interpretatio Ruffini nuper ab erudito Viro castigata ad Codices Vaticanos. Idemmet Eusebius ad annum i. Olymp. 117. inquit: *Ab hoc loco Edesseni sua tempora computant*; quod diximus supra demonstratum a Valesio, ac Norisio. Atqui ab anno i. Olymp. 117. dinumeratis annis cccxl. pervenitur ad annum i. Olymp. 202. Igitur anno i. Olymp. ccii. peracta a Domino redemptione, Taddæus, si Eusebium recipiamus, adiit Edessam. Facilius idem comprobatur: Annus primus Olymp. 117. est annus U. C. 742. Adde annos Epochæ Edessenæ, sive Æræ Seleucidarum, 340. & consurget annus Urbis 782. ea ipsa Eusebii Pamphili chronologia. VII. A passione Christi ad expugnatas a Tito Jerosolymas fluxerunt anni 42. Clemens Alexandrinus lib. i. Strom. pag. 340. ait: *Ex quo vero passus est ad excidium Jerosolymæ sunt anni* 42. Origenes lib. 4. adversus Celsum: *Quadraginta enim duos annos puto ex quo crucifixerunt Jesum fuisse ad Jerosolymæ eversionem*: & S. Hieronymus in cap. i. Sophoniæ Tom. iii. pag. 1656. *Post quadraginta & duos annos Dominicæ crucis circumdata est ab exercitu Jerusalem*. Quo præcise anno id evenerit, scribit Josephus lib. vi. de Bello cap. 10. alias 18. *Ita quidem capta est Hierosolyma secundo anno principatus Vespasiani, Gorpiæi* (Septembris) *mensis die octava*. Vespasianus renuntiatus est Imperator anno Æ. V. 69. Kal. Juliis. Ab anno itaque communis Æræ 70. Vespasiani secundo, anni 42. retrorsum incidant necessum est in annum Christianum xxix. ob crucem, mortemque Domini celeberrimum. VIII. Accedunt in sententiæ nostræ confirmationem veterum Historicorum, & Chronologorum notæ. Ac Severus quidem Sulpitius lib. 2. Historiarum ait, *A tempore crucifixi Domini usque ad Stiliconem sunt anni* 372. Incidit vero consulatus Stiliconis in annum V. Æ. quadringentesimum, a quo detractis annis 372. residui erunt anni 28. post annum vero xxviii. duo Gemini

mini Consules prodiere. In libro Julii Hilarionis de Hebdomadibus Danielis apud Schelstratium p. 103. enumerantur *a Consulatu Luculli anni 179. usque ad mortem Christi, & a morte Christi ad Consulatum Cæsarii & Attici anni* 369. Consulatum gessit Lucullus anno U. 603. si addas annos 179. resultabit annus U. C. 782. In eodem anno sistendum erit, si a Consulatu Cæsarii & Attici, inito anno Christi 397. ab Urbe condita 1151. per annos 379. retroagamur. Joannes Cuspinianus Comment. in Consules Cassiodori profert indiculum quemdam vetustissimum, in quo legitur: GEMINO. ET. GEMINO. HIS. COSS. CHRISTUS. PASSUS. EST. additque perantiquum Catalogum Pontif. quod incipit: *Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus Jesus Christus duobus Geminis Coss.* VIII. *Kal. Apriles*. Idem habetur in fastis Anonymi editis a Norisio ad calcem Operis de Epochis Syro-Macedonum. Haud aliter exhibent Fasti Idatiani editi a viro Clarissimo Jacobo Sirmondo. In Auctario denique Chronici Prosperi apud Labbeum Tom. 1. Biblioth. MS. legitur: *Usitatior traditio habet D. N. decimo quinto anno Tiberii Cæsaris duobus Geminis Coss. crucifixum*. Plura addi possent; sed quis productis hactenus momentis non acquiescet?

PROP. II. Christus crucifixus est VIII. Kal. Aprilis.

Id primo demonstratur Patrum traditione, Tertulliani, Lactantii, & Augustini, quorum verba producta sunt paullo supra. S. Pater idem repetit in IV. de Trinitate cap. 5. num. 9. scribens: *Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus*; eademque repetit lib. LXXXIII. Quæst. q. 56. Accedit Canon Paschalis Sancti Martyris Hippolyti Portuensis ab anno D. 222. marmoreæ tabulæ incisus, & in agro Verano repertus anno 1551. in quo legitur: H. KAL. ΑΠΡΕΙ ΠΑΘΟΣ ΧC. VIII. *Kal. Aprilis passio Christi*. Servatus etiamnum cum Hippolyti statua in Vaticana Bibliotheca: neque in tam vetusto & insigni monumento possumus vel traditionis novitatem suspicari, vel inscitiam Scriptoris, vel literarum depravationem. Idem tradere Ecclesiæ Magistros alios scribit Beda de rat. temp. cap. 28. & 45. Confirmatur deinde propositio vetustissimis Martyrologiis. Viginti MSS. in celebrioribus Europæ Bibliothecis se legisse affirmat Henschenius, omniaque consignare passionem Domini VIII. *Kal. Aprilis*. Insigniora sunt Anglo-Britannicum annorum mille, alterum ad usum olim Reginæ Sueciæ exaratum ante annos 890. Consimile Bibliothecæ Barberinianæ, Leodiense, Corbejense, ac Bruxellense, quæ vide Tom. III. Martii Act. SS. Bollandi p. 540. in Propylæo Baertii, & Ianningi, in Martyrologio Florentinii p. 396. & apud Schelstr. dissert. 1. cap. 4. Consentiunt ex editis Martyrologia Adonis, Usuardi, Hieronymiana, & quod anno 1487. editum est Papiæ ad vetusta monumenta emendatum ab instituti nostri præclaro viro Bartholomæo de Palatiolo: cujus, (sicut etiam Bellini inter Theologos nostrates eximii, & cujus Martyrologium laudant plurimum etiam Scriptores Galli, præsertim Launojus dis. de commentitio Lazari in Provinciam appulsu, atque illud commendat parte 2. lib. IV. de Canoniz. SS. pag. 137. eruditissimus Auctor Prosper Cardinalis de Lambertinis, nunc BENEDICTUS XIV.) æquissimum est nos hoc loco mentionem facere. Præterea comprobant sententiam quam propugnamus, Kalendaria antiquissima, Palatinum, Beneventanum, Atrebatense, de quibus legendus pag. 69. tom. 1. Antiq. Ecclesiæ Cl. Em. a Schelstrate. Prætermittendus non est Catalogus Romanorum Pontif. quem transtulit, ut diximus, in Fastos suos Jo. Cuspinianus, & de quo vide Bucherium pag. 269. & Volumen 2. Anastasii Biblioth. pag. VII. Corroborat hanc opinionem, quod ex sententia Patrum diximus lib. XI. cap. 6. eadem die hominem fuisse conditum, ac redemptum, nec aliam esse diem illam præter XXV. Martii, ut legitur etiam in antiquo Carmine citato Tom. III. Sanct. ejusdem mensis pag. 541.

Salve festa dies, qua vulnera nostra coerces:
Angelus est missus, est Christus in cruce passus:
Est Adam factus, & eodem tempore lapsus.

Quum insuper ab hac communi sententia tertiodecimo Ecclesiæ sæculo recessisset Rogerus Bachonus, asserens Christum mortuum die 3. Aprilis, anno Æ. V. XXXIII. ductus calculis Astronomicis, rejectus est ab omnibus, ac suspectus de errore habitus est, ut ex Wadingo refert ad annum 32. num. VIII. Antonius Pagius. Turbas excitasse plurimas etiam Tostatum, dum sedente Eugenio IV. Senis eamdem Bachoni sententiam instaurare conaretur, affirmat ibidem Pagius. Damnatam Tostati assertionem nos quidem minime affirmamus, quamvis id aliqui conjecerint ex quodam MS. Cardinalis a Turrecremata, de quo MS. legendus Salmeron Tractatu Prolegomeno XXXVIII. Imo fatemur ab eo tempore ob editam a Tostato apologiam, probatamque calculis Astronomorum, in eamdem sententiam complures descendisse. Sed illinc tamen inferimus, opinionem nobis contrariam fuisse incompertam veteribus, male apud fideles audiisse, nec alio fulciri fundamento, quam Astronomorum paullo post discutiendis observationibus. Tandem sententia nostra firmatur insigni miraculo, & non semel Notariorum judiciariis actibus explorato, quod refert Pompejus Sarnelli Episcopus Vigiliensis Tom. III. Epist. Eccl. ep. 33. In urbe enim Andria servatur una ex Spinis coronæ Domini, nonnullis pretiosi Sanguinis conspersa guttis, quæ dum concurrit Parasceve, ac dies Passionis Dominicæ cum VIII. Kalendas Apriles, conspicientibus omnibus diffluunt, totamque spinam cruentant: idque etiam thecæ hisce versibus insculptum legitur:

En cuspis de tot majoribus una Coronæ,
Qua diræ pupugere manus pia tempora JESU.
Quando Parasceve, & Martii vigesima quinta
Concurrunt, veluti majores ore probarunt,
Tunc hæc (oh quam mirum!) tota cruenta videtur,
Quæ solet esse alias guttis aspersa quibusdam.

Traditione ergo, ac tam mirabili signo tenendum est, non alia die passum Dominum, quam vicesima quinta Martii.

BREVIS OBJECTORUM DISCUSSIO.

Quicquid opponunt adversarii, nihil difficile tinnit, quod non sit jam explosum præcedentibus theorematibus, uno excepto argumento deprompto ex tabulis Astronomicis, sive ex Bachono, Tostato, & Paulo Burgensi, ex quorum fontibus, ut inquit Gerardus Vossius in dissert. de temp. dom. passionis num. 8. juniores contendentes passum Christum anno Æræ V. XXXIII. & die 3. Aprilis, hortos suos irrigarunt: quare summatim argumentationes ceteras prosequar, istam vero paullulum accuratius. Opponunt itaque I. nihil hac in re deferendum Patribus, quorum de ætate Christi sententia tam varia est, & perplexa. II. Augustinus in libro de Civit. Dei XVIII. cap. 54. ait annum a Passione Domini 365. expletum fuisse idibus Maji, Honorio, & Eutychiano Coss. idest, anno Æ. V. 398. quo ex numero si subtrahantur anni 365. residui erunt anni V. Æ. 33. III. Crucifixus est Christus in medio hebdomadis LXX. juxta Danielis oraculum, anno scilicet ab hebdomadarum exordio 487. Hebdomadæ autem Danielis initium ducunt ab anno XX. Artaxersis Longimani, ante Æ. V. 454. Ut ergo coalescat numerus annorum 487. adjiciendi erunt anni 33. æræ Dionysianæ. IV. Defectio lucis ad tres horas protracta, quæ temporis Dominicæ Passionis character est singularis, ex Phlegonte contigit *Olympiadis* 202. *anno quarto*: eoque tempore solare hoc deliquium præter naturæ ordinem etiam Sinas in monumentis rerum suarum adnotasse imperante Quamvutio, inquiunt in Historia Sinensium Hadrianus Gressonius, & Hoetius in demonst. Evang. prop. III. num. 8. V. Litteræ, quibus Pilatus a Senatu petiit Christi apotheosim, quas nos alibi vindicavimus, conscriptæ dicuntur in Chronico Eusebiano anno U. C. 788. Æ. V. XXXV. ideoque paullo ante Dominus cruci fuerat affixus. VI. Petrus Apostolorum princeps martyrio coronatus est anno 34. post Christi mortem, Æ. V. 67. Ab anno autem 67. demptis annis 34. consurget annus passionis Domini, communisque æræ tertius ac tricesimus.

Dixi in his nihil offendi difficultatis. Ad primum enim ex dictis constat omnes Patres aliquod sententiæ nostræ fulcimentum nobis suppeditare, sive asserant passum Christum anno Tiberii Cæsaris XV. sive consulatum Geminorum producant, sive designent annum suscepti baptismatis, ac tempus Dominicæ prædicationis, ipsumque Eusebium nobis consentire, dum affirmat Christum baptismate tinctum anno tricesimo, dum ait prædicasse tribus saltem annis, dum aeram commemorat Edessenorum. Perperam ergo quidam discrepantes Patres nobis objiciunt; & una cum horum traditione, sacrosanctum Evangelium expresse designans tempus Dominici baptismatis, unde hæc thesis fluit perspicua consecutione, inaudito olim, & commentitio sensu detorquent. Ad 2. dicimus Augustinum eo loci affirmare passum Christum *Coss. duobus Geminis*: quomodo ergo credidit mortuum *Sulpitio Galba, & Cornelio Sulla Consulibus*? Ait affixum cruci VIII. *Kal. Aprilis*: quomodo Aprilis *die tertia*? At dinumerat, inquiunt, ad Consulatum Honorii & Eutychiani annos a Christi morte 365. Percepisti ne mentem Augustini? Jactabant Pagani Christianam religionem nonnisi annis 365. duraturam. Stultissimum Paganorum mendacium S. P. hoc validissimo ratiocinio redarguit: Non eversa est Honorio Consule Religio Christiana; quin potius Carthagine *Gaudentius & Jovius comites Imperatoris Honorii quartodecimo Kal. Aprilis falsorum Deorum templa everterunt, & simulacra fregerunt*: & tamen superiori anno Coss. Eutychiano & Honorio, *trecenti sexaginta quinque anni reperiuntur impleti*. Firmissimum est Augustini argumentum, tametsi a morte Christi præteriissent anni 388. Connumeravit tamen 365. quia Pagani hunc terminum Christianæ religioni statuebant; aut si forte quidam alio anno mortem Domini consignarent, adhuc ratiocinatio in suo robore permaneret. At argumentum tertium, supputantibus nobis Danielis hebdomades ab anno VII. Artaxersis, ante Æ. Vulg. 457. nihil est aliud, quam cantilena, verborum-

que

que jactatio. Quarto satisfactum iri confidimus iis, quæ produximus in 1. propositione num. 3. nam quæ afferuntur ex Sinensium historix, Gressonius Chronologiæ xptavit suæ; nec memorandum solis deliquium, quo vehementer Quamvutius Sinarum imperator dicitur fuisse commotus, consignavit anno Æ. V. xxxiii. sed xxxii. in quo pleuiluuium Nisan contigit feria prima. die 13. Aprilis, aut feria 2. die 14. ideoqae adversarii nostri Astronomicis calculis decertantes nequeunt ad Sinensium annalium monumentx confugere. Ad 5. dicimus, si recipiantur Acta Pilati, iis quoque assertum nostrum stabiliri: quippe in iis narramr, Sejanum præfectum Tiberii suscipiendæ Christianæ religioni pervicaciter obstitisse. Videatur Orosius l. 7. cap. 4. At Sejanus a Tiberio iuterfectus est, *Memmio Regulo Consule*, ex Dione lib. 58. pag. 6x8. idest, anno vulgari 31. haud repugnantibus Tacito lib. v. Annal. & Suetonio in Tiberio cap. 65. ubi narrant contigisse Sejani necem in v. Consulatu Tiberii, hoc est, anno U. 784. vulg. æræ 31. ex quibus patet castigandum errorem eorum, qui vel referunt cædem Sejani cum Eusebio ad an. Æ. V. xxxv. vel consulatum Memmii Reguli suffecti Fulcinio Trio, dum Tiberius anno U. C. 784. consulatum v. agebat, deorsum trudunt. Ad 6. ad hunc respondeo modum, Tradunt Patres, præsertim Hieronymus de script. Eccles. Petrum sub Nerone martyrio coronatum *anno 37. post Christi passionem*: quo Neronis anno, gravis est controversia. Ultimum ponit Hieronymus: Epiphanius hæresi xxvi. 6. duodecimum. Hinc in partes abeunt Historici, quibusdam referentibus Apostolorum Martyrium ad annum Æ. V. 65. aliis ad annum 66. aliis ad 67. nonnullis quoque ad 69. Non vacat in præsentia controversiam istam dirimere. Subscribamus interim Pagio Tom. 1. pag. 51. referenti Martyrium Apostolorum ad annum Æ. V. 65. In hunc annum incidit xxxvii. a passione Domini, & xii. Neronis, si eadem passio statuatur anno æræ V. xxix. Quod etiam salvatur, si dicas Petrum occubuisse proximo anno 66. & annis 37. post Christi passionem prorsus exactis, & si imperium Neronis auspiceris a die 13. Octobris anni Vulg. Æ. 54., atque ut inquit Lactantius in libro de mortibus Persecut., *anno a morte Christi* xxv. Omnia itaque argumenta hactenus producta non quatiunt sententiam nostram, sed recenti munimento suffulciunt.

Verum discutiendum ast perdifficile argumentum, quod sequitur: In die crucifixionis Dominicæ duo concurrere debent, Parasceve sabbati, sive feria vi. qua necatum Christum patet ex Joannis xix. 31. & plenilunium mensis Nisan incidens in eamdem feriam sextam, cum feria quinta præcedenti ad vesperam, primo Azymorum die Christus cum Apostolis paschalem agnum comederit, quartadecima die mensis juxta præscriptum legis, Levit. xxiii. 5. At hæ notæ in nullum quadrant annum, nisi in Æ. V. xxxiii. & Christi 37. Tiberii xix. Enimvero juxta emendatissimas tabulas Astronomicas, anno V. Æ. 31. luna 15. mensis Nisan incidit in diem 26. Martii fer. 2. Anno proximo 32. in diem 13. Aprilis feria 1. vel in diem 14. feria 2. Anno 34. in diem 23. Martii feria 3. Anno dumtaxat 33. incidit plenilunium in diem 3. Aprilis, sextam feriam, & sabbati Parasceven; ideoque hoc anno ac die consignari debet Passio Salvatoris. Ita Natalis Alex. Tom. 3. pag. 81.

Huic vero argumento tres adhibemus responsiones, propositam spem habentes quod ad harum unam, vel alteram adversarii obmutescant, aut fateantur saltem non esse sententiam nostram adeo infirmam, quæ non valeat oppositæ contraniti. Ac responsio prior est ingenux inscitiæ nostræ confessio, quod nihil prorsus de lunæ phasibus, & Astronomicis regulis edocti simus. Legimus tamen apud eos, qui in hoc studiorum genere plurimum fuerunt exercitati, minime esse idoneos Astronomorum calculos ad vetusta Judæorum Paschata investiganda, sive ii exacto cyclo non uterentur, sive ob non satis compertum astrorum motum mathematicæ tabulæ aliquando sint minus rectæ. De hac re legi poterunt in Eclogis Chronologicis Keplerus, Henschenius Exercit. 1. in Catalogum Rom. Pontificum, Petavius animadv. in Epiphan. ad hæresim lx. Pagius ad annum 32. numer. 8. & Schelstratius volum. 1. pag. 70. Revera Judæos anno Passionis Christi ante legitimum diem Paschale epulum celebrasse scribit citato loco S. Epiphan. num. 26. necnon Magnus Constantinus in Epistola ex Nicæna Synodo ad Ecclesias conscripta. Astronomicas tabulas emendatas x Metone primum, deinde a Calippo tradit idem Keplerus. Quas confecerat Ptolomæus princeps Astronomorum, opus fuit tempore Alphonsi Hispanorum Regis ad exactiorem calculum revocare. Alphonsinis subsequutæ sunt Prutenicæ exaratæ a Nicolao Copernico. Et hæ fortassis annorum decursu experientur fata cæterarum: insudant enim & nunc in iis castigandis viri laboris patientissimi. Quantum vero errent, qui Patrum documentis præferunt Astronomicas observationes, demonstrant quæ de Pachomio Ægyptio Monacho, & de aqua pro catechumenis baptizandis, (quæ dum contra usum Ecclesiæ astronomici calculi servarentur, evanuit e sacro fonte) in libro de rat. temp. cap. 41. narrat Beda. Ob eam rem ait Henschenius *non videri viri sapientis*, propter calculos mathematicos recedere a Patrum sententia. Quod etsi fas esset sapientibus, mihi sane Astronomiæ penitus imperito non licet.

Si huic non acquiescas responsioni, de Astronomicis calculis disseram aliquantulum; & erit responsio altera. Concedo nullo ex annis in argumento citatis consignandam Christi passionem. Hanc refero ad Consulatum Geminorum, alligatum communi supputatione anno Dionysiano xxix. Nullam de hoc anno litem adversarii intentabunt circa feriam sextam; cum anno prædicto 29. litera Dominicali B. signando dies 25. Martii fuerit Sabbati Parasceve. quod & probat argumentum Natalis, nam si anno 31. dies 26. Martii fuit feria 2. omni dubio procul anno 29. dies 25. ejusdem mensis incidit in feriam sextam. De luna tantum remanet inquirendum. Judæi non solum lunam 14. mensix Nisan observabant, sed etiam æquinoctium vernum, caventes ne ante ipsum immolarent Pascha, ut probat Petavius Animad. in Epiph. pag. 169. necnon Vossius Tom. vi. pag. 85. testimoniis Anatolii, Agathobuli, Philonis, Epiphanii, & Eusebii: quæ brevitatis gratia prætermitto. Illis Herodes Jerosolyma expugnata servandam proposuit *Octaeteridem* Lunarem Romanorum, cum Hieronymus in Chronico scribat servasse illos *secundum Romanos lunarem cursum*. Hanc *Octaeteridem* tibi propono ex Eclogis Chronologicis Samuelis Petiti Tom. VIII. Thes. Antiq. Rom. pag. 386. quoniam perdifficile est ipsam eruere ex tabulis Kepleri ibidem a Petavio productis, & etiam a Vossio permutatis literis, ac numeris sit exscripta. Petitus ergo illam hoc diagrammate delineat.

OCTAETERIS ROMANORUM LUNARIS.

Anni Periodi.	*Dies a quo incipiunt.*	*Lit. Dominicalis.*
i.	xviii. Martii.	C B.
ii. Embol.	vii. Martii.	A.
iii.	xxvi. Martii.	G.
iv.	xv. Martii.	F.
v. Embol.	iii. Martii.	E D.
vi.	xxii. Martii.	C.
vii. Embol.	xi. Martii.	B.
viii.	xxx. Martii.	A.

Expugnata fuit ab Herode Jerosolyma anno U. C. 717. quare Judæi hanc Octaeteridem ex eo tempore adsumentes in usum, & in Periodo Romano-Judæa anno 1. in 2. *Octaeteridis* commutato, ut servarent æquinoctium Romano more, perverterunt lunares phases, atque hoc pacto constat cur lunam xiv. mensis Nisan e sede sua deturbarent: quod tradunt cum Epiphanio alii Patres, ab iis, qui hanc Octaeteridis regulam non observarunt, inscite, & perperam lacessiti. Demonstrat autem præcitatus clarissimus Mathematicus recepta a Judæis Romana *Octaeteride* necessario servandam fuisse hanc aliam Romano-Judaicam, ne Pascha æquinoctium præcederet.

OCTAETERIS

ROMANA.		JUDAICA.	
Anni Per.	*Neomenia.*	*Anni Per.*	*Neomenia.*
ii. Emb.	vii. Martii.	i.	vi. Aprilis.
iii.	xxvi. Martii.	ii.	xxvi. Martii.
iv.	xv. Martii.	iii. Emb.	xv. Martii.
v. Embol.	iii. Martii.	iv.	ii. Aprilis.
vi.	xxii. Martii	v.	xxii. Martii.
vii. Emb.	xi. Martii.	vi. Emb.	xi. Martii.
viii.	xxx. Martii.	vii.	xxx. Martii.
i.	xviii. Martii.	viii. Emb.	xviii. Martii.

In hac *Octaeteride* diversa intercalandi Judæorum ratio orta est ex prædicta ratione, ne scilicet celebrarent Pascha nondum transacto æquinoctio. Hac *Octaeteride* adhibita ad investigandum Paschx Judaicum anni Dionysiani xxix. idest, diviso xxix. per 8. & addita unitate justa arithmeticum canonem, ut resultet numerus 30. apparebit Neomeniam mensis Nisan incidisse in diem xi. Martii, & solemnitatem Azymorum, sive lunam xv. in feriam sextam, ac in diem Martii 25. quo pacto omnia, quæ tradunt veteres PP. conciliantur, Judæos scilicet tempore Christi non servasse phases lunares, & Dominum Jesum affixum cruci die Paschatis, in Parasceve sabbati, viii. Kal. Apriles, & Coss. duobus Geminis. Quum possimus tam facile omnia conciliare, cur hanc responsionem a viris doctissimis traditam, & a nobis, ni fallimur, dilucide expositam nihili faciemus?

Si adhuc calculos arithmeticos urgeas, en tibi responsio tertia. Percelebris Franciscus Blanchinus Opusc. iv. Tom. 2. Anastasii pag. x. contendit consulatum Geminorum esse retrahendum in annum Vulg. Æ. xxviii. quoniam eclipsis prænuntia mortis Cæsaris Augusti, de qua Dio Cassius lib. 56. nequit inveniri nisi in anno Æ. V. xiii. in quo si locemus Consules duos Sextos, necesse est, ut Gemini prodierint Coss. anno bissextili xxviii. in hoc autem

anno,

anno, inquit Blanchinus, ibi pag. xII. *rationes lunæ* xIV. *Paschalis ite sunt apertæ, ut qui tabulas hac de re tam veteres, quam recentes concinnarunt, inter se non dissentiant*. Fatentur siquidem omnes, lunam Paschalem incidisse eo anno in diem 25. Martii, feriam quintam, qua post cœnam Christus in horto incœpit passionem, postera die, feria sexta consummatam in cruce. Sane Blanchini sententia eruditissimo Opere quamprimum in lucem edendo invictissime confirmatur. Hac ratione petitum ex Astronomorum calculis argumentum omnino labascit: quamvis nobis necessarium non videatur ob hoc unum pervertere communes fastos, & universam ætatem Christi ex Epochis supra firmatis extrudere: quod tamen si fiat, nihil erit repugnans Patribus, aliud non commemorantibus ad designandum annum diemque Domini emortualem, quam annum Tiberii xv. Consulatum Geminorum, & vIII. Kal. Apriles, quemadmodum & nos hacce Chronologica diatriba propugnavimus.

S C H O L I O N.

,, SUnt & nostratium quidam in eam concedentes sententiam, quæ in anno Æræ Vulgaris xxxIII. consignat piissimi Redemptoris Crucifixionem, ac mortem. Duobus præsertim innituntur momentis; quorum unum superius propositione prima dispunctum est: alterum novam quamdam præsefert difficultatem.

,, Primum depromtum est ex celebri Eclipsi commemorata a Phlegonte Hadriani Augusti Liberto, quam prædicto anno 33. contigisse absque ulla ambiguitate pronunciant, quoniam, inquiunt, id ex Tertulliano, Origene, & Georgio Syncello, sive Syncellira perspicuum est. Verum hi tres, aliique a nobis commemorati tradunt utique descriptam a Phlegonte eclipsim esse illam, quæ contigit Domino moriente, sed anno communis Æræ xxIx. non autem anno ejusdem Æræ xxxIII. Verba Tertulliani, quæ producunt, extant in ejus Apologetico cap. 21. ubi ait: *Eodem momento dies medium orbem signante sole subducta est. Deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum utique non scierunt, ratione non inventa negaverunt; & tamen eum mundi casum relatum in archivis vestris habetis*. Origenes itidem in secundo adversus Celsum libro, *De defectu solis*, inquit, *sub Tiberio Cæsare, quo imperante constat Jesum crucifixum, deque magnis ejus temporis motibus terræ scripsit etiam Phlegon*. Atque Georgius Syncellus in Chron. pag. 322. *Narrat Phlegon suo Tiberio Cæsare in plenilunio Eclipsim solis factam ab hora sexta usque ad nonam: manifestum est autem quod illam narrat, nempe qua Christo moriente contigit*.

,, Nos etiam paullo supra horum, aliorumque laudavimus testimonia, tametsi brevitati studentes verba, quæ necessum minime erat exscribere, prætermisimus. Verom ut ex his aperte evidenterque constat Phlegontem litteris consignasse memorandam illam tenebrarum per universam terram expansionem, quæ patiente ac beatissimam animam pro omnium hominum redemptione Christo Domino tradente, evenisse affirmant Evangelistæ: ita nulla evincitur ratione sive miram illam eclipsim, sive mortem Reparatoris humani generis in annum Æræ communis tricesimum tertium referri oportet. Immo auctoritate prædictorum Scriptorum recepta, ad annum ejusdem Æræ vigesimum nonum salutiferam Christi passionem retrahendam esse manifestissime ex hactenus dictis eruitur. Etenim Tertullianus adversus Judæos cap. 8. affixum cruci Dominum ait *Coss. Rubellio Gemino, & Rufio Gemino*: & Origenes contra Celsum id contigisse scribit ante eversionem Jerosolymorum *anno* 42. Quæ pariter est sententia Clementis Alexandrini, S. Hieronymi, aliorumque. Annum vero ante eversam Jerosolymam quadragesimum secundum, & Consulatum duorum Geminorum incidisse in annum hujus Vulgaris Æræ nonum ac vigesimum, res est apertissima. Ita depromptum ex Tertulliano, & ex Origene argumentum facile evertitur, & retorquetur. Porro Æræ Dionysianæ longe post illorum ætatem in usum receptæ, non potuerunt Origenes ac Tertullianus mentionem facere, notisque usi sunt Chronologicis tabularum Consularium, annorumque a Passione Domini; quæ notæ firmiores profecto sunt, atque vetustiores. Vide tamen sententiam nobis oppositam propugnantes, atque hos inter Dissertationem Historico-Polemicam *de Septuaginta hebdomadibus Danielis* editam ab illustri Augustinensi Scriptore Thoma Bouges Tolosano: quam laudavimus in Additamento ad caput 5. lib. xxv.

,, Producit vero Auctor ille præstantissimus argumentum alterum, depromptum e Scriptore alio Augustiniani Instituti, nempe Guillielmo *Bonjour* in suis Annotationibus super monumenta Ægyptiaca Bibliothecæ Vaticanæ. Est autem argumentum illud hujusmodi. In Bibliis Ægyptiaca lingua conscriptis, & in Vaticana Bibliotheca diligenter asservatis, initio Evangelii S. Matthæi hæc verba leguntur, eodem Guillielmo interprete: *Tum interpretatus est illud S. Joannes Filius Zebedæi in Asyla, Anno primo regni Claudii, qui est annus nonus assumptionis sanctæ*. In principio Evangelii Marci illa pariter occurrunt: *Et promulgavit illud in civitate Alexandriæ, & omnibus finibus ejus, anno quarto regni Claudii, post assumptionem Salvatoris nostri anno duodecimo*. In Præfatione demum ad Evangelium S. Lucæ hæc extant verba: *Scripsit Antiochiæ Evangelium suum lingua Græca, anno duodecimo Claudii Regis, post assumptionem Domini nostri Jesu Christi anno vigesimo*.

,, Hinc ergo inferunt Dominum subiisse Crucis patibulum anno Æræ Vulgaris xxxIII. Etenim *primus* annus Claudii concurrit cum anno ejusdem Æræ xlI. Si vero annus Æræ Vulgaris xlI. sit annus Ix. ab Ascensione Domini, necessum est, ut hæc sit consignanda in anno ipsius Æræ xxxIII. Rursus annus *quartus* Claudii concurrit cum anno communis Æræ xlIv. ideoque annus *duodecimus* a Passione, Resurrectione, & Ascensione Domini, nequit esse annus *quartus* Imperii Claudii, nisi Passio, Resurrectio, & Ascensio Domini in anno xxxIII. Æræ communis constituantur. Pari item ratione annus *duodecimus* principatus Claudii non potest convenire cum anno *vigesimo* a Passione Domini, nisi hæc Passio consignetur in prædicto anno xxxIII. Æræ Christianæ; cum annus a Christi morte *vigesimus*, ut concurrat cum anno *duodecimo* Claudii, debeat esse annus Æræ Christianæ lII. & idem annus lII. ut concurrat cum anno *vigesimo* a Passione Domini, necessaria illatione supponat eamdem Passionem contigisse anno Communis, seu Vulgaris Æræ *tertio ac tricesimo*. His tribus momentis sententia, quam propugnavimus, convelli videtur, & enervari.

,, Verum hæc tria momenta ex Bibliis Ægyptiacis deprompta nullius, aut certe minimi æstimanda sunt roboris. Ac primum constat non esse illa sacri textus partem, sed ignari appendiculam amanuensis. Deinde, cujus ætatis sint vaticani illi Codices nondum compertum est; & proculdubio exarati sunt post Seculum Ecclesiæ Nonum, jam in usum Æra Dionysiane recepta; quæ a vera Christi Nativitate integro quatuor annorum discrepat intervallo, quoniam Dominus natus est anno *U. C.* 749. desinente, & Æra Dionysii inchoatur ab anno *U. C.* 754. ineunte: quamobrem si ab anno 33. istius Æræ anni illi quatuor detrahantur, compertum erit quod evenisse asseritur anno xxxIII. consignandum esse anno xxIx. Sunt itaque productæ superius argumentationes eorum, qui veram Christi Chronologiam cum Æra Vulgari confundunt, atque huic, non illi annos Claudii, aliorumque Cæsarum connectunt. Quamquam Scriptor Codicum Ægyptiacorum in Chronologia quoque Sacrorum Evangeliorum aberrat a vero. Sanctus enim Matthæus fertur Evangelium scripsisse circa annum sextum a Passione Domini; Sanctus Marcus circa annum decimum, & Sanctus Joannes circa annum sexagesimum septimum, & Vulgaris Æræ nonagesimum sextum Nerva imperante.

C A P U T U L T I M U M.

Continet quasdam notas in Dominicæ Passionis historiam.

DIE itaque Martii quinta ac vicesima, a vespere primo inchoata, postquam cum Apostolis celebravit postremum epulum, gratiis de more peractis, trajecit Redemptor torrentem Cedron, contulitque se in hortum Gethsemanis, ita appellatum, quasi גיא־שמנים, *vallis pinguis*, quod ad pedes montis *Olivarum* situs esset, umbroso in loco, unde fluentis nomen a קדר, *nigresco*. Ubi eo perventum est, Petro & filiis Zebedæi comitantibus, nonnihil ab iisdem progressus, in genua concidens terroravit ad Patrem, & vehementissime mortis subeundæ sensu commotus in vultum procidit; diffluitque e corpore ejus sudor, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, cum illi apparuisset *Angelus de cælo confortans eum*, ut legimus Lucæ xxII. 43. 44. Male hunc locum insititium quidam dixere, quoniam defuit olim in exemplaribus quibusdam vetustis; male etiam negant aliqui sudorem Christi sanguine fuisse permixtum, putantes Evangelistam designare sudorem crassum, quales esse solent grumi sanguinis. Etenim Patres celebriores, & hunc locum agnoscunt, & illum interpretantur de sudore sanguineo. Primum S. Irenæus lib. III. adversus hæreses cap. 32. nunc 22. numer. 2. contra denegantes in Christo verum corpus, *Nec lacrymasset*, inquit, *super Lazarum, nec sudasset globos sanguinis*. Præterea Epiphanius in Anchorato num. 31. ut ad literam ex Græco translatus est a Massuetio in notis ad Iren. pag. 219. inquit: *Sed & ploravit. In iis Lucæ exemplaribus, quæ interpolata non fuerunt, legitur: (eoque testimonio S. Irenæus in Opere contra hæreses ad eos refellendos utitur, qui Christum specie tenus apparuisse dicebant; catholici vero timore quodam inducti sententiam eam sustulerunt, illius neque finem, neque vim maximam intelligentes) Et in agonia constitutus sudavit, &c.* Hoc Epiphanii loco ex emendatissimis codicibus restituto, liquet

erraſſe

erraſſe Hugonem Grotium, qui in Lucam Tom. 2. pag. 441. ait Epiphanium loqui de fletu tantum, de quo Lucæ XIX. 41. nec locum apud Irenæum inveniri; necnon conſtat decipi Petavium, qui in Animadv. ad Epiph. pag. 369. indigitat Irenæi lib. I. cap. 17. ubi nihil de ſanguineo ſudore. Ac præter hanc Irenæi, & Epiphanii collationem, Grotius hinc etiam revincitur, quod nullibi legatur e capite XIX. Lucæ verſum 41. fuiſſe abraſum, quemadmodum interpolata fuere verba ejuſdem Evangeliſtæ cap. XXII. 43. 44. Cum ergo Epiphanius & Irenæum laudet, & loquatur de exemplaribus Lucæ, & de loco, qui alicubi pia quorumdam inſcitia, ne hinc hæretici opponerent indiguiſſe Chriſtum conſolatione Angelorum, paſſus fuerat depravationem; manifeſtum eſt S. Epiphanium exiſtimaſſe textum, de quo diſſerimus, autographum ac genuinum. Hilarius quoque lib. X. de Trinit. numer. 40. pag. 1061. ſcribit, *Angelum extitiſſe confortantem eum, quo aſſiſtente orare prolixius cœperit, ita ut guttis ſanguinum corporis ſudor efflueret*. Chryſoſtomus item in hunc locum intendit, dum Hom. 84. in Matt. pag. 713. ait: *Et ad hæc ſudor quidem, & labor animi apparuit, & ab angelo confirmatur fuit*. Hieronymus denique lib. 2. Dialogi adverſus Pelagianos Tom. IV. pag. 521. ſcribit: *Salvator in paſſione ab angelo confortatur, & Critobulus meus non indiget auxilio Dei habens liberi arbitrii poteſtatem: & tam vehementer orabat, ut guttæ ſanguinis prorumperent ex parte, quem totus erat in paſſione fuſurus*. S. Pater Auguſtinus in Pſalm. CXL. num. 4. *Cum oraret globi ſanguinis de toto corpore ejus deſtillabant, ſicut ſcriptum eſt in Evangelio: Oravit Jeſus intenta oratione, & ſudavit ſanguinem*. Igitur tam diſerte Patres hiſtoriam ſanguinei ſudoris agnoſcunt, atque explanant, ut revocari nequeat in dubium. Profecto evangelica verba *ὡσεὶ θρόμβοι τοῦ αἵματος, ut guttæ ſanguinis*, non ſignificant, (ut quidam cum Euthymio contendunt) nudam comparationem; nec ſunt capienda hyperbole quadam proverbiali, ſed planiſſima ſignificatione commonſtrant ſanguinem ita guttatim manaſſe, ut ſanguinolentos grumos efficeret: immo ex quo ſudoris materies adeo ſpiſſa fuerit, ut grumulis tranſmitteretur, ſequitur rarefactis vaſorum tunicis, cutiſque meatibus, ſeroſum & tenuem ſanguinem profluxiſſe, qui vel deficiente ſudoris materie, vel huic permixtus in grumulos coaleſceret. Quomodo autem talia Chriſtus expertus fuerit in aſſumpta humanitate, etſi fuerit quoque Deus ſummus, cum explicatum ſit Lib. XXVI. a cap. 6. uſque ad 10. rurſus exponendam eſſe non arbitror.

II.

In horto comprehenſus Jeſus a Romana cohorte, miſſiſque a Judæorum Senatu apparitoribus, quos illuc adduxit proditor Iſcariotes, arctaque vinctus cuſtodia ad Annæ & Caiphæ ædes perductus eſt, ac tandem ad Romanum præſidem Pontium Pilatum, ubique ludibriis affectus, & declaratus a Judæorum conſeſſu reus mortis. Proditor interim facti pœnitens retulit pretium execrandi facinoris, *triginta* ſcilicet *argenteos*, projectiſque in templo, in deſperationem actus laqueo ſeſe necavit. Inquirunt, quanti triginta hi nummi penderent. Sunt, qui tribuunt ſingulis hujuſmodi nummis unius *drachmæ* valorem, ita, ut Dominus venditus ſit *Juliis* Romanis ejuſdem plus, minus, cum drachma ponderis, XXX. Quidam nummos illos *argenteos* putant fuiſſe *ſiclos*, ſed an ſacri, an profani fuerint, non dicunt; nec de pretio conveniunt, adeo, ut alii ſcribant XXX. *argenteos* idem eſſe, ac Romanos *Julios* 60. alii 150. Pro *argenteis* Baronius ad an. Ch. 34. Eſtius in cap. 26. Matth. necnon Camerarius *de Re nummaria* intelligunt nummos aureos, ſive argenti libras, ita, ut pretium XXX. *argenteorum* ad ſummam 300. coronatorum acceſſerit; quod abunde ſat erat ad emendum agrum figuli, a pretio ſanguinis appellatum Jeroſolymitana dialecto חקלדמא, *Hacel-dama*. At mihi quidem de triginta *argenteis* ſic ſtatuendum, ſalvo meliori judicio, videtur. Fuit apud Hebræos argenteus *ſiclus*, dictus שקל־הקדש, *Schechel hachedeſc*, Siclus ſanctuarii, quod ad ornatum, & ſtructuram Templi impenderetur. Refert ex una parte floreſcentem virgam Aaron, ex altera thuris vaſculum cum literis, vel Samaritico, vel Hebraico charactere cuſis, שקל ישראל, *Siclus Iſrael*. Invenies hujus nummi ſculptam figuram apud Villalpandum in apparatu, Kircherum in *Turri* Babel, Waſerum de Antiquis nummis Hebræorum, & noſtrum Scacchum Myroth. II. cap. 4. Pendebat *Siclus* ſacer viginti obolis, Exodi XXX. 13. Levit. XXVII. 25. & Num. III. 47. Pro *obolo* eſt in Hebræo גרה, *Gera*, vertitque Onkelos מעה, *Meha*. *Gera*, ſive *Meha*, eſt minutus nummulus habens tantum ponderis, quantum 16. grana hordei. *Siclus* ergo pendens 20. *geris*, tanti pendet, quanti hordei grana 320., ideſt, ut pendent viginti quatuor oboli Attici, ſive drachmæ Atticæ quatuor, aut quatuor *Julii* Romani. Obolus enim Atticus octo habet *χαλκοῦς*, drachma vero ſex obolos, ut oſtendit lib. V. Atticarum lect. cap. 16. Joannes Meurſius. Eſt itaque idem Hebræorum *Siclus*, & *Tetradrachmum Atticum*, ſive, ut dicitur Matth. XVII. 23. *Stater*. His ex clariſſimis Auctoribus, qui de re nummaria pertractarunt, ſuppetias accedit Hieronymus, qui in Ezech. cap. 4. Tom. III. pag. 722. inquit: *Siclus autem, ideſt, ſtater habet drachmas quatuor*. Aſſentiuntur Rabbini, ſcribente in 1. Samuelis Rab. Kimchi: *Siclus continet quatuor Suſas. Suſa eſt drachma Attica, ſive denarius Romanus*, & Salom. Jarchi, *Siclus pendet quatuor drachmis*. Et quamvis ſunt, qui inter drachmam, ac denarium argenteum nonnihil ponant diſcriminis; certiſſimum eſt tamen, atque ex nummis ante Neronem cuſis a viris doctiſſimis comprobatum, tam antiquum denarium, quam drachmam fuiſſe ejuſdem ponderis, octavam ſcilicet unciæ partem, quod plurimi non attendentes diſſerendo de re nummaria deprehenduntur erraſſe. At a *drachma*, ſi æqui ſit ponderis, non eſſe diſcrepantem *Julium*, res eſt aperta. Poterit quiſque id experiri ſi *ſiclum*, tetradrachmum Atticum, & *Julium* ponderet. Hunc noſcunt omnes: *Sicli* notas attuli paullo ſupra; nummum vero Atticum dignoſces ex *noctua*, Athenarum inſigni, atque ex effigie *Palladis*; ac talem exhibet Hudſonus Operum Joſephi Tom. I. pag. 139. Hinc habes XX. *argenteos*, ſi fuerunt *Sicli* ſacri, idem habuiſſe pretium, ac 120. drachmæ, ſive totidem denarii, quos *Julios* dicimus. Atque his emi poterat ager *figuli*; quem, ſive dictum velis a terra inde effoſſa pro vaſis fingendis, ſive a teſtarum fragmentis in eum projectis, emptum non arbitror argenti libris triginta.

At fuit Hebræis *Siclus* alter communis, duplo minor ſacro, ac pendens *geris*, ſive obolis decem, ideſt granis hordei 160. Atticis obolis 12. drachmis Atticis, aut denariis argenteis duobus, Semiſtatere, & nummo illo Atticorum, qui refert ex una parte vultum Theſei, ex altera *bovem*: unde intelligimus vetuſtum proverbium, *Bos in lingua*, de iis, qui pecunia corrupti mentiuntur, vel tacent. Procuſus fuit communis *Siclus* pro tributis ſolvendis; nam ſicli dimidium ſingulis impoſitum legimus Exodi XXX. 15. *Didrachmum* dicitur Matth. XVII. 22. & ibidem verſu 26. *ſtater* iis datus eſt, qui accipiebant *didrachma*, pro Chriſto, & pro Petro: de qua re plura diximus agentes de Immunit. Clericorum lib. XX. cap. 17. Ex quo autem *ſtater* idem penderet, ac *tetradrachmum*, liquet nummum inventum in ore piſcis non fuiſſe dimidium *ſicli*, aut *didrachmum*, ſed *ſiclum* ſacrum, duplumque communis. Qui ergo putant *argenteos* Judæ perſolutos fuiſſe profanos *ſiclos*, aſſerere debent venditum Dominum drachmis, denariis, ſive *Juliis* Romanis ſexaginta. Etſi autem complures in hanc ſententiam deſcendant, veriſimilius puto deſignari Matthæi XXVI. triginta *tetradrachma*, ſive *ſiclos* drachmis quatuor pendentes: ubicumque enim in Scripturis nominantur argentei, *ſicli* intelliguntur, ut Gen. XX. 16. II. Regum XVIII. & II. Paralip. I. 17. & quidem *ſicli* pendentes viginti obolis; nam LXX. reddunt pro *ſiclis*, *δίδραχμα*; ac *didrachmum* Alexandrinum ejuſdem eſt pretii, ac *tetradrachmum* Atticum. Deinde ipſum nomen *argentei* numiſma aliquod ſignificat, non ita ob materiam, ſed ob ſingularem nummi ſpeciem dictum antonomaſtice. Præterea Matthæus XXVII. 9. de triginta *argenteis*, quibus venditus eſt Dominus, impletum ait vaticinium Jeremiæ. *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati*: quod verbis conſimilibus extat in Zacharia XI. 12. atque illud de Zacharia ſumptum putat Hieronymus lib. IV. in Matthæum. inveniri tamen ait in apocrypho Jeremiæ volumine, quod ſibi obtulerat Nazarenæ ſectæ vir quidam. In Zacharia & nos vaticinium illud legimus; at quæ Jeremias non conſcripſit in libro Canonico, ſed vel prædixit ore, vel in fragmento aliquo reliquit ſcriptum, potuit id Zacharias ſuis vaticiniis inſerere; neque Matthæus erraſſe dicendus eſt. Quod huc ſpectat, Zacharias *ſiclos* argenteos, ſive pendentes quatuor drachmis expreſſit. Fuit ergo Iſcariotes adeo avaritiæ mancipatus, ut 120. *Juliis* Romanis ad patrandum maximum, horrendiſſimumque flagitium potuerit impelli, ac tanti Dominum vendiderit, quanti æſtimatur Exodi XXI. 32. caput ſervi.

III.

Tam vili Dominus, & univerſorum Conditor venditus, tradituſque manibus peccatorum, poſt quædam judicialia acta immaniſſime flagellis cæſus eſt, nudus omnino, & ad columnam alligatus. Numerum quidem verbe- I. 5000.
rum definire non auſim, quoniam diverſa ratione hæc II. 5375.
numerant S. Vincentius Ferrerius ſerm. de Paraſceve, III. 5475. IV. 5460.
Joannes Eckius de Chriſti paſſione Art. 4. Conſid. 4. Lo- V. 6666.
dulphus de vita Chriſti p. 2. cap. 58. Lanſpergius hom. 50. de Paſſione, & alii: ſed opinionem quorumdam aſſerentium Chriſti flagellationem non fuiſſe adeo diram atque cruentam, ut ſolet tradi, jure meritoque tamquam detogantem Dominicæ paſſionis atrocitati hoc in loco refellam. Sunt ergo qui affirmant Dominum Jeſum ab uno duntaxat lictore flagellis cæſum; quoniam Romanorum ju-

re unicus tantummodo verberandi ministerium obibat, juxta formulam illam Juris: *I lictor, alliga manus, caput obnubito, virgis cadito*. Addunt Pilatum indixisse, ut Christus cæderetur flagellis ad correctionem; nam Lucæ XXIII. 16. inquit Præses: *Emendatum ergo illum dimittam*. Objiciunt & legem Deuteronomii XXV. 3. ut servaretur plagarum modus, ne quadragenarium numerum excederent; quam legem ætate quoque Christi servatam testis est Paulus 2. ad Corinth. XI. 14. scribens, *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi*: ictus enim undequadraginta reis infligebantur, ne excederetur numerus Deuteronomii lege definitus. Addunt ad exaggerandam immanitatem supplicii nonnullos scripsisse cæsum Dominum catenis, virgisque spineis; cum flagella nodosis tantum funiculis fuerint contexta.

Quantum hi allucinentur, commonstrant qui accuratius de Christi flagellatione scripserunt, Alphonsus Paleotus Bononiensis Archiepiscopus in Historia de Jesu Christi Stigmatibus sacræ Sindoni impressis, cap. 5. pag. edit. Duaci 80. Daniel Mallonius in Elucidat. ejusdem Capitis pag. 84. Lipsius lib. 2. de Cruce cap. 3. Tom. 2. pag. 777. Jacobus Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 8. pag. 36. Consalvus Durantus Not. in lib. 1. cap. 10. Revelat. S. Birgittæ pag. Rom. edit. 21. Jacobus Bosius in Opere, quod Cardinali Petrocchino Augustinensi nuncupavit, de Triumph. Crucis lib. 1. cap. 13. nec non Gerardus Vossius in Harmonia Evangelica, Tom. VI. pag. 176. At ego hæc reponam. Affirmo I. distinguendum fustuarium a flagellatione: fustibus enim cædebantur liberi, tenuisque fortunæ homines; nam Romani cives fustibus non subjiciebantur, ut liquet ex lege 28. *Capitalium*. D. de pœnis. Servi autem, non solum fustibus, sed etiam flagellis cædebantur, ibidem lege 10. *In Servorum*. II. Assero flagella non fuisse funiculis tantum contexta, sed quædam fuisse *flagra talaria*, talis scilicet insertis confecta; quædam *pecuinis ossibus catenata*; quædam *contortis taeniis, ac multimodis fimbriata*; quædam *loris taxillatis* compacta; quædam arte fabricata horribiliori, ut ex probatissimis Auctoribus demonstrat citato loco Justus Lipsius. III. Dico in flagellatione servorum non hanc fuisse adhibitam consuetudinem, ut ab uno lictore, vel certo verberum numero servi plecterentur, scribit enim Ulpianus lib. VIII. de pœnis eo loci citatus a Lipsio, *ministrorum immanitate multos sub hujusmodi flagellis interiisse*. Terentius in Adelphis scen. 5. Act. 2. inducit Æschinum ita alloquentem:

Usque ad necem operiere loris. Sannio. *Loris liber?*

Josephus lib. VI. de Bello cap. V. num. 12. pag. 390. de Jesu quodam filio Anani rustico homine, qui quadriennio ante Jerosolymorum cladem incessanter clamabat, *Væ, Væ*, scribit: *Eum ad præsidem Romanum adducunt: apud quem ad ossium usque denudationem laniatus, nec preces, nec lacrymas ullas effudit*. Complures denique Christi Martyres sub flagellorum ictibus efflasse animam recte scribit lib. 1. de SS. Martyrum cruciatibus cap. 4. pag. 98. Antonius Gallonius. Vide & Ruinartium in Acta Hippolyti, ubi explicat pag. 146. versus Aurelii Prudentii, hymno de Coronis XI.

Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor.

IV. Præterea affirmo *castigationem* flagris factam, non fuisse solam admonitionem, ut rei se se honestius gererent; citato enim tit. de Pœnis habetur lex VII. Callistrati, *Veluti fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio*: unde apparet *castigationem* flagellorum fuisse pœnam *fustuario* acerbiorem. Pilatus etiam flagris Dominum subjecit, ut Judæorum livor miserrimo spectaculo satiaretur, nec usque ad illius internecionem sæviret: quod & Historiæ Dominicæ passionis est consentaneum, & his verbis traditur ab Augustino Tract. 116. in Joan. numer. 1. *Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judæi satiati sufficere sibi existimarent, & usque ad ejus mortem sævire desisterent*. Nec verisimilitudine caret, invidos morti Christi inhiantes, ac timentes ne sententia judicis absolveretur, pecunia sanguinarios carnifices corrupisse, ut plagas infligerent asperiores, scelestos vero ministros annuisse, connivente ob caussam prædictam Romano præside, instigantibus Judæorum proceribus, ac Deo propter salutem peccatorum id permittente. Unde Hieronymus in cap. 27. Mat. Tom. IV. p. 136. inquit: *Traditus est Jesus militibus verberandus: & illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax flagella secuerunt. Hoc autem factum est, ut quia scriptum erat, Multa flagella peccatorum, illo flagellato nos a verberibus liberaremur*. V. Dicendum est insuper flagellatum Jesum dire, irreverenter, immaniter, & tanquam humilem servulum. Id enim primo commonstrat ipsum *flagellationis* nomen paullo supra explicatum: quod etiam innuit cæsum minime fuisse, (ut cædebantur milites, & rei honestiores) vitibus, aut fustibus solis, quæ vestitis ut plurimum inferebantur; sed prorsus nudum, funiculis taxillatis, infixisque aculeis, aliisque acerbioribus flagris fœde laceratum. Flagellum quippe ita explicat Euthymius cap. 67. in Matt. 27. φραγέλλιον *verber erat e funiculis, aut loris contextum*. Theophylactus in cap. XV. Marci pag. 282. ait: *Flagellavit Dominum, hoc est cecidit eum loris*. Nonnus in cap. 19. Joannis: *Horribili Christi corpus flagello rubefecit*. Prudent. in Enchiridio Tom. V. Bibl. PP.

Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ
Annexus tergum dedit, ut servile, flagellis.

Videatur & S. Birgittæ liber quartus Revelat. cap. 70. pag. 309. Illatum hujusmodi flagellis supplicium, futurum utique horrendissimum prænuntiatum fuerat Ps. XXI. 18. XXXIV. 15. LXXII. 14. Isaiæ LIII. 2. 5. atque hæc vaticinia fuisse completa etiam ex notis sacræ Taurinensis Sindonis Chiffletius, & Mallonius demonstraverunt. VI. Non Judaico more, sed Romano flagellatus est Dominus, ideoque ex lege Deuteronomii colligi nequit numerus verberum. Lege enim Mosaica verberandus debebat prosterni. At Jesus ad columnam alligatus fuit, quæ etiamnum visitur Romæ in Templo S. Praxedis, huc translata, sedente Honorio III. anno 1223. a Joanne Cardinali Columna, ut narrant Panvinius noster in libro de septem Urbis Ecclesiis, Raphael Volaterranus lib. 2. Anthropologiæ, & citato loco Jacobus Bosius. Quare columna, de qua Hieronymus in Epitaphio Paulæ Tom. IV. pag. 674. *Ostendebatur illi columna Ecclesiæ porticum sustinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur flagellatus*, non est quæ Romæ asservatur, neque hæc illius pars, ut complures scripserunt; sed columna altera, ad quam Salvator vinctus est post carnificum verbera cruore perfusus, quod etiam innuit, si probe intelligatur, Hieronymus. Nam quæ Romæ colitur, integra est, & trium duntaxat altitudine palmorum atque dodrantis, flagellationi quidem accommodatior, cum totum corpus ad eam revinctis manibus alligatum verberibus plagisque patuerit. Hunc morem servos flagellandi fuisse apud Romanos tradit Josephus Laurentius Lucensis de Tormentis cap. 7. Tom. VI. Thes. Antiq. Græc. idque ostendunt citato loco Lipsius, & Vossius ex Plauto in Bacchide Act. VI. scena 7.

Abducite hunc
Intro, atque adstringite ad columnam fortiter.

Apparet ex dictis quam infirma sint argumenta initio hujus paragraphi collocata. Gratis enim dato, quod aliquando lictorum unus plagas infligeret, cum fustuarium pars erat extremi supplicii; fustigatio tamen ex Polybio lib. 6. & Sigonio de Antiq. Jure Rom. lib. 1. cap. 16. ac pariter castigatio, idest, verberatio servorum peragebatur ad nutum tribuni, vel præsidis, quandoque ab universis militibus, ita, ut complures verberum immanitate interierint, id asserente Ulpiano. Quod sequitur redolet grammaticalem inscitiam, *admonitio* enim, & *castigatio*, ubi de suppliciis agitur, non significant correctionem, sed plagas fustibus, flagrisque illatas: ut ostendimus ex lege Callistrati: & quod est in Luca παιδεύσας, *emendatum*, respondet Latino, *castigatum*. Quare dum ait Pilatus, *Emendatum ergo illum dimittam*, innuit dimissurum se Christum flagellis cæsum: quamquam varia tum animo versaret consilia, ac postea præter fas jusque pronuntiarit sententiam. Petitam ex lege Deuteronomii objectationem id retundit, quod Jesus flagris fuerit subjectus juxta Romanorum consuetudinem; unde recte Hieronymus in cap. 27. Matthæi: *Sciendum est Romanis eum legibus ministrasse*. Postremam facile diluimus, quoniam flagrorum diversa fuerunt genera, nec ea funiculis tantummodo texebantur, sed *servilia*, atque atrociora verbera funibus, virgis, loris, stimulis, & catenis quoque inferebantur, ut Levinus Torrentius commonstrat ad ea verba Horatii lib. 1. sat. 3. *horribili sectere flagello*. Sævitum præterea in servos nequam, hominesque viliores atrocissime, dum ad columnam Meniam verberabantur: de qua Cicero Divinat. in Verrem, & Asconius Pedianus, Carolus de Merouville, aliique in Ciceronem.

IV.

Flagellis addidere milites coronam spineam, coccineam chlamydem, & pro regali sceptro arundinem ad ludibrium augendum, & risum concitandum, *sive hæc Pilatus jusserit, sive permiserit*, inquit Augustinus Tract. CXVI. in Joan. numer. 2. Invaluit opinio coronam illam e marinis juncis fuisse contextam. quod asserunt Auctor Dialogi de Passione Domini inter Opera Anselmi, Suarez Tom. 2. in III. Partem disput. XXXV. 3. Durandus in Ration. lib. VI. cap. 77. Serrius Exercit. LII. numer. 7. Gravesonius dissert. XX. §. 2. nec repugnat Sandinus de Christo Domino cap. 15. Fulcitur hæc sententia duplici argumento: quorum unum petitur ex ipsis marinis juncis, habentibus aculeos oblongos, multoque spinis rubi, aut rhamni duriores: alterum promitur ex eadem corona Domini, quæ a sanctissimo Gallorum Rege Ludovico IX. ingenti redempta ære summa nunc religione Parisiis colitur. Hinc Serrius pronuntiat ex tripode, spinas omnes, quæ variis in locis ad fidelium cultum asservantur, si ex rha-

tunis

muis sint, aut dumis, vel sentibus, omnino habendas tamquam suppositas. Censeo nihilo tamen minus plexam coronam illam ex illo spinarum genere, quod appellant rubum, aut rhamnum, ut contendunt Baronius ad annum Christi XXXIV. num. 86. Daniel Mallonius cap. 12. Bosius lib. 1. cap. 14. Jacobus Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 12. Lorinus in Psal. 57. Vossius quoque in Harmonia lib. 2. c. 5. necnon Natalis Alexander in Evangelium Matth. pag. 732. Movet autem me primum, quod Evangelistæ expresse ajunt textam coronam illam *ex spinis*, ἐξ *ἀκανθῶν*, Matth. XXVII. 29. Marci XV. 17. Joan. XIX. 2. A nullo autem scriptore, inquit Vossius, nomine *ἀκανθῶν* intelligitur *ὀξύσχοινος*, *acutus juncus*. Nullam deinde Versionem reperi habentem aliud vocabulum, quam *spinarum*: Imo in Syriaca legimus *coronam rhamnorum*, in Polyglottis Waltonianis Tom. VI. pag. 46. Omnes pariter antiqui Patres coronam *spineam* appellant, Tertull. de Corona cap. 14. Chrysostomus hom. LXXXVIII. in Matth. Hieronymus Tom. 4. pag. 136. Augustinus citato loco, & alii. Afferunt præterea Patres coronæ spineæ symbolum: ac Tertullianus ibidem ait Domini tempora spinis *lancinata*, in figuram *delictorum quæ nobis protulit terra carnis*. Similia habet Isidorus lib. 1. epist. 95. Tom. VII. Bibl. PP. pag. 544. S. Pater Augustinus serm. IV. ex additis a Sirmondo, nunc XIX. num. 3. ait Dominum figuratum in ariete hærente vepribus, quem Abraham mactavit pro Isaac. Hieronymus vero in rhamno, quem dicit *sentium genus asperrimum aculeis*, & *flore gratissimum*, figuratam agnoscit duplam Christi virtutem; nam *justis floret ad ornatum*, *peccatoribus præbet spinas ad confringendum*. Videsis in Ps. 57. Tom. 2. pag. 268. Præterea Clem. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 8. pag. 183. diserte docet universorum Dominum olim Mosi in rubo apparuisse, postea spinis coronatum instaurasse *veteris descensus principium*: ibique contendit rubum fuisse *ἀκανθώδης φυτόν*, *dumosam plantam*, ac Dominum coronatum ἐξ *ἀκανθῶν*, *ex dumis*. Argumenta denique in contrarium producta nullam vim habent; juncus enim marinus caret in fuste aculeis, ac tantum in oblongam spinam desinit illius acumen. Exhibet omnigenas junci acuti species Rembertus Dodonæus Pemptadis IV. lib. 5. num. 19. & alii, qui pertractarunt de plantis. Nec in Hierosolymorum districtu germinant ὀξύσχοινοι, ubi tamen berberum, rhamnorum, ac sentium copiosus proventus. Sacra ergo Corona Parisiis servata asperrimis rhamni sentibus plexa est, aculeis tamen marini junci parum absimilibus; nullus enim spinosus frutex frequentior eo rhamni genere, quod Arabes vocant *Alhausegum*, nascitur in Hierosolymitano agro; ut libro 2. Observationum pag. 344. testatur ocularis inspector Petrus Bellonius Cenomanus. Quare vir eruditissimus Parisiensis, P. Hyacinthi Serry olim præceptor, & quem latere non poterat sacer Parisiorum thesaurus, Natalis Alexander in cap. XXVII. Matth. num. 12. scribit: *E spinis e rhamno acceptis, qui locis illis frequens, coronam ex illis plectentes imposuerunt eam super caput ejus, diadematis instar regii, in ludibrium simul ac supplicium*. Atque talis viri auctoritate Serrio, & Gravesonio abunde satisfactum esse arbitramur.

V.

Dimisso Barabba humani generis typum gerente (*Bar-abba* enim idem sonat, ac *filius Patris*) Christus ad crucem damnatus suppliciumque gestans suum, ad montem urbi Jerosolymæ proximum, cui nomen *Calvariæ*, trahitur crucifigendus. In occursum ejus venisse fertur pia mulier, lineoque, aut bombycino velo manantem a Jesu vultu sanguinem, sudoremque abstersisse, expressa divinitus in panniculo sacrati vultus imagine. Quod, ut alia plura pietatis, ac traditionis monumenta, post audacem hæreticorum hominum conatum, alii quoque critici tentarunt evertere. Scripsi autem pag. 36. a me absque ulla hæsitatione communem sententiam teneri, ubi præsertim agitur de opinione, quæ fidelium insedit animis, neque inconcussis monimentis obruitur; idque, dum pertractatur de Veronica, (ita piam appellant mulierem) omnino servandum existimo. Neque idonea sunt, quæ virum cordatum nonnihil moveant, criticorum illorum objectamenta. Inquiunt neminem veterum Sudarii Veronicæ meminisse: altissimum hujus rei esse silentium non modo in Evangelio, verum etiam apud omnes Ecclesiæ Patres, & medii etiam ævi Scriptores: cadente duntaxat sæculo undecimo Marianum Scotum, auctorem lubricæ fidei, & eruditionis exiguæ, hanc primum omnium cudisse fabulam: ab illo quidem laudari Methodium quemdam, sed hunc non esse magnum Tyriorum Antistitem, in cujus scriptis minime ista narrantur; fuisse denique *Veronicæ* nomen tota retro antiquitate prorsus ignotum; nec aliud Græce hoc vocabulum *Veronica* sonare, quam *vera Imago*. Hæc Exercit. LIII. num. 4. Hyacinthus Serry.

Ista tamen non videntur ad labefactandam piam traditionem idonea. Servatur enim in Bibliotheca Vaticana Sudarii Veronicæ Historia antiquissimis literis exarata. Ait quidem Serrius non eo titulo libellum auctoritatem obtinere, quod in Bibliotheca Vaticana servetur, quæ alibi ab ipsomet Baronio assimilatur sagenæ *ex omni genere piscium congreganti*: at de antiquitate & auctoritate Vaticani Codicis legendus erat Pamelius ad cap. XXI. Apologetici Tertull. num. 184. ubi ait: *Ejus imaginis Romam sub Tiberio advectæ historiam graviter conscriptam, & antiquissimo charactere MS. totam perlegisse se mihi retulit clarissimus Theologus Thomas Stapletonus Anglus*. Perperam in Marianum Scotum scriptorem sui ævi præclarum inscitiæ fraudisque notæ ingeruntur. Methodii Martyris extant nunc tantum Convivium Virginum editum a Combefisio, & Possino, & fragmenta quædam ex Epiphanio & Photio collecta: cetera, ut inquit Dupinius Volum. 1. novæ Biblioth., perierunt. Frustra ergo conjicitur de *Sudario* nil scripsisse Methodium, qui in persecutione Diocletiani Martyr occubuit. Nec movemur nos solius Mariani Scoti testimonio, sed Romanorum Pontificum erga Veronicæ velum antiqua ac singulari pietate. Ad illud enim custodiendum Joannes VII. construxit tessellati operis *ἰατρεῖον*, quod dictum est *S. Maria in Veronica*. Meminere Imaginis Salvatoris eodem in velo expressæ Innocentius III. Serm. in Dom. 1. post Epiph. pag. 19. Honorius III. Alex. IV. & alii apud Chiffletium de Lineis Sepulch. cap. 34. Gretserum de Imaginibus non manufactis cap. 17. Mallonium cap. 1. Augustinum Calcagninum de Imag. Edessena Obs. 27. Sandinum in Historia Familiæ sacræ, de Christo Domino cap. 19. Is tamen post Gretserum, ni fallor, labitur dum ait meminisse *Sudarii Veronicæ* Anastasium Bibliothecarium in vita Stephani II. qui Pontifex renuntiatur anno 752. ad opem divinam implorandam adversus nequissimum Longobardorum regem Aistulphum, indixit supplicationem, in qua nudis pedibus incedens gestavit sanctissimam Christi imaginem *non manufactam*. Scripsi pag. 36. confundi a viro doctissimo cum *Sudario Veronicæ* Imaginem SS. Salvatoris *Acheiropoetam* ad Sancta Sanctorum: quam gestasse Stephanum liquet ex eodem Anastasio pag. 198. novæ edit. ubi ait sanctissimum Papam gestasse sacram Imaginem *proprio humero* ad Ecclesiam S. Mariæ ad Præsepe, e Lateranensi scilicet Basilica, ubi ante *lætaniam* ad populum effuse lacrymantem peroraverat. Attendendus est cum locus, tum gestandi modus: sacra enim ad Sancta Sanctorum Imago in tabula picta est altitudinis palmorum VIII. latitudinis III. At de Stephani supplicatione, & gestata ab eodem Imagine Salvatoris Panvinius de VII. Urbis Eccl. pag. 191. Carolus Sigonius lib. III. de Regno Italiæ ad annum 753. Cæsar Rasponi de Basilica Lateranensi lib. IV. cap. 19. & Victorius in Explicat. *Nummi æris* Musei sui p. 1. cap. 12. Sudarium autem Veronicæ comprobant monumenta alia quamplura, ac vetusta Martyrologia, de quibus eo loci Gretserus, & ad IV. diem Februarii Bollandus. Commemoratur ibidem etiam Missa S. Veronicæ in Missali Ambrosiano typis impresso anno 1560. & in Augustano edito an. 1555. ubi extat *Sequentia*:

Salve sancta Facies
Nostri Redemptoris,
In qua nitet species
Divini splendoris,
Dataque Veronicæ
Ob signum amoris, &c.

Laudantur & monumenta Ecclesiæ Giennensis in Hispania, quæ pariter de *Sudario Veronicæ* gloriatur, fertur enim sanctæ mulieris Velum fuisse duplum, aut etiam triplum. Veronicam dictam ipsam imaginem putat quoque Natalis Alexander in Synopsi 1. Sæculi art. 5. num. 5. Accedit vir Cl. Joan. Mabillonius in Itinere Italico Litterario ad an. 1685. num. 9. ubi ipsam imaginem dici *Veronicam* demonstrat Petri Mallii Romani, Petri Diaconi, Augustini Patricii, aliorumque testimoniis. Verum ait postmodum Mabillonius: *Si tamen Veronicæ nomen primum mulieri, & ab hac imagini tributum præfracte velint alii, per nos licet*. Sane Hierosolymis diu permansisse S. Veronicæ domum scribit Adrichomius 2. p. descript. Jerusalem n. 44. pag. 154. At, inquiunt, nomen *Veronicæ* tota antiquitate ignotum fuit. Derivatum dicimus a *Berenice*: quod negare non audet Vossius scribens in Harmonia lib. II. cap. 6. num. 8. *Veronicæ nomen corruptum ex* φερονίκη, *sive potius ex* Βερονίκη. Ac Tillemontius Not. XXXIII. in Jesum Christum: *Mais ce pourroit bien être le même nom, que celui de Berenice, assez connu en ce tems-là parmi les Juifs*. Recte Baronius *Berenicem* appellat ad annum XXXIV. num. 138. Simulacru tamen sanctæ mulieris in Vaticana Basilicana sub Conditorium magnificentius extructum ab Urbano VIII. anno Jubilæi 1625. inscriptum legimus: S. VERONICA HIEROSOLYMITANA. Hactenus de *Sudario Veronicæ*.

VI.

Sequitur, ut quambrevissime agamus de Domini crucifixione, de qua cum omnes Interpretes diligentissime pertractent,

ctent, sat erit, si perpauca ex accuratioribus delibemus. In disquisitionem veniunt locus, tempus, crux, & modus affixionis. Ad locum quod artinet, *Golgotha* Syriaco nomina appellatus, elisa litera ex גלגלתא, *Golgotha*, Hebraico גלגל *Gilgal*, caput, cranium, calvaria: unde Matth. XXVII. 33. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus*. Quæritur, an *Calvaria* nomen derivatum sit ax eo, quod illic facinorosis detruncaretur caput, vel quod ibidem sepultum esset Adæ *cranium*: at quoniam hae de re dissaruimus disputantes da resipiscentia primi hominis lib. XII. cap. 14. eadam non ducimus repetenda. Est Golgotha *ad septentrionalem plagam montis Sion*, ex Hieronymo de Locis Hebraicis Tom. II. pag. 45. proximus civitati, axtra portam *Jebus*, siva Judiciariam, petrosus, & mediocritar altus, ex Adrichomio in descriptione Jerusalem num. 166. & 235.

De anno, ac die crucifixionis Dominicæ plura cap. præcedenti. Nonnihil difficultatis ingerit circa definiendam horam, quod ait Marcus XV. 25. *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum*: nam Joannes XIX. 14. id factum narrat *Parasceves hora quasi sexta*. Sunt qui putant in textum Marci mendum irrepsisse incuria Amanuensium permutata numerali litera γ. in ς. quam sententiam tradit Hieronymus Breviario in Psalt. Tom. III. pag. 316. his verbis: *Error scriptorum fuit, in Marco hora sexta scriptum fuit; sed multi episemum Græcum ς, putaverunt esse γ; sicut & ibi error fuit scriptorum, ut pro Asaph, Isaiam scriberent*. At de Commentariis Hieronymianis in Psalmos legenda admonitio Joannis Martianæi eodem volumine pag. 118. Quidam e contra censent falsatum textum Joannis: & quidem Petavius lib. XII. de doctrina temp. cap. 19. pag. 454. testatur Petrum Alexandrinum in Opusculo inedito asserere quod in autographo Joannis Ephesi asservato scriptum erat, ὥρα δὲ ὡσεὶ τρίτη, *Hora erat quasi tertia*. Observat idem Petavius & Nonnum in Paraphrasi Joannis legisse *tertia*, quoniam de crucifixiona pertractans inquit: Ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη; quod Vossius vertit, *Eratque protensa tertia lætifera hora*. In eadem sententia est Theophylactus in Joan. pag. 820. sacus, ac scribat lib. II. da Locis cap. 18. aruditissimus Canus. Immutandam tamen potius Marci voculam Petavius, & Vossius contendunt, tum quia tam multa, quæ a diluculo usque ad Christi suffixionem facta narrantur, peragi non potuerunt *trihorio*, Pilato præsertim tergiversante, ac moras nectente; tum etiam quia Evangelistæ consentiunt lucem defecisse hora sexta, cum Jesus actus esset in crucem. At neque hæc sententia nobis placet, cum absque exploratissima traditione, & contra vetustissimorum codicum auctoritatem non sint sacri codices temerandi: sed juxta monitum Augustini lib. III. de Consensu Evangelistarum cap. 13. num. 43. *non sententiam nostram, sed Evangelii veritatem* diligere debeamus. Præferendam itaque arbitror unam ex his sententiis. Prima est, quam tradit ibidem S. Pater num. 42. Evangelistam Marcum accipiandum de crucifixione facta Judæorum lingua, quando *hora tertia* clamaverunt, *Crucifige crucifige eum*; ut percipiamus *magis fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, quam militum manus*. Idem docet Tract. CXII. in Joan. num. 1. Augustini sententiam propugnat Innocent. III. lib. V. de Myst. Missæ cap. 9. pag. edit. Colon. 403. Altera responsio est, apud Hebræos fuisse celebriores ac notiores horas *tertiam*, *sextam*, & *nonam*; nequa enim alia nomina horarum reperies, ubi statarum precationum fit mentio; ideoque dicitur factum *tertia*, aut *sexta* hora quicquid avenit inter illa precationum tempora; de qua sententia plura invenies non solum apud orthodoxos Interpretes, verum etiam apud Hugonem Grotium in caput 27. Matthæi. Addunt quidam, post Baronium ad annum XXXIV. num. 163., Evangelistas accepisse horas, non usitato more pro duodecima diei parte, sed quatenus hora una complectebatur *trihorium*, sive quatenus nox in quatuor vigilias, & dies in quadripartitas horas dividabatur, adeo ut prima hora computanda sit usque ad ineuntem horam quartam; secunda usque ad ineuntem septimam: tertia usque ad initium decimæ; quarta usqua ad primam noctis. Hoc pacto Christus condemnatus fuit *hora tertia*, paullo ante meridiem; & actus in crucam hora diei sexta, in ipso meridie; mortuus autem circa horam diai nonam, sivu hora tartia pomeridiana. ad horologium autem Italum crucifixio contigit paullo ante horam decimam octavam, mors Redemptoris circa vicesimam primam. Atque ideo singulis sextis feriis eadem hora genua flectimus. Huic sentantiæ lubens subscribo, primum quia ita nulla arit inter Marcum & Joannem discrepantia; quum tertium *trihorium* ad maridiem usque extendatur: deinde quia a Pilato sententiam prolatam *hora tertia* legimus atiam in Constitutionum Apost. lib. V. cap. 14. pag. 318. & in Epistola Ignatii ad Trallianos num. 9. crucifixum vero Dominum hora diei sexta utrobique asseritur, sicut in vetustis monumentis eo loci productis a Cotalerio.

De cruce nemo accuratius pertractavit Justo Lipsio, ex quo exscripserunt plura Gretserus, Bosius, & alii. Multiplax crucis forma. Alia simplex, sive erectum, acutumqua lignum, cui malefici infigebantur spina, vel dorso; aut etiam necabantur adacto per medium hominem stipite, qui per os emergeret. Altera erat crux decussata, in qua duo ligna directa inter se obliquabantur. Tertia proprie ast furca, sive patibulum, constans stipite superius bifido: a cujus divisis, ac patentibus ramis derivari nomen *patibuli*, visum Salmasio in Epistola 2. ad Bartholinum, & Garardo Vossio lib. II. Harmoniæ cap. 7. Quarta crux constat arrectario stipite, ac transverso in directum immisso, sive commisso; in qua cruca aliquando affigebantur damnati inversa suspensione, sublatis pedibus. Quinta ast inducta a Constantino, ne in posterum improbi ad similitudinem Domini necatentur, hodie usitata, ac tribus compacta lignis, in qua rei non affigantur clavis, sed recte strangulantur. Referunt itaque cruces unam ex Latinis literis, I. X. Y. T. ⊥. aut Græcanicam, II. Indubitatum est crucem Domini constasse duobus lignis, arrectario ac transverso, non decussatam, sed rectis compactam angulis: num vero *titulus* appensus esset stipiti arrectario, sive, ut inquit Tertullianus, *staticulo* aliquantulum eminentiori, vel diverso ligno ad verticem crucis defixo, omnino me latet. *Titulus* tabella erat cerussata; *causam* quoque dixerunt, aut *album*; fortassis quod gypso esset dealbata, ut facilius literæ atramanto inscriptæ conspicerantur. *Titulus* Dominicæ crucis, superior saltem pars Latinis inscripta literis asservatur Romæ in Basilica S. Crucis *in Jerusalem*, ubi postquam diu muro lateritio clausus latuerat, sedente Innocentio VIII. anno Domini 1492. forte fortuna repertus ast. Vide Panvinium de VII. urbis Eccl. pag. 117.

Cruci affigendum Dominum prænuntiaverat David Ps. XXI. 17. his verbis: *Foderunt manus meas & pedes meos*. De hoc loco gravis est intar nos, & Judæos controversia; nam Habræi pro *foderunt*, כרו, *Cherù*, legunt, כארי, *Chaari*, *sicut Leo*: atque hanc lectionem propugnant atiam Hæreticorum permulti, audacter Vulgatam nostram deprimentes; quamvis hoc in loco germanam lectionem nostram fataantur Sixtinus Amama in Antibarbaro, Munsterus & Clarius Volum. III. Criticorum Sacrorum. Frischmuth in dissert. de Messiæ man. & pedum transf. & hæreticorum alii. Vindicarunt egregie hunc locum Lorinus in Psal. pag. 380. Huetius in Demonstrat. Evangelica Prop. IX. cap. 127. Galatinus de Arcanis Cath. veritatis, VIII. 17. aliique bene multi: quorum hæc sunt argumenta, I. Hieronymus Hebraicæ linguæ peritissimus, aliique Veteres reddiucre, *Foderunt*. II. Similiter LXX. verterunt, ὤρυξαν χεῖράς μου, καὶ πόδας, *Foderunt manus meas, & pedes*. III. Idem habent Versiones Æthiopica, Syriaca, & Arabica, Tom. III. Polygl. 116. IV. Testantur Isaac Levita apud Huetium, & R. Jacob Ben Chaiim in Masora magna, in quibusdam Exemplaribus correctis scriptum in taxtu, *Cherù*. V. Manifestum est literam א aliquando essa *servilem*, & in dictione locari per *epenthesim*; si autem *radicalis* non sit, nequaquam subsistit lectio, *sicut leo*. Duo hic addimus singularia ac primum, quod Felix Pratensis nostri Ordinis in suo Psalterio pag. 13. 2. jurejurando testatur vidisse sa quemdam librum magnæ apud Judæos auctoritatis habentam כרו, *foderunt*, & Cabbalistas altiora speculantes fateri, ubi legitur, כארי, *Chaari*, literam א asse *servilem*, ac positam, ut idem in hac voce resultet numerus, ac est in literis nominis tetragrammaton, יהוה. Alterum est, quod Felicis Pratensis tastimonium confirmat. Doctissimus Martianæus in notis ad Tom. I. Hieronymi pag. 850. laudat Hebraicum Codicem Colbertinum, qui antiquam & propheticam vocam *Cherù* retinat; & nullo puncto apposito litaræ א, ipsaque litara obelo confixa, apertissime commonstrat eamdem esse *servilem*. Atque his præcitatum Psalmi textum extra omnem controversiam, & perspicuum esse contendimus. Nam quod Judæi objiciant a suis moribus abhorrere suffixionem noxiorum, id miserrimum subterfugium est; cum ipsi tradiderint Jesum axtremo supplicio plectendum Romano Præsidi, tunc in Palæstina capitalia judicia axercenti.

Romano itaque more, & quidem clavis, Dominus suffixus est cruci. Ex quo ligno crucem fabricatam existimamus? Non desunt qui scribant ax quatuor lignorum generibus; est in Glossa ad primam Clementinam de summa Trinitate expressa hæc sententia versu: *Ligna crucis sunt Palma, Cedrus, Cypressus, Oliva*. At unius generis lignum fuisse, & quidem ex quercu, arbore apud Palæstinos crebra & frequenti, contendunt Justus Lipsius lib. III. da Cruce cap. 13. Noster Angelus Rocca in dissert. de SS. Crucis particula, Serry Exercit. 54. num. 1. Joseph Laurentius Lucensis in disquisitione ad Lælium Altogradium cap. 7. Gravesonius dissert. XX. & alii complures. Ducuntur vero his argumentis. I. In crucifigendo roboris, vel quercus usum esse, colligitur ex Silio lib. I. ubi ait, *Quem postquam diro suspensum robore vidit*. II. Crux facta est da ligno aliquo obvio ac prompto, qualis profecto ast quercus, ob duritiem quoqua fixioni aptissima. III. In typum hujus transfixionis Deus sub

quercu

quercu fœdus iniit cum Abraham, Gen. xvii. 18. sub quercu Jacob idola defodit, Gen. xxxv. 4. sub quercu etiam Josue fœdus percussit, Jos. xxiv. 26. Demum sacratissimi Ligni frusta, quæ etiamnum extant, speciem ligni quercus præseferunt. Hæc tamen a me nequeunt extorquere assensum, firmum saltem, ac certum. Non primum argumentum; nam Silius *dirum robur* appellat crucem, ut Ennius, Catullus, Maro navim solent appellare *alnum*, *pinum*, *abietem*, usurpata specie lignorum pro genere. Non secundum; nam deceptum Lipsium, & quercum in Judæa rarissimam esse liquet ex libro 2. Observationum Petri Belloni pag. 331. & 344. Non tertium; etenim in typis non requiritur omnimoda similitudo: ac præterea non subter quercum, sed subter terebinthum Jacob infodit idola; definitioni etiam, & cruci, quæ de Abraham, Jacob, & Josue dictæ sunt, non undequaque conveniunt. Non quartum denique; nam lignorum frusta, præsertim Palæstinæ arboris, ac tot annorum intervallo immutata colore, atque attrita, non adeo facile dignoscuntur. Me itaque fugit, cujus generis sit sacratissimum Lignum: aliorumque nec probo, nec refello sententiam.

In eadem sum hæsitatione circa lignum ὑποπόδιον, *suppedaneum*. Legi quæ de hoc ligno scribunt Feuardentius, & Ernestus Grabe in Irenæum lib. 2. cap. 42. nunc 24. Gretserus lib. 1. cap. 24. Raynaudus in Metamorphosi Latronis cap. 3. numer. 2. Honoratus lib. v. Animadvers. dissert. 4. nec non Salmasius de Cruce pag. 362. Vossius libro ii. Harm. cap. 7. num. 2. Nicolaus Fullerus lib. iv. Miscellaneorum sacrorum cap. 12. Qui *suppedaneum* adstruunt, his momentis ducuntur. I. Irenæus citato loco num. 4. scribit: *Et ipse habitus Crucis fines habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, in quo requiescit, qui clavis affigitur.* II. Antiquior Irenæo Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 318. agnoscit in cruce *lignum in medio impactum, in quo cruciarii vehuntur, ac insident.* Innocent. III. serm. 1. de uno Martyre pag. 171. inquit: *Fuerunt in cruce Domini ligna quatuor, stipes erectus, lignum transversum, truncus suppositus, & titulus superpositus.* Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum cap. 6. ait: *In stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoque parvæ tabulæ in hoc foramine inseritur: super hanc vero tabulam, tanquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ.* III. Laudari solet pro hac sententia Tertullianus lib. iii. contra Marcionem cap. 18. & adversus Judæos cap. 10. IV. Traditionem hanc confirmant vetustæ imagines, (inquit Honoratus) de quibus Lipsius in Tract. de Cruce, & Cornelius Curtius in libro de Clavis Dominicis.

Verum, ut fatear, ambigua hæc sunt, excepto solius Gregorii Turonensis testimonio. At Gregorius cum obierit paullo ante annum sexcentesimum, nequit solus certissimam traditionem constituere. Justinus enim, Irenæus, Tertullianus, an de suppedaneo intelligendi sint, an de mediano ligno prominenti, cui suffixus quodammodo insideret, est valde incertum. Sane lignum in medio impactum, lignum in quo cruciarii insident, atque, ut loquitur Tertullianus, *sedilis excessus*, sive, *unicornis in medio stipite palus*, denotare potius videntur medianum stipitis arrectarii lignum, quam *hypopodion*. Non tamen Salmasio, ac Vossio tantum defero, ut ipsis omnino assentiar. Nam Justini verba, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται, *cui insident*, reddere possumus cum viro docto, *cui insistunt*; Tertullianum vero de ipso palo arrectario, cui accesserit suppedaneum, commode possumus interpretari. Innocentii III. verba vel de *trunco* basi crucis apposito, vel de *trunco*, cui rectus crucis stipes immissus fuerit, possunt facilius exponi: nam *truncus* proprie non est suppedanea tabella, sed pars arboris major, unde rami enascuntur. Imagines crucis apud Lipsium omnes, una excepta, carent suppedaneo; & idem Lipsius lib. 2. c. 10. suppedaneum potius rejicit, quam adstruat, scribens non fuisse *fabricam crucis tam delicatam & accuratam*, ac truncum, de quo Innocentius, fuisse obliquum crucis sustentaculum, non minutam tabellam, cui pedes insisterent. Nec *suppedaneum* habent antiquæ imagines apud nostrum Curtium delineatæ, si unam, vel alteram excipias; & falsus est Honoratus. Argumenta itaque ab hoc auctore, & e Gretsero primum, pro suppedaneo crucis producta, nullius sunt roboris. Quare in dubitationem magis trahor, sed tamen Gregorii Turonensis sententiam temere non oppugno.

Ex vetustis Crucifixi imaginibus, de quibus erudite pertractat Curtius, potius infertur, non tribus, sed quatuor clavis Dominum Jesum fuisse suffixum, quam sententiam video probatam Bosio lib. 1. cap. 15. Justo Fontanini de Corona Ferrea cap. 1. & præclarissimis Scriptoribus ab eo laudatis, & quibus addendus noster Angelus Rocca in præcit. dissert. cap. 4. Serry Exercit. 54. numer. 3. Gravesonius dissert. 20. §. 2. & Sandinus cap. 15. Prima itaque ratio pro hac sententia petitur ex prælaudatis Crucifixi *iconibus*: referunt enim Jesum quatuor suffixum clavis, ac pedibus disjunctis, cruribusque divaricatis. Imago sanctissimi Crucifixi Lucæ asservata; quæ colitur Suroli in Piceno: *Iconismus* Romæ in Sacrario Apostolico servatus, & quem anno 450. misit Leoni Magno Juvenalis Jerosolymitanus Episcopus: altera Crucifixi imago, quam Carolo Magno fertur attulisse cælestis Angelus: & argentea, quam idem Carolus dono dedit Basilicæ S. Petri: item quæ colitur in Conventu nostro Burgensi, aliæque complures. II. Eumdem clavorum numerum exhibet aureus nummus, de quo Curtius pag. 119. asservatus in Hannonia in Monasterio Lætiensi. III. Quatuor clavos connumerant Innocentius III. serm. 1. de uno Mart. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 6. Lucas Tudansis lib. 2. adversus Albigenses cap. 11. Tom. xxv. Bibliothecæ Patrum. IV. Idem clavorum numerus eruitur ex Revelationibus S. Brigittæ lib. 1. cap. 10. in quem locum legendus Consalvus Durantus. V. Serrius & Vossius eumdem Clavorum numerum stabiliunt ex quo Rufinus lib. 1. H. Ec. cap. 8. de Helena Constantini matre scripserit, *Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium: ex quibus ille frænos composuit, quibus uteretur ad bellum: & ex aliis galeam fertur armasse.* Theodoretus pariter lib. 1. cap. 18. pag. 48. edit. Valesii ait: *Clavorum partem galeæ imperatoris inseruit: partem vero fræno equi illius admiscuit.* At Ambrosius in Orat. de obitu Theodosii numer. 47. inquit: *De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit.* VI. Producuntur verba Plauti in Mostellaria Act. ii. scena 1. *Affigantur bis pedes, bis brachia*: sed videtur sensus esse, ut servulus ad majorem cautionem bis affigeretur, idest, binis clavis in utraque manu, & pedibus: quod vidit Lipsius lib. 2. cap. 9. & in Plautum Taubmannus. Adde pro libito affixos reos clavis tribus, aut quatuor, jure Romano, ut legimus Tom. vi. Thes. Antiq. Græcarum pag. 3691. Nil ergo ex Plauto concludas. Clavi Dominici 25. variis in locis servantur: quidam tamen veris consimiles, horumque contactu, aut scobe aliqua consecrati, quidam forte ex iis, quibus confixi sunt Martyres mystica Christi membra, ut ait Baronius ad annum 326. num. 54.

Suffixum cruci Redemptorem spectasse Occidentem, tradunt Germanus in Theoria rerum Ecclesiastic. Damascenus lib. iv. cap. 13. & alii apud Gretserum lib. 1. de Cruce cap. 27. & Vossium lib. ii. Harm. cap. 7. num. 36. Hinc mos veterum orandi Orientem versus, ut legimus lib. 2. Const. Apost. pag. 264. quam consuetudinem propter hæresim Manichæorum corpus inflectentes versus nascentem Solem ab ipsis adoratum, carpit S. P. Augustinus disp. 1. contra Fortunatum, num. 3. & lib. xiv. contra Faustum cap. 11. nec non Magnus Leo Serm. vii. de Christi nat. cap. 4. De Crucifixo spectante Occidentem inquit Sedulius lib. iv. alias v.

Occiduo sacræ lambuntur sidere Plantæ,
Arcton Dextra tenet, medium Læva erigit axem.

VII.

Cetera, quæ spectant ad redemptionem peractam, speciali disquisitione non indigent. Scimus quæ de crucifixoribus Domini ætate nostra disputata sunt, aut potius recocta, nec deesse qui immane illud munus adtribuerint Bruttiis, incolis scilicet extremi tractus Italiæ, quem Geographi appellant Calabriam; Bruttiorum enim fines ad Tyrrhenum mare Laüs amnis, ad mare Siculum, sive Tarentinum sinum, Sybaris fluvius. Derivata hæc sinistra opinio ex fragmento Catonis apud Gellium lib. x. cap. 3. *Decemviros Brutiani verberavere*: in quem locum scribit idem Gellius, Bruttios ex quo desciverant ad Annibalem, ignominiæ causa e militum albo dispunctos, ac Magistratibus in provincias euntibus deinceps vice servorum ministrasse, quos erant jussi, vincientes ac verberantes. At arenoso fundamento innititur illata Bruttiis calumnia. Primo enim gratis concessis quæ scribit Gellius, non sequitur Bruttios duntaxat obiisse lictorum, ac larariorum munera, ut ad annum Christi xxxiv. num. 84. animadvertit eximius Annalium Auctor. Accedit post prælium ad Cannas commissum defecisse ad Annibalem non solum Bruttios, verum etiam Atellanos, Calatinos, Samnites, Lucanos, Locros, Cisalpinos, aliosque Italiæ populos fama ingentis victoriæ permotos, ut liquet ex Tito Livio in fine libri xxii. & adnotatum est in Scholiis Ascensianis ad Gellium pag. 71. Rediisse postea Bruttios in pristinum apud Romanos honorem, & in eos deductam Latinam coloniam, scribit idem Livius lib. xxxiv. num. 52. Præterea Bruttianos, de quibus Catonianum fragmentum, alios esse a Bruttiis demonstrat in erudita de hoc argumento dissertatione num. 12. & 13. vir Cl. Petrus Polidorus. Nunquam Bruttianos aureo florente sæculo dictos Calabros, evincit vir doctissimus Tullii, Livii, Plinii, aliorumque testimoniis. Adde Græcos, Dionysium Afrum, Stephanum, Diodorum, Strabonem: de quibus Cluverius lib. iv. Italiæ Antiquæ cap. 15. Ad hæc non lictores tantum, sed & legionarios milites, necnon Tribunos noxiis extremum supplicium intulisse, ante ipsum Polidorum demonstraverat luculenter lib. 1. de Cruce cap. 25. Jacobus Gretserus. Ex Evangelio insuper perspicuum est, crucifixum Dominum a militibus, Joannis

xix. 2.

xix. x. 23. 24. 32. 34. Eadem est sententia Patrum. Tartullianum da Corona Milit. cap. 11. produxarat loco citato Baronius. Alios Patres laudat Polidorus num. 47. præcit. dissariationis, & in Prolegomentis ad Barrium Thomas Aceti. Tandem ex quo milites diviserint Christi vestimenta in quatuor partes, & *unicuique militi* obtigarit pars una, Joan. xix. 23. sequitur quatuor milites fuisse Domini crucifixores: *Unde apparet quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo Præsidi paruerunt*, inquit S. P. Augustinus Tract. cxviii. in Joan. num. 2. Judæi quatuor palliorum angulis assuebant vittas hyacinthinas, Num. xv. 38. & Deut. xxii. 12. Hinc forsasse discissæ Christi vestes supernæ. Nam interior inconsutilis, utrimqua conclusa uni militum sorte obvenit. De hac Euthymius in cap. 27. Matthæi pag. 117. scribit: *Hanc vero tunicam e traditione Patrum accepimus opus fuisse Dei Matris, a superioribus partibus contextam, veluti sunt apud nos capitis, aut pedum hyemalia operimenta*. Ex his constat perperam in Bruttios unius Auli Gellii auctoritate conflari calumniam. Adaat qui plura desiderat. Perrimezzium, Polisichium, Sandinum, Acetium, Polidorum.

De tanabris moriente Christo factis *super universam terram*, satis superiori capita; ubi ostendimus da his locutum Phlegontem, uti atiam lib. 2. de Mundi creatione tastatur Philoponus. Allucinantur ergo, qui putant a Phlegonte notari aliam eclipsim ab ea, quæ describitur in Evangeliis: errant etiam, qui *per universam terram* putant signari Judæam, ducti Origenis expositiona, ut Erasmus in cap. 27. Matthæi, Vossius in Harmonia lib. 2. cap. 10. ac nuper Serry Exerc. 57. Sed refutantur a Melchiore Cano lib. xi. cap. 2. Huetio Demonstrat. Evang. prop. iii. num. 8. Schelstratio dissert. 1. cap. 4. num. 10. Tillemontio Not. xxxv. in Jesum Christum, Natali Alex. in Evang., ab aliis. Et quidem oppositum argumentum de silantio Scriptorum eliditur Phlegontis auctoritate. Adde harum tenebrarum meminisse Thallum Gantilem apud Julium Africanum, ut vidit etiam Grotius in Matthæum: relatas in Ethnicorum Archivis, asserunt Tertullianus cap. 21. Apologetici, & Lucianus Martyr Antiochenus apud Ruf. lib. ix. Hist. Eusebii, cap. 6. Hieronymus in Matth. cap. 27. ait eos, qui scripserunt contra Evangelia, suspicari Evangalistas ob imperitiam male interpretatos deliquium solis, *quod certis statutisque temporibus solet accidere*: id vero Sanctus Doctor refellit, ex quo nunquam naturalis solis defectus contingat in plenilunio, nec breves ac ferrugineæ fuerint illæ tenabræ, sed ad trium horarum spatium protractæ. Eadem tradit S. P. Augustinus epist. 80. ad Hesychium, nunc 199. num. 34. Concludendum itaque cum Theophylacto in Evangalia pag. 176. *Erant autem* (tenebræ) *in toto mundo, non in parte mundi: ut monstretur quod lugeat in passione Conditoris creatura, Judæi quoque petentes signum de cælo nunc videant solem obtenebrari*.

Verba Christi e cruce pendentis, & clamantis ad Patrem, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* vindicata fuerunt pag. 43. hujus voluminis adversus blasphemiam hæreticorum, asserentium Dominum Jesum cum desperationa luctatum. Adscripsi ibidem sententiam adeo absurdam Joanni Fero: cujus tamen Commentaria majori otio pervolutans adinveni orthodoxa; in editiona tamen Romana recognita, atque expurgata: an antiquior editio conspurcata sit fœdo Calvini errore, me latat. Certe Ferum acriter reprehendit Franciscus Lucas Brugensis in Matthæum pag. 535. necnon Vossius Tom. vi. pag. 202. Forsitan Commentarios docti, facundique viri quidam hæreticorum depravaverat. Qua lingua ea verba Christus protulerit, non satis compertum est. Prolata Hebraice, & quemadmodum aa scripsarat Psalmo xxi. regius Vates, tanent Erasmus in Matthæum, Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 16. Estius in loca difficiliora. Pronuntiata Syriace censent hæresi 69. Epiphanius, Brugensis loco citato, & Lorinus in Psalmos pag. 365. His subscribo, quoniam priores voces, *Eli, Eli, lamma*, sunt Hebræis, Syrisque communes; immo priorem Marcus affert, *Eloi, Eloi*, quod propius accedit ad dialectum Syriacam. At *Sabacthani* vox Syrorum est, non Hebræorum, qui dicunt, עֲזַבְתָּנִי *hhazauthani*. Ait Bellarminus scriptum priori modo caussa pronuntiationis: at enim uterque Evangalista, Matthæus, & Marcus in hac voce conveniant, qui tamen discrepant in priori; quod Bellarminus ait, omnibus non probatur. Sunt qui observarunt, nunquam Græcos reddidissa, σ pro ז, neque χϑ pro בת. Cum ergo in Evangalio habeatur σαβαχϑανι, *Sabacthani*, non vidatur Jesum pronuntiasse Hebraice, עֲזַבְתָּנִי *hhazauthani*, sed usum fuissa lingua Syriaca, siva potius permixta, aut Hebræa corrupta, qualis per id temporis obtinebat.

Postquam ergo hæc, aliaqua nonnulla varba Redamptor noster protulerat, commandata piissima Matre discipulo, repromissu cælorum regno latroni, & consummatis omnibus quæ da eo scripta erant, *inclinato capite tradidit spiritum*. Hoc habet omnium redemptio complamentum, hanc arrham fidelium expectatio, hunc scopum amantium gemitus, hanc lucubratiuncula nostra coronidem. Optabat Paulinus in Epist. xii. ad Severum pag. 151. ut sanctissimi Crucifixi Imagini, in templis collocatæ, & aureo diademate redimitæ hi versus inscriberentur:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare Crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Explicit Liber undetrigesimus.

AUGUSTINI

IN SUBSEQUENS

OPUS

DE SACRAMENTIS PRÆLUDIUM.



Rimo itaque tenere te volo, quod est bujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, levi jugo suo nos subdidisse, & sarcinæ levi. Unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis Societatem novi populi colligavit. a. Etenim *in nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* b. Cum itaque *prima Sacramenta, quæ observabantur & celebrabantur ex lege, prænunciativa* essent *Christi venturi, quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta, non enim venit solvere legem, sed adimplere; alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia fidei revelata.* c. *Omnia* hæc *Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* d. *Quæ unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit ut ea non carnali servitute, sed spiritali potius libertate veneretur. Ut autem literam sequi, & signa pro rebus quæ iis significantur accipere, servilis infirmitatis est; ita inutiliter signa interpretari, male vagantis erroris est.* e.

---

a. Epist. 118. nunc 54. ad Januar. num. 1.
b. Lib. 19. contra Faustum cap. 11.
c. Eodem libro 19. cap. 13.
d. Lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. 10. num. 22.
e. De Doctr. Christ. lib. 3. cap. 9. num. 13.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRIGESIMUS,

In quo generatim, atque universe disquiritur quicquid spectat ad septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta.

RADIDERAT in cruce spiritum, omnemque consummaverat expiationem, humani generis Conditor, & Reparator, quemadmodum a nobis superiore libro scriptum est; quando confractis latronum cruribus, *unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua*, id attestante in capite Evangelii decimonono, qui & eventus hujus inspector fuit, prædilecto, castissimoque discipulo. Non diu me hoc in Opere detinebit sive conditio militis, sive magnitudo miraculi, tametsi hæc duo haud vulgarem rerum copiam suppeditare queant Theologicis disquisitionibus; sed perpauca tantum prologii præmittam loco, quoniam postulat quamcunque operam summa dignitas & amplitudo latentium in Aqua & Sanguine mysteriorum. Fuerunt quidam haud numero pauci, quos inter Joannes Calvinus, Nicolaus Nancelius, Emmanuel Tremellius, Theodorus Beza, Joannes Gerardus Vossius, aliique insani homines, qui non ex Evangelicis verbis, neque ex auctoritate ac traditione Majorum, sed ex Galeni, & Hippocratis Aphorismis, atque ex historiis Anatomicis Andreæ Laurentii pensitantes postremum illud Christi miraculum, vere maximum, & cum illo comparandum, quod initio a Domino in Cana Galilææ legimus fuisse patratum, non aliam cruorem ex perforato Salvatoris latere profluxisse autumarunt, præter humorem in *pericardio*, sive, ut Gaspar Bartolinus, & Thomas filius conati sunt demonstrare, in cavitate thoracis, tunicisque pectoris latitantem. Quam profecto errorem arbitror apertissime refutari sola Evangelici textus accurata lectione; quoniam beatissimus Evangelista, posteaquam dixerat, *Continuo exivit sanguis & aqua*, forte prævisa incredulitate futurorum hæreticorum, sese veridicum prodigiosæ rei testem subjectis verbis asseruit, *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus: & ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis.* Quis enim tali verborum significatione oppignorat fidem suam ad naturalem rem comprobandam? Prætermitto traditionem Veterum adeo hac in parte exploratam, ut Bulgariæ Archiepiscopus Theophylactus, suis in Evangelia editis Commentariis, istiusmodi homines, quamvis nondum exortos, appellaverit sycophantas, delatores scilicet mendaciorum. Mitto insuper latentem illum *in pericardio* humorem, tradentibus ipsis, ad quos provocant, peritis medicæ artis, non aquam recte dici, quum biliosus omnino sit, amarus sapore, & colore subflavus: manasse demum separatum a sanguine, quod miraculi eximii censendum esse argumentum, neque denegare ausus est ad annum vulgaris Æræ tricesimum tertium Samuel Basnagius. Neque vero futurum aliquem puto, quem Thomæ Bartolini permoveant cavillationes; dum cap. XI. Operis, quod inscripsit *de Latere Christi aperto*, ait antiquos Patres, nulla facta mentione aquæ, sanguinis tantummodo meminisse, Barnabam præsertim, Gregorium Nyssenum, atque Hieronymum, nec non Joannem Baptistam Mantuanum, qui in Fastis cecinit:

Inde cruor confusus aquis hastilia circum
In digitos lapsus, tetigit cum lumina, morbum
Sustulit.

Dum enim laudati Patres affirmant e Christi latere fluxisse sanguinem, minime negant illinc pariter egressam aquam: nec nobis attendenda sunt verba qualibet poetarum; quamquam Mantuanus cruorem *confusum aquis* dicat *circum hastilia*: &, si carmine certandum est, antiquior Aurelius Prudentius utrumque in Enchiridio sejunxit, *laticem, atque cruorem*. Prudentium autem imitatus est Marcus Hieronymus Vida Canonicus Regularis eloquentissimus, scribens in VI. Christiadum,

Et purum laticem, & rorem exiluisse rubentem.

Atque hæc tantum adversus miraculorum irrisores duximus adnotanda.

In Militis pariter, qui lancea petivit sacratissimum Christi pectus, conditione sedulo investiganda diu, ut dicebam, non immorabor; sed quædam molli brachio, celerique manu conscribam. Appellatum militem illum Longini nomine fert opinio communis, sive ex λόγχη, *lancea*, ut placet compluribus, sive usitato apud Latinos vocabulo, quod nos arbitramur verisimilius. In libris quippe veterum nomina occurrunt Velii Longini Grammatici, Cassii Longini Jurisconsulti, Dionysii Longini Rhetoris; neque ignotum est a Longo Longinum derivari, ut a Macro Macrinum, Marcellinum a Marcello, aliaque bene multa: in Martyrologio etiam Romano quinque saltem Longini sub nomine veneramur, inter quos idibus Martiis Longinus ille, cujus modo mentionem facimus. Adnotatum eo loci a Baronio sacras Longini exuvias apud nos in Romana S. Parentis Augustini Æde servari, in hanc translatas ex antiquiori S. Tryphonis: de iisdem gloriantur Mantuani Cives, qui cum ex vetustioribus Martyrologiis acceperint Divum Longinum martyrio coronatum *Cæsareæ in Cappadocia*, excogitarunt quamdam urbis suæ plateam *Cappadociæ* nomenclatura insignitam; nescio, an prope Mincium etiam *Cæsaream* constituerint: quum tamen ad sibi vindicandas Reliquias Martyris superna, ut ajunt, revelatione compertas, necessum non foret figmenta talia compingere. Legitur præterea in Fano Insulæ S. Mariæ *Barbarorum*, non procul a Lugduno, & ad confluentem Araris, & Rhodani vetus inscriptio,

Qui Salvatoris Latus in cruce cuspide fixit,
Longinus hic jacet.

At, sive in causa fuerit, ut in his, aliisque locis adesse credantur Longini cineres, similitudo nominis, quod diximus commune fuisse pluribus, sive asportatio, & divisio cinerum eorumdem, quorum partem Mantua a Leone IX. Romam fuisse translatam legimus in Actis Sanctorum apud Henschenium; nequeunt hæc elevare pervulgatam traditionem, Militem illum, qui Latus Salvatoris confodit, suscepta Christiana religione martyrem occubuisse, ubicunque terrarum obierit, & qualicunque tandem nomine appellaretur.

Putavit prælaudatus Ecclesiasticorum Annalium scriptor clarissimus Cæsar Baronius, hunc Longinum fuisse Centurionem, qui *viso terræmotu, & iis quæ fiebant*, exclamavit, *Vere filius Dei erat iste*; quod nos quidem, si non falsum, non satis comprobatum existimamus, non ea ducti ratione, quam post alios urget Basnagius, quod nimirum incredibile sit virum spectabilem, & qui Christum paulo antea Deum prædicaverat, ausum hujus latus ferro acutissimo violare; non enim id fecit Longinus, ut sæviret in mortuum, sed ut illatæ cædis sumeret experimentum; quod sane aut innoxia res fuit, aut non fuit facinus atrocissimum: sed hoc unum movet me, ut asseram Longini a Centuriæ præfecto discrimen, quod *unus militum* simplici vocabulo sit appellatus, & quidem si Græca adeamus, στρατιώτης, idest, ex peditum cohorte, atque, si munus attendamus, ex ordine illorum, quos *hastatos* dixerunt, & qui in acie post velites, ut Vegetius & Lipsius tradiderunt, contis, idest, stabilibus hastis certantes inibant statariam pugnam. Itaque hæc tantum de transverberato dulcissimi Jesu Latere, ac de milite, qui lancea illud aperuit, ut principia hujus libri extremis absoluti partibus responderent, dicta sunt remisse, breviter, ac perfunctorie.

Converto nunc stilum ad sublimia, & sacratissima Aquæ, & Sanguinis, quæ ex vulnerato Christi latere promanarunt, pertractanda mysteria. Ex eodem divino Latere ædificatam Ecclesiam, & exiisse SACRAMENTA, scripsit tractatu CXX. in Joannem, aliisque in locis pluribus, columen, præsidiumque meum Augustinus. Cyrillus etiam libro in Joannem duodecimo Aquam illam ac Sanguinem symbola nuncupavit τὴν μυστικὴν εὐλογίαν, ϗ τὸ ἁγίου βαπτίσματος, *Mysticæ Eulogiæ, & sancti Baptismatis*, nec aliter sentiunt ceteri Ecclesiæ Patres. Ad agendum itaque de Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis, posteaquam disserui de Redemptoris nostri crucifixione, trahunt me sacrosancta illius vulnera, ac maxime amabile pectus lancea confossum. Nil vero præmittam, ut scriptores ceteri consueverunt, de argumenti dignitate, de gravitate disputationum, de rerum dicendarum amplitudine, de industria denique, quam adhibui, ne post egregia summorum Theologorum opera, meum hoc plane impolitum & rude, legentibus prorsus inutile videretur. Quod enim attinet ad rei magnitudinem, puto hanc satis unicuique perspectam: quod vero ad me pertinet, absit, ut quum conscius sim imbecillitatis meæ, audeam me vel Theologorum minimo comparare.

Si quid

Si quid ergo in hoc opere offendat lector litura dignum, cujus generis vereor ne sint quamplurima, per ipsum Domini mei lancea transfixum, dulcissimumque pectus oro, atque obtestor, ut æquo animo patiatur ignorantiam meam, ingeniique mei tarditatem: & si quid erit, cujus gratia percipiat me sibi aliquid contulisse, id unum mihi rependat; diligat me, pulsimique Jesu perforato pectori enixe commendet.

CAPUT I.

De Sacramenti *vocabulo, etymologia, atque definitione.*

A SACRAMENTI vocabulo, Dei optimi maximi auxilio demisse, suppliciterque invocato, amplissimam aggredimur disputationem. Quidam hæreticorum *Sacramenti* quoque nomen procul eliminare tentarunt, *signi*, vel *symboli* vocabulo substituto. Ita in libro de captiv. Babyl. & de abrog. Missa Lutherus, Philipp. Melanchthon in priori editione de Locis com. Ulricus Zuvinglius apud Joannem Eckium hom. 1. de Sacram. Abrogato namque *Sacramenti* nomine facilius sibi heterodoxi persuadebant adhæsurum simpliciorum animis nefarium dogma, quod *Sacramenta* signa sint inefficacia & egena, nulla prædita vi, & energia diluendi peccata. Principio itaque statuendum est, *Sacramenti* vocabulum in Ecclesia jure, meritoque usurpari.

PROPOSITIO I. *Sacramenti* nomen in Ecclesia merito retinetur.

Id evincitur primo ex Scripturis: in quibus *Sacramenti* nomen occurrit cum ad significandam rem occultam, arcanumque mysterium, ut Tobiæ XII. 7. *Sacramentum regis abscondere bonum est*: tum ad commonstrandum signum aliquod rei obscuræ & latentis, ut Apocalypsis I. 20. *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea*: atque de Matrimonio ad Ephes. V. 32. *Sacramentum hoc, magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Frustra reponerent adversarii, intrusum hæc in loca *Sacramenti* nomen a Latino interprete, Græce autem ubique scriptum esse *μυστήριον*, *mysterium*: Enimvero quicquid Græci designant *mysterii* nomine, id nos demonstramus vocabulo *Sacramenti*. Quare Ambrosius Catharinus in libro, quem conscripsit adversus confratrem suum, percelebrem tamen, clarissimumque, affirmantem ab Apostolo Paulo matrimonium non dici *Sacramentum*, haud male reponit: *Nunquid Paulus Græce scribens potuit dicere Sacramentum, quæ est vox latina? Dicens autem Græco mysterium, id certe Græce dixit, quod Latine significat Sacramentum. Nam Cyrillus, Chrysostomus, Basilius, & Dionysius ante hos, etiam Eucharistiam mysterium vocant, & sic alia, quæ nos dicimus Sacramenta*. Animadversione quoque dignum est, in Epistola prima ad Corinthios cap. XIII. 2. ubi legimus: *Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia*, lectum olim, *Et noverim Sacramenta*; atque id a fulgidissimo Ecclesiæ Lumine Augustino acceptum de baptismo, ceterisque Ecclesiæ mysteriis; quippe Apostoli testimonio probat lib. 1. contra Petilianum cap. 77. num. 172. *quomodo non prosit hominibus, quamvis in eis sint vel Sacramenta, vel fides, ubi caritas non est*: & Donatistas alloquens, *Atque ita videtis*, inquit, *sine illa nihil vos esse, etsi Baptismum, & fidem teneatis*. Habemus itaque in Scripturis *Sacramenti* nomen expressum, sive Latino, sive Græco vocabulo; atque id etiam, ubi fit sermo de regenerationis lavacro.

Ad Patres quod attinet, ab his *Sacramenti* nomen antiquitus usurpatum facillime suadetur. Nam Tertullianus librum de Baptismo incipit: *Felix Sacramentum aquæ nostræ*; & cap. 13. ejusdem libri ait: *Addita est ampliatio Sacramenti, obsignatio baptismi*. De Præscript. etiam cap. 40. verba faciens de idolorum mysteriis hæc habet: *Ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectavit exprimere* (Dæmon) *in negotiis idololatriæ*. S. Martyr Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium pluries *Sacramenti* nomine repetito, scribit, *Sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus*; & Epist. 77. ad Nemesianum inquit: *Sacramentum salutis suæ Christi servus agnovit*. Hilarius in Matth. IV. num. 27. baptismum *Sacramentum* appellat; & cap. IX. num. 3. de Eucharistia scribit; *In fide enim resurrectionis sacramentum panis cælestis accipitur*. Ambrosius *de Sacramentis* libros sex sacra eruditione plenos conscripsit. Augustinus epist. 118. ad Januar. nunc 54. num. 1. coadunatum docet Christianum populum, *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis*: quod repetit lib. XIX. contra Faustum cap. 13. Ex his vero abunde constat *Sacramenti* nomen nequaquam fuisse antiquis Patribus incompertum, aut inusitatum.

Tandem ipsis hæreticis annuentibus *Sacramenti* nomen retinendum est. In Confessione Augustana de Sacramentis *sub hoc nomine* agitur art. 5. 7. 8. & 13. Eodem utuntur vocabulo Brentius in Confess. Wittembergensi, & Kemnitius in 2. p. Exam. Concilii Trid. Grotius in Voto pro Pace Eccl. ajebat: *Ego in Ecclesiæ auctoritate, cui Deus Sacramenta, & aliquod in ea jus dedit, acquiesco*. Vossius disputationibus de Baptismo præmisit dissertationem prolixam, *de Sacramentorum natura, vi, & efficacia*. Sacramenti denique vocabulum passim usurpat ipse Melanchthon epist. 40. ad Joannem Matthesium, & 173. ad Georgium Principem, Salmasius de Transubstant. Joannes Henricus Hottingerus in Analectis Append. dissert. VIII. aliique hæretici bene multi.

Opponebat Ulricus Zuvinglius *Sacramenti* vocabulum non adinveniri in scripturis, & qui eo utuntur, pessundare monitum Apostolicum in priori ad Timoth. VI. 20. *Devita profanas vocum novitates*. Verum ex ipsa Scriptura, & ex antiqua Patrum Traditione demonstratum est modo, vocabulum *Sacramenti* nequaquam *novum* esse, sed sacrarum literarum auctoritate, & Sanctorum usu probatum. Adde Apostolum commonere, ut evitentur *profanæ vocum novitates*, quibus hæretici fidem commaculant, non vocabula nova ad fidem stabiliendam adversus emergentes hæreses in usum recepta. *Non ait verborum novitates, sed addidit profanas. Sunt enim & doctrina religionis congruentes verborum novitates, sicut ipsum nomen Christianorum quando dici cœperit scriptum est. In Antiochia enim primum post adscensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum: & Xenodochia & monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsa & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Adversus impietatem quoque Arianorum hæreticorum novum nomen Patres Homoousion condiderunt: sed non rem novam tali nomine signaverunt; hoc enim vocatur Homoousion, quod est, Ego & Pater unum sumus, unius videlicet ejusdemque substantiæ. Nam si omnis novitas profana esset, nec a Domino diceretur, Mandatum novum do vobis: nec Testamentum appellaretur novum, nec cantaretur in universa terra Canticum novum. Sed profanæ sunt verborum novitates, ubi dicit mulier insipiens & audax, Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtivæ dulcedinem. Ab hac pollicitatione falsæ scientiæ prohibet etiam illo loco Apostolus ubi dicit, O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & contradictiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Nihil enim sic amant isti, quam scientiam promittere; & fidem rerum verarum quas credere parvuli præcipiantur, velut imperitiam deridere*. Hæc Augustinus Tract. XCVII. in Joannem num. 4. unde hæc placuit exscribere, quoniam sæpenumero hæretici, cum in his, tum in aliis controversiis solent Theologis opponere novitatem vocabulorum.

PROPOSITIO II. *Sacramenti* vocabulum ad plura significanda usurpatur.

Ac primo apud Latinos Scriptores *Sacramentum* est oppignoratio quædam judicialis, sive sponsio pecuniæ a litigantibus olim facta, ea conditione, ut qui judicio vinceret, e sacro pecuniam auferret suam; victus vero relinqueret apud Pontificem, eaque publico ærario cederet. Ita Varro lib. IV. de lingua latina. Juxta hanc *Sacramenti* acceptionem Isidorus lib. IV. Originum ait: *Sacramentum est pignus sponsionis*. Appellabatur autem *Sacramentum*, vel quia deposita pecunia sacro asservaretur in loco, vel quia sponsionem illam violare summa perfidia esset, vel quia ipsa sacrorum ministri alerentur. Joachimus Stephanus de Jurisdict. vet. Græc. cap. 4. tradit Romæ litigantes deposuisse quingentos æris nummos; eamdemque fere summam depositam ab actoribus & reis in Prytaneo. Erat Prytaneum Athenis forum civilium causarum, quemadmodum Areopagus publicorum criminum. Interdum Sacramentum dicebatur ipsamet pecunia a litigantibus deposita, unde Latina phrasis *sacramento contendere*, apud Ciceronem epist. ad Volumnium, & I. de Oratore.

Sacramentum insuper significat legitimam militiam, sive juramentum, quo per aliquid sacrum milites sese obligabant ad fidem & obedientiam Imperatori præstandam. Hujus militaris sacramenti formula erat: *Ibo quo jusseris Senatus Populusque Romanus*, sive, *quo duxerit Imperator*, sive, *quo jusserint Consules*. Addebant milites se non deserturos signa, non facturos se furtum, nihil adversus Rempublicam molituros. Adeas Livium lib. III. & XXII. Polybium lib. XI. Senecam Epist. 96. Vegetius lib. 2. de re milit. cap. 5. ait Christianos milites scriptos, & matriculis insertos, jurare *picturis in cute punctis per Deum, & Christum, & Spiritum Sanctum, & per majestatem Imperatoris, omnia se strenue facturos, quæcumque præceperit imperator, nunquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Republica Romana*. Hinc quoniam ex militiæ Romanæ legibus plura adversus Christianam fidem perpetrabantur, Tertullianus lib. de Corona cap. XI. hæc gravi oratione conscripsit: *Credimus ne humanum sacramentum divino superduci licere, & in alium Dominum respondere post Christum? & ignorare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos, & lex honorari, & post Deum diligi præcepit, quos, & Evangelium solo Christo pluris non faciens sic quoque honoravit?* Plura de Sacramento militari Dempsterus Rom. Antiq. lib. 2. cap. 3.

Ex juramento a militibus facto *Sacramenti* vocabulum extensum est ad significandum quodlibet jusjurandum. Et juramentum quidem militum *Sacramentum* latinissime dici fatentur omnes, comprobantque ex Tullio, Livio, & l. 2. §. *Miles*. D. de his qui not. infamia, & l. *Eu militari*. D. de Testam. milit. Reliqua juramenta haud recte *Sacramenti* nomine insigniri censent complures. Legimus tamen apud Quintilianum lib. 12. cap. 2. *Sed hæc inter ipsos, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti nefas ducunt a suscepta semel persuasione descifcere*, idest, inquit Budæus, *jurejurando adacti*: Et Horatius lib. 2. Ode 17. *Non ego perfidum Dixi sacramentum*: sumpta tamen, ut animadvertit Lævinus Torrentius, a re militari translatione.

Ad hæc vocabolum *Sacramenti* idem significat, ac *Mysterium*, rem scilicet arcanam, & latentem, sive profana sit, sive sacra. *Mysterium* enim, sive derivet a μυω, *claudo*, sive a μυειν τὸ στομα, *os obsignare*, sive ab hebræo מסתרים, *latibula*, nihil aliud significat, quam occultam aliquam rem, quam nefas sit vulgo efferri; &, si de re sacra loquamur, rationem quamdam religionis nonnisi initiandis communicandam. Ferunt *mysteria* in cultum Cereris & Proserpinæ instituta apud Eleusinos, vel potius Eleusinis ea tradidisse Eumolphum Thracem: erantque proprie mysteria initiationes, a quibos arcebantur profani. Initiati ab arcanorum doctrina appellabantur *Mystæ*: at qui admittebantur intra adytum dicebantur *Epoptæ*: quod vocabulum recte usurpat Tertullianus scribens adversus Valentinianos cap. 1. de Mysteriis Atticæ superstitionis: *Cæterum tota in adytis divinitas, tot suspiria epoptarum, totum signaculum linguæ*. Initiatio hæc peragebatur noctu, ex Cicerone lib. 2. de legibus cap. 14. Gregorio Nazianzeno Orat. *in Sancta Lumina*, Evagrio lib. 1. H. E. cap. 11. Initiatis Hierophantæ res turpissimas detegebant, a quarum nomine censemus esse abstinendum. Horum mysteriorum signa apud Eleusinios fuere sesamides, pyramides, tæniæ, sive lanæ elaboratæ, liba umbilicata, micæ salis, draco, mala punica, corda, ferula, hederæ, placentæ, papavera. Ita hæc recenset Clemens Alexandrinus in Protreptico, atque, ut constat ex Plutarcho in Phocione, prorsus optime. Quæ enumerat Eusebius lib. 2. de Præp. Evang. cap. 3. ex Orpheo Thrace, sunt mysteria Bacchi, non Cereris: sunt vero, talus, pila, trochus, poma, turbo, speculum, vellus. Omittimus verecundiæ caussa *phallos*. Ad hunc ergo modum arcanorum doctrinæ, & *symbola* rerum occultarum dicuntur *Sacramenta*, aut *Mysteria*. Ita in Apocalypsi XVII. 7. de re non sacra legimus: *Ego dicam tibi sacramentum* mulieris; & de Antichristo 2. ad Thessalonic. II. 2. *Operatur jam mysterium iniquitatis*; de fidei autem arcanis Matth. XIII. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum*, & 1. ad Corinth. XV. 51. *Ecce mysterium dico vobis: omnes quidem resurgemus, &c.*

Juxta hanc *Sacramenti* significationem ea Ecclesiasticæ doctrinæ capita, quæ primis Ecclesiæ sæculis Gentibus occultabantur, sive ad fidei dogmata, sive ad Eucharistiæ, aliorumque mysteriorum consecrationem, ritus, & celebrationem pertinentia, solent a Patribus *Sacramenta* nuncupari. Ita Tertullianus de Præscript. cap. 20. Christianam institutionem, fidei regulam, omniaque Apostolicæ Ecclesiæ jura, appellat *ejusdem Sacramenti* traditionem, usurpato *Sacramenti* vocabulo pro universis Apostolicis rudimentis, uti observarunt in notis ad hunc locum præclari viri Albaspinæus, & Lupus, necnon quæst. 2. de Sacram. eximius Lovaniensium Theologus Farvaquez. Hinc percipimus cur olim Patres de Trinitatis mysterio, de Eucharistiæ freqoeoratione, & de aliis religionis Christianæ arcanis parce, & tanta verborum obscuritate locuti fuerint; ut nimirum sacro initiati baptismate commissa sibi mysteria assequerentur, eaque occulta remanerent profanis. Quare Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 6. pertractans de mysteriis, quæ continentur in Symbolo, *Hæc Sacramenta*, inquit, *non patefacit Ecclesia ei, qui ex Catechumenis excedit, nec moris est Gentilibus exponere*: & S. P. Augustinus in Ps. 103. serm. 1. numer. 14. *Opera enim nostra bona vident & pagani, Sacramenta vero occultantur illis*. Epistola pariter ad Honoratum Catechumenum, 120. nunc 140. num. 48. pertractans de Eucharistiæ *Sacramento*, & de sacrificio novi Testamenti, ait: *Quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus invenies*. Vide & Chrysostomum Hom. 60. ad Illuminandos. Aliquando tamen, dum conviciis Christifidelium fama laceraretur, iisque occulta imponerentur crimina, Ecclesiæ Patres in iis quoque libris, quos pro Religione Christiana exornarunt, hanc disciplinam arcani minime servaverunt, uti fecit in Apologia ad Antoninum Pium sanctus Martyr Justinus, non ut lubenter enunciaret mysteria, quemadmodum inquit Albaspinæus, sed ut impactas calumnias dispelleret; quamquam & Justinus in altera Apologia ad Marcum & Lucium Antonini filios altum tenuerit de arcanis fidei silentium.

Rursus accipitur nomen *Sacramenti* pro signo quolibet rei sacræ. Est autem signum, quemadmodum ab Augustino definitur initio librorum de doctrina Christiana, *res, quæ ad significandum aliquid adhibetur*, ut lignum quod in aquas amaras Moysen misisse legimus, lapis, quem Jacob sibi ad caput posuit, pecus, quod pro filio Abraham immolavit; & alia, quæ ita res sunt, ut aliarum etiam signa sint rerum. Ac secundo libro ejusdem Operis cap. 1. *Signum*, inquit S. Pater, *est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire*: sicut vestigio viso, transisse animal cujus vestigium est cogitamus, & fumo viso ignem subesse cognoscimus, & voce animantis audita affectionem animi ejus advertimus. Non autem quodlibet signum *Sacramentum* dicitur, sed signum rerum divinarum duntaxat, scribente ipsomet Augustino Epist. v. ad Marcellinum, nunc 138. num. 7. *Signa, cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur*. Juxta hanc acceptionem *Sacramenti* Tertullianus contra Marcionem disputans vocat duos Abrahæ filios *Sacramenta figurarum*, *& allegorias Sacramentorum*, & in antiquis Patribus allegorias veteris testamenti exponentibus occurrunt passim hæc vocabula, *Sacramenta numeri, panis, piscis, &c.* Signorum quidem aliqua nullam habent cum re quam significant similitudinem, ut campanæ sonus signum est convocandi Clerum, quædam similitudinem talem habent, ut absque ulla vel humana, vel divina institutione commonstrent rem quam significant, ut vestigium in arena impressum indicat pedem hominis, aut alterius animantis: nonnulla denique signa ex institutione rem aliquam indigitant, sed cum ea habent analogiam aliquam & proportionem, ut immolatio Isaac Christi sacrificium, productio Evæ institutionem Ecclesiæ præfigurarunt. Haud dubium est, quin *Sacramenta* signa sint hujus generis, scribente magno Augustino ad Bonif. Epist. 23. nunc 98. num. 9. *Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent*. Signorum denique aliqua sunt *significativa* duntaxat, sive, ut in Scholis loquimur, *speculativa*, quemadmodum ramus, aut hedera demonstrant vini tabernam, vel cauponam; aliqua *obsignativa*, sicut sigillum principis obsignat, confirmatque contentum in diplomate privilegium, aliqua *exhibitiva* dignitatis vel muneris, ut baculus, annulus, pileus, qui præbentur Abbati, Episcopo, Cardinali; aliqua demum sunt signa practica & efficacia, qualia nos contendimus esse Sacramenta, de quibus in præsentia instituimus dissertationem.

PROPOSITIO III. Optima est definitio *Sacramenti*, quam adversus heterodoxos tradunt Catholici.

Quamvis non occurrat una *Sacramenti* definitio in libris Catholicorum, quibusdam ad Dialecticæ regulas pressius illud definientibus, quibusdam vero fusiori descriptione ipsius naturam explanantibus; consentiunt tamen omnes, Sacramenta esse signa quædam sensibilia sacro ritu exhibita Christi nomine, quæ, modo certæ conditiones adsint, gratiæ salutarem effectum in suscipiente operantur, super eam mensuram, quam exigant suscipientis meritum ac præparatio. Ita principio libri IV. Sententiarum Guilelmus Estius, & in Hist. Conc. Trident. lib. IX. cap. 4. Pallavicinus. Definitiones vero *Sacramenti*, quæ circumferuntur, sunt hujusmodi. Magister Sententiarum primo Sacramentum definit latissime, prout omnia rerum sacrarum signa complectitur, dicens: *Sacramentum est rei sacræ signum*. Deinde tradit definitionem communem Sacramentis veteris legis, quæ Christi gratiam præsignabant, & Sacramentis legis Evangelicæ, quæ ipsam gratiam efficiunt, scribens: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma*. Tertio Sacramentum novæ legis, quod est gratiæ signum efficax, ad hunc modum definit: *Sacramentum est quod ita signum est gratiæ Dei, & invisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat, & causa existat*. Isidorus lib. VI. Etymolog. cap. 18. ita Sacramentum describit: *Sacramentum est illud, in quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius humanam salutem operatur*. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 9. cap. 1. hanc Sacramenti definitionem suppeditat: *Sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & sanctificatione continens invisibilem gratiam*. In Catechismo Romano p. 2. ita Sacramentum definitum legimus; *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet*: quam definitionem recte Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 11. pulcherrimam vocat, & insignis Theologus Tournelius optimam & retinendam. Circumfertur & hæc Sacramenti vulgaris definitio: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum*: quæ definitio traditur ab eodem Catechismo Romano, & deprompta videtur ex Conc. Trident. sess. XIII. cap. 3. ubi asseritur Eucharistiam cum ceteris Sacramentis *symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem*.

Ex quibus omnibus videtur nobis posse *Sacramentum* hac definitione describi: *Sacramentum est invisibilis gratiæ signum sensibile, divinitus institutum, & Christi nomine, sacroque ritu exhibitum, & hominum sanctificationem efficiens*; ita, ut primum definitionis membrum Sacramentis veteris, ac novæ legis ex æquo conveniat; alte-

rum

rum vero commonstret utrorumque discrimen. Ac principio Sacramentum recte dici *signum sensibile* omnes prorsus cum hæretici, tum orthodoxi consentiunt. Enimvero quod occultum est, nec ingerit speciem aliquam sensibus, signum appellari non potest, quare Augustinus de Catechizandis Rudibus cap. 26. num. 50. Sacramenta vocat *signacula rerum divinarum visibilia:* lib. xix. contra Faustum cap. 16. *corporalia Sacramenta:* quæst. 84. in Leviticum, *Sacramenta visibilia:* tract. lxxx. in Joan. num. 3. *elementum, & tamquam visibile verbum;* & in expositione inchoata Epist. ad Rom. num. 18. *sacrosancta signacula*. Ideo autem *signum sensibile* ad Sacramentum constituendum fuit adhibitum, *quoniam anima corpori inserta est, & in sensibilibus illi intelligibilia præbentur*, ut inquit Jo. Chrysostomus hom. 60. ad Populum Antioch. & 83. in Matth. sive ut ait S. Thomas q. lx. art. 4. *quia connaturale est homini, ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium*. Addamus S. P. Augustini rationem ex citato lib. xix. contra Faustum cap. 11. quoniam scilicet *in nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliqua signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*.

Non est tamen *Sacramentum* hujus solius in unum Religionis nomen coadunationis signaculum, ut perperam autumant Sociniani, qui contendunt nihil aliud *Sacramentum* esse, nisi simplex nudumque signum, quo a Judæis, & a Gentilibus discriminantur Christiani: sed est signum *invisibilis gratiæ:* nam infra demonstrabimus sacramenta novæ legis sanctificationem efficere, quam sacramenta vetera præsignabant; unde Augustinus citata quæst. 84. in Leviticum scribit: *Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia Sacramenta quid prosunt?* Animadvertendum hoc loco, etiam sacramenta legis veteris aliquam sanctitatem contulisse, sed legalem duntaxat, scribente eo loci Augustino, *Moyses visibiliter Sacerdotes sanctificabat*, quæ sanctitas umbratica erat, & figura sanctificationis conferendæ per Christum: quamobrem Sacramenta illa appellantur ab Apostolo ad Galat. iv. 9. *infirma & egena elementa*, ad Hebræos vii. 18. reprobanda propter *infirmitatem, & inutilitatem*, & ibidem cap. ix. 13. asseritur inquinatos tantummodo vetustis sacrificiis sanctificatos *ad emundationem carnis*. Ceterum tam sacramenta veteris legis, quam novæ in re significata paria sunt, nam significant eumdem Christum, ejusque gratiam; cum hoc tamen discrimine, quod sacramenta vetera signum erant Christi venturi, Sacramenta novæ legis signum sunt redemptionis jam peractæ, sive, ut loquitur S. Pater cit. lib. xix. adversus Faustum cap. 14. & 15. Sacramenta illa erant prænuntiativa rerum nondum impletarum, & figuræ Christi passuri, & resurrecturi; hæc vero Sacramenta signa sunt Christi, qui passus est, ac resurrexit.

Hinc infertur, quod sicuti eadem est fides veterum Patrum, ac nostra, quemadmodum demonstravi lib. xxvi. cap. 7. ex eo quod antiqui justi salvi fierent eadem fide, quæ fuerat suo tempore revelanda; & sicuti idem est Mediator qui olim expectabatur, & qui ad nos redimendos advenit, quoniam juxta Apostolum, *unus est qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem:* ita una eademque est definitio Sacramentorum utriusque legis, licet virtus omnino impar. Hinc subscribimus iis, qui censent utraque Sacramenta *univoce* hoc nomine designari. Quod si per *signum gratiæ* intelligas signum efficiens, & practicum, quoniam, ut paullo antea diximus, Sacramenta vetera non propriam sanctitatem vi sua impertiebantur, sed legalem tantum, atque prænuntiativam, apertum est *analogice* tantum, non *univoce* Sacramenta utriusque legis insigniri uno eodemque vocabulo. At quod signum practicum esse debeat, alia voce exprimendum est: ut nos fecimus sequentibus verbis ad evitandam illam parvi momenti & inutilem quæstiunculam, num Sacramenti definitio *univoce* utriusque legis *Sacramentis* conveniat.

Priusquam vero ceteras allatæ definitionis particulas prosequamur, animadvertendum est triplicem gratiam Sacramentalibus symbolis designari: ac primum gratiam præsentem, quæ animam exornat & sanctificat, scilicet, justitiam, remissionem peccatorum, aliaque dona Dei, quibus cumulatur digne *Sacramenta* recipiens: deinde gratiam jam acceptam Dominicæ Incarnationis, passionis, redemptionis, resurrectionis; &, si loquamur de veteribus Sacramentis, initum fœdus, Dei promissionem, ac liberationem de domo servitutis: gratiam denique futuram, scilicet gloriam, & sempiternæ vitæ consecutionem. Quare *Sacramentum* dici potest cum beato Thoma quæst. lx. art. 3. signum *demonstrativum, commemorativum, prænuntiativum*. Quod ut facilius percipiatur, quædam producam ex utriusque legis *Sacramentis* exempla. Et primum sit circumcisio, quæ commonefaciebat fœderis a Deo initi cum Abrahamo, Gen. xxvi. 7. erat signaculum justitiæ & fidei, ad Rom. iv. 11. atque prænuntiabat Christum ex semine Abraham oriturum, & gratiam Evangelii, per quam sumus filii promissionis, ad Galat. iii. 29. Ita Levitarum sacrificia, præsertim Agni paschalis immolatio, erant commemorativa beneficiorum, quæ Deus filiis Israel ex Ægypto eductis contulerat, Exodi xii. 5. immundorum purgatio, ad Heb. ix. 13. & typus Agni in cruce pro nobis immolandi, 1. ad Corinth. x. 3. Ad hunc plane modum *Sacramentum* baptismatis signum est Christi passionis ac sepulturæ, ad Colossens. ii. 12. ablutionis peccatorum, & renovationis, ad Titum iii. 5. nec non arrha futuræ resurrectionis, & pignus hæreditatis, ad Roman. vi. 5. Hoc denique pacto dum Eucharistiæ suscipitur *Sacramentum*, annuntiatur, & in memoriam revocatur Christi mors 1. ad Corinth. xi. 26. atque recipitur una cum Corporis Christi communione pignus æternæ vitæ, Joan. vi. 51. & 1. ad Corinth. x. 16. *Sacramentum* itaque est signum *demonstrativum* præsentis gratiæ, *commemorativum* præteritæ, *prænuntiativum* futuræ. Ad hæc *Sacramenta* sunt etiam muneris officiique nostri commonitoria; circumcisio enim admonebat unumquemque, ut cor suum circumcideret, & victimarum immolatio, ut supremam Dei pertimesceret potestatem, quemadmodum nunc baptismus nos commonet veterem hominem cum Christo simul crucifixum esse, ut destruatur corpus peccati, nec peccato ultra serviamus; & communicatione corporis Christi excitamur ad gratias pro accepta redemptione agendas, fovendamque inter nos, qui de uno pane participamus, mutuam caritatem & dilectionem.

Ut revertamur modo ad *Sacramenti* definitionem, oportet, *ut sit signum divinitus institutum*. Diximus enim, habere quidem *Sacramenta* aliquam similitudinem rerum, quarum signa sunt; at non esse signa talis generis, qualia sunt naturalia, quæ absque ulla institutione commonstrant id, quod significant, cujusmodi est vestigium in pulvere impressum. Et quoniam virtus *Sacramenti*, cum sit spiritualium donorum effectrix, habet solum Deum auctorem; idcirco *Sacramenta* non humanæ institutionis sunt, sed supremæ ac divinæ. Quamobrem S. Pater de Doctrina Christiana lib. iii. cap. ix. num. 13. Sacramentum appellat *utile signum divinitus institutum*. Verum de *Sacramentorum* institutione plura paullo infra.

Quum hæc communia sint cuilibet *Sacramento*; hoc proprium habet *Sacramentum* novæ legis, ut Christi nomine suscipientibus administretur: sive enim baptizet improbus minister, sive justus; gratia baptizato confertur, eo quod non tribuatur gratia baptismatis, nisi illi, de quo dictum est, Joan. 1. 33. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Potestatem quippe sanctificandi Christus Jesus in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros suos baptizare dignatus sit, ut dum baptizant ministri inæqualis meriti, unum tamen & par & æquale baptisma reciperet unusquisque, nec tot baptismata essent, quot ministri: sed staret unitas Baptismi, unitas Ecclesiæ, unitas Fidei. Hinc Paulus compescens scissuras & schismata Corinthiorum, orta ex magistrorum, a quibus initiati fuerant, præcellentia, in priori Epistola cap. 1. inquit: *Unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Lege etiam Augustinum Tract. ix. in Joan. num. 6. 7. 8.

Sacramenta denique novæ legis sunt signa gratiæ & sanctificationis efficientia, cum vetera, ut diximus, gratiam tantummodo prænuntiarent, nec aliam conferrent sanctitatem, nisi legalem. Id ex iis, quæ infra de *Sacramentorum* vi & energia disputabuntur, perspicuum erit. Interim negari nequaquam potest, quin per baptismum abluantur peccata, homines regenerentur, & renoventur Spiritu sancto: cum Act. xx. 16. Ananias dixerit Saulo: *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua;* ac Paulus ipse scripserit ad Titum iii. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*. De Confirmatione pariter legimus Act. viii. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. De Ordine manifestus est locus 1. ad Timoth. iv. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*. At de istorum, aliorumque Sacramentorum gratia, agendum est proprio in loco.

Repudiata superiori definitione *Sacramenti*, alias proprio marte Novatores compingunt. Ac primo Lutherani contendunt nihil aliud *Sacramentum esse, quam promissionem gratiæ annexam externo signo:* ita Lutherus in lib. de capriv. Babylonica cap. ult. & Kemnitius in 2. P. Examin. Si Lutherani intelligerent *externum signum* gratiæ, & sanctificationis *efficiens;* posset recipi istiusmodi definitio, quamquam minus accurata & impropria. Nam Georgius Cassander in Consultatione de Articulis inter Catholicos, & Protestantes controversis, art. xiii. producit librum ad compositionem Religionis Ratisponæ propositum, atque in hoc capite etiam ab Eckio probatum; in quo habetur, *Sacramenta duabus potissimum de caussis divina auctoritate instituta esse: una, ut essent signacula & veluti tessera quædam hujus magnæ congregationis, quæ est Ecclesia: altera, ut sint certa & efficacia signa voluntatis, & gratiæ Dei erga nos, & proinde non signa ut tantum significent, sed ut sanctificent, utque in nobis fidem excitent, & ad mutuam dilectionem, moresque Christianos provocent & hortentur*. Et Grotius in Annotatis ad Consultationem Cassandri, eodem art. fatetur, *Sacramentis non significari*

tantum gratiam collatam, sed & conferri. Neque enim nos negamus *Sacramenta* habere annexam gratiæ promissionem: quis enim ignorat de Baptismo legi Marci ult. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*, & de Cœna Dominica Joan. VI. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam?* Fatemur etiam Sacramenta *magnam vim habere ad fidem in animis nostris excitandam, & exercendam, & ad caritatem inflammandam*, ut in Catechismo Romano legimus P. 2. num. 18. sunt enim, ut supra diximus, signa commemorativa quoque beneficiorum præteritorum, nec non futurorum prænuntiativa.

Verum in illa Lutherana *Sacramenti* definitione principio notandum est, quod improprie dicitur Sacramentum *ipsa promissio gratiæ*, quam alioquin habet adnexam; non enim per verba, quibus *Sacramenta* conficiuntur, revera insinuatur promissio; neque dum sacrum impertimur lavacrum, dicimus, *Promitto tibi regenerationis gratiam*, sed, *Ego te baptizo, &c.* quod & in aliis *Sacramentis* servatur; propterea quod *Sacramenta* novæ legis non sanctitatem promittant, sed conferant. Deinde in ea definitione latet perfidia hæresis; nam cum novatores autument hominem justificari per solam fidem *divinarum promissionum*, & per solam in Christum fiduciam seclusis operibus, & denegata efficacia *Sacramentorum*; consequenter præmissa, aut consimili alia definitione incautis animis insinuant, a suscipientibus *Sacramenta* per solam fidem arripi justitiam & sanctitatem. Vide quæ diximus lib. XIX. cap. 5. Hinc Confessio Lutheranorum exhibita invictissimo Imperatori Carolo V. in Comitiis Augustæ anno 1530. profitetur, *utendum Sacramentis, ut fides accedat quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur, & ostenduntur*; damnatque *illos, qui docent quod Sacramenta ex opere operato justificent*. Ea ergo, quæ postea dicentur de *Sacramentorum* efficientia, etiam repellunt, oppugnantque Lutheranam *Sacramenti* definitionem.

At Calvinus lib. IV. Instit. cap. 14. ad rationem *Sacramenti* præter promissionem divinam addit divinæ benevolentiæ oppignorationem, ita, ut juxta Calvinianos *Sacramenta* nihil sint aliud, *quam signa quædam & sigilla divinitus instituta ad obsignandas in nobis, & confirmandas divinas promissiones, ad fidem nostram corroborandam, & ad pietatem nostram erga Deum palam significandam*. Quæ definitio & falsa est, & eodem vitio laborat, quod *Sacramentis* nullam producendi gratiam vim tribuat, nisi quatenus fidem excitant, *externisque objectis*, ut inquit Theodorus Beza de summa Rei sacrament. q. 2. *interiores sensus moventur*. Ceterum falsitas definitionis Calvinianæ inde eruitur, quod Divina promissio magis certa est in sacris literis, quam sit certa justitia, & sanctitas in *Sacramentis* collata, ideoque fieri nequit, ut per *Sacramenta* certiores reddamur promissionum divinarum. Præterea illa definitio ipsorum Calvinistarum doctrinam evertit; cum enim profiteantur solos prædestinatos justificari, & divinarum promissionum pignus accipere; atque aliunde negare non audeant plerosque reprobos suscipere *Sacramenta*; aut dicendum est *Sacramenta* non esse illam divinæ benevolentiæ oppignorationem, aut nunquam recipi a reprobis, aut omnes, qui *Sacramenta* recipiunt, esse prædestinatos. Reprobis namque, juxta Calvinianos, gratia denegatur, non ob pravam illorum dispositionem, sed quia Deus ipsam gratiam solis prædestinatis sempiterno decreto paravit, sacris in literis repromisit, & reapse impertitur.

Nihil autem juvat Calvinistas, quod circumcisio dicatur ab Apostolo ad Rom. IV. *σφραγῖδα*, idest, *signaculum*, aut, *sigillum*: siquidem nemo nostram negat circumcisionem fuisse initi fœderis oppignorationem, necnon impressum in carne signaculum filios Abrahæ ab alienis discriminans; quemadmodum nec illud negamus, per *Sacramenta* homines sese Deo mancipare, eique suam servitutem obstringere: negamus tantum in *Sacramentis* vel oppignorationem illam, vel divini fœderis commemorationem solummodo esse spectandam, & non potius internam, occultamque subministrationem gratiæ, quam in nobis rite dispositis efficiant. Ostendimus quippe non eadem ratione a profanis Scriptoribus, & ab Ecclesiæ Patribus *Sacramenti* vocabulum usurpari; ideoque ex quo apud litigantes *sacramentum* dictum fuerit oppignoratio pecuniæ, nonnisi imperite infertur apud Ecclesiæ Doctores *Sacramenta* primario esse signacula fœderis a Deo cum hominibus initi, aut promissæ fœderatis gratiæ oppignorationem. Vidit id etiam heterodoxus Vossius, qui de vi, & efficacia Sacramentorum pag. 248. scripsit: *Infirmo igitur tibicine nituntur qui sic argumentantur: Sacramentum fuit pecunia oppignoratio ex pacto litigantium proveniens. At in Sacramentis Ecclesiæ homo se oppignorat Deo, ut consequatur gratiam fœderatis promissam. Ergo Sacramenta primario sunt signa pacti, & fœderis inter Deum & nos*. Adde, quod supra commonefecimus, tam in Circumcisione, quam in *Sacramentis* novæ legis non solum fœdus initum spectandum esse, cujus sunt signum *commemorativum*; verum etiam præsentem justitiam, cujus sunt signum *demonstrativum*, & efficiens.

Ex dictis corruunt aliæ definitiones hæreticorum, quæ omnes eo spectant, ut *Sacramentis* auferant vim spiritualis gratiæ effectricem. Nos ergo concedemus Zuinglianis *Sacramenta* esse quamdam initiationem, qua Christo homines, ut milites imperatori, obstringuntur. Haud inficiabimur Anabaptistis *Sacramenta* esse signa, quibus ut recte vivamus admonemur. Fatebimur Socinianis per *Sacramenta* Christifideles a Judæis & a Paganis secerni. Calvini quoque, & Lutheri gregariis ultro dabimus, *Sacramentis* fidem nostram excitari, & exerceri pietatem. At negamus id primo in *Sacramentis* attendi: sive negamus *Sacramenta* esse tantum signa, quæ vel præstitum beneficium in memoriam revocent, vel Dei gratiam promittant, vel nos officii nostri commonefaciant, non vero signa spiritualium donorum efficientia. Atque hinc a ratione, numeroque *Sacramentorum* excludimus tum ea signa, quæ erant futurarum rerum symbola duntaxat *speculativa*, nec sanctitatem præsignabant, aut conferebant, ut serpens æneus, virga Mosis, Arca fœderis, transitus maris rubri, aliæque veteris testamenti figuræ; tum ea, quæ nulla alia ratione gratiam impertiuntur spiritalem, nisi quatenus in iis devote nos gerimus exhibentes Christianæ humilitatis pietatisque argumenta, ut sunt aspersio lustralis aquæ, benedictio Sacerdotalis, ablutio pedum, & quæ consueto vocabulo nuncupantur *Sacramentalia*: de quibus tamen iterum pertractabitur.

CAPUT II.

Quandonam Sacramenta, *quæ sunt signa spiritalis gratiæ, primitus fuerint instituta.*

EXplicata Sacramentorum *essentia* quæritur quando primum existere inceperint; cumque prior hominum status fuerit protoparentum, dum brevi originalem justitiam in paradiso voluptatis servaverunt, principio a Scholasticis controvertitur, num in eo felicitatis statu *Sacramenta* extiterint, vel, si Adam perseverasset, fuissent saltem instituenda. De hac vero quæstione, cum inde parum utilitatis possimus percipere, agendum puto absque prolixitate verborum. Itaque in statu innocentiæ *Sacramenta* nequaquam extitisse, nec, si Adam perseverasset, fuisse futura, tradit S. Thomas q. 61. art. 2. ejusque Commentatores clarissimi, Dominicus Soto in IV. dist. 1. q. 2. art. 2. Gonet disp. 2. art. 1. Cardinalis Gotti quæst. 1. dub. 3. aliique omnes; neque oppositum censent cum Subtili Doctore Mastrius disput. 1. q. 8. art. 1. & Frassen art. 1. q. 4. necnon cum Romano Ægidio nostrates, Argentinas dist. 1. q. 1. art. 2. Gibbon disput. 3. dub. 2. Gavardi q. 5. art. 2. His vero quamplures alii subscribunt.

Innititur hæc sententia momentis istis. Principio *Sacramenta* signa sunt in religione stabilia ac permanentia, ideoque locum non habent in eo statu, qui ad brevissimum tempus perduravit. Deinde, ut S. Thomas citato loco ratiocinatur, repugnare videtur rectissimo, & bene instituto creaturæ rationalis statui, in quo superiora nullo modo ab inferioribus pendent, si anima vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per signa sensibilia perficiatur. Præterea *Sacramenta* ad remedium, & medicinam animæ sunt instituta, ideoque locum habere nequeunt in eo statu, in quo nullus animi morbus irrepserit. Insuper *Sacramenta* vel ad gratiam recipiendam, vel ad servandam, vel ad augendam instituuntur: in statu autem originalis justitiæ jam gratia absque ullo *Sacramentorum* adminiculo collata fuerat. Tunc etiam nil homines fuissent passi noxiæ cupiditatis, sensuumque luctaminis, ideoque potuissent absque sensibilibus elementis acceptam justitiam custodire. In hac quoque proficere potuissent, ut fecerunt angeli sancti, per liberum arbitrium perseverando. Cui ergo bono tunc instituta fuissent *Sacramenta*, si nec ad divinarum gratiarum conservationem, nec ad augmentum, quidquam conferre potuissent? Tandem neque ex scriptura, neque ex traditione, quæ duo in rebus ambiguis facem nobis præferunt, probari potest *Sacramentorum* pro statu innocentiæ, vel necessitas, vel institutio. Atque hæc sunt pro communiori sententia tritæ argumentationes.

Quidam censent etiam in statu innocentiæ quædam *Sacramenta* extitisse: quam opinionem amplectuntur nonnulli Ordinis nostri Scriptores cum Fulgentio Bellelli lib. 1. Mentis Aug. cap. 20. his argumentis innixi. Primo juxta Augustinum lib. XIX. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*. Cum itaque in statu innocentiæ futurus esset Dei cultus, & vera Religio; oportuit, ut pro eo statu instituerentur ipsius religionis signacula, & tesseræ, qualia profecto sunt *Sacramenta*. Extitissent præterea in eodem innocentiæ statu oblationes, & sacrificia: quamquam enim id neget Dominicus Soto, eumque postea secutus sit Du-Hamelius, refutatur jure ac merito a Gonet, quoniam offerre Deo sacrificia, illumque tum interiori, cum exteriori actu colere tenemur jure naturæ, ex S. Thoma 2. 2. q. 85. art. 2. Cum autem sacrificia alicujus meriti fuissent, vel gratiæ contulissent incrementum, vel saltem ad

tem ad illud conferendum fuissent idonea: quod ad rationem veri *Sacramenti* videtur sufficere. Præterea Augustinus rationem *Sacramenti* agnoscit in *ligno vitæ*, scribens lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 4. num. 8. *Nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem Sacramentum.* Proximo etiam capite v. num. 10. ait S. Pater, *potuisse per lignum, idest, per corpoream creaturam, tamquam Sacramento quodam, significari Sapientiam in paradiso corporali*, Sapientiam utique, qua recte vivimus, & de qua Prov. III. 18. legimus, *Lignum vitæ est amplectentibus eam.* Insuper Augustinus eodem capite num. 11. affirmat lignum vitæ non solum fuisse sapientiæ visibile symbolum, verum etiam immortalitatem primo homini contulisse occulta gratiæ inspiratione, scribens: *Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta*: ac de homine e paradiso ejecto lib. XI. cap. 40. num. 54. ait S. Doctor, *Separari utique debuit a ligno vitæ, sive quod ex ipso illi subsisteret felix ille ipse status corporis, ex re visibili, virtute invisibili; sive quod in eo esset & sacramentum visibile invisibilis sapientiæ.* Ex quibus omnibus constat lignum vitæ & fuisse corporale signum rei sacræ, & contulisse corporis immortalitatem; quam fuisse donum gratiæ, non vero naturalem innocentis hominis conditionem, & definitum est adversus Bajum, & nos demonstravimus lib. XII. cap. 9.

Utraque sententia potest absque ullo fidei discrimine propugnari: sed ut verum fatear, mihi non videntur producta utrinque argumenta penitus inconcussa. Primum enim pro communiori sententia facile solvitur, si reponas non fuisse innocentiæ statum diuturnum ac permaneus ob liberam primi hominis prævaricationem; habuisse tamen ea adminicula, quæ congruunt statui permanenti; quemadmodum in eo non defuerunt ad servandam corpoream vitam salubris ligni alimenta, etsi transgressor homo iis promeruerit spoliari. Nam congruum fuit a sapientissimo Conditore omnia rationalibus creaturis suppeditari, quæ vel ad sui cultum & religionem, vel ad spiritalem vitam liberali munificentia suppeditantur. Ad secundum dicimus pugnare cum innocentiæ statu sensuum rebellionem, & corporalium rerum imagines, quæ in errorem inducant, non autem signa sensibilia, quæ animam corpori insitam in cognitionem rerum spiritualium pertrahant: unde Thomistarum rationem refutant Suarez, Florentius de Cocq, Isambertus, Tournely, & alii. Alterum nil probat, siquidem *Sacramenta* status innocentiæ non fuissent utique animarum medicamenta, nec liberassent a patratorum scelerum lue; sed potuissent tamen gratiam impertiri, quæ hominem custodiret, aut gratiam jam acceptam augere. Ad quartum respondeo disparem esse de Angelo, & de homine primo rationem; ille enim cum sit spiritualis, nec habeat animum consertum carni, non debuit spiritaliter vivere mysteriis rerum intelligibilium corporaliter exhibitis; quod non valet de homine etiam innocente, ut inquit sapientissimus Augustinus. Ad postremum dicimus nec ex scriptura, aut traditione colligi posse quale *Sacramentum* extiterit in lege naturæ pro delendo originali peccato, cum tamen aliquod consensu fere omnium extiterit; neque necessum est ea, quæ ipsa religionis, & congruentiæ ratio commonstrat, divina auctoritate comprobari, præsertim si ad fidem, cujusmodi est præsens quæstio, non spectent. Quod si secunda sententia arrideat; dices in Scripturis commemorari lignum vitæ, quod juxta Augustinum habet *Sacramenti* rationem.

Ceterum nec secundæ sententiæ argumentationes invictissimæ sunt. Ad primum enim responderi potest, quod Augustinus vel loquitur de mysteriis & ritibus, quibus una religio ab alia secernitur, vel saltem non instituit sermonem de statu innocentiæ. Quod loquatur de mysteriis & ritibus, quæ sæpenumero *Sacramenta* non sunt, liquet; nam indiscriminatim verba facit de qualibet religione, sive vera, sive falsa, dicens, *In nullum autem nomen religionis seu verum, seu falsum, &c.* Quis autem in falsa religione vera *Sacramenta* potest excogitare? Intelligendus est ergo Augustinus de sacrificiis, quæ in unaquaque religione offeruntur, maxime quod disjunctive loquitur, *nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum &c.* Quod vero Augustinus non sit de statu innocentiæ accipiendus, patet ex eo, quod perseverante statu innocentiæ omnes homines unum Deum adorassent, eamdemque rempublicam constituissent, ideoque non opus fuisset, ut certis *signaculis* homines coadunarentur, & fideles corporalibus signis secernerentur ab idololatris. Alterum facilis est solutionis, sacrificia enim in statu innocentiæ essent religiosi cultus protestativa, sed non symbola gratiæ; nec ipsam gratiam promeruissent, nisi per modum meriti, sicut illam promerentur virtutum opera; *oblationes enim*, inquit Dominicus Soto, *non aliter sunt causa gratiæ, quam eleemosynæ, & jejunia.* Quod sequitur, hac ratione diluitur. Augustinus lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. IV. num. 8. appellat lignum vitæ *Sacramentum*, quatenus *Sacramentum* late acceptum rem arcanam designat, docens *in ligno vitæ* figuratum Christum, qui vera Sapientia est, ut in petra, de qua fluxerunt aquæ. Ait enim: *Erat ergo & lignum vitæ, quemadmodum Petra Christus, nec sine mysteriis rerum spiritualium, &c.* At Petra verum propriumque *Sacramentum*, ut in præsentia accipitur, nequaquam fuit: ideoque nec lignum vitæ. Affert eo loci num. 10. Augustinus etiam exemplum matrimonii; quod certe *Sacramentum* erat lato modo, in quantum scilicet præsignabat Christi & Ecclesiæ unionem, ut inquit Apostolus ad Ephes. v. 31. nam in lege duntaxat Evangelica ad *Sacramenti* dignitatem a Christo Domino evectum est, cum olim institutum fuerit *non secundum quod est Sacramentum, sed secundum quod est officium naturæ*, ait S. Thomas 3. p. q. 60. art. 2. ad 3. Ergo ut matrimonium, ita lignum vitæ fuit per Augustinum *Sacramentum* eo tantum sensu, quod *mysterium* aliquod præsignabat. Dum vero ait cap. v. num. 11. tribuisse stabilem sanitatem *occulta salubritatis inspiratione*, non significat gratiam collatam animæ, sed firmitatem tributam corpori; non vi aliis cibis communi, sed occulta, & mirabili, qualis apparuit in subcinericio pane, quo Elias quadraginta dierum itinere pervenit ad montem Horeb, 3. Reg. XIX. 8. aut in farina, & oleo Sareptanæ viduæ, 3. Reg. XVII. 16. Hæc enim exempla producit ibidem Doctor eximius. Quis vero aut panem illum subcinericium, aut farinam, oleumque *Sacramenta* significatione propria appellaverit?

Hæc utriusque sententiæ argumentis repono: & quantum ad me attinet, subscribo primum Theologis asserentibus nullam repugnantiam habere *Sacramenta* cum statu innocentiæ, propterea quod homo corpore animoque constatus per corporalia signa potest in quocunque statu devenire in cognitionem rerum spiritualium, ut non obscure docet citato loco Augustinus, ipsaque ratio demonstrat. Posset etiam iisdem signis conferri gratia, non quæ vulnera animæ sanaret, sed quæ gratiam pristinam foveret, vel ejusdem tribueret incrementum. Nec singularis est hæc sententia, sed Durandi in IV. dist. 1. q. 2. Alexandri de Ales q. 5. memb. 2. Florentii de Cocq de Sacram. sect. 1. aliorumque. Ad hæc affirmo extitura etiam in statu innocentiæ sacrificia, quoniam tenetur creatura rationalis animo, & corpore constans Factorem suum exterioribus, internisque actibus colere. Constituissent quoque homines innocentes Ecclesiam visibilem, quæ sane colligata teneretur *signaculis* sensibilibus. Assero tandem in statu innocentiæ nequaquam futura *Sacramenta*, quæ vim conferendi gratiam haberent intuitu meritorum Christi, aut instituta essent in peccatorum medelam: quoniam sententia nostra Christus non venisset, nisi Adam peccasset, neque *est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, Mat. IX. 12. Atque hæc de statu innocentiæ.

Sequitur status naturæ ab Adæ lapsu usque ad legem per Moysen latam, comprehendens annos, juxta communiorem Chronologiam, 2513. In quo statu, præsertim ante circumcisionem, nulla fuisse *Sacramenta* nonnulli Scholastici docuerunt, quod sat esset ad justificationem protestatio fidei absque signo ullo sensibili, & si aliquando patriarchæ signum hujusmodi exhibuerint, determinatum non esset, neque divinitus institutum. Atque hanc sententiam tenuerunt Durandus in IV. dub. 1. q. 2. Dominicus Soto dist. 1. q. 2. art. 3. concl. 5. Ledesma, Maurus, Basilius noster Legionensis, Vasquesius, alii. Quidam vero etiam ante circumcisionem extitisse putant *Sacramentum* aliquod pro parvulis originali culpa expiandis, at non pro adultis, quibus sat erat fides in futurum Liberatorem, quocunque tempore ad salutem necessaria, ut alibi definivimus: idque tenent Suaresius disput. IV. sect. 4. in articulum 3. quæstionis LXI. 3. partis, Juenin in Comment. q. 2. cap. 2. Perrimezzi dis. 305. Quale autem ante circumcisionem fuerit pro parvulis remedium, & an determinatum ex divina institutione, an ex hominum arbitrio, ambiguum est, asserentibus Scotistis determinatum fuisse, negantibus aliis; tametsi Mastrius disput. 1. q. 2. num. 51. demonstret nec Subtilem doctorem affirmasse signum illud institutum sub aliqua cæremonia, sed tantum, ut inquit, *formaliter*, nimirum fuisse signum sensibile fidei, non alterius virtutis, *materialiter* tamen indeterminatum, & ab hominum pendens arbitrio: quod videtur solo nomine discrepare ab aliorum sententia. Complures denique tam pro parvulis, quam pro adultis in statu naturæ *Sacramenta* extitisse propugnant, inter quos Canus Relect. de Sacram. p. 3. Gonet disp. 2. art. 2. Gravardi Quæst. 1. art. 3. Cardinalis Gotti q. 1. dub. 4. Tournely q. 2. art. 3. concl. 2.

In hac opinionum discrepantia primum affirmo in lege naturæ aliquod pro parvulis gratiæ signaculum, & *Sacramentum* extitisse; quod ostenditur auctoritate, & ratione admodum probabili. Etenim Innoc. III. cap. *Majores*, lib. 3. decret. tit. 42. indiscriminatim de parvulis cujusque status ait: *Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Ubi *remedii* nomine intelligit procul dubio *Sacramentum*, cum ibidem de circumcisione,

& de

& de Baptismo disputationem instituat. S. Pater Augustinus lib. v. contra Jul. cap. xi. num. 45. ait: *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset aliqua necessaria caussa Scriptura latere voluerit*. Item Auctor de Cardinalibus operibus Christi, inter opera Cypriani, cap. de ratione Circumcisionis, inquit: *Sane originale peccatum, quod a primis parentibus in totam generis hujus successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari: licet vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine*. Accedit & ratio: quocumque enim tempore necessaria fuit ad salutem fides in Christum, *quæ salvos faciebat antiquos pusillos cum magnis*, ut Augustinus ait lib. 2. de nuptiis & concupisc. cap. xi. num. 24. cumque parvuli nequeant fide propria actuali justificationem percipere; ut modo in iis qui baptizantur supplet defectum ætatis Ecclesiæ fides, ita olim fides parentum signo aliquo visibili significata a damnatione eripiebat infantulos: *Omnia namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantia sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ulla modo eis nisi per alios consuli potest*; ut inquit lib. 2. de vocat. Gent. cap. x3. fidelissimus Augustini interpres beatus Prosper, aut quisquis auctor est ejusmodi Operis. Ut ergo fides Mediatoris opitularetur infantibus, aliquo signaculo erat iisdem applicanda. Protestatio enim fidei interior non videtur esse sufficiens ad salutem remedium, tum quia parvulis in utero matrum decedentibus tanta gratia impensa non est, ut ad regenerationem per alienam fidem pervenerint, cum tamen & iis afferre posset salutem parentum, aut extraneorum fides, nisi applicandum iisdem esset sensibile *Sacramentum*: tum quia visibilibus signis ad Deum redeundum est, quemadmodum ab invisibilibus per visibilia cecidimus, *ut quo cesu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa; atque iisdem, quibus corruit, passibus surgat*, ait lib. xxvi. Moralium cap. 8. nunc xii. num. 18. magnus Gregorius: ex quo capite necessitatem *Sacramentorum* inferunt præclari Theologi, Hugo Victorinus p. 9. cap. 3. Dominicus Soto in iv. dist. 1. q. 2. & alii.

Adversus id opponitur, quod nonnulli Patres asserant in lege naturæ per solam fidem tam pueros, quam adultos fuisse justificatos. Scribit enim Tertullianus de Baptismo cap. 13. *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem & resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, & resurrectionem ejus, addita est ampliatio sacramenti, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda*. S. Gregorius Magnus lib. 4. Moralium cap. 3. *Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis*. S. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem de S. Victore cap. 1. num. 4. *At vero quis nesciat & alia præter baptismum contra originale peccatum antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem & semini ejus circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est; In nationibus vero quotquot inventi fideles sunt, adultos quidem fide & sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, imo suffecisse parentum fidem*. S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. ad 2. *Ante institutionem Circumcisionis, sola fides Christi futuri justificabat tam pueros, quam adultos, ita etiam & Circumcisione data: sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei, quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei*.

Perdifficilibus hisce testimoniis, post Canum Relect. de Sacram. in gen. p. 3. respondent complures, etiam Juenin, Tournely, Frassen, aliique recentiores, affirmari a Patribus olim sufficisse solam fidem exteriori signo manifestatam, absque sacrificio quod necessarium erat pro justificatione adultorum; ac solam fidem justificasse, quoniam signum illud erat egenum infirmumque elementum, nullam ex se interiorem gratiam efficiens. At quomodo fides visibili expressa signo appellari queat *sola*, *nuda*, *absque vestimento*; quomodo, si stet hæc responsio, recte scribat S. Thomas ante circumcisionem necessarium non fuisse *signum fidei protestativum*, fateor me nequaquam percipere. Respondendum ergo est, latere prorsus, quale sensibile signum ante Abrahamum ad peccatum originale delendum homines adhibuerint, scribente Augustino de peccato Originali cap. xxx. num. 35. *Et ante Abrahamum quidem utrum aliquo corporali, & visibili Sacramento justi, & eorum parvuli signarentur, Scriptura non exprimit*; & lib. 1. de nuptiis & Concup. cap. xi. num. 24. *Superioribus temporibus omni modo latuit Sacramentum justificationis ex fide*. Deinde affirmo Sacramenta eamdem semper rem significasse, quamquam ipsa fuerint *mutabilia & temporalia*, ut S. Pater Augustinus tradit contra Faustum lib. xix. cap. 16. Quamobrem in quolibet statu ea *Sacramenta* obtinuerunt, quæ ipsimet statui congruebant, ita, ut in lege scripta, latis a Deo ritibus, certisque præceptis, eadem *Sacramenta* determinata essent, & peculiaria religionis *signacula*, at in lege naturæ, cum homines solo interiori instinctu ad Deum colendum moverentur, ex ipsomet Dei instinctu, nulla lege exterius lata, ipsi homines determinabant res sensibiles, quibus in Dei cultu, & ad expianda peccata uterentur: atque hæc est doctrina doct. Angelici 3. p. q. 60. art. 5. ad 3. egregie ex præcitato Augustini testimonio deducta. Quare ubi S. Thomas q. 70. art. 4. ait ante circumcisionem justificasse *solam* Christi fidem absque *signo protestativo*, excludit signum lege determinatum, atque præscriptum, non quod interiori instinctu ducti homines in fidei sui protestationem adhiberent: nam eo loci fatetur parentes vel preces, vel benedictionem aliquam etiam pro parvulis adhibuisse, sicut adulti pro seipsis offerebant preces, & sacrificia; atque id fuisse *Quoddam signaculum fidei*. Eodem pacto Tertulliani, Gregorii, ac Bernardi excipienda sunt verba; negant nimirum extitisse ante Circumcisionem fidei *signaculum*, lege definitum: sive affirmant sufficientem fuisse fidem cum aliqua sensibili protestatione.

Ex his vero infertur quomodo *signaculum* justitiæ in lege naturæ fuerit, & non fuerit determinatum, quæ erat difficultas secundo loco proposita: erat namque determinatum interiori instinctu protestantium fidem suam ejusdem *signaculi* exhibitione; non erat determinatum præscriptione legis, latoque præcepto. Quod si objicias, igitur *signaculum* illud non erat a Deo institutum, ideoque nec *Sacramentum*; eadem ratione respondeo minime institutum fuisse præscripto legis, fuisse tamen institutum interiori instinctu, quo ad Religionem, cultumque sui eo temporis Deus homines permovebat; idque sufficere ad rationem *Sacramenti* pro statu legis naturæ; quemadmodum ad *Sacramenta* legis scriptæ, vel Evangelicæ, requiritur divina institutio expressa in tabulis fœderis, librisque, vel traditionibus Apostolicis. Neque tollitur ratio *Sacramenti* essentialis per hoc quod vigente statu naturæ possent pro libito homines fidem suam protestari *signaculo* isto, vel illo: determinatio enim signi pertinet, ut Suaresius advertit sub finem sect. 3. ad caussam extrinsecam, non ad naturam, rationemque *Sacramentorum*. Neque etiam infertur fuisse tunc temporis salutis remedium facilius, quam modo sit; quoniam nunc & in elemento obvio communique positum est, & cum sit a Christo determinatum, omnibus innotescit, & denique ex se efficientiam habet, non ex applicantium dispositione.

At enim opponis: Sententia est Augustini de nat. & grat. cap. viii. num. 9. parvulos, quibus per *Sacramentum* regenerationis non subvenitur, non admitti in regnum cælorum, *ea damnatione, quæ per universam massam currit*: & de Dono persev. cap. 12. num. 21. *inscrutabilia esse judicia Dei*, cur ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, *iste assumatur, ille relinquatur*, propterea quod gratia post Adæ lapsum est beneficium indebitum; atque, ut S. Pater ait capite ejusdem lib. xii. num. 18. ostenditur Deus *bonus in beneficio certorum, justus in supplicio cæterorum*. Cur ergo affirmare non possumus parvulos omnes in lege naturæ periisse, cum in iis adinveniretur manifesta causa reprobationis, nimirum originale peccatum?

Ad hæc respondeo, Deum *voluntate antecedenti*, cujus effectus est remedii ad salutem necessarii institutio ac præparatio, velle hominum universorum salutem; quamvis *voluntate sequenti*, cujus effectus est applicatio remedii, regeneratio, & consecutio salutis, velit duntaxat salvos fieri prædestinatos; in quorum numero quinam sint, pertinet ad inscrutabile Dei judicium. Ut ergo in hoc Evangelicæ gratiæ statu institutum pro singulis est *Sacramentum* baptismatis, quod tamen, ineffabili Dei judicio ita disponente, non omnibus applicatur; ita in statu legis naturæ voluit adesse ad originalem maculam expiandam commune paratumque remedium, tametsi eodem singuli nequaquam liberarentur. *Sive igitur novissima contemplentur sæcula, seu prima, seu media, rationabiliter & pie creditur omnes homines salvos fieri Deum velle semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quam de iis beneficiis, eaque providentia Dei, quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit .... Deo autem placuit, & hanc multis tribuere, & illam a nemine submovere, ut ex utraque appareat non negatum universitati, quod collatum est portioni, sed in aliis prævaluisse gratiam, in aliis resiluisse naturam*, inquit explicata generali, ac speciali Dei benignitate, Auctor librorum de vocatione Gentium lib. 2. cap. x5.

Præterea affirmo, etiam pro adultis fuisse in statu naturæ aliqua *Sacramenta*. Et quantum spectat ad sacrificia, consentiunt e Schola omnes semper extitisse; quod probat tum divina historia commemorans sacrificia Abelis, Cain, Abrahami, Melchisedechi, aliorumque; tum exterior Dei cultus, & forma visibilis religionis, in qua certis *signaculis* homines colligantur. At sacrificia, (quicquid censeant nonnulli) nonnisi lata significatione *Sacramenta* appellantur, cum non sint signa invisibilis gratiæ, sed oblationes factæ Deo in signum supremi ejusdem dominii. Ad summum *Sacramentum* fuit sacrificium Melchisedech, ut exi-

ut existimat Suaresius, ac censet probabile Dominicus Soto, negant tamen quamplurimi, tametsi constet fuisse symbolum, ac typum Eucharistiæ ea iis, quæ diximus lib. XXVII. cap. 7. Ratio ergo ex sacrificiis, externoque Dei cultu deprompta non videtur evincere pro statu legis naturæ existentiam *Sacramentorum*. Admittenda sunt tamen, quandoquidem etiam adulti, ac præsertim in eo statu, in quo pœnalis cæcitas grassabatur, essent ad intelligentiam invisibilium signis visibilibus excitandi, quam ob rem dictum supra instituta fuisse *Sacramenta*. Accedit quod actus fidei, & contritionis, neque in statu legis gratiæ semper ad justificationem sufficiunt absque adminiculo *Sacramentorum*: inverisimile est autem majorem tunc habuisse, quam habeant modo, vim, & efficaciam ad peccata expianda. Ceterum quænam fuerint hæc *Sacramenta*, ut supra cum Augustino dictum est, incertum penitus: nec probabilitate caret, nullam aliam habuisse institutionem, præter divinum instinctum intime proborum virorum menti inspirantem, quo signaculo fidem propriam protestarentur.

Gaspar Juenin, qui de *Sacramentis* edidit eruditum Commentarium, apponit verba Gregorii, ac S. Thomæ producta superius, quibus asserunt in lege naturæ adultos *sola fide* justificatos, nec pro illis aliam *virtutem* extitisse, nisi sacrificium. Eminentissimus Gotti dub. 4. paragrapho 3. Juenimum revincit pluribus S. Thomæ testimoniis, in quibus Angelicus Doctor *Sacramenta* appellat sacrificia, oblationes, & decimas. At doctissimus Cardinalis supponit sacrificia esse vera *Sacramenta*, quod adversarius inficiabitur; cum non sint signa gratiæ, sed nostri erga Deum cultus, ac religionis. Nihil itaque respondendum arbitror, nisi quod supra explicavi, per S. Thomam in statu naturæ sufficisse *solam fidem*, quoniam præscriptum non erat determinatum signaculum, quo homines fidem protestarentur suam, ut sese explicat S. Thomas q. 60. art. 5. ubi ait; *Sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur*. Sane magnus Gregorius ait, etiam parvulis *solam* tunc sufficisse *fidem*, nec tamen Juenin pro iis negat extitisse aliquod *Sacramentum*. De statu autem naturæ disputatum est hactenus.

In lege scripta extitisse *Sacramenta* aliqua, & quidem a Deo instituta, extra controversiam positum est. Fuerunt enim tunc instituti multi ritus, ac cæremoniæ sensibiles, quibus gratia, & animarum sanctificatio præsignabatur; cujusmodi fuerunt Paschalis Agnus, innunctio Levitarum, expiationes ac lustrationes, quæ gratiam per Christum conferendam sub figurarum velamine prænuntiabant; obtinuitque eo temporis Circumcisio, de qua plura sequenti capite. *Sacramenta* quoque vetera commemorat Florentinum Concilium in Decreto Eugenii ad Armenos, & Tridentinum sess. VII. can. 2. ubi agitur de differentia inter *Sacramenta* novæ legis, ac veteris. Juenin, Cardinalis Gotti, aliique agunt hoc in loco de veterum *Sacramentorum* duratione: de qua nos prolixe egimus lib. XX. cap. 10. Nihil difficultatis ingerit, quomodo institui potuerint *Sacramenta*, quæ sunt peccatorum remedia, ante adventum Christi, ejusque passionem: in quantum enim erant futuri Reparatoris signa, debebant præcedere adventum ejus, nec passio Salvatoris erat *Sacramentorum* illorum causa *efficiens*, quæ effectum antecedit suum; sed causa *finalis*, quæ effectum præcedit sola intentione; gratia vero, quam Deus impertiebatur præstolantibus Redemptorem, non efficiebatur ab ipsis *Sacramentis*, sed illam impertiebatur Deus intuitu meritorum Christi, & passionis ejus futuræ; ideoque antiqui patres ejusdem gratiæ, ac redemptionis complementum tantummodo consecuti sunt, quando Christus advenit, pretium solvit, & omnem gratiam post Adæ prævaricationem collatam hominibus, teterrima morte, ac summa personæ suæ dignitate promeruit.

CAPUT III.

Agitur de origine Circumcisionis, & quæritur an fuerit Sacramentum divinitus institutum ad delendum originale peccatum.

SUnt, qui negant circumcisionem primum a Deo institutam, atque ab Abrahamo originem habere suam, Sanchuniathon in Theologia Phœnicum apud Eusebium Præp. Evang. lib. 1. pag. edit. Vigeri 38. ait Saturnum omnium primum sibi, & commilitonibus suis pudenda circumcidisse. Herodotus lib. 2. cap. 36. & 104. & Diodorus Siculus lib. 1. pag. 17. tradunt circumcidendi ritum ab Ægyptiis primitus institutum, inde vero ad Colchos, Arabes, Judæosque derivatum. Idem arbitratus est Celsus, qui Origeni objecit circumcisionem Judæos mutuatos fuisse ab Ægyptiis, ut scribit idem Origenes lib. adversus Celsum primo pag. 17. edit. Cantabrig. Amplexatus est sententiam eamdem in Canone Chronico p. 73. Joannes Marshamus Anglus. Abrahamum primum omnium circumcisum fuisse communis opinio est; eamque adversus Herodotum propugnat cum ceteris Judæis Joseph Historicus lib. VIII. Antiq. cap. 10. num. 3. ac libro 1. contra Apionem num. 22. Origenes cit. loco, Eusebius Præp. Evang. lib. VII. pag. 309. Patres paullo post laudandi, Interpretes omnes Catholici, ac Protestantes. Singillatim vero de hoc argumento pertractant Salianus ad annum M. 2179. num. 8. & 2138. num. 20. Natalis Alex. dissert. 6. in 3. M. ætatem, Augustinus Calmet dissert. 1. pag. 17. Honoratus a S. Maria Tom. 2. lib. 3. dis. 3. & in Opere de Festis D. N. J. Christi edito eodem anno, quo ad summum Ecclesiæ regimen divinitus evectus est, Prosper Cardinalis Lambertini, nunc BENEDICTUS XIV. Addo Richardum Montacutium Originum Ecclesiasticarum P. prima n. 49. & 50. & Abrahamum Sculterum lib. 1. Exercit. Evangel. cap. 13. Problematice hac de re disputat Joannes Spencerus de legibus Hebræorum lib. 1. cap. 3. sect. 4.

E Schola Theologi nulla de Circumcisionis institutione, & origine permoti difficultate, ac supponentes primum mortalium omnium circumcisum Abrahamum jubente Domino, inquirunt an circumcisio instituta fuerit tamquam signum secernendi hebraicum populum a nationibus ceteris, num vero tamquam gratiæ symbolum, vel *Sacramentum* ad delendam maculam originarii reatus. Propugnant priorem sententiam, ac tenent circumcisionem nequaquam institutam ad peccatum originale delendum, Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in gen. cap. 17. Vasquez in disput. 184. cap. 3. & ne antiquiores recenseam, L'Herminier de Peccato Originali, & de Sacram. in gen. Tournely q. III. de Sacram. art. 3. Natalis Alex. in Hist. vet. Test. tom. 1. pag. 163. Angelus Maria Canali lib. 2. de Sacram. q. 1. Institutam tamen circumcisionem in remedium originalis peccati propugnat S. Thomas 3. p. q. 38. art. 3. ad 3. & q. 70. art. 4. & cum illustri discipulorum ejus caterva Gonet Tom. V. disp. 5. & Cardinalis Gotti q. 4. de effic. Sacrament. dub. 5. §. 3. Subscribunt huic sententiæ cum Scholæ suæ principe Mastrius disp. 1. q. 2. art. 3. Brancatus disp. 5. art. 1. Frassen disput. Proœm. q. 4. & cum nostri Ordinis universis Theologis, Estius in IV. dist. 1. §. 29. Du-Hamelius de Baptismo cap. ult. Juenin de Baptismo q. 1. & memoratus BENEDICTUS XIV. qui singulis opinionibus recitatis num. XII. doctrinam Sancti Thomæ tandem amplectitur. Tanta nihilominus sententiarum diversitas videtur potius spectare ad efficaciam gratiæ, quam ad institutionem, & necessitatem circumcisionis: nam qui negant fuisse circumcisionem institutam ad delendum peccatum, fatentur tamen fuisse *Sacramentum*, quatenus circumcisione ipsa, tamquam signo, filii Abraham protestabantur fidem suam in venturum Reparatorem, atque ita non vi circumcisionis, sed fidei justificabantur. Qui autem tenent circumcisionem fuisse originalis culpæ remedium, non eodem tramite incedunt, sed quidam contendunt contulisse gratiam *ex opere operato*, alii id negant. Quare nonnulli utramque sententiam ad concordiam revocare student, asserentes circumcisionem quidem ex se institutam non esse in peccati medelam, sed ad filios Abrahæ a gentibus exteris secernendos, parentes autem illam in parvulis adhibuisse, ut olim in statu legis naturæ signum quodlibet fidei protestativum; in quam sententiam descendit tandem Suaresius disp. V. sect. 1. in q. 61. tertiæ partis, & Cardinalis de Lugo disput. V. de Sacram. in gen. sect. 3. Nos ergo investigabimus hoc in loco, num revera Circumcisio in remedium originalis peccati sit instituta; an vero istud deleret suamet efficacia erit postmodum disquirendum.

PROPOSITIO I. Abrahamum omnium primum circumcisum, certa argumenta commonstrant.

Ac primum argumentum promitur ex Scripturis: nam Genes. XVII. 7. Deus Abrahamo circumcisionem præcepit in signum fœderis, dicens, *Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*. Circumcisio itaque signum erat a Deo institutum, quo in Abrahami semine divinum fœdus dignosceretur. Respondet autem Spencerus pag. 77. circumcisionem quidem, quatenus fœderis divini signum, a Deo habuisse principium; at non quatenus est stigma corporeum, medium fecunditatis, aut morbi antidotum. Sed facillime responsio hæc refutatur; cum enim signum fœderis secernat fœderatos ab aliis, ac sit signaculum religionis, quo in unum nomen plurimi coadunantur; si Deus pro signo fœderis instituisset *signaculum*, quod alii vel ad puritatis speciem, vel ad sanitatem ferebant in corpore, nec filii Abraham Deo fœderati visibili signo secreti fuissent a gentibus, neque religio in familia Abrahami persistens sensibili *Sacramento* ab idololatrarum cœtu fuisset distincta. Præterea idem Spencerus non aliam discriminis animalium ciborumque causam in veteri lege agnoscit, nisi remedium idololatriæ; quod pariter affirmat de Sacrorum victimis, certisque locis, atque temporibus, demonstrans, quomodo iis omnibus Dei populus a superstitione arceretur, diversas adhibens ceremonias, diversamque vitæ rationem. Videatur Spenceri de legibus Hebræorum ritualibus liber 1. cap. 5. & 6. Cur ergo pari ratione non existimet in obsignanda Abrahami progenie aliam tesseram a Deo institutam ab ea,

qua

qua etiam superstitiosi uterentur? Ad hæc idem Spencerus de Circumcisione sect. 6. contendit hanc plurimum valuisse ad idololatriam coercendam, cum Judæi etiam antiqui ad Gentilium partes transeuntes omni arte studerent præputia reducere, & abolere circumcisionis vestigia; nec matrimonia cum alienigenis inirent, quod nefas esset commisceri cum incircumcisis populum Dei hoc peculiari charactere signatum: atque id a prisca ætate, ut colligitur ex rebus gestis a filiis Jacob cum Sichimitis, de quibus legendum est caput tricesimumquartum Geneseos. Insuper non tantum Philisthiim in sacris litteris appellantur *incircumcisi*, ut visum Montacutio pag. 57., verum etiam ethnici ferme omnes: cum Exodi XII. præcipiatur circumcidendos servos emptitios, advenas, & mercenarios, nec non peregrinos omnes, qui in Hebræorum coloniam ad celebrandum Phase Domini transire vellent, quod præcepit Dominus, quando exierunt filii Israel de Ægypto: & Jeremias cap. IX. 26. ita loquatur, *Omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde*. Et quamquam nonnulli ethnici, ut innuit ibidem Propheta, ex Abrahami posteris derivati, & etiam Ægyptii, inter quos Hebræi diu commorati fuerant, præputium postea circumciderint, id nullatenus agere potuerunt ante Abrahamum, cui circumcisio præscripta fuit in signum, quo secerneretur a gentibus. Ad hæc cum jam Abraham cum Sara uxore sua, longe ante initum cum Deo fœdus, in Ægyptum descendisset, Genes. XII. 10. vero nequaquam est simile, accepisse in fœderis signum id, quod noverat a superstitiosissima gente usurpari. Insuper cum præcepisset Deus, ut circumciderentur Israelitæ nati in deserto, Josue v. 9. ait: *Hodie abstuli a vobis opprobrium Ægypti*. Circumcisione itaque præstitit Deus, ne ulterius haberentur tanquam Ægyptiorum mancipia, ne viderentur nati in domo servitutis, ne fœderis cum Abrahamo initi essent expertes; sed obliterata cum præcisione præputii Ægyptiacæ nationis macula dignoscerentur filii Abraham, & terræ promissionis hæredes: quod ob parentum suorum incredulitatem nondum fuerant consecuti. At circumcisio non fuisset filiorum Abrahæ signaculum, pristinæ captivitatis solutio, & ablatio opprobrii Ægyptiorum, si & hi, atque inter eos commorantes captivi circumcidissent præputia. Me non latet respondere Marshamum, dictum a Domino, *Abstuli opprobrium Ægypti a vobis*, quoniam tam Ægyptiis, quam Judæis opprobrio erant incircumcisi. Sed fallitur. Primo enim eo loci refertur Hebræos per quadraginta annos non fuisse circumcisos, *donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus antea juraverat, ut non ostenderet eis terram lacte, & melle manantem*. Per circumcisionem ergo probrum istud, idest, Ægyptiacæ servitutis tessera, ablatum est, signatis iterum filiis Abraham, & ab impiorum cœtu segregatis. Deinde phrasi hebraica, חֶרְפַּת מִצְרַיִם *opprobrium Ægypti*, significat id, quod, cum sit in consuetudine apud Ægyptios, ab Judæis usurpatum est illis nota probri atque dedecoris; ut constat ex libro Exodi VIII. 26. ubi pecudes, quas Ægyptii colunt tanquam numina, hebræi autem mactant & immolant, appellantur תּוֹעֲבַת מִצְרַיִם, *abominationes Ægyptiorum*. Præputium ergo dictum est *opprobrium Ægypti*, non quod incircumcisi Ægyptiis probro essent, sed quoniam esse incircumcisum, ut erant Ægyptii tunc temporis, opprobrium erat in filiis Israel. Vide Genesis XXXIV. 14.

Alterum argumentum petitur ex profanorum Scriptorum, ac Patrum auctoritate. Ac primo Josephus lib. VIII. Antiqu. cap. 10. num. 3. Herodotum refellit scribentem Phœnices, & Syros, qui sunt in Palæstina, didicisse ab Ægyptiis circumcisionem virilium, affirmatque tanquam rem omnibus compertam, nullos alios in Palæstina circumcidi, nisi Judæos: *Cæterum*, inquit, *constat quod nulli alii circumcidantur in Palæstina Syri, præterquam nos. Sed de his singuli ita loquantur, prout ipsis visum fuerit*. Libro autem primo cap. X. n. 5. ait, præcepisse Deum Abrahamo, ut pudenda circumcideret, *quod nollet genus ipsius cum aliis commisceri*. Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. edit. Sonnii 236. *Abraham*, inquit, *primus circumcisionem carnis accepit*. Origenes in I. contra Celsum p. 17. ait: *Post hæc circumcisionem pudendarum non reprehendens Celsus Judæis usitatam, ait eam mutuatos ab Ægyptiis, malens Ægyptiis credere, quam Mosi, qui refert primum mortalium circumcisum Abrahamum*. Joannes Chrysost. Hom. XXXIX. in Gen. pag. 566. scribit Abrahamum ejusque natos jubente Deo circumcisos, *ne gentibus se commiscerent in Ægypto, ut esset assignatus & sibi segregatus populus, ut Patriarchæ semen impermixtum maneret*. Idem affirmant Patres alii, inferius laudandi, ubi de caussis institutæ Circumcisionis disputabo. Si ergo apud Ægyptios extitisset circumcisionis consuetudo; quo pacto fuisset illa repagulum ne Israelitæ iisdem Ægyptiis commiscerentur? quomodo ipsius circumcisionis nota Dei populus permansisset segregatus a gentibus? qua ratione semen Abrahami servatum esset impermixtum? Futilis est responsio Spenceri pag. 78. non eo præcipue consilio institutam circumcisionem, ut filii Abraham segregarentur a gentibus, tunc enim distinctionis notam Judæi gestassent in fronte, aut in alia visibili parte corporis, non in ea, quam insitus pudor jubet esse velandam. Addit modum, tempus, & ritus latum discrimen inducere inter circumcisionem Judaicam, & Ægyptiam, scribente Origene non eamdem esse Judæis, quæ Colchis, aut Ægyptiis, circumcisionis caussam, ac proinde nec eamdem circumcisionem: *Propositum enim, & lex, & voluntas circumcisi facit, ut sit aliud negotium*. Ita contra Celsum lib 5. p. 263. At Spencerus absque labore ullo revincitur. Cur enim circumcisio facta fuerit in occulta corporis parte, ostendit Doctor præstantissimus Augustinus serm. 160. num. 6. dicens: *Signum veteris Testamenti circumcisio in latenti carne. Signum novi Testamenti crux in libera fronte. Ibi enim occultatio est, hic revelatio: illud est sub velamine, hoc in facie*: & lib. XXV. adversus Faustum, cap. 2. *Isti autem*, (Abrahamo) *signum in parte corporis congrua divinitus datum, quo carnis exspoliatio figurata est*. Quod vero ex Origene Spencerus affert, non alio auctore, quam Spencero ipso, retundam. Demonstravit enim sect. 2. præcedenti, circumcisionem non solum fuisse *signum distinctivum*, quo populus Israel discerneretur a reliquis mundi gentibus, verum etiam *signum religionis initiativum*, quo homines Judaicæ stirpis profitebantur se unius summi Numinis cultui, non gentium superstitionibus, esse devotos. Ubi ergo ait Origenes Colchorum, aut Ægyptiorum circumcisionem ea proposito, lege, & voluntate circumcisi discrepare a Judaica, spectat circumcisionem, ut signum religionis initiativum; non ut distinctivum Judaici populi, sive, ut idem Origenes inquit, *circumcisorum dogmata*, non impressum in pudendis *signaculum*: exemplumque profert similis sacrificii, quod non eidem a diversæ religionis sacrificantibus immolatur, & nominis *justitiæ*, quod aliam apud Epicurum rationem habet, aliam apud Stoicos, aliam apud Platonicos. Igitur si Spencerus fatetur circumcisionem Judaicam inter filios Abraham, & Ægyptios posuisse discrimen, non tantum religionis, & dogmatis, quantum nationis ac seminis; concedat necessum est, Ægyptios olim non habuisse in carne *signaculum* Judæorum, quemadmodum in religione non profitebantur illorum *dogmata*. Accedit quod Origenes ibidem ait fortasse Colchos, & Ægyptios juxta Hebræorum consuetudinem postea circumcisos, *propter aliquem infestum Judæorum genti angelum, qui posset non circumcisos lædere, circumcisos non item: quod colligi potest ex libro Exodi, ubi angelus ante circumcisionem Eliezari contra Mosem valuit: quo circumcisa irrita facta est illius potentia*.

Argumentum tertium erit demonstratio erroris, in quem Herodotus, & Diodorus Siculus impegerunt: nam horum testimonio innititur Joan. Marshamus. Herodotus itaque lib. 2. cap. 36. pag. 103. scribit: *Virilia alii talia relinquunt qualia natura sunt, præter eos qui ab istis didicerunt: Ægyptii circumcidunt*. Et cap. 104. pag. 127. *Soli omnium hominum Colchi & Ægyptii, & Æthiopes ab initio statim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices & Syrii, qui sunt in Palæstina, didicisse id ab Ægyptiis & ipsi confitentur*. Diodorus vero lib. I. pag. 17. de Colchis, Syrisque ait, *per antiquam traditionem in usu his gentibus esse, ut pueros apud se natos ritu ab Ægyptiis derivato circumcidant*. Verum facillime revincuntur falsitatis. Primo namque æquum est, ut Mosi magis, quam Herodoto fidem præbeamus, cum his floruerit temporibus Darii Hystaspidis, & Xersis circa annum mundi 3500. jam nato Thucydide, qui illum in Olympiis historias suas recitantem audiens fertur lacrymas profudisse. Deinde Artapanus apud Eusebium lib. IX. Præp. Evang. cap. 27. pag. 433. testatur *Æthiopes, tametsi hostes, tam propensa tamen in Moysem animo fuisse, ut ipsius quoque Circumcisionis ab eo ritum acciperent*: ideoque nec ab initio circumcisi sunt, neque id moris accepere ab Ægyptiis, ut Herodotus comminiscitur. Præterea non caret probabilitate, Ægyptiorum complures circumcidisse pudenda, non antiquo gentis instituto, sed timore angeli, quem incircumcisis audierant infestum, prout ex Origene paullo supra laudato conjiciunt præclari viri Natalis Alexander, & Calmet. Ad hæc Diodorus ait accepisse Circumcisionem ab Ægyptiis etiam Troglodytas, lib. III. pag. 115. quo loco utitur quoque Marshamus, ut originem Circumcisionis vindicet Ægyptiis. Atqui Troglodytæ non aliunde circumcidendi ritum habuere, quam a nepotibus Abrahæ: cum enim ipse Diodorus ibidem scribat Troglodytas esse, *quos Græci Nomades vocant*, Arabes scilicet, & incolentes Maris rubri vicinias; quemadmodum Marshamus negare non audebit in Troglodytarum, Arabumque regiones a filiis, ac nepotibus Abrahami deductas fuisse colonias; ita fateri debet non ab Ægyptiis, sed a posteris Abrahami Traglodytas, Arabes, ceterasque nationes circumcisionem accepisse. Atque id ex eo confirmatur, quod Arabes non octavo die pueros circumcidunt, sed tertio decimo ætatis anno: *nam Ismaelus princeps eorum gentis, Abramo e concubina natus, ea ætate est circumcisus*, inquit Joseph Flavius lib. I. antiq. cap. XII. num. 2. & Origenes cap. 23. Philocaliæ pag. 77. cohærenter ad Gen. XXII. 25. Insuper Philisthiim incircumcisos fuisse constat ex Judicum XIV. 3. & ex I. Regum XIV. 6. Originem autem Philisthiim trahunt e Chasluim filiis Mizraim,

rhim, ideoque ex Ægyptiis, ex Genes. x. 4. Si ergo Ægyptii antiquitus circumcidebantur, cur non circumcisi Philisthiim, et Chasluim trahentes genus suum? Mitto quod Bochartus lib. iv. *Phaleg*, & Natalis Alex. asserunt Chasluim esse Colchos; ex quo sequeretur in hoc quoque mentiri Herodotum & Diodorum, quod scripserint Colchos ab initio, & antiqua traditione circumcisos: de origine enim Colchorum non idem sentiunt eruditi omnes. Insuper apud Ægyptios non universi sese stata lege subjecere circumcisioni, sed Sacerdotes duntaxat: alii vero tam viri, quam mulieres nonnisi pro libito, & causa abscindendæ cutis turpiter excrescentis, annis quoque pubertatis exactis, & juxta Ambrosium lib. 2. de Abraham, cap. xi. num. 78., anno quartodecimo ætatis suæ. Refert enim S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. edit. Morelli 302. Pythagoram iccirco fuisse circumcisum, *ut adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret Philosophiam*; unde apparet apud Ægyptios præscripto legis circumcisos solum initiandos, & sacrorum ritibus imbuendos. Hinc ortam consuetudinem illam, quod scirent Deum familiarius, quam nationibus reliquis, sapientiam suam patefacere circumcisis, ut viderant, aut a majoribus acceperant, contigisse in Abrahamo, Moyse, & Joseph, probat ex Origene in Epistolam ad Romanos, in Conjectaneis de Dodone cap. 6. Triglandius. Ad hæc S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 2. inter causas institutæ circumcisionis affert *sugillationem sacrorum Veneris & Priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur*. Et quidem ipse Diodorus Siculus lib. 1. pag. 12. scribit a Typhone in 26. frusta Osiride dilaniato, Isidem, cum non posset pudenda illius invenire, effictam virilium Osiridis effigiem in templis adorandam locasse, unde ad Græcos primum, deinde ad gentes alias, Phallorum, Orgiorumque sacra turpissima pervenerunt. In carne ergo præputii mutilanda admonuit Deus detestandam impurissimam Ægyptiorum superstitionem, præcisis in Dei populo iis corporis membris, quæ Ægyptii in memoriam Osiridis venerabantur, & quæ idolorum Mystæ in suis initiationibus præcidebant. Coluerunt quoque Ægyptii Cynocephalum, sive animal *Canicipite*, de quo S. Pater Augustinus lib. 2. de Civit. Dei cap. 14. & lib. vi. cap. 12. & Tertull. Apolog. cap. 6. quod cum fuerit Osiridis simulacrum, commenti sunt quidam esse animal, quod prodit ex materno utero circumcisum; ideoque Sacerdotes Ægyptii ad honestatem quamdam, & similitudinem profani numinis affectandam, veretra sibi circumcidere. Cum igitur soli sacris mysteriis initiati apud Ægyptios circumcisione uterentur, mares reliqui, ac feminæ neque omnes, neque cogente lege, neque die post nativitatem octava, decepti sunt Herodotus, & Diodorus, qui asseruerunt Judæos, ceterosque Palæstinos, pueros apud se natos circumcidere, *ritu ab Ægyptiis derivato*.

Postremum argumentum sit, quod licet post Abrahami tempora gentes plurimæ adhibuerint circumcisionem, et colligitur ex Jeremiæ ix. 26. eæ tantum ab initio præputia secuerunt, quæ ex Abrahamo per Ismaelem, & Ceturæ filios derivarunt, ut Idumæi, ita dicti ab Esavo, quem etiam Edom appellarunt, vel *rufum*, & eorum pars Homoritæ, quos circumcisos scribit h. xxx. 30. Epiphanius: Ismaelitæ ab Ismaele filio Agar, atque posterioribus temporibus illinc exorti Turcæ, & Saraceni, de quibus produximus illustrem locum Josephi: Æthiopes, & Afrorum permulti, quos e Cethuræ filiis progenitos probant Alexandri Polystoris testimonio Josephus lib. 1. Antiq. cap. 16. nunc 15. pag. 44. & Eusebius Præp. Evang. lib. ix. cap. 20. pag. 422. Colchi etiam, (si damus Herodoto ab initio circumcisos) sunt ex decem tribubus, quas transtulit Salmanasar, ut Grotius ait in Annot. ad lib. 1. de Verit. Rel. Christ. num. 68. & si cum Bocharto asserantur Chasluim, et Philisthiim, dictum supra non circumcisos. Æthiopes ex Cethuræ posteris natos evincit Groties ibid. num. 75. Quotquot ergo mortalium recepere circumcisionem, vel sunt ex Abrahami posteritate, vel ab hac edocti leges, & instituta, pro libidine tamen & veritate religionum a prisco ritu immutata. Ægyptiis circumcisionem tradidisse Æthiopes, ipse Herodotus in Euterpe cap. 104. pag. 127. negare non audet, sed ait: *Ægyptii vero atque Æthiopes, non queo dicere utri ab utris didicerint*. At in Ægypto commoratos olim patriarchas, quod Herodotus ignoravit, satis constat. Moysi Ægyptios referre acceptas artes complures, ipsiusque philosophiæ inventionem, atque illum dicere Orphei magistrum, divinumque Mercurium, tradit ex Artapano lib. ix. Præp. cap. 27. pag. 422. eruditissimus Cæsariensis. Si apud Americanos, & novi orbis incolas circumcisio, ut ferunt, inolevit; illuc potuisse appellere Abrahami posteros, diximus disputantes adversus Præadamitas lib. xii. cap. 1. Eo quoque protectas naves Salomonis haud improbabiliter scribit in Tabulis sacris Geographicis Augustinensis Lubinus, affirmans regionem Tharsis, de qua legimus in Ps. xlvii. 8. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, esse regnum Peruvianum; in quo & magna invenitur auri, argentique copia, quam fuisse in *Tharsi* ait Jeremias x. 9. & furunt certis annorum spatiis venti adeo vehementes, ut naves etiam in portubus conterant ac disperdant. Circumcisionem itaque adhibuit primus omnium Abrahamus, eamque ab ejus posteris acceperunt gentes reliquæ; quamvis illam non religionis caussa, neque urgente præcepto usurpaverint, sed vel ad evitandum morbi genus, quod ἄνθρακα, aut *carbunculum* vocitant, & quod excruciat solos incircumcisos; vel ad profanam quamdam sacerdotum initiationem, vel ob fecunditatem, corpoream que munditiem; cum apud Judæos universos tanta religione servata sit, ut illos ad contemptum Gentes semper *Verpos*, *Apellasque* appellarint, & ipsi vicissim homines ceteros, *incircumcisos*. Postremo adeo Judæorum propria est circumcisio, ut veterum Imperatorum legibus eis tantum fuerit permissa, interdicta autem ceteris omnibus, etiam Samaritanis, ut 2. lib. contra Celsum pag. 68. scribit Origenes, confirmatque ex Modestino J. Consulto in suis ad Epiphanium animadversionibus pag. 400. vir literatissimus Dionysius Petavius. Atque hæc adversus Marshamum de origine Circumcisionis; quam a Deo præscriptam Abrahamo narrat historia Geneseos, & apud Eusebium lib. ix. Præp. Evang. cap. 22. pag. 428. Theodotus poeta Phœnicius hisce versibus a Vigero latine redditis:

Qui magnum patriis Abrahamum eduxit ab oris,
Cælitus hunc tota jussit cum stirpe recurvo
Glande sub extrema, præputia demere ferro:
Paruit, atque Dei verbis immotus inhæsit.

PROPOSITIO II. Negari non potest, quin circumcisio fuerit data in signum distinctivum seminis Abrahæ e reliquis mundi gentibus.

Id & profani Scriptores, & Ecclesiastici Patres unanimi consensu asserunt. Josephus lib. 1. Antiq. cap. x. num. 5. *Præcepit*, inquit, Deus Abramo, *quod nollet genus ipsius cum aliis commisceri, ut pudenda circumciderent, idque octavo die a nativitate*. Tacitus lib. v. Histor. paullo post initium de Judæis scribit: *Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur*. Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 234. ait: *Nam circumcisio, quam ab Abrahamo accepistis secundum carnem, in signum notamque data est, ut sitis ab aliis gentibus, & a nobis discreti. Non enim alia nota est, per quam præ ceteris mortalibus agnoscimini, quam ista in carne vestra circumcisio*. Irenæus lib. iii. adv. Hæres. cap. 12. num. 11. pag. 198. inquit, *Semen Abrahæ servatum manifeste per circumcisionem*: & lib. iv. cap. 16. num. 1. pag. 246. *Quoniam autem & circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ, ex ipsa scriptura discimus*. Tertullianus in 3. contra Judæos ad hunc modum de Abrahamo loquitur: *Acceperat enim circumcisionem, sed qua esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativam*. Joannes Chrysostomus Hom. xxiv. in Gen. pag. 566. de causa institutæ Circumcisionis ait: *Hoc injunxit, non alterius cujuspiam gratia, quam ut esset assignatus, sibique segregatus populus*: & infra, *Vide sapientiam Domini, quomodo cum sciret imperfectas, & parvas eorum mentes futuras, signum circumcisionis quasi frænum quoddam imposuit, ad indomitos eorum impetus cohibendos*. Addit Chrysostomus, *ut sua gente contenti essent, & patriarchæ semen impermixtum maneret, ut sic & promissa in eis compleri possent*. Ambrosius Epist. 74. num. 4. pag. 1081. Tom. 2. & lib. ii. de Abraham cap. xi. num. 70. Tom. 1. pag. 347. appellat Circumcisionem *signum carnis sensibile*. Hieronymus lib. 1. in Epist. ad Galatas, pag. 252. Tom. iv. ita eloquenter, ac more suo, *Quia enim ex semine ejus erat Christus oriundus, in quo universarum gentium fuerat benedictio repromissa; & ab Abraham usque ad Christum multa erant secula transitura, providens Deus ne soboles dilecti Abrahæ ceteris nationibus miscerentur, & paullatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit: ut viventes inter Ægyptios, inter Assyrios, Babylonios, atque Chaldæos, hoc signaculo distinguerentur*.

Collegimus accurate hæc testimonia, quoniam ex his Scholasticorum plures putant evidentissime demonstrari, circumcisionem in signum distinctivum seminis, non ad delendum originale peccatum fuisse institutam. Cujus sane consecutionis vim non percipio; cum enim Sacramenta, quæ gratiam aut significant, aut conferunt, sint etiam signacula religionis, & Ecclesiam ab infidelium cœtu sejungant; quid prohibet, ne asseramus idem signum sensibile segregasse ab idololatris progeniem Abrahami Deo vero devotam, ac simul gratiam aut suamet efficacia, aut virtute fidei, notatis ipso visibili signo contulisse? Quare S. Thomas cit. art. 5. q. cii. 1. 2. scribens Abrahamum accepisse circumcisionem, quoniam omnium primus exiens de domo sua *se ab infidelibus separavit*, docet, etiam institutam ad concupiscentiam frenandam, & in signum ablationis culpæ & pœnæ, *quæ in nos per carnalem originem ex peccato primi parentis derivat*. Atque hæc est Augustini sententia post eam, quæ modo consequitur, propositionem, ad trutinam revocanda.

PROPOSITIO III. Allucinantur, qui censent circumcisionem duntaxat ad secernendum semen Abrahæ ab aliis gentibus fuisse institutam.

Enimvero negari in primis non potest, quin circumcisio fuerit *signum* commemorativum *fœderis* initi Deum inter, ac semen Abrahæ, *& signaculum justitiæ fidei, quam habuit in præputio;* cujus fidei gratia, *credens in spem, contra spem*, futurus erat pater multarum gentium, effœta quamvis ætate, & vetulæ uxoris maritus; ideoque circumcisam progeniem Abrahæ ad hanc fidem excitandam, ad se devovendam cultui supremi Numinis, & ad promerendam paternam benedictionem. Sat est ad hoc percipiendum, in cap. XVII. Genesis, & in IV. Paulinæ ad Romanos Epistolæ oculos conjicere. Hinc per circumcisionem ita in unum populum Israelitæ coalescebant, ut simul religioni se manciparent, ac fidem protestarentur, eratque proinde præputii mutilatio non tam signum politicum, quam religiosum. Hinc Joseph Flavius in vita sua Tom. 2. numer. 23. pag. 11. narrat, cum Judæi vellent per vim Trachonitas quosdam circumcidere, id se noluisse *quod hominem quemque oportet ex animi sui voluntate Deum colere*. Erat ergo circumcisio signaculum commemorativum fœderis, protestativum fidei, initiativum religionis. In hoc vero nulla esse potest, ut arbitror, difficultas.

Præterea circumcisio erat signum commonens, ut carnis voluptates fugeret, idcirco in illa parte corporis impressum, quæ vehementius titillat, ut inquiunt citatis in locis Augustinus, & Thomas. Vidit id etiam Judæorum disertissimus Philo scribens de Circumcisione pag. edit. Antuerp. 547. inter alias marem circumcidendi causas esse *excisionem voluptatum, quæ mentem fascinant. Quoniam inter omnium voluptatum illecebras principatum tenet viri congressus cum muliere, instrumentum ejus legislatores mutilari jusserunt, innuendo resecandas voluptates superfluas, non unius tantum hujus generis, sed omnes per unam subindicantes*. Hinc est, quod consueta divinarum Scripturarum phrasi, *circumcisio* dicitur etiam turpium voluptatum cohibitio, Deut. c. 16. xxx. 6. Jerem. IV. 4. ad Rom. II. 29. Videatur Cyprianus lib. 1. Testimon. adversus Judæos cap. VIII. pag. 536. Recte itaque Augustinus Tract. xxx. in Joan. num. 5. *Significat ergo ista circumcisio exspoliationem a corde cupiditatum carnalium. Non ergo sine causa data est, & in eo membro jussa fieri: quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium*. Similia docet S. Pater lib. II. de Nupt. & Conc. cap. XI. num. 24. & lib. XVI. contra Faustum cap. 29.

Ad hæc circumcisionem fuisse signum baptismatis, regenerationis, & etiam immortalitatis prænuntiativum, non uno in loco demonstrat sapientissimus Augustinus. Nam adversus Julianum lib. VI. cap. 7. num. 18. id asserit, & ex verbis Pauli ad Colossenses II. 10. ita commonstrat: *Sacramentum circumcisionis in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris literis eruditus ignoret; cum apertissime de Christo dicat Apostolus, Qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo etiam circumcisi estis circumcisione non manufacta, in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis, & vos cum essetis mortui in delictis, & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo, donans nobis omnia delicta? Hujus ergo circumcisionis non manufactæ, quæ nunc fit in Christo, similitudo præmissa est illa circumcisio manufacta, quæ data est Abrahæ*. Brevi lib. 2. de Anima, & ejus origine cap. XI. num. 15. *Circumcisio quippe fuit illius temporis sacramentum, quod præfigurabat nostri temporis baptismum*. Sententiam hanc non esse Augustini peculiarem, sed Patribus communem, facili ratione demonstrabo. Justinus enim pag. 260. cum Tryphone disputans inquit; *Porro præceptum circumcisionis octava die omnino circumcidere jubens infantes natos, nota erat veræ circumcisionis, qua circumcisi sumus ab errore & pravitate, per eum qui a mortuis resurrexit una sabbatorum die Jesum Christum Dominum nostrum*. Auctor Quæst. ad Orthodoxos inter Justini opera pag. 458. q. 102. *Circumcidimur*, inquit: *& nos circumcisione Christi per baptismum, exuentes Adamum, per quem peccatores facti mortui eramus, & induentes Christum, per quem justificati resurreximus a mortuis. In quo, ait Apostolus, circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus vestrum*. Irenæus lib. IV. adversus hæres. cap. 16. alias 30. numer. 1. ait; *In signo ergo data sunt hæc: non autem sine symbolo erant signa, idest, sine argumento, neque otiosa, tanquam quæ a sapiente artifice darentur; sed secundum carnem circumcisio circumcisionem significabat spiritalem. Etenim nos, ait Apostolus, circumcisi sumus circumcisione non manufacta*. Auctor opusculi de Sabbato & Circumcis. quod circumfertur sub Athanasii nomine, 2. p. Tom. 2. pag. 58. ait: *Ideo enim octavo die circumcidi lex jussit, & mandatum erat nunquam violandum, quo significabatur post septimam diem omnium fore regenerationem. Nihil enim aliud circumcisio indicabat, quam nostram nos exuere nativitatem*: & productis Apostoli verbis ad Colos. addit; *Nam exspoliationis per baptismum figura erat circumcisio, quam in illis membris fieri præcepit, quibus corpus generatur; ut qui circumcidebantur, adverterent illud esse exuendæ vetustatis signum. Abraham enim cum credidisset, accepit circumcisionem, quæ signum erat regenerationis per baptismum*. Cyprianus Martyr Epist. 59. ad Fidum pag. 212. *Nam quod in carnali circumcisione*, inquit, *octavus dies observabatur, sacramentum est in umbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate completum. Nam quia octavus dies, idest, post sabbatum primus dies, futurus erat quo Dominus resurgeret, & nos vivificaret, & circumcisionem nobis spiritalem daret, hic dies octavus, idest, post sabbatum primus & Dominicus præcessit in imagine*. Loquitur eodem prorsus modo Auctor de Cardinalib. operibus Christi in Appendice Operum Cypriani pag. 75. Ambrosius denique lib. 2. de Abraham cap. XI. numer. 79. scribit, in circumcisis *altiori interpretatione illud pandi, quod si mens purgata circumcisa sit, exuta superfluis voluptatibus & cogitationibus restringit animam ad sui testimonium, purisque sensibus infusam bonorum facit partuum generatricem;* mox proximo numer. 79. *Octavo autem die*, inquit, *circumcidi puerum lex jubet: mystico utique præcepto, quia ipse est resurrectionis dies;* paucisque interjectis caussam reddens, cur non cum Abrahamo circumcidendi forent vernaculi, emptitii, & alienigenæ, inquit: *Et domesticus, & alienigena, & justus, & peccator circumcidatur remissione peccatorum, ut peccatum non operetur amplius, quia nemo adscendit in regnum cælorum, nisi per Sacramentum baptismatis*.

Atque ex his propositio perspicue demonstratur. Non est enim signum duntaxat unius populi distinctivum, quod signum est fœderis cum Deo initi, quod monet sensuum illecebras comprimendas, quod baptismi regenerationem, Christi gratiam, & spiritus nativitatem prænuntiat. Id vero convenire Circumcisioni Ecclesiæ Patres disertissime affirmant. Circumcisio itaque non fuit signum tantum hebraici populi distinctivum. Hinc colliges, ex Patrum antiquorum sententia circumcisionem posse duplici modo considerari: primo, quatenus est signaculum in carne impressum, & hoc pacto est tessera seminis Abrahæ, seu signum populi distinctivum; secundo, quatenus est symbolum regenerationis, atque hoc sensu est veteris legis sacramentum: unde meridiana luce perspicuum est, Scholasticos, qui testimoniis Patrum præcedenti propositione productis conantur probare Circumcisionem institutam non esse ad delendum peccatum, & maximum Ecclesiæ doctorem Augustinum antiquioribus adversari, Patrum sensa non fuisse assecutos, in signo carnali religionis signaculum & gratiæ symbolum non advertisse, & commentos summam Augustini ab aliis Patribus, ubi nulla prorsus est, discrepantiam. Sed ad reliqua procedendum.

PROPOSITIO IV. Sententia affirmans circumcisionem fuisse institutam ad peccatum originale delendum, non est ab Augustino primum excogitata.

Addo theorema istud contra eos, qui argumentum Augustini probantis peccatum originale ex textu Genes. XVII. 14. *Masculus, cujus præputii caro, &c.* autumant nihil penitus habere roboris, quod juxta universorum Patrum traditionem circumcisio non fuerit instituta ad delendum peccatum, & Augustinus a communi sententia recesserit; quam opinionem ex recentioribus adoptarunt Nicolaus L'Herminier Tom. VI. pag. 29. & Tournely de Sacram. in gen. pag. 98. Quamquam si occasione exortæ hæresis Pelagianæ Augustinus omnium primus in Scripturæ textu ad hæreticos refellendos vim deprehendisset, cujus alii ex hæresi nondum exorta non meminissent; id quidem cederet in præclarissimi Doctoris laudem, nec sententiam novam induceret, sed antiquam pluribus adhuc ignotam promeret, & explicaret; quemadmodum novum non est dogma de originalis peccati existentia, & de gratia Reparatoris, tametsi Patres ante Augustinum nulla tali quæstione pulsari non tanta perspicuitate dogma ipsum tradiderint. Atque id Augustinus ipse respondit traducentibus, ut novam, suam de Prædest. Sententiam, de Præd. SS. cap. XIV. un. 27. & Juliano adversus originalis culpæ transfusionem opponenti quædam verba Chrysostomi, libro 1. contra eumdem Julianum cap. VI. num. 22.

Itaque circumcisionem institutam in remedium peccati, novit etiam Judæorum Synagoga. Moses enim Maimonides, in more Nevochim P. 3. cap. 49. Interprete Jo. Buxtorfio, enumeratis Circumcisionis causis aliis, ait præcipuam ac primam fuisse, ut circumcisi *per fidem in unitatem Dei* participes fierent fœderis Abrahæ, atque Deus illos in veram religionem suscipiens, prioris nativitatis defectus abjiceret. In Thalmud Tract. Sanhedrin cap. II. interprete Josepho de Voisin Burdigalensi, lib. de Lege divina cap. 6. legitur: *Quæritur, quando infans particeps esse possit futuri sæculi? R. Nachman filius Isaac respondet, statim ac circumcisus est*. In Zoar ad Gen. XVII. 13. *Et erit fœdus meum in carne vestra*, legitur: *Traditio est, quando filius hominis signatur hoc charactere sancto, tunc eum fieri dignum visione Dei*. In Tzeror hammor, sect. Bereschit, habetur consuetum Hebræis in circumcisione apponere vas cum pulvere, ut in eo recondant præputium, quod præciditur, *Ad significandum serpentem, idest Dæmonem impulisse hominem ad peccandum, & in causa fuisse cur moreretur, & in pulverem reverteretur*. Vide præcitatum Voisinum c. 7. pag. 49. Rabbinorum itaque testimonia, & ipse

ipse peragendæ circumcisionis ritus evincunt persuasum esse Judæis aboleri cum præputio vetustatem carnalis generationis.

At veniamus ad Patres. Firmissima horum sententia est, illorum etiam, qui Augustini tempora præcessere, institutam circumcisionem in signum abolitionis carnis peccati, & regenerationis per Christum. Demonstratum id est præcedenti assertione. Quid ergo juxta antiquos Patres in circumcisione desideratur, ut sit *Sacramentum* institutum ad abolitionem peccati? Adest divina institutio: adest ratio signi: adest renovationis, & gratiæ symbolum. Hoc unum reponere possunt adversarii, *Sacramentum* istud gratiam præsignasse, non contulisse, seu fuisse natura sua elementum egenum, e sola fide Christi, non vi sua justificationem impertiens. Verum hoc interim concesso (de circumcisionis quippe efficacia agendum est postmodum) non consequitur circumcisionem minime fuisse institutam in remedium peccati. Major siquidem Theologorum pars, & ipsemet Tournelius q. 2. art. 3. concl. 1. propugnat in lege naturæ extitisse adversus peccatum originale remedium, quamvis non absque fide venturi Messiæ noxam culpæ expiaret; ac docet Patres, ubi fidei tribuunt pro eo statu justitiam, nequaquam excludere signum *Sacramenti* sensibile. Eadem ergo ratione, quamvis circumcisio regenerationem, quam juxta veteres præsignabat, non effecisset, sed hæc opus fuisset solius fidei signo visibili circumcisionis manifestatæ, esset nihilominus originalis peccati remedium. Quod si audiatur S. Thomas docens 3. p. quæst. 60. art. 5. determinanda fuisse signa, & *Sacramentorum* elementa post coadunatum Dei populum, & facta Messiæ promissione, *ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur*; nemo jure negabit, quin segregata familia Abrahæ in cultum summi Dei, percusso fœdere, ejusque semini promisso Reparatore, determinatum non fit, & vel scripto, vel traditione manifestatum remedium illud, & *Sacramentum* justificationis, quod, ut Augustinus ait, *superioribus temporibus omnimodo latuit*. Nullum vero, (nisi sit circumcisio,) post segregatum Abrahæ semen, expressum ac determinatum remedium pro parvulis potest excogitari.

Ut ad Patres revertatur oratio, S. Basilius hom. XIII. pag. edit. Morelli 477. circumcisionem baptismati comparans inquit: *Circumcisionem Judæus minime differt ob comminationem; quoniam omnis anima, quæ die octava non circumciditur, e populo suo exterminabitur: at tu circumcisionem non manufactam, quæ per baptismum in depositione carnis perficitur, differre quæris? Ipsum audisti Dominum: Amen dico vobis, nisi quis renatus*, &c. Quo testimonio producto sub Chrysostomi nomine lib. 2. adversus Jul. cap. 6. num. 18. ita S. P. Augustinus prosequitur: *Cernis quemadmodum circumcisionem circumcisioni, comminationem comminationi vir Ecclesiastica doctrina præditus comparavit? Quod ergo est octavo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari; & quod est perire de populo suo, hoc est non intrare in regnum cœlorum.* S. Ambrosius lib. 2. in Lucam num. 56. *Vides*, inquit, *omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri. Nam & circumcisio purgationem significat delictorum*: & lib. 2. de Abraham cap. XI. num. 81. *Egregie autem infantiæ in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos; quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum. Et insons revocandus a peccato est, ne idololatriæ polluatur contagio, & ne adorare adsuescat idolum, & exosculari simulacrum, parentis violare nidum, pietatem lædere. Simul ne quisquam inflетur, quod sibi justus videatur, ætatis maturioris processu Abraham circumcidi jubetur. Nec senex ergo proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramento idonea.* Isychius denique Jerosolymitanus, quem floruisse ajunt imperantibus Arcadio & Honorio, lib. 3. in Levit. pag. 246. scribit: *Ergo hic est modus, propter quem infantem octavo die jubet circumcidi. Incircumcisum autem perire de populo suo ostendit, quia ante circumcisionem abominabilem habet carnem & immundam. Mundatur autem per circumcisionem, quæ imaginem gerit resurrectionis mortuorum.* Profecto Isychius per immunditiam carnis intelligit peccatum originale, quod carnali propagatione contrahitur, statim enim quærit, cur cap. XII. Levit. 2. mulier, non puerulus, vocetur immunda; & respondit, *Quia inobedientiæ causa Eva seducta extitit, transgressio autem, sive inobedientia immunditiam nobis, sordemque contraxit, ideo hoc legislator in mulierem convertit.*

Hactenus dicta hanc nobis argumentationem suppeditant. Augustinus non est illius sententiæ primus auctor, quam etiam Synagoga tenet ex Majorum traditione, & quam Patres Augustino antiquiores docuerunt. Quod circumcisio instituta sit in remedium originalis peccati, arbitratur ex vetusta traditione Judæorum Synagoga, & docuerunt antiqui Patres. Ejusdem ergo sententiæ Augustinus non est adinventor, & auctor.

PROPOSITIO V. Quod Circumcisio sit a Deo instituta ad delendum originale peccatum est expressa sententia Augustini, valide sacris literis confirmata, & recepta a posterioribus Patribus, & Scholasticis illustrioribus.

Hanc esse S. P. Augustini opinionem, firmissimamque sententiam, extra controversiam positum est. Scribit namque S. P. Epist. 57. ad Dardanum, nunc 187. cap. XI. num. 34. *Circumcisio antiquis sanctis pro baptismo fuisse creditur.* Lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 72. nu. 162. *Certe antiquus populus Dei circumcisionem pro baptismo habebat.* Libro tertio contra Julianum, cap. 18. num. 34. *Sed ad hoc responde, si potes, cur ipse Isaac nisi baptismatis Christi signo circumcisus fuisset, periisset anima ejus de populo suo?* Infra: *Quid meruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi circumcisio subveniret?* Et lib. VI. cap. 7. num. 19. de originali vitio, inquit, *Quod nisi esset in semine, ad parvulos, quibus circumcisione illo corporis auferendum esset, nullatenus perveniret.* Plura alia subjiciam infra. Interim hæc Augustini mentem satis patefaciunt.

Innixam esse hanc sententiam sacris litteris, sic demonstro. Genes. XVII. 14. legitur, *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Quorum verborum sensus est, Qui circumcisus non fuerit, perditionem nequaquam evadet, quoniam reus est transgressionis Adæ, *in quo omnes peccaverunt*, neque in eo observatum est *pactum* Circumcisionis institutæ ad illius transgressionis abolitionem; quemadmodum illorum verborum, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, sensus est, Qui non susceperit baptismum institutum in originalis culpæ remedium, evadere non poterit damnationem. Sicut ergo baptismus, ita circumcisio (salva utriusque *Sacramenti* discrepantia) in originalis reatus medelam fuit instituta. Utitur hac argumentatione Augustinus adversus Pelagianos lib. 2. de Nuptiis, & Concupisc. cap. XI. num. 24. scribens: *Sed ipse jam dicat, quare interiret anima ejus de genere suo, si circumcisus die non esset octava quid ipse peccasset, quid offendisset Deum, ut de aliena in se negligentia tam severe puniretur, si nullum esset originale peccatum? De circumcidendis enim Deus sic mandavit insontibus: Masculus*, &c. *Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ita ad significationem purgationis valebat & in parvulis originalis veterisque peccati, sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus.* Vide eumdem Augustinum de Peccato Originali cap. 30. num. 35. de Civit. Dei lib. XVI. cap. 27. lib. 2. Operis imperf. cap. 201. & quæ nos diximus lib. XIII. cap. 1.

Quamvis loco mox laudato Augustini interpretationem vindicaverim ab adversariorum objectis; non abs re tamen erit, si eadem hoc loco iterum retundam. Inquiunt ergo primo, Augustinum in eam sententiam ductum, quod citato in loco Geneseos legerit *octavo die*, ex Versione lxx. Interpretum, ex quibus consequi existimavit comminationem illam spectare ad parvulos, cum revera pertineat ad adultos duntaxat, qui circumcisionem negligendo irritum faciunt *pactum* initum cum Abrahamo. Ita Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. XVII. pag. postremæ edit. 80. Tournely de Sacr. pag. 306. Nat. Alex. Tom. 1. pag. 113. & præter oppositæ sententiæ omnes, etiam Augustinianus Coquæus (si hoc in loco Augustinianus dicendus est) Comment. in cap. 27. libri XVI. de Civit. Dei pag. 1041.

Verum nil facilius, quam illam responsionem explodere. Do enim Bellarmino, aliisque τὸ *octavo die* desiderari in Hebraicis Codicibus, in Chaldæa paraphrasi, in Vulgata Latina Versione, addantque, si lubet, Arabicam, & Syriacam. Ergone in Versionem lxx. Interpretum voculæ illæ duæ per errorem irrepserunt? Nequaquam. Nullus enim Græcus codex proferri potest, qui illis careat, nec emendatissimus jussu Sixti V. Romæ editus anno 1588. & recusus Parisiis an. 1628. Ita ergo Seniores illi scripsere. Ætate etiam Augustini lectio illa obtinebat; nam alias hoc testimonium non adeo frequenter inculcasset adversus hæreticos Pelagianos. Adde in hoc loco producendo maximam Augustini diligentiam. Citato libro 2. de Nuptiis & concup. cap. XI. ita locum hunc recitat, *Masculus, qui non circumcidetur carnem præputii sui octavo die*, & eadem orationis syntaxis legitur in Sixtina, cohærenter ad Græcum, ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα. Augustinus itaque usitata lectione usus est, vera, & quoniam hostes oppugnabat versutissimos, diligenter examinata. Cum itaque lxx. ita scripserint, quare erroris insimulantur? Cur non dicuntur potius expressisse sensum hebraici textus, quam illum adulterasse? Sensum vero hebraici voluminis, num poterant Bellarminus, & qui ex eo scripserunt, Scholastici juniores, felicius assequi, quam lxx. viri sapientissimi, ex omnibus tribubus selecti, divinoque numine afflati? Optime idem Bellarminus Tom. 1. lib. 2. cap. 6. pag. 41. de Versione lxx. protulit judicium istud: *Certissimum esse debet* lxx. *Interpretes optime transtulisse, & peculiari modo Spiritum sanctum assistentem habuisse, ne qua in re errarent, ut non tam Interpretes, quam prophetæ fuisse videantur*: additque nihil posse in hac Versione reprehendi, *nisi vitia, quæ in eam postea irrepserunt, negligentia, vel malitia, aut etiam ignorantia aliorum.* Atque id quidem sentiendum erat de ea Ver-

sione, quam laudarunt Patres omnes, & usu suo consecrarunt fidei conditores Apostoli. Retinendæ sunt ergo voculæ illæ, *octavo die*, quoadusque non demonstrentur malitia, aut ignorantia aliquorum intrusæ. Hinc videor mihi haud male Volum. 2. pag. 2. scripsisse Græcam versionem falsam non esse, sed suppeditare commodam interpretationem verborum. Vidit hæc & Suaresius scribens laudata disput. v. sect. 1. *Unde potest sumi indicium, antiquam Judæorum Synagogam ita hunc locum intellexisse, & Septuaginta Interpretes ad explicandum amplius sensum suo tempore, & in sua Ecclesia receptum illam particulam addidisse*. II. Asserui citato volum. 2. τὸ *in octavo die* haberi etiam in Pentateucho Samaritano, quod nemo hactenus observarat: ex quo quantum Augustinianæ sententiæ accedat roboris per se constat. Pentateuchus enim Samaritanus scriptus est antiquis hebraicis literis, si fides habeatur Joanni Morino, a temporibus Esdræ; si Waltono, aliisque, saltem ante Christum natum. III. Præcitatus textus Geneseos, ut habetur in Vulgata, & supra recitatus est, comprehendit propositionem indefinitam, & non solum de adultis, qui circumcisionem negligunt, verum etiam de parvulis accipiendam, non minus ac verba Evangelii, *Nisi quis renatus, &c.* Ut ergo comminatio hoc loco expressa non solum excludit a regno cælorum adultos contemnentes baptismum, sed etiam parvulos non baptizatos, quia absolute excludit *non renatos*: ita verba Geneseos comminantur perditionem tam adultis negligentibus circumcisionem, quam puerulis non circumcisis, quoniam perditionem minantur indefinite masculo non *circumciso*. Nec a nobis cuditur primum hæc ratiocinatio, sed illam nobis præmonstravit Innoc. III. cap. *Majores*, scribens: *Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: Anima, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo: ita nunc indistincte vox intonat Evangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei, ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens*. Similia Prosper inferius laudandus. Atque his prior adversariorum responsio eliditur, & profligatur.

Secundo respondent per illa verba, *delebitur anima ejus de populo suo*, designari duntaxat mortem temporalem infligendam ei, qui adultus circumcisionem omiserit carnis suæ; aut *excisionem* legalem, sive a cœtu posterorum Abrahæ expulsionem. Enim vero, inquiunt, id significat hebraica phrasis, *perire de populo suo*, hebraicumque verbum כרת, *exscindere*. Videsis Exodi XII. 15. XXXI. 14. Levit. VII. 21. Num. XIX. 20. Hæc exempla ex Bellarmino opponit nobis Tournelius. Addiderat præclarissimus Controversiarum Scriptor exemplum Mosis, quem Deus voluit occidere Exodi IV. 24. quoniam non circumciderat filium suum. Quamquam enim Augustinus quæst. XI. in Exodum, & lib. IV. de Baptism. cap. 24. num. 31. conatur ostendere filium Mosis in periculo fuisse, non ipsum Moysen; apertum tamen est ex contextu, mortis periculum subiisse Moysem, non puerum: quippe legitur, *Cumque esset in itinere in diversorio Moyses, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Quem* (inquit Bellarminus) *nisi Mosem, de quo verbis proximis loquebatur?* Sephora quoque Mosi dixit, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, maritum, quem amissura fuerat, allocuta, quasi diceret, Redami te sanguine filii mei. Moses ergo, non filius subierat pericula, ut in cap. 5. ad Galat. affirmavit Hieronymus. Hæc Bellarminus, & laudato in loco noster Coquæus.

Respondeo verbum כרת, idem esse, ac, *scindere*, & *exterminare*; & aliquando significare mortem corpoream, aliquando separationem a cœtu sanctorum. Quid hoc in loco significet, videndum est. Etsi Rabbinorum quidam, ut R. Samuel, & R. Menahem autumaverint, eum, qui carnem præputii sui non circumcidit, moriturum absque liberis ante annum quinquagesimum, vel sexagesimum, hæc tamen opinio futilis est, nec a Rabbinis omnibus recipitur. Quod illic accipienda sit mors corporis violenta, nemo dixerit; omnibus quippe fatentibus, nemo ob prætermissam circumcisionem subiit præcepto legis pœnam capitis. Igitur accipiamus oportet hunc locum, ut incircumcisus intelligatur abscissus, & segregatus a filiis promissionis, & a semine Abrahæ; quod fit aut per sempiternam mortem, aut per separationem a visibili Ecclesia. Si primum dixeris, in partes Augustini descendis; si alterum affirmas, etiam Augustino subscribis; quisquis enim in Ecclesiam Sanctorum non recipitur, etiam a cælorum beatitudine excluditur. Si quis dicat, Absque baptismo non connumeramur inter Christifideles, verum ille dicit: & si quis ait, Sine circumcisione olim nullus reputabatur in semine Abrahami, verum & iste pronuntiat. At excludi a numero fidelium est etiam excludi a regno cælorum; segregari a semine Abrahæ erat promissis benedictionibus exspoliari. Confirmant ergo, non oppugnant Augustini sententiam, qui contendunt sensum illorum verborum, *Peribit anima ejus* esse, *Segregabitur a cœtu Judæorum*. Ita etiam peribat Exodi XII. 15. qui septem diebus azymorum comedebat fermentatum, & Exodi XXXI. 14. qui non custodiebat sabbata, ita, ut non solum tamquam fractor legis puniretur, verum etiam contraheret maculam transgressionis. Pœna enim non infligitur absque culpa. Recte itaque Augustinus in parvulo, cujus anima ob incircumcisionem peribat, infert peccati maculam; recte ait: *Quid meruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi circumcisio subveniret?* II. Præterea Aben-Ezra in cap. XVII. Genes. fatetur Hebræorum plurimos sentire, quod anima pueruli incircumcisi *in futura sæcula puniatur*; & licet is sententiam istam non sequatur, habet tamen hæc assertores Rabbinos alios clarissimos supra laudatos. Porro Glossa interlinearis habet: *Non computabitur inter Sanctos*, & alia, *Delebitur de cœtu Sanctorum*. Negara id non potuit vulgatissimus interpres A Lapide, scribens in Pentateuchum pag. 136. *Per mortem corporalem significatur, & intentatur mors spiritualis animæ, & æterna damnatio illis, qui circumcisionem vel infans non susceperit, (infanti enim mors animæ infligi potest a Deo, non vero mors corporis a judice) vel adultus neglexerit; quod scilicet hac de causa exscindatur a familia Abrahæ, populo, & Ecclesia Dei, ac consequenter ab hæreditate cælesti*. III. Apponi ad populum suum est connumerari cœtui sanctorum, Gen. XXV. 17. XLIX. 32. Machab. 1. XIV. 30. aliisque in locis. Igitur deleri de populo suo, erit idem ac a Sanctorum cœtu sejungi, ut diximus lib. XIII. cap. 1.

Quod ad Mosen attinet, fateor illum, non puerum Eliezer positum Exodi IV. in vitæ discrimine; propterea quod non tantum pœnam mereantur pueri non regenerati ob culpam originalem, verum etiam adulti ob negligentiam in *Sacramentis* administrandis, maxime Ecclesiæ principes, qualis tunc Moses eligebatur. Nihil ergo valet exemplum Mosis adversus Augustini sententiam. Immo egregie illam confirmat, si expendantur quæ propositione 4. produximus ex Ambrosio, circumcisionem scilicet præstitisse, *ne semen Abrahæ idololatriæ pollueretur contagio*. Peccato quippe originali inquinati, utpote mancipia Diaboli, sunt in idolorum cultum ceteris proniores. Eam ob rem Mosi in Ægyptum proficiscenti Deus non circumciso Eliezere mortem comminabatur, quia ille contra idololatras dimicaturus patiebatur in filio idololatriæ fomentum, & labem originalem. Hæc nostra, si cui arrideat ratio, poterit illinc stabiliri, quod circumcisio iterum indicta fuerit Exodi XII. 48. cum populus Israel ex idololatrarum finibus educeretur, & in deserto prætermissa ab incredulis adhuc addictis Ægyptiorum superstitioni. Ceterum Augustinus, (quicquid Bellarminus asserat,) opinionem illam de Eliezere non putat inconcussam, sed addit, *Quamquam & si de Moyse accipere quisquam voluerit, non est magnopere resistendum*. Non amplectitur tamen communem sententiam in serm. 86. de Temp. ut scribit in hunc locum A Lapide pag. 344. Sermo enim ille supposititius est Verlino, Vindingo, Maurinis Patribus. Duas etiam oppositiones e contextu petitas non fabricarunt aut Bellarminus, aut Coquæus, sed eadem Q. XI. attulit, & solvit ipsemet Augustinus. Hujus autem responsiones, quoniam iisdem oppositionibus nullo pacto percellor, ac sum cum adversariis liberalissimus, perquirat Lector apud Doctorem Ecclesiæ præstantissimum. Posset etiam reponi, ea verba Sephoræ, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, non ad Mosen dicta, sed ad filiolum, ita, ut sensus sit, Per circumcisionem datus es mihi sponsus, idest, Ecclesiæ, quasi conjugii fœdere copulatus: puer enim circumcisus ab Hebræis appellatur חָתָן, *Sponsus* eodem vocabulo, quod occurrit Exodi IV. 25. ubi legitur חֲתַן דָּמִים, *Sponsus sanguinum*: unde Targum legit, *Per sanguinem circumcisionis istum datus es nobis sponsus*, si fides habenda est Schindlero in Lexico, voc. חתן, & Spencero de Legibus Hebr. lib. 1. cap. 4. sect. 5.

Tertio loco adversarii respondent, Augustinum in eo lapsum, quod ea verba, *Pactum meum irritum fecit*, acceperit de *pacto* a Deo inito cum Adamo, Gen. II. 17. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; cum referenda proculdubio sint ad pactum initum cum Abrahamo, de quo eodem cap. XVII. Gen. *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos. Circumcidetur ex vobis omne masculum*: cumque octies ibidem pactum hoc memoretur, nequit ad pactum cum Adamo initum detorqueri, ideoque nihil istic de peccato originali, quod parvuli trahunt ex Adam, in quo omnes peccaverunt. Hinc ubi Vulgata legit, *Masculus, cujus caro præputii circumcisa non fuerit*, habet Chaldaicus Paraphrastes, *Masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui*, commonstrans hunc locum pertinere ad adultos fractores illius pacti, non ad puerulos.

Resp. neminem latere, quin verbum הפר, *Irritum fecit*, quod in conjugatione *Kal* activum est, si accipiatur in conjugatione *Hiphil*, sensum reddere passivum, & idem esse, ac *in eo irritum fuit*. Hoc supposito, quod nec diffitetur A Lapide in Pentat. pag. 136. ita adversarios alloquor. In qua conjugatione verbum illud accipiendum nobis est? In *Kal*? Quoniam sive recipias versionem LXX. Interpretum, sive accipias τὸ *Masculum* indefinite, sive referas versum 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, ad præcedentem versum 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, nomine *masculi* venit etiam recens

cens natus puerulus; cum is nequierit frangere fœdus initum cum Abrahamo, quomodo pactum Domini dissipavit? Recte itaque Augustinus de Nuptiis & Concup. lib. 2. cap. xi. num. 24. *Dicat iste, si potest, quomodo puer ille testamentum Dei dissipavit, octo dierum, quantum ad ipsum proprie attinet innocens infans; & tamen nullo modo Deus vel sancta Scriptura id mendaciter diceret. Tunc ergo dissipavit testamentum Dei, non hoc de imperata circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Idem repetit S. Doctor lib. III. contra Julianum cap. 18. num. 34. & de Civit. Dei lib. XVI. cap. 27. Si verbum הפר accipias in conjugetione *Hiphil*, sensus erit, ideo perire incircumcisi pueruli animam, quoniam in illa servetum non fuit pactum circumcisionis, quo potuisset evadere perditionem; quam sententiam fateor communiorem esse, & literæ magis consonam. At Augustinus, quamvis linguæ hebraicæ vim non attenderit, attamen hanc etiam responsionem (tanta erat ingenii ejus acies, tanta in scripturis enodandis libratio) adhibuit loco nuper laudato, scribens: *Si autem quisquam hoc non nisi de ista circumcisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei, quoniam non est circumcisus, dissipaverit parvulus, quærat locutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verum sic quoque animadvertendum est, nulla in se negligentia sua injuste interire incircumcisi animam parvuli, nisi originalis obligatione peccati.*

Quod dixi de duplici Hebræorum conjugatione, elidit cavillulum alterum. Jonethas quippe, & Onkelos accepit verbum, לא־ימול, *circumcisa non fuerit*, quasi sit futurum *Kal* a verbo נמל, *circumcidere*, cum sit futurum *Niphal* a verbo, מול, *circumcidi*; nam lxx. Hieronymus, Interpres Latinus, Arebs, Syriacus reddidere, *circumcisa non fuerit*, &c. nec sine retione velida, cum idem futurum ימול occurrat præcedenti versu 12. in significatione passive. Retinenda est ergo lectio Vulgatæ: ac puderet Scholasticos nonnullos inania hæc objectare, si animadvertissent Sixtinam Amamam in Antibarbaro, pag. 413. aliosque Heterodoxos hoc in loco Vulgatam nostram reprehendere. Verum his opponam Joannem Drusium, qui Notis majoribus Volum. I. Criticorum sacrorum pag. 429. inquit: *Aliter ceteri: nam lxx.* ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ. Et Hieronymus: *Cujus præputii caro circumcisa non fuerit.* Et Santes: *Cum non circumcidatur caro præputii ejus.* Hoc sensu erit futurum Niphal a מול. *Videtur hæc interpretatio melior esse: nam musculus non circumcidebat seipsum, sed alius id faciebat.* Atque his, ni fallor, constat Augustini sententiam velide sacris litteris communiri.

Jure itaque ipsam Augustini sententiam Patres, qui subsecuti sunt, propugnarunt: inter quos Aquitanus Prosper lib. de Prædictionibus Dei P. I. cap. 14. pag. edit. Lovenii 7. ait indictam circumcisionem, *ut per integritatis decus id repararet, quod fuerat vitiatum*: & in Epistola 84. in antiquiori editione Ambrosii pag. 188. (quæ Epistola a Suaresio, Frassen, aliisque tribuitur Prospero) de originali peccato disserens, *Propter quod*, inquit, *sicut nunc in Ecclesia manet constitutio Salvatoris dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: ita sacratissime erat in lege præceptum, ut natus puer, nisi die circumcideretur octavo, exterminaretur anima ejus de populo sua, nullum in hereditate Israel habitura consortium.* Gregorius Magnus lib. IV. Moralium cap. 3. pag. nunc 102. *Quisquis*, ait, *regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.* Quæ verba a Gratiano inter Canones relata fuere III. P. Decreti, de Consecrat. dist. IV. can. 5. Sanctus etiam Isidorus in Genes. exscriptus cap. 17. a Glossa, *Quæritur*, inquit, *quomodo pueri incircumcisi, qui pactum Dei irritum non fecerunt, perire debeant. Sed pactum Dei non secundum opus, sed secundum originem in primo homine irritum fecerunt, in quo omnes peccaverunt.* Accedit Bernardus, qui serm. IV. de Circumcisione num. I. scribit: *Duritiam duris bene congruam servis, filiis commutavit in mansuetudinem, ut rubiginem originalis peccati, quam vix cultellus eradere poterat, ex hoc jam cum unctione gratiæ facile lavet aqua. Nihil ergo mirum si pro diversitate temporum mutata sunt sacramenta ut daretur utrisque quod congruum erat eis.* Et Serm. I. de Cœna Domini num. 2. *Quæ est ergo gratia, unde per Baptismum investimus? Utique purgatio delictorum. Hujus quidem gratiæ sacramentum prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat a parentibus primis, cultellus eraderet.* Legatur & Epistola ad Hugonem, nunc inter Tract. Tom. IV. pag. 119. His subscribit Innoc. III. cap. *Majores*, ubi post verba superius laudata, innuens discrimen inter circumcisionem, & baptismum, inquit: *Etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: sed per Sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cælorum etiam pervenitur, &c.*

Hæc cum non ignorasset Tournely pag. 106. respondet Augustinum in hanc sententiam adductum, & quia cum lxx. Interpretibus legebat in textu Gen. *octavo die*, & quia disputans adversus Pelagianos undique argumenta ad eos revincendos colligebat. Ceterum omnes tacite omnino dimittit. At de Augustino quam inscite sententiam proferat, paullo supra demonstravi. Modo addo Augustini argumenta *undique collecta*, posterioribus Patribus fuisse probata, idque adversariorum aut confessione, aut silentio. De Innoc. III. reponit cum aliis P. A. M. Canali pag. 57. respondere eo loci ad interrogationem sibi factam, num parvulos tenella ætate congruum sit baptizare, atque in ea responsione assumere rationem invalidam, nec opus esse, ut in aliqua re definienda firmæ dumtaxat rationes adhibeantur, quemadmodum in 2. Niceno Concilio definitum est Angelos pingendos esse, cui definitioni addita est a Sophronio hæc ratio, *quia corpore constant*, quæ tamen a Theologis non probatur. At primum nemo nostrum hanc sententiam propugnat tamquam fidei decretum: & illud tantum in præsentia affirmamus, quod satis liquet, hanc probatam fuisse Innocentio. Deinde eo loci Romanum Antistitem afferre fractam, infirmamque rationem demonstrari debet, non temere pronuntiari. Præterea cum nihil aliud in eo Capite occurrat, quod non sit libratum ac ponderosum, immerito ratio ex circumcisione petita, tamquam invalida, refutatur. Postremo neque exemplum allatum est ad rem; quamvis enim fateamur aliquando inconcussas non esse rationes omnes in fidei definitionibus insertas; discrimen tamen est maximum inter Romani Pontificis rescriptum, & Joannis Thessalonicensis sermonem Act. V. septimæ Synodi recitatum; puto siquidem hunc, non Sophronium, a viro docto fuisse commemorandum: nec secundum Nicænum concilium allatam a Joanne rationem probavit, quemadmodum Innocentius protulit, probavitque Augustinianam de Circumcisione doctrinam. Sed legendum de hac re caput 2. libri X. nostrarum lucubrationum, & VII. Volumen Conciliorum Labbei pag. 354.

Aliter Augustini sententiam illustriores Scholastici excepere. Magister siquidem in IV. dist. I. num. 6. indubitatum censet, *per circumcisionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis, & adultis parvulis & majoribus a Deo præstitum, sicut nunc per baptismum datur.* Carpunt quidem in Magistro nonnulli, quod num. 10. scripserit, *Ibi solum peccata dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adjutrix, nec virtutum possessio, vel augmentum præstabatur*: quod, inquit Estius, absurdum est, & ad perversa dogmata hæreticorum pertinent, si dicatur remitti peccatum absque infusione gratiæ, seu mentis renovatione. At quod Magister ait num. 6. a nemine reprehenditur: quod vero ait num. 10. falsum est, si accipiatur de gratia habituali; verum, si de gratia, *qua pervenitur ad regnum*, ut inquit Innoc. III. sive, ut olim Irenæus, *consummatrice* virtutis: idque innuere videntur ipsa Magistri verba. S. Thomas 3. p. q. 62. art. 6. *in circumcisione*, inquit, *conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi venturi*: & q. 70. art. 4. *Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur.* Sanctus Bonaventura in IV. dist. I. art. 3. q. 3. *In circumcisione delebatur culpa, & conferebatur gratia: & ad utrumque ordinabatur circumcisio.* Scotus ibidem q. 6. *Supponendum tamquam certum, quod per circumcisionem peccatum originale delebatur, quod patet per auctoritates Sanctorum.* Et ne reliquos proferam; fuit hæc in Scholis, ut inquit beatus Thomas, ab omnibus recepta communisque sententia: quod & liquet ex Durando in 4. dist. I. q. 7. Alex. Alensi q. 4. in 7. art. 3. Argentina dist. 1. q. 3. art. 2. Paludano q. 5. art. 4. concl. 2. Soto dist. 2. q. I. art. 2. aliisque innumeris. Hinc in Tridentina Synodo hanc sententiam e suggestu tradidit vir conspicuus Robertus Fornierius his verbis: *Quoniam circumcisio populo Israel ea potissimum causa præcepta est, ut haberet ad manum præsens aliquod efficacissimumque remedium adversus culpam illam, quæ a primo parente ducta, atque in universum genus humanum transfusa cum semine, in ipso nostro ortu natura contrahitur &c.* Vide Tom. XIV. Concil. Labbei pag. 1494. Atque his demonstrata est propositionis pars qualibet, nimirum ex mente Augustini institutam circumcisionem ad abolitionem peccati, id ex sacris litteris colligi, probatum denique Ecclesiæ Patribus, & Scholasticis illustrioribus.

CAPUT IV.

Expenduntur, quæ adversus superiorem doctrinam solent opponi.

CONTENDUNT adversarii Augustinum Apostolo, ceterisque Patribus repugnare, plura adversus illam testi-

testimonia ex Epistula ad Romanos, atque ex Justino, Irenæo, Epiphanio, Tertulliano, Chrysostomo, aliisque deprompta, nec non ratiocinationes quasdam pervulgatas objicientes. At non discrepare Augustinum ab aliis, hac una adnotatione suadetur, quod hi vel Judæos profligantes, vel disserentes de fide Christi, locuti sint de circumcisione nuda, in se tantum inspecta, carnali, Judaica, legali: ille vero circumcisionem spectaverit tamquam signum exspoliationis carnis, & tamquam sacramentum justificationis ex fide. Nam & ceteros Patres aliquando de Circumcisione, quatenus symbolum & sacramentum est, tractasse in tertia propositione demonstravimus. Atque id tantum valere plurimum potest ad Patres alios cum Augustino conciliandos.

Quoniam tamen de hac quæstione (absit invidia verbo). accuratius, quam alii fecerint, disputavimus; posteaquam adnotationes quasdam ex Doctore præclarissimo delibavero, testimoniorum, quæ videntur opposita, scopum ac sensum conabor investigare. Itaque cum Judæi legem, & circumcisionem per se, & absque fide Christi ad salutem conducere falso sibimet persuadeant; illud primum notandum est, circumcisionem non fuisse peccati remedium unde acceptam, sed quatenus erat, inquit S. Pater, *Sacramentum justificationis ex fide*, nec vi legis justificabat, sed per fidem in Christum & gratiam Reparatoris. *Eadem quippe fides Mediatoris salvos faciebat antiquos, pusillos cum magnis; non vetus testamentum, quod in servitutem generat, non lex quæ non sic est data, quæ posset vivificare, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quia sicut nos Christum in carne venisse, sic illi venturum: sicut nos mortuum, ita illi moriturum: sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum; & nos vero & illi, ad judicium mortuorum, vivorumque venturum.* Alterum huic affine, & animadversione dignum est, quod circumcisio licet in carne impressa, symbolum erat tamen circumcisionis cordis, & exspoliationis carnis: quod Patres omnes asserunt, & Augustinus scribit in Psalmum lxxiv. nn. 12. *Circumcisio carnis magni sacramenti res est, & intelligitur inde circumcisio cordis*: ideoque, quemadmodum signa quælibet spectari possunt & quatenus res sunt, & quatenus symbola rerum aliarum, ita circumcisio potest considerari, ut sectio præputii, atque ut symbolum abolitionis antiqui reatus. Tertio notandum est, pro vario hominum statu immutata quoque fuisse *Sacramenta*, & circumcisionem, aliasque omnes figuras, quibus Christus prænuntiabatur, post ejus adventum, & post redemptionem peractam, fuisse abrogatas: unde Augustinus lib. 2. de Anima & ejus origine cap. xi. num. 15. ait; *Circumcisio fuit illius temporis sacramentum, quod præfigurabat nostri temporis baptismum*; & lib. xix. contra Faustum cap. 9. *Non circumciditur Christianus, quia id quod circumcisione promittebatur, jam Christus adimplevit.* His prænotatis audiamus adversarios peracute ratiocinantes.

Primo loco opponunt. Genesis xvii. ubi de Circumcisionis institutione agitur, non legimus fuisse præceptam, nisi in signum fœderis inter Deum & semen Abrahæ, atque in pactum ejusdem fœderis. Versu enim 11. legitur: *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos*; & versu proximo, *Eritque pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum*. Non ergo instituta fuit in remedium peccati.

Resp. 1. nego anteced. nam versu 14. dicitur, quemlibet masculum circumcidendum, *ne deleatur anima illius de populo suo*: quæ verba eo pacto commonstrant circumcisionem fuisse remedium peccati, quo illa, quæ leguntur Joan. iii. *Non intrabit in regnum cælorum*, ostendunt eodem fine institutum esse baptismum: quod post Augustinum tradiderunt Prosper, Bernardus, Beda, Innocentius. Dico præterea, Deum nunquam iniisse fœdus cum impiis, sed cum Noe, cum Abraham, cum Jacob, cum David; fœderatis enim suis, nisi legem transgrediantur, Isaiæ lvi. 5. sempiternum nomen, æternamque vitam promittit. Ut ergo fœdus Deus cum hominibus ineat, opus est justitiam habeant, aut ipso signo fœderis justificentur. Abrahamus quidem ante circumcisionem justus erat, ideoque accepit, ut ait Apostolus ad Romanos iv. 11. *signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio*. At parvuli ex Abrahæ semine procreati nascebantur, ut ceteri omnes, *filii iræ*, & originali peccato inquinati. Cum iis quomodo poterat Deus in circumcisione inire fœdus? Quomodo circumcisio erat *signaculum justitiæ*? Non ob justificationem & gratiam, quam, ut Abraham, habuerint in præputio; igitur ob justificationem, & gratiam, quam eis impertiebatur signum circumcisionis, tamquam signum protestativum illius fidei, quam habuerat Abraham præputiatus, & circumcisus. Non enim absque fide Christi circumcisio justificabat, ut diximus paullo supra cum Augustino.

Præterea objiciunt: Apostolus in citata Epistola ad Rom. cap. iv. versu 1. ait: *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?* Circumcisio itaque nihil gratiæ conferebat. II. In eodem cap. versu 11. inquit Paulus: *Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio*. Præsignabat ergo circumcisio justitiam præexistentem in Abraham, non conferebat spiritualis gratiæ decorem. III. Præcedenti cap. iii. versu 1. disserens de Circumcisionis utilitate, affirmat Apostolus præcipuum emolumentum, quod inde Judæi capessebant, fuisse legem scriptam, notitiamque Propheticorum vaticiniorum, dicens: *Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omne modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei*. Igitur circumcisio non delebat peccatum: quod opus est prophetia & lege præstantius. IV. Ad Galatas v. 6. definite concludit: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium*.

Resp. Hæc nullius esse momenti, si idem, quod nuper dictum est, attendatur, idest, nec legem Mosis, nec circumcisionem, nec vetera Sacramenta aliquid ad salutem contulisse, nisi per fidem Christi, & gratiam Reparatoris: de qua fide & gratia pertractare Apostolum in Epistola ad Romanos, tradit Augustinus in Ep. ad Sixtum 105. nunc 194. num. 1. & manifestum est cuique legentium. Priori ergo loco docet Paulus Abraham justificatum non ex circumcisione, neque ex operibus, sed per gratiam Dei, & per fidem, *Ne circumcisio gloriaretur, gentemque incircumcisam ad fidem Christi nollet admitti*, inquit Augustinus de Civit. Dei lib. xvi. cap. 23. Et quidem cohærenter ad Apostolum e vestigio hæc proloquentem: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. Ut ergo eo loci Paulus non denegat justitiam operibus fidei conjunctis, ita nec inficiatur circumcisionem *ex fide* Mediatoris justificasse. Idem est sensus verborum, quæ secundo loco opponuntur, ubi Paulus demonstrat circumcisionem nudam, & independenter a fide Christi non fuisse regenerationis signaculum, quandoquidem Abraham justificatus fuerat adhuc præputiatus; ideoque ex fide, posteaquam indicta fuit, expiasse peccata. Propterea addit: *Non enim per legem promissio Abrahæ, sed per justitiam fidei*. Tertio quoque loco demonstrat, etiam gentes præputiatas, præter Judæos circumcisos, ad Christum invitandas: nec Judæis gloriandum, quod legem, & circumcisionem acceperint; quoniam circumcisio carnis, & lex, quatenus spectant ad vetus testamentum, ritusque Judaicos, absque fide Christi, & absque circumcisione cordis in spiritu, nihil aliud conferunt utilitatis, nisi notitiam præceptorum, & eloquiorum Domini, quæ peccatum redarguunt, non tollunt: ideoque semper, & in uno quoque statu Justitia repetenda est a fide Christi, sine qua lex fuisset inutilis, & circumcisio carnis vulnus, non justitiæ signaculum. Hinc eodem capite inquit Apostolus: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*. Quarto denique loco agit Apostolus adversus eos, qui legem Mosis non a Christo abrogatam, sed ad salutem necessariam esse autumabant; cum lex desierit obligare, & circumcisio fuerit sacramentum quidem, sed *illius temporis*, & quæ adimpletis, quæ prænuntiabat, remanet nuda, & nihil valet; quemadmodum nihil valet præputium; idest, sine fide, quæ per caritatem operatur, nec Judæus circumcisus consequi potest salutem, nec gentilis præputiatus. Brevi dicam: Apostolus pertractat de necessitate fidei, de vocatione gentium, & de legis abrogatione, minime negans Judæos ex fide Mediatoris fuisse circumcisione purgatos, & observatione legis salutem assecutos; cum Israelitarum fuerit *adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*. Ad Rom. ix. 4.

Nota, quod si quis de Baptismo, quem institutum in peccati medelam nemo unus ambigit, assereret salvum facere, quatenus est ablutio carnis externa, non vero in quantum est *impiorum bonæ conscientiæ*, hoc est, *arrobo*, pignus, ac demonstratio interioris fidei expressa ipsa externa baptismatis cæremonia; adversus id sentientem, asserendum nobis esset in baptismate salvos nos fieri, sed non per aquæ ablutionem; nam id docet Apostolorum Princeps Epistola 1. cap. iii. 21. illis verbis, *Quod & vos nunc similis forma salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*. Ubi per depositionem sordium carnis intelligi externam ablutionem aquæ, sive lavacrum corporis docent Lyranus, Estius, Menochius, A Lapide, alii. Quid ergo mirum, si Judæis de circumcisione, & lege superbientibus, inquit Apostolus, *Lex non justificet, circumcisio nil valet*? Etiam baptismus nil valet quatenus est corporis lavacrum; valet tamen plurimum, in quantum est fidei signaculum, & Sacramentum, quod, tamquam res typo, circumcisioni successit.

Tertio loco opponuntur nobis Patres, qui unanimiter tradunt circumcisionem datam in signum Judaici populi. Horum vero testimonia produximus prop. 2. At quoniam postea demonstravimus, agnosci ab iisdem Patribus institutæ circumcisionis causas alias; diluenda ea loca remanent, in quibus videntur aperte affirmare, quod nullo pacto circumcisio fuerit in originalis culpæ remedium. Itaque Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 241. de Abrahamo inquit, *Circumcisionem in signum, non in ju-*

stitiam

stitiam accepit; postea circumcisionem non justificasse probat ex quo circumcisæ non fuerint mulieres his verbis: *Et quod genus muliebre circumcisionis carnalis capax non est, satis ostendit in signum datam circumcisionem istam, & non ut justitia opus*. Atque Justinum docuisse, circumcisionem minime datam Judæis, ut justi inde fierent, & originele eorum deleretur peccatum, indubitatum esse contendit in Apparatu ad Bibliothecam maximam Tom. 2. cap. 6. §. 23. Cl. Nicolaus Le Nourry. 11. Irenæus lib. IV. cap. 16. pag. 246. ait; *Quoniam autem circumcisionem non quasi justitiæ consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, &c.* & infra; *Non per hæc justificabatur homo*. Chrysostomus hom. 27. in Genesim pag. 331. statutam docet circumcisionem, *non quod ad animæ salutem proficere posset aliquid, sed ut hoc grati animi indicium, quasi signum, & sigillum circumferrent Judæi*: & hom. 29. in Genes. pag. 568. *Cur enim*, inquit, *octo dierum infans circumciditur? Tempus autem definitum a benigno Deo duabus de causis opinor; una, ut in ætate immatura facilius circumcisionis in carne molestiam ferre queat; alia ut rebus ipsis discerenus, quod ad animæ nihil conducat, sed hoc fiat signi gratia*. Adde Tertullianum adversus Judæos cap. 2. & 3. Epiphanium hæresi 8. et 30. Ambrosium epist. 74. ad Irenæum, & alios.

Resp. laudatos Patres nequaquam adversari Augustino: quippe dum inquiunt, circumcisionem fuisse signum ea causa datum Judæis, ne gentibus commiscerentur, illam tantum considerant, ut carnis signaculum, ut sejunctam a fide Mediatoris, ut aliquando abrogandam; haud denegantes circumcisioni, quatenus erat religionis symbolum, fideique in promissum Reparatorem signum protestativum, ac Sacramentum, prærogatives alias complures: alioqui iidem Patres quomodo tam diserte affirmassent, ipsammet carnis circumcisionem fuisse fœderis cum Abraham initi, divinarumque promissionum symbolum, typum baptismi, signum innovationis spiritus, circumcisionis cordis, exspoliationis carnis, quæ nonnisi ex divina institutione possunt rei sensibili convenire? quomodo etiam asseruissent, circumsisionem fuisse signum *illius temporis*, cum etiamnum Judæi in tesseram gentis suæ illam circumferant? Aliter ergo de circumcisione nuda, & legali, aliter de ea, ut symbolo ac sacramento, ratiocinandum est nobis; & antiqui Patres recentioribus eodem lumine prodivinarum gratiarum mensura collustratis, hac ratione conciliandi.

Singillatim vero hæc repono. De Justino ait eo loci Le Nourry, aliter visum *Augustino, aliisque Patribus*. Potest hæc responsio adhiberi. Numquid enim Justino subscribimus, ubi in 2. Apologia adstruit Angelorum cum mulieribus concubitum, ubi in Apologia prima pronuntiat dæmones nondum sempiterno igne torqueri, ubi in Dialogo cum Tryphone adhæret Millenariis, quæ dogmata tunc temporis nondum explorata, posteri diligentius discussa abjecerunt? At responsio nostra est, Justinum ibidem contra Judæos disputantem duo commonstrare: unum quod circumcisio salutem non contulerit natura sua, nec sit proinde quolibet tempore necessaria; alterum, quod etsi plura in ea latebant mysteria, adimpletis tamen figuris erat omnino abroganda. Ut primum ergo demonstret, eadem pag. 241. inquit: *Videtisne elementa, & primordia rerum non cessare, neque sabbata agere? Manete sicut generati estis. Si enim ante Abraham non fuit usus circumcisionis, neque ante Moysen celebrationis sabbati & feriarum & oblationum; neque nunc quidem post filium Dei Jesum Christum consimiliter eis est opus*. Ut alterum evincat, ait: *Atque illud etiam, o viri, ego ostendere possem diem octavum circumcisionis arcanum quoddam præ septimo sacramentum habuisse, quod per hunc a Deo promulgatum sit: verum ne in præsentia in alterum divertere sermonem videar, intelligite quod clamo, sanguinem circumcisionis illius abrogatum esse, & sanguini nos salutari credidisse: aliud nunc esse fœdus & testamentum, & aliam exiisse ex Sion legem, Jesum Christum*. Ex quibus constat Justinum de circumcisione nuda, & abroganda contra Judæos disputasse.

Ad Irenæum respondet Fevardentius, *eidem refragari universas Patrum Scholasticorum scholas cum suo Principe B. Thoma*. Verum scopus Irenæi est adversus Marcionem demonstrare vetus testamentum non fuisse opus diaboli, neque contrarium novo: quod Irenæus probat ex quo cæremoniæ legis fuerint Evangelicæ gratiæ symbola; & circumsisio non conferret consummationem gratiæ, sed gratiam, cujus plenus effectus adimplendus erat e Christo; nec justificaret tamquam cæremonia legalis, sed ut symbolum Christi venturi: unde aperte refutatur Marcion, quoniam Diabolus Christi adversarios non instituisset vetus testamentum tamquam typum novi, & venturi Salvatoris prænuntium. Præterea ibidem Irenæus non ait circumcisionem non contulisse gratiam. sed non fuisse *consummatricem justitiæ*, idest, non effecisse, ut circumsisi pervenirent ad regnum: quod præstat, reseratis a Christo cælorum januis, baptisme; negatque illam fuisse *signum otiosum & absque symbolo*; quia significabat exspoliationem carnis, tenebat locum baptismi, & per fidem Mediatoris justitiam impertiebatur.

Quod attinet ad Chrysostomum, priori loco sermonem instituit de Cirsumcisione nuda, & a Christi fide sejuncta. Sequitur enim, *Quid igitur superbis, Judæe, in circumcisione? Disce, quod ante hanc fuerint justi multi*: productisque exemplis Abel, Henoch, Noe, & Abrahami, *Sic ab initio*, inquit, *humanum genus salutem per fidem assecutum est*. Ex quo autem Chrysostomus justitiam attribuat fidei, non sequitur quod excludat circumcisionem, tamquam symbolum fidei protestativum; quemadmodum ex adversariorum sententia, (plurimorum saltem, ac recentiorum,) in statu naturæ ita imputabatur justitia fidei, ut non excluderentur *Sacramenta*, & signacula sensibilia. Eodem pacto excipiendus est locus alter; nam alias Chrysostomus absurde ibidem doceret. Probans enim circumcisionem ad salutem non conducere, Immediate sequitur: *Puer enim immaturus, cum ea quæ fiunt ignorat, neque sensum eorum habet, quam inde in anima sua utilitatem accipere poterit? Illa enim sunt vere bona animæ, quæ ex electione fiunt: animæ quippe bonum opus est virtutem eligere, & malitiam fugere*. Ergo ne baptismus, dum suscipitur a parvulo, quia ignorat quæ fiunt, nec sensum habet, nec ipsum baptismum eligit, nihil ei affert utilitatis? Affert utique, nisi sit ablutio carnis profano ritu, & præter Christi institutionem administrata: atque ita sine ulla arbitrii electione potuit circumcisio parvulis opitulari, non tamen ut abscissio præputii est, & nunc fit a Judæis *carnaliter*, & absque ullo ad Christum respectu. Recte Bernardus cap. 2. ad Hugonem: *Sane parvulis & necdum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati prævaricatio, tamdiu credendum est antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palam interdicta non fuisse constiterit*.

Eadem responsione eliduntur, quæ ex aliis Patribus produci possunt. Tertullianus enim demonstrat adversus Judæos circumcisionem fuisse abrogandam, quoniam in se inspecta non erat in salutis prærogativam, sed in signum temporis illius. Idem est sensus Epiphanii, qui hæresi VIII. scribit, tamdiu fuisse in usu, quoad subsequeretur circumcisio altera spiritalis, idest, baptismus. Hæresi autem XXX. primo docet, quod circumcisio olim *non erat perfecta*, quia erat futurorum signum: deinde ais non fuisse effectricem gratiæ se ipsa, *& jure quodam hæreditario*, quia sine circumcisione justificabantur mulieres: tandem ex his contra Ebionæos infert, modo circumsisionem non prodesse ad salutem: *Nihil igitur modo* (inquit) *illa carnis circumcisio prodest*, Græce; *οὐδὲν ἄρα ἰσχύει ἡ νῦν ἐν σαρκὸς περιτομῇ*. *Modo*, ait, *νῦν*, non ante abrogationem. Ambrosius denique ad Irenæum scribens affirmat tantum circumcisionem fuisse sensibile signum circumcisionis spiritus. Cum hi ergo facile possint cum Augustino, magno Gregorio, aliisque conciliari, perperam affirmatur inter utrosque magnum versari dissidium: quamquam si foret, Augustino subscribendum esset, quoniam contra Pelagianos decertans hanc in rem totus incubuit, ejusque sententiam posteriores Patres & Scholarum duces amplexi sunt; nec desunt, qui asserant *inter Ecclesiæ Catholicæ decreta jamdudum relatam*, ut inquit Fevardentius in Irenæum pag. novæ edit. 153. Ceterum licet hæc sententia contineatur in c. *Quod autem*, & can. *Ex quo*, III. P. Decreti, de Consecrat. dist. IV. n. 5. & 6. necnon cap. *Majores*, III. Decretalium Gregorii IX. tit. 42. n. 3., ad fidem nequaquam spectat.

Opponunt ultimo. Etiam post institutam circumcisionem parvuli, qui ante diem octavum decedebant, per remedium legis naturæ eripiebantur a damnatione, juxta communiorem Theologorum sententiam. Idem asserendum de fœmellis. Præterea quadraginta annis in deserto, Josue V., non fuerunt pueruli circumcisi, quod in solitudine inclusi distinguerentur etiam præputiati a nationibus reliquis, ut inquit Theodoretus q. 3. in Josuen, & Damascenus lib. IV. cap. 26. Demum circumcisio Abrahæ justitiam non contulit: ergo nec Abrahæ posteris.

Resp. *Sacramenta* vim justificandi habere juxta voluntatem Institutoris. Cum itaque Gen. XVII. circumcisio indicta sit tantum masculis, & die octava; & parvuli ante hanc diem decedentes, & fœminæ per solum legis naturæ remedium, sive per fidei protestationem factam aliquo signo sensibili, salutem consequebantur. Neque dices, Si circumcisio non erat necessaria puerulis ante octavum diem, nec fœmellis, nec extra hebraicum populum servantibus naturæ legem; cur fingitur instituta in remedium peccati? Dura enim remedia, ut inquit Bernardus, congruebant servis, quemadmodum facilia redemptis. Demonstrandum quoque erat communem omnibus esse gratiam, non legem. Quia duro remedio uti sine vitæ discrimine non poterant Judæi in populis nuper natis; in his indultum est per dies octo. Fœminæ item exemptæ, quoniam ætate provectiores dolore partus, & calamitatibus plurimis erant excruciandæ: istis propterea pro circumcisione deservisse sacrificium partus, vulgata est Judæorum opinio. Dispensatum cum gentibus, ne Judæi gloriarentur salutem haberi per legem; & quoniam ii, qui participes non erant eloquiorum Domini, adhibere non poterant præscriptum lege remedium, & pro solis Judæis institu-

stitutum. Si tamen gentiles voluissent accedere Judaismo, aut Phase Domini celebrare, subeunda illis erat circumcisio præputii. Hæc respondere malumus, quam cum Magistro in IV. dist. I. §. ult. respondere, parvulum ante diem octavam demortuum periisse, aut forte ingruente necessitate ante præfixam diem præputio mutilatum: primum namque videtur absurdum, ac nimis rigidum; alterum refutatur perpetua Judæorum consuetudine.

Natos in deserto non fuisse circumcisos ex divina dispensatione tradunt permulti, quoniam ad Dei nutum Hebræis castra movenda erant: sed hujus dispensationis nullum extat vestigium. Ratio a Theodoreto, & Damasceno producta neque omnibus adversariis nostris probatur; quippe circumcisio data fuit etiam in signum fœderis initi a Deo cum Abrahamo, in typum circumcisionis spiritualis, & in symbolum, ac promissionem Christi: unde nec in solitudine debebat omitti; alias omittenda quoque fuisset, si omnes habitatores terræ Chanaam religionem suscepissent Judaicam, aut aliqua Hebræorum familia solitariam vitam egisset. Opinio Talmudistarum asserentium prætermissam circumcisionem, quoniam in deserto flabat borealis ventus, vulnera exasperans, adeo insulsa est, ut confutatione non egeat. Subscribendum est ergo Augustino docenti in deserto prætermissam circumcisionem negligentia, culpa, & incredulitate parentum. *Quidam enim de Ægypto exeuntium filii*, (inquit S. P. q. IV. in Josuem) *in illo populo incircumcisi erant, quos potuit circumcidere Josus; illorum scilicet filios qui genuerunt in deserto, & contempserunt eos circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei*. Hanc sententiam non rejicit magnus Aquinas 3. p. disp. 70. art. 4. ad 3. probabiliorem censet Estius in IV. dist. I. §. 31. veram esse demonstrat Vasq. in 3. p. disp. 164. cap. 2. inconcussa apparebit legenti librum Numerum capite XIV. 3. & Josue V. 6.

Quod postremo loco dictum est de Abraham, his verbis diluitur ab Augustino lib. IV. de Baptismo cap. 24. num. 31. *Sicut ergo in Abraham præcessit fidei justitia, & accessit circumcisio signaculum justitiæ fidei; ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit sacramentum regenerationis in lavacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo suæ nativitatis die circumcisus est, præcessit signaculum justitiæ fidei; & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante præcesserat: ita in baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum; & si Christianam tenuerint pietatem, sequetur etiam in corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore*. Hactenus de circumcisionis institutione, & origine.

CAPUT V.

Pertractatur de numero Sacramentorum Legis gratiæ.

IN nova quoque lege fuisse instituenda *Sacramenta* nullus sive Catholicorum, sive hæreticorum negat, si eos excipias, qui se agi solo interiori spiritu autumantes nullis visibilibus signis utuntur. Coadunari siquidem in veram Christi religionem debemus signaculis sensibilibus; egemusque ob naturæ infirmitatem, ac vulnera divinæ gratiæ instrumentis, quibus sanemur, erigamur, & perficiamur. Ablatis itaque sacramentis veteribus, quoniam impletum est quicquid prænuntiabant; *alia instituta sunt*, inquit lib. XIX. contra Faustum sapientissimus Augustinus, *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora*. Majora *virtute*, quia gratiam non solum promittunt, sed etiam conferunt: meliora *utilitate*, quia non solum a perditione subtrahunt, verum etiam perducunt ad regnum; faciliora *actu*, quoniam non perficiuntur mutilatione carnis, mactatione pecudum, oblatione munerum; sed humilitate cordis, communibus elementis, liberali dispositione; pauciora *numero*, quoniam innumeris expiationibus Pœnitentia una successit, tantisque Arcæ, & mensæ mysteriis Panis duntaxat Eucharisticus.

De *Sacramentorum* numero nunc dicturis bellum intentant Novatorum phalanges, qui modo unicum *Sacramentum* admittunt, ut Lutherus; modo duo, ut Calvinus, & Philippus Melanchthon; nunc tria, ut Brentius, & idem Philippus in Apologia Augustana, & Confessio Vitthembergensis: aliquando quatuor, ut Lucas Lossius in Catechismo: nonnumquam sex, ut Wilhelmus Postellus in principio libri, quem inscripsit *Panthenosian*. Collegit varias hæreticorum sententias Lindanus lib. IV. Panopliæ cap. 6. Jacobus Latomus adversus Tindalum pag. 193. Bellarminus lib. II. Sacr. cap. 23. Merbesius 3. P. q. 2. Cardinalis Gotti Tom. XIII. q. 3. dub. 2. &c. Verum communis, & magis recepta hæreticorum sententia est, *Sacramenta* proprie dicta esse tantum duo, idest, *Baptismum*, & *Cœnam*, ut scribunt Lutherus sub finem libri de Captivit. Babyl. & Calvinus in Antidoto adversus Sessionem septimam Tridentini. At contra hanc perversam, hæreticamque sententiam propugnant Catholici omnes, (uno excepto Durando, qui in IV. dist. 26. q. 3. etsi aliquo sensu Matrimonium esse Sacramentum pronuntiet, negat tamen in producendo gratiam convenire cum Sacramentis ceteris) *Sacramenta* esse septem, videlicet, *Baptismum*, *Confirmationem*, *Eucharistiam*, *Pœnitentiam*, *Extremam-Unctionem*, *Ordinem*, & *Matrimonium*, ut sancivit die 3. Martii anno 1547. sess. VII. canone primo Œcumenica Synodus Tridentina.

PROPOSITIO I. Septem sunt, nec plura, nec pauciora, Ecclesiæ *Sacramenta* nuper commemorata.

Catholica hæc veritas demonstratur primo e Scripturis; quæ de Baptismo agunt Matt. ult. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. item Marci XVI. 16. Ad Ephes. V. 26. ad Coloss. II. 12. prima Petri III. 21. &c. De Confirmatione legimus Act. VIII. 27. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. De Eucharistia Mat. XXVI. 26. & I. ad Corinth. XI. 23. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, &c.* atque Joannis VI. 41. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Pœnitentiæ institutionem, & vim gratiam conferendi ostendit quod legitur Joan. XX. 22. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Spectat ad Unctionem-extremam quod in Epistola Cath. ait Jacobus cap. V. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini*. Ordinis meminit Paulus I. ad Timoth. IV. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*; & 2. Epist. cap. I. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. De Matrimonio denique Matth. XIX. 6. scriptum extat, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: & ad Ephesios V. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Hæc autem scripturarum sanctarum loca, ubi singillatim disputabitur de quolibet Sacramento, vindicabimus ab ineptis, perversisque cavillationibus hæreticorum.

Corroborant deinde Ecclesiæ dogma sanctorum Conciliorum definitiones. Ac missis Constitutionibus Ricardi Poorensium Episcopi, de quibus vide Tom. XI. Concil. Labbei pag. Paris. edit. 250. Londoniense Concilium celebratum anno 1237. auctoritate Ottonis Apostolicæ Sedis Legati, eodem Volum. XI. pag. 532. hæc habet: *Sacramenta principalia, quæ sunt, & quot, propter simpliciores duximus exprimenda, sunt enim Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema unctio, Matrimonium, & Ordo*. Constantiense Concilium celebratum anno 1415. eumdem numerum Sacramentorum agnoscit, ubi sess. XV. damnat articulum VIII. Joannis Hus asserentis, *Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, & sicut filii infidelium sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, &c.* Vide memoratæ Collect. Tom. XII. pag. 130. At Concilium Florentinum, & Romanus Pontifex Eugenius IV. in Decreto unionis edito anno 1439. Tom. XIII. pag. 534. ita definit: *Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet, baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, ordo, & matrimonium*. Recensentur eodem ordine septem Sacramenta in Tridentino Canone paullo supra citato, Tom. XIV. pag. 776. hunc in modum: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum, anathema sit*.

Tertio probatur Ecclesiarum traditione: ut enim scribit Tertullianus de Præscript. cap. 21. *Sine dubio tenendum est, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei*. Traditionem hanc esse in Ecclesia Romana omnium aliarum Magistra, commonstrant quæ nuper produximus œcumenicorum Conciliorum, Florentini, ac Tridentini decreta: quæ etsi post sæcula multa fuerint celebrata, numerum tamen *Sacramentorum* non primo invexerunt, sed tamquam omnibus compertum recensuere, ita, ut nihil haberent hac in re quid Florentinis Patribus opponerent ipsi Græcorum schismatum Auctores. II. Longe ante memoratas Synodos de baptismo, pœnitentia, matrimonio, & reliquis Sacramentis emisit decretalem, *Ad abolendam*, lib. V. Decret. Greg. tit. 7. cap. 9. Lucius III. qui anno Domini 1181. init summum Pontificatum. III. Floruit paullo ante, & circa annum Domini 1140. Magister sententiarum Petrus Lombardus, qui septenarium *Sacramentorum* numerum adstruit in IV. dist. 2. Is vero non semel ab adversarius erroris insimulatus est circa alia doctrinæ capita, articuli enim ejus sex ac viginti, ut constat ex additione ad IV. sententiarum libros rejiciuntur nec defuere, qui ipsum hæresis nomine detulerint ad Alexandrum III. Illum quoque exagitavit Joachim Abbas circa Sanctæ Trinitatis dogma orthodoxum; tametsi sententiam Lombardi pro-

probarit sub Innocentio III. Lateranense Concilium. Quod tamen spectat ad numerum *Sacramentorum*, in nullo Commentariorum, quorum supra duo millia in lucem feruntur produisse, illius sententia refellitur. Traditionis autem antiquæ indicium est omnium conspiratio, ut diximus II. Volum. pag. 298. Idem asserendum de Hugone Victorino, qui floruit circa annum 1130. & tertio suorum operum Volumine de omnibus septem *Sacramentis* erudite pertractat. Floruerunt quoque ante Florentinum percelebres alii viri, qui tradiderunt eumdem *Sacramentorum* numerum, ut Lucas Tudensis, qui vixit circa annum 1240. & de septem *Sacramentis* scripsit libro 2. adversus Albigenses Tom. xxv. Biblioth. PP. pag. 214. & Paschasius Ratbertus, qui obiit anno 1351. & septem *Sacramentorum* novi Testamenti meminit lib. iv. in Lament. Jeremiæ Tom. ejusdem Biblioth. xiv. pag. 812. IV. Eamdem Romanæ Ecclesiæ traditionem comprobant testimonia veterum suis quæque locis producenda.

Africana Ecclesia Romanæ contermina, ac dogmate conjuncta septem *Sacramentorum* usum adstruit, ut dissert. 2. de Ecclesia Africana demonstrat eruditus Schelstratenus. Tertullianus enim illius Ecclesiæ antiquissimus cap. 40. de Præscript. commemorat baptismum, confirmationem, & Eucharistiam: quæ tria in idolorum mysteriis diabolus æmulatur. Cyprianus de baptismo pertractat epist. 73. de Confirmatione ep. 70. de Eucharistia epist. 63. ad Cæcilium. Optatus quoque Mileviranus baptismatis meminit libro adversus Parmenianum primo, & Eucharistiæ lib. 2. De Sacramento pœnitentiæ agunt Tertull. de Pœnit. Cyprianus de lapsis, Victor Vitensis lib. 2. de Persecut. Vandalica. De Sacramento Ordinis Concilium Carthaginense IV. De Matrimonio Tertullianus de Monogamia cap. 5. De Unctione extrema Auctor libri de beatitudine Catholicæ conversationis. De omnibus vero Sacramentis fulgidissimum Africanæ Ecclesiæ lumen Augustinus: de quo nonnulla infra, quoniam Calvinus autumat Sanctum Patrem duo tantum *Sacramenta* agnovisse. Profecto quæ hic innuimus, erunt locis distributa suis, ac interim sat erit legere eo loci Schelstratenum.

Orientales Ecclesias perpetuo septem *Sacramenta* agnovisse, facillimum est demonstrare. Primo enim singulorum inveniuntur apud eos Ritualia, quorum pleraque edidere Jacobus Goar, & Isaac Habertus, collegitque illustriora Edmundus Martene. Recte Allatius contra oppugnantes Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis consensum, pag. 820. *Si cæci non sunt*, inquit, *Græcorum rituales libros, Menæa, Triodia, Pentecostaria, Paracleticas, Euchologia sibi comparent, percurrant, examinent*. II. Eamdem Ecclesiæ Græcorum traditionem inserimus ex illius Ecclesiæ conspicuis, clarissimisque Scriptoribus. Photius primum, quamvis a Romana Ecclesia schismate separatus, in Biblioth. cod. 222. pag. 595. præter baptismum & Eucharistiam, alia sacramenta commemorat. Simon Thessalonicensis, cujus opera extant Tom. xxii. Biblioth. PP. plura de Eucharistia, de Ordine, & de Pœnitentia pertractavit. Plura de septem Sacramentis Epiphanius Græcus in libro de Religione Christiana a Petro de Monte Brixiensi latinitate donatus. Gabriel Philadelphiensis de septem *Sacramentis* prolixe agit, inter opuscula a Simonio collecta de fide Orientalis Ecclesiæ pag. 32. Joannes Palæologus septem Sacramenta profitetur in Confessione fidei: quam vide apud Raynaldum Tom. xvi. Annal. Eccles. ad annum Ch. 1369. n. 2. III. Exortis recentioribus Lutheri & Calvini hæresibus, accepta a Vitthembergensibus Confessione Augustana, anno 1576. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus gravissimam Censuram rescripsit latinitate, & luce donatam a Stanislao Socolovio: in qua cap. vii. pag. 59. legitur ex Patrum traditione, *unam sanctam Catholicam, & Apostolicam totius populi Christiani Ecclesiam esse: eorum hominum, qui ea omnia, quæ legibus antiquis perscripta sunt, a sacrisque canonibus definita, ab ipso denique spiritu Dei per sanctos Patres & sancita & firmata pie, & sancte servant & tuentur: in ea item ipsa Catholica & orthodoxa Ecclesia septem divina Sacramenta esse, baptismum scilicet, sacri unguenti unctionem, sacram communionem, ordinem, matrimonium, pœnitentiam, & extremæ unctionis oleum*, & pag. 65. *Hæc igitur sunt Ecclesiæ Dei Sacramenta, totque numero, hocque modo, & ratione, quod dictum est, nobis tradita*. Memoratus Gabriel Philadelphiensis Metropolita in libro de Sacramento Pœnitentiæ edito Venetiis anno 1600., & 1651. a Morino in Appendice ad Commentarium de sacris Ordinat. pag. 151. tractans de iis, quæ Sacerdos exquirere debet a Pœnitente, ait: *Præterea interrogabit eum, num dubitet de septem jam dictis Ecclesiæ Sacramentis*. IV. Anno 1642. a Parthenio Constantinopolitano Archiepiscopo celebratum est Concilium, cujus acta extant apud Labbeum Tom. xv. pag. 1714. ibique num. xv. de Calvino ita legitur: *In decimoquinto negat Ecclesiæ Sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram unctionem, sacrum oleum, confessionem cum pœnitentia, & honorabiles nuptias; quæ omnia, ut sacra, & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit*. Proximo num. xvi. asseritur, Calvinum nec de aliis duobus, *Baptismo*

scilicet, & *Eucharistia* recte sentire, quoniam tenet justificatum in baptismo non posse justitiam amittere, in Eucharistia autem negat verum Christi corpus adesse. Coptos Jacobitas recipere Sacramenta septem demonstrat eruditus Sollerius in Appendice ad Patriarchas Alexandrinos, sect. iii. pag. 140. ex Vanslebio, Coptorumque Ritualibus. Adeas Act. SS. Boll. Tom. v. Junii; necnon Goarium in Euchology. Græca pag. 367. Leonem Allatium de Ecclesiæ Occiden. & Orientalis perpetua consensione lib. iii. cap. 17. pag. 1297. Petrum Arcodium de Sacramentis lib. i. cap. 2. pag. 5. Emmanuelem a Schelstrate de Disciplina Arcani cap. vii. art. 1. pag. 105. Franciscum nostrum Farvacques de Sacram. in gen. cap. 3. §. 3.

Clarissimus Estius in iv. dist. 1. §. 13. scribit hunc numerum *Sacramentorum* teneri etiam ab Ecclesia Æthiopica, ut patet ex Damiano a Goes, qui de eorum religione scribens singulorum meminit. At lapsus est Theologus accuratissimus; nam in libro de Fide Æthiopum edito Lovanii anno 1540. & 2. Volumine Hispaniæ illustratæ pag. 1307., habetur Æthiopes, *neque confirmationem, neque extremam unctionem olei habere pro Sacramentis*. Verum in eo fidei Æthiopum libello permulta continentur absurda, ut, animam universorum hominum semine generari, & esse lucernam ex anima Adæ ab initio orbis succensam; servandam ex Apostolorum instituto circumcisionem; infantes in uteris matrum existentes *Sacramento* corporis Christi enutriri, & sacrari, aliaque id genus inepta & puerilia. Sciendum tamen est illam de fide Æthiopum narrationem esse cujusdam Æthiopis, cui nomen Zaga-Zabo, legati ad Joanem III. Lusitaniæ regem, & labefactatæ religionis; nam David Æthiopum imperator in literis ad Clementem VII. Pontificem Romanum datis anno 1524. eumdem verum Dei vicarium, Romanam Ecclesiam sanctam, & Apostolicam, hujusque dogmata inconcussa esse fatetur. Davidis epistolam profert eo loci Damianus a Goes. Ejusdem meminit Raynaldus Tom. xix. ad annum 1533. nu. 23. Liquet etiam ex Opusculo Petri Abbatis Æthiopis, cuso Romæ anno 1549. continente *Notas in Ritum baptismi* fol. 19. Æthiopes agnoscere *Sacramentum* confirmationis, sed illud conferre statim post baptismum: quod, & comprobat *Ordo confirmationem administrandi*, Tom. xxvii. Bibl. PP. pag. 643. Atque hinc patet, cur præcitatus Zaga-Zabo erraverit dicendo Æthiopes Confirmationem inter *Sacramenta* non recensere; quod nimirum una cum baptismo, non separatim, illam noverit ministrari. Postremo Æthiopes Orthodoxi recipiunt professionem fidei ipsis ab Urbano VIII. præscriptam, in qua continetur septenarius Sacramentorum expressus numerus. Atque his satis arbitror manifestam Ecclesiæ universalis in hoc catholico dogmate consensionem.

Quarto loco producam ipsorum hæreticorum assensum. Ac primo Hussitæ, dum ipsos ministros septem *Sacramenta* non conficere dogmatizabant, (ut constat ex sess. xv. Concilii Constantiensis) illorum profecto numerum universis, singulisque compertum minime inficiabantur. Anglos sub Henrico VIII. septem *Sacramenta* retinuisse, manifestum est, & ex confessione hæreticorum demonstratum a Bossuet lib. vii. Hist. Variat. num. 37. Lutherani in Apologia Confess. Augustanæ ad art. xiii. tria Sacramenta recipiunt, *baptismum, confirmationem, absolutionem*. Ordinem inquiunt non esse rejiciendum, si accipiatur pro verbi Dei ministerio. Haud negant confirmationem, & unctionem extremam sacras cæremonias esse, a Patribus derivatas: in matrimonio divinam institutionem agnoscunt; ideoque numerum *Sacramentorum* non rejiciunt, nisi quatenus sententia nostra vim habent gratiam efficiendi. De numero ergo *Sacramentorum* frustra blaterant. Videsis illustrem Bossuetium præcitati Operis lib. iii. num. 48. Valdenses, quos plurimum reformatæ, ut dicuntur, Ecclesiæ commendant, nullum *Sacramentum* inveniuntur negasse, sed cæremonias duntaxat. Lutherus de Captivit. Babylonica, & in Respons. ad articulos inde extractos scripsit se *non damnare septem Sacramenta*, quamvis existimaverit non posse ex scripturis probari. Philippus Melanchthon in locis suis communibus posterioribus inquit se *non rixaturum cum quoquam de numero Sacramentorum*. In Conventu Ratisponensi nulla fuit hac de re controversia. Adeas Consultationem Cassandri ad articulum 13. Confessionis Augustanæ. Demum Grotius in discussione Rivetiani Apologetici Tom. iv. pag. 698. ait: *Sacramentorum vox, quamquam per se latius patet, potuit tamen strictius sumpta ad septem illos actus externos interna significantes referri, quorum augustior in Scripturis est mentio, ut Baptismi*, Matt. xxviii. 19. *Marci* xvi. 16. *Confirmationis*, Act. viii. 17. *Eucharistiæ*, Matt. xxvi. 26. *Marci* xiv. 22. *Lucæ* xxii. 18. 1. *Corinth.* xi. 23. *Ordinationis*, 1. *Timoth.* iv. 14. v. 22. ii. *Tim.* 1. 6. *Pœnitentiæ*, Matt. xxviii. 18. 1. *Corinth.* v. ii. 11. *Corinth.* 11. 7. *Matrimonii*, *Ephes.* v. 32. *Unctionis infirmorum*, *Marci* vi. 13. *Jacobi*, v. 14. *Eminere interea, quæ veterum more Sacramenta dici possunt, illa septem agnoscunt & Lutherus, & Melanchthon*.

Tandem etiam probabili ratione confirmatur præ-

dictus numerus Sacramentorum. *Per baptismum enim*, inquit Florentinum Concilium cit. pag. 534. *spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam, & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam Unctionem: per ordinem vero Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur.* Consimilis est ratio S. Thomæ 3. p. q. 65. art. 1. exemplo earum rerum, quæ temporali vitæ necessaria sunt, confirmata: & quam profert Catechismus Romanus P. II. cap. 1. num. 20. Gabriel Philadelphiensis paullo supra laudatus cap. v. demonstrat septem esse sacramenta ex Theologalium, & Moralium virtutum numero, deinde ex septem donis Spiritus sancti, tum ex septem columnis, quas Sapientia excidit ad Ecclesiæ fulcimentum, ex septem buccinis, quæ muros urbis Jericho funditus everterunt, ex septem lucernis, quas vidit Propheta Zacharias, ex septem Naaman Syri lavationibus in Jordane, ex septem gradibus eorum, qui vitam agunt spiritualem, ex septem denique donis præcipuis resurgentium. Plura in his digna lectu. Hieremias Patriarcha in Censura Calvinianæ hæresis hujus septenarii numeri hanc ex Simone Thessalonicense profert congruentiam, petitam ex incommodis, quæ ex Adæ lapsu promanaverunt: *Baptismus* (inquit) *nos per Spiritum sanctum regenerat, cum mundam illam & impassibilem generationem nostram vitio primi parentis perdiderimus, & iniquitatibus concipiamur. Sacrum porro Chrisma, sive confirmatio, primum illud sigillum imprimit, ipsamque imaginem divinam in nobis renovat, roburque animæ auget, quæ omnia inobedientia primi nostri parentis vel deperdita, vel labefactata fuerunt. Sacra vero communio nos cum Christo jungit: per eamque veri corporis, & sanguinis ejus participes efficimur. Et ut per illam lethalem escam omnes mortui sumus, ipsoque paradiso ejecti, ita per corporis & sanguinis Jesu Christi spirituale alimentum vitæ æternæ restituimur, & corruptionem item deponentes cum ipso immortali Deo conjungimur, qui propter nos in carne nostra mortalis fieri voluit. Sacer autem ordo ea potestate, & facultate nos donat, qua est ipse præditus qui fecit & creavit nos. Et quemadmodum a principio omnium rerum, quæ sub aspectu cadunt, nos Dominos & principes constituit; ita nunc longe excellentius per Sacerdotium principes nos & præsides esse voluit: cæli enim ipsius claves Apostolis, illisque omnibus, qui perpetua successione in eorum loca suffici debebant, credidit. Nuptiæ vero condescensionis cujusdam, & indulgentiæ divinæ in hac mortali vita esse videntur, ob liberorum successionem, donec universitas hæc sua corruptione consistat. Neque enim voluit Deus, ut more belluarum ex fluxu & sordibus homo concipiatur; sed ipse benedixit nuptiis, ut non sine cælesti benedictione ortus nostri initia, & principia jaciantur. Pœnitentia vero correctionem, & restaurationem a lapsu efficit: quandoquidem post sacrum baptismum nulla jam alia curatio superest, præter eam quæ fit per conversionem, per lacrymas, eorumque delictorum quibus Deum offendimus plenam detectionem, ac per ipsam peccatorum fugam: in quo solo remedio, & curatione remissionis peccatorum nobis relictum est donum. Sacrum vero oleum, sive ultima unctio nobis divinitus tradita, & ipsa est divinum Sacramentum, atque ceremonia, divinæ nobis misericordiæ typum repræsentans; propterea que & ipsa remissionem peccatorum præbet, & ex multis infirmitatibus nos sublevat, eosque, qui digne illa utuntur, sanctificat. Et hæc quidem omnia salutis nostræ remedia ipse Jesus Christus, & Dominus noster nobis tradidit, & sancti ejus Apostoli.* Ita pag. 60. & seq. Hæc nos ex industria collegimus, tum quia Scholastici de hoc Ecclesiæ dogmate generatim perpauca tractant, & monumenta hæc fere omnia prætermittunt, tum quia mire commonstrant Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ consensum, tum denique quia videntur nobis pulcherrima, & quæ legantur dignissima.

PROPOSITIO II. Falsum est Angustinum agnovisse, qnemadmodum heterodosi autumant, duo tantummodo *Sacramenta*.

Quoniam Calvinus, Melanchthon, & hæreticorum alii, ut adstruant numerum *Sacramentorum* binarium, abutuntur quibusdam Augustini testimoniis infra explicandis, non abs re erit, si demonstremus sanctum Protoparentem plura *Sacramenta*, & quidem propria, agnovisse: quod anm jam avicerint Wilhelmus Lindanus in Panoplia lib. IV. cap. 7. Hieronymus Torrensis in Confess. Augustiniana lib. III. cap. 1. num. 5. Ruardus Tapperus in Explicat. Articulorum, quos jussu Caroli V. edidit adversus hæreses an. 1544. sacra Facultas Lovaniensis. art. 1. Farvacques noster Insulensis, ac Theologi alii clarissimi. brevi nos ad hunc modum confirmamus. I. Principio Sanctus Pater, etsi alicubi duo tantum Sacramenta commemorat, idest, Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ, alia tamen minime excludit, nam scribens ad Januarium ep. 118. nunc 54. num. 1. & de Sacramentis novæ legis pertractans ait, *Sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Ubi, si duo tantum noverat *Sacramenta*, cur non ait, *Quæ sunt baptismus, &c.* sed plurium exemplum proferens, inquit, *Sicuti est Baptismus?* cur etiam addidit, *Et si quid aliud, &c.?* Eadem phrasi, *Sicuti est baptismi Sacramentum, & celebratio corporis, & sanguinis Domini*, utitur Augustinus lib. III. de Doctr. Christ. cap. IX. numer. 13. ideoque frustra hunc locum objectat Calvinus. II. Augustinus supponit, dum fideles alloquitur, Ecclesiæ Sacramenta plura esse, quam duo, nec expressa recenset illorum numerum, quoniam putat iisdem fidelibus esse notissima; nam in Psalmum 141. num. 9. ait: *Multa Sacramenta aliter, atque aliter accipimus, quædam sicut nostis ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus.* Dum ait, *Multa*, profecto plusquam duo supponit: dum inquit, *sicut nostis*, ostendit se de re notissima habere sermonem: dum addidit, *quædam ore accipimus*, loquitur de corpore, & sanguine Domini: dum sequitur, *quædam per totum corpus*, innuit non solum baptismum, verum etiam Unctionem extremam, quæ duo Sacramenta olim per totum corpus accipiebantur. III. Libro 2. adversus Parmenianum cap. XIII. numer. 28. aperte Augustinus sacram ordinationem inter Sacramenta recenset, scribens: *Utrumque enim Sacramentum est* (Baptismus, & Ordo) *& quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.* Docet ibidem Augustinus, sicuti Baptismum, ita ordinationem non iterari, *ne ipsi Sacramento fiat injuria.* Ut ergo Baptismum, ita Ordinem Augustinus inter Sacramenta connumerat. IV. Idem Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 204. num. 139. scribit: *Et in hoc unguento* (de quo Lucæ XXIV. 47.) *Sacramentum Chrismatis vultis significari; quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* En dilucide ab Augustino assertum etiam Sacramentum Confirmationis. V. In libro v. contra Donatistas cap. XX. num. 28. probans Sacramenta etiam per improbos administrata suos producere effectus, ita ratiocinatus: *Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* Quo in loco distincta singulorum materia Augustinus quatuor saltem Sacramenta enumerat, idest, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem, atque ut Lindano placet, etiam Pœnitentiam, quam Veteres promiscue impositionem manuum, & Absolutionem appellavere. Loca, quibus Augustinus de quolibet Sacramento speciatim pertractat, ubi & nos peculiariter de singulis disputabimus, data opera explicabuntur.

AD ARGUMENTA HÆRETICORUM RESPONSIO.

Opp. 1. Nullibi divina Scriptura septem enumerat *Sacramenta*, nisi forte Apocalypsis XVII. 7. ubi *Sacramenta* dicuntur septem capita bestiæ. Non ergo alicubi, nisi in Ecclesia Antichristi, septem *Sacramenta* connumerantur.

Resp. heterodoxos nihil e Scripturarum silentio adversus nos concludere, quippe contendimus, non sola Scriptura, verum etiam Apostolicis Traditionibus Ecclesiæ inconcussa dogmata contineri; quod etiam ex hoc capite evincitur: nam cum de numero *Sacramentorum* Scriptura sileat; qua norma hunc definiemus, nisi ex traditione majorum? Deinde negamus in Scripturis Canonicis singula *Sacramenta* minime commendari. Illud præterea ab adversariis petimus, ubi *Sacramenta* in divinis Scripturis esse duo, vel tria tantummodo, declaretur? Scire etiam cupimus, quare hæretici credant quatuor esse Evangelia, cum in sacris literis nullibi scriptum sit, num sint quatuor, vel plura? Futilis ergo, fracta, atque nimium infirma est prior hæc impiorum hæreticorum argutatio. In ea vero parte, qua repetit *Sacramentorum* numerum tamquam excogitatum, fictumque e septem bestiæ capitibus, olet singularem dementiam, & maximam temeritatem. Principio enim, (ut Bellarminus notat lib. 2. cap. 27.) eo loci non septem *Sacramenta* dicuntur bestiæ capita, sed unum *Sacramentum mulier, & bestia, quæ portat eam, & habet capita septem, & cornua decem*; ideoque, si nugari fas est, eadem bestia est Lutherana hæresis, septem polluta vitiis, & quæ aliquando asseruit unum duntaxat dari *Sacramentum*, idest, Baptismum. Deinde septenario numero magna in Scripturis significari mysteria, diximus paullo supra cum Gabriele Philadelphiensi: quibus adde, quæ Bongus eruditus Bergomas de mystica numeri VII. significatione pag. 223. affert ad probandum septeno numero perfici omnem munditiem; quoniam septimo die emissa est columba, septem diebus a Moyse expiatum altare, septies sanguis contra sacrarii velum aspersus, diebus septem præscripta in Levitico immundorum purgatio; aliaque innumera, ingeniose quidem explicata, sed religiose tamen, ac temperanter.

Dices: Joannes cap. XIX. 34. ait de Christo, postquam tradidit spiritum, *unus militum lancea latus ejus aperuit*,

ruit, & continuo exivit sanguis & aqua. In quem locum scribit Augustinus Tract. 120. in Joan. num. 2. *Ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt*. Similia Augustinus docet lib. XXII. de Civit. Dei cap. 17. in Psalmum 103. serm. 4. num. 6. & alibi. Singillatim Græci PP. *in sanguine, & aqua* expressam asserunt *Eucharistiam*, atque *Baptismum*; scribit enim Cyrillus Alex. lib. XII. in Joan. pag. 1074. *Lancea latus ejus perfodiunt, unde cruor aqua mistus scaturiit, quod Eulogiæ Mysticæ, & sancti Baptismatis imago quædam erat, atque primitiæ*.

Respondent Theologi, Augustinum, & Cyrillum præcipua *Sacramenta* commemorare, quibus magis deprehenditur Ecclesiæ unitas, & communio, at non excludere *Sacramenta* reliqua. Verum quantum ad Augustinum attinet, aperte sermonem instituit de Ecclesiæ ex latere Christi ædificatione, ad quam concurrunt, *sanguis redemptionis*, per quem ille diaboli mancipia soluto pretio redemit, & sacrum *baptisma*, per quod filii Adæ regenerantur: alia autem *Sacramenta* sunt necessaria ad Ecclesiam hanc roborandam, nutriendam, purgandam. Et quidem Augustinus citatis in locis exemplum affert arcæ Noe, in qua factum est ostium, *quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura*, nec non primæ mulieris de latere viri dormientis productæ: unde ait in Joannem, *Hinc secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quæ de latere dormientis effluxit*; ac de Civit. Dei: *In cruce pendentis latus lancea perforatum est, atque inde sanguis, & aqua profluxit: quæ Sacramenta esse novimus, quibus ÆDIFICATUR ECCLESIA*. Idem docet Theophylactus in Evangelia pag. edit. Morelli 828.

Opp. 2. Adversatur statuto *Sacramentorum* numero Patrum traditio. Primo enim nunquam apud veteres septenarium hunc numerum adinvenies, nunquam primæva Ecclesia catalogum illum contexuit. Deinde cum antiquis consuetum esset fidei mysteria gentibus occultare, duo tantum ex Patribus novimus occultata, Baptismum, & Eucharistiam; nam Augustinus in Ps. 103. num. 14. ait: *Quid est, quod occultum est, & non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ. Opera enim nostra vident & pagani; Sacramenta vero occultantur illis*.

Resp. ad 1. neque olim Ecclesiam definivisse *Sacramenta* esse duntaxat duo. Præterea idcirco non definivit, quoniam res erat cuique fidelium notissima. Insuper hunc numerum servasse dicenda est, quando anathemate perculsit *Sacramenta* aliqua denegantes, ut sæculo tertio Novatianos non confirmantes neophytos, quarto Manichæos damnantes nuptias, quartodecimo Wiclefistas Unctionem abjicientes extremam. Tandem Ecclesia, uti Scripturarum sanctarum canonem, ita *Sacramentorum* numerum definivit, quando id opportunum esse judicavit ad reprimendam hæreticorum audaciam. Quod addebatur de Sacrorum mysteriorum occultatione, adversus hæreticos retorquetur. Enimvero ex S. Basilio de Spiritu sancto cap. 27. Tom. 2. pag. edit. Morel. 211. patet inter arcana, quæ scripto non produntur, connumerari *τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, olei inunctionem*: Chrysostomus hom. XVIII. in 2. Epist. ad Corinth. inter arcana solis initiatis manifesta recenset sacram ordinationem, precesque, & ceremonias in illa adhibitas, *καὶ ἐπιβοῶσιν ἅπερ ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. οὐ γὰρ δὴ θέμις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτεσθαι ἅπαντα*, pag. edit. Commel. 872. idest, *Et acclamant ea, quæ nota habent initiati. Neque enim fas est coram profanis cuncta detegere*. Hunc locum vidit etiam Casaubonus Exercit. XVI. in Baronium, num. 43. pag. 404. atque hinc Cl. Schelstratenus de Arcani disciplina pag. 18. demonstrat contra Tentzelium olim nondum initiatis plura, quam duo *Sacramenta* fuisse occulta. S. P. Augustinus eodem sermone in Ps. 103. num. 9. scribit: *Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in ceteris sanctis Sacramentis*. Numero itaque 14. duo commemorans, reliqua non excludit.

Opp. 3. Patres antiquiores, & celebriores ignorarunt septenarium numerum *Sacramentorum*. Justinus in Apologia ad Antoninum, quæ secunda dicitur, pag. 54. mentionem facit baptismatis, & pag. 97. Eucharistiæ: nullum aliud *Sacramentum* commemorat. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 34. Baptismi quidem, & Eucharistiæ meminit, ceterorum *Sacramentorum* nequaquam. Cyrillus Jerosolymitanus in Catechesibus Mystagogicis de tribus tantum *Sacramentis* pertractat, nempe prima, & secunda de Baptismo, tertia de Chrismate, quarta de Eucharistia. In eumdem numerum consentit Ambrosius lib. VI. de Sacram. cap. 2. postquam de his tribus prolixe egerat, concludens, num. 5. Tom. 2. pag. 381. *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia*. Tenet eumdem numerum Gregorius Magnus relatus in cap. *Multi sæcularium* 2. p. Decreti q. 1. causa 1. num. 84. ubi ait: *Sunt autem sacramenta, Baptisma, Chrisma, Corpus, & Sanguis Christi*. Igitur duo, vel ad summum tria *Sacramenta* sunt ex Patribus retinenda.

Resp. falsam esse hæreticorum consecutionem. Laudati enim Patres, duo, vel tria *Sacramenta* commemorarunt, prout postulabat suscepti operis ratio. Justinus de baptismo egit, ut retunderet impactam Christianis calumniam, quod malefica superstitione initiarentur; ac reponit, *etiam Dæmones cum lavationem hanc audissent per Prophetam promulgatam, effecisse, & ut ingressuri in delubra eorum, & accessuri ad illos, atque libationibus, & adipis nidoribus offerendis operaturi seipsos aquæ aspersione lustrarent*. Unde consequitur non posse in Christifidelibus damnari regenerationis lavacrum ab iis, qui suis in mysteriis adhibebant corporum lustrationes. Pertractat & de Eucharistia ad repellendam illorum accusationem, qui arbitrabantur in Ecclesiarum conventibus, & in sacra Altaris mensa trucidatas infantium carnes apponi, narrans distribui illic panem, & vinum, ac demonstrans non posse id redargui a paganis, quoniam & similia *in mysteriis, atque initiationibus Mithræ fieri docuerunt per imitationem pravi dæmones*. In sacrificiis enim Mithræ apponebant qui initiabantur panem, & aquæ poculum. In Apologia ergo pro Christianis elaborata Justinus ea vindicat, quæ opponebantur: si cetera irrisoribus manifestasset, nec se gessisset prudenter, nec servasset arcanorum disciplinam, nec Apologiam suos intra fines continuisset. Tertullianus in IV. contra Marcionem commemorat Baptismum, & Eucharistiam; quoniam hæc duo *Sacramenta* admittebat etiam Marcion, quem ita eo loci perstringit. *Si omnino negas permitti divortium a Christo, quomodo tu nuptias dirimis? Nec conjungens marem & feminam, nec alibi conjunctos ad Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ admittens, nisi inter se conjuraverint adversus fructum nuptiarum?* Ceterum Tertullianus de præscriptionibus cap. 40. meminit quoque ceterorum *Sacramentorum* de spiritu nequitiæ scribens, *ejusdem esse partes invertendi veritatem, qui ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos*; en æmulatio baptismi: *expositionem delictorum de lavacro repromittit*; en pœnitentiæ imitatio: *Mithra signat illic in frontibus milites suos*; vides Chrismatis usurpationem: *celebrat & panis oblationem*; id Eucharistiæ æmulatio quædam est: *Quid? quod & summum Pontificem unius nuptias statuit?* quasi scilicet ad consecrandum matrimonium, & Sacerdotum Hierarchiam commonstrandam. Vide Carolum Moreau Tom. 3. Tertull. pag. 573. Cyrillus, & Ambrosius docentes Catechumenos, quibus simul tria illa *Sacramenta* conferebantur, de his plenissime tractant, cetera tamen non expungunt. Nunquid enim Ambrosius negat *Sacramentum* Pœnitentiæ, de quo duos libros exornavit adversus Novatianos? Asserendum idem est de C. *Multi sæcularium*, in quo ideo trium *Sacramentorum* fit mentio, quoniam nonnulli temere affirmabant sanctificata non esse, dum conficiuntur eorum officio, *quorum vita aliorum oculis apparet ignobilis*: quamquam sententiam illam frustra inter opera Gregorii requires.

Opp. 4. cum Joanne Calvino lib. IV. Institut. cap. XVIII. num. 2. Augustinus quum de iis signis loquitur, quæ divinæ in nos gratiæ testimonia esse debent, duo ista enumerat, Baptismum, & Eucharistiam. Ad Januarium Epist. 118. nunc 54. *Primo*, inquit, *tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo nos subdidisse & sarcinæ levi. Unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit. Sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, & communicatio corporis, & sanguinis Domini, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur*. Item de Doctrina Christiana, lib. III. cap. 9. *A resurrectione Domini quædam pauca signa pro multis, eademque factu facillima, intellectu augustissima, observatione castissima ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina: sicut est baptismus, & celebratio corporis, & sanguinis Domini*. Cur nullam hic sacri numeri, hoc est, septenarii, mentionem facit? An verisimile est prætermissurum fuisse, si tunc fuisset in Ecclesia institutus? Imo cum Baptismum, & Cœnam nominat, alia subticet; annon satis innuit hæc duo mysteria singulari dignitate præstare, alias cæremonias inferiori loco subsidere? Ita Calvinus.

Resp. non solum Augustinum aliis in locis plura *Sacramenta* connumerare, verum etiam in iis, quæ Calvinus opponit, ipsius Calvini hæresim, & pervicaciam refellere; quippe, ut supra diximus, qui ex omnibus aliqua exempla producit, is cetera non excludit. Augustinus ad Januarium, & de doctrina Christiana, ad explicanda *Sacramenta* omnia profert exemplum Baptismi, & Eucharistiæ. Igitur Augustinus *Sacramenta* reliqua non excludit. Quid igitur, inquit Calvinus, ea subrienit? Respondet Lindanus p. 176. quod de signorum non agebatur numero, sed natura, sed vi, sed efficientia, quibus novi populi societas a Christo est colligata: quod cum ista duo Baptismus, & Eucharistia præ ceteris præcipue præstent atque efficiant, his duobus in præsentia contentus, alia silentio præteribat. Sed cur non omnia accensuit, cum sit alias, inquit Calvinus, in observandis numeris curiosior, quam necesse foret? Quia hominibus in Catholica Apostolicæ fidei doctrina institutis, & perseverantibus scribens,

rauca nondum audierat murmura contra ſaluberrimum *Sacramentorum* numerum obſtrepentia. Cur *putamus niſi quia diſputans in Catholica Eccleſia, non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur?* Hæc Lindanus reſpondens Calvino iiſdem verbis, quibus Auguſtinus reprimit objectamenta Juliani, lib. 1. cap. 6. num. 22.

Opp. 5. Vetuſtiſſimus Scriptor Dionyſius Areopagita in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia prolixe *de Sacramentis* pertractat, *De Baptiſmo* cap. 2. pag. edit. Plant. 261. *de Euch.* cap. 3. p. 282. *de ſacro unguento*, ſive Chriſmate, cap. 4. p. 329. & cap. 5. pag. 355. *de ſacrorum ordinum conſecrationibus*. Obiter cap. 7. pag. 415. etiam *reconciliationis*, & abſolutionis ſacerdotalis facit mentionem. Fruſtra in Dionyſii libro requires unctionem extremam, ac matrimonium. Nullum de his duobus extat verbum in libro quoque de cardinalibus Chriſti operibus in Appendice Cypriani, ſerm. de Ablutione pedum, & ſerm. de Unct. Chriſmatis, pag. novæ edit. 103. & 107. Sunt ergo iſta duo e *Sacramentorum* albo expungenda.

Reſpondent Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 65. art. 1. ad 3. Dionyſium (quiſquis ſit illius operis Auctor) de iis tantum *Sacramentis* pertractare, quæ in actionibus officiiſque hierarchicis potiſſimum conſiderantur, ideſt, quæ in Eccleſia exercentur quadam conſecratione: unde nec reconciliationis ſpeciatim meminit, niſi obiter, ac per tranſennam. Hunc eſſe illius operis ſcopum, apertum eſt ex priori capite, pag. 230. De Pœnitentia autem, quæ vix in hoc innuitur, manifeſtius loquitur Epiſtola ad Demophilum Tom. 2. pag. 108. Addo quarto capite de Eccleſiaſtica Hierarchia agi de Conſecratione *τοῦ μύρου*, *ſacri olei*, quo nomine ſignificari non tantum Chriſma, & Oleum catechumenorum, verum etiam oleum infirmorum, animadvertit pag. 341. Balthaſar Corderius. Et quidem dum ait Dionyſius pag. 339. *ſacri unguenti* non ſolum uſum eſſe in conſecrationibus, & in confirmatione baptizatorum, verum etiam *in aliis divinæ benignitatis operationibus*, videtur etiam commonſtrare gratiam in unctione extrema collatam. Auctor autem de cardinalibus Chriſti operibus in ſerm. de Ablutione Pedum pertractat de *Sacramentis*, quæ iterari non debent. *Nam baptiſmum*, inquit, *repeti Eccleſiaſticæ prohibent regulæ: & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere: nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renovat; nemo ſacro oleo lita iterum linit, aut conſecrat*. In ſermone autem de Unctione Chriſmatis agit de iis, quæ ſacro oleo peraguntur, & de fractione panis, & de menſa Euchariſtica: quæ feria quinta majoris hebdomadæ ſpeciali ritu celebrantur, & conſectantur. Verum quid hæc juvant Novatores denegantes *Sacramenta* ſacræ ordinationis, & Chriſmatis?[a]

Opp. 6. Primus omnium invexit numerum ſeptenarium *Sacramentorum* Magiſter Sententiarum in IV. diſt. 2. quem tamen nec omnes Scholaſtici ſecuti ſunt, nam Durandus, ut diximus, matrimonium rejicit e numero ſacrorum myſteriorum. Deinde Hugo Victorinus de Sacramentis Parte IX. pag. 291. ad illa ſeptem addidit Sacramenta quamplura, ideſt, aſperſionem aquæ cum ſale benedictæ, ſuſceptionem ſacrorum cinerum, benedictionem palmarum, cereum, qui in Sabbato ſancto benedicitur, & agnos, qui benedicuntur in ſolemnitate Paſchali. Neque dici poteſt Hugonem loqui de *Sacramentis* late acceptis, quippe iis explicatis cap. 10. ait: *Sunt alia quædam in Eccleſia ſacra, non tamen Sacramenta*. Ea ergo, quæ antecedenter commemoraverat, ſacramenta ſunt proprie dicta. Præterea ſi *Ordo* inter Sacramenta recenſeatur, cum ſeptem ſint ordines, erit ſacrorum myſteriorum numerus ſeptenario major duplo. Poſtremo cur in *Sacramentorum* catalogo non connumerabitur etiam profeſſio Monaſtica, & Martyrium, quæ duo ſaltem magnam habent ſanctificandorum hominum efficaciam?[a]

Reſp. Magiſtrum ſententiarum ex pervulgata traditione, non e cerebro ſuo tradidiſſe *Sacramentorum* numerum; alias quomodo mortalium nemo in dogma nuper excogitatum, & quidem in re graviſſima, acuiſſet ſtylum, cum dicta quæque Magiſtri Scriptores innumeri vellicaverint? De Durando reſpondent Juenin, & Card. Gotti Eccleſiæ mentem non fuiſſe aſſecutum. Verum Durandus, tametſi affirmaverit Matrimonium non habere cum aliis *Sacramentis* rationem *univocam*, neque gratiam efficienter conferre, qua in re plurimum aberravit a veritate, hanc tamen theſim præmittit in IV. diſt. 26. quæſt. 3. *Tenendum eſt abſolute, quod matrimonium eſt Sacramentum, cum hoc determinet Eccleſia, Extra de hæreticis, Ad abolendam, ubi enumerat matrimonium inter alia Sacramenta*. Hugo autem Victorinus IX. P. de illis Sacramentis pertractat, quæ non ſunt *Sacramenta* præcipua, & gratiæ per ſe efficientia, ſed de iis, quibus ſanctitas augetur per exercitationem devotionis; nam cap. 1. inquit, *Sunt quædam ſacramenta in Eccleſia, in quibus etſi principaliter ſalus non conſtet, tamen ſalus ex eo augetur, in quantum devotio exercetur*. Atque in horum numero recenſet aſperſionem aquæ, ſacros cineres, & alia ſuperius enumerata. Quæ omnia propria *Sacramenta* non eſſe, ex iis, quæ docet Hugo, inferri poteſt. Cap. enim 2. ex ritu benedicendi aquam demonſtrat ea contra ſpirituales nequitias, fideles eorumque habitacula communiri; idque etiam S. Thomas citata q. 65. art. 1. ad 6. Eſtius diſt. 1. §. 15. & unanimis traditio Scholaſticorum. At, inquis, nonne Aqua benedicta remittit venialia peccata? Negat id eo loci Eſtius, quoniam alias proprie conferret gratiam, & eſſet *Sacramentum*: affirmat tamen S. Thomas loco nuper citato, & Joannes Stephanus Durantus lib. 1. de Ritibus Eccl. cap. 21. pag. 71. Verum ſententiam mediam arbitror tenendam eſſe, ſcilicet, luſtralem aquam valere contra peccata venialia, non ex inſtitutione Chriſti, & tanquam ſignum efficax gratiæ, ſed ex precibus Eccleſiæ, & devotione eorum, qui aſperguntur: quam ſententiam docuit Joannes a Turrecremata S. R. E. Cardinalis in Opuſculo de Aqua benedicta cap. 6. Atque hinc liquet aquam benedictam Sacramentale quoddam eſſe, non *Sacramentum*; cum gratiam ex opere operato, & ex Chriſti inſtitutione non conferat. Idem aſſerendum de ſacris cineribus, quæ ut cap. 3. inquit Hugo, *feria quarta quando jejunium votivum ſuſcipitur, capitibus fidelium imponuntur, ob recordationem mortalitatis noſtræ*. Vide de Sacris cineribus Angelum Rocca Tom. 1. pag. 217. & orationem Adeodati noſtri Senenſis habitam anno 1552. in Tridentino Concilio, Tom. XIV. pag. 1524. Idem de Cereis, palmarum ramis, aliiſque Sacramentalibus eſt aſſerendum. Scite Londonienſe Concilium ſupra laudatum *Sacramenta principalia* ab his docet eſſe diſtincta. Dum Hugo Victorinus cap. 10. ſcribit, alia eſſe in Eccleſia ſacra, quæ tamen non ſunt Sacramenta, *Sacra* ea dicit, quæ nec per ſe, ut Sacramenta ſeptem, neque exercitatione virtutum conferunt ſanctitatem, ut ſunt ornamenta Templorum, & poſſeſſiones Eccleſiarum, & alia, quæ *ſacra* appellantur, quoniam Divinis miniſteriis, & clericorum ſuſtentationi deſerviunt. Profeſſio Monachalis non alia ratione a quibuſdam Græcorum dicitur *Sacramentum*, niſi quatenus per eam ſacris myſteriis viri religioſi initiantur, aut ſaltem devovent ſe ſacræ cuidam militiæ, cum nullam talis profeſſio largiatur ſanctitatem, niſi ratione devotionis, & humilitatis voventium. Quid vero Martyrium? Iſtud quidem ob caritatem, fidem, ac patientiam Martyrum largitur eis ſanctitatem; ſed non habet inſtitutionem Chriſti, neque ſanctificationem verborum, neque ſignificationem gratiæ, ut inquit in IV. diſt. 4. Sanctus Bonaventura, ideoque non eſt *Sacramentum*. Omnes denique Ordines ad unum Sacerdotium, tanquam ad ſui complementum, ac terminum referuntur, ideoque ſimul cum presbyteratu unicum Sacramentum conſtituunt.

CAPUT VI.

Oſtendit lotionem pedum inter vera Sacramenta *non eſſe connumerandam.*

HÆreticorum quidam objiciunt adverſus ſtatutum numerum *Sacramentorum*, quod ſemel *Sacramentis* aliis præter baptiſmum, & Euchariſtiam admiſſis, neceſſum ſit admittere alia complura, præſertim vero pedum lotionem, de qua videtur Joan. XIII. haberi divinum mandatum, & promiſſionem gratiæ ſanctificantis; cumque ex alia parte ſit viſibile ſignum, & ritu peragatur externo, videtur omnia comprehendere, quæ requiruntur ad veri *Sacramenti* rationem. At lotionem pedum non eſſe *Sacramentum* proprie dictum tenent Catholici omnes, Bellarminus maxime lib. 2. cap. 24. Tournely q. 2. art. 4. Boucat art. ult. ſect. 1. qui argumentum illud ſtilo fuſiori proſequuntur, atque ante hos omnes Lucas Tudenſis lib. 2. adverſus Albigenſes, Tom. XXV. Bibl. PP. pag. 215.

Antequam nos aliquid ſtatuamus, præmittimus ablutionem pedum fuiſſe in quibuſdam Eccleſiis in uſu, dum conferretur baptiſmus. De Eccleſia Mediolanenſi teſtem habemus S. Ambroſium lib. de Myſteriis cap. 6. & lib. 3. de Sacram. cap. 1. necnon in Ceremoniali Ambroſiano Beraldum. Eamdem conſuetudinem obtinuiſſe olim in Gallicanis Eccleſiis, ex antiquis Miſſalibus editis in *Codice Sacramentorum* a Joſ. Thomaſio, & in Muſeo Italico a Mabillonio, obſervarunt Monachi Benedictini in notis ad Ambroſ. Tom. 2. pag. 362. & Martene lib. 1. de Eccleſ. Rit. cap. 1. art. XV. num. 8. Addimus viguiſſe olim eamdem conſuetudinem in Ægypto, ut colligit Joſ. Vicecomes de Antiq. Baptiſmi rit. lib. 3. cap. 17. pag. 243. ex vita Serapionis Sindonitæ ſcripta a Palladio in Hiſt. Lauſiaca cap. 83. ſect. 79. Tom. 1. Bibl. Vet. PP. pag. 1006. ubi narratur Serapionem *avulſis a theatro mimis, & Chriſtiana religione imbutis lavaſſe pedes, ac miniſtraſſe baptiſmum*.

Verum conſuetudo iſta nec ſemper viguit, neque ubique locorum. Enimvero extat canon 48. Illiberitanus apud Aguirre Tom. 1. pag. 605. *Neque pedes eorum* (qui baptizantur) *lavandi ſunt a Sacerdotibus, vel Clericis*. Inveriſimile autem non eſt loco lotionis pedum ſubſtitutum *capitilavium* in Eccleſiis Hiſpanicis, ut idem Aguirre ex Iſidoro lib. 6. Etymol. cap. 17. conjectat. S. Ambro-

ſius citato lib. III. de Sacram. cap. I. num. 5. ait in Romana Eccleſia conſuetudinem hanc non haberi: cumque præcedenti num. 4. ſcribat, *Succinctus ſummus Sacerdos pedes tibi lavit*, ideſt, Epiſcopus, qui eo ſæculo ſummi Sacerdotis nomine vocabatur; non caret probabilitate morem illum lavandi pedes baptizatorum manaſſe ex ritu Romanæ Eccleſiæ, in qua ex antique conſuetudine ſummus Pontifex ad levandos pauperum pedes ſe Chriſti exemplo demittit. S. P. Auguſtinus epiſt. ad Januarium 118. nunc 34. num. 10. lavandi baptizandorum pedes conſuetudinem ortam putat, ex quo eorum *corpora per obſervationem quadrageſimæ ſordidata, ad fontem abſque offenſione ſenſus non poſſent tractari, niſi aliqua die lavarentur*. Non tamen Auguſtinus ibidem docet hunc ritum fuiſſe omnino profanum; addit enim ad hanc lotionem diem illum fuiſſe electum, *quo cœna Dominica anniverſaria celebratur*; & proxima Epiſt. 55. cap. XVIII. num. 93. cur iſte dies electus fuerit, docet his verbis: *De lavandis vero pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit, ſicut ipſe conſequenter expoſuit, quæſitum eſt quonam tempore potiſſimum res tanta etiam facto doceretur, & illud tempus occurrit, quo ipſa commendatio religioſius inhæreret*. Manifeſtum eſt ergo lotionem pedum humilitatis cauſa, & ad Chriſti imitationem exerceri. Inquirendum remanet, an ſit proprie *Sacramentum*, vel ſaltem pars *Sacramenti* baptiſmatis.

Prop. Lotio pedum neque *Sacramentum* eſt, neque ad *Sacramentum* baptiſmi eſſentialiter pertinet.

Demonſtratur prima pars. Quod eſt inſtitutum ad exemplum, & exercitium humilitatis, non ut efficax ſymbolum ſanctificantis gratiæ, non eſt *Sacramentum* proprie dictum. Lotio pedum peracta e Domino eſt ad exemplum, & exercitationem humilitatis. Igitur lotio pedum non eſt *Sacramentum* proprie dictum. Prob. minor; nam ipſe Dominus Joan. XIII. 14. peractæ lotionis cauſam demonſtrans, ait: *Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus, & Magiſter; & vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Quibus proculdubio docet impendendum eſſe proximo quodlibet humanitatis officium, neque, ubi id aliorum ſalus poſtulet, fugienda eſſe miniſteria infima, atque viliſſima; quum Dominus ac Magiſter præcinctus linteo laverit, & exterſerit pedes diſcipulorum. Recte Cyrillus Alex. in Joan. pag. 727. *Ex his docet non debere quemquam contra aliorum honorem inſolenter efferri, ſed exiſtimare conſervum ſuperiorem eſſe, & quavis in re præponendum*. Nota per id temporis factam inter diſcipulos contentionem, *quis eorum videretur eſſe major*, Lucæ 22. 24. & S. P. Auguſtinus Tract. LVIII. in Joannem num. 4. *Didicimus, fratres, humilitatem ab excelſo: faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit excelſus*. Præterea per lotionem pedum nulla gratia collata eſt; ſed demonſtratum duntaxat homines etiam juſtos habere quotidiana peccata venialia, quorum in Dominica oratione veniam petimus, & quæ delentur pietatis, humilitatiſque exercitio. Enimvero verſu 10. ait Chriſtus: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus: & vos mundi eſtis, ſed non omnes*. Si Apoſtoli, Juda excepto, mundi erant, & quidem toti; quare indigebant lotione pedum? Reſpondet Auguſtinus Tract. 57. num. 4. *pedum* nomine ſignificari humanos affectus, *ſine quibus in hac mortalitate non vivitur*, & quibus ſubrepentibus aliqua labe inquinamur, ob quam debita noſtra in Oratione Dominica confitemur, atque hoc pacto *quotidie pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis*. Vide in hunc locum & Eſtium. Placet mihi admodum & interpretatio Theophylacti pag. edit. Morel. 754. *Lavacrum non facit, ut intelligamus purificationem peccatorum Apoſtolorum (mundi enim eſſe perhibentur) ſed ſymbolum eſt, quod mittendi ſint in prædicationem, & tranſvehant etiam ad alios homines puritatem, quæ ipſis data eſt per verbum Dominicum. Idcirco & Petrus inquit: Non ſolum pedes meos lavet, ſed & caput, hoc eſt, non ad prædicationem tantum mittas me, ſed & caput meum per martyrium purifica*. Ex quibus ita ratiocinamur: Aut *lotio pedum* ſignificet purgationem venialium peccatorum, quæ oratione, & humilitate expiantur, aut Apoſtolicam prædicationem, non eſt efficax ſignum gratiæ ſanctificantis, ſed ſymbolum earum rerum, quæ ad ipſam gratiam diſponunt. Atqui ex Evangelico textu, ac Petrum interpretamentis *lotio pedum* ſignificat expiationem venialium per orationem atque humilitatem, ſive miſſionem Apoſtolorum ad Evangelium prædicandum. Igitur *lotio pedum* non eſt gratiæ ſanctificantis ſignum efficax. Inſuper ſi gratiæ promiſſio eſſet in lotione pedum, maxime quoniam verſu 8. legitur, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Verum hæc verba, ſi remiſſionem peccatorum ſignificant, non ſignificant remiſſionem factam vi externæ illius ablutionis, ſed exercitatione humilitatis, & quotidiana oratione, ut loquitur Auguſtinus; neque enim aqua ille in pelvim miſſa ad pedes lavandos dicitur aut *lavacrum vitæ, aut regenerationis, aut renovationis, aut remiſſionis peccatorum*, quemadmodum appellatur baptiſmus: ſed aſſerimus tantum minima quoque peccata purganda eſſe, ut regnemus cum Chriſto. Si vero eadem verba commonſtrent Petrum non habiturum fuiſſe cum Chriſto partem, nec ulterius futurum familiarem & amicum Domini, ob inobedientiam, non ob alicujus *Sacramenti* contemptum, ideſt, ut inquit Cyrillus pag. 723. *niſi inuſitatam hanc, & inſolitam humilitatem didiciſſet*, futurum regni cælorum expertem; nec etiam hoc ſenſu *lotioni pedum* annexa eſt gratiæ juſtificantis certa promiſſio, ſive virtus effectrix. Nequit ergo ob ſententiam illam Dominicam inter principalia *Sacramenta* connumerari. Poſtremo, ut aqua ſive elementum, aut materia alia naturam induat *Sacramenti*, & gratiam producat, opus eſt, ut verbis, quæ formæ vicem gerunt, determinetur ad gratiam ipſam producendam. At neque Chriſtus dum lavit pedes diſcipulorum, neque Sacerdotum quiſpiam exemplo Chriſti hanc lotionem exercens, determinavit unquam verbis *conſecratoriis* aquæ elementum ad gratiam efficiendam. Ergo nunquam lotio pedum ad *Sacramenti* dignitatem evecta eſt.

Pars ſecunda propoſitionis demonſtratur: nam quod neque in Eccleſia Romana ſervatur, neque in aliis Eccleſiis ubique, neque eadem die, quo baptiſmum confertur: nequit eſſe pars eſſentialis baptiſmi. Atqui *lotio pedum* neque in Eccleſia Romana cum baptizandis ſervatur, neque poſt Illiberitanos canones in Hiſpanica, & in quibuſdam Eccleſiis alia die, ab ea qua tinguntur catechumeni, ſolita fuit adhiberi. Ergo *lotio pedum* non eſt eſſentialis pars *Sacramenti* baptiſmatis. Egregie Auguſtinus ad Januarium Epiſt. 55. num. 33. *Sed ne ad ipſum Sacramentum baptiſmi videretur pertinere, multi hoc in conſuetudine recipere noluerunt. Nonnulli etiam de conſuetudine auferri non dubitaverunt. Aliqui autem, ut hoc & ſacratiori tempore commendarent, & a baptiſmi ſacramento diſtinguerent, vel diem tertium octavarum, vel etiam ipſum octavum, ut hoc facerent elegerunt*. Præterea aqua ad lotionem pedum adhibenda hauriebatur ex fontibus ante Eccleſiæ fores conſtructis, quos in antiquæ Eccleſiæ poſitos, ut ingreſſuri in templum manus, pedeſque lavarent, conſtat ex hiſtoria Euſebii lib. X. cap. 4. pag. edit. Valeſii 380. Ad hunc finem conſtructum fontem in atrio Baſilicæ Felicianæ ſcribit S. Paulinus Epiſcopus Nolanus epiſt. 12. ad Severum, pag. edit. Plantin. 153. quod de fonte Vaticano accepit lib. 3. de Rit. Bapt. cap. 18. Vicecomes. Neque adhibita ad lotionem pedum aqua aliquo ritu conſecrabatur, cum nullibi extet hujus conſecrationis veſtigium. At ſi *lotio pedum* ad *Sacramentum* baptiſmi pertinuiſſet, aqua ex eodem fonte fuiſſet hauſta, & ritu aliquo conſecrata. Inſuper ſi *lotio pedum* pertinuiſſet ad baptiſmatis *Sacramentum*; cur non etiam lotio capitis, quam baptizandis factam liquet ex Iſidoro lib. 6. Etymolog. cap. 18. & lib. 1. de Eccleſ. Off. cap. 27. nec non ex Rabano lib. 2. Inſtit. Cleric. cap. 35. aliiſque monimentis productis a Martenio lib. 1. de Antiq. Rit. cap. 1. art. 17. nu. 1. atque longe ante a præcitato Vicecomite lib. III. cap. 15. *Capitilavium* vero, uti appellabant, *Sacramentum*, aut *Sacramenti* partem fuiſſe, quis prudens exiſtimabit? Ad hæc poſt Concilium Moguntinum celebratum anno 813. omnes fere Eccleſiæ tam pedum, quam capitis lotionem prætermiſerunt: ut neque a Romana Eccleſia diſſentirent, neque rudes aliqui ea ablutione contenti negligerent ſalutare regenerationis lavacrum. Singuli itaque traditionum cuſtodes Epiſcopi teſtati ſunt lotionem pedum ceremoniam tantummodo eſſe, non *Sacramentum*. Poſtremo S. Ambroſius lib. 1. de Sacramentis cap. 1. haud obſcure docet lotionem pedum ceremoniam quamdam eſſe receptam conſuetudine Mediolanenſis Eccleſiæ, ac pertinentem ad diſciplinam, non *Sacramentum* proprie dictum, aut rem ſpectantem ad dogma, aut ad integritatem baptiſmi. Primo namque ait ſequi ſe in omnibus Romanam Eccleſiam, quæ hujus lotionis non habet conſuetudinem: *Non ignoramus* (inquit num. 5.) *quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur, & formam: hanc tamen conſuetudinem non habet, ut pedes lavet*. Poſtea inquit ſe in lotione pedum adhibenda ab Eccleſia Romana recedere, ſcribens: *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam: ſed tamen & nos homines ſenſum habemus, ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos rectius cuſtodimus*. Quid eſt autem Eccleſiam Romanam in omnibus eſſe typum, & formam, eamque ſequi beatum Ambroſium, ſed circa lotionem pedum ab ea diſſentire, niſi eamdem lotionem ad diſciplinam ſpectare, non ad dogmata, & ceremoniam eſſe, non *ſacramentum*? Enimvero in iis, quæ diſciplinam ſpectant, non violata Romanæ Eccleſiæ auctoritate ſuprema, poſſunt Epiſcopi Eccleſiarum ſuarum tenere conſuetudinem; quum juxta Auguſtinum citata ad Januarium Epiſt. numer. 34. *Saluberrima regula retinenda ſit, ut quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum ſit*. Recte itaque Ambroſius retinuit Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem; recte etiam Carolo Magno imperante, dum corrigendæ eſſent diſſenſiones Eccleſiarum, in

Mo-

Moguntiaca Synodo, canone 4. Tom. VII. Concil. pag. 1242. statutum fuit, ut Sacramentum baptismatis *concorditer atque uniformiter in singulis parochiis secundum Romanum ordinem celebretur*. Quoniam juxta Augustini regulam saluberrimam consuetudines, quæ habent exhortationem virtutis, ut lotio pedum facta ad imitationem Dominicæ humilitatis, servantur utiliter; & ubi subrepant dissidia, ac detrimenta plebis, abrogandæ sunt, sive ad normam universalis, & Apostolicæ Ecclesiæ sunt reformandæ. Atque ex his liquido constat lotionem pedum nunquam ad *sacramentum* baptismatis pertinuisse, sed ad consuetudinem, ad disciplinam, ad ritum, ad ceremoniam.

Unum videndum restat, quo sensu aliqui Patrum appellaverint eamdem lotionem *Sacramentum*, eamque dixerint sanctificationis mysterium, quod visum quibusdam explicatu difficile, licet sit obvium ac planum. Ac primo videtur difficultatem ingerere quod S. Ambrosius scribit lib. de Mysteriis cap. 6. num. 32. *Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum: quando eum supplantavit serpens, & persuasit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur*. Et in 3. de Sacram. cap. 1. numer. 5. refellens eos, qui asserebant, non in mysterio lavari pedes baptizatorum, sed in signum humilitatis, veluti dum hospites excipiuntur, ait: *Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique unde quia mysterium est, & sanctificatio: Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem*. In fine ejusdem capitis num. 7. *Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis*. Videtur ergo Ambrosius tribuere pedum lotioni rationem mysterii ac *Sacramenti*, & virtutem sanctificandi.

Auctor etiam sermonis de Ablutione pedum inter opera Cypriani pag. CVI. scribit: *Ait Dominus, Nisi lavero te, non habebis partem mecum. Paulatim mysterii hujus declaratur necessitas, quam conditio propositu inevitabilem reddit*: paucisque interjectis, *Supra diximus semel lotos baptismate, eodem lavacro ulterius non egere: sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum*. Accedit S. Eligius Noviomensis Episcopus, qui floruit sæculo VII. obiitque juxta Chronicon Sigeberti, an. 665. In hom. IV. in Cœna Domini Tom. XII. Bibl. PP. pag. 305. hæc habet: *Ut igitur audivit vestra dilectio; hæc omnis pedum lotio, nostrorum peccatorum est purgatio: unde non incongrue hac ipsa die, sicut Ecclesia tenet consuetudo, pœnitentium fit reconciliatio*.

Difficiliora videntur quæ leguntur in sermone s. de Cœna Domini Tom. II. Epist. S. Bernardi pag. 75. Eo loci primum Bernardus lotionem pedum connumerat inter *Sacramenta*, scribens num. 2. *In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus initium Sacramentorum omnium*. Deinde num. 4. affirmat Bernardus pedum lotionem revera fuisse Sacramentum significans peccatorum remissionem, hisce verbis: *Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus sacramentum pedum ablutionem*. Deinde probat lotionem pedum non fuisse solum factam ad humilitatis exemplum, verum etiam ut *Sacramentum* ad peccatorum expiationem, ad hunc modum: *Vis autem nosse quod pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est, Si non lavero te, non habebis partem mecum. Aliquid igitur latet, quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei*. Paullo infra: *Et unde scimus quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & a quibus plene cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus, & caput pariter ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*. Quibus S. Bernardus aperte demonstrat, pedum ablutionem pertinere ad abluenda venialia peccata.

Verum hæc omnia facile diluuntur, si animadvertamus, quæ supra ex Augustino diximus, pedum ablutionem, ut factam a Christo, atque ad ipsius exemplum ab Ecclesiæ pastoribus, non esse officium humanitatis, quo hospites urbane excipimus & honoramus, sed ritum sacrum, ac mysticum, quo significatur indigere nos præter gratiam, quam conferunt principalia *sacramenta*, quotidiana oratione, ut nobis venialia in pulvere pedum expressa divinitus condonentur, atque infirmitas humani arbitrii adjuvetur gratia reparatoris, ne concupiscentia nobis vitio primi hominis inseminata, & in regeneratis permanens ad agonem, in graviora flagitia, æternamque perditionem nos trahat. Vide Augustinum 2. p. Tom. 3. pag. 657. Recte Augustini mentem assecutus est Lucas Tudensis Tom. XXV. Bibl. PP. pag. 215. scribens: *Illa pedum ablutio non inter præcipua computatur Ecclesiæ Sacramenta, quia tantum per eam venialium indulgetur venia peccatorum, & humilitatis obsequia commendantur. Teste namque Domino, qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet; ac si diceret, qui mundus est a majoribus delictis, ut perfectus sit, abluatur etiam a superfluis cogitationibus, otiosis sermonibus, & minoribus culpis: quia dum sancti in vita præsenti degunt, difficillimum est ita caute vivere, quin saltem tenui venialium pulvere respergantur. Pes enim eum per terram graditur, ipsius terræ vel atomis in toto, aut in parte respergitur. Qui nisi abluantur frequenter, parvissimi pulveris sordidantur respersione frequenti. Non ergo minima negligenda peccata, quæ plerumque contemptum generant, qui ducit ad mortem*. Hoc itaque sensu ablutio pedum dicitur *Sacramentum*, atque mysterium, in quantum significat remissionem peccatorum venialium, quæ quotidie lavari debent oratione, humilitate, aliisque remediis in ipsa lotione pedum expressis. Si enim ipsa *lotio pedum* ad venialia expianda requireretur, non quod in lotione significatum est; non semel in anno, nec in sola ceremonia baptismatis pedes sacro ritu lavandi essent, sed omni prorsus die: quotidianis quippe peccatis quotidiana remedia sunt adhibenda.

Ac nihil aliud profecto docent Ambrosius, Arnoldus Bonæ-Vallis, auctor, ut fertur, sermonis Cypriano tributi, Eligius Noviomi in Belgio Antistes, & mellifluus Ecclesiæ Doctor Bernardus. Sanctus enim Ambrosius per baptismum omnia peccata dimitti docuit, non solum in libro de Philosophia, qui non extat, laudatur tamen ab Augustino lib. 2. contra Julianum cap. 5. num. 14. ubi legitur, *Ille justificatus a peccato, qui per baptismum peccata omnia remittuntur*, nec non lib. 3. Offic. cap. 18. nu. 103. in Psalmum XXXVI. num. 63. & lib. 2. in Lucam num. 79. verum etiam in iis locis, quæ objiciuntur: nam in lib. de Mysteriis ait *nostra peccata per baptismum relaxari*, & in III. de Sacramentis, *In baptismo*, inquit, *omnis culpa diluitur*. Quomodo ergo juxta Ambrosium in lotione pedum est mysterium sanctificationis, quomodo abluitur planta pedis ut tollantur hæreditaria peccata, quomodo lavamus pedes, ut laventur venena serpentis? Profecto non alio sensu, nisi quatenus concupiscentia, serpentis fraude ingenerata, per quam quotidie in plura peccata prolabimur, lotione pedum, & exercitatione humilitatis frenatur, atque ita pedum ablutio non delet inquinamenta peccati, sed tribuit aliquod sanctificationis subsidium. Explicat enim Ambrosium Ambrosius ipse scribens in Ps. 48. num. 9. Tom. 1. pag. 948. *Lavemus & pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum, & ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito: & non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis*. Atque eodem lib. III. de Sacram. num. 7. *In baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa: sed quia Adam supplantatus a Diabolo est, & venenum ei effusum super pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedas, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio*. Ob eamdem rationem quod lotio pedum significet auferendum calcanei lubricum, & corroborandam exercitatione virtutum hæreditariam infirmitatem, scripserat Ambrosius præced. num. 5. in lotione pedum latere mysterium sanctificationis, nec esse illam eodem loco tenendam, quo habetur ablutio hospitum facta ad solam honestatem hospitii.

Idem plane docet Auctor sermonis de Ablutione pedum, commendans *mysterii hujus necessitatem*, quatenus necessarium nobis est, ut exemplo Magistri non dedignemur humilitatis officia in alterutrum exercere, quoniam *ad expiationem proficit humilis pietas, & pia humilitas*, & per ablutionem pedum *recte cognitam & intellectam adhærentes animæ sordes quotidiana satisfactione lavantur*. Ubi non ait, lavari sordes ipsa pedum materiali ablutione, sed *ablutione recte cognita & intellecta*, idest, quotidiana satisfactione, sive humilitate quotidie exercenda. Explicat sese apertius ita Deum alloquens: *Propter hoc, benignissime Domine, pedes lavas discipulis, quia post baptismum, quem sui reverentia non patitur iterari, aliud lavacrum procurasti, quod numquam debet intermitti: tamen ipse quod doces facis, ut quanti quæstus hoc opus sit, ex tua bonitate discamus, & inclinata ad pedes nostros altitudine tua, stans adversus proximum, & erigens se contra Deum confundatur superbia hominum, & ad humilitatem Dei noverit de se humilia sapere lutum*.

Docet idem prorsus Sanctus Eligius, & quoniam eo temporis fiebat Feria V. in Cœna Domini *reconciliatio pœnitentium*, ut patet ex Epistola Innoc. I. ad Decentium, ex Epistola Hieronymi ad Oceanum, ex canone IX. Conc. Agathensis, & ex Pontificali Romano P. III. tit. 3. notisque in hunc titulum Josephi Catalani, viri plurimum eruditi; ideo beatus Eligius in homilia de Cœna Domini monet lavandos esse pedes ad reconciliationem obtinendam, idest, dimittenda peccata alterutrum, atque in signum reconciliationis fraternæ invicem pedes abluendos. *Nos quoque*, ait, Christi *exemplo, & mandato commoniti, & corporaliter hoc agere, & multo magis spiritaliter debemus invicem pedes lavare: hoc est, alterutrum peccata dimittere, &*

pro

pro eisdem a Deo dimittendis invicem exorare, sicut & Apostolus admonet: Donantes vobismetipsis, si aliquis adversus aliquem habet culpam, sicut & Dominus donavit nobis, ita & nos invicem.

Eadem denique est sententia S. Bernardi: qui loco citato ait quidem ablutionem pedum esse sacramentum, sed non *Sacramentum* proprie dictum conferens remissionem peccatorum, sed sacramentum late acceptum significans remissionem peccatorum quotidianorum, & aspersionem pravarum affectionum, quæ non lotione pedum purgantur, sed largitate divina, quam in Dominica oratione quotidie petimus. Quare etsi Bernardus recenset ablutionem pedum inter *Sacramenta* simul cum Eucharistia & Baptismo; innuit tamen inter hæc discrimen, quod ista duo sint signa gratiæ efficacia, ideoque propria *Sacramenta*, lotio autem pedum significet, non operetur venialium peccatorum remissionem. Et quidem eodem sermone de Baptismo ait: *Quæ est ergo gratia, unde per baptismum investimur? Utique purgatio delictorum*: & infra, *Lavamur igitur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ*. De Eucharistia etiam inquit: *Duo illud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum*. At nihil tale asserit Abbas Claravallensis de lotione pedum. Ait quidem in hac latere sacramentum, scilicet quotidianorum peccatorum remissionem. Verum ait ne, remissionem istam produci ipsamet pedum ablutione? Minime: quotidiana enim remissio nequit unius annuæ ablutionis opus esse. Sed audi Bernardum: *Et unde scimus*, inquit, *quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & a quibus plene cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus & caput ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet. Lotus enim est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, idest, intentio, & manus, idest, operatio, & conversatio munda est: sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet, cedat animus, vel ad horum. In multis enim offendimus omnes*. Postremo Bernardus innuens horum peccatorum remedium concludit: *Nemo perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis: quoniam, ut audivit Petrus, nisi laverit eos Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; ignoscet facile, imo & libenter, si tantum modo nos agnoscamus; in hujusmodi namque quasi inevitabilibus & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est, quod in oratione, quam ipse constituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare*. Non audio venialia peccata expiari *lotione pedum*, sed agnitione infirmitatis propriæ, & assiduitate orationis. In ampliori ergo significatione Bernardus, Eligius, Arnoldus, atque Ambrosius sacramentum appellavere *lotionem pedum*; de qua ad hunc modum se habet nostra dissertatio.

CAPUT VII.

De ordine, necessitate, ac dignitate septem Sacramentorum.

NOn omnes eodem ordine *Sacramenta* septem recensent. Londinense quippe Concilium, fortasse quotidianæ necessitatis rationem habens, recenset Pœnitentiam ante Eucharistiam, & Matrimonium ante Ordinem; probare enim se debet homo, priusquam ad Angelorum mensam accedat, præceditque carnalis generatio Ecclesiasticum ministerium. Joannes Palæologus in Confessione fidei Pœnitentiam, & Unctionem extremam statuit postremo loco. Græcorum Patriarcha Hieremias Ordinem locat post sacrosanctam Communionem. Magister sententiarum, S. Thomas, alii Scholastici, Eugenius IV. & Tridentinum Concilium docent seriem, ordinemque singulis satis notum. Vide cap. v. prop. I. Manifestum est autem ordinem hunc esse optimum, & comprobatum ex his, quæ in serie humanæ vitæ contingunt, quemadmodum eo loci verbis Eugenii, & communi ratione demonstratum est.

De *Sacramentorum* necessitate extat canon IV. sess. 7. Trid. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit*. Quo in canone perstringitur hæresis Novatorum asserentium homines justificari per solam fidem, ideoque *Sacramentis* gratiam justificationis non conferri, sed fidem duntaxat excitari, atque nutriri: unde majoris perspicuitatis gratia addidit Tridentina Synodus proximum canonem v. *Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta esse, anathema sit*. Firmissime itaque tenendum est, quod licet fides ad justificationem disponat, caussæ tamen aliæ ad justificationem ipsam concurrunt, a nobis lib. XIX. enumeratæ, inter quas instrumentalis caussæ rationem habent *Sacramenta*, quæ indita sibi virtute sanctitatem efficiunt, ut infra demonstrabimus. Si enim *Sacramentis* virtus ipsa deesset, nequaquam ad salutem forent necessaria, quum etiam verbum Dei, & Sacrorum librorum lectio possint fidem excitare, & nutrire: præsertim quum Novatores autument verba in *Sacramentorum* administratione adhibita eamdem prorsus habere vim, quam habet prædicatio Evangelii. Illud ergo, quod Tridentinum Concilium definit de *Sacramentorum* necessitate, ex aliarum controversiarum enodatione redditur manifestum.

Verum non omnia *Sacramenta* sunt singulis necessaria, ut præcitato canone definitum est: quippe Baptismus, & Pœnitentia, quæ duo *Sacramenta* instituta sunt pro his, qui lethali culpa inquinati nequeunt, nisi sanctificentur, æternæ vitæ fieri participes, unde & vulgari sermone dicuntur *Sacramenta mortuorum*, necessaria sunt necessitate medii, idest, sunt medium necessarium, sine quo neque gratiam Sacramentalem, neque cœlestis regni hæreditatem consequimur: baptismus quidem puerulis, aliisque adhuc originali labe inquinatis; ac pœnitentia iis, qui acceptam in baptismate sanctitatem actualibus transgressionibus pessumdederunt. Cetera Sacramenta, *vivorum* dicta, atque instituta ad gratiam augendam, necessaria sunt necessitate præcepti; idest, suscipienda eo tempore, quo præscribit Ecclesia, & facultas suppetit suscipientibus: ita tamen, ut Ordo, si Ecclesia universim spectetur, habeat quoque absolutam necessitatem, quam appellant *medii*, quoniam absque sacra ministrorum ordinatione neque consecrari posset corpus Dominicum, neque in hac rerum divinarum constitutione lapsis beneficium absolutionis impendi. Verum nec Ordo, nec Matrimonium singulis sunt necessaria, cum homo libertate præditus nequeat, nisi causa impellente, sive Ecclesiæ ministerio, sive vinculo conjugali constringi. Matrimonium quoque eatenus necessarium est, quatenus Ecclesiæ filii debent cum sanctitate nuptiarum dare operam filiis procreandis. Recte S. Thomas 3. p. q. 65. art. 4. *Dicendum, quod necessarium respectu finis, de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter, Uno modo, sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ: & hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter: hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria Sacramenta necessaria: duo quidem personæ singulari, baptismus quidem simpliciter & absolute; pœnitentia autem supposito peccato mortali post baptismum: Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiæ, quia ubi non est gubernator, populus corruet, ut dicitur Prov. XI. 14. sed secundo modo sunt necessaria alia Sacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit baptismum, extrema unctio pœnitentiam, matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conservat*, Hactenus S. Thomas.

Quantum denique ad *Sacramentorum* attinet dignitatem, sancitum est ab eodem Tridentino sess. VII. canone 3. Sacramenta non ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud non sit alio dignius. Hæretici enim, præsertim Calvinistæ, æqualia inter se *Sacramenta* esse autumant, ut confirmationem, & alia, quæ ut Baptismus, & Eucharistia in sacris novi Testamenti libris non commendantur, e *Sacramentorum* numero extrudant, ut in Antidoto Concil. Trid. ad hunc Canonem scribit his verbis hæresiarcha Calvinus: *Quis non malit Neptunium sustinere fulmen, quam æquare Christi institutis hominum inventa? Baptismum legimus a Christo commendatum similiter, & sacram cœnam. De aliis nihil tale*. Eo quoque fine putant quidam Calvinum *Sacramenta* fecisse paria, quoniam æquiparando Eucharistiam baptismo poterant facilius negare realem Christi in *Sacramento* præsentiam. At, cum etiam Lutherus in hoc dogmate adversarius Calvini, æqualitatem *Sacramentorum* commentus sit in Epist. ad Pragensem Senatum, arbitror tum Calvini, tum Lutheri dogma eo collineare, ut asserant *Sacramenta* inter se paria, quoniam eodem Dei verbo fidem excitando, ratione consimili ad salutem proficiunt, nullumque *Sacramentum* operatur in anima sanctitatem: nam Lutherus eo loci haud obscure id prodidit scribens: *Nullum Sacramentum alio dignius est, quod omnia eodem verbo nituntur*. Qua in re quantum a veritate Novatores aberrent, ea commonstrabunt, quæ dicentur de *Sacramentorum* effectibus. Sacratissimam vero Eucharistiam, *Sacramentum Sacramentorum* a Patribus nuncupatam, mysteriis ceteris præferendam demonstrant rationes plurimæ a D. Thoma productæ citata q. LXV. art. 3. At modo eam tantum proferam, quam suppeditat sess. XIII. cap. 3. Synodus sacrosancta, dum ait: *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: verum illud in ea excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est*: ex quo etiam sequitur in hoc *Sacramento* non solum a digne accedentibus suscipi gratiam, verum & Dominum Jesum, fontem gratiarum omnium.

Etsi

Etsi autem Eucharistia longe reliqua *Sacramenta* præcedit: singula tamen peculiarem habent effectum, quo tantum considerato præstantiora sunt reliquis; ut baptismus præstat in abluenda macula originali, pœnitentia in reconciliatione lapsorum, ac ita de ceteris ratiocinando. Quare prælaudatus canon tertius ad hunc modum post exactam limam, ac ponderationem redactus fuit: *Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Ubi notandum est adjectam eam vocem, *nulla ratione*, propterea quod placebat quibusdam canonem hunc esse prætermittendum, cum sit in quovis *Sacramento* quædam propria excellentia, ob quam secundum aliquam rationem possit ceteris æquiparari. Videsis Eminentissimi Pallavicini Historiam lib. IX. cap. 7. num. 4. Hæc vero de iis, quæ in hujus capitis titulo proponuntur, sint dicta.

C A P U T VIII.

Agitur de Sacramentorum *novæ Legis institutione.*

SCribit doctissimus Bellarminus lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 23. olim quosdam Scholasticos existimasse, non omnia *Sacramenta* a Christo fuisse *immediate* instituta; nam, inquit, Hugo Vict. lib. 2. de Sacram. p. 15. cap. 2. & Magister lib. IV. dist. 23. negant a Domino institutam Unctionem extremam. Alex. Alensis q. 9. m. 1. ac S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 1. q. 1. tenent *Sacramentum* Confirmationis institutum post mortem Apostolorum in Concilio Meldensi: idem Alensis q. 34. memb. 3. Bonav. dist. 17. art. 1. q. 3. & Marsilius in IV. q. 14. asserunt non a Christo, sed ab Apostolis institutum *Sacramentum* pœnitentiæ. Id quidem de Confirmatione, ac de Unctione extrema verissime dictum est; sed quantum ad Pœnitentiam attinet, Alensis q. 14. art. 3. aperte docet institutam a Domino tam quantum ad *materiale*, quod se tenet ex parte pœnitentis, quam quantum ad *formale*, quod attenditur in absolutione, & potestate clavium. Bonaventura autem ait *formale* confessionis, idest, potestatem absolvendi, per se institutum a Christo, *materiale* autem, & accusationem peccati, insinuatum tantummodo. Verum id parum refert. Profecto neque Confirmationem a Concilio Meldensi, neque Unctionem extremam a Sancto Jacobo institutam valido momento antiqui illi Scholastici demonstrabant; enimvero in Concilio Meldensi (quod ignoro cur Gregorius de Valentia Tom. IV. pag. 529. scripserit non reperiri) canone 44. 45. & 46. agitur de consecratione, & inunctione Chrismatis, non autem de institutione. Vid. Tom. VII. Conc. pag. 1833. Sanctus autem Jacobus inunctionem infirmorum cap. V. 14. commendavit, præcepit, atque, ut loquitur Trid. sess. XIV. *promulgavit*, sed non instituit.

Postquam vero eadem Tridentina Synodus sess. VII. can. 10. *omnia Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta esse definivit*, nemo prorsus est, qui audeat oppositum litteris mandare, aut sentire. Ex Tridentina etiam definitione colligitur Christum fuisse *Sacramentorum* omnium immediatum Auctorem; quod adversus communem sententiam audax nimium esset, erroribusque plenissimum impugnare. Verum an *immediata* hæc institutio spectet ad fidei decreta, non consentiunt Scholastici celebriores: affirmant quippe non posse illæsa fide negari quod Christus *immediate* ac per se ipsum *Sacramenta* omnia instituerit, citato loco Bellarminus, Becanus de Sacramentis in communi cap. 5. Vasquesius in 3. p. disput. 135. cap. 1. Gonet. disput. V. art. 1. Joan. Bapt. Duhamel dissert. 2. cap. 2. Puteanus noster in 3. p. q. 64. dub. 1. Gavardi q. 1. art. 5. §. 1. Isambertus q. 64. disput. 1. art. 1. Frassen disp. Procemial. art. 2. q. 1. concl. 3. & Canali disp. 3. q. 1. ad 2. objectionem. At sunt viri alii doctissimi, qui licet fateantur *Sacramenta* omnia immediate a J. Christo instituta, idque censeant Tridentinis Patribus, & rationi magis conforme, nihilominus affirmant id nequaquam definitum fuisse; inter quos connumerantur viri doctissimi, Estius in IV. dist. 1. §. 16. Suaresius in 3. p. q. 64. art. 4. disp. 12. sect. 1. Florentius de Cocq. Tract. VII. sect. 2. Gaspar Juenin q. 4. concl. 2. Cardinalis Gotti q. 6. dub. unica §. 2. Tournely q. 5. art. 1. atque ex Nostratibus Farvacquez cap. 2. q. 1. & Leonardus Vanroy cap. 2. q. 1. Atque hos omnes laudandos existimavi, ut ex ipsa Doctorum dissensione constaret in hac secunda quæstionis parte non esse judicium adversus Farvacquesium nostrum temere pronuntiandum.

Et quoniam vagum Scholasticorum ingenium non tantum in iis, quæ facta sunt, occupatur, sed etiam erigit se ad investiganda quæ possent aliquando contingere; illud etiam ad concertationum acervos traxere, num potestas instituendi *Sacramenta* possit nudis creaturis communicari: qua in re negantem partem tenuerunt Scotus in 4. dist. 1. q. 3. Gabriel q. 2. art. 3. Durandus dist. 1. q. 1. num. 4. Vasquesius 3. p. disp. 135. cap. 2. Mastrius disp. 1. q. 6. & Frassen art. 2. q. 1. concl. 1. affirmativam vero propugnant Thomistæ, & Ægidiani omnes, Suaresius in 3. p. q. 64. art. 4. disput. 12. sect. 2. Valentia disput. III. q. V. puncto 3. Joannes Puteanus disp. V. art. 2. aliique quamplurimi. Tria itaque erunt nobis disquirenda: primum, an Christus immediate instituerit *Sacramenta* omnia: alterum, an id a Tridentina Synodo sit definitum, tertium, an simplici creaturæ possit istiusmodi institutionis communicari potestas.

PROPOSITIO I. Christus Jesus *immediate* omnia legis novæ Sacramenta instituisse dicendus est.

Id namque, etsi non adeo aperte, haud difficulter tamen ex Scripturis colligitur. Primum quoniam Apostoli *Sacramentorum* non auctores, sed dispensatores in Apostolicis litteris appellantur. Paulus enim in priori ad Corinth. III. 5. retundens eorum zelum & contentionem, qui in partes eorum, a quibus *Sacramenta* recipiebant, facto schismate abibant, inquit: *Quid igitur est Apollo, quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis.* Et initio proximi capitis: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Petrus quoque epist. 1. cap. IV. 10. omnes Ecclesiarum rectores appellat *dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Si autem cuipiam tanta collata esset dignitas & facultas, ut dici posset *Sacramentorum* institutor, & auctor, nonne id potius, quam mortalibus ceteris, datum fuisset Apostolis? At hi mysteriorum fuere tantummodo dispensatores. Præterea in Apostolicis Actis cap. 1. v. 3. testatur Lucas, Dominum Jesum post resurrectionem suam per dies quadraginta cum discipulis conversatum, fidei veritatem multis argumentis confirmantem, & loquentem de Regno Dei, idest, aperiendo discipulis sensum divinarum Scripturarum, exponendo Ecclesiasticam hierarchiam, nec non formas ritusque Sacramentorum. Nisi enim de iis, quæ in Ecclesia præcipua sunt, ac plurimum necessaria divinus Magister postremis illis diebus sermonem habuit cum Apostolis paullo post ad fidem propagandam profecturis, de qua re putabimus confabulatum? Recte itaque S. Leo Serm. 1. de Ascensione cap. 2. pag. 71. scribit: *Non ergo ii dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini, ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu: sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria.* Insuper *Sacramenta* omnia, ut vidimus supra, & accuratius demonstrabimus de singulis pertractantes, testimonio aliquo sacrorum Evangeliorum commendantur, ideoque, antequam Christus ad cæleste solium conscenderet, fuerant instituta.

Probatur 2. traditione. Nullum quippe traditionis validum magis, ac veraciorem testem in medium proferre possumus, quam Synodum Œcumenicam a Romano Pontifice confirmatam, & ab universa Catholica Ecclesia receptam, de qua infra. Deinde, ut mittamus Dionysium Areopagitam, qui in cap. 1. de Eccl. Hierarch. pag. 235. ait primos sacri ordinis nostri moderatores, supersubstantialis principatus munere plenos, tradidisse nobis in sensibilibus figuris supercelestia, & in materiis immateriata, idest, traditione a Christo derivata Sacramentorum symbola exposuisse; ut, inquam, hunc missum faciam, S. Ambrosius lib. IV. de Sacramentis cap. IV. num. 13. *Ergo*, inquit, *auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cælo ista Sacramenta venerunt.* S. P. Augustinus de Doctr. Christ. lib. III. cap. 9. num. 13. de Sacramentis ait, *Ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina*, productis exemplis Baptismi, & Eucharistiæ, quæ duo *Sacramenta* immediate a Christo Jesu instituta neque ullus negat heterodoxus. Idem docet in Epistola ad Januarium 118. nunc 54. num. 1. Perspicue autem de vera Religione cap. 17. num. 33. *Ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Deo liberæ multitudinis continerent.* Vide Hieronymum Torrensem Confess. Augustin. lib. 3. cap. 1. parag. 2.

Tertio probatur definitione Tridentini: hujus sess. VII. canon primus est: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, &c. anathema sit.* Ubi non definitur quidem *Sacramenta* a Domino instituta *immediate*, sed istud tamen firma hinc argumentatione deducitur. Principio namque quid est *instituere*, nisi aut decernere, aut erudire, aut inchoare, aut proponere, aut dirigere, aut promulgare? Quocunque ergo sensu dicatur Jesus Christus *Sacramentorum* institutor, ipse eadem *Sacramenta* determinavit, proposuit, & de iis discipulos imbuit: ideoque omnia per semetipsum, priusquam cælos conscenderet, instituerat: statuere enim & inchoare est prima institutio: promulgare autem atque erudire, primam institutionem supponit. Deinde Tridentina Synodus aperte inter institutionem, ac promulgationem distinguit, dum sess. XIV. Canone 1. decernit Extremam unctionem esse *vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a beato Jacobo Apostolo promulgatum*. Præterea eadem sacrosancta Synodus sess. XXI. cap. 2. ita Apostolis & Ecclesiæ tribuit potestatem instituendi ritus, & cæremonias, quæ servari solent in sacrorum mysteriorum celebratione, ut videatur illis denegare facultatem immutandi, quæ pertinent ad horum substantiam, ideoque hæc a Christo fuit constituta,

stituta, atque determinata: etenim declarat, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso* (Eucharistiæ) *Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum, Cetera, inquit, cum venero, disponam.* Atqua his etiam roboratur momentum primum ax verbis Pauli dapromptum.

Probatur tandem ratione. Ae primo, quum Deus per se, & immediate instituerit *Sacramenta* legis veteris, tametsi essant elementa egena atque infirma, nec non plurium Doctorum opinione, *Sacramentum* quoqua legis naturæ: cur *immediate*, ac per se non instituit *Sacramenta* perfectiora, & symbola cœlestium munerum afficientia? Ad hæc tribuere vim sanctificandi sensibili elamento, atque ad producendam spiritualem gratiam, aquam, oleum, triticeumque panem elevare quisnam potest, nisi supremus Dominus? Insuper si Christus Ecclesiæ ædificator est, Fidei Conditor, & animarum Sanctificator; quomodo non ipsa instituit *Sacramenta*, quæ sunt Ecclesiæ compago, fidei symbola, animarum remedia? Tandem Apostoli, eorumqua successores possunt quidem articulos fidei a Christo traditos explicare ac proponere, sed nova dogmata, & novos articulos condere nequeunt. Pari ergo jure potuerunt tradere nobis instituta a Christo mysteria; nova autem *Sacramenta* instituere non potuerunt.

Adversus hanc priorem thesim militant quæ sequuntur. Primum Augustinus cum lib. 3. de doct. Christiana, tum Epist. ad Januarium, ubi ait *Sacramenta* a Christo instituta, duo tantum commemorat, Baptismum, & Eucharistiam; reliqua igitur val *Sacramenta* non sunt, vel instituta fuerunt ab Apostolis, aut ab Ecclesia. Deinde Auctor Sermonis de Ablut. Pedum, de quo non semel mentionem fecimus, pag. CIII. scribit: *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & auctor: in ceteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem; & sicut par est Spiritui sancto, & Christo divinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas & potestas: nec minus ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit.* Ex quibus videtur solum Eucharistiæ *Sacramentum* habere Christum auctorem, reliqua autem ab Apostolis fuisse instituta. Ad hæc ex Scripturis demonstrari nequit, quando Christus Dominus instituerit *Sacramenta* septem, præsertim vero, quando Matrimonium ad *Sacramenti* avexerit dignitatem. Præterea quæ scripta non sunt, retinentur tamquam *ab Apostolis vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta*, juxta Augustini regulam, citata ad Januarium Epist. Tom. 2. pag. 124. Cum itaque institutionem omnium *Sacramentorum* non possimus a Scriptura sacra colligere, consequens ast nonnulla instituta fuisse ab Apostolis, vel a Synodo aliqua universali. Tandem, ut in prænotatis dictum est, nonnulli doctores Catholici a Christo *immediate* instituta negant *Sacramenta* Confirmationis, & Unctionis extremæ.

Resp. ad 1. S. P. Augustinum uti ea loci particula *sicuti*, ex omnibus aliqua proferens exempli causa, ut diximus cap. 5. quare sicut ibidem alia *Sacramenta* non denegat, ita non denegat institutionem aliorum *Sacramentorum* immediatam. Quod sequitur nullius momenti est, siquidem illius sermonis Auctor, dum ait homines in *ceteris* habuisse Spiritum sanctum doctorem, non affirmavit ab hominibus instituta catera *Sacramenta*, sed ea tradita, quæ ad *Sacramenti* Eucharistiæ pertineot celebrationem, puta sacram liturgiam, jejunium, & alia, quæ Apostolica traditione didicimus. Ait enim non minus ratum esse, *quod Christus Jesus in sui commemorationem fieri præcepit*, quam ea, quæ dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt: eodem ferme pacto, quo Apostolus in priori ad Corinth. XI. posteaquam præceptum Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*, luculenter exposuit, inquit versu ult. *Cetera autem, cum venero, disponam.* Vide quæ supra diximus ex Tridentino, nec non Augustinum scribentem citata Epist. 54. ad Januarium num. 8. institutum ab Apostolis, & quidem Spiritu sancto dictante, ut Dominicum corpus sumatur a jejunis, productis ad hoc comprobandum Apostoli verbis. Proximum hac ratione diluitur: quamvis in scripturis expressa non esset institutio *Sacramentorum*; hinc tamen nihil erueretur propositioni nostræ contrarium; quippe prætar Scripturam agnoscimus tamquam fidei normam, & irreformabilem regulam, *verbum traditum*. Ast nihilominus etiam sacræ literæ instituta a Christo *Sacramenta* commonstrant, & Matrimonium quidem Matt. XIX. 4. aut Joan. 2. 1. ut alibi discutietur. Illud vero, quod additur, banc exigit responsionem. Augustinus in citata ad Januarium Epistola tria distinguit, primum *Sacramenta* a Domino instituta, sicuti ast baptismus, & Dominici corporis communicatio: deinde ea, quæ ab universa Ecclesia servantur, ut anniversaria solemnitas resurrectionis, adscensionis Christi, & adventus Spiritus sancti: tertio loco, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, ut jejunium sabbati. Apertissimum est autem in verbis, quæ objiciuntur, sanctum Patrem loqui de iis, quæ secundo loco polita sunt, ideoqua nihil inda concluditur, nisi in Ecclesia præter *Sacramenta* retineri *alia commendata & statuta*, quæ si servantur ab universa quacunque se diffundit Ecclesia, cujusmodi sunt solamnitates prædictæ, quamvis scripta non sint, retinenda sunt tamen, quoniam ex illorum universali consuetudine apparet, aut tradita fuisse ab Apostolis, aut definita in Synodis Œcumenicis. In diluenda objectione postrema non immorabimur; quum paucorum Doctorum placitum nequeat asse locus Theologicus ineluctabilis, pateatque innixos illos fundamanto labili & arenoso; quoniam, ut diximus in prænotationibus, ax Jacobi Epistola infertur hunc Apostolum promulgasse, non præscripsisse infirmorum unctionam, & constat Meldensem Synodum anno tantum 845. coactam, quum permulti Patres Confirmationis meminissant, definire duntaxat, ne Chorepiscopi Chrisma confecrent, neque Episcopi alio tempore, quam majoris hebdomadæ quinta feria, illud conficiant, nequa ipsi, sive illorum ministri axigant denarios, vel munuscula quælibet a confirmandis. Ceterum ax hac eadem objectione adversus heterodoxos perspicue infertur Tridentinos Patres non ad normam eorum, quæ Patris Lombardus, aut Scholasticorum quispiam privata sententia docuit, sed juxta traditionem in Romana Ecclesia custoditam, fabricasse decreta, & canones edidisse.

PROPOSITIO II. Non est tamquam dogma fidei a Tridentina Synodo definitum, *Sacramenta* omnia esse a Christo *immediate* instituta.

Prob. 1. In definitione enim Tridentini particula *immediate* non reperitur, & licet a nobis inferatur Theologica ratiocinationa, quia institutor proprie dicitur, qui idem auctor ast, & quia Ecclasiæ collata ast potestas immutandi ritus, non vero *Sacramentorum* substantiam; hæc tamen ratiocinatio idonea non ast ad fidei decretum constituendum. Enimvero si potest dici Christus miraculorum patrator, quamvis miracula plura patrata sint per Apostolos, necnon baptizans & consecrans, licet in ejus nomine consecrent, baptizentque ministri; ac si Deus non minus est princeps causa eorum effectuum, qui ab ipso immediate producuntur, quam illorum, qui causas habent secundas: non repugnat dici etiam Christum Dominum *Sacramentorum* institutorem, tametsi per Apostolos, sua in eos potestate translata, *Sacramenta* quædam instituisset. Dixi autem, *non repugnat*; ego quippe in hujusmodi comparatione non arbitror tantam inesse vim, quantam putant Tiletanus, De-Cocq, & Farvacquez: siquidem dum efficientem causam nomino, non exprimo *immediatum*, aut *mediatum* principium; dum vero dico *Institutorem*, intelligo eum, qui statuit, qui determinat, qui est auctor *immediatus*. Non anim de iis ritibus, E. G. quæ Ecclasia mutat, ut Tridentinum loquitur, *pro rerum, temporum, & locorum varietate*, propria dicimus, *Christus ritus istos instituit*, sed, *instituit Ecclesia*; tametsi Ecclesia hoc præstiterit facta sibi a Domino potestate. Atque id monui, ne argumentum istud videretur oppognare superiorem propositionem. II. Jodocus Ravestein Lovaniensis Theologus, & ad Tridentinam Synodum missus a Maria Regina Belgii Gubernatrice, & qui tantæ fuit existimationis, atque doctrinæ, ut in raformando canone primo de Confirmatione præcipuam habuerit partem, ex Historia Conc. lib. XII. cap. 12. num. 11. in Apologia edita contra Martinum Kemnitium, qui canoni 1. sess. VII. inseruit particulam *Ipsa*, legens, *Si quis dixerit non omnia ista septem Sacramenta a Christo ipso instituta esse, anathema sit*: scribit, *Hanc cavillationem studiose & circumspecte Patres Synodi excluserunt, dum decreverunt, quod omnia nova legis Sacramenta instituta quidem sint a Jesu Christo, non autem quod omnia sint a Christo immediate instituta.* Ruardus Tapperus Theologus alter Lovaniensis in Explicat. articulorum adversus hæreticorum dogmata, a se exornata, postquam a Tridentina Synodo reversus fuerat, pag. 3. inquit: *Inquiri posset, si hæc potestas instituendi Sacramenta fuerit apud Apostolos, an fuerit solum Apostolica, an in Ecclesia manserit apud eorum successores; sed nihil horum requirit articulus, qui solum habet, quod omnia Sacramenta sunt a Christo instituta: non autem quod ab eo sunt instituta immediate.* Et in altera declaratione breviori edita anta præcedentem, anno 1554. pag. 9. probabilem essa pronuntiat sententiam Magistri Sententiarum, & Hugonis, *determinationem materia, aut etiam forma Sacramentorum fieri potuisse ab Apostolis, imo factam esse reipsa in nonnullis Sacramentis ex instinctu Spiritus sancti.* Quod sane vir eximius non asseruisset, si compertum ei esset, visum alitar Tridentinis Patribus, præsertim cum ipse præcedenti pag. 8. sententiam exponens suam, scripserit: *Christus*, in Sacramen-

cramentorum institutione, *res certas elegit*, *certamque verborum formam præscripsit*. IV. Qnum Tridentini PP. adeo caute se gesserint, ne definitionibus suis eliquem ex Catholicis Scriptoribus læderent, quemadmodum in articulo Justificationis factum narrat Pallavicinus lib. VIII. cap. 9. num. 10. in articulo de intentione ministri, lib. IX. cap. 6. num. 2. & in articulo de Attritione, lib. XII. cap. 10. num. 25. haud probabile est damnasse sententiam Magistri Sententiarum, Hugonis, Alensis, Sanctique Bonaventuræ, qui affirmant aliqua *Sacramenta* non esse a Christo *immediate* instituta; cumque hæretici asseverent, Dominum Jesum instituisse dumtaxat Baptismum, & Eucharistam, reliqua vero *Sacramenta* tanquam figmenta hominum esse explodenda; longe probabilius est, Synodum Œcumenicam ad hæreses extirpandas coadunatam, eo sensu definisse *Sacramenta* quælibet a Christo instituta, quatenus auctoritate detinentur divina, non autem ex arbitraria hominum inventione.

Oppones cum Bellarmino lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 23. Nisi Tridentina Synodus statuisset singula *Sacramenta* fuisse e Christo *immediate* instituta, frustra canonem istum posuisset, cum nemo unquam dubitaverit, quin saltem mediate *Sacramenta* instituta sint a Deo. Præterea sess. XIV. can. 1. Concilium sese explicat, dum *Sacramenti* extremæ unctionis tribuit institutionem Christo, & B. Jacobo Apostolo promulgationem. Tertio sess. XXI. cap. 2. declarat, Ecclesiam habere potestatem immutandi ritus Sacramentorum, *salva tamen eorum substantia*. Hæc etiam nos produximus supra ad priorem thesim stabiliendam.

Ad primum respondetur, hæreticos affirmare *Sacramenta* quædam, nec mediate, nec immediate fuisse a Christo instituta; siquidem Melanchthon in Locis communibus Confirmationem appellat *otiosam ceremoniam*, Calvinus in Antidoto §. 11. ait se *ne unius quidem stercoris Chrisma facere*. Wiclefus longe antea scripserat lib. IV. Trialogi cap. 14. Confirmationem ipsam *a Diabolo introductam*. Pœnitentiam Calvinus lib. IV. Instit. cap. 19. §. 17. appellet *mendacium & imposturam*, Kemnitius effutiit hoc Sacramentum, *factum a Petro Lombardo*, idem affirmant ceteri Novatores. Unctionem extremam Lutherus in libro de Captivit. Babyl. vocat *deliramentum*, Philippus in locis *ceremoniam superstitiosam*, Calvinus cit. loco §. 18. *Sacramentum fictitium*. Itaque adversus hujusmodi blasphemias definitum est, omnia *Sacramenta* esse a Christo instituta; nullum esse inutile figmentum, nullum imposturam, nullum ritum superstitiosum. De institutione autem *immediata* nullam habemus fidei definitionem. His diluitur objectio secunda; cum enim Lutherus scripserit unctionem extremam institutam a Jacobo Apostolo, aut ab Ecclesia, *propria auctoritate*, optime definiunt Tridentini PP. institutam e Christo, & a Jacobo promulgatam, quoniam nec Jacobus nec quispiam alter auctoritate propria *Sacramentum* illud invexit. Hæretici enim, ut Extremam unctionem facilius eliminerent, Magistro hanc affixere calumniam, quod opinatus sit, Jacobum suomet libito, non Spiritu sancto dictante Unctionem ipsam induxisse: quam calumniam expungit Controv. X. Albertus Pighius, demonstrans quomodo veteres Scholastici, qui putarunt *Sacramenta* aliqua ab Apostolis instituta, numquam existimarunt, quod hoc præstiterint seipsis, nullaque suffulti a Domino potestate. Denique sess. XXI. declarat Tridentina Synodus, in *Sacramentis*, postquam instituta sunt, non posse immutari substantiam, sed cæremonias ritusque tantummodo, ipsis *Sacramentis* permanentibus; quæ tamen, cum sint plurimum necessaria, nequeunt in desuetudinem, cum ritibus antiquitatis, abire: num vero primum *Sacramenta* instituta sint a Christo *immediate*, hoc in loco Tridentina Synodus, expressa saltem definitione, nequaquam affirmat.

PROPOSITIO III. Facile possunt conciliari diversæ Theologorum sententiæ circa quæsitum tertium, an communicari queat creaturæ *hypostatice* Deo non unitæ potestas instituendi *Sacramenta*.

Triplex enim potestas distinguenda est, *auctoritatis*, quæ propria est Dei, importatque virtutem conferendi sensibilibus signis vim effectricem producendi gratiam: *excellentiæ*, quæ potestas convenit humanitati Christi, atque in eo sita est, ut Christus promeruerit eam gratiam, quæ per *Sacramenta* conferunt rite dispositis; ut potuerit ipsam gratiam conferre etiam absque sensibilibus Sacramentorum signaculis, atque ut eadem *Sacramenta* in Christi nomine administrentur: tertia est potestas *ministerii*, sive delegata Ecclesiæ ministris, qua *Sacramenta* a Domino Jesu instituta parant, efficiunt, dispensant. Atque de hac potestate nulla oriri potest dubitatio.

Quantum ergo attinet ad potestatem *auctoritatis*, affirmandum est, non posse creaturæ alicui communicari; sola enim suprema Causa potest talem virtutem tribuere sensibili elemento, ut corpus tangat, & sanctificet animam. Quum enim gratie sanctificans animam sit divinæ naturæ participatio, arrha Spiritus sancti, & pignus cælestis hæreditatis: quis, nisi Deus summus, potest nos evehere ad divinitatis consortium, nobisque Spiritum sanctum, & gloriæ, quæ pendet e Dei beneplacito ac promissione, pignus, arrhamque tribuere? In hoc ergo subscribendum est Scoto: quamvis enim creatura a Deo talem nacta esset facultetem, ut symbola *Sacramentorum* statueret, atque pro suo arbitratu determinaret materiam, formamque præscriberet; semper tamen virtus supernaturalium donorum effectrix esset divini muneris opus.

At si loquamur de potestate *excellentiæ*, tametsi hæc nequeat ea ratione creaturis communicari, qua competit Salvatori, cujus meritum ob *hypostatica* unionis prærogativam infinitum est, omniaque gratiarum præstantissima dona potuit *de condigno* universis Adæ posteris promereri, potest tamen creaturis concedi, ut cum S. Thoma q. 64. art. 4. tenent Scholastici fere omnes. Neque enim in hac potestate aliquid apparet, quod vel contradictionem importet, vel rerum creatarum superet conditionem. Nam si creature accepta a Domino potestate institueret *Sacramenta*; gratiam ipsa non efficeret, sed Deo largiente illam sensibili signo alligaret, quod sufficere videtur ad *Sacramentorum* institutionem. Posset etiam creatura absque visibilium *Sacramentorum* adminiculo gratiam ceteris impertiri, non quidem tanquam causa princeps, sed tamquam a suprema dependens: qua in re quid contradictionis eluceat, ego quidem non video. Neque absolute potestas instituendi *Sacramenta* exigit meritum infinitum; cum Deus gratiarum suarum Dominus, eas possit, quando, & quomodolibet ei libuerit, dispensare. Sicut ergo poterat per *nudum* hominem universos redimere, non tamen præscripta rigorosa illa satisfactione, quam exhibere non valebat, nisi Deus-homo, Christus Jesus: ita potuisset puræ creaturæ largiri facultatem instituendi *Sacramenta*, non ita tamen, ut creature illa gratiam ceteris conferendam eo promereretur pacto, quo illam Dominus Jesus, Deus-homo promeruit. Quamquam enim S. Thomas citato art. 4. scribat potuisse Deum ministris communicare *tantam gratiæ plenitudinem, ut ad invocationem nominum ipsorum conferrentur Sacramenta, & ut ipsi possent Sacramenta instituere, & sine ritu Sacramentorum effectum Sacramentorum conferre solo imperio*; attamen existimandum non est beatissimum Thomam tribuere creaturæ possibili potestatem *excellentiæ*, qualem præcedenti articulo tribuit humanitati Redemptoris, tanquam *instrumento conjuncto in eadem persona divinitati*.

Posse etiam Deum tantam dignitatem impertiri creaturæ, ut in hujus nomine *Sacramenta* conferentur, diserte scribit S. P. Augustinus Tract. V. in Joan. num. 7. quamquam ibidem sapientissime animadvertit, magis congruum fuisse, ut unus Dominus Jesus Christus esset *Sacramentorum* institutor & auctor, quo facilius teneretur Ecclesiæ unitas, & quisque perciperet unum esse Mediatorem nostrum, in quo spes nostra locanda est. Quare si creatura tantam obtinuisset prærogativam, ut in ejus nomine aliquis baptizaretur, aut alia *Sacramenta* reciperet; ad servandam Ecclesiæ unionem esset quotidie singulis inculcandum, creaturam ipsam, non propria auctoritate, sed delegata vim tantam communicasse elementis, ejusque nomen, tanquam illius, qui vicem gereret supremi Auctoris, in Sacramentali ministratione proferri. *Potuit autem* (inquit Augustinus) *Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, & transferre a se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo servo suo, & tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo: ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut nomine Pauli baptizati estis?* Atque his præclarissimi Doctoris Augustini verbis dissertationi modum, finemque constituo.

CAPUT IX.

An Sacramenta *novæ legis rebus, & verbis, tanquam* materia & forma *perficiantur.*

DE partibus, quibus perficiuntur *Sacramenta*, pertractandum est modo. Illas pervulgata nunc Scholarum consuetudine *materiam*, & *formam* appellamus, ducta a rerum naturalium principiis comparatione: nam quemadmodum in corporibus adinvenitur subjecta res indifferens ad constituendum unum, vel alterum, & quod rem illam determinat ad peculiarem quamdam rationem; quorum unum Philosophi *materiam* dicunt, alterum *formam*: ita in *Sacramentis* adinvenitur *elementum*, sive res aliqua subjecta sensibus, & *verbum* rem ipsam determinans, & in ratione *Sacramenti* constituens. Sensibile ergo elementum insignitur *materiæ* nomine, verba *formæ* vocabulo denotantur. Consuetudinem explicandi *Sacramenta* per materiam & formam permulti derivatam putant a Peripatetica philosophia, quæ per materiam, & formam explicat naturalem corporum generationem. Verum num ita ses se habeat, incertum. Enimvero si omnium primus *Sacramenta* hisce vocabulis explicavit circa annum 1215. Guilelmus Antisiodorensis in Summa, ut animadvertit Jo. Morinus

rinus ɪɪɪ. P. de Sacris Ordinationibus Exerc. ɪ. cap. ɪ. & ex Morino Juenin q. 3. cap. 2. Vanroy cap. 5. q. 3. ac Tournelius q. ɪ. art. 4. obtinuerat longe aurea disposatrix illa, & sermonis barbari, ac tumescens Philosophia, initio ɪx. sæculi una cum Arabum tyrannide restituta, priusquam Scriptores Aristotelicis imbuti dogmatibus suas de *Sacramentis* lucubrationes vocabulis illiusmodi contexerent. Neque inusitata sunt in Philosophicis aliis sectis *materiæ* vel *formæ* nomina; quamvis in Arabum physiologia intelligant his nominibus incompletam quandam substantiam; in aliis vero certam elementorum congeriem, atomorumque combinationem. Meminit quoque *formæ* baptismatis S. P. Augustinus lib. ɪ. de Peccat. meritis cap. 34. tametsi videatur eo vocabulo designare potius ritum ac ceremonias, quam verba, quibus perficitur salutiferum regenerationis lavacrum. Rerum tamen, verborumque Sanctum protoparentem meminisse, & utraque necessaria existimasse ad *Sacramenta* conficienda, dubitari non potest.

In hac itaque disquisitione refellendus nobis erit error Pauli Sarpi, qui in Hist. Concilii Trid. lib. 2. cap. de Articulis Baptismi, scribit antiquitatis studiosis notum, numquam priscis temporibus materiam & formam *Sacramentorum* innotuisse; cum Stephanus Papa opinaretur neminem a quacunque hæresi venienram rebaptizandum; Concilium vero Nicænum statuerit, ut denno tingerentur Paulianistæ, & Montanistæ, non autem Cathari; quamquam illi, qui tunc temporis vigebant hæretici, exceptis paucis Montanistis, insolitis uterentur baptismi formis, propter insolentes, quas tam de divinitate, quam de persona Christi tuebantur opiniones. At hinc Suavis methodum explicandi *Sacramenta* per *materiam*, & *formam* carpit & vellicat, tamquam veteribus incompertam. Deinde quoniam multi magis, quam æquum sit, contentiosi, spectato munere, quod in corporibus exercetur a materia, & forma, simul dum corpora constituunt existentibus, ac permanentibus in composito, frustra tale munus in *Sacramentis* perquirunt, explicanda est etiam differentia, quæ intercedit inter principia physici corporis, & inter materiam, formamque *Sacramentorum*.

PROPOSITIO I. *Sacramenta* rebus, *tamquam materia*, & verbis, *tamquam forma*, perficiuntur.

Probatur primo. Eugenius in Instruct. Armenorum, in Concilio Florentino Tom. xɪɪɪ. pag. 535. *Sacramentis* omnibus novæ legis enumeratis, inquit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Synodus pariter Bituricensis Tom. xv. pag. 1067. *Omnia etenim Sacramenta tribus constant ac perficiuntur, rebus ut materia: verbis, ut forma: ministro ut conferente Sacramentum, & communem Ecclesiæ intentionem habente.* Deinde probatur traditione. Et Occidentalis quidem Ecclesiæ apparet ex memoratis Synodis universalis assensus. Orientalis vero Ecclesiæ traditionem commonstrat in sua Censura ad Wittembergenses directa Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus scribens cap. vɪɪ. pag. 60. *Quæ quidem omnia Sacramenta sacra sanciuntur Scriptura, certamque ac definitam materiam & formam habent: uti baptismi materia est aqua, forma autem verba Sacerdotis illa, Baptizatur servus Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Præterea *Sacramenta* constare materia, aut re aliqua sensibili indubitatum est; quum enim sint signa gratiæ, debet in his adhiberi sensibile aliquod *elementum*, quo effectus designari queat spiritualis. Quare diximus præced. cap. v. etiam Diabolum in superstitiosis initiationibus, sive ad affectationem divinitatis, sive ad æmulationem, sive ad contemptum mysteriorum nostrorum, aquam lustralem, panem, oleumque non semel adhibuisse. Eamdem materiam haud obscure divinæ literæ manifestant, aquam baptismatis, impositionem manuum, sacram unctionem, ac panem vinumque Eucharisticum commemorantes, mutuam quoque conjugatorum conventionem, assensumque reciprocum, ac peccatorum detestationem. quæ hoc loco innuere sat est. Formam autem *Sacramentorum* comprobant momenta complura. Ac primo S. P. Augustinus Tract. lxxx. in Joan. num. 3. inquit: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus abluat, & cor tangat, nisi faciente verbo?* Et infra: *Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo:* atque ibidem: *Detrahe verbum, & quid aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* quæ verba relata sunt in canonem a Gratiano, 2. p. causa 5. q. ɪ. c. *Detrahe*. Lib. etiam vɪ. de Baptismo cap. 17. aliisque in locis scribit Augustinus baptismum *verbis Evangelicis* consecrari. Deinde veteres, quemadmodum dictum est alibi, occultabant gentibus Religionis nostræ mysteria: non ipsas res tantum, quæ spectatæ in se communes sunt, nulloque tectæ velamine, sed ritus, consecrationes, & præsertim verborum formam. Innocentius enim Primus in priori sua decretali volumine Sacrorum Conciliorum ɪɪ. pag. 1245. disserens num. 3. de *Sacramento* Confirmationis, sacro commemorato Chrismate, *Verba autem*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere*: & numero 8. explicata materia Unctionis extremæ ait: *Reliqua vero, quæ scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus edicere.* Legi potest Schelest. de Arcani discipl. cap. 2. art. 2. Estius in ɪv. dist. ɪ. §. 18. & caput hujus dissertat. quintum. Tandem discrimen istud inter vetera ac nova *Sacramenta* intercedit, quod illa gratiam promittebant ac præsignabant: hæc vero illam efficiunt, & conferunt, non solum exhibitione signaculi sensibilis fidem excitando, ut delirant hæretici, verum etiam propria energia ac virtute operando sanctificationem. Quamquam vero rationem signi ac promissionis habere queant nuda *elementa* per solam Auctoris institutionem atque determinationem, quemadmodum sponsorum promissa demonstrat anulus, aut futuram hæreditatem rite conditum testamentum; ideoque ad constituenda vetera *Sacramenta* non fuerit necessaria formæ prolatio: ut tamen aqua, aut res alia subjecta sensibus suamet energia exornet spiritualem animum sanctitate, debet consecratoris verbis vim quamdam eximiam supra materialia nancisci, & consequenter ajebat paullo supra bene, sapienterque Augustinus, *Unde ista tanta virtus, nisi faciente verbo?* Et, *Detrahe verbum, quid aqua nisi aqua?* Quod itidem valet de *Sacramentis* reliquis, videlicet, si detrahatur forma verborum, quid oleum nisi oleum? quid panis nisi panis? quid sacrorum ministrorum manus, nisi manus? quid postremo conjugum contractus, nisi contractus? Ut ergo res sensibilis tantam acquirat virtutem, ut habeatur signum gratiæ efficiens & practicum, ut constituatur *Sacramentum* novæ legis præstantior veteribus: accedere debet verbum ad elementum, forma ad materiam: idque priori hac positione erat commonstrandum.

PROPOSITIO II. Materia & forma *Sacramentorum* non habet cum principiis rerum corporalium æquabilem analogiam.

Quum soleant nonnulli e Schola inutiliter, ut puto, circa propositionem præcedentem objectare, quod verba proferantur, non permaneant, quemadmodum in compositis physicis persistit forma, & quod aliquando desinat ipsa materies, perseverante *Sacramento*, ut in Eucharistia substantia panis & vini, aliquando autem nec sit materia aliqua, ut dum impenditur absolutio pro Christianis subito, gravissimoque morbo correptis: necessario commonefaciendum est, Ecclesiam non profiteri in *Sacramentis* materiam & formam *proprie*, & quæ omnino intrinsecis corporalium rerum principiis possit æquiparari. Primum namque præcitata Synodus Florentina non ait *Sacramenta* perfici *materia*, & *forma*, sed rebus, *tanquam materia*, & verbis *tanquam forma*: qua loquendi ratione, accuratissima quidem, & consulto usurpata, utitur etiam Tridentina Synodus ubi sess. xɪv. cap. 3. appellat actus pœnitentis *quasi materiam* Sacramenti Pœnitentiæ, non vero *materiam* simpliciter, & absolute. Theologi quoque politiores subscribunt beato Thomæ affirmanti q. 60. art. 7. *in Sacramentis verba se habere per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ.* Præterea cum *Sacramentum* non sit compositum aliquod physicum, sed morale, nec etiam ejus partes cum partibus physicis habent omnimodam similitudinem: & sat est, si quemadmodum partes physicæ ad rem naturalem constituendam physice coexistunt, physice uniuntur, & physice participant materiæ, ac formæ naturam; ita res & verba Sacramentorum *moraliter* coexistant, ut actus pœnitentis & forma Sacerdotalis absolutionis; *moraliter* uniantur, ut subjectus panis, & consecrationis verba; *moraliter* etiam sint sensibiles, ut contritio pœnitentium, sive sponsorum assensus quasi materialis evadit, & sensibus subjicitur per nutus, per verba, per signa alia corporea.

Materiam itaque, & formam *Sacramentorum* idcirco appellamus res, atque verba, quoniam sicut *materia* ad constituendum corpus unum, aut aliud suapte natura indifferens, accedente *forma*, idest, tali substantiali actu, vel tali elementorum affectione, ad unum specie compositum determinatur, & coarctatur: ita res sensibiles, quarum multiplex potest esse usus, per *formam* verborum determinantur ad sacrum mysterium constituendum, efficiendamque gratiam, quæ supergreditur naturalem facultatem rerum quarumlibet sensibilium. Ceterum inter *Sacramenta*, & compositum physicum intercedit discrimen multiplex: ac primum est, quod principia corporum eidem inhærent, permanentque simul: at in *Sacramentis* pertransit *forma* verborum, nec semper *materiæ* coexistit, sed illam sæpenumero sequitur post aliquod temporis intervallum. Discrimen alterum est, quod physica materies est solida, & permanens: quorumdam vero *Sacramentorum* materia est actio pertransiens, nec per se, sed tantum adminiculo externorum motuum sensibilis. Tertium discrimen in eo situm est, quod si materia subesse desinat, physicum compositum perit atque dissolvitur; perseverat autem *Sacramentum* quamquam materia nonnisi *moraliter* percipiatur adesse, uti contingit in venerabili Eucharistiæ *Sacramento*, quod permanentibus dumtaxat rerum subjectarum accidentibus, diu persistit. Atque horum discriminum rationem paullo antea produxi-

mus: quoniam scilicet *Sacramentum* non physicum compositum est, sed morale, neque proprie *materia & forma* constituitur, sed rebus *tamquam materia*, & verbis *quasi forma* perficitur.

Restat ergo, ut Pauli Veneti refutemus futilem, & inenem objectationem. Principio certum est nomine quamplurima quotidiano usu probari, quamvis fuerint antiquis inusitata; idque utiliter, dummodo ad comprobanda fidei dogmate adversus profanas novitetes existimentur idonea: quod lib. VII. cap. 13. & 19. ostendimus recte factum de vocabulo *Omoousion*, & particula *Filioque*; lib. XVI. cap. 14. de voce *Deipara*: nec non libro, in quo versamur, cap. 1. de nomine *Sacramenti*. Deinde quod nos affirmamus, illud idem sacri tradidere Doctores, ubi docuerunt non perfici *Sacramenta*, nisi verbum accedat ad *elementum*, & res sensibiles nullam habere vim sanctitatis effectricem, nisi determinatione verborum. Deinde in eo Suavis turpiter alucinatur, quod ad oppuguandam materiam, formamque *Sacramentorum* utitur exemplo baptismi ab hæreticis collati, cum baptismi tam materia, quam forma in Evangelio sit expressa. Sapientissime itaque Pallavicinus lib. IX. hist. Concil. Trid. cap. 6. num. 8. his verbis Suavem refellit: *Ne ille nimis crassam comminiscitur tunc in Ecclesia ignorantiam, etiam Evangelii, quo aperte docemur & baptismi materiam, hoc est aquam, & formam, qua baptismum conferimus, hoc est, Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quin unquam accidere potuit, ut in universa Christiana Republica tam cito evanuerit traditio de iis, quibus constare debet Sacramentum maxime necessarium, maxime universale, maximeque nominatum pre reliquis, quæ sunt in Ecclesia. At vero ubi etiam id accidisset, quid causæ erat, quod aliqui baptismi ab hæreticis collati, sicut ipse fatetur, sufficere credebantur, aliqui non sufficere, ideoque illos tunc iterare mos erat? Quænam alia poterit excogitari ratio, nisi quod in illis, non in his servabatur Sacramenti substantia? Nulla sunt rerum genera tam opposita, quam falsum & verum; unde qui semel falsum protulit, postea ne falsi convinceretur, opus foret nunquam quidquam veri proferre.* Porro quando immutatio formæ irritet *Sacramentum*, & quid de baptismo hæreticorum asserendum sit, disquirendum est postmodum.

CAPUT X.

An penes Ecclesiam sit immutare formam, ac materiam Sacramentorum?

Parum, ut opinor, distet hæc quæstio ab illa, quam supra definivimus. num Christus Dominus sit *Sacramentorum* omnium immediatus Auctor & Institutor, an vero *Sacramentorum* aliquorum materiam & formam determinaverit Ecclesia Apostolica, facta sibi a Domino potestate. Nam si Dominus Jesus instituit ac determinavit quorumlibet *Sacramentorum* res, atque verba; certum est non posse Ecclesiam hæc adversus Christi institutionem immutare. Ad majorem tamen hujus argumenti notitiam, quoniam de materia, & forma *Sacramentorum* nunc singillatim pertractamus, propositam quæstionem curabimus expressius dirimere. Discipuli itaque Pauli Samosatensis solis Evangelicis verbis, spreto sensibili elemento, *Sacramenta* constituerunt, quamquam liberos suos aliquando vellent salutari aqua lustrari, ut ex Photio scribit 2. p. Panopliæ tit. 21. pag. 696. Euthymius Monachus Zigabenus. Ita Paulitiani *materiam* Sacramentorum tamquam non præscriptam, & inutilem abjecere. At Novatores, cum velint usurpata in *Sacramentis* verba quasi ad concionem adhiberi ad fidem excitandam, formam consequenter negant, quæ *Sacramenta* perficiat: supinus ac portentosus error insequenti capite discutiendus. Nonnulli ex Catholicis putant, non quidem præsentem Ecclesiam omnibus institutis plene formatam, sed quæ fuit tempore Apostolorum, determinasse materiam & formam quorumdam *Sacramentorum*, præsertim Confirmationis, & Ordinis: a qua sententia alienus non est Franciscus Farvacques de Sacramentis in genere cap. IV. q. 3. Franciscus Amicus Tom. VII. sect. IV. num. 45. ait potuisse Ecclesiam pro materie Ordinis adhibere usum sacrarum vestium, quas modo edhibet ut ceremonias tantummodo. Ejusdem *Sacramenti* Ordinis essentialem materiam esse solam porrectionem sacrorum instrumentorum censuit in IV. dist. 24. q. 1. art. 4. Dominicus Soto: cumque Apostolorum ætate sacri ordines collati fuerint per solam manuum impositionem, ut demonstrant Franciscus Hallier pag. 427. Morinus 3. P. Exercit. 7. pag. 131. Juenin de Ordine cap. 2. q. IV. consequitur ex sententia Soti immutatam fuisse sacræ ordinationis materiam. Juxta doctrinam vero illorum Doctorum, qui censent tam impositionem manuum, quam instrumentorum traditionem esse sacrarum ordinationum *materiam essentialem*, ut visum Bellarmino de Ordine cap. IX., laudatis ab ipso Theologis, & præcitato Doctori Sorbonico Hallier pag. 439. sistem consequitur additam ab Ecclesia ad materiam antiquitus institutam materiam aliam partialem. Nonnullæ aliæ circa materiam confirmationis, & matrimonii occurrunt dubitationes: quibus tamen minime obstantibus, proximam pono assertionem communiori Scholasticorum assensu firmatam.

Prop. Non est penes Ecclesiam meteriam formamque Sacramentorum immutare.

Prob. 1. Dominus Jesus, juxta præcedens cap. VIII. ita est *Sacramentorum* auctor, & institutor, ut penes Ecclesiam sit quidem potestas statuendi, & mutandi pro temporum & locorum varietate ceremonias & ritus, sed non eorumdem *Sacramentorum* substantiam. Si autem Ecclesia posset statuere ac mutare materiam, formamque *Sacramentorum*, mutare, & statuere posset non tantum ipsorum *Sacramentorum* ritus, verum etiam substantiam, quæ in rebus & verbis, sive in materia & forma sita est. Igitur Ecclesia meteriam formamque *Sacramentorum* mutare non potest. Præterea Dominus Jesus non solum Baptismum, & Eucharistiam instituit, sed etiam *Sacramenta* reliqua; & quamvis non omnia instituta a Christo invicte demonstretur e sacris literis, inconcusse tamen infertur ex Apostolicis traditionibus. Atqui Baptismum & Eucharistiam ita Christus instituit, ut determinaverit materiam & formam, aquam scilicet, panem, & vinum, & Evangelica verba Matt. XXVIII. 19. & XXVI. 26. 28. descripta. Ergo eodem pacto, idest, materiam & formam determinando, instituit *Sacramenta* reliqua. Insuper, quod citato cap. 8. dictum est, congruum fuisse, ut Christus per se *Sacramenta* institueret ad unionem Christiani populi, & ad majorem gratiæ significationem, illud valet etiam de certa determinatione rerum, atque verborum; semel enim determinatione ista relicta in Ecclesiæ potestate, uti in cæremoniis & ritibus, ita in rebus essentialibus sensim inducta esset variatio; & omnes hæreticorum sectæ, quæ temere gloriantur veram apud se Ecclesiam servari, nove *Sacramenta* auderent intrudere, adeoque non solam exteriorem Christi vestem, sed interiorem quoque, inconsutilem, & desuper contextam, Ecclesiæ scilicet fidem, unionem, caritatemque discinderent. Ad hæc num Christus dederit Ecclesiæ suæ potestatem immutandi materiam, aut formam *Sacramentorum*, quæstio facti est, & pendens a Christi voluntate. Dum vero facti agitantur quæstiones, nihil est absque valido aliquo momento definiendum. At Ecclesiæ collatam prædictam auctoritatem nequit e Scripturis sacris evinci, nequit comprobari ex traditione; nulloque oraculo Romanorum Pontificum, nullo SS. Conciliorum decreto fulcitur. Sententia ergo, quæ potestatem illam concedit Ecclesiæ, tamquam commentitia rejici debet. Rursus mutatio materiæ & formæ *Sacramentorum* nullatenus ad Ecclesiæ regimen est necessaria, quemadmodum necessaria esse potest quarumdam cæremoniarum abolitio; quid enim commodi accederet Ecclesiæ, si E. G. pro manuum impositione substitueret solum calicem, aut sacras vestes? imo quot in Ecclesia non orirentur dissidia, quot non excitarentur tumultus? At Christus Ecclesiæ illam tantummodo facultatem concessit, quæ optimo ipsius regimini congruere poterat. Non ergo dedit ei potestatem statuendi, & mutandi materiam & formam *Sacramentorum*. Postremo Ecclesia non potest condere novum aliquem fidei articulum, non divinam legem abrogare, non vim gratiæ effectricem signaculo tribuere sensibili. Igitur nec potest instituere novum aliquod *Sacramentum*, nec statutam abolere materiam, nec pro libito alicui rei impertiri sanctificandi virtutem; æqua enim in his omnibus, & quidem summa & divina requiritur auctoritas. Quamobrem Hadrianus VI. in IV. pag. 6. columna 4. hujus argumentationis vim assecutus, ait: *Ecclesia non posset novam formam baptismi, aut alterius Sacramenti instituere, aut institutam quovis modo mutare: quia ut solius Dei est animam a labe peccati emundare, juxta illud Isaiæ 43. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me: ita solius quæ sanctificant animam potest instituere: unde noverit se Ecclesia non esse dominam Sacramentorum, sed ministram; nec posse magis formam aliquam Sacramentorum destituere, aut novam instituere, quam legem aliquam divinam abolere, vel ad tempus ab obligatione hominum suspendere, vel novum aliquem articulum fidei instituere, qui aliter non est de fide.*

Opp. 1. Ecclesia quorumdam *Sacramentorum* materiam reipsa mutavit: quod sane non fecisset, nisi collata sibi a Domino potestate. Ac primo statuit materiam *Sacramenti* confirmationis esse sacri chrismatis inunctionem, cum ætate Apostolorum baptizati sola impositione manuum confirmarentur, ut liquet ex Act. Apostol. cap. VIII. 18. Deinde per septem priora sæcula Ordinatio Sacerdotalis absque porrectione calicis peracta est, ut liquet ex Ordine Romano ab Alcuino, ut fertur, conscripto: & tamen Eugenius IV. in Florentino Concilio Tom. XIII. pag. 538. ita definit: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.*

Circa

Circa materiam itaque sacrarum Ordinationum aliter ab Ecclesia statutum est, quam serveverit primæve Apostolicæ Ecclesiæ consuetudo. Tertio ante Tridentinam Synodum contractus etiam clandestinus erat *Sacramenti* Matrimonii materia: at sessione 24. cap. 1. Tom. xiv. pag. 876. eadem venerabilis Synodus decrevit, *eos qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddi, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse.*

Resp. falsum esse, quod Ecclesia *Sacramentorum* aliquorum materiam mutaverit. Atque ad momentum primum fateor baptizatos ex Apostolica traditione confirmari impositione manuum, & nego aliquando non adhibitum sacrum Chrisme, quod antiquitus usu receptum, & ad sanctificationem applicatum, scribunt SS. Martyr Cyprianus Epistola 70. ad Januarium, Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 3. Mystagogica, aliique suo loco efferendi. Qui autem in sola impositione manuum constituunt sacræ confirmationis materiam, respondebunt chrisma materiam esse tantum *accidentalem*, & sine qua etiamnum valide *Sacramentum* Confirmationis conficeretur. Ad alterum hæc sit responsio. Eugenius IV. non solum Armenios instruxit circa orthodoxæ fidei veritatem, verum etiam circa alia tunc discussa, & in Romana Ecclesia servata, *ne ulla in futuram apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum sede Apostolica, unioque ipsa stabilis & perpetua sine ullo scrupulo perseveret*; ita namque legitur in decretum Eugenii pag. 530. Quemadmodum vero in ea instructione non tradit Eugenius omnes fidei articulos, sed illos tantum, in quibus Armenii aut errabant, aut dubitabant, ut sapienter monuit Spondanus ad annum 1439. num. 18. ita non docuit materiam *essentialem* sacrorum Ordinum, quam nec Græci, nec Armenii, nec Latini ignorabant, sed materiam *accidentalem* adhibitam in Ecclesia Romana, traditionem nempe sacrorum Instrumentorum; non quidem necessariam ad *Sacramenti* substantiam, (nam alioqui Romana Ecclesie haberet tamquam cassas, irritasque consecrationes Græcorum) sed perutilem ad servandam cum Apostolica sede stabilem unionem. Quod si contendas, porrectionem instrumentorum materiam esse sacræ ordinationis *essentialem*; nihil reponendum est aliud, nisi utramque materiam, hanc nempe, & manuum impositionem a Christo institutam, facta Ecclesiæ potestate ut una, vel altera, aut utraque simul adhiberetur, ita, ut Romana Ecclesia non ex Alcuino, neque ex Ritualibus Gallicanis, sed ex Apostolice traditione etiam instrumenta in usum assumpserit. Ad tertium vero habeto responsum illum: ut liquet ex præcitatis Tridentini verbis, Ecclesia non mutavit materiam *Sacramenti* matrimonii, sed declaravit irritum contractum clam & sine testibus celebratum. Perpendens enim *gravia peccata, quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt*; huic malo remedium adhibens, statuit ut clandestinus contractus, quo in animarum suarum perniciem plurimi abutebantur, in posterum esset nullus & irritus: quod non est immutare *Sacramentorum* materiam, sed justa de causa ad validitatem contractus præscribere conditionem, ad gravissima scelera vitanda summopere necessariam.

Opp. 2. Multiplex materia potest habere analogiam cum effectu *Sacramentorum*: nam ut significetur, E. G. baptizatum mundari a peccatis, perinde est, si aqua, aut liquore alio ebluatur. Ad effectum vero spiritalem producendum sufficienter ipsa materia determinatur prolatione verborum. Non ergo necessum fuit, ut Christus omnium *Sacramentorum* determinaret materiam. Resp. materiam *Sacramentorum* habere quidem cum effectu aliquam similitudinem: *si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent*, inquit Augustinus Epist. 118. ad Bonif. numer. 9. et, quemadmodum observatum est cap. 1. hanc analogiam non habet Sacramentorum materia suapte natura, sed ex divina institutione: eodem quippe Augustino docente lib. iii. de Doct. Christ. cap. ix. num. 13. Sacramentum *est utile signum divinitus institutum*; ideoque Christus statuit determinavitque materiam *Sacramentorum*, ut manifestius invisibilis gratiæ sanctificationem exprimeret, ut per allegoricam significationem institutione Christi manifestatam, ut idem Augustinus docet Epist. ad Januarium 119. nunc 55. num. 21. *plus moveat, plus delectet, plus honoretur*. Si dixeris ad institutionem satis esse, si Christus determinaverit materiam *Sacramentorum* in genere, repetam quæ scripsi cap. 8. prop. 1. verum Institutorem illum esse, qui statuit, definit, præscribit; neque Ecclesiæ aliam potestatem fuisse concessam, nisi statuendi ac mutandi ritus Sacramentorum *salva illorum substantia*, uti declarat Œcumenica Synodus Tridentina sess. xxi. cap. 1.

Opp. 3. Si formæ *Sacramentorum* certis verbis ac syllabis esset determinata, non cælestis esset ac divina, sed superstitiosa & magica. Christus ergo nequaquam formam *Sacramentorum* definivit. Atque hinc est, quod Ecclesia Græca alia in conficiendis Sacramentis forma utitur, quam Latina: illaque, ut plurimum, deprecativis verbis, hæc autem indicativis.

Resp. magicam superstitionem in eo sitam esse, quod improbi utantur *quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis*, & ex his effecta quædam expectent *ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta & conventa*: ut recte monet Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 22. num. 33. Audacter ergo, & sacrilege quidam hæretici in *Sacramentorum* forma ad certas syllabas coarctata subesse inquiunt crimen superstitionis, cum ipsa verba non *humana præsumptione* instituta sint, sed auctoritate divina; nec inde expectetur effectus ad pacta & conventa cum dæmonibus, sed ex Dei omnipotentia, ex Christi meritis, atque ex orthodoxæ religionis signaculis. Sane si superstitio esset uti certis signis divinitus præscriptis ad effectum consequendum, nonne superstitiose hebræi linissent postes sanguine agni ad cædem vitandam, nonne superstitiose serpentem æneum adspexissent ut e venenatis morsibus sanarentur, nonne superstitionem redoleret septena lotio Naamani ad lepræ maculam abstergendam, ut mittam alia plura, quæ literæ sacræ commemorant? Idcirco autem dæmon ad certa signa effectus producit suos, quoniam divinitatem affectans iis insigniter tangitur & delectatur, quæ cum sacris mysteriis institutis ad cultum summi Dei habere videntur aliquam proportionem, juxta præclaram doctrinam S. P. Augustini lib. xxi. de Civit. Dei cap. 6. Quod autem postremo loco addebatur de forma, quam Græci adhibent, diversa a forma Latinorum, nullius est momenti; cum inter utramque sit solum *accidentale* discrimen, minime verborum *substantiam* immutans, ut ostendemus pertractantes de singulis *Sacramentis*.

CAPUT XI.

An verba, quæ Sacramentorum *forma sunt, idem, ac præstat Evangelium, munus tantummodo exerceant.*

M*Odicum fermentum*, inquit in priori ad Corinthios cap. quinto Apostolus, *totam massam corrumpit*. Ex pravo enim hæreticorum dogmate, quod sola fides justificet, inficitur universarum fere veritatum complexio: illinc derivata est damnata assertio, *Sacramenta* gratiam non conferre spiritualem, illinc *Sacramentorum* verba efficaciam non habere, sed significationem duntaxat: illinc eadem verba nihil præstare aliud, quam nos instruere, divinas promissiones confirmare, atque nos certiores reddere, quatenus per fidem Deo intime conjungimur: illinc præterea eos, qui non credunt, non recipere *Sacramenta*, neque corpus Dominicum manducare: illinc *Sacramenta* conficienda vernaculis verbis, quæ ad instruendum videntur esse magis idonea: illinc denique hæreticorum dogmatum portentosa colluvies. Recte auctor controversiarum, quæ inter Doctores Sorbonæ & ministros Calvinianos habitæ sunt Parisiis an. 1566. pag. 196. has impias consecutiones animadvertit scribens: *Le total fondament sur le quel les ministres bastissent toute leur doctrine, est ceste proposition: La seule foy nous unit, & conjoinct avec Dieu: duquel principe ils inferent les propositions qui ensuyvent. Que es Sacramens ne nous unissent point avec Dieu. Que par iceux il ne nous est conferre aucune grace spirituelle. Que la parole de Sacremens n'est effective, mais significative seulement. Que l'office d'iceux Sacremens n'est autre, que nous faire certains & asseurez d'avantage de la parole & promesses de Dieu. Que telle office n'est, que pour nous donner aussi plus ample asseurance, que nous sommes conjoinctz avec Dieu par la seule foy. Que c'est abus & superstition de penser, que par certaines parolles il se face aucune consecration de la matiere du Sacrement, &c.*

Hinc arbitror perspicuum esse propositæ quæstionis sensum. Cum enim heterodoxi omnem justificandi vim tribuant fidei, tenent consequenter verba in *Sacramentis* conficiendis prolata perinde se habere, ac prædicatio Evangelii, nimirum nobis Christi gratiam proponere, illam polliceri, ad Christi fidem nos excitare, non autem immutare et consecrare materiam illam sensibilem; sive, ut aliis verbis quæstio proponitur, Sacramentorum verba *concionis vel promissionis* esse, non autem *consecrationis*. Et quamquam aliquando fateantur hæretici verbo tenus signa *Sacramentorum* sensibilia consecrari verbis; *consecrationis* nomine non intelligunt sensibilis materiæ ad vim conferendi gratiam elevationem, sed ejusdem materiæ translationem de usu communi & profano ad sacrum: quemadmodum etsi proferant verba, non tamen ea putant partem *Sacramentorum* essentialem, sed puram, putam conditionem ad fidem ingenerandam. Quamobrem Calvinus lib. iv. Instit. cap. 14. §. 4. consuetudinem nostram proferendi submissa voce verba consecrationis appellat demurmurationem, ingentemque sacrorum mysteriorum profanationem: & Turretinus Minister Genevensis q. 6. de Sacram. n. 3. admittit verbum

bum

bum *consecratorium*, non autem *operativum*, sed alta pronuntiandum voce, ut in *Sacramenta* suscipientibus fidem excitet. Quod sedulo notandum est, na dum commendantur a quibusdam hæreticis verba *consecratoria*, aliquid alind credantur edmittere præter verba concionis & promissionis. Nos itaque cum Bellermino lib. 1. de Sacramentis cap. 19. Estio dist. 1. §. 8. Suaresio Tom. 3. in 3. P. pag. 15. Du Hemel Tom. 7. pag. 39. Frassenio Tom. x. pag. 35. Tournely de Sacramentis in gen. pag. 33. Juenin in Comment. Hist. q. 3. cap. 4. Caneli pag. 19. Auctore præclari operis de Re Sacramentaria lib. 1. q. 3. cep. 1. §. 2. quos tentum in hac quæstione sat erit perlegere, nec non cum Theologis omnibus orthodoxis affirmamus verba *Sacramentorum* non *promissoria*, aut *concionalia* esse, sed *consecratoria*, nec eo duntaxat sansu, quatenus iisdem verbit elementa, ec symbole sensibilia de profano usu convertuntur in sacrum; verum etiam quetenus ipsorum verborum virtuta redduntur ad productionem gratiæ efficacie. Verum, quoniam hæc quæstio, ut constat, ab ea, quæ inferius agitanda est, de gratia *Sacramentorum* pendet tote, illam breviter, & ad hunc modum resolvimus.

PROPOSITIO. Verba, quæ formam *Sacramentorum* constituunt, non sunt promissionis, aut concionis, sed tentummodo consecrationis.

Demonstretur pars prima. Verba, quæ effectum præsentem commonstrant, eumqua divina operante virtuta producunt, *promissoria* non sunt juare sensum hæreticorum: promissio enim, non est actualis gretiarum largitio, sed gratiam offerentis pollicitatio. Atqui verba, quibus *Sacramenta* conficiuntur, sit in axemplo, *Ego te baptizo, &c.* non axprimunt gratiæ conferendæ pollicitationem, sed designant, efficiuntqua præsens enimarum lavacrum, etque regenarationam spiritus. Ergo prædicta verba non sunt *promissoria*, ad sensum hæreticorum. II. Idcirco antumant hæretici verba *Sacramentorum* solam innuere promissionem, quoniam censent solem fidem nos Deo conjungere, hujusqoa conjunctionis *Sacramenta* esse nudum sigillum, & arrham. Atqui falsum est solam fidem nos Deo conjungere, cum id potiori jure caritati, & ipsorum *Sacramentorum* participationi sit tribuendum, affirmanta Christo, Joan. xiv. 23. se apud eos permansurum, qui ipsum diligunt, ejusqoa sermonem servant, & Joannis 6. 57. pollicenta, ei daturum se vitam æternam, & in eo commoraturum, qui ipsius carnem manducat, & bibit sanguinem. Igitur verba *Sacramentorum* non eo sensu promittunt gratiam, quod hæc soli fidei, non caritati, non observationi mandatorum, non ipsorum *Sacramentorum* virtuti, quemadmodum comminiscuntur hæretici, sit tribuanda. III. Promissio gratiæ non est in sacris literis facta credentibus tantum, sed credentibus qui *Sacramenta* recipiunt: non enim Marci xvi. 16. legitur, *Qui crediderit, salvus erit*; sed, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Et si elicubi non credentibus sacrosancte Evangelia minitantur damnationem æternam, ut Joan. III. 36. & VIII. 24. eamdem æternam pœnam iis præscribunt, qui negligunt *Sacramenta*: quippe de Baptismo legitur Joan. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*, & de Eucharistie Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Verba iteque *Sacramentorum* nequeunt esse promissoria gratiæ ad sensum hæreticorum; ita, ut soli fidei, non *Sacramentorum* virtuti a Deo largitore elligate sit ipsa gratie. IV. Si quis hæreticum his verbis interpellaret, Baptizatus qui non crediderit, selvari ne poterit? responderet utique, *minime*; *non enim scriptum est: Qui baptizatus fuerit salvus erit*, sed, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*. Igitur si interrogetur, Qui credit, at non baptizatur, salvus ne erit? respondere debet, *Non*, cum scriptum sit, illum salvum fore, *qui crediderit, & baptizatus fuerit*. Salus ergo non tam fidei, quam *Sacramento* conjuncta est; neque verba *Sacramentorum* sunt *promissoria* gratiæ collatæ credentibus, sed collatæ credentibus qui digne suscipiunt *Sacramenta*. V. Christus non absolute, non absque apposite conditione promisit credentibus æternem vitam, sed dummodo ipsius præceptis obtemperent, dummodo baptizentus, dommodo Corporis sui *Sacramentum* digne suscipiant. Mentitur ergo, maximemqua Domino irrogat injuriam, quisquis censet Evengelicis verbis, quibus *Sacramenta* consecrantur, gratiam fide sola arripiendam, promitti.

Probatur modo verba *Sacramentorum* non esse *concionalia*. Ac primum, quidquid Calviniani effutiant, forma baptismi sita non est in conciona siva institutiona catechomeni, quæ sacræ ablutioni præmittitur, sed in verbis, quæ pronuntiantur, dum baptizati lavacro tinguntur sacro, nempe, *Ego te baptizo, &c.* enim vero non solum catholici, nisi hæc verbe proferentur, aut *substantialiter* immutentur, tenent baptismum nullum esse, ac integre iisdem verbis pronuntietis validum putant baptismum ab hæreticis collatum: verum etiem ipsi Calviniani aedam verba pronuntiande fatentur, probantque collatum sive a nobis, sive eb aliis e secta sua hæreticis *Sacramentum*. Quis vero dubitat, quin concio, institutio, catechismus epud nos & hæreticos discrepent, ac norma nostra credendi futilis, & irrationalis videatur hæreticis, cociones vero hæreticorum complurium puta Samosatensium, Arianorum, Ebionitarum, aut sacrosanctum Trinitatis mysterium, aut Verbi divinitatem, aut susceptæ ab ipso carnis œconomiam denegantium, tum nobis, tum iisdem Calvinianis tamquam sacrilegæ existimentur? Si ergo in hujusmodi concione locaretur *Sacramentalis forma*, quemadmodum nos institutiones hæreticas, hæretici institutiones nostras repudiant, ita nec nos beptismum hæreticorum probaremus, nequa hæretici baptismum probarent nostrum. Quapropter non in conciona præmissa baptismo, sed in iis verbis, *Ego te baptizo, &c.* Secramentalis forma locanda est. Hæc autem verba nullam profecto concionem, nullem catechesim continent, sed significant duntaxat spiritualem animorum inquinatorum ablutionem: quod pariter dicendum est de forme ceterorum *Sacramentorum*. Hæc itaque verbis *concionatoriis* nequaquem constat. Deinde admittunt Calviniani *Pædobaptismum*. At in baptizandis infantibus nulla apparet sacræ concionis necessitas. Quid enim in his efficere potest prædicatio Evangelica, quam paucorum dierum neti nequeunt ulle ratione percipere? Num adeo simplices arimur, ut præbeamus fidem hæreticis comminiscentibus puerulos sacræ regenerationis tempore nancisci divino movente spiritu sensuum perspicacitatem, & acumen ingenii? non adeo stolidi sumus, ac male sani, ut illhæc credamus. Tam mira, & supra naturæ leges perceptio nullo fulcitur loco Scripturarum sanctarum, ad quas tentum heterodoxi nos provocant. Quotidiano attam experimento comperimus, dum sacræ perficiuntur cæremoniæ, puerulos vagitibus, lacrymis, ceterisqua indiciis commonstrare quomodo non dignoscant quid in ipsis salutaris unda operetur. Quare Augustinus de Peccatorum meritis lib. 1. cap. xxxvi. num. 66. *Illas*, inquit, *consideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus, & Deum prorsus ignorant, cujus Sacramentis etiam cum baptizantur obsistunt*. Lib. quoque XXI. de Civit. D. cap. 16. commendat Dei misericordiam, ex quo infantibus Sacramento Mediatoris salutem afferatur, quando *nondum est præcepti capax infirmitas mentis*. In baptismo itaque parvulorum verba concionatoria ad excitandem fidem non adhibentur. Præterea verba concionalia nequeunt producere effectum aliquem, nisi percipiantur; *fides* enim, inquit Apostolus, *ex auditu*: unde & hæretici errorem ex errore trahentes ajunt proferenda esse verbe *Sacramentorum* vernacula lingua. Atqui verba *Sacramentorum* affectum producunt, etiamsi illorum verborum sensus a suscipientibus non percipiatur. Igitur verba *Sacramentorum* concionalia nequaquam sunt. Minorem hæc argumenta commonstrant. Primo, ut Dei verbum producat supra naturalem rerum virtutem effectum aliquem, necesse non est, ut effectus hujus subjecte percipiant ejusdem verbi significationem; dum enim Josua præcepit Soli ne moveretur contre Gabaon, dum Elias imperavit igni, ut de cælo descenderet, dum Dominus Jesus clamavit quatriduano Lazaro, *Veni foras*, aut dixit viduæ filio, *Adolescens, tibi dico surge*, aut verbo ventos, ac tempestates maris cohibuit; numquid sol, ignis, elementa, mortui, sensu & cognitione erant prædití? At hisce exemplis Patres virtutem *Sacramentorum* explanant, ut dicam alibi. Non ergo necessum est ad gratiam *in Sacramentis* producendam, ut significetio verborum percipiatur. Rursus in Eucharistia idem præstant consecrationis verba, quod sermo Dei vivus & efficax, quo Dominus omnia quæcunque voluit, fecit. Hinc Damascenus lib. IV. de fide cap. XIV. pag. 278. ait: *Si dicit, Fiat lux & facta est, Fiat firmamentum & factum est, si verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum, si cælum & terra, aqua item, & ignis, & aer, & omnis eorum ornatum Domini verbo completum & absolutum est, atque hoc etiam nobilissimum animal quod homo nuncupatur: si ipsemet Deus Verbum, posteaquam ita voluntas ipsius tulit, homo factus est, atque ex puris & immaculatis sanctæ, ac semper virginis sanguinibus carnem sibi ipsi sine semine condidit; quid tandem afferri potest, quin ex pane corpus suum, ex vino, & aqua sanguinem suum efficere queat?* Ut ergo divinum Verbum in rerum productione independenter e creaturarum sensu condidit universa; ite in *Sacramentis* independenter ab audientium perceptione materiam consecret, perficit, immutat, & gratiam spiritualem producit. Postremo, quum Evangelium aperte affirmet Sacerdotes a peccatis absolvere, ex Calvini doctrina sequitur illos nullam aliam habere potestatem, nisi prædicationis & catechismi, ita, ut ipsi dicantur animas solvere, quoniam *testes Christi, ac sponsores constituti de remissione peccatorum certiores reddunt conscientias*. Atqua ita docet Calvinus lib. III. Instit. cap. IV. num. 12. Quis autem ferat talem sacrarum Scripturarum depravationem? Quis dixerit Dominum Apostolos alloquentem, Jo. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, improprie locutum, & dicendum ei potius, *Quibus prædicaveritis Evangelium, remittentur peccata*? Sacrorum itaque ministrorum verba in *Sacramentis* conficiendis aliam, quam catechismi & concionis vim habent, & splendide mentiuntur Calviniani, affirman-

affirmantes nihil eadem valere, nisi ad promissionem gratiæ, & fidei eaternam excitationem.

Demonstratur modo propositionis pars tertia. Principio ex dictis Sacramentorum verba non suet promissoria; non sunt concionalia ad sensum hæreticorum: sunt ergo consecratoria. Deinde veritatem hanc sacræ literæ, Patres, & manifesta ratio confirmant. Sacræ quidem literæ; enimvero describunt verba, quibus Sacramenta perficiuntur, vel tanquam prolata super symbola, et in Eucharistia, vel tamquam expressiva spiritalis effectus, ad quem producendum symbola sensibilia adhibentur, ut in baptismo. Ea igitur verba symbola, sive elementa consecrant, elevantque ad gratiam efficiendam. Addunt Theologi post Bellarminum Sacramentorum verba esse verba benedictionis, scribente Apostolo in 1. ad Corint. x. 14. *Calix benedictionis, cui benedicimus*, & esse verba vitæ, eodem Apostolo scribente ad Ephesios 5. 26. *Mundans* Ecclesiam *lavacro aquæ in verbo vitæ*: quæ tamen duo loca (patiatur Lectoris humanitas judicii mei libertatem) non videntur ad revincendos hæreticos prorsus invicta. Quantum ad Patres attinet, Dionysius de Eccles. Hierarchia cap. III. pag. 234. ait a Pontifice, & Sacerdote *divinissima consecrari mysteria*, idem repetit pag. 296. consecrationis nomine significans verba ante hostiæ elevationem prolata, ut liquet ea textu, & ex scholiis S. Maximi pag. 386. edit. Plant. & cap. VII. pag. 457. appellat verba Sacramentalia, *Invocationes consecratorias*, quas ait *nefas esse scripto interpretari*, *& arcanum eorum sensum & virtutes, quas in iis Deus operatur, e secreto in publicum efferre*; ubi sermonem instituit de verbis ab Episcopo prolatis in sacris ordinationibus, ut ibidem animadvertunt S. Maximus, & Pachymeras. S. Ambrosius lib. IV. de Sacram. cap. IV. num. 14. de Euch. inquit: *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in superioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* In his Ambrosii verbis declaratur formam *Sacramentorum* sitam non esse in verbis aut historicis, aut deprecatoriis, aut instructivis, quæ præmittuntur, sed in iis, quibus symbola consecrantur: hisce Sacramentum confici: hisce in Eucharistiæ mysteriis effici quod antea non erat: hisce denique commonstrari, quomodo *Sacramentorum* verba operatoria sint, utpote sermo Christi, *quo facta sunt omnia*. Illustris sane locus, quo omne Calvinianis subterfugium præcluditur, ac jure meritoque relatus inter Canones, de Consecrat. dist. 2. c. *Panis est*. S. P. Augustinus Tract. LXXX. in Joannem num. 3. docet primum verba spectare ad Sacramentum constituendum. *Accedit*, inquit, *verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Docet posthac ipsum verbum conferre sensibili aquæ elemento vim abluendi peccata, *Unde*, ait, *ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo?* Addit hoc verbo consecrari baptismum, ut animum mundare queat, *Quo sine dubio ut mundare possit consecratur & baptismus*. Verba itaque juxta Augustinum elementum consecrant, perficiunt, & sanctificationis virtute locupletant. In libro quoque contra Faustum XIX. cap. 15. scribit non consecrari baptismum, nisi dicantur *illa syllabæ celeriter sonantes & transeuntes*: & denique lib. VI. de Baptismo cap. 25. num. 47. docet baptismum *consecrari Evangelicis verbis*: neque haberi baptismum Christi, *nisi verbis Evangelicis consecratum*. Ratio tandem manifesta est, verba quippe Sacramentalia applicantur symbolis, & proferuntur, etiamsi suscipientes Sacramenta seorsum illorum non percipiant; neque proferuntur duntaxat ad excitandam in his fidem, Deique promissiones obsignandas. Deserviunt ergo ad consecranda symbola, supernamque virtutem eit tribuendam.

Nollem Scholasticorum quempiam mihi subirasci, quod scripserim, non satis invicte refelli hæreticos pervulgaris testimoniis, *Calix benedictionis, cui benedicimus*, & *Mundans eam lavacro in verbo vitæ*. Nihil enim veritati fidei orthodoxæ detrahit, qui validiora suppeditat arma, & quid cetera habeant vitii, ut hostiles impetus caveantur, præmonstrat. Ergo prior locus haud recte ad oppugnandos hæreticos adhibetur. Benedictio etenim calicis non est facta Verbis Dominicis consecratio, sed beneficentiæ divinæ invocatio super symbola, ut inquit Jansenius in Concordia cap. 131. demonstratque Estius in Paulum Tom. 1. pag. 300. Revera Evangelistæ narrantes Eucharistiæ institutionem, docent benedictionem panis præmissam fuisse consecrationi. Idem constat ex canone Missæ. Quomodo ergo *benedictionis* nomine intelliguntur verba consecrationis, quibus perficitur Eucharistia? Id falso affirmari probat citato loco Estius, Interpres sane orthodoxus, accuratus, præclarus. Non sunt autem valida contra hæreticos tela, quæ etiam catholicorum interpretamentis possunt eludi. Argumentationibus Estii, quas poterit quisque eo loci perlegere, accedit quod Patres calicis *benedictionem* non consecrationem vini intellexere, sed eulogiam, & gratiarum actionem factam Christo, qui pro nobis pretiosissimum effudit sanguinem. Aperta sunt verba Jo. Chrysostomi hom. XXIV. in 1. ad Corinth. pag. edit. Commel. 532. Œcumenii pag. 514. ac Theophylacti pag. 244. Alia verba deprompta ex Epistola ad Ephesios v. 26. sunt paullulum validiora. Enimvero *verbum vitæ* interpretantur formam baptismi Chrysostomus in Paulum pag. 1160. scribens: *In verbo*, *inquit*, *quonam? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Similiter Theophylactus pag. 557. Theodoretus Tom. III. pag. 315. Œcum. Tom. 2. pag. 53. atque ex Latinis Anselmus pag. 558. S. Thomas in cap. 5. ad Ephes. lect. VIII. Accedunt interpretes subsellii non infimi, Hugo a S. Victore, Salmeron, Lyranus, A Lapide, Calmet. Hoc itaque loco in hac quæstione haud irrationabiliter uti possumus. At non est, ut vulgo creditur, ineluctabilis. Hieronymus quippe Tom. IV. pag. 390. *verbum vitæ* interpretatur *verbum doctrinæ*. Respondent quidam cum Bellarmino a Hieronymo sensum e poni tropologicum. Verum apparet tropologiam non *in verbo vitæ* e Hieronymo observari, sed in nomine *viri*, & *uxoris*: ait namque, *Quia vero secundum tropologiam viros animas, & uxores corpora diximus, sic diligat anima corpus, quomodo Christus Ecclesiam, ut semetipsum tradat pro salute ipsius, & eam sanctificet verbo doctrinæ*. Videtur quoque Apostoli scopum esse, hortari viros ad diligendas uxores exemplo Christi, ut quemadmodum is Ecclesiam sibi in baptismate desponsatam erudit monitis saluberrimis, ita mariti non solum copulentur uxorum corporibus, verum etiam verbo doctrinæ illas purificent. Hoc sensu Apostolum explicarunt Primasius Tom. x. Biblioth. PP. pag. 222. Sedulius in Paulum pag. edit. Basil. 325. Non rejicit hanc interpretationem Augustinus Calmet: Estius vero Tom. 2. pag. 63. genuinam esse contendit, & alteri præferendam, productis Scripturarum locis compluribus, in quibus prædicatio Evangelii dicitur verbum veritatis, verbum vitæ, verbum fidei. Contendit etiam hanc esse mentem Augustini Tract. LXXX. in Joannem num. 3. neq tamen inde consequi formam *Sacramentorum* sitam in verbis concionalibus: nam mundatio tribuitur Sacramento, & fidei: Sacramento quidem tanquam signo efficaci, fidei tanquam dispositioni. Verum de mente Augustini infra.

Opp. 1. Matthæi XXVIII. 19. mittens Dominus Apostolos in universum terrarum orbem, inquit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis*. Nulla itaque verba, præter concionalia, & quibus audientium animis fides insinuetur, adhiberi debent mandato Christi in administratione baptismatis.

Resp. triplicis generis verba istic commendari, ea nempe, quibus Evangelica doctrina baptizati imbuuntur, & hæc præcedere debent sanctæ regenerationis lavacrum: quoniam nullus, nisi credat, dum rationis pollet exercitio, mancipari potest Christo, qui neminem in sui cultum compellit invitum. Deinde ea verba, quibus consecratur baptismus, expressa scilicet sacrosanctæ Trinitatis invocatio. Tum illa, quibus initiati inflammantur ad observantiam mandatorum, sine quibus æternam vitam minime consequentur, *quia non sufficit baptizari, sed etiam bene operandum est post baptismum*, inquiunt Theophylactus in Evangelia pag. 164. & Marcus Asceta in Catena Græcorum Corderii pag. 816. Verba prioris generis sunt *concionatoria* expressa præcepto Domini, *Docete omnes gentes*: altera sunt *consecratoria*, determinata in sequentibus, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: postrema *hortatoria* sunt, & mandatorum observationem præscribentia, videlicet, *docentes eos servare omnia, &c.* Præclare Hieronymus in Mat. Tom. IV. pag. 144. *Ordo præcipuus: Jussit Apostolis, ut primum docerent universas gentes; deinde fidei intingerent Sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent*. Ut ergo, hæreticis fatentibus, verba quæ præcipiunt observanda, non pertinent ad Sacramenti constitutionem, utpote ordine consequentia; ita quæ fidei præbent rudimenta, quum præcedant sanctæ renovationis lavacrum, ad istum tanquam forma minime spectant; sed quemadmodum Marci ult. 17. dum legitur, *In nomine meo dæmonia ejicient, &c.* τὸ *in nomine*, refertur ad signa a credentibus patranda, ita hoc in loco, ubi legimus, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* τὸ *in nomine*, ad actum baptismi, non ad præcedentem Evangelii prædicationem est referendum. Atque ex his apparet falsitas consequentiæ.

Opp. 2. Ambrosius lib. de Mysteriis cap. III. num. 14. scribit: *Aqua enim sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est*. Igitur verba, quibus consecratur aqua baptismatis, sunt mysteriorum crucis prædicationes.

Respondent Theologi quidam cum Frassenio disput.

Procem.

Ptocem. q. 3. art. 1. Ambrosium commamorare verba prædicationis, quatauus per ipsum baptismi ritum prædicatur Ctux Christi. Du-Hamelius inquit, ad hunc modum loqui Ambrosium, quoniam nulla inesset aquæ vis sanctificationis, nisi nobis applicarentur Christi merita. At respondendum puto, eo loci Ambrosium sermonem instituere, non de verbis, quibus ministratur baptismus, sed de benedictione aquæ fontisque baptismalis: immediate enim sequitur: *Cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri, & salutaris poculi temperatur.* Nequa aliquis moveri debet, quod atiam sine benedictione aqua possit asse materia baptismi; Ambrosius vero scribat, aqeam sine Dominicæ crucis prædicatione nullius salutaris usus essa; quippe loquitur S. Antistes de usu & consuetudine, non de jure & validitate. Vide eot. PP. Bened. tom. 2. pag. 328. Ceterum ex hoc eodem Ambrosii capite invicte refelluntur hæretici. Nam primem num. 9. docat aquam baptismatis habere divinam sanctificandi virtutem, & ab initio temporis fuisse præfiguratam in aqua rerum universarum elemento, super quam spirites Domini ferebatur. Addit num. 10. figuram columbæ, quæ super aquas diluvii aum ramo oleæ legitur advolassa. Profert num. 14. immutationem aquarum, in quas Moyses lignum immisit. Affert insuper num. 16. exemplem Naamani, quem aqea Jordanis mundavit a lepra: quibus sane exemplis non fidei tantum, sed ipsi alemento verbis Evangalicis consecram vim sanctificationis statuit messe. Proximo demum capite num. 20. ostendens fidam sine aqua non mundare, ait: *Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Credit autem etiam Catechumenus in crucem Domini Jesu, qua & ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratia munus haurire*, concledens insequenti numero, *Crede ergo, quia non sunt vacua aqua.*

Opp. 3. Tract. lxxx. in Joannam num. 3. ait Augustinus, varbum, per quod in Sacramento mundamur, illud essa, da quo Joan. xv. 3. inquit Christus, *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Da hoc enim verbo accipiendus est S. Pater, dum ibidem docet, accedere verbum ad alementum ut fiat Sacramentum, tantamque virtutem tribuere aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat. Atqui verbum illud juxta Augustinum est duntaxat concionatorium. Igitur concionatoria sunt verba, quibus sacra administrantur mysteria. Prob. minor. Etenim Augustinus ad hunc modem loquitur: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Paucis interjectis: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris: Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ac rursus. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quo sine dubio ut mundare possit consecratur & baptismus.* Qeis autem ignorat verbum fidei, quod prædicatur, quod creditur, quod Christus Apostolis annuntiavit, essa varbum *concionatorium?* Augustinus ergo manifaste hæreticis suffragatur.

Resp. non deesse, quibus hoc argumentum videatur perdifficile, unde Scholastici, ut illud solvaet, varias adinvenara responsiones. Bellarminus lib. 1. cap. 20. censet S. Patrem nunc locutum da verbo concionali, nunc autem de Sacramentali. Du-Hamelius, Frassen, Juanin, aliique reponunt, Augustinum velle duntaxat Sacramantali verbo vim inesta, non quatenus est sonus materialis, sed prout est fidei mysterium continens divinæ virtutis invocationem. Tournely cum recentioribus aliis inquit, S. Patrem pertractassa universim de omni verbo, per quod fit mundatio; sive enim mundatio fiat in Sacramanto, sive extra, vis mundandi semper oritur a verbo. Id ego respondendum censeo. Doctrina est Augustini, varba Evangelica, quibus consecratur baptismus, non essa præcedentem concionem, sed invocationem Trinitatis a ministro factam, dum corpus abluit. Inquit enim lib. III. de Baptismo cap. xv. num. 20. *integrum esse Sacramentum, si constet Evangelicis verbis; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* In his Evangelicis verbis, *In nomine Patris &c.* demonstrat Augustinus eodem opere de Baptismo lib. vi. cap. 25. num. 47. contineri symbolum Apostolicum, quod tribus constat partibus, da Patre, Filio, & Spiritu sancto pertractans. *Ceterum*, inquit, *quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* atqua his verbis Evangelicis baptismum consecrari, & consecratum valere ad salutem, nullaque violari hominum pervarsitate, ibi S. Pater luculenter commonstrat. Hæc mihi videntur penitus objectionem elidera, & enervare. Enimvero Augustinus Tractatu 80. in Joannem loquitur de Christi prædicationa, & demonstrat vi hujus mundari homines in baptismo a laba peccati, quoniam Evangalica verba, quibus consacratur baptismus, sunt illa, quibus Symbolem constat, & continent fidai nostræ mysteria, quæ necessum est corde credere, & ore confitari. In his autam quid difficultatis emergat, quid præsidii accedat Refractariis, non video. Inquiunt, per Augustinum habet baptismi aqua virtutem tantam *faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Raspondeo, ita est: habet hanc virtutem baptismus, quia consecratur non varbis quibuscunqua, sed Evangelicis, quæ continent fidei symbolum. At Augustinus addit: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Et recta, quoniam varba, quibus confertur baptismus, Evangelicæ prædicationis summam continent, exprimuntque mysteria quæ corde credimus, & profitemur.

Nil ergo S. Patris testimonia difficultatis præseferunt; nil juvant hæterodoxos, quin illos refallunt, expugnantque invictissime. Primo, quia *hoc verbum fidei* tantum tribuens virtutem aquæ, integrum conficit Sacramantum, tametsi non sit integra fides ministri, ut Augustinus docet lib. 3. de baptismo: ac tantum valat in Ecclesia Dei, *ut tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem*; ut scribit eodem Tractatu 80. in Joannem; igitur *hoc verbum fidei* mundat, atiamsi fidem non excitet; ideoque non est varbum *concionatorium*, ut hæretici aestumant, quoniam verbum concionatorium, nisi credatur, nullum producit effectum. Deinde Augustinus ait verbum accedera ad elementum, tribuere aquæ vim mundandi, consectare baptismum, & alia ajuscemodi, quæ aliud profecto indicant præter verbi prædicationem.

CAPUT XII.

Variæ circa materiam, formamque Sacramentorum diluuntur quæstiones.

IN his de *Sacramentis* dissertationibus, etsi præcipuam operam in refutandis hæreticis curabimus impendere, prætermittere taman nequaquam possumus quæstiones plurimas ad morum doctrinam spectaetes, cum ad *Sacramentorum* dignitatem, ac sanctitatem custodiendam apprime sint necessariæ. Horum vero quæstionum prima ait num in *Sacramentis* conficiendis fas sit uti mataria, aut forma tantum probabili, certa, vel tutiore relicta. Atque huic quæstioni incunctanter respondemus, id nefas essa. Nam præter ea, quæ universim disputavimus advarsus probabilium opinionum delectum Volum. 11. lib. xxi. dum agitur de *Sacramentis*, si extra necessitatis casum adhibeatur mataria, & forma tantum probabilis, virtus caritatis, & religionis labefactatur. Et da violata quidam caritate consentientem habeo Probabilistarum, ut vocant, antesignanum Vasquezium: qui t. 2. q. 63. cap. 3. num. 10. & 3. p. disput. 146. cap. 4. num. 27. etsi contendat non lædi debitam *Sacramentis* reverentiam, si in iis administrandis probabili utamur opinione, fatetur ramen violari caritatem, si in re tanti momenti sententiam certam posthabeamus. Atque hujus assertionis suæ profert validum illud momentum, *Quoniam obligatio caritatis & misericordiæ hoc postulare videtur, ut si proximo possumus certum remedium & sine ullo periculo adhibere, non adhibeamus illud, quod forsan in re nullius est momenti; qui autem minus tutam eligeret partem administrans Sacramentum, etiamsi ea pars probabilior esset, huic periculo reipsa proximum exponeret, ut forsan reipsa careret remedio: vel quia reipsa nullum esset illud Sacramentum, vel quia careret effectu gratiæ.* Hæc Vasquesius.

At longe probabilius est, non solum caritatem labefactari, si in *Sacramentis* præferatur opinio probabilis, quod fatatur Vasquez; verum etiam injuriam sacris mysteriis inferri, & parvipendi religionem, quod Theologus ille negat. Ut auim caritas proximorum saluti prospicit, ita religio Christi institutionem, & constituta ab ipso mysteria humillime reveretur. Si ergo, haud diffitente Vasquesio, violatur fraterna caritas, quando culpa nostra fieri potest, ut salus proximi certo destituatur remedio; pessumdatur etiam religio, quando electiona nostra potest contingera, ne in sacris conficiendis adhibeatur statuta a Christo, & prædefinita materia. Enimvero sicut nuda probabilitas non recta consulit proximorum periculo, ita exponit discrimini *Sacramentorum* validitatem. Accedit quod præcipuus *Sacramentorum* ministrator est Christus, homines vero vicem ipsius gerunt, & legatione funguntur. At censeretur ne vicem supremi domini illum gerere reverenter, qui sponte, & data opera ajus mandata ambiguis verbis exponeret? Quid si Pontificis Maximi constitutionem apocrisiarius scienter adulteraret? quid si Orator regiam postulationem sponte irritam cassamque redderet? quid si preco regis nomine falsa ultro, suoque judicio nuntiaret? Hi profecto regiam læderent majestatem. Cur ergo non erunt in Christum dominum injuriosi, qui ajus verba ipsis angelis formidanda in peri-

periculum falsitatis adducunt, & gratiæ pignora suo carere effectu, voluntaria perversitate permittunt? At plura de his Augustinenses eximii doctores, Franciscus Farvacques in disquisitione Theologica de Confess. peccatorum dubiorum cap. VIII. §. 2. & de Sacramentis in genere q. IV. pag. 63. Leonardus Vanroy de Confes. q. 7. & de Sacram. cap. I. q. 6. Aurelius Piatte de Actibus hum. q. VIII. §. 2. aliique unanimi consensione.

Videtur demum hæc quæstio definita ab Innocentio XI. in proscriptione primæ propositionis: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Neque enim damnata thesis agit solummodo, ut quidam commenti sunt, de probabilitate *speculativa*: nam quod spectat ad collationem *Sacramentorum*, ad praxim, non ad solam speculationem, reducitur. In hac vero proscripta thesi sermonem institui de opinione probabili, qua aliquis utetetur *in Sacramentis conferendis*, manifeste ipsa verba declarant: ac præterea, ut lib. XXI. cap. 13. demonstravimus, fieri nequit, ut cum falsa speculatione probabili rectum judicium practicum componatur. Vide Tom. II. pag. 247. & seq. Porro quod objiciunt de Attritione, quæ est Sacramenti Pœnitentiæ materia probabilis, eodem libro, pag. 256. commodam habet solutionem, & accuratius proximo volumine discutietur.

Hæc dicta sint, nisi extrema urgeat necessitas: hac enim ingruente, certum est licite adhiberi materiam & formam tantum probabiliter validam: nam baptizandum catechumenum, si desperatus jacuerit, nec pro se potuerit respondere, etiamsi viventi conjugi copulatus retineat adulterina consortia, (quam tamen sanum corpore nemo admitteret ad baptismum,) docet magnus Augustinus lib. I. de Conjugiis adult. cap. 28. num. 35. Ibidem ait, eamdem baptismatis & reconciliationis esse causam, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Et quidem recta; nam cum *Sacramenta* pro salute hominum sint instituta, atque in extremo laboranti, nisi præsto sit exquisitum medicamentum, denegari non debeat præsens, quod probabiliter noscitur profuturum: cur animam agenti puerulo, dum limpidam aquam habere ad manus non possumus, nequaquam unda vino permixta, aut alio liquore vitiata sacrum baptisma conferandum est? Atque id de aliis *Sacramentis*, si necessario conficienda sint, pari ratione affirmamus. Neque hoc in casu Institutori *Sacramentorum* irrogatur injuria: qui enim jussit periclitantium animorum saluti afferri remedium, vult etiam, ubi efficacissimum deest, suppeditari opportunum, neque ullatenus patitur ut negligatur, sive immineat peccatorum perditio, sive scandalum pusillorum. Eam ob rem propriis manibus distribuit proditori Corporis sui *Sacramentum*: quamvis inhibuerit ne sanctum daretur canibus, ut citato loco animadvertit Latinorum Patrum præstantissimus Augustinus.

I I.

Sequitur quæstio altera, an, & quæ mutatio materiæ, vel formæ reddat irritum Sacramentum: in qua Doctores omnes conveniunt, Sacramentum invalidum fieri, si in materia, aut forma mutatio *substantialis* contingat; secus, si *accidentalis* tantummodo, elementi, verborumque substantiam minime immutans. De qua re præter Scholasticos legi potest Algerus Leodiensis lib. III. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini cap. 13. Tomo Biblioth. PP. XXI. pag. 290. Est autem mutatio *substantialis* materiæ, cum altera diversæ speciei substituitur, ut si pro aqua in baptismate vinum adhibeatur, aut pro naturali unda, ex floribus, herbisve expressa a lambico: *accidentalis* autem, si ejusdem materiæ permaneat substantia, sit in exemplo, si aqua calefiat, aut aliquo afficiatur odore. Cum tamen Sacramenta materiam habeant, quæ est spiritualis effectus signum sensibile; aliquando censenda est materia *substantialiter* commutari, quando pristina remanente natura omnino signi rationem deperdit: sic glacies, tametsi est naturalis aqua frigore condensata, quoniam caret symbolo ablutionis internæ, a materia baptismi, non quatenus elementum physicum, sed quatenus Sacramenti pars est, dicenda erit differre *substantialiter*. Pari ratione *substantialiter* mutatur forma Sacramentorum, quotiescumque variatur legitimus, & quem ex publica institutione habent, verborum sensus, ut si quis baptismum conferens unius Trinitatis personæ nomen omittat: *accidentaliter* vero, dum vel incuria, vel ignorantia, vel negligentia verba aliqua, eodem permanente sensu, pronuntiantur paullulum immutata, aut a communi Ecclesiæ usu discrepant sola grammaticali syntaxi, veluti dum obstetrix baptizat infantem lingua vernacula, ignarus latinam adhibet cum barbarismo, Græcus deprecandi modo utitur aliquando pro indicativo.

Itaque dicendum est cassum irritumque fieri Sacramentum, ubi intersit materiæ aut formæ *substantialis* mutatio. Enimvero, ut dictum supra, Sacramenta signa sunt gratiæ ex libera Christi Domini institutione, qui eorumdem materiam & formam determinavit. Si ergo alia materia, aut alia substituatur forma, Sacramentum nullum erit; quoniam non erit divinæ auctoritatis, atque institutionis, neque constabit materia, & forma a Christo præscriptis.

At si occurrat accidentaria mutatio, docent Theologi consensu unanimi validum confici Sacramentum, quod hisce momentis evincitur. Primo Zacharias summus Ecclesiæ Pastor cap. *Retulerunt*, de Consecrat. dist. 4. num. 86. definiit non esse iterum baptizandum, qui tinctus fuerat a Sacerdote, *pro ignorantia Romanæ locutionis* linguam infringente, & ad hunc modum pronuntiante consecratoria verba, *Baptizo te in nomine patria, & filia, & Spiritu sancta*. Deinde Augustinus lib. VI. de Baptismo cap. 25. num. 47. scribit sanctificari aquam *cum aliqua erroris verba per imperitiam peccator effundit*, quod & habetur cap. *Si non sanctificatur*, eadem dist. IV. num. 72. Præterea nunquam Romana Ecclesia repudiavit Sacramenta a Græcis collata verbis deprecativis, (si deprecativa sunt tamen,) quæ a forma a nobis usurpata *accidentaliter* discrepant.

Observandum autem hic est, quod si integra permanente Sacramentali forma alia adderentur verba, quibus præcedentium sensus immutaretur, mutatio non esset accidentalis, sed substantialis, ideoque Sacramentum redderetur invalidum. Ita si quis Basilidis, aut Marcionis imbutus errore his verbis azymum consecraret: *Hoc est corpus meum, quod aerium & umbraticum est*, nefario hoc additamento perverteret significationem, quam præfert vocabulum illud *corpus*. Idem asserendum est, si Arii, aut Macedonii infectus hæresi baptismi formam hac impietate proferret: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, qui alterius sunt a Patre substantia*: quoniam postrema hæc verba id, quod Filii, ac Spiritus sancti nomina indicant, præfracte negant, verbisque Evangelicis pravum sensum affigunt: quod tenet de simili forma adhibita ab Eunomianis apud Epiphanium hæresi LXXVI. num. 9. & ab Evangelicis verbis plurimum discrepante, atque Filium ad illorum ordinem redigente, quæ ab ipso fuerunt procreata. Idem censeo, si pestilentissimus Calvinianus, aut Jansenista calicem Domini consecrando arcana verba ita sacrilege efferret: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro reprobis nullatenus effusus est*, intendens relativum pronomen *qui* esse præcedentis vocabuli *sanguinis*, ut Scholæ loquuntur, determinativum; similis quippe mutatio innueret ibidem non contineri pretiosissimum illum sanguinem, quem pro universis hominibus piissimus Jesus effudit. Atque hoc pacto mutatio qualibet inducens præcedentium verborum pravam intelligentiam, reddit nullum, atque irritum *Sacramentum*.

I I I.

Affinis est quæstio tertia, num saltem mutatio *accidentalis* verborum, facta eo fine, ut inducatur aliqua hæresis, cassum reddat Sacramenti valorem: quod quidam affirmavere ducti supracitato Zachariæ rescripto, ubi decrevit Pontifex valere baptismum ab ignaro latinæ linguæ, ea pronuntiatione collatum, *In nomine Patria, &c.* non quidem absolute, sed, *si ille, qui baptizavit, non errorem inducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset*. Si ergo adhibuisset formam illam animo errorem, vel hæresim inducendi, denuo conferendus erat, Zacharia auctore, baptismus. Etiam S. Thomas 3. p. q. 56. art. 8. hanc conclusionem ponit: *Si intendat* (is, qui verba profert) *per additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia*. Videtur esse eadem sententia Algeri, qui loco supra laudato, pag. 291. scribit: *Sed e contra sciendum est, quod non est Sacramentum Christi, quod in errore positi contra institutionem Ecclesiæ faciunt: nec est vera divini nominis invocatio, qua contra Christi præceptum Christianæ fidei periclitatur perfidia; nec ipsum nomen Domini, vel Dei verum est, quod perfidia proferentis adulteratum, verbotenus quidem Deum sonat, sed secundum hæresim aliud sonat; cum ergo verba Ecclesiastica mutantur, & error, vel hæresis introducitur, ubi nec fides est, nec fidei forma, quomodo credenda est subsistere veritas Sacramenti?*

Verum, cum fides ministri ad Sacramenti valorem minime requiratur, ut Catholicorum profitetur doctrina; indubitatum est, Sacramentum valere, nisi Evangelica verba defuerint, & hæc dummodo substantialiter integra proferantur, nullatenus hominum quorumlibet perversitate vitiari. Si tamen qui Sacramenta conficit, intendens novum ritum, vel errorem inducere, data opera utatur verbis ambiguis, eaque intentionis suæ perversitate ad sensum pravum detorqueat, censeo nullum haberi Sacramentum; quoniam signifi-

significatio verborum æquivocorum non ex eorum institutione pendet, sed ex determinatione proferentis. Ita, *si solemnia verba non mutantur, sed rite proferuntur, & ipsa executio Sacramenti rite perficitur, nec hæreticorum perfidia Sacramenti impedit veritatem*, inqeit eo loci Algerus. Non enim proferentis malitia potest immutare significationem publico hominum instituto vocabulis inditam. At æquivoca verba receptam illam, ac præfinitam significationem non habent.

Hæc explicant Zachariæ rescriptum, & S. Thomæ doctrinem. Qui enim pro nomine Filii *filia* substituit, si id fecit latini sermonis ignorantia, confecit utique *Sacramentum*: non enim ambiguam illam, & fracte pronuntiatam vocem prava animi sui determinatione ad contrarium sensum detorsit: et si proposito consilio id præstitit, quasi *Filiam* in divinis personis comminiscens, ut gentes Minervam procreatam e Jovis cerebro, aut consimili perversitate doctrinæ; minime baptizavit, quia ambiguam vocem absurdæ significationi alligavit. Atque eo pacto exponendos arbitror Algerum, & S. Thomam. Is tamen non est accipiendus de quolibet ritu hæretico, & Ecclesiæ fidem labefactante: nam si quis baptizando, E. G. preces adderet impias, quales fabricarunt Gallica lingua ministri Calviniani apud Marloratum de Orthodoxo baptismate pag. 84. servaret tamen præscriptam formam, proculdubio Sacramentum conficeret, *Quia* ut Magnus Augustinus ait libro VI. de Baptismo tom. 9. pag. 176. *certa illa Evangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, ut per illam evacuentur quæcumque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur*.

Atque hanc esse germanam S. Thomæ sententiam, potest ex eodem articulo comprobari. Ibi namque Doctor Angelicus scribit eum, qui in *forma* salutiferi baptismatis adderet nomen Deiparæ, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatæ Virginis Mariæ*, non certe baptizare, nisi quod addit, *In nomine beatæ Virginis*, ita intelligatur, ut intercessio Virginis prosit baptizato ad gratiam baptismalem servandam: nam si intelligeretur nomen Virginis id in baptismate efficere, quod nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti, omnino Sacramentum esset irritum, quoniam non possumus baptizari in nomine alicujus creaturæ, juxta Apostolum in priori ad Corinthios 1. 13. Manifestum est ergo in ambigua verborum Sacramentalium mutatione, quæ posset Evangelicorum verborum, ac præstitutæ formæ sensum pervertere, explorandum esse animum proferentis: secus, si mutatio, vel additio obvium sensum Evangelicorum verborum nequeat inficere; non enim malitia proferentis perspicuam, indutamque verborum significationem potest corrumpere. Legi poterunt Theologia Moralis ad usum Seminarii Petrocorensis Tom. 3. pag. 19. Juenin q. 3. cap. 6. art. 1. Salmanticenses Tract. XXII. disp. 1. dub. 6. num. 90. Guerrero Tom. 1. pag. 377. &c.

IV.

Proxima est quæstio, quid asserendum sit de Sacramentorum forma conditionali, E. G. *Si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Ad hanc vero quæstionem respondent primo eruditi Theologi, præsertim Juenin q. 2. cap. 5. Cardinalis Gotti Tom. 13. q. 2. dub. 4. Tournely de Sacram. in gen. pag. 40. & illustris Scriptor Operis de Re Sacram. Tom. 1. pag. 9. antiquis temporibus, & ad sæculum usque octavum hanc conditionalem formam fuisse penitus inauditam. Quod sequentibus momentis ostenditur. I. Exorta sæculo III. quæstione, an valeret baptismus per aspersionem collatus *Clinicis*, idest, in lecto decumbentibus, S. Cyprianus in Epistola ad Magnum LXXVI. pag. novæ edit. 322. ait se quidem existimare *Clinicos* istos divinam gratiam consecutos, verum inquit, *Si aliquis existimat eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes & vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur*. Ubi, ut liquet, nulla conditionalis forma præscribitur. II. Concilium Arelatense I. celebratum anno 314. apud Lab. Tom. 1. pag. 1428. canone VIII. mandat, ut baptizati ab Arianis, si ignorent an invocato Trinitatis nomine baptizati sint, & *interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur*, nulla pariter conditione commemorata. Extat de Consecrat. dist. 4. can. *de Arianis*. III. Eodem sæculo, anno scilicet 398. in Concilio Carthaginensi V. canone 6. qui insertus est eadem dist. 4. cap. *Placuit*, statutum fuit, ut absque ullo scrupulo baptizentur infantes. *Si certissimi non inveniuntur testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere*. IV. Eadem distinct. cap. *Cum itaque*, & cap. *Si nulla*, habentur definitiones duæ S. Leonis; una est deprompta ex Epistola ad Leonem Ravennatensem Episcopum, data anno Christi 451. & in III. Vol. Concil. pag. 1316. ordine XXXVII. ubi baptizandum illum præcipit, qui regenerationis est cupidus, *si baptizatum se nec ille recordetur, nec alter attestari de eo possit*; petitur altera ex Epistola ad Rusticum Narbonensem, data proximo anno 452. & in præcitato volumine ordine XII. in qua pariter sancitum est formidandum non esse iterationis crimen, si ille ad consequendam gratiam accedat, *cujus in se nullum scit esse vestigium*. V. Idem sæculo VI. exeunte tradidit magnus Gregorius Epistola 32. nunc 17. libri XVI. ad Felicem Messanensem Episcopum, quam epistolam, licet olim in controversia positam, nunc tamen Gregorio tribuendam optimæ notæ Codices commonstrarunt; & in qua Doctor egregius ex antecessorum traditione declarat, absque iterationis piaculo tum homines baptizari & confirmari, tum consecrari Ecclesias, quoties *nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati vel confirmati, sive Ecclesia consecrata sint*. VI. Eadem anno Leonis Isauri X. ideoque Ch. 726. scripsit ad IX. Consultationem S. Bonifacii Gregorius II. non, ut Gratianus, Hincmarus, & Ivo putarunt, III. quemadmodum recte observarunt Sirmondus apud Labb. Tom. IV. pag. 1450. & Pagius Tom. 3. pag. 209. extatque Gregorii definitio in prælaudata dist. IV. de Consecrat. c. *Parvulos*, n. 110. His ergo constat ad plura sæcula conditionalem formulam fuisse incompertam: enimvero si octavo ineunte sæculo, aut elapsis tunc temporibus obtinuisset; ejus utique mentionem fecissent aliquam, qui de conferendo baptismate in casu hæsitationis, num revera, aut rite collatum fuerit, propriam sententiam pronuntiaverunt. At hi, summa licet eruditione conspicui, ac suprema in Ecclesiis auctoritate præditi, de hac quæstione interrogati formæ sub conditione prolatæ minime verba fecere. Hæc itaque conditionalis forma ad octavi usque sæculi adulescentiam fuit incomperta.

Deinde eruditi Theologi affirmant conditionalem formam vertente sæculo octavo alicubi obtinuisse, servatam quoque nonnullis in locis, ac ab Alexandro III. probatam sæculo XII. communiter tamen in Occidentali Ecclesia receptam sæculo XIII. sedente Romano Pontifice Gregorio IX. Primum constat ex Capitularibus Caroli Magni, quæ ab Ansegiso Abbate collecta fuerunt an. 807. in his enim lib. VI. num. 181. pag. 1007. legitur: *De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur: his tamen verbis præmissis, Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Alterum constat ex rescripto Alexandri III. quod extat cap. *De quibus*, Extra. de baptismo, n. 2. in quo præscribitur, baptizandos eos esse, de quibus dubium est an baptizati fuerint, his verbis præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo*, &c. Laudari solent etiam Synodicæ Constitutiones Odonis Parisiensis Episcopi, qui successit Mauritio denato circa annum 1196. in Appendice Tom. X. Concil. Labbeanæ Collectionis, cap. 3. de Capitulis baptismum tangentibus, num. 4. ubi eadem formula Alexandri III. præscribitur, *Si es baptizatus, non te baptizo, si non es baptizatus, ego baptizo te*, &c. Tertium constat ex quo sæculo XIII. omnes Latinorum Ecclesiæ receperint *Jus Canonicum*, Gregorii IX. auctoritate promulgatum, in quo lib. 3. cap. 2. reperitur præcitatum rescriptum Alexandri III. ad Pontium Episcopum Claromontanum, ut conjectat Tom. III. pag. 831. Em. Gonzalez.

Postremo consentiunt omnes fas esse uti formula conditionali in Sacramento baptismi, non ob quamcumque suspicionem, sed ob moralem certitudinem, quod antea non sit collatus baptismus, & post diligentem, accuratissimamque rei inquisitionem. Quod de aliis Sacramentis characterem imprimentibus est proculdubio asserendum. De Pœnitentia, si quis subito morbo correptus, nec voce nec signo peccata animique dolorem manifestare queat, idem dicendum est; nam & Clemens VIII. referente Homobono in Commentario Resolutorio de Examine Ecclesiastico Tom. 1. Tract. VII. cap. 18. labentem e fabrica Templi Vaticani his verbis absolvit, *Si es capax, absolvo te* &c. At si pœnitens compos sit sui, & certam absolutionis materiam ponat, absque conditione absolvi debet, quoniam forma absolutionis innovatæ confessioni, & iterato contritionis actui applicata, non iterat Sacramentum numero idem, sed aliud constituit. Licet enim peccata eadem sint, innovantur actus pœnitentis, qui Pœnitentiæ vera materia sunt, & novæ materiæ novam formam absque ullo scelere Sacerdos applicat, Quod si audita Confessione pœnitentem prolixis verbis doceat & commonefaciat, hæsitetque animo an absolutionis verba protulerit: tunc, ne hæc irrita sit & nulla, neque Sacramentum irreverentia aliqua polluatur, consultum erit, sub conditionem absolutionem impendere, hoc pacto, *Si non es absolutus, absolvo te*, &c.

V.

Ex his inferri potest, quam facile sit in prolatione Sacramentalium verborum se nefario sacrilegii crimine maculare. Recte Valentina Synodus III. celebrata Lothario imperante an. 855. definiit canone 5. *nihil in Ecclesiæ*

Sacra-

Sacramentis esse cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Videsis Tom. VIII. Conc. Gen. pag. 138. S. Carolus Mediolanensis Antistes in Synodo an. 1565. Volum. Conc. XV. pag. 254. ex uberrimo fructu demonstrat, *quanta diligentia, & intima animi pietate, & externo cultu, ac veneratione tractanda ac percipienda sunt.* Synodus pariter Burdigalensis anno 1583. celebrata, eodem Vol. p. 953. inculcat *erga omnia Sacramenta religionem, & reverentiam, quorum contemptus, ut ait Divus Augustinus, homines sacrilegos facit: impie enim contemnitur, sine quo pietas constare non potest.* Hinc primo concluditur sacrilegii reum esse, qui *substantialiter* immutat verba Sacramentalia: si enim id de ritibus, precibusque ab Ecclesia statutis jure meritoque sancivit sess. VII. canone 13. Œcumenica Synodus Tridentina, ne quis audeat quidquam, aut mutare, aut contemnere, aut pro libito omittere; quid asserendum putas de omittentibus, contemnentibus, & mutantibus effectricem gratiæ, & divinitus institutam formam verborum, sine quibus Sacramentum est ludificum, & cassum? Neque a gravi reatu immunis est, qui formam hanc accidenti mutatione corrumpit, nisi ignorantia laboret ineluctabili; quippe non minori veneratione digna sunt Sacramentalia verba, ac sint divinæ Scripturæ, quibus Deuteronomii cap. IV. lege cautum est, ne quidpiam addatur, vel detrahatur: immo, cum utraque divina sint, non habent tamen Scripturæ verba vim illam sanctificandi, quam placuit liberrimo largitori gratiarum universarum adnectere verbis Sacramentariis. Tertio sequitur gravissime etiam delinquere qui nulla adactus necessitate repetit verba Sacramentalia, quandoquidem tali repetitione, utpote effectu vacua, sacrosancta mysteria redduntur nulla, atque ludifica, excepto, ut diximus, Sacramento Pœnitentiæ, in quo potest nova materia substerni. A gravi tamen culpa hac in re excusandi sunt scrupulosi propter mentis perturbationem, in qua eis videtur haud rite Sacramentalia verba pronuntiavisse; quamquam & iis præmissa ratione omnis abjicienda est hæsitatio, & animi anxietas prudenti ratiocinio discutienda. Sequitur quarto loco eum, qui baptismum rite collatum reperit absque hæsitatione validis momentis innixa, & unde consurgat certitudo moralis illum nequaquam fuisse valide peractum, sese auctando crimine innectere, nec non irregularitate innodari, cui subjicitur iterans validum Sacramentum: atque ratio evidens est, quia in definitionibus præcedenti numero productis præcipitur conferendum baptismum, ubi nec puer respondere potest de tradito sibi Sacramento, nec alter est quisquam, qui attestari valeat, an ille sit baptizatus. Adeas Dominicum Sotum in IV. dist. 3. art. 6. Estium dist. 4. §. 15. Josephum Gibalinum de Irregularit. cap. 5. pag. 300. Eman. Gonzalez in III. Decretal. tit. 42. cap. 2. & Christianum Lupum in canonem 84. Trullanum, Tom. 3. pag. novæ edit. 152. Irregularem fieri etiam qui iterat Sacramentalia, scripsit lib. III. cap. 15. pag. 139. Simon Majolus, *ceteris tamen omnibus repugnantibus*, ait pag. 313. Gibalinus. Atque hactenus de materia & forma Sacramentorum.

CAPUT XIII.

De Sacramentorum ministris.

PRoxime sequitur, ut de *Sacramentorum* ministris dicere instituamus, qua in re nec Protestantes concordant invicem, neque nos cum illis convenimus. Lutherus enim in libro de abroganda Missa impudentissime, ac mendacissime scripsit: *Ego non dicam quod Papistæ dicunt, nullum Angelum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse: sed contra dico, si Diabolus ipse veniret, & ego postea nescirem Diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ specie hominis vocatum ad prædicandum, & publice in Ecclesia docuisse, celebravisse Missam, & absolvisse a peccatis, & tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, verum Sacramentum corporis, & sanguinis Christi nos accepisse.* In quibus sane verbis non una continetur fraudulentia mendacissimi, improbissimique scriptoris. Primo namque Theologi, quos *Papistas* Sectarii vocant, distinguunt inter ordinarium, & extraordinarium ministrum Sacramentorum, nec negant posse per angelos bonos peculiari delegatione perfici Sacramenta, subscribuntque omnes Sancto Thomæ 3. p. q. 64. art. 7. asserenti, *quod sicut Deus virtutem suam non ita alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non ita alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis.* Immo Scotus in IV. dist. VI. q. 1. docet validum *fore baptismum si diabolus illum ex Dei præcepto conferret*, quamvis scite monet non esse absque divina revelatione ratum habendum Sacramentum a spiritu mendacii collatum, propterea quod de Angelo perditionis supponitur fraudulenter se gerere, omniaque moliri, ut homines in errorem inducat; quod de sanctis angelis nefas est suspicari: atque hoc postremum tradidit etiam loco citato Doctor Aquinas. Permixte itaque & confuse recitat catholicam sententiam hæresiarcha, ut illam cruento sævoque dente dilaniet. Deinde baptismum, absolutionem, & Eucharistiam ministrandi potestatem tribuit unicuique, quasi omnis homo indiscriminatim possit conficere singula Sacramenta, eademque sit singulorum ratio, sitque Sacerdotalis unctio, ut pestifero illo opusculo molitur, penitus abroganda. Hunc etiam honorem defert diabolo pestilentissimus assentator, ut veternosum serpentem æquiparet Ecclesiæ Pastoribus, utpote qui validum comminiscitur Sacramentum etiam irrisione collatum. Peccat quoque permiscens Evangelium, & Sacramenta, quasi idem munus sit utrorumque; & quemadmodum veritas illius pendet ex promulgatione doctrinæ, ita horum virtus innixa sit exhibitioni signorum: nec aliud hæc virtus sit, quam plebis rudimentum, fideique excitatio. Vah improbum, scelestissimumque consarcinatorem errorum!

Contra Calvinus lib. IV. Instit. cap. XV. num. 20. iis tantum, quibus Christus ministerium commisit, non solum in Eucharistia, verum etiam in baptismo competere autumat legitimi dispensatoris officium, adeo, ut nec laici, nec mulieres, etiam in periculo mortis, baptizare queant, nec possit contraria consuetudo firma ratione defendi, ac perperam fiat, si privati homines baptismi administrationem sibi usurpent: *Est enim*, inquit, *pars Ecclesiastici ministerii, tam hujus, quam cœnæ dispensatio.* Ita quaquaversum vergitur serpens hæresis: unus apostata & diabolum connumerat inter Sacramentorum ministros; alter fideles quoque laicos, & mulieres prohibet baptizare. At quoniam pertractare de dispensatione baptismatis spectat ad librum proximum, declinantes interim a Calvino aggredimur monstrosum alterum hæresiarcham. Prænotamus tantum, non pertractare nos de principali Sacramentorum ministro, quem nemo unus ignorat esse Dominum Jesum, de quo Joannes I. 33. inquit, *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*, agnoscens, ut Augustinus ait Tract. VI. in Joan. num. 12. *propriam quamdam potestatem in Domino ad baptizandum*: sed instituimus disputationem de iis, qui non potestate primaria, sed ministerio, sibique commissa dispensatione perficiunt sacra mysteria, quique consueta sermonis consuetudine *ministri* appellantur; sunt enim sacri ministri etiam apud Ciceronem pro Cluentio perorantem, qui Deo veteribus institutis, religionibusque sunt consecrati.

PROPOSITIO I. Solus homo viator est ordinarius *Sacramentorum* minister.

Probatur primo ex Scripturis: enimvero hominibus duntaxat Christus in ultima cœna ait: *Facite in meam commemorationem*, Lucæ XXII. 19. hominibus, *Euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Matt. XXVIII. 19. hominibus, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Joan. XX. 23. atque de hominibus inquit Paulus ad Hebræos V. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus*: de hominibus idem Apostolus in Act. Apost. XX. 28. *Posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: de hominibus Jacobus V. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.* Nullibi hæc de Angelis, solutisque a corpore animabus dicta comperimus. Soli itaque homines, & quidem in corpore viventes, sunt ordinarii Sacramentorum ministri. II. Probatur ex Patribus, qui Sacerdotes plurimum honorandos esse demonstrant, ex quo eorum potestas neque Angelis, neque Archangelis collata sit, ut scribit homilia 17. Nazianzenus, & lib. III. de Sacerdotio Chrysostomus. III. Probatur, quoniam cum Ecclesia visibilis sit, & signis etiam sensibilibus ad populi Christiani unionem fovendam Christus Dominus alligarit virtutem sanctificandi; congruum erat, ut etiam Sacramentorum ministerium hominibus in corpore viventibus committeretur. IV. Revincitur Lutherus ex suismet principiis, ut mox dicam; nam ad Sacramentum conficiendum exigit Dei mandatum, & Christi institutionem, quæ duo putat nobis ex scriptura sola innotescere. At ex quo scripturæ loco docemur commissum dæmoni, aut sanctis Angelis baptizandi, & consecrandi ministerium? Ubinam extat hujus mandati vestigium? Perperam ergo ille adstruit ministerium hocce solis hominibus non competere.

Opp. Sacramenta confecit Judas membrum Diaboli; cur nam nequit idem præstare Diabolus caput hominum reproborum? II. Saltem Angeli, qui sunt *administratorii spiritus*, ad Hebr. I. 14. poterunt ad animarum salutem conficere Sacramenta. III. At sanctis vita functis non videtur istiusmodi potestas deneganda, utpote qui retinent sacri Ordinis characterem.

Resp. hæc nullius esse momenti. Judas enim non habuit potestatem consecrandi, ut membrum Diaboli, sed ut Christi discipulus. Angeli vero sunt *administratorii spiritus*, quatenus sunt nuntii Dei, hominum custodes, & inferiores Filio, cujus eo loci Apostolus majestatem commendat; atque nos juvant precibus, monitis, patrocinio, non autem fungentes munere sacerdotum.

Sancti demum, si corpore destituti sunt, ad visibilem Ecclesiam non spectant, ac retinent sacri Ordinis characterem ad ornatum, non ad ministerium. Si divinitus resurgant, aut in assumptn corpore huc descendant, esse Sacramentorum ordinarios ministros tenent Ledesma, Sotus, Gonet, Suarez, Salmanticenses: negat Alensis, Vasquez, de Lugo, sed innixi probationibus parum firmis; in quibus discutiendis nolumus tempus terere.

PROPOSITIO II. Possunt Angeli sancti, & beati in cælo regnantes extraordinaria potestate Sacramenta conficere.

Quod Augustini verbis, ratione, & Ecclesiasticis exemplis ostenditur. Augustinus namque lib. 2. contra Epistolam Parm. c. xv. num. 34. 4. *Nemo*, inquit, *accipit sine dante, sed quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus qui det, & homo qui accipiat, sive per seipsum donante Deo, sive per angelum, sive per hominem sanctum, sicut per Petrum, sicut per Joannem, sive per hominem iniquum, &c.* Et quidem, ut veniam ad alteram probationem, Deus non ita alligavit gratiam signis sensibilibus, ut nequeat illam alia ratione impertiri: igitur, inquit loco citato S. Thomas, non ita alligavit Sacramentale ministerium hominibus viatoribus, ut non valeat illud angelis, animisque beatis committere. Insuper aliquando Angeli non solum Sacramenta dispensarunt, verum etiam confecerunt. Nam sacra synaxi refecerunt, præter alios complures, sanctimonialem Ordinis nostri Veronicam de Binasco, Sanctam Agnetem Politianam, Marcum Eremitam, Bonaventuram eximium Ecclesiæ Doctorem, &c. Adeas Sanctorum Acta Tom. 1. Januarii p. 88. & 926. Tom. 2. Aprilis pag. 798. Tom. 3. Julii pag. 827. & Sozomenum lib. vi. cap. 29. pag. edit. Val. 681. Idem de Thoma Apostolo singulis annis propria manu Indorum populis Eucharistiam porrigente retulit Joannes Patriarcha Callisto II. Romano Pontifici, ann. 1120. ut narrat Thomas Stapletonus in Collectaneis: cui tamen insigni, & pluries repetito miraculo aliqua alia præter unius Indorum præsulis necessaria foret auctoritas. Sanctum Amphilochium Iconii Episcopum fuisse consecratum ab Angelis narrat Nicephorus Callistus lib. xi. cap. 20. pag. 138. Etiam Sanctum Protoparentem Augustinum aliquando de cælis descendentem sacra peregisse, scribit probatus Auctor apud Antonium Guerrero Tom. 1. Theolog. moralis pag. 391. Sacris ergo literis, ratione, historiisque proposita thesis suffulta est.

Opp. Angeli proprie non loquuntur; ergo proferre nequeunt sensibilem formam Sacramentorum. Resp. dist. ant. proprie non loquuntur, spectata causa effectrice soni, & articulationis verborum; trans. considerata verborum significatione, eorumque sono sensibili; id nego.

PROPOSITIO III. Non sunt singuli prorsus homines quorumlibet Sacramentorum ministri.

Spectat assertum istud ad fidem, ac primum demonstratur canone 10. sessionis vii. Tridentini: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit*. Deinde probatur ex quo in Ecclesia admitti debeat presbyterorum ministerium & Sacramentum Ordinis, scribente Apostolo in corpore Ecclesiæ diversorum officiorum exercitium diversis hominibus committi, *ut non sit schisma in corpore*, 1. ad Corint. xii. 25. ob eam rem constitutos in Ecclesia pastores, & doctores a plebe diversos, *in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, ad Ephes. iv. 12. eumque duntaxat sibi hunc honorem jure vindicare, *qui vocatur a Deo, tanquam Aaron*, ad Heb. v. 4. At si quilibet homines haberent eamdem potestatem in verbo, & in Sacramentis administrandis, non foret in Ecclesia discrimen istud, omnia membra haberent eumdem actum, nulla esset compago corporis, omnesque tanquam Aaron sumerent sibi honorem. Tertio nunquam Ecclesia Christi passa est, ut Sacramenta promiscue ab omnibus conficerentur, sed commisit id muneris pastoribus, & sacerdotibus, solo baptismate a communi regula excepto; ideoque Osius Cordubensis apud Athanasium per literas ita Constantinum allocutus est: *Ne te immisceas rebus Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes: sed a nobis potius hæc ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit*. & Nazianzenus præcitata Orat. xvii. præcipit curam, studiumque erga plebem, *tametsi*, inquit, *obeundæ legationis munere nobis cedat*. Revincuntur postremo Lutherani ipsius Augustanæ Confessionis artic. xiv. ubi *de ordine Ecclesiastico docet, quod nemo debeat in Ecclesia publice docere; aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus*. Et quamquam hujus vocationis potestatem adscribant populo, aut magistratibus; tribuendam tamen esse Ecclesiæ Rectoribus, (nisi verbis fucum faciant) profitentur hujus articuli Correctores in altera Confessione anni 1540. in qua adduntur hæc verba, *Sicut Paulus præcipit Tito, ut in civitatibus presbyteros constituat*. Quibus sane verbis, velint, nolint, fatentur administrationem Sacramentorum ad presbyteros, presbyterorum vero institutionem ad Episcopos, non ad plebem, vel ad sæcularem politiam pertinere. Accedit quod fratres Bohemi sacerdotibus destituti, ut Sacramenta reciperent, adacti necessitate clanculum ad Ecclesias Catholicorum miserunt consecrandos; quamquam id ægre ferret hæresiarcha Lutherus. Vide Bossuetium Hist. Variat. lib. xi. num. 178. Illud etiam notandum est, quod Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis scribat a se, suisque rejectam Ecclesiasticam politiam, & Sacerdotale ministerium, ob Episcoporum nostrorum tyrannidem, atque improbitatem presbyterorum: cujus temeritatis Philippum jure redarguunt Cochlæus, & Hoffmeisterus Harm. Confes. pag. 306. & seq. æquiparantque Novatorum Capita Michæ, Jezabeli, & Jeroboamo, qui sanctis injunctionibus spretis instituarunt ministerium sæculari auctoritate, atque illud Aaronico prætulere. Adde eo amentiæ amentissimos pervenisse, ut sacerdotale ministerium spernentes probarint tamen collata a Diabolo Sacramenta. Recte ergo talia errorum portenta execramur.

Oppones: In nova lege omnes, qui Christo nomen dedere, sunt sacerdotes; possunt ergo omnes fungi sacrorum ministrorum officio. Prob. ant. 1. quoniam Christus in ultima cœna omnibus fidelibus in persona adstantium Apostolorum ait, Lucæ xxii. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. II. Matthæi xxviii. 19. inquit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Sed baptismi sunt idonei ministri omnes prorsus fideles; ergo & verbi, omniumque Sacramentorum. III. In nova lege quilibet fidelis est sacerdos, scribente Apostolorum principe in priori Epistola ii. 5. *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerte spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum*: & versu 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, &c.* Joannes pariter Apoc. 1. 6. scribit: *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & patri suo*. IV. in Ecclesia sua non patitur Christus discrimen istud pastorum ac plebis, sed præcipit Matt. xx. 25. ut *quicumque voluerit major fieri, sit minister, &c.* V. Nulla inter fratres admittitur graduum disparitas; cum igitur Christus sit Sacerdos, & eos, qui regenerantur, in suorum fratrum numerum recipiat, potest quilibet baptizatus fungi Sacerdotio, & conficere Sacramenta.

Resp. inter regulas interpretandi sacras literas hanc enumerari a magno Augustino lib. iii. de Doctrina Christiana cap. 17. num. 25. *Ut sciamus alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum*: ex qua regula S. Pater infert, *in suo genere curandum esse, quod ad melius genus non potest exigi*, E. G. quod omnibus parentibus dicitur Eccl. vii. 27. *Trade filiam, & grande opus p[illegible]feceris*, si quis statuit servare innuptam Virginem suam, tanquam figuratam locutionem conatur interpretari. Si ergo concedamus prædicta omnia Scripturæ loca de omnibus fidelibus accipienda, dicendum erit non eadem ratione ad singulos pertinere, sed ad Sacerdotes consecrationem & communionem Eucharistiæ, ad laicos communionem tantummodo: ad illos munus docendi & baptizandi, ad istos baptizandi tantum necessitate impellente; ad eos proprium Sacerdotium, quo externum sacrificium peragitur, ad hos vero internum, quo unusquisque supremo Domino offert semetipsum; ad illos denique fraternitatem Christi secundum missionem & potestatem sanctificandi, ad istos autem secundum gratiam adoptionis, &, nisi ab hac decidant, secundum participationem hæreditatis. Atque ita nullum ex adductis locis juvat heterodoxos.

At est quod in singulis perpendamus. Si quod legitur Lucæ xxii. *Facite in meam commemorationem*, de consecratione Eucharistica accipiendum esse contendas, nego dirigi hæc verba ad omnes promiscue fideles. Tunc enim Christus cum solis Apostolis segregato in loco cœnabat: neque Apostolis universa Christianorum multitudo successit; nam cum esset, damnato Juda, ipsorum numerus integrandus, non patuit cuique ad hanc dignitatem aditus, sed suffragiis Apostolorum designati sunt duo, idest, Barsabas & Mathias, & is tantum accepit Apostolatum, de quo prævaricatus est Judas. Paulus & Barnabas non humano judicio, sed per Spiritum sanctum, ad exercendum Apostolicum ministerium fuerunt segregati. Ab Apostolis, non a cœtu fidelium, crescente numero credentium, ordinati fuere Presbyteri, Diaconi, aliique ministri, necessarii ad Ecclesiasticam Hierarchiam. Videsis Alphonsi Virvalii Philippicam iii. in Melanchthonem. Deinde verbum *Facite* referri potest ad omnes actiones, quas Christus peregit, ita, ut sensus sit, sacrificate, offerte, sumite, frangite; idque spectat ad discipulos, eorumque successores, nec non etiam ad laicos quatenus offerunt, & sacrificant per Sacerdotes, quo sensu dicimus in Canone Missæ, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*: vel potest referri ad solam Eucharistiæ perceptionem, quo sensu ait Apostolus in prima ad Corinth. xi. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. In neutro autem sensu, ut liquet, sequitur laicis demandari ministerium consecrationis, sed ad illos tantum pertinere præceptum accipiendi & edendi in memoriam Dominicæ passionis. Præterea verborum illorum, *Hoc facite*

ate, potest sensus esse, Quemadmodum ego panem consecro, offero, vobisque distribuo: ita vos, quos modo Sacerdotes novi Testamenti constituo, consecrate, offerte, ceteris distribuite, ac vos item Sacerdotes constituite, ut consecrent, offerant, distribuant: atque hujusmodi sensus adeo planus est, ac perspicuus, ut jure meritoque sacrosancta Tridentina Synodus sess. 22. cap. 1. affirmarit, Christum Dominum per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, *Apostolis suis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepisse*, &c. Hinc vero nonne laici a sacrificandi ministerio evidentissime arcentur?

Quod attinet ad 2. illis verbis, *Euntes docete* &c. significantur duo munera pastoralis officii: scilicet, potestas Doctrinæ, & administratio Sacramentorum, quæ duo esse omnibus Episcopis & Pastoribus communia, ultro fatemur; sed non posse ministerium alterius, quod summæ necessitatis est, ab Episcopis & Pastoribus etiam laicis committi, aut e contra utrumque munus singulis commissum esse, non video, qua ratiocinatione istinc eruatur. Non enim dictum est, *Baptizate, & nemo alius baptizet*, neque, *Baptizent, & doceant promiscue omnes*: sed comprehendit Dominus in docendi munere, & in administratione Sacramentorum functionem Apostolicam, non expressis, neque denegatis ceteris, quæ Apostolorum auctoritati commiserat. Enimvero priusquam Christus discipulos mitteret in universum mundum, Petro tradiderat claves regni cælorum, & ligandi atque solvendi plenissimam auctoritatem, Ecclesiasticam Hierarchiam instituerat, contulerat sacerdotibus potestatem remittendi peccata, formaverat Ecclesiam optimis institutionibus; quæ simul ad memoriam revocans inquit, *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*. Adde tunc affuisse cum Apostolis omnes discipulos; & quemadmodum Dominus servos, aut Imperator milites dimittens his verbis, *Ite, jussa exequimini, facite imperata*, non singulis singula, sed unicuique officium præscribit suum; ita Redemptor extremo illo colloquio singulos universali jussione ita commonefecit, ut non debeant tamen inferiores jura superiorum invadere. Ulterius eo loci præscribitur, ut Apostoli baptizent gentes fidei rudimentis imbutas, nec tamen fatentibus Lutheranis prohibet *pædobaptismum*, idest, baptismum puerorum, qui per ætatem percipere nequeunt Evangelii doctrinam. Ergo nec prohibet aliis baptizandi ministerium: quamvis non extendat ad omnes verbi potestatem, ministeriumque ceterorum Sacramentorum.

Ad alterum optima est Catholicorum omnium responsio, appellari fideles omnes *Sacerdotes*, quatenus Christo nomen dantes sese in Dei cultum consecrant, segregantque ab idolorum cultoribus; non in quantum externo ritu possint omnes sacrificare, & exercere officia pastorum. Si enim hoc sensu credentes omnes fungerentur Sacerdotio, quomodo recte scripsisset Apostolus ad Hebræos v. eos tantum, *qui vocantur a Deo tanquam Aaron*, vindicare sibimet hunc honorem? quomodo assereret ad Ephes. IV. in corpore Ecclesiæ diversos gradus statutos, *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii*? quomodo Apostoli per manuum impositionem Presbyteros & Diaconos ordinassent? quomodo solis Apostolis Christus largitus esset potestatem remittendi peccata? quomodo quælibet Christi membra non eumdem actum haberent? Sapientissime itaque Augustinus exponens verba Apocalypsis, *Erunt Sacerdotes Dei*, &c. in vicesimo libro de C. D. cap. 10. inquit: *Non utique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis: de quibus Apostolus Petrus, Plebs, inquit, sancta, regale Sacerdotium*. Huic pervulgatæ responsioni duo notatu dignissima addam. Unum est, quod verbis Petri simillima sunt, quæ per Mosem Dominus ait ad progeniem Jacob, & universos filios Israel, Exodi XIX. 6. *Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta*; & tamen non hinc eruitur in lege veteri omnes promiscue ad Sacerdotale ministerium evectos; immo divinitus corruerunt laici, qui sacra attentarunt, ut contigit Ozæ, quem Deus percussit, *quod tetigisset arcam Domini*, 2. Regum VI. 7. Ex verbis itaque Petri fictitia illa, communisque potestas sacra tractandi minime infertur. Alterum notatione dignum est, eo loci Petrum non tantum Sacerdotii meminisse, sed etiam regni; inquit enim, *Regale Sacerdotium*, idque ex interpretatione Acatholici Grotii, *ut intelligantur Christiani per Christum ita facti Sacerdotes, ut simul & reges sint ad Christi exemplum*. Quid ergo? Nonne sunt in lege nova *reges*, qui ceteris præsunt? Si reges sunt aliqui; dicendum est, quod sicuti Christiani omnes sunt *reges*, quatenus non subjiciuntur legis servituti, animique sui tenent imperium, non quatenus rempublicam moderentur, omnesque præditi sint summorum principum auctoritate: ita dicendum erit, quod omnes Christiani sunt Sacerdotes, in quantum caste viventes corpus suum faciant in Dei templum, preces offerunt, & exercent opera sanctitatis: non in quantum evecti ad Ecclesiasticam hierarchiam habeant potestatem verbi, sacrorumque mysteriorum, ac sint omnes Sacerdotali charactere insigniti. Si vero nulli sint *reges*; non solum Ecclesiastica hierarchia, verum etiam politia sæcularis erit abjicienda, omniaque perturbata erunt, & Reipublicæ exitiosa: quod haud vereor attentaturos hæreticos, nisi eorum licentiam cohiberet auctoritas Magistratuum. Quare Andreas Fabricius animadv. ad art. XIV. Conf. Augustanæ pag. 304. *Videant*, inquit, *Principes, quibus aures ad ejusmodi novitates pruriunt, ne per simile argumentandi genus multorum animos adversum se excitent. Nam si vere ex eo Petri loco concluditur omnes Christianos ita esse Sacerdotes, ut non sit agnoscendum in Ecclesia peculiare aliquod Sacerdotum genus, qui ceteris Christianis & functione & dignitate præstent; cur non ex eodem loco æque vere & efficaciter concludatur nullos apud Christianos esse reges, aut principes ceteris superiores? Si illa machina Sacerdotes suo gradu jure dejiciunt, suisque sedibus propellunt; cur non eodem tormento & reges suis soliis deturbent, ut in ordinem revocent? Utrumque enim eo loco Petrus conjungit, nec tantum Sacerdotii, sed etiam regni meminit*.

Quod sequitur proximo loco, nullius est momenti. Ibi enim Christus humilitatem præcipit, non evertit Ecclesiasticam hierarchiam, demonstratque quomodo *principes mundi ideo fiunt ut dominentur minoribus suis, ut servisseeunt eos, & spolient eos, & comedant, & usque ad mortem abutantur vita eorum ad suas utilitates & glorias: principes autem Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus suis, & ministrent eis quæcunque acceperint a Christo, ut suas utilitates negligant, & illorum procurent*, &c. ita cum ceteris Græcis Auctor hom. XXX. pag. 901. inter Opera Chrysostomi: nec aliter cum Latinis reliquis Hieronymus in Matth. Tom. IV. pag. 93. & Augustinus serm. III. in Psalmum CIII. num. 9. Eo namque loci increpat Dominus filiorum Zebedæi immodicam cupiditatem. In postremo autem non immorabor; neque enim in bene instituta domo tenent singuli fratres eumdem locum; neque adoptio gratiæ, per quam Christo coaptamur, tribuit omnibus cum jure ad hæreditatem potestatem regiminis: sed, ut singuli fratres mensæ simul accumbunt, eisque patresfamilias, aut majores natu alimenta distribuunt: ita omnes Christi fideles in una Ecclesia, tanquam in eadem domo degentes, Dominico Corpore saginantur; sed laicis Episcopi, ac presbyteri porrigunt Sacramentum. Verum de his plura ubi de Eucharistia, & de Sacris ordinationibus disputabitur.

CAPUT XIV.

De conditionibus, quæ requiruntur in ministro, ac primum de probitate.

NOn valere Sacramentum ab improbis ministris collatum docuerunt Donaristæ, qui non solum hæreticos, verum etiam peccatores quoslibet arcebant ab administratione Sacramentorum, ut lib. 2. contra Cresconium cap. XXVIII. num. 34. aliisque in locis docet Augustinus, & lib. V. de Schismate Donatistarum S. Optatus. Prolapsi sunt in eumdem errorem Pseudo-Apostoli, de quibus serm. 66. in Cantica S. Bernardus. Idem propugnarunt Valdenses, Albigenses, Hussitæ: hæseruntque eodem in luto Anabaptistæ etiam a Kemnitio, & a Bullingero refutati. De Hussitis hæsitat Bellarminus lib. I. de Sacramentis in genere cap. 26. manifestus est tamen articulus ille Joannis Hus de decimis: *Si Episcopus existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat*. Novatores, tam Lutheri, quam Calvini addicti partibus, fatentur Sacramenta, quamvis a malis administrentur, esse efficacia. Enimvero Jo. Calvinus lib. IV. Inst. cap. XV. n. 16. scribit Sacramentum ex ipsa Dei manu æstimandum, a quo haud dubie perfectum est, non e manu ejus, a quo administratur, afferens exemplum epistolæ, de qua minime refert quis aut qualis fuerit tabellarius, modo satis & manus & signum agnoscatur: quo exemplo putat Donatistas, Anabaptistas, & Catabaptistas pulchre refutari. At vides inter herbas venenatam viperam latitare, dogma scilicet exitiosum, quod Sacramenta sint divinæ promissionis sigillum, & eatenus signacula justitiæ, quatenus, tanquam chirographum sigillo signatum, fiduciam nostram corroborant. Kemnitius quoque in 2. p. Examinis non reprobat canonem 12. sess. VII. Tridentini: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit*. Articulus denique VIII. Confess. Augustanæ hæc habet: *Et Sacramenta, & verbum Dei, propter ordinationem, & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur*. Non videtur tamen huic articulo cohærere quod in libro de Potestate Papæ scripsit Lutherus, eum solum recipere claves, qui sit paternæ revelationis auditor: sed frustra in hæreticorum libris quærimus harmo-

moniam. A Novatoribus ceteris dissentiunt Zvingliani ea ducti ratione, quod Christus prius dederit Spiritum sanctum, deinde vero clavium potestatem, unde inferendum putant ibi non esse potestatem, ubi non est spiritus Sanctificator. Ita scribit in Epistolam Canonicam Œcolampadius. Præscindimus modo ab ea quæstione, num hæretici, qui extra Ecclesiam sunt, valide Sacramenta conficiant; ne quæ dicenda erunt libro proximo de Rebaptizantibus, huic loco inferantur: sed instituimus disputationem de ministris in Ecclesiæ sinu degentibus, & polluta conscientia sacra tractantibus, posito quoque inter validam, & illicitam sacrorum ministrationem discrimine.

PROP. I. Valet Sacramentum ab improbo, scelestissimoque ministro collatum, modo nihil eorum desit, quæ ad illius constitutionem sunt necessaria, idest, aut materia, aut forma, aut intentio.

Prob. 1. Ex scripturis. Joannis *1. 33.* de Christo legitur: *Hic est qui baptizat in spiritu sancto*. Nequit his verbis demonstrari solum Christum esse ministrum baptismatis, cum sacra narret historia, etiam discipulos baptizasse. Demonstratur ergo tantummodo ad solum Christum pertinere potestatem baptismatis, ad discipulos ministerium. Atqui malos minister nequit impedire Domini potestatem. Igitur ministrorum perversitas impedire nequit baptismi, aliorumque Sacramentorum validitatem. *Joannes didicit per columbam*, inquit Augustinus Tract. v. in Joan. num. 11. *potestatem Dominici baptismi in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum: potestatem a Domino in neminem, ministerium & in bonos & in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? quid te impedit malitiosus præco, si est benevolus Judex?* II. Post baptismum Joannis fideles jubente Paulo susceperunt baptismum Christi: post baptismum autem Christi, nec qui a Juda fuerant baptizati, jussi sunt iterum ad baptismum accedere. Habet ergo ex se baptismus Christi, ut sit validus, quamvis collatus ab improbo, quoniam semper est baptisma Christi, qui baptizat in Spiritu sancto, qualiscunque sit illius Sacramenti minister. *Baptismum Christi das*, ait eodem Tract. numer. 18. S. Pater, *ideo non post te baptizatur: post Joannem ideo baptizatum est, quia non Christi baptismum dabat, sed suum: quia sic acceperat, ut ipsius esset. Non ergo tu melior, quam Joannes: sed baptismus, qui per te datur, melior quam Joannis. Ipse enim Christi est, iste autem Joannis. Et quod dabatur a Paulo, & quod dabatur a Petro, Christi est: & si datum est a Juda, Christi erat. Dedit Judas, & non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem: quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat: qui autem a Joanne datus est, Joannis erat*. Et infra, *Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat*. Transcripta sunt Augustini verba in canones, 1. quæst. cap. *Dedit*; & de Consecrat. dist. iv. cap. *Baptismus*. III. Ne Corinthii intumescerent, quod habuerint præ ceteris pastores probitate exornatos, hoc argumento eos coercet Apostolus in priori Epistola cap. III. 4. *Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli. Alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque nec qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus*. Quibus verbis Apostolus evincit, nemini gloriandum esse in hominibus quoniam venientibus gentibus ad gratiam, homines solum ministerium exercent, neque ab eorum opere pendet regenerationis effectus. Præclare Optatus lib. v. de Schismate Donatistarum pag. 87. *Ut ostenderet, quia hoc totum Sacramentum, baptismatis Dei est, ut illic sibi nihil vindicet operarius, sic ait: Ego plantavi, hoc est, de pagano catechumenum feci; Apollo rigavit, hoc est, ille catechumenum baptizavit: sed ut cresceret quod plantatum & irrigatum est, Deus fecit. Nam & quivis hodie volens vineam suam pastinare, operarium placita mercede conducit; qui curvato dorso, & desudatis lateribus fines terræ faciat, ubi deponat electa plantaria, & aquam calcatis scrobibus superducat: scrobem fodere, & plantaria ponere potest, aquam inducere potest; imperare ut teneat non potest; est enim hoc solius Dei, de medullis palmitum producere radices coalescentes in terram, & gemmantes oculos, incrementa frondium provocare, &c.* IV. In Dei nomine ejiciuntur dæmonia, & in nomine Trinitatis consecratur baptismus, Marci XVI. 17. & Matth. XXVIII. 19. At in nomine Christi etiam improbi dæmonia ejiciunt. Igitur in nomine Trinitatis mali quoque ministri conficiunt Sacramenta. *Denique lectum in Evangelio* (inquit eodem loco Milevitanus Episcopus) *Joanne dicente, Magister vidimus quemdam in nomine tuo expellentem demonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum, sic Christus ait, Nolite prohibere: qui enim non est contra vos, pro vobis est, Luc. IX. 37. Nam & ipsis sic mandatum est, ut opus esset illorum, sanctificatio Trinitatis; nec in nomine suo tingerent, sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ergo nomen est quod sanctificat, non opus*. Hæc collustrare possunt pervulgatam probationem scholasticam, quod potestas conficiendi Sacramenta sit gratia *gratis data*, *non gratum faciens*, ideoque non requiratur ad Sacramenti valorem sanctitas operantis.

Demonstratur 2. Catholica thesis Ecclesiasticis definitionibus. I. Nicolaus Primus ad Consulta Bulgarorum cap. XV. Tom. VIII. Concil. pag. 523. docet validum esse baptismum collatum ab eo, qui se finxit presbyterum, productis Anastasii II. ad coæquivocum Augustum literis, verbisque Joannis, & Pauli supra explanatis, atque in hanc sententiam concludens, *Malus bona ministrando, non aliis, sed sibi detrimenti culpam ingerit*. II. Concilium Constantiense celebratum anno 1415. sess. VIII. proscripsit hunc articulum Joannis Wiclefi ordine 4. *Si Episcopus, vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat*. Tom. XII. Con. pag. 45. Wiclefi errores pertinaciter in civitate Pragensi propugnasse Joannem Hus simul cum magistro damnatum, patet ex eodem Concilio Constant. eodem volum. pag. 131. & ex libro de Decimis ejusdem hæretici supra citato. III. Non requiri vitæ integritatem in ministro, ut Sacramentum validum sit, sancivit prælaudato canone XII. Œcumenica Synodus Tridentina.

Tertio probatur auctoritate Majorum: ex quorum scriptis ut perpauca delibemus, Nazianzenus Orat. in S. Baptismum; *Quamvis*, inquit, *alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est*. Chrysostomus Hom. VIII. in priorem ad Corinthios: *Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, nec baptismatis gratia quicquam læditur a vita Sacerdotis*. Et hom. XI. in Epist. ad Thessalonicenses: *Gratia Dei per indignos operatur, non propter ipsos, sed propter eos, quibus opitulandum est*. S. P. Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. X. num. 21. *Hic enim dici non potest, quod solent ineptissime, & impudentissime dicere* (Donatistæ), *tunc posse a malo baptizari quemquam, si lateat malitia baptizantis. Qui enim fictus est, tanto magis fictus est, quanto magis latet. Ab hoc ergo cum se auferat Spiritus sanctus, quæ spes erit baptizati, si baptizantis hominis meritum in illa Dei gratia cogitandum est?* Idem Augustinus lib. 2. adversus Petilianum cap. 37. num. 88. *Redite ergo prævaricatores ad cor, & nolite ex hominum moribus & factis divina Sacramenta pensare. Illa enim per eum sancta sunt, cujus sunt: sed digne tractata afferunt præmium, indigne autem tractata judicium. Et quamvis unum non sint qui Dei Sacramenta digne, & qui indigne tractaverint: unum est tamen illud sive digne, sive indigne tractetur, non ut ipsum melius, vel deterius fiat, sed ad vitam, mortemve tractantium*. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 304. *Nullo detrimento*, inquit, *qui suscipit sacrosancta mysteria afficitur, etiamsi qui tribuit indignus esse videatur; neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiamsi sacerdos omnes mortales superet improbitate*.

Producam quarto loco aptissima exempla, quibus Patres dogma illud explanaverunt. Principio Nazianzenus præcitata Orat. pag. edit. Morel. 656. bonum, ac malum ministrum comparat duobus anulis, quorum unus aureus est, alter ferreus, at ambo eamdem Imperatoris imaginem insculptam habent, ac ceram imprimunt: discrimen enim in materia est, non in signo. *Sic tibi*, inquit, *omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur: quamvis enim alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen baptismi vis est*. Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. X. numer. 15. comparat Sacramenta luci, *quæ cum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordidum contrahit*; & lib. III. contra Cresconium cap. VIII. num. 8. semini, quod spargit infidelis colonus, a quo fieri nequit ut fecunditas terræ, cælique temperies efficaciam germinandi divinitus non acceperint. Addit Tract. v. in Joannem num. 15. comparationem canalis lapidei, per quem transit aqua ad areolas, quæ tamen in hortis plurimum fructum affert. Ita de superbo ministro sermonem instituens, *Non contaminatur*, inquit, *donum Christi, quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram*. Euthymius in cap. XI. Joannis Sacerdotem improbum æquiparat scelestissimo Caiphæ, qui tamen vaticinatus est, id assecutus non propria virtute, sed propter Pontificis dignitatem. Theophylactus ad cap. XX. Joannis utitur comparatione asinæ Balaami, loquens ad hunc modum: *Nam quamvis Sacerdotes indigni sunt, quid hoc? Divinorum donorum sunt ministri, & gratia operatur per eos, sicut & per asinam Balaam locutus est*. Atque his, aliisque exemplis evincitur non pendere virtutem Sacramenti a sanctitate ministri.

Tandem conclusionem ductis a Theologica ratione argumentis confirmo. Sit autem primum. Sacrorum mysteriorum ministri sunt dispensatores, Christi ministerio fungentes ex Apostolo 1. ad Corinth. IV. 1. idest, non conferunt Sacramenta, tamquam *Potestas, sed tamquam servi, in quos noluit Deus transferre potestatem suam, ut in illo spes baptizatorum, nec servus poneret spem in servo*,

ro,

te, inquit Aug. Tract. v. in Joannem num. 7. sive, ut Scholastici loquuntur, sacri ministri non sunt Sacramentorum causæ principes, sed instrumentales, quæ non operantur secundum propriam virtutem, sed juxta virtutem illius, a quo moventur, quemadmodum præco operatur mandata judicis, & officialis auctoritate principis: his namque exemplis utitur Augustinus eodem Tract. v. num. 13. Atqui minister operarius, & instrumentalis caussa, cum solummodo exterius proferant opus principalis agentis, nequeunt hujus actionem cassam reddere, quantumvis pravis moribus affecti sint. Ergo ministrorum scelus & pravitas nequit irritum reddere Sacramentum. II. Sacra ministrantes non deperdunt propter scelerum dementa potestatem & characterem: quod Augustinus demonstrat adversus Donatistas lib. 1. de Baptism. cap. x. num. 2. ex quo & ipsi Donatistæ reciperent baptizatos, aut consecratos antequam ab unitate discederent: unde S. Pater ita ratiocinatur, *Sicut acceptatur baptismus, quem non potuit amittere, qui ab unitate discesserat; sic acceptandus est baptismus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi cum discederet non amiserat.* Et quidem si grave scelus, quale est recedere ab unitate, & schismate se polluere, non delet characterem baptismatis in communione suscepti, ita nec delet characterem Ordinis, & consequenter qui in schismate aut tingit, aut consecrat, verum conficit Sacramentum. Idem proximo cap. v. num. 7. S. Pater demonstrat, ex quo iidem Donatistæ reciperent baptismum Maximianistarum, quos in Synodo Bagaitana tamquam sacrilegos extra eorum communionem ejecerant. Unde S. Pater ita exagitat adversarios: Si valet baptismus a Feliciano collatus in schismate; quare non tenet collatus a Catholicis, quos Donatistæ tamquam impios, fures, & sacrorum codicum traditores execrantur? *Nihil omnino*, inquit Augustinus, *inter nos, & eos Donatistas, qui Primiano communicant, dereliquit, &c.* Primianus enim Maximianistas a sua communione separavit; vid. lib. III. contra Epistol. Parmeniani cap. 3. num. 18. Urget Augustinus idem argumentum lib. III. contra Cresconium cap. 24. num. 27. & lib. IV. cap. 16. num. 18. & seq. III. Inter bonos ministros unus est melior altero, & nihilosecius non est melior baptismus qui per meliorem confertur. Igitur, infert S. Pater cit. lib. 3. adversus Cresconium cap. VI. nu. 6. *Nullo modo est malus, qui etiam per malum datur, quando idem baptismus datur: & ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed Dei est.* IV. Baptismus est unus ex Apostolo ad Ephes. IV. 5. Ministri autem baptismatis (quod de ceteris Sacramentis intellige) sunt multi. Baptismus unus est, quoniam sive baptizet Petrus, sive Judas, non conferunt baptismum suum, sed Christi. Ministri autem plures sunt, quoniam Petrus non est Judas, nec Judas Petrus. *Ergo*, inquit S. Pater in Epistola contra Donatistas, sive de unit. Eccl. cap. XXI. num. 58. *cum tantum distaret inter Petrum & Judam, nihil tamen distabat inter baptismum qui dabatur per Petrum, & qui dabatur per Judam. Illud enim, quod per eos dabatur, unum erat, cum ipsi non essent unum.* Similia lib. IV. de Schismate Donatistarum num. 4. Optatus Milevitanus. V. Si valeret Sacramentum duntaxat quando a sanctis probisque ministrantibus datur, ac recipienda foret illa nimium severa sententia Donatistarum, *Quisquis peccator inter omnes homines fuerit, jus sibi baptismatis non usurpet*: quum omnes probi viri peccatores se fateantur, nec ipsi unquam auderent Sacramenta petentibus ministrare, nec quisquam ab ullo homine peteret Sacramenta: quo argumento ita Augustinus vellicat Cresconium lib. 2. cap. XXVIII. num. 35. *Si ergo jam baptizatus es, vellem scire quem repereris, qui contra Joannem Apostolum diceret, Peccatum non habeo. Si enim talem quemquam reperire potuisti, quomodo baptizatus es ab eo, qui seipsum decipiebat, & in quo veritas non erat? Si autem qualiscumque humilitatis non immemor peccatorem se esse dicebat, quomodo sibi secundum tuam sententiam jus baptismatis usurpabat? Tu enim dixisti, tu etiam minime scribere timuisti, ut quisquis peccator inter homines fuerit, jus sibi baptismatis non usurpet. Si autem nondum baptizatus es, aut hanc vanissimam sententiam corrige, aut a quibus baptizeris angelos quære.* Hactenus dogma catholicum stabilivimus: diluamus modo hæreticas argutationes.

Oppones I. Si ad Scripturarum sanctarum oracula converterimus animum, liquido constabit scelerosos ministros polluere sacra, eaque dispensandi auctoritatem amittere. Primo namque Ecclesiastes initio x. capitis inquit: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*; ministrantes itaque criminibus polluti, muscis utique comparandi, sacrorum chrismatum egregiam virtutem, & efficientiam sacrarum unctionum corrumpunt. II. Legimus Sapientiæ I. 5. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Quomodo ergo Spiritus charismatum largitor operabitur in iis, qui, dum sacra peragat, divinum ministerium latente crimine dehonestant? III. In Ecclesiastici XXXIV. 4. scriptum est: *Ab immundo quid mundabitur?* Et versu penultimo: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus?* Itaque nec mundat, nec baptizat quisquis mortuus est, atque immundus. IV. Ait Dominus per Jeremiam, XXIII. 28. *Quid paleis ad triticum?* Impii ergo, quoniam paleæ sunt, triticum, idest, Eucharistiam nequeunt consecrare. V. Testatur Aggæus cap. II. 14. contaminari *quidquid tetigerit pollutus in anima*. Ideoque contaminantur Sacramenta, quæ tangit, ac tractat improbus ministrator. VI. *Si non potest arbor mala bonos fructus facere*, quemadmodum legitur Matth. VII. 18. quomodo malæ arbores, quomodo criminosi ministrantes, sacra, eorumque uberrimum fructum perficient? VII. Ut habetur Joannis IX. 31. *Peccatores Deus non audit*; & consequenter peccato inquinati nec sanctificant, nec Deum ad sanctificationis gratiam impertiendam ullatenus movent. VIII. Liquet ex eodem Evangelista præced. cap. versu 44. improbos, mendaces, invidos, *ex patre diabolo esse*; Christus autem Ecclesiæ caput operatur duntaxat in membris suis: quare in scelestis nullam spiritalem actionem exercet. IX. Idem Joannes cap. XX. 22. narrat Dominum tradidisse Discipulis potestatem absolvendi a peccatis dicendo: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* At grave aliquod scelus perpetrantes deperdunt cum justitiæ decore Spiritum sanctum. Itaque deperdunt quoque absolvendi a peccatis auctoritatem. Ex hisce Scripturæ locis Donatistæ inferebant sanctos tantum, probosque viros, qui sunt *juxta cor Domini*, (quales ipse spopondit per Hieremiam, XII. 15.) esse verbi Dei, sacrorumque Mysteriorum ministros: a ceteris autem contaminari sacra, nec rem aliquam confici, nisi immundam atque profanam; nil propterea efficere aut baptismum, aut sacram ordinationem ab impio collatam, & malorum Sacramenta a fidelibus rejicienda esse verbis Davidicis, Psalm. CXL. 5. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Principio adversus Donatistas, qui hæc objecerunt, possunt argumenta ista retorqueri, quum probarint baptismum, & sacras ordinationes Maximianistarum, quos in Bagaitana Synodo a communione sua segregaverant. Deinde ad omnia ex Optato Milevitano, & Augustino, Donatistarum flagellis, hæc reponimus. Ideo Ecclesiastis x. affirmatur muscas morientes perdere suavitatem unguenti, quia cum probi viri sint *Christi bonus odor*, teste Apostolo 2. ad Corinth. II. 15. idest, per eos laudibus celebretur Dei numen, *effuso oleo* in canticis comparatum; per impios Christiana religio afficitur dedecore, atque, ut Isaias ajebat LII. 5. *nomen Dei blasphematur.* Impii ergo exterminant olei suavitatem, scilicet bonum odorem, qui *est in optima fama viventium*, non gratiæ præstantiam, quæ adinvenitur in Sacramentorum virtute. Hæc Augustinus lib. 2. contra Parm. cap. x. num. 22. S. Optatus lib. VII. num. 4. hunc locum de Sacramentis interpretatus respondet confici *Chrisma* per invocationem nominis Christi, quo suave fit, & quodammodo conditur: cum autem etiam apud nos, qui a Schismaticis existimamur sacrilegi, remaneat oleum cum tali invocatione, & sic a nobis servetur, quomodo ab illis dimittitur, frustra dici possumus muscæ corrumpentes olei suavitatem. His adde loqui Ecclesiasten de fama, & gloria viri sapientis, quam modicum stultitiæ pessumdat. Quod sequitur, ab Augustino lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. a. num. 21. primum contra adversarios ejaculatur. Donatistæ quippe impudentissime dicebant, *tunc posse a malo baptizari quemquam, si lateat malitia baptizantis.* Et tamen, inquit Augustinus, *qui fictus est, tanto magis fictus est, quanto magis latet.* Quomodo ergo occulti mali apud Donatistas baptizare potuerunt? Deinde S. P. respondet deesse quidem Spiritum sanctum dantibus, ac fingentibus, sed non deesse acceptantibus & credentibus, illos culpare, istos mundare, effugere nempe iniquitatem ministrantium, & ineffabili efficacia potentiæ suæ sanctificare suscipientes. Ad tertium habeto responsum istud. Ab illo baptizemur, in cujus nomine a peccato mundamur. At mundamur a peccato in nomine Christi, qui vivit, & sedet a dexteris Dei. Ergo non baptizamur a mortuo, neque ab immundo. Ita Augustinus lib. 2. contra lit. Petiliani cap. VII. num. 15. & lib. 2. contra Cresconium Donatistam cap. 27. num. 33. Addit sequenti num. 34. non prodesse lavationem factam ab Hæretico, & a Schismatico baptizato, nisi transeat ad Corpus Christi, quod est Ecclesia Dei vivi. Adde Ecclesiasticum 2. loco agere de iis, qui iterum in eadem scelera prolabuntur, & quibus nihil prodest expiatio præcedens; quemadmodum in lege adhuc censebatur immundus, qui post purgationem cadaver denuo contrectasset. Quartum, quod Donatistæ caussam separationis suæ prætexebant, sic diluitur ab Augustino lib. III. contra Epist. Parmen. cap. III. num. 19. *Numquid in agro dici potest, quid paleis ad triticum, quando eadem radice portantur? Numquid in area, ubi pariter triturantur? Sed utique in horreo, quid paleis ad triticum?* Quo exemplo Evangelicis parabolis comprobato demonstrat S. Pater Ecclesiam hujus temporis esse bonis, malisque permixtam. Simile Augustinus repetit in Breviculo Collat. cum Donatistis cap. VIII. num. 10. Certum est Jeremiam sententiam illam protulisse, ut ipsa indicat lectio, *adversus eos*

qui

qui divinis oraculis sua somnia coæquabant : nec fugit id Augustinum lib. IV. contra Cresconium cap. LXXXI. num. 97. Verum hæc ad unitatem potius Ecclesiæ, quam ad præsentem disputationem. Ad proximum respondet S. Optatus lib. VI. num. 3. contaminata esse quæ tangit pollutus, *si solus sit tactus, & non interveniat invocatio nominis Dei; nam si sit invocatio nominis Dei, ipsa invocatio sanctificat & quod pollutum esse videbatur*. Augustinus autem in libro ad Donatistas post Collat. n. 31. inquit: *Spiritalem* (Aggæus) *prohibebat accessum, consensionemque factorum*. Animadvertit Hieronymus in Aggæum Tom. III. pag. 1697. immundum in anima dictum, *qui corpus hominis mortui attigerat*, juxta legem Num. XIX. 22. Quod opponitur ex cap. VII. Matthæi facilem habet expeditionem, quum enim malus *verbum Dei prædicat, & Dei Sacramentum ministrat, non de suo prædicat, aut ministrat*; idest, non conficit Sacramenta tanquam arbor mala, sed tanquam Christi operarius; nec fructus baptizantium sunt baptizati, alioqui tot Optati pullulassent, quot baptizavit Optatus. Atque hæc est responsio Augustini lib. 2. contra Epist. Petiliani cap. VI. num. 13. Ad septimum idem Augustinus primum respondet, etiam verba impiorum exaudiri a Deo, quando ipsius instrumenta sunt, quemadmodum adimpleta fuere vaticinia Balaam, Num. XXIV. Deinde ait sententiam illam; *Peccatores Deus non audit*, esse hominis, *qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant*. Demonstrat postea, nunquam peccatorem ad bonam frugem rediturum, nisi prius a Domino exaudiatur peccator. Vide lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. VIII. num. 17. Diluitur eadem responsione objectatio proxima, non enim tanquam membrum Diaboli, sed tanquam minister Christi, Sacerdos & tingit, & absolvit, & consecrat. Ad sx. sunt qui per *Spiritum sanctum* accipiunt eo loci spiritale donum, ac potestatem remittendi peccata, ut Ammonius in Cat. Corderii pag. 459. nec non Theophylactus in Joannem pag. 459. Et quidem per Spiritum sanctum dari hominibus charismatum munera, & pleraque communia improbis, constat ex 1. ad Corinth. XII. 8. Augustinus Tract. CXXI. in Joannem num. 4. ait utique per Spiritum sanctum remitti peccata, & peccata eorum retineri, qui ejusdem Spiritus non sunt participes; at inde non consequitur scelestos ministros non absolvere, quoniam non ipsi, sed Christus communicat dona Spiritus. Similia habet Cyrillus l. XII. in Joannem pag. 1093. Tandem non sequitur, Christus elegit ministros sanctitate illos exornans, ut digne fungerentur commisso officio; igitur scelere inquinati non sunt ministri; aliud enim ad dignitatem pertinet, aliud ad potestatem: sanctitas adauget meritum ministrantium, potestas tribuit salutem suscipientibus; atque, ut Augustinus scribit contra Cresconium lib. IV. cap. 18. num. 21. *inter fidelem, perfidumque plurimum distat; non ad Sacramentum si hoc uterque habet, sed ad meritum*. Quo in loco etiam urget discrimen inter Primianum, & Felicianum, quorum alter appellatus in Synodo Donatistarum *vas sordidum, famosi criminis reus, & habens sub labiis venenum aspidum*, ideoque maculosus, immundus, sordidus, postea cum Primiano sedit Episcopus, & quos baptizaverat, numquam postea lotos, cum ceteris Donatistis in communione comprehendit. Ex quibus colliges debere sacrum ministrum esse secundum cor Dei, ne sacra tractet in sui perniciem, non autem ne Sacramentum sua careat efficientia, quandoquidem non in eo spem locat accedens ad sacra, sed in Domino; nec ille habet sacrorum mysteriorum potestatem, sed ministerium. Profecto verba Psalmistæ, *Oleum autem peccatoris, &c.* de blanda adulatione accipienda esse lectio ipsa declarat, viditque id perspicax Augustini ingenium lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. X. num. 22. lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 103. num. 237. nec non Epist. 147. ad Proculejanum, nunc XXXIII. ubi narrat de homine, quem falsæ blanditiæ faciunt arrogantem, dici, *Crevit caput*. Vide Ecclesiasten VII. 6. Hieronymus in cap. III. Aggæi pag. 1699. *oleum peccatoris* interpretatur dogmata hæreticorum, quæ illi *de veteris, & novæ scripturæ testimoniis violenter exprimunt*. Si *oleum* intelligas sacrum Chrisma; istud non est oleum peccatoris, sed Dei de quo idem Psalmist. ps. 44. 8. *Unxit te Deus, Deus tuus, &c.* Adeas Milevitanum Præsulem lib. IV. num. 7. pag. 76.

Opp. 2. Adversantur propositioni nostræ nonnulli Patres. I. S. Ambrosius lib. de Mysteriis cap. IV. num. 23. inquit: *Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit*. II. Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ pag. 1671. *Sacerdotes quoque qui Eucharistiæ serviunt, & sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes Εὐχαριστίαν imprecantis facere verba, non vitam, & necessariam esse tantum solemnem orationem, & non Sacerdotum merita, de quibus dicitur: Et Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino*. III. Augustinus lib. III. de Baptis. cap. 18. num. 23. de avaris Sacerdotibus inquit: *Tales tamen ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coepiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur, & cum magna tolerantiæ mercede perpetitur. Remissam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, idest, per columbæ gemitus datur. Non enim raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus, Si cui dimiseritis peccata, remittuntur illis, si cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid potest, nec solvi, ubi non sit qui aut ligare possit, aut solvere: sed solvitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem, &c.* Et lib. V. cap. 22. num. 30. *Proinde*, inquit, *consentimus Cypriano, hæreticos remissionem dare non posse, baptismum autem dare posse, quod quidem illis & dantibus & accipientibus valet ad perniciem, tanquam tanto munere Dei male utentibus: sicut etiam maligni & invidi, quos & intus esse ipse testatur, remissionem peccatorum dare non possunt, cum eos baptismum dare posse omnes fateamur*. III. Innoc. I. ut habetur 1. q. 1. cap. *Qui perfectionem*, in Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 3. inquit: *Qui perfectionem spiritus, quam acceperant, perdiderunt, non ejus dare plenitudinem possunt, (quæ maxime operatur in Ordinationibus) quam per suam perfidiam perdiderunt*. IV. Pelagius Papa relatus a Gratiano cap. *Schisma*, XXIV. q. 1. inquit: *Non est Christus corpus, quod schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur*.

Resp. ad 1. *Perfidorum* nomine intelligere Ambrosium eos, qui per hæresim a mystico Christi corpore sunt segregati, & qui nequeunt mundari, nisi per fidem sese ad obtinendam gratiam disponant; explicat enim ibidem baptismi virtutem comparatione piscinæ, in qua movebatur aqua propter incredulos; *quod Judæis signum erat, nobis fides*. Unde comparatione facta concludit: *Ergo & illa piscina in figura, ut credas, quia in hunc fontem vis divina descendit*. Significat ergo Ambrosius baptismum non prodesse iis, qui oblatum fidei lumen repudiant. Ad 2. liquet Hieronymum alludere ad etymon vocabuli *Eucharistia*, & significare quomodo Sacerdotes nefariam vitam agentes, non Deo gratias agant, sed sibi judicium, & damnationem arcessant: quemadmodum S. Doctor se explicat sententia deprompta ex Levit. XXI. 6. juxta Vers. LXX. Imo expresse ait ibidem Hieronymus istiusmodi Sacerdotes *servire Eucharistiæ, & sanguinem Domini populis ejus dividere*; quamvis dum sacra peragunt, non Deo placeant, sed ei potius insultent. Ad Augustinum responderi solet cum Estio in IV. dist. 1. §. 26. non pertractare de ministerio remittendi peccata per Sacramenta, sed de alio quodam peculiari remissionis modo, per Orationes sanctorum in Ecclesiæ communione: quæ responsio aptari potest quibusdam ex præcitatis verbis a toto orationis complexu divulsis; at non videtur argumentationem penitus enervare. Ceterum Augustinus Augustinum diserte explicat. Docet enim lib. 2. adversus Cresconium, cap. XXVIII. num. 34. *Nihil prodesse homini baptismum Christi, si apud hæreticos, vel schismaticos baptizetur, eis tribuens baptismum quo baptizatur, sed tunc eis prodesse incipere, cum transit ad Corpus Christi, quod est Ecclesia Dei vivi*. Et lib. VI. de Baptismo cap. IV. num. 6. ait malum, *sicut perniciose habet* (baptismum) *ita etiam perniciose tradere, non quia tale aliquid tradit, nec quia talis tradit, sed quia TALI tradit*. Ita legendum, non *talis*, uti legerunt Lovanienses, reluctantibus omnibus editis, & MSS. observarunt Maurini Patres. Et recte, quis enim adeo pinguis Minervæ est, ut scriptum censeat, *Malus perniciose tradit baptismum, non quia talis tradit, sed quia talis tradit*; ubi expenderit quæ sequuntur? *Nam cum malus tradit bono, idest, in unitatis vinculo, veraci conversione mutato, inter bonum Sacramentum quod traditur, & bonum fidelem cui traditur, tradentis malitia non separat*. Itaque Augustinus lib. III. cap. 18. ait a schismaticis, hæreticis, malisque ministris remissam non dari, etiamsi detur baptismus, si ad columbæ pacem, idest, ad unitatem Ecclesiæ non pertineant illi, quibus datur, quoniam remissio peccatorum *per columbæ gemitus datur, quicunque baptizat* (sive bonus, sive malus) *si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur*. Ait quoque non solvi peccata ejus, *qui cum columba non habet pacem*, idest, non tenet unitatem Ecclesiæ; quoniam *solvitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem*. Valet ergo juxta Augustinum Sacramentum a quocunque ministro collatum, tametsi non tribuat remissam iis, qui nolunt Christo, & Ecclesiæ adhærere. Atque hæc responsio adeo est perspicua, & certa, ut si præcitatum caput XVIII. perlegas, de ea hæsitare non valeas. Excipitur eadem responsione testimonium alterum, quo S. P. affirmat baptizari in animarum suarum perniciem, qui male abutuntur Dei munere, & soventes schismata *fratres a quibus diliguntur oderunt, & in ipso odio baptizantur; quibus tamen postea correctis non rursus baptismus datur, sed ipsa venia, quam tunc accipere non meruerunt, in vera conversione præstatur*. Hæc proxima periodo Augustinus. Ad Innocentium respondet Estius, Sacramenta extra Ecclesiam non prodesse ad obtinendam gratiam Spiritus sancti: addunt alii, ob contemptum, si suscipiantur citra necessitatem, aut possint recipi a ministris legitimis. Eam ob rem Magnus Gregorius lib. XII. Moralium cap. XXXI. Tom. 2. pag. 345. laudat Hermenegildum, qui percipere noluit e manu Ariani Episcopi *sacrilegæ consecrationis communionem*. Sapienter hæc dicta sunt: sed in cap. *Qui*

perfe-

perfectionem voce plenitudinis, intelligenda est tantum executio Ordinis; nam ordinatus ab Episcopo hæretico recipit quidem Ordinis characterem, sed ejusdem Ordinis executione privatur. Ita in hunc Canonem JCC. In cap. *Schisma*, corpus Christi non appelletur Eucharistiæ Sacramentum, sed Ecclesia, additur siquidem e vestigio: *Nec enim divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Unam, ut sæpe dictum est, quæ Christi Corpus est, constat esse Ecclesiam: quæ in duo, vel in plura dividi non potest. Simul enim cum ab ea quisque recesserit, esse desistit in Ecclesia.*

Opp. 3. Qui fœdo simoniæ flagitio ad sacram Ordinationem promoventur, nullatenus recipiunt Ordinis characterem. Ergo irrita sunt & invalida Sacramenta quædam a probroso ministro confecta. Ant. probatur ex Canone v. Concilii V. Romani S. Pontificis Gregorii VII. *Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ ea intentione impenso, vel quæ non communi consensu Cleri, & populi, secundum canonicas sanctiones fiunt, & ab his, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur, infirmas & irritas esse dijudicamus.* Vide Lupum Tom. vi. pag. 71. Extremam quoque unctionem simoniace collatam esse nullam docuit Ugolinus de Simonia cap. 17. §. 1. num. 4.

Resp. Simoniacos ex antiqua & nova Ecclesiæ disciplina plecti condignis pœnis, quarum prima est ab Ordinis executione suspensio: eamdemque pœnam confirmarunt Martinus V. sess. penult. Concilii Constant. Paulus II. in Extrav. commun. cap. *Cum detestabile*, aliique Pontifices. Consequuntur aliæ pœnæ merito inflictæ, depositio ab ordine, excommunicatio, debitum restitutionis, exilium, vel carceri mancipatio, & infamia dedecusque perpetuum; quæ omnia commemorant Canones a Gratiano collecti 1. q. 1. & Extra. t. *de Simonia*, Theologi omnes, sacrorumque Canonum Expositores. At validas esse Simoniacas ordinationes, quantum ad substantiam Sacramenti attinet, inde constat, quod gratis a Simoniacis ordinatos, *non tam censura justitiæ, quam intuitu misericordiæ in acceptis Ordinibus permanere*, anno 1059. ante Gregorium VII. permiserat in Romano Concilio Nicolaus II. Tom. ix. Concil. pag. 1100. Itaque Gregorius declaravit ordinationes a Simoniacis factas *infirmas, & irritas*, quantum ad executionem Ordinis, non quantum ad substantiam. Verum tamen est, quod Theologi complures, animadvertentes quam vehementer simoniæ crimen sacri canones insectentur, Gregorii VII. ætate scripserunt simoniacorum Sacerdotum sacrificia, & Sacramenta esse irrita; quam sententiam amplexus est in libro adversus Guibertum Antipapam Episcopus Lucensis Anselmus, adversantibus tamen permultis, & utrinque Scholasticis disceptantibus, donec universa Ecclesia veritatem a S. Thoma invicte propugnatam, ut ibidem docet Lupus, admisit. Quare Gregorius opinionem tunc probabilem minime definiens, & acerrime simoniacos, & intrusos compescens, simoniacas Ordinationes *infirmas & irritas* declaravit, haud exprimens an quoad substantiam, an quoad solam executionem id esset accipiendum; dummodo gradu, ad quem tanta impietate conscenderant, juxta Ecclesiasticas sanctiones dejicerentur simoniace promoti, & reprimeretur perniciosæ labis eluvio. Ugolinus *nullam* appellavit extremam unctionem a Simoniaco receptam, quatenus caret effectu, ut inquit Suarez de Simonia cap. 57. num. 4. & Gibalinus Q. xxiii. Confect. 1. pag. 431.

Opp. 4. Juxta pervulgatum adagium, *Nemo dat quod non habet*. Impii Sacerdotes non habent gratiam. Hanc itaque conferre nequeunt. Rursos Sacramentum est actio ministri. Igitur si actio sacrilega & immunda est, Sacramentum erit immundum. Insuper mali non habent jus administrandi Sacramenta; non ergo ratum est quod faciunt.

Resp. ad 1. dist. mi. Sacerdotes impii non habent gratiam in se permanentem, concedo: non habent gratiam annexam signo sensibili, & divinitus instituto, nego. Aut dist. majorem, nemo dat quod non habet, si agat cum potestate primaria & proprio nomine, concedo: si agat ministerio duntaxat, & in nomine alterius, nego. Nonne medicus, quamvis infirmus, confert ægroto sanitatem, si illi porrigat efficax pharmacum? Nonne famulus reddens debitori, Domino committente, chirographum remittit debitum? S. Optatus ad proloquium illud inculcatum a Donatistis respondet lib. v. num. 7. p. 85. *Vox est de viro collecta, non de libro lecta. Hæc verba in lege scripta non sunt; nam si (ut vultis) homo dat, Deus vacat.* Ad secundum dicimus actionem ministri improbi esse malam in genere moris, non in genere signi a Christo instituti, in quo proprie ratio Sacramenti consistit. Ad ultimum respondemus cum Estio sæpenumero subsistere quod fit ab illis, qui non habent jus faciendi, ut matrimonium contractum ab eo, qui habet simplex continentiæ votum: quare Augustinus lib. v. de baptismo cap. xv. nu. 19. ait: *Et si jus baptizandi non habuit, tamen Christi est quod dedit, & ille Christi est qui accepit. Multa enim contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur.* Hinc eruitur responsio altera; mali non habent jus administrandi Sacramenta, & administrando dant quod suum est, nego: quod Christi est, concedo.

PROPOSITIO II. Sacerdos lethalis culpæ sibi conscius, etsi valide Sacramenta conficiat, impie tamen, & illicite eadem conficit, atque administrat: quod de aliis sacrorum ministris, præsertim Diaconis, dicendum est, necnon probabiliter etiam de verbi divini concionatoribus.

Probatur prima pars literarum sanctarum testimoniis: legimus quippe Exodi xix. 22. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos*. Levit. xxii. 3. *In quo est immunditia, peribit coram Domino*. Ps. c. 6. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*. Is. lii. 11. *Mundamini qui fertis vasa Domini*. Apost. 1. ad Tim. iii. 10. *Probentur primo, & sic ministrent nullum crimen habentes*. Ad Titum 1. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*. Probatur 2. Catholicæ Ecclesiæ monitis ac definitionibus. Etenim Tridentina Synodus sess. xiii. cap. 7. productis verbis Apostoli ex 1. ad Corinth. xi. 28. *Probet autem, &c.* ex Ecclesiastica consuetudine declarat, *eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Idem præscribitur de Consecr. dist. 2. cap. *Sicut Judas*, & cap. *Quotidie*, nec non cap. *Qui scelerate, &c.* Catechismus Rom. p. 2. cap. 1. num. 17. ait *Sacramenta impure ministrantibus æternam perniciem & mortem afferre*: & Rituale Romanum §. 1. *Impure*, inquit, *& indigne ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt*. Probatur tertio auctoritate Sanctorum. Augustinus lib. xxxii. contra Faustum cap. 14. *Si quis* (ait) *Sacramenta novi Testamenti fuerit ausus sacrilega temeritate violare, pœnas divinitus constitutas rectissimo judicio persolvet*: & lib. 2. contra Epist. Parmen. cap. x. num. 22. *Omnia Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus*. Magnus Gregorius in Epistola ad Patriarchas xxiv. nunc xxv. Tom. 2. pag. 508. *Necesse est, ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida ipsa insequens lutum tenet. Scriptum namque est, Mundamini qui fertis vasa Domini*. Insuper probatur ex Romanorum Pontificum, Leonis IX. Gregorii VII. & Nicolai II. decretis, quibus provide sancitum est, ut presbyteri habentes concubinam, aut superinductam mulierem eliminentur ab Ecclesiis, exeant de sacrario, missas celebrare non audeant, nec populus recipiat ullo modo eorum officia; quæ decreta recenset, & vindicat in dissert. de Latin. Episc. & Cler. contin. cap. vii. Eximius Lupus. Postremo probatur ratione deprompta ex Augustino lib. xix. contra Faustum cap. 11. *Contemptus enim Sacramentorum facit sacrilegos*; quippe *violantur sacra per irreverentiam*, ut recte probat S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 1. exemplo perforantis regale indumentum, qui censetur agere adversus regem. Atqui scelestus ministrator contemnit Sacramenta. Igitur est sacrilegus: & quantum est in se, Christi vestimenta confodiendo iterum gloriæ Dominum affigit cruci.

Hæc argumenta valent de omnibus ministris etiam Sacerdote inferioribus, quamquam nonnulli eam adhibent distinctionem, ut dicant se novo scelere contaminare, qui pro administrandis Sacramentis speciali indigent consecratione: secus si administrent Sacramentum, quod consecrationem non exigat peculiarem, ut dum laici urgente necessitate baptizant. Et quidem universim Tridentina Synodus citato cap. 7. definit, *Non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte*. Et S. Thomas in iv. dist. 24. q. 1. art. 3. in solut. quæst. 5. haud hæsitanter pronuntiat peccare mortaliter, quisquis *quod sibi competit ex ordine, facit indigne*. Hinc rigidiores quidam cum Juenin q. v. cap. 3. art. 2. inferunt peccare lethaliter etiam inferiores ministros minoribus ordinibus initiatos, dum in peccato mortali solemni ritu officiis funguntur suis, supposito quod etiam minores ordines sint Sacramenta, quod apud Theologos controvertitur. S. enim Thomas, inquit Juenin, dum utitur termino illo universali, *Quicumque homo quod sibi competit ex ordine facit indigne*, de singulis Ordinibus intelligitur. Verum licet sedulo curandum sit, ut quisque sancte & inculpate proprio ministerio fungatur; attamen cum officia, quæ præstant inferiores ministri, sint imperfecta, nec tam prope accedant ad Eucharistiam, neque excedant Sacramentalia, quæ fiunt citra peccati mortalis culpam, imo aliquando exerceantur a laicis; arbitror functiones minorum Ordinum, nisi adsit summa irreverentia, & contemptus, etiam in statu peccati mortalis absque lethali culpa exerceri. Quod præter Toletum, Sylvium, ac Tractatores Moralium, tenent quoque Merbesius in Summa iii. parte quæst. xv. ref. 3. Farvacques quæst. vii. §. 3. aliique ad sæviora placita declinantes. De Subdiaconis gravior est controversia, de qua interim judicium suspendimus. At Diaconi, sententia quidem nostra, si exerceant indigne officium mi-

nisterii sui, sacrilegio innectuntur: quippe proxime Sacerdoti inserviunt & de his Augustinus Epist. 148. nunc 21. num. 1. scribit, *Nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius*, quam si ab illis, aut ab Episcopis ac Presbyteris, *perfunctorie atque adulatorie res agatur*: additque nihil in hac vita esse *difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio*.

Gravius est de Sacerdote concionante dissidium. Quod reus fiat sacrilegii, si Dei verbum prædicet conscientia impura, tenent eruditi Theologi Merbesius, Farvacques, & Juenin loco paullo supra citato, nec non Cajetanus in 3. p. S. Thomæ quæst. 64. ad 1. & ex recentioribus Tournely q. VII. art. 3. concl. 2. Frassen dis. Procem. art. 3. q. 2. Boucat tom. XIII. pag. 460. prolixius autem omnibus Andreas de Saussay in Panoplia Sacerdotali p. 2. lib. IV. de munere prædicandi, art. 2. Nititur hæc opinio primum sacrarum literarum auctoritati: legitur enim in Ps. XLIX. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et Matth. XXIII. Christus insectans Pharisæorum perversitatem versu 3. inquit: *Dicunt enim, & non faciunt; alligant enim onera gravia, &c.* Lucæ etiam IV. 23. extat sacrum proloquium, *Medice, cura teipsum*: atque de iis, qui alios corripiunt, nec se emendant, Matt. VII. 13. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Quadrat etiam in concionatorem illud Apostoli ad Rom. II. 1. *In quo judicas alterum teipsum condemnas*; & versu 21. *Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis.* Facit insuper ad hanc rem quod scribit Augustinus lib. III. contra lit. Petiliani cap. LVI. num. 68. *Forma Sacramenti datur per baptismum, forma justitiæ per Evangelium*, ubi videtur non minus in baptizante, quam in concionante requirere probitatem. Atque Gregorius Magnus protulit in Pastorali præclaram sententiam istam: *Necesse est, cujus vita despicitur, ejus prædicatio contemnatur*. Id vero minime fugit Ethnicum Philosophum scribentem Eth. X. *Dum sermones moribus dissonant, contemnuntur, & veritatem interimunt*. Addit Cajetanus rationem, quoniam sacræ conciones inter opera consecrata computantur, ac sub specie actuum Ordinis comprehenduntur. Videtur esse eadem sententia S. Thomæ in IV. dist. 19. q. 1. art. 2. in solut. quæst. 2. ad 4. & lect. 1. in cap. 6. epist. 2. ad Corinth.

Ut tamen hæc sententia sit probabilis, vera non est, nisi concionator aut notorio crimine pollutus sit, aut si est in peccato occulto, nullatenus se ad humiliationem & pœnitentiam excitet: sed vel in aliis dedecore vitæ suæ, vel in se simulatione & hypocrisi impediat fructum sanctæ prædicationis. Ceterum si lateat scelus, nec illud dum alios arguit, in se concionatur parvipendat; quamvis gratiam remissionis nondum obtinuerit, licite habet conciones sacras; neque in hac hypothesi per se agit ne verbum Dei fructum afferat. Neque enim tunc despicit oculis suis infixam trabem, aut audacter assumit testamentum Domini per os suum cum plebis scandalo, animarumque pernicie. At si publico vitio notetur, negligatque pro sui medela remedium, quod aliis suppeditat: tunc graviter illum delinquere, incunctanter pronuntio. Nego autem ordini presbyteratus adjunctum *jure divino* munus prædicandi, quod visum Cajetano: cum id incumbat Episcopis, ceteris autem non vi ordinis, & consecrationis, sed vel ex Episcopi licentia, & mandato, vel ex adjuncto officio pastoris, animarumque regimine. Atque hac distinctione eo libentius utor, quod illam noverim e probatis Theologis adhiberi, etiam ab insigni Thomista Dominico Soto in IV. dist. 1. quæst. V. art. 6. Du Hamelio cap. V. num. 8. ceterisque quamplurimis.

CAPUT XV.

Solvuntur nonnullæ quæstiones circa improbos Sacramentorum ministros.

QUæritur hoc loco, an fas sit a facinoroso ministro petere Sacramenta. Hanc autem quæstionem perspicuitatis gratia ad hunc modum distinguimus. Principio improbum & malum non dicimus, quem certis indiciis talem esse nobis non constat: sed si quem novimus prolapsum in flagitium aliquod, credimus dum sacra ministrat, patratum crimen Sacramentali confessione, vel contritione vehementi expiasse. A tali ergo ministro Sacramenta suscipere minime dubitamus. Si autem certo nobis constet vita Sacerdotis facinorosa, dicimus observandum esse, an Sacramenta, ad quæ cogitamus accedere, sint necessitatis extremæ, qualia sunt pœnitentia & baptismus in proximo mortis periculo, an vero nulla sit necessitas illiusmodi: & insuper an Sacerdos, ad quem confugimus, sit Parochus, cui jure incumbat regimen animarum, an Sacerdos solutus a tali munere; postremo an Sacerdos ille sit excommunicationis vinculo innodatus, an degat in sinu Ecclesiæ, an se a cœtu fidelium hæresi, aut schismate segregarit.

Itaque priori loco affirmamus, nefas esse extra necessitatis casum Sacramenta petere ab impio Sacerdote, qui non sit parochus, aut gerat vices ejusdem, ac multo minus ab excommunicato, aut ab hæretico, sive schismatico. Probatur 1. quoniam nemo debet esse offendiculo alteri, eique præbere occasionem patrandi sacrilegium, nec etiam volenti, atque in scelus prono absque causa subministrare materiam. *Digni sunt enim morte*, inquit Apostolus ad Rom. I. 32. *non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. II. De Simoniacis, & in crimine fornicationis jacentibus scripsit Gregorius VII. epist. 45. lib. 2. ad Rodulphum & Bertholdum, *Vos officium eorum nullatenus recipiatis*: quod, ut diximus præced. capite, aliis Ecclesiasticis definitionibus roboratum est. Nec audienda sunt quæ de Gregorio ob istiusmodi decreta scribit ad annum 1074. Sigebertus in Chronico, quum is plus æquo sectatus fuerit partes Henrici IV. hostis in Sanctum Gregorium iniquissimi. III. De hæreticis scripserat olim Innoc. I. epist. XII. cap. 3. *Dicimus ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manuum impositionem habere caput*. Rationem vero tradit Augustinus, quoniam quum hæretici non amplius sint in domo, idest in Ecclesia, *nec utiliter Sacramenta habent, nec utiliter conferunt; quæ ut utilia sint, ab hæresi, vel schismate recedendum est, & illi domui cohærendum*. Vide lib. VII. de Baptismo cap. LII. num 100. Adde Ecclesiam esse congregationem fidelium eadem sacramenta participantium: ideoque sacramenta extra necessitatem cum hæreticis participare idem prorsus est, ac hæresim profiteri. IV. De schismaticis aperta est sententia ejusdem Augustini scribentis lib. I. de Baptis. cap. 2. num. 3. *Si quis autem cum possit in ipsa catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari: etiamsi postea venire ad catholicam cogitat, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse autem non potest; proculdubio perversus & iniquus est; & tanto perniciosius, quanto scientius*.

II.

Deinde asserimus in casu necessitatis, licite a quocunque ministro, etiam excommunicato & hæretico recipi sacramenta Baptismatis, & Pœnitentiæ. Probatur 1. ex decreto Unionis Eugenii IV. tom. XIII. Concil. pag. 535. ubi hæc leguntur: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo &c.* II. Tridentinum Concilium sess. XIV. cap. 7. habet: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis casibus & censuris absolvere possunt*. III. Augustinus posteaquam lib. VII. de Bapt. cap. 52. scripserat inutiliter extra Ecclesiam suscipi sacramenta, excipit necessitatis casum, dicens: *Nisi forte accipiendi necessitas urgeat, & accipientis animus ab unitatis vinculo non recedat*. Diserte etiam libro 2. cap. 2. *Nam si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace catholica custodita per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate accepturus; si statim etiam de hac vita emigraverit, non eum nisi catholicum deputamus*. IV. Suffragatur manifesta ratio. Fidelis quippe non debet privari remedio summopere necessario ob ministrorum improbitatem: neque cedere debet in detrimentum suscipientium, quod est tantummodo pœna improborum ministrantium.

III.

Tertio loco dicimus licite e proprio Parocho, quantumvis flagitioso, dummodo toleratus sit, Sacramenta peti, ac recipi. Probatur primo, quoniam quisquis utitur jure suo, non inducit alterum in peccatum. Dum vero quis petit Sacramenta a Parocho, utitur jure suo. Igitur non inducit ipsum Parochum ad peccatum. Valet hoc argumentum, si nullus alius minister commode haberi queat. Confirmant probationem istam Theologi variis exemplis, v. g. creditoris, qui pecuniam suam licite judicio repetit, tametsi sciat debitorem pejeraturum; pauperis, qui licite petit ab avaro pecuniam, quamvis non ignoret sibi cum usuræ onere commodandam: & ejus, qui gravi impellente causa exigit juramentum ab infideli, quem novit falsa numina invocaturum in testes. II. Probatur ex cap. *Sciscitantibus*, XV. q. 8. ubi Nicolaus ad consulta Bulgarorum cap. 71. respondet: *Idcirco ab eo* (idest presbytero in adulterio deprehenso) *usquequo judicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est*. Et infra, *Sumite ergo intrepidi ab omni Sacerdote Christi mysteria*. Idem habetur cap. *Vestra devotio*, Extra de cohabitatione Clericorum, & mulier. Vide & constitutionem Mart. V. *Ad evitanda scandala*, innovatam etiam a Concilio Basileensi sess. XX. III. S. P. Augustinus præcit. cap. LII. libri VII. de Baptismo inquit: *Illi vero qui sic sunt in magna domo, tanquam vasa in contumeliam, & inutiliter habent baptismum,*

& se

& se imitantibus inutiliter tradunt ; illi porro ab eis utiliter accipiunt , qui non ipsis corde atque moribus , sed sanctæ domui copulantur . Cum igitur ministri mali sint in sancta domo, & possint licite deponentes malitiam Sacramenta administrare, ac si Parochi sint, ad hoc munere suo teneantur, cur ab his Sacramenta petere non potest quisquis jus habet eadem petendi?

I V.

Insuper affirmamus etiam a ministro concubinario, imo & excommunicato a jure, si justa adsit ratio, licite suscipi Sacramenta, quotiescunque sententia a Judice denuntiata & publicata non constiterit ei sacrorum mysteriorum inhiberi dispensationem. I. Quoniam laudato cap. *Vestra devotio*, Lucius III. controversiam hanc dirimens, inquit: *Ceterum aliud crimen est notorium, aliud occultum. Notorium definitur, de quo presbyter canonice condemnatur: occultum quod adhuc ab Ecclesia toleratur. Item aliud est a talium officiis abstinere, ut peccandi licentia ceteris auferatur, & hujusmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur; atque aliud, si tanquam falsa in fornicatione jacentium talia mysteria respuantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quod a clericis, & presbyteris, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, nec est crimen evidens, licite audiuntur divina officia, & alia recipiuntur Ecclesiastica Sacramenta.* II. De excommunicatis in prælaudata Constit. Martini V. definitur, nemini Christifidelium ab eorum communione, & Sacramentorum administratione, vel receptione abstinendum, *nisi censura, vel sententia fuerit facta contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, aut certam personam, a judice publicata, vel denuntiata specialiter expresse*. Excipit Summus Pontifex sacrilegam manuum injectionem in clericum, *quæ nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari*. III. Idem constat ex cap. *Sciscitantibus*, de quo supra, ut liquet ex illa particula, *usquequa judicio Episcoporum reprobetur*.

V.

Asserimus denique casum necessitatis, in quo fas est a quolibet ministro ab Ecclesie segregato sacramenta suscipere, esse proximum periculum mortis, nec alia Sacramenta licite in eo casu ab hæreticis peti, aut recipi, præter duo summopere necessaria, baptismum, & pœnitentiam. Pars prima traditur ab Augustino lib. VI. de Baptismo cap. V. num. 7. ubi quærens quando baptismus salubriter accipiatur a separatis, inquit, *aliqua necessitate mortis urgentis*. Si tamen loquamur de ministro ab Ecclesia tolerato, sufficit quælibet necessitas quæ censeatur gravis, ut constat ex præcedentibus, docentque cum Suaresio in 3. p. q. 65. art. 1. disp. XVIII. sect. 1. Theologi complures: ejusmodi necessitas est E. G. in Paschate recipiendi Eucharistiam, cum alius Sacerdos probus non adsit, qui spiritualia subsidia populo exhibeat. Altera pars constat, quoniam sine aliis Sacramentis possumus e vita discedere absque ullo æternæ salutis dispendio. Hinc diximus supra lib. 3. Dialog. cap. 35. laudari a Magno Gregorio Sanctum Hermenegildum, qui accipere noluit ab Ariano Episcopo sacrilege consecratam Eucharistiam. Pari constantia Moyses Monachus recusavit manuum impositionem a Lucio Episcopo Ariano, ut narrat Sozomenus lib. VI. H. Ec. cap. 38. Socrates lib. IV. cap. 29. ac Theodoretus lib. IV. cap. 15. Idem de Antiocho nepote Eusebii Samosatensis, qui renuit consecrari ab Arianorum Antistite Joviniano, scribit cit. lib. IV. cap. 15. Cyrensis Episcopus Theodoretus.

At non posse a quocunque ministro improbo, etiam parocho, & in casu necessitatis, peti, aut recipi Sacramenta, suadere videntur objectiones istiusmodi. Prima est: Qui a tali Sacramenta petit, illi est scandalo, eique præbet spiritualis ruinæ occasionem: ac propterea lædit caritatem. Afficit quoque gravi injuria Sacramentum, quod sinit irreverenter, manibusque sacrilegis contrectari. Consimilis est quæ sequitur: Est impium & illicitum malo alterius cooperari, ut initio diximus cum Apostolo. Cooperatur autem ministrantis sacrilegio, qui sumit ab ejus manibus divina symbola. Tertia parum absimilis: Qui petit Sacramenta a facinoroso, ipsum inducit in peccatum. Id vero scelestissimum est, ac iniquissimum. Quarta: Pro vita temporali proximorum tenemur aliquando vacare ab operibus pietatis, V. G. sacrum omittere, ut non deseramus periclitantem infirmum. Igitur tenemur multo magis a Sacramentis abstinere, quamvis id fieret cum propriæ utilitatis dispendio, ut avertamus spirituale damnum a sacris ministris. Proxima ejusdemque generis: Spirituale bonum ceterorum propriæ utilitati præferendum est. Postrema: Eadem est parochi, & alterius sacrilegi ministri ratio, præsertim si paratus sit ad ministrandum, & quod ille agit ex officio, ille sponte exequatur; utrobique enim sacer minister sacrilega functione polluitur. Si ergo nefas est Sacramenta recipere extra necessitatis casum a facinoroso Sacerdote non parocho, ea neque a parocho sceleribus contaminato erunt suscipienda.

Resp. ad 1. scandalum, & occasionem spiritualis ruinæ non dari a petente Sacramenta, qui utitur jure suo, si petat a parocho; sed esse scandalum ab ipso acceptum, qui voluntaria perversitate sancta mysteria indigne contrectat. Quotiescunque enim aliquis æquum postulat, rei autem, quam petit, annexum est crimen non suapte natura, sed ex voluntaria malitia alterius, non est scandalum impie oblatum, sed perverse acceptum; ut constat productis exemplis eorum, qui ab iniquo fœneratore flagitant urgente causa pecuniam, aut juramentum exigunt ab infideli. Petunt enim quod suapte natura æquum est, & habent jus petendi: crimen vero conjunctum actioni opus est alterius inique reddentis quod juste petitur. Ob eam rem qui utitur jure suo non lædit caritatem, non cooperatur per se & directe alterius culpæ, nec ministrantem in peccatum inducit. Atque his diluitur etiam secunda & tertia objectio. At ad quartam dicimus latum esse discrimen inter improbum ministrum, & hominem ægrotantem; ille enim voluntate sua improbus est, hic autem succumbit naturali imbecillitati: ille habet in suo arbitrio delinquentis animi medicinam, iste quærit ab altero ægrotantis corporis adjumenta: illius denique morbus malitia est, hujus autem naturalis conditio. Ad quintam eadem, ac ad primam, valet responsio: siquidem spirituale damnum nullatenus intenditur a petente spiritualia subsidia; & si quid labis est in horum dispensatione, id pendet a ministrantis malitia. Ad postremam dicimus Parochum teneri ex officio ad Sacramenta gregi suo administranda, & ab illo hæc jure peti; quod non tenet de Sacerdotibus aliis. Si tamen hi parati sint ad administrationem Sacramentorum, ad quam ex officio non adstringuntur, licite ab his Sacramenta recipi, scribunt nonnulli cum Hadriano quæst. 3. de Baptismo, quoniam tunc recipiens non inducit petendo ad sacrilegam actionem, sed ad hanc improbi Sacerdotes sese perversa voluntate determinant; ut in exemplis allatis. Verum eadem exempla, lex charitatis, & exhibenda sacris mysteriis reverentia postulant, ut si adsint ministrantes alii, nec urgeat necessitas, etiamsi ministri improbi præsto sint, utamur ministerio aliorum; ut docent Cajetanus, Soto, Suarez, & alii, quibus subscribimus.

CAPUT XVI.

De intentione Ministri.

HAud levem, nec parvi momenti disputationem aggredimur, de necessaria in Sacramentis conficiendis ministrantium intentione: probitatis namque defectus reddit eos tantum sacrilegos; at si intentio desit, nullum, irritumque redditur Sacramentum. Neque cum hæreticis solis ineunda est disceptatio; verum etiam cum Orthodoxis nonnullis eruditionis ornatu, nominisque celebritate conspicuis, domesticis quoque, nobisque etiam singulari benevolentia conjunctis: at veritatis amor inter probos honestosque in ipso opinionum conflictu non dissidia parit, sed vinculo tenaciori constringit necessitudinem. Exponendum est autem primo quid sit intentio, tum discrepantes sententiæ recitandæ sunt, pugnandum postea adversus heterodoxos, demum cum adversariis reliquis congrediendum.

Intentionis nomine nihil aliud hoc loco intelligimus, nisi voluntatis propositum, ac deliberationem, qua rem aliquam peragere volumus. Quamvis hæc deliberatio, utpote ex animo proficiscens, semper interior sit; eam tamen ob externam actionem, qua se prodit, *externam* aliquando appellamus. Externa hæc intentio forinsecus per actionem manifestata, aut sincera est, & tunc quod opere exercetur, intenditur animo: aut est simulata, & tunc aliud completur opere, aliud in cogitatione versatur. In hac præterea simulatione vel actio exercetur serio, ut nemo latentem animum introspiciat, ut si hypocrita ostentet devotionem, atque pietatem: vel mimice & irrisorie, ita ut quisque irridentis animum deprehendat, veluti dum histriones agunt in theatro personam regis, aut dum crucifixores Domini genu flexo ei illudebant, dicentes: *Ave Rex Judæorum*. Profecto fieri nequit, ut hæc exterior simulatio, sive serio peragatur, sive irrisorie, ab intentione interna, ac proposito animi non procedat: qui enim simulat, nisi vesanus sit, & absque ratione ac libertate operetur, ut pica vel simia, vult simulare; & qui irridet, vult irridere. Internam igitur intentionem, ut distinguatur ab externa, non possumus aliam percipere, nisi sinceram illam, per quam operans non tantum serio exercet externum actum, verum etiam interno proposito vult agere quod exercet. Externam vero intentionem dicimus, quæ conjuncta est cum simulatione vel occulta & latente, ut in hypocrita, vel patente & externa, ut in irrisore vel mimo.

Est ergo sententia hæreticorum, valere Sacramentum non solum cum simulatione collatum, verum etiam cum irrisione & subsannatione, & si fieri posset, absque ulla ministrantium deliberatione ac proposito, puta si baptizaret, aut consecraret demens, vel ebrius. Radix hujus perversæ assertionis est, quia in sententia Novatorum justificat sola fides suscipientium, & ideo quomodocumque

exhibeantur signa excitantia fidem, ea suscipiens, si credat, eaque inspiciat tanquam oppignorationem & sigillum promissionum divinarum, adipiscitur justificantis gratiæ beneficia. Non male hac in parte in Hist. Concilii Tridentini Paulus Sarpi lib. 11. pag. 275. scribit, *Lutheranorum non valde interesse, an vera Sacramenta percipiant, quod nullam aliam virtutem iis adscribant, quam excitandi fidem, quæ alia quoque ratione posset excitari, ideo asserere Sacramenta non esse necessaria, nec concedere malitiam impii ministri posse nocere, quando illi animus non est Sacramenta vere conferendi, cum ad id respiciendum sit quod fidelis recipit, non quod a ministro ei donatur.* Nec solus id asserit sublestæ fidei scriptor Polanus: eadem confirmat apud Pallavicinum lib. IX. cap. VI. num. 3. noster Seripandus. Hinc Lutherus in lib. de Captivit. Babilonica rationem proferens cur intentio ministri non requiratur, *Non enim*, inquit, *in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide, vel usu sita est virtus baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato.* Similia scribunt Calvinus in Antidot. Concilii Trid. sess. VII. can. 11. Kemnitius in Exam. ejusdem canonis, & Novatores alii: & quamquam Kemnitius ibidem videatur execrari lusum, & mimicam subsannationem, in quantum est sacrorum mysteriorum profanatio; idem tamen Novatorum omnium sensus est, ludificationem & irrisionem non officere Sacramentorum virtuti, quoniam eorum singulis elte insidet pestilentissimum dogma, quo asserunt pendere virtutem illam a fide suscipientium, non ab intentione ministrentium. Atque adversus hanc sententiem Ecclesiæ anathemate reprobatem pugnant Catholici omnes efficaciam gratiæ Sacramentis ettribuentes.

At nonnulli, quorum princeps est Catharinus, Ordinis Prædicatorum insignis Theologus, Minorensis primum, deinde Compsensis Præsul, verentes ne si dicatur ea pravà intentione ministri posse irritari Sacramentum, quod ad producendam gratiam efficax est, & sine quo rarissime occurrit, ut homines justificentur, consequatur ab insigni hypocrita & incredulo, fovente in animo intentionem aliud omnino faciendi quam quod facit Ecclesia, nec baptizari puerulos, nec Eucharistiam consecrari, nec impendi pœnitentibus absolutionem; ad incommoda hæc evitanda affirmevere, nihil obesse Sacramentorum virtuti, si minister occulta mente gerat intentionem Ecclesiæ contrariam, & intendat animo irrisorie sacrementa conficere, dummodo intendat facere externum ritum, idest, adhibere materiam & verba proferre, & dummodo exterius serio, omnique semoto joco se gerat. Ita Catharini sententiam explicat strenuus illius vindex Hyacinthus Serry in Op. de intentiona ministri cap. V. pag. 29. ejusque perpolitus & eruditus affinis de Re Sacrementaria lib. 1. q. 6. cap. 3. sect. 2. In hac sententia Catharinus, etiamsi contendat valere Sacramentum, dum minister fovet animo oppositam voluntatem, qua intendit derisorie illud peragere, nec vult sacrum esse quod facit; necessarium tamen agnoscit deliberatum animum, sive intentionem ponendi actum illum externum; quippe, ut præmonuimus, nemo, nisi sit pice, vel fungus, facit quod facere non intendat: quare ipsemet Catharinus in Opusculo de intent. minist. inquit: *Quid ergo facit Ecclesia per ministros baptizando? nisi quod legitima utitur materia adhibens suam verborum formam: hoc igitur si facit minister, profecto illud facere intendit, si sit mente sanus. Quis enim vigilans faciat aliquid, quod facere non intendat?* Ita Catharinus profitetur se adstruere necessitatem intentionis faciendi quod facit Ecclesia, nec recedere a definitione Synodi Tridentinæ hanc intentionem adversus hæreticos præscribentis.

Non eadem est de sententia Catharini Scriptorum opinio. Arbitrantur quidam Theologum illum ratum habuisse Sacramentum, quod fit cum intentione illa externa celebrendi Ecclesiæ ritum, etiamsi non intendat ministrane effectum baptismi spiritualem, eosque irrideat, qui existimant ritum illum esse religiosum & sacrum; nusquam tamen docuisse validum esse Sacramentum, quod perficitur per simulationem externam, aut etiam internam, qua minister retineat propositum animi sui, & intendat externum ritum fingere ac simulare. Enim vero, inquiunt, diserte Catharinus se explicat scribens: *Non alia intentio ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia, quamvis ipse neque credat esse Ecclesiam, neque ullum baptismi spiritualem effectum.* Et quamquam Catharinus videatur asserere ratum Sacramentum, quod perficitur per internam irrisionem, *irrisionis* nomine, inquiunt, non significat intentionem, qua minister vult simulare actionem, quam exterius perficit; sed intentionem, qua non intendit effectum Sacramenti, nec Sacramentum ipsum, ut rem sacram, ac religiosam, sive *formaliter* ut Sacramentum. Ac sententia Catharini sic a Vasquesio in 3. partem disp. 138. num 20. explicata, tolerabilis est, ac parum distat a communi; eamque moderatione ista adhibita propugnat Honoratus Tournely Quæst. VII. de Sacram. in genere, art. 1. concl. 2. pag. edit. Ven. 154.

At qui in partes Catharini descenderunt, eumque vindicandi suscepere provinciam, præsertim duo superius commemorati Dominicanæ familiæ viri celebres, & qui ante istos in hoc argumento stilum exercuit Vincentius Contensonius dissert. 2. de Sacram. pag. 159. ita intentionem externam propugnarunt, ut ratum Sacramentum illud dixerint, in quo ministrans serio adhibens externum ritum, habet in animo contrariam voluntatem Sacramenti penitus irritandi, sive etiamsi apud se decernat dicens, *Nolo baptizare, nolo consecrare, nolo absolvere, nolo facere hunc ritum ut sacrum, nolo esse Sacramentum*; sive etiam si interius suam intentionem retineat, geratque in animo voluntatem omnino contreriam, modo occulta sit, nulloque externo signo se prodat. Atque hæc est sententia expressa etiam nostri Farvacquesii cap. VI. de Sacramentis in genere, q. 3. Florentii de Cocq Tract. VII. sect. 3. Du-Hamelii disser. 11. cap. 4. Gasparis Juenin quæst. VI. cap. 2. art. 3. ne commemorem Joannem Mariam Scribonium, Alphonsum Salmeronem, & superioris ætatis quosdam alios. Profecto in horum sententia Sacramentum ratum est, quamvis perficiatur interna irrisione, & ministrans decernat in animo fingere ac simulare: quod, ni fallor, distat plurimum a sententia Catharini, prout exponitur a Vasquesio, & Tournelio, ut ex dictis conjicitur. Ego tamen quisnam horum melius Catharini mentem scrutatus fuerit, nec definire audeo, nec disputare existimo necessarium; tametsi ex ipso Catharino suaderi posset illum consentire vindicibus suis, ac postremæ sententiæ assertoribus. Postquam enim in Opusculo de intentione pag. Rom. edit. 205. definiit talem requiri in ministro intentionem, *ut intendat facere quod Christus & Ecclesia facit, etiamsi ipse nihil credat fieri*, quibus verbis e communi sententie nulla ratione discedit; proponit quæstionem, quam illo opusculo aggreditur, satis ne sit, ut completum dici possit baptismi Sacramentum, *si minister omnia exterius faciat, quæ jubet Ecclesia, intus autem aliud servet in animo, ita ut intendat derisorie baptizare.* Quibus sane verbis non solum affirmat consistere Sacramentum cum mala fide ministri nihil credentis fieri, quod paulo supra recte statuerat, verum etiam significat institui a se disputationem de ministro, in quo præter malam fidem de Ecclesiæ Sacramentis eorumque effectu, sit etiam simulatio, derisio, & contraria animi deliberatio. Dum etiam pag. 208. ait se probare duntaxat necessitatem intentionis illius, quæ ab externo ritu separari non potest, & qua *impossibile est eum, qui ex industria lavat puerum, non habere intentionem lavandi si lavat*, videtur asserere, quod non officiat Sacramentorum validitati quælibet intentio contraria, quæ cum externa administratione serio peracta componi queat, ideoque nec propositum illud simulandi & fingendi, quod non se prodat exterius: istud namque potest simul esse cum externa functione, ac ludibrio, quod non se prodat forinsecus. Ex quo duo, me quidem judice, consequuntur: unum Catharini placitum haud satis accurate e Tournelio exponi, & perperam emolliri; alterum quæstionem hanc non esse parvi momenti, & puram putam logomachiam, ut juniores quidam autumant, ea ducti ratione ab ipso Catharino deprompta, quod nemo sui compos facit externum opus, ni velit facere: potest quippe contingere, ut minister adhibeat materiam, & formam tali externo habitu, ut nemo deprehendat latentem perfidiam, qua sic statuat in animo, *Nolo baptizare, nolo absolvere*; sitque in extrinseco opere actionis honestas, in corde autem jocularis ludificatio.

Sententia hæc ad mentem auctoris exposita notetur a quibusdam acerba censura. De illa Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 27. hæc habet: *Quæ opinio non video quid differat a sententia Kemnitii & aliorum hæreticorum, nisi quod Catharinus in fine opusculi subjicit se Apostolicæ Sedi, & Concilio, illi autem rident utrumque.* Joannes Cardinalis de Lugo disp. VIII. de Sacram. sect. 2. ait rejici illam ab omnibus Theologis, *& ab errore damnato non multum distare.* Franciscus Sylvius in 3. p. q. 64. art. 8. tametsi non meminit Catharini, statuit thesim illi contrariam, *Non sufficit intentio operis externi*, cum hoc titulo, *Conclusio* 11. *etiam ad fidem pertinens.* Ipse Tournelius, *Si qui sint inter nostros Theologos* (inquit) *qui Catharini & Salmeronis mentem aliter interpretentur, & existiment satis esse ad veritatem Sacramenti, quod minister serio exterius ritum Ecclesiæ observet, tametsi interius nolit illum reipsa facere, sed tantum simulare ac fingere, eos rejicimus, eorumque sententiam ab errore Novatorum damnato vix distare arbitramur.*

Nobis autem ab hujusmodi judicio abstinendum omnino est, donec accedat expressa Sedis Apostolicæ definitio. Sunt enim plura, quæ ab istiusmodi criminatione nos removent, inter quæ principem tenet locum tenuis nostra in Theologorum consessibus auctoritas. Accedunt adversariorum nomen percelebre, & Opera eruditionis plenissima, quæ si in hac parte ab omnibus non probantur, non tamen fuerunt hactenus supremo judicio castigata & proscripta. Serrius præterea scribit pag. 33. sententiam hanc anno 1649. Romæ publice propugnatam e Zacharia Pasqualigo in sacra morali Doctrina disp. 72. sect. 4. ac pag. 109. etiam jurejurando testatur sibi Consultores, ac Præsules primæ notæ, cum anno 1690. Alexander VIII.

damna-

damnaret propositionem, de qua infra, num. XXXI. semel iteramque affirmavisse ea propositione contineri aliud longe e Catharini systemate. Addimus judicium Pallavicini scribentis lib. IX. Hist. Concil. Trid. cap. 6. *Equidem existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos canones diserte damnatam: quapropter fas illi fuit affirmare eam Concilio non contradicere: quippe duos eximios scriptores Ordinis sui sequebatur, Petrum Paludanum, qui propensum animum in eam opinionem prætulit, & Sylvestrum Prieratem, cui pariter post Florentinam Synodum probata est.* Observat quoque Eminentissimus Scriptor non deesse, qui eamdem opinationem adscribant Sancto Thomæ: quod postea conati sunt data opera confirmare Contensonius, Farvacques, Serry, Juenin, Le-Druin. Duo præterea sunt in ipsa dissertatione Catharini satis obvia, quæ manifestant ipsius e Novatoribus discrepantiam, videlicet, quod Catharinus admittit necessitatem intentionis faciendi ritum externum, Hæretici totum justificationis negocium tribuentes fidei, frustraneam putant qualemcumque ministri deliberationem; & quod Hæretici probent etiam Sacramentum externa subsannatione collatum, Catharinus vero id apertissime neget. Quare Catharini sententia nihil affinitatis habere cum damnato dogmate Novatorum evidenter convincitur: & si nos aliquando conabimur contrarium ostendere, attendenda erit vis ratiocinationis, non censorii judicii severitas, & acrimonia. Etsi autem ab omni animadversione judiciique censura abstinemus; indubitatum est Catharini sententiam, at propugnatur e prælaudatis Scriptoribus, male hac ætate audire, adversam communi approbatione teneri, theses solam intentionem externi ritus adstruentes, non solum per Ordinarios locorum, verum etiam per Romanos censores, ac Præsules dispungi, & cum hoc labente anno 1741. die 7. Aprilis quidam in Archigymnasio Romano in solutione objectorum ad art. 8. quæst. LXIV. 3. p. S. Thomæ eadem opinatione uteretur, commotis Præsidibus, coactum in ipso actu Doctoralis laureæ capessendæ ad communem receptamque confugere. Pro hac vero, quoniam illustriores adversarios nuper recensui, ex medii ævi Theologis legi poterunt Bellarminus, & de Lugo citato loco, Vasquesius, & Suarez in præcitatum art. S. Thomæ, Gonet Tom. V. disp. 6. art. 2. Salmanticenses disput. VII. de Sacram. dub. 2. §. 2. Merbesius in Summa p. III. q. 13. & Fridericus Gevardi Tom. VI. quæst. V. art. 2. Hi namque non solum de intentione singillatim pertractant, verum etiam data opera oppugnant Catharini systema. Eamdem provinciam ex proximioribus ætati nostræ susceperunt Claudius Frassen Art. 3. q. 4. Antonius Boucat Tract. XI. art. 6. cap. 2. Ludovicus Hebert de Sacram. in gen. cap. 13. Auctor Theologiæ Moralis ad usum Semin. Petrocorensis Tract. X. de Sacram. cap. V. Card. Gotti Tom. XIIX. quæst. VII. dub. 4. Franc. Hanno disp. IV. q. 2. & ex nostratibus Leonardus Vanroy Tom. IV. Tract. 1. cap. 4. q. 4. & Aurelius Piette Tom. V. quæst. 4. cap. 5. necnon alii, e quibus recensendis supersedeo.

His ego adhærens prænotandum censeo Theologorum neminem requirere, ut Sacramentorum minister credat actionem, quam peragit, esse revera sacram, ac multo minus ut credat ea actione infundi gratiam, & remitti peccata. Si enim istiusmodi intentio foret necessaria, nunquam Pagani, & qui Sacramentorum virtutem aut ignorant, aut negant, valide baptizarent. Fides ergo ab intentione sedulo est distinguenda. Fieri enim potest, ut quis intendat sacrum administrare lavacrum, quomodo Christus instituit, & quomodo fit in Christi Ecclesia; nec tamen putet hoc lavacro deleri noxam originariam, ut non putat sectator Pelagii, imo nec existimet Christum esse Deum, & esse humani generis reparatorem, ut Arianus & Socinianus, necnon arbitretur Romanam Ecclesiam servare impiam superstitionem, quemadmodum Calvini, & Lutheri gregarius: atque in hac hypothesi, quoniam licet desit fides, adest intentio, & quidem intentio faciendi quod facit Ecclesia Christi, ratum est Sacramentum. Contingere deinde potest, ut sive credat minister, sive non credat, tanta præditus sit animi perversitate, ut intendat fingere ac simulare, ac celebrare tantum externam sacri lavacri functionem: idque etiam eveniet, aut externam hanc functionem simulando mimice, & nota omnibus ludificatione, quo in casu valere baptismum affirmet solus hæreticus; vel simulatione occulta, & contraria voluntate latente; in qua hypothesi irritum esse Sacramentum existimamus. At nunc controversiæ statu prolixa exposito, tribus assertionibus id, quod proposuimus, expediemus.

PROP. I. Ut Sacramentum ratum sit, necessaria est intentio Ministri, qua non irrisorie & mimice operetur, sed revera proponat in animo facere quod facit Ecclesia.

Assertio hæc principio demonstratur Ecclesiæ definitionibus. Ac primo Concilium Constantiense celebratum anno 1418. Intentionis necessitatem supponit, dum sess. 45. & ult. Martini V. Constitut. præscribit, ut de hæresi Wiclefi suspectus specialiter interrogetur, *Utrum credat quod malus Sacerdos, cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, & vere conferat alia Sacramenta.* Florentina Synodus, & Eugenius IV. in decreto Unionis anno 1439. communem ac veterem Ecclesiæ sententiam proponendo declararunt Sacramenta omnia tribus perfici, *videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramenta cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Leo Decimus anno 1520. in Bulla edita adversus errores Lutheri, proscripsit cum ceteris articulum 12. *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.* Concilium Tridentinum anno 1547. sess. VII. canone 11. approbans Eugenii IV. & Florentinæ Synodi statuta, *Si quis dixerit* (inquit) *in ministris dum sacramenta conficiunt & conferunt non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sess. etiam XIV. cap. 6. & canone 9. damnat expressa præcitatum Lutheri assertum. Concilium Bituricense anno 1554. doctrinam de Sacramentis juxta Eugenii decretum, & Tridentinas sanctiones exposuit: quod præstiterunt deinceps Synodi quæque, Catecheses, Moralis Theologiæ institutiones, & universorum Theologorum lucubrationes.

Confirmatur Catholica veritas traditione: quamvis enim veteres non adeo aperte de hac intentione locuti sint, quod nullus illam tam audaci temeritate negaret; Eugenius tamen IV. non doctrinam incompertam, atque nuper adinventam docuit Armenos, sed fidem orthodoxam & Apostolicam, neque oscitanter & perfunctorie, sed ut idem Pontifex in proœmio testatur, *multis adhibitis disputationibus, collocutionibus, & tractatibus; postque non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex sanctis Ecclesiæ patribus, & doctoribus deducta sunt, & earum, de quibus agebatur, rerum discussionem.* Est autem inviolatæ traditionis argumentum, ut vidimus lib. XXIII. cap. 5. quod tenat universalis Ecclesia, nec invenitur quando primum fuerit promulgatum atque institutum. Existimat quoque Sylvius hujus traditionis vestigium occurrere in Auctore sermonis de Cœna Domini inter Opera Cypriani pag. XCVI. Append. ubi de Euch. ejusque consecratione legitur: *Quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens.* Quo in loco Sylvius *fidei* nomine contendit intelligendam esse *intentionem*. Videtur tamen de proficua, non de valida Eucharistiæ benedictione ac sumptione loqui Scriptorem illum, atque hoc testimonio non adeo invicte retundi perfidiam hæreticorum.

Ad hanc frangendam deserviunt præterea novi Testamenti loca quædam. Unus depromitur ex Joannis XX. ubi legimus, *Quorum remiseritis peccata, &c.* quæ verba demonstrant Christum Apostolis suis dedisse potestatem absolvendi e peccatis. Unde Theologi ratiocinantur: Christus non solum instituit Sacramenta, verum etiam illorum potestatem tribuit discipulis. At potestas non est in iis rebus, quæ deliberatione, ac proposito carent, sed in causis liberis cum ratione, atque intentione operantibus. Si ergo Ecclesiæ ministri potestatem habent conferendi Sacramenta, vel ea denegandi, etsi non habeant potestatem conferendi gratiam, ut cum Augustino dictum est supra; non conferunt eadem Sacramenta, nisi agant libere, & adhibeant deliberationem animique propositum. Eruitur illinc probatio altera; si enim judex absque ulla deliberatione proferat sententiam, aut dormitans & mente alienus, aut manifesta irrisione, & ironice, nulla profecto est absolutio. Atqui in Sacramento pœnitentiæ minister judex est. Si ergo agat absque deliberatione animique proposito, minime absolvit. Petitur locus alter ex Epistola prima ad Corinth. cap. IV. 1. ubi Apostolus ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Quis autem dixerit dispensatorem atque ministrum, non serio, sed ludicre, & citra judicium, mentisque propositum operantem? Quis dixerit se gerere ut ministrum Regis hominem illum, qui histrionis indutus veste, aut in theatro insaniens, aut inter pocula ludens Principis nomine dispenset munera, & jura pacis bellique subsannatione pronuntiet? Revincitur itaque divinis quoque testimoniis hæreticorum inscitia.

Refellitur insuper monimentis Ecclesiasticæ Historiæ. Firmilianus enim Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, qui obiit apud Tharsum Ciliciæ anno 272. in Epistola inter Cyprianicas LXXV. pag. 306. falsam suam de iterando hæreticorum baptismate opinationem confirmare nitebatur, ex quo nemine Catholicorum renitente nullum fuerit baptisma collatum a muliere nequissimo spiritu exagitata, quamvis usitata & legitima verba ad deceptionem fidelium usurpasset. Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum, quem Hieronymus de Script. Eccl. appellat Flavianum, irritam ac nullam declarat ordinationem in Episcopum Novati, quod *homines simplicioris ingenii, temulentos & crapula oppressos adumbrata quadam & mani ma-*

ni ma-

ni manuum impositione, episcopatum sibi tradere per vim coegerit. Scripta est Cornelii Epistola circa annum 250. ac de ea Eusebius lib. vi. H. E. cap. 43. pag. edit. Vales. 241. Baronius ad an. 255. num. 24. & Lab. Tom. 1. Conc. pag. 674. Anno quoque 963. damnata est in quadam Romana Synodo inter cetera Joannis XII. flagitia ordinatio Diaconi in stabulo equorum derisorie peracta. Doctissimus P. Le Quien probat irritam ordinationem Matthæi Parkeri, qui anno 1559. invasit Archiepiscopatum Cantuariensem, eo quod in Londinensi taberna clanculum & umbratili ceremonia fuerit ordinatus. Et quamquam Godvvinus in Comment. de Præsulibus Angliæ pag. 218. Parkeri consecrationem perectam asserat in Cappella palatii Archiepiscopalis Lamethensis, fatetur tamen oppositum narrare Hardingum, Fitz-simonsium, aliosque, nec Parkerum consecratum negat *ritu in Ecclesia* Protestantium *recepto*. Sed de hac gravi controversia loco opportuniori.

Præterea demonstratur propositio argumentis ex Jure Canonico promptis. Primo enim Innoc. III. cap. *Majores*, de Baptismo, 3. definit, illum, *qui nunquam consensit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem percipere Sacramenti*: unde patet requiri intentionem ex parte suscipientis baptismum; ideoque scholastica methodo ita ratiocinamur: Nemo adultus suscipit Sacramentum, nisi intendat illud suscipere: igitur nemo Sacramentum confert, nisi intendat illud conferre, exhibeatque assensum saltam interpretativum. Item cap. *Sicut tua*, de Sponsal. decernitur, nullum in foro interiori esse Matrimonium, *in quo defuit contrahentium consensus*.

Accedunt probationes Theologicæ: quarum prima est, quod Sacramentorum administratio, ut decet eorum sanctitatem atque institutionem, actu peragi debeat humano, ideoque requirit intentionem, sine qua actus humanus numquam exercetur: qua argumentatione utuntur in iv. dist. vi. Scotus, Gabriel, Alexander Alensis, omnesque illis posteriores. Altera est ratio in 3. p. q. 64. art. 8. a S. Thoma producta, & ab omnibus recepta; quoniam quod est natura sua indifferens ad plura, debet per aliquod determinari. At baptismi levacrum suapte natura indifferens est, ut sit ablutio ludicra aut seria, sacra aut profana. Itaque voluntate, aut intentione ministrantium debet determinari. Neque enim istiusmodi determinatio haberi potest per solam prolationem verborum; siquidem ipsa verba, quibus Sacramenta perficiuntur, diversos usus, ac sensus habere possunt, E. G. *Baptizo*, potest significare naturalem ablutionem corporis, & mysticam, sacramque lotionem; ideoque ipsa verba per intentionem agentis debent ad unum determinari. Probatio tertia, eaque communis est, Ministros Sacramentorum esse quidem Christi instrumenta, sed non mortua, ac vitæ & ratione destituta, ut serra, malleus, & alia artificum adminicula. Instrumenta viventia sunt, & quidem libera, ac prædita sensu & ratione. At instrumenta hujus generis ita a causa principe moventur, ut eadem quoque moveant seipse. In conficiendis itaque Sacramentis ministri debent se intentione & consilio ad agendum movere. Quod urgere possent hæretici de verbi prædicatione, in qua ministri instrumenta Christi sunt, nec tamen ad verbi efficaciam ulla requiritur deliberatio prædicantis, id paullo post expedietur.

Denique corroboratur Catholica propositio absurdis e contraria sententia fluentibus. Nisi enim ad Sacramenti valorem necessaria esset ministri deliberatio, Pater ducens puerum ad balneum ob solam munditiam aut sanitatem corporis, si dum illum immergit, more Christiano, & invocato Trinitatis nomine eumdem tingeret, Deum invocans ut bene ei cederet corporalis ablutio, nihil vero cogitans de baptismo, insciens revera baptizasset esset. Idem contingeret, si in prætereuntem cathecumenum stultus e fenestra profunderet ad hominem irrigandum lagenam aquæ, joco pronuntians baptismi formam. Sacerdos item mensæ assidens, atque, ut fit in Monachorum conventu, perlegens Evangelium, dum pronuntiaret quæ de institutione cœnæ ibidem scripta sunt, consecraret panes omnes appositos, vinumque in phialas profusum. Si quis etiam conducens ancillam ea annuente diceret, *Accipio te in meam*, subintelligendo *famulam*, non *uxorem*, eamdem duxisset in conjugam. Contingeret idem in theatro, dum soluti mimice celebrant matrimonia. At de his legendus Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 6. cap. 13. necnon Bellarminus lib. 1. cap. 27.

AD OBJECTA HÆRETICORUM.

Opp. 1. Liquet ex Ecclesiastica Historia, probatum fuisse ab Alexandro Episcopo Alexandriæ baptismum a S. Athanasio adhuc puero, & prope litus maris pueriles lusus exercente, puerulis aliis cathecumenis, ac nondum initiatis collatum. Nec dici potest functionem illam Athanasium sario animo, consilioque perfecisse, aut tum temporis juvenem fuisse, atque adultum ætate. Socrates enim lib. 1. cap. xv. pag. edit. Valesii 44. refert ea Rufino *admodum fuisse puerum, cum pueris æqualibus lusisse, hunc lusum fuisse imitationem Collegii sacrorum virorum, atque Athanasium ludo Episcopi dignitatem sortitum, alios Presbyteri & Diaconi partes*. Quæ si lusus non sunt, quid sit lusus ignoro. Probasse autem Alexandrum collatum a puero Athanasio baptismum narrat Sozomenus pag. ejusdem edit. 466. lib. 2. cap. 17. Nicephorus lib. viii. pag. 44. pag. 635. Ipse Nicephorus lib. iii. cap. xxxvii. pag. 277. narrat ævo suo contigisse, ut quidam pueri per ludum hebræum pariter puerum ad mare stantem baptizarent, pro cereo eum armantes tenui ligno, factoque ei imaginario amictu ex discissa extremæ vestis textura. Atque hæc pariter ceremonia a Constantinopolitano Præsule fuit approbata. Addunt decantatum Genesii baptismum, ei collatum circa annum 286. dum quadam die vellet Diocletiano Imperatori ludum exhibere de Christianæ observantiæ mysteriis. Et quemquam Genesii factum in dubium revocent Critici; de eo dubitare non sinunt genuina Acta Martyrum a Ruinartio collecta, pag. Veron. edit. 236. Addunt nonnulli exemplum Dioscori cujusdam Architheatri, qui baptismum suscepit in theatro tota nugacitate ludens, sacrisque mysteriis sacrilege insultans, ut colligitur ex Epistola Augustini 227. olim 67. ad Alipium.

Resp. nihil præsidii ex hisce historiis accedere heterodoxis. Ad Athanasium enim quod attinet, respondent quidam Alexandrum non fuisse inauguratum Episcopum Alexandrinum, nisi anno 321. ex Hieronymo in Chronico. Cumque Athanasius anno 325. jam consecratus Diaconus, & doctrinæ fama percelebris interfuerit Nicænæ Synodo, inde proximo anno 326. loco Alexandri jam vita functi ad Sedem Alexandrinam fuerit evectus; consequitur ipsum Athanasium initio Episcopatus Alexandri non fuisse puerum, sed adultum ætate; ideoque historiam hanc haberi ab eruditis pro puro putoque commento. Nos grandi quidem suspicione historiam istam laborare fatemur, sed miramur viros multæ eruditionis Chronicon Hieronymianum obtrudere. Quamquam enim eo in Chronico dicatur Alexander Ecclesiæ Alexandrinæ ordinatus Episcopus anno 1. Olympiadis 275. & Constantini xv. qui annus concurrit cum anno Christi 321. & cum sequenti 322. ut liquet ex edit. Scaligeri pag. 181. immo juxta editionem Auberti Miræi prædicta ordinatio non contigerit ante annum 324. inauguratio autem Athanasii anno 333. est nihilominus vera sententia eorum, qui scribunt Alexandrum renunciatum Episcopum anno 313. ut docent Pagius ad an. 311. num. 25. & PP. Mauro Benedictini in Vita Ath. pag. 11. Etenim S. Petrus Alexandrinus ex Eusebio in fine lib. vii. H. E. pag. 290. capite truncatus est *anno persecutionis nono*, idest, 311. die 25. Novembris. At Ecclesia Alexandrina post martyrium Petri anno uno vidua permansit: inauguratus post annum Alexandrinus Præsul Achillas, qui mensibus duntaxat quinque supervixit; ac tum electus Alexander, ex Gelasio Cyziceno lib. 2. Hist. Conc. Nic. cap. 11. Potuit ergo Athanasius anno 313. ac primo Episcopatus Alexandri esse *admodum puer, ac impuber*, ut ex Rufino narrant Socrates, ac Sozomenus. Agebat tamen eo temporis Athanasius annum ætatis suæ duodavigesimum, quoniam consecratus est Episcopus anno 326. jam annorum saltem triginta, ex communi fere consensu; nunquam enim ei ab Arianis objectum legimus, quod junior arripuisset Episcopatum, ut de Pauliniano Hieronymi fratre narratur; ac propterea Athanasium natum circa annum 296. recte affirmant recentiores. Revere itaque factum Athanasii laborat suspicione. Si gratis admittatur, dico Alexandrum, qui sane tali non erat ingenio, ut tam seria in re ludum puerorum rerum haberet, accitos ad se adolescentulos, eorumque perspecta indole, *putasse ex eo quod gestum fuerat aliquid singulis prænuntiari*; unde jussit pueros educari in Ecclesia, & literarum studiis erudiri, ac præcipue Athanasium. Hæc Socrates, nihil habens de probato ab Alexandro baptismate. Si istud approbatum contendas, dico Rufinum primum hujus historiæ scriptorem narrare Alexandrum diligenti puerorum interrogatione comperisse quomodo illi *omnia secundum religionis nostræ ritum* servassent; & licet omnia recreationis animo & puerilis oblectationis causa fecissent, habuisse tamen intentionem faciendi, *quæ per Episcopum in Ecclesiis geri mos erat*. Quapropter prænuntiatus baptismus dicitur *per ludum* peractus comparate ad pueriles oblectationes, & ad assumptam ab Athanasio dignitatem Episcopi, non comparate ad ejus intentionem Catechumenos baptizandi.

Factum alterum ejusdem naturæ est: etenim Nicephorus ait puerum illum hebræum principio non fuisse invitum, & baptismo initiatum cum ceteris templum ingressum accepisse divinum munus. Constantinopolitanus antistes re per diligentem inquisitionem cognita pueros, etiam Judæum, ad se venire compulit, isto autem interrogato, decrevit, *ut etiam in illo quod deesset juxta mysterii executionem compleretur*. Ita Historicus: quorum verborum duplex sensus esse potest; decrevit ut baptizaretur, quia jam annuerat; aut, decrevit ut confirmaretur, quia pueri veram intentionem habuerant, tametsi tamquam finem ludum sibi, atque oblectationem proposuissent.

Ad Ge-

Ad Genesium quod attinet, ejus quoque baptismum critici accensent fabulis. I. ob Scriptorum in facto narrando dissonantiam; nam Ado Viennensis ait Genesium baptizatum a Christiano Sacerdote in scenam inducto: alii baptizatum tradunt ab altero mimo; alii denique ab Angelo. II. ob illiusmodi narrationum ineptias; inverisimile quippe est Sacerdotem Christianum mimi rogatu conscendisse theatrum ac ludentibus operam suam locavisse; nec minus est inverisimile, angelum inter scenicos ludos exercuisse histrioniam, aut mimum admonuisse, ut serio baptizaret Genesium, cum potius admonendus esset, ut a re sacra in theatro facienda abstineret. Hæc critici. Verum ex præcitatis Actis martyrum Ruinartii constat Genesium repente Deo inspirante credidisse, & *evocato presbytero & exorcista* baptizatum, completisque Sacramentorum mysteriis veluti per ludum raptum a militibus, & exhibitum Diocletiano, cum vere profiteretur Christianam fidem, fustibus cæsum, & a Plantiniano præfecto decollatum. Si evocatum dixeris presbyterum & exorcistam in medium theatri, dico appellari *presbyterum & exorcistam*, qui mimice horum induerant personam: quis enim evocasset ad sacrorum mysteriorum irrisionem imbutos Christi fide ministros? At in eo casu affirmo Genesium non illa ablutione, sed fide, ac martyrio consecutum fuisse salutem. *Si* evocatos arbitraris ministros sacros, sive mala intentione tyranni, ut perciperent qua irrisione mysteria agerentur nostra, sive ab ipso Genesio, extra theatri locum profecto; quid tali in casu desideretur intentionis, non video. Ex æquivoco illo *presbyteri* vocabulo factum puto, ut quidam a mimo, quidam a sacerdote baptizatum Genesium existimaverint. Prudentissime in Romano Martyrologio repentina Genesii conversio, ac martyrium describitur die 25. Augusti, silentio missis baptismi ministris. Tenuit eumdem stylum Baronius ad annum CCCIII. num. 118. quamvis incaute Pagius ad hunc annum, num. x. scribat Baronium in Annal. de hoc Genesio nullum prorsus habere verbum.

Dioscorus, de quo Augustinus epist. 221., non *Architheater* erat, sed *Archiater*, ut legendum ex mss. melioris notæ observarunt PP. S. Mauri. Est autem Archiater idem, ac Protomedicus. *Archiatros*, aut *Archiater* apud JCC. usitatissimum nomen est, ut liquet ex l. 9. & 10. *de Profess. & medic.* lib. 10. C. & l. 8. 12. 13. eodem tit. in Cod. Theodos. & l. unic. *de comitib. Archiat.* in eodem Cod. *Architheatrum* ego quidem nuspiam hactenus legi. Nec Dioscorus mimice baptizatus est, sed voto se obligaverat Christianum fore, si ægrotantem filiam salvam videret; quod autem voverat, accepto beneficio dissimulabat exsolvere: quare excussa Dei manu repentina primum cæcitate, deinde paralysi percussus omnem deposuit nugacitatem, ac factus fidelis consecutus est gratiam. Sed lege hujus conversionis narratorem disertissimum Augustinum.

Opp. 2. Joannes Chrysostomus hom. lxxxv. in Joannem pag. edit. Com. 444. ait: *Neque Angelus, neque Archangelus quicquam in his, quæ a Deo data sunt, efficiunt; sed Pater, Filius, & Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos & linguam & manus præbet: neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi*. Comparat etiam ibidem Chrysostomus sacerdotem impium asinæ Balaam, per quam locutus est Dominus; eademque similitudine utuntur alii Patres, maxime epist. 37. libri 2. Isidorus Pelusiota. II. De Consecrat. dist. 4. cap. *Baptismus*, habentur hæc verba desumpta ex Augustino Tract. v. in Joan. num. 18. *Non timeo adulterum, non ebrium, non homicidam; sed columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat*. III. Idem Augustinus lib. vii. de Baptismate cap. 53. num. 102. probat baptismum *cum simulatione & fallaciter* collatum: dubitatque utrum approbandus foret, *si totum ludicre & mimice & joculariter ageretur*. Quis autem intentionem esse affirmaverit in eo, qui præbet solummodo linguam ac dexteram? quis intentionem excogitaverit in asina Balaami? quis intentionem adesse dixerit in homine opus aliquod peragente fallaciter, mimice, joculariter? Decretis itaque Patrum consonat hæreticorum assertum.

Resp. ad 1. scopum Chrysostomi esse demonstrare sacra ministrantium improbitatem non impedire virtutem Sacramentorum; *Quicquid enim* (inquit) *habet Sacerdos, solius Dei donum est*. Consulto tamen ait, *Præbet linguam*, ne quis arbitretur, se gerere omnino brutorum instar, nec sine deliberatione proferre verba. Comparatio itaque asinæ Balaami eo tendit, ut commonstret, unde sint Dei munera, non ut excludat sacrorum ministrorum officia. In eadem homilia æquiparat Chrysostomus Sacerdotes ministris Principum, *inter quos sunt multi deteriores*; & nihilominus *ob reverentiam principis, qui eos proposuit, subditi nihil quales sint cogitant*. Hinc infert non esse vitam Sacerdotum a populis dijudicandam: at ex eadem comparatione infertur, nulla esse illorum mysteria non humano more peracta; quemadmodum nulla sunt mandata ministrorum principis, facta in somnis, aut cum ludicra simulatione. Idem scopus erat Isidoro; qui eo loci, *Referibendum*, inquit, *quam celerrime duxi, nimirum, quod is qui initiatur, quantum ad salutaria symbola spectat, ex improba Sacerdotis vita nullo damno afficitur*. Quod opponitur secundo loco, nihil probat. In emendatis enim Decreti editionibus, ut in Romana anni 1582. in Lugdunensi an. 1717. in Rom. altera anni 1726. cap. *Baptismus*, non habet *ebrium*, sed *ebriosum*, atque ita legitur in Augustino: Glossa quoque Decreti ibidem, *Consuetudinem*, inquit, *notat hoc nomen, non actum*. Cum vitiosa autem consuetudine minime pugnat intentio, animique propositum. At illud quod sequitur nescio qua fronte ab hæreticis opponatur, quum eo in loco S. Pater scribat progrediendum non esse aliqua temeritate sententiæ, ubi non est aliqua determinatio plenarii Concilii, & universalis Ecclesiæ consensio, adstruatque Sacramentorum efficaciam, & baptismi validitatem independenter a fide; cum tamen Novatores adversus generalium Synodorum decreta audeant intentionem explodere, omnemque vim Sacramenti statuant in fide suscipientium. Deinde quantum ad fallaciam atque simulationem, dicimus Augustinum interpretandum de simulatione fidei & unitatis Ecclesiæ, non de simulatione intentionis, ut dicam proxima positione. Quantum vero ad actionem ludicram & mimicam; primo Augustinus nihil definit, & ait implorandum esse *divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus*. Atque judicium illud modo per Ecclesiæ catholicæ oraculum prodiit. Præterea S. Pater præcedenti num. quæstionem his verbis proposuerat, *An acceptandum sit* (baptisma) *quod in mimo datur, si quis existat; qui fideliter subito commotus accipiat*: ubi supponit intentionem in ministro, in suscipiente tantum ludicram irrisionem; quo in casu si mimus commotus accipiat, ut diximus de Genesio, & narratur de Ardaleone, ratum esse Sacramentum ultro concedimus.

Opp. 3. Innocentius IV. scribens in tit. Decretal. cap. *Si quis puerum*, de Baptismo, pag. edit. Francof. 455. 2. ait: *Non est necesse, quod baptizans sciat quid sit Ecclesia; quid baptizatus, & unde sit, nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia; sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est*.

Respondent qui sententiam Catharini propugnant, Innocentium IV. excludere tantum necessitatem intentionis internæ, quoniam immediate sequitur, *dummodo baptizare intendat*. At non eget Innocentius interprete. Statim enim hæc subjicit: *Unde si aliquis in casu necessitatis constitutus, vel etiam sine necessitate vadat ad Saracenum, & dicat, Baptiza me, & doceat eam formam, & ille Saracenus baptizet non credens per immersionem aliquid aliud fieri nisi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere secundum intentionem petentis baptismum, idest, ut baptismum operetur quicquid operari potest, & ipse baptizans tamquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, vere baptizatus est; sed si hoc non intenderet, non baptizaret*. En aperte Innocentius declarat, quod Saracenus baptizans, si non intendat conferre, quod conferunt alii baptizantes; Sacramentum non conficit. Requirit ergo intentionem internam; & quando ait ratum esse baptismum, etiamsi baptizans non intendat facere quod facit Ecclesia, imo contrarium gerat in mente, non est accipiendus de intentione conferendi baptismum, sed de intentione effectus baptismi, scilicet etiamsi non intendat, *ut baptismus operetur quicquid operari potest*. Adde Commentaria Innocentii fuisse edita Lugduni, cum erat privatus doctor, nec fuisse prædicta verba juris decretis adscripta, nec unquam inserta cap. *Si quis puerum*, etsi oppositum contra omnium exemplarium fidem scribat nuperus Auctor de Re Sacram. pag. 102. Immo Hyacinthus Serry, cujus omnia argumenta prædictus Auctor in hac quæst. accurate collegit, & illustravit, de ministri int. pag. 19. scribit: *In privata ea Innocentii IV. sententia, quævis tandem illa sit, privati Doctoris est, non Romani Pontificis, nec in Juris Canonici partem venit*. Nec prætereundum est quod initio operis sui monet ipsemet Innocentius, non omnia, quæ scripsit, in scholis esse tradenda, sed studio *Cameræ* pro discussionibus & diffinitionibus causarum reservanda. Ceterum cum Innocentius fuerit *lumen limpidissimum decretorum*, quemadmodum eum appellat in suo Opere de nobilit. legum cap. 9. Florentinus Coluclus; quisquis illum adierit, percipiet illico, num ejus sententia talis sit, quæ *nullo subterfugio possit eludi*, ut scribit memorator, doctissimusque sententiæ Catharini patronus. At de hac sententia postmodum.

Opp. 4. Hæreticorum opinio Theologicis quoque ratiociniis corroboratur. I. Si ut Sacramentum ratum sit pendet ab intentione, quisnam justificationis suæ certus erit, & gravi timore non macerabitur, cum nulli fas sit introspicere consilium, atque intentionem latitantem in animo ministrantium? II. Docent Catholici Sacramenta gratiam conferre *ex opere operato*: nequit ergo intentionis ministri impediri illorum efficientia. III. Sacerdotes sunt dispensatores non solum Sacramentorum, sed etiam divini verbi. At ad efficientiam verbi non requiritur

ulla

ulla intentio: igitur nec requiritur intentio ad validitatem Sacramentorum. IV. Non requiritur intentio in dispensatione Eucharistiæ: ergo neque in consecratione. V. Elementum, si ei verba accedant, absque ulla ministrantium intentione est signum sensibile; & consequenter est Sacramentum. VI. Regis orator ac minister officium explet suum per solam literarum exhibitionem: ergo & Sacerdos, qui fungitur *legatione pro Christo*, ministerium suum adimplet per solam exhibitionem divinorum symbolorum.

Resp. ad 1. execrari nos dogma hæreticorum de certitudine gratiæ, refutatum lib. xiv. cap. ult. ac memoria repetere monitum Apostoli ad Philip. 11. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Nimiam vero animi nostri anxietatem temperamus intuitu Divinæ misericordiæ, & passionis Christi, observatione præceptorum, & cura partes nostras implendi. Ita gradiendum esse contendimus, nec declinando ad dexteram vani fiducia, nec ad sinistram impia desperatione, sacris eloquiis edocti, pravum tenere iter superbia tumidos, & negligentia torpentes. Quod proxime sequitur, eluditur facillime; fatemur siquidem Sacramenta conferre gratiam *ex opere operato*, sed negamus fieri illiusmodi opus absque intentione ministri; quoniam ex indifferenti materia ac forma nequit absque applicatione agentis opus aliquod perfici. Ad alterum respondemus inter ministrum verbi, & ministrum Sacramentorum latam esse disparitatem; verborum enim efficacia in sacris concionibus sita est in sola significatione verbis indita, neque effectum sortiuntur alium, nisi excitandi animum audientium ad fidem, ad contritionem, ad alias virtutes christianas; & ideo quomodocumque proferantur, habere possunt sibi propriam efficientiam, quoniam absque intentione proferentis idem significant. At verba, quibus Sacramentum conficitur, *practica* sunt, & præter significationem habent insuper efficientiam aliam, & gratiam producunt; cumque verba illiusmodi, ut liquet in absolutione Judicis, aut in Edicto Regis, nulla sint, quando pronuntiantur absque libertate & consilio, sit in exemplo, a Judice temulento, a Rege somniante, iccirco verba Sacramentum constituentia proferri debent actu humano, animique proposito. In quarta etiam objectione dispar ratio deprehenditur; nam dispensare est exhibere symbola; conficere autem Sacramentum est symbola per applicationem verborum humano actu peractam efficacia reddere & consecrare. Proximum argumentum expeditum est, modo repetamus, Sacramenta non esse signa invisibilis gratiæ *speculativa*, sed *practica*: nam signa illiusmodi non tam prolatione verborum, quam animi intentione perficiuntur. Objectio postrema diluitur facta ministrorum Principis distinctione. Quibusdam enim imponitur solum præceptum exponendi principis voluntatem ut est nuntius, qui tantum nuntiat, & fisco prodit, de quo l. 1. §. ult. D. de jure fisc. legatus, qui pro Republica perorat, ut inquit Servius in 2. Æneid., orator propterea dictus; præco, qui Senatus consulta pandit, aut publice legit, a præcinendo appellatus: atque hi ministri, dummodo nuntient, orent, clament, officio funguntur suo. Alii cum mandato principis habent potestatem, & jurisdictionem aliquam conjunctam, ut Judex, qui accepta potestate jus dicit, & finit, juxta Varronem lib. v. de lingua Lat. Prætor, Proconsul, Vicarius, Præfectus, Magister populi, Dictator, aliique plurimi; & isti in proferenda sententia debent causam cognoscere, & operari cum intentione. Quis enim probaret sententiam judicis dormientis? Quis præfecto, aut prætori confecto crapula obtemperaret? Quis insanientis præsulis faceret imperata? Ministris suis Deum potestatem contulisse demonstratum est supra; ideoque non sunt de illo genere ministrorum, qui mandata tantum promulgant, sed de genere eorum, qui utentes ratione, & consilio, sententiis verbisque suis tribuunt stabilimentum ac firmitudinem.

PROPOSITIO II. Si in Ministro sit sola intentio faciendi ritum externum, geratque ille in animo suo latentem deliberationem non faciendi rem sacram, ut fieri solet in Christi Ecclesia, etiamsi materiam adhibeat, & formam proferat, nec contraria deliberatio aliqua externa irrisione se prodat, nullum erit & irritum Sacramentum.

Probatur 1. Sacrosanctæ Concilia, ut diximus præcedenti propositione, præter materiam & formam, ad perficiendum Sacramentum necessariam requirunt *intentionem faciendi, quod facit Ecclesia*. Igitur præter positionem externi ritus exigunt interioris animi deliberationem diversam a deliberatione exercendi ipsum ritum externum. Probatur consequentia: ut enim scribit Catharinus intentio ponendi ritum externum ab actu, quo servatur Ecclesiæ forma, inseparabilis est. *Quis enim vigilans facit aliquid, quod facere non intendat?* inquit pag. 208. idem Catharinus. Concilia autem præter observationem ritus, & pronunciationem formæ, requirunt expresse intentionem faciendi quod facit Ecclesia; ait enim Eugenius in Instr. Arm. Tom. xiii. Conc. pag. 535. *In casu autem necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia*. Itaque Concilia præter intentionem a celebratione externi ritus inseparabilem, necessariam existimant intentionem internam, & peragendi rem sacram, quæ ab externo ritu sejungi potest.

Respondent 1. adversarii cum Contensonio pag. 187. decipi sententiæ nostræ assertores sophistica æquivocatione, & confundere id quod facit Ecclesia cum eo quod intendit Ecclesia; Ecclesiam peragere ritum externum sacrum in certa materia, & forma; intendere autem sanctificationem hominum, ad quam sacra signa fuere instituta. Qui ergo externum peragit ritum, habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, etsi non intendat facere quod intendit Ecclesia. Revera inquit præclarus Vindex Catharini pag. 87. *Si quis diceret, a Tridentina Synodo definitum est requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia; sed Ecclesia facit ritum externum, ut deleatur originale peccatum; ergo necessaria est intentio delendi peccatum originale;* teneret ne illiusmodi illatio? Nequaquam. Aliud ergo requiritur ad rectitudinem intentionis, aliud ad perfectionem Sacramenti: ad illam necessaria est intentio operis; ad istam vero intentio effectus, ut præclare Doctor Angelicus in iv. dist. vi. q. 1. quæstiunc. 2. ad 1. Similia eruditus Auctor Operis de Re Sacram. pag. 312.

Verum hæc mihi homini pinguis Minervæ nullatenus satisfaciunt. Principio enim Ecclesia non facit ritum externum utcunque, atque, ut in scholis loquimur, *materialiter*, sed ritum externum religiosum ac sacrum. Sacramentum enim, etiam *ut Sacramentum*, non fit a solo Deo, sed a ministris Ecclesiæ operantibus nomine principalis auctoris Christi Jesu, alioqui non se gererent tanquam Dei ministri. Si ergo fatentibus adversariis requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia; tametsi non requiretur intentio producendi effectum Sacramentorum, attamen erit necessaria intentio faciendi rem ut divinam & sacram, non duntaxat ut exteriorem ceremoniam. II. Quotiescunque intenditur aliquid, quod virtute sua producit effectum, non est necessaria explicita intentio ejusdem effectus, sed est tamen necessaria, (si actus humanus sit) intentio ponendi causam, ex qua idem effectus producitur; quemadmodum si medicamentum aliquod, loquuntur Salmanticenses, ad sanitatem præstandam efficax sit, necessum non est, ut sanetur ægrotus, medicum velle sanare; ut necessarium est tamen, ut faciat exhibeatque medicamentum. Porro Sacramenta sunt signa efficacia gratiæ, eamque producunt suapte virtute, non ut signa cujusque generis, sed ut signa sacra & divina: atque juxta sacrorum Conciliorum definitionem perficiuntur intentione ministri. Itaque in ministro requiritur intentio faciendi Sacramentum ut aliquod divinum, sacrumque signum, quamvis necessaria non sit intentio producendi gratiam, quam virtute sua Sacramenta tanquam signa sacra producunt. III. Eadem est laudato in loco Angelici Præceptoris sententia; inquit enim: *Quamvis in Sacramento requiratur intentio faciendi quod facit Ecclesia; non tamen requiritur, quasi de necessitate Sacramenti facere quod facit Ecclesia propter quod facit Ecclesia*. Quid ista, quæso, ad Catharini sententiam? Planissimus sensus est. Ecclesia facit rem sacram, eamque facit propter delenda peccata; & in ministro requiritur intentio faciendi rem sacram, idque necessarium est ad perficiendum Sacramentum; quamvis necessaria non sit intentio delendi peccata, quod non ad Sacramentum pertinet, sed ad rectitudinem intentionis. Et quamvis S. Thomæ verba satis perspicua sint, majorem tamen habent lucem, si conferantur cum iis, quæ habet 3. p. q. 64. art. 10. ubi objicit sibi illud idem, quod nobis opponunt Adversarii, dicens: *Videtur quod intentio recta ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti. Intentio enim ministri debet conformari intentioni Ecclesiæ: sed intentio Ecclesiæ semper est recta: ergo de necessitate ad Sacramenti perfectionem requiritur intentio recta ministri*. Huic autem objectioni ita respondet: *Ad primum ergo dicendum, quod Ecclesiæ intentio recta est, & quantum ad Sacramenti perfectionem, & quantum ad Sacramenti usum: sed prima rectitudo perficit Sacramentum, secunda operatur ad meritum; & ideo minister qui conformat intentionem suam Ecclesiæ quantum ad primam rectitudinem, non autem quantum ad secundam, perficit quidem Sacramentum, sed non sibi ad meritum*. Ad perfectionem ergo Sacramenti idem S. Thomas requirit, ut minister conformet se rectitudini Ecclesiæ intendentis perficere Sacramentum, licet necessarium non sit, ut se conformet Ecclesiæ intendenti quoque Sacramentorum effectum, idest remissionem peccati.

At progrediamur ad alteram thesis confirmationem. Tridentina Synodus sess. xiv. cap. vi. definit non perfici Sacramentum Pœnitentiæ, *si Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit*. Hoc sane in loco duo requirit in Sacerdote Synodus Œcumenica, videlicet, *animum serio agendi*, &, *animum vere absolvendi*. Per animum vero *serio agendi* nequit sancta Synodus intelligere aliud, quam intentionem peragendi serio ritum externum. Per intentionem ergo vere *absolvendi* intelligit intentionem aliquam

aliquam diversam ab intentione peragendi serio ritum externum. Hæc autem intentio quænam erit, nisi intentio faciendi *Sacramentum, ut Sacramentum?*

Respondet Contensonius pag. 213. hoc argumento sententiam suam confirmari: etenim, inquit, sententia judicis sedentis pro tribunali serio prolata habetur ut valida, quicquid judex interius intendat ac moliatur. Idem ergo judicium ferendum erit de Sacerdote absolvente. P. Serry pag. 90. & Auctor Operis de Re Sacram, pag. 512. inquiunt, non id a Concilio definitum, ut Sacerdos debeat intendere remissionem peccatorum, inde enim sequeretur requiri intentionem producendi effectum; sed a Tridentino confixum esse errorem Lutheri omnem efficaciem tribuentis fidei suscipientium, & asserentis ratum Sacramentum etiam mimice collatum, datamque joco absolutionem; & consequenter nihil aliud a sacrosancta Synodo præscribi, quam formæ absolutionis tactam pronunciationem. Adhibet idem responsum Gaspar Juenin cit. art. 3. §. 1. quod confirmat verbis, quæ ibidem e Concilio subjiciuntur: *Is esset salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocose absolventem cognosceret, & non alium serio agentem requireret.*

Quamquam tamen hæc tanta confidentie reponant, ut scribant futilem esse argumentationem nostram, asserantque nos prava canonis intelligentia aut fallere, aut falli; utinam non ipsi potius fallantur, quos ab animo fallendi arbitror esse alienos. I. Enimvero quod respondet Contensonius, judicio clarissimorum Theologorum absurdum est, errorisque plenissimum. Doctrina quippe est ineluctabilis nullum actum judicialem esse validum in foro conscientiæ, si fiat absque interno consensu; tametsi in externo foro validus reputetur. Quid ergo habet similis comparationis valor sententiæ absolventis in foro fori cum valora sententiæ absolventis etiam in foro interno? In externo foro absolutio est valida, si serio proferatur sententia a Judice; nulla est si proferatur ludicre & mimice. In foro igitur interiori valida erit, si sit interior deliberatio absolvendi; irrite ac nulle, si desit. II. Confixum a Tridentino errorem Lutheri, ultro fateor: sed quod spectat ad absolutionem joco datam, proscriptum est hæreticum dogma illis verbis, *si Sacerdoti desit animus serio agendi*; sequentibus autem aliquid aliud portenditur. Quid illud sit, videor mihi percipere ex ipso capite Tridentini, ubi definit absolutionem Sacerdotis *non esse solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, qui ab ipso, velut a judice sententia, pronuntiatur.* Duo ergo asserebat Lutherus, unum valere Sacramentum etiam collatum mimice; alterum, Sacerdotem non exercere actum aliquem judicialem, sed tantum declarare remissa esse peccata; uterque namque error fluit ex impuro illo fonte nefarii dogmatis, fidei dumtaxat sanctificandi vim adscribentis. Itaque Concilium declarans nullum Sacramentum Pœnitentiæ, *si Sacerdoti desit animus serio agendi*, damnat errorem Lutheri affirmantis Sacerdotem etiam jocose absolvere, & requirit intentionem serio peragendi ritum externum: dum vero addit, *si desit animus vere absolvendi*, damnet dogma Lutheri asserentis Sacerdotem non habere judicis auctoritatem, neque absolvere, sed tantum declarare remissa esse peccata; ideoque sancta Synodus præter intentionem illam externam, quæ sita est in seria pronuntiatione formæ absolutionis, exigit intentionem *vere absolvendi*, sive intentionem internam exercendi actum judicialem. III. Revera si desit interior animus absolvendi, non exercetur actus judicialis in foro interno: aliud quippe est velle exterius proferre verba, aliud est velle revera absolvere, & exercere in foro interiori actum judicialem. Si ergo Sacerdos velit exterius pronuntiare verba, interius autem dicat, *Nolo absolvere*; quo pacto actum judicialem exercebit, & vere absolvet? Nec nos proinde adstruimus necessitatem intentionis *explicitæ* remittendi peccata; sed necessitatem intentionis internæ conficiendi cum prolatione formæ absolutionis, & applicationis ejusdem ad actus pœnitentis, verum ac proprium Sacramentum, cujus virtute remittuntur peccata; ut explicatum est paullo supra. IV. Etiamsi Tridentina Synodus hoc unum definisset, ratum non esse Sacramentum joco collatum; nescio quodnam effugium hinc eruerent Vindices Catharini. Non solum enim videtur Concilium damnare irrisionem, quæ se prodat exterius, ut autumant adversarii, sed qualemcumque irrisionem etiam internam; primo, quia absolute inquit, *si desit animus serio agendi*; deinde, quia licet Lutherus eo arrogantiæ devenerit, ut dixerit ratum Sacramentum mimice, & externo joco peractum; ceteri tamen Novatores emollientes Lutheranum deliramentum affirmavere non officere Sacramentis *subsannationem internam*; ut liquet ex Calvino in Antidoto Concil. Trid. ad can. XI. sessionis VII. & ex Kemnitio in Examine ejusdem canonis: postremo quia apud Deum non minus subsannator est qui irridet animo, quam sit qui ludit fictione externa; ac juxta doctrinam Catholicam *animus serio agendi* non requiritur ad excitandam fidem sono verborum, sed ad conficiendam rem sacram actu humano, consilioque rationis. Ergo Sacramento officit quoque subsannatio tantum interna. At qui intus in corde suo statuit, *Nolo consecrare, nolo absolvere*, nonne intus simulat, nonne intus actionem sacram subsannet? Itaque non habet intentionem & animum serio agendi. V. Postremo qui in corde suo ita statuit, *Nolo baptizare, nolo absolvere*, statuit quoque in corde suo simulare externo ritu quod facit Ecclesia. Qui autem statuit simulare, quod facit Ecclesia, non habet intentionem illud serio agendi. Igitur non habet intentionem serio agendi, qui ita in corde suo decernit, *Nolo baptizare, nolo absolvere*.

Prob. propositio etiam sacris literis thesi præcedenti productis, ex quibus liquet Sacerdotes esse ministros Christi, & tales, quibus collata est conficiendi Sacramenta potestas, ut legitur Joan. XX. 23. & in priori Ep. ad Corinth. IV. 1. Tales profecto ministri debent agere Christi nomine, debent exercere in aliquo Sacramento actum judicialem, debent consecrare subjectam materiam. Id vero cum sola intentione externi ritus quomodo consistat, profecto non video. Non ergo sufficiens est hæc tantum intentio. Minorem probo; quoniam opus peractum cum nuda intentione ritus externi est indifferens ut sit peractum nomine Christi, aut nomine alterius cujuspiam, præsertim quando nullum Dei, aut Christi nomen in forma Sacramentali pronuntiatur, ut in Eucharistiæ panis consecratione: est præterea indifferens ut sit opus sacrum, aut profanum, uti ostendam infra; est denique indifferens ut sit actus judicialis exercitus tantum in foro externo, an in foro externo & interno. Si ergo in Sacramentis conficiendis necessaria est intentio, qua Sacramentum perficiatur nomine Christi, qua conficiatur res sacra, qua exerceatur judicialis actus; sufficiens non erit ad Sacramentum perficiendum nuda intentio ritus externi.

Resp. Hyacinthus Serry pag. 134. aliud requiri ad validam Sacramentorum dispensationem, aliud ad religiosam, & piam. Ad primum sat est, si serio prudenterque id velit homo minister, quod uti sacrum est institutum a Christo: ad alterum necessarium insuper est, ut quod fidelibus administrat, tale velit esse, quod Christus instituit; & ratio decretoria est, quia non habent ritus illi a ministrantium ingenio, quod sacri sint, quod Sacramentales sint, sed a Christo institutore, legislatore, atque magistro. At Pater Le-Droin pag. 99. non solum eadem reponit, verum etiam probatione nostra sententiam communit suam, quoniam solus Deus in celebratione sacrorum mysteriorum gratiam operatur, nec aliud sunt hominis administrantis partes, quam illud exterius exequi, quod est divinitus imperatum. Addit seq. pag. esse merum ineptumque cavillum eorum, qui dicunt illum non esse ministrum Sacramenti, qui suam interius cohibet intentionem, suoque operi reluctatur: nam si ponit ritum externum, quomodo non vult conficere Sacramentum? Nonne insanientis esset ignem stuppæ admovere, & interius dicere, *Nolo ut ignis comburat stuppam?* aut semen mandare terræ, & interno animo id statuere, *Nolo semen esse fructiferum?* Ita penitus esset insanus, qui serio externum ritum celebraret, interius autem diceret, *Nolo conficere Sacramentum.*

His nos nequaquam possumus acquiescere. I. Falsum est externos ritus habere a solo Christo institutore, ut sint Sacramentales & sacri; non enim Christus per se, sed per ministros Sacramenta operatur, nec per ministros quoscumque, sed per ministros præditos potestate. Si ergo hi nolint conficere rem sacram, non conficiunt: quemadmodum si Christus det alicui potestatem miraculorum, quamvis miracula virtute Christi patrentur, si minister verbotenus diceret mortuo, *Surge*, in corde autem suo, *Ne surgas*, nequaquam uteretur potestate a Domino accepta, nec mortuus resurgeret, ut recte animadvertit Suaresius. Ac præterea si sola institutio Christi sufficit, ut res sit sacra; cur sacra non est, si peragatur a mimo? cur non est sacra, si desint circumitaoriæ, & quis mysteria celebret in theatro, in platea? Quia, inquiunt, Sacramenta perfici debent humano more, ideoque animo serio agendi. Recte quidem: igitur etiam ab animo agentis, non a solo Christo legislatore pendet, ut externi ritus sacri, & Sacramentales sint. II. Deus quidem gratiam operatur in Sacramento, & huic sua divina virtus existit, nec necessaria est in ministro intentio producendi gratiam, quam Sacramentum efficit virtute sua. At Sacramentum non producit ipsam gratiam, ut est ritus tantum externus, sed *formaliter* ut est Sacramentum. Si ergo ad perficiendum Sacramentum requiritur intentio ministri, ut fides docet; ad hoc ut ritus externus sit Sacramentum habeas in se virtutem producendi gratiam, requiritur in ministro intentio faciendi ritum externum *formaliter* ut Sacramentum. III. Si combustio, segetumque procreatio esset opus aliquod *morale* habens efficientiam a consilio operantis; ignis applicatus stuppæ ab eo qui diceret, *Nolo ut comburas*, non esset elementum adurens, & granum tritici mandatum terræ ab agricola, qui diceret, *Nolo ut sis semen fructiferum*, non esset semen. Atqui Sacramentum est opus *morale*, quod perficitur proposito ministrantium: igitur si ministrans

ponendo externum ritum, intus dicat, *Nolo Sacramentum conficere*, ritus externus non erit Sacramentum. IV. Si ratiocinatio nostra est merum ineptumque cavillum, & non est potius cavillatio allatum exemplum ignis ac seminis; nonne eadem ratione heterodoxi poterunt argutari, dicentes: si mimus stuppæ apponat ignem, comburitur, si joco agricola semen projiciat, illud germinat; igitur si minister ludicre profundat aquam, baptizat? Non id assentientur adversarii, & reponent disparem esse rationem, in applicando causam naturalem, & in efficiendo opus morale. Fateantur ergo se potius esse cavillatores, qui exempla adversus nos adhibent hujusmodi, & patiantur & nos respondere, discrimen esse maximum inter ritum solummodo externum, & ritum sacrum.

Insuper thesis nostra confirmatur propositione xxviii. inter damnatas ab Alex. VIII. die 7. Decembris anno 1690. *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero, in corde suo, apud se resolvit, Non intendo facere quod facit Ecclesia*. Poterat ne expressius contraria sententia, ut a recentioribus propugnatur, rejici ac reprobari?

Gaspar Juenin primo respondet Canonistas Gallos, multosque alios in Christianis provinciis nun habere tamquam ratum decretum ullum Transalpinum, nisi ab ipso Papa immediate emanaverit, judicia autem a Romana Inquisitione lata per se, etiam quoad forum internum, Gallos non obligare. Deinde ait propositionem, prout jacet, falsam esse; pronuntiatur enim de quocunque ritu externo sive serio, sive mimice peracto, ideoque merito damnatam in sensu Lutheri, cujus prava dogmata quidam per Belgium temere renovabant. Hoc idem reponit expolitus Auctor Op. de Re Sacram. pag. 113. & Hyacinthus Serry in Vind. vin. pag. 109. Is ultro juramentu testatur se nonnullos primæ notæ præsules consuluisse, qui affirmavere in ea propositione longe aliud a Catharini systemate reprobari. Addit, si illud fuisset proscriptum, nequaquam ausos fuisse illud propugnare prædictum Juenium Doctorem Sorbonicum in Commentario Historico nunquam a Romana Sede damnato, nec Franciscum Genettum in Theologia Morali Clementi XI. nuncupata. Addit quoque promulgatam anuu 1725. jubente Benedicto XIII. Summam Alexandrinam, in qua Tom. 1. pag. 32. expressa traditur sententia, quam ipse vindicat. CommemoravERat pag. 33. Natalem Alexandrum, qui etiam post damnatam propositionem, ac nostra fere ætate floruit in literaria Republica.

Verum prior Juvenini responsio facili ratione convellitur. Principio enim si ita fas est opinari Gallis theologis, non tale ingenium est nobis, qui Romana decreta æquiori veneratione prosequimur. Illud etiam a Theologis tali calamo utentibus scire peroptamus, undenam sit, quod ubi decreta Romæ emanata pro se faciunt, eadem exscribunt, urgent, amplificant; ubi autem adversantur sibi, eadem inofficiose dimittunt? Præterea, etsi in proscriptione illarum propositionum nullam Romanus Pontifex sententiam pronunciavisset; non est tamen supremæ Inquisitionis Senatus aliquis consessus infimi subsellii Theologorum, sed Purpuratorum Patrum, virorumque plurium doctrinæ laude præstantium; quorum decretis nulla comparanda est cujusque privati Scriptoris auctoritas. Illius præterea Congregationis Præses est Summus Pontifex, qui hoc præsertim in casu commisit quidem xxxi. propositionum examen *pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus*, sed, ut legitur in decretu, *idem Sanctissimus Pontifex*, suffragiis Inquisitorum, & Consultorum mature consideratis, *prædictas propositiones proscripsit*. II. Non est melioris notæ responsio altera; siquidem cur iterum ambiguo verborum complexu damnare hæreticam assertionem, tam perspicue ab Œcumenica Synodo anathemate confixam? Deinde figmentum singulare est, suspicari latentem Novatorum hæresim de mimica administratione Sacramentorum, ubi hujus hæresis nec minimum exstat vestigium. Ad hæc propositio ab Alex. damnata, non est, ut inquiunt, crude prolata, æquivocis contexta verbis, & enuntiata de quolibet ritu externo etiam jocose peracto; sed disertE, singillatim, apposite exprimit obluctationem animi, oppositamque intentionem, non exteriori ludificatione apertam, sed secreta fraude conceptam, animoque delitescentem; & ne eludi queat futili cavillatione, non uno, sed vocabulis tribus, illa sola interior obluctatio expressa est, INTUS. IN CORDE SUO. APUD SE. Insuper cum nonnulli ex Theologis nostris Lovaniensibus intentionem externam propugnassent, secuti Farvacquesium, quo nemo validius pro ea decertavit, emanato tamen S. Inquisitionis decretu, quamquam optime noscerent doctrinam per Belgium manantem, qui postmodum scripta edidere, exuerunt penitus placitum Farvacquesii, tanquam ab Alex. VIII. eliminatum, ut constat ex Leonardo Vanroy Tom. IV. pag. 57. & Antelio Piette Tom. V. pag. 257. Tandem Franciscus Henno Belga Theologus Tract. 1. de Sacram. disp. iv. q. 2. art. 2. pag. edit. Ven. 258. *Dicta propositio*, inquit, *desumpta est ex thesi cujusdam Doctoris mihi cogniti, & familiaris, qui precise adversariorum sententiam sustinebat*. III. Nihil efficit responsio postrema. Qua enim libertate Juenin sententiam propugnet suam, apparet ex dictis. In Genetto Tom. iii. Tract. i. cap. 4. nil traditur de intentione, quod communi opinioni repugnet: in Resolut. autem casuum in Append. pag. 35. ait ille quidem sufficere exteriorem consensum in collatione baptismatis, sed loquitur de intentione subjecti, non autem ministri: qua in re nulla est difficultas. Resolutionem aliquam juxta sententiam oppositam nostræ, nisi cæcus sum penitus, in Veneta edit. non video. Si expuncta sit, in adversarios recidit objectatio. Natalis Alex. lib. 2. Theologiæ Moralis de Sacramen. in gen. art. 3. Regula 1. pag. edit. Parisiensis 186. postquam plura de sententia Catharini scripserat, *Cum tamen*, inquit, *alii sententiam Catharini rejiciant, in eaque hypothesi, quam exprimit regula, cujus in explicatione versamur, iterandum censeant Sacramentum, saltem sub conditione, quod id tutius sit, nullique periculo obnoxium videatur, consultius esse existimo, si quando casus emerserit in regula expressus, ut Sacerdotes in hac ambiguitate quæstionis Episcopum rogent, quid facto opus sit, Episcopus vero si res moram patiatur, & necesse judicet, Sedem Apostolicam consulat*. Si Consultores aliqui significarunt Patri Serry non peti anathemate sententiam Catharini; de ea illud idem protulere judicium, quale diximus hujus disputationis exordio tulisse olim Vasquesium, nuperque Tournelium. Quantum ad Summam Alexandrinam, videtur nobis excludi eo loci necessitatem intentionis finis, non Sacramenti, & mentem perditissimi illius Sacerdotis exercentis magicas artes, & habentis *intentionem infantes sibi oblatos devovendi diabolo*, fuisse rectam, (ut verbis utar Sancti Thomæ) quantum ad Sacramenti perfectionem, non quantum ad Sacramenti usum; superstitiosi quippe, & malefici abutuntur rebus, quas recte sciunt a nobis haberi ut sacras, & intendunt id facere in diabolicis initiationibus, quod nos in sacris mysteriis peragimus, Sacerdotales vestes, lustralem aquam, Scripturæ verba sacrilegie usurpantes, non indumenta, quæ norunt esse profana, lymphasque, suffumigationes, ritusque communes. Atque ita intendunt simul Sacramenta conficere, iisque ad perniciem abuti. Quamobrem probatum minime inficiamur baptismum collatum ab homine hujus furfuris, Ludovico Gaufredo Parocho Massiliensi, cujus gesta nobis objectat illustris Serrius cap. vi. pag. 45. Ceterum haud inusitatum est probari, iterumque cudi Auctorum volumina, etsi aliquid comprehendant erroneum, ob alia plurima utilia, & castigate conscripta: ob quæ fortassis (absit censura verbo) permittuntur Juenini Commentarius Historicus, & eruditæ quorumdam aliorum elucubrationes. IV. Uno denique verbo poterant prædicta dispungi, nulla siquidem accedit probabilitas libris junioris cujuslibet, ex quo non constet illius opinionem rejectam esse a Sede Apostolica, ut constat ex prop. 27. damnata ab Alexandro VII. die 24. Sept. anno 1665. ideoque non perinde Juenini, aut alterius cujuspiam sententia censenda est improbabilis, quod illam expresse Sedes Apostolica non rejecerit.

Ulterius accedit robur assertioni nostræ ex propositione 1. inter proscriptas ab Innoc. XI. die 2. Martii anno 1679. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*. At tutior est sententia, quæ propugnat necessariam esse ad valorem Sacramenti intentionem internam a nobis expositam. Illicitum est ergo sequi opinionem probabilem intentionis externæ (si probabilis est tamen,) tutiore, quam nos propugnamus, relicta. Movit argumentum illud etiam perinsignem Theologum Ludovicum Habert Tom. v. pag. 75. sive Tract. de Sacram. in gen. cap. xiii.

Resp. adversæ sententiæ patroni cum erudito Contensonio p. 216. imo opinationem nostram nec tutam esse, nec remotam ab iteratorum Sacramentorum sacrilegio. Quid vero, addunt alii, probabilius quam sententia ab Augustino tradita, propugnata a S. Thoma, expresse ab Innoc. IV. definita, & quam secuti sunt viri omni exceptione majores, Magister sent. Paludanus, Javellus, Farvacques, aliique quamplurimi?

At persistit adhuc præcedens argumentatio. I. Tutiorem esse sententiam nostram hinc liquet, quod validum esse Sacramentum interiori intentione collatum nullus adversariorum negat, validum esse collatum cum sola intentione externa negat Theologorum pars major; nullo autem iterationis sacrilegio obnoxium est, quod majori consensione ratum existimatur. Deinde, ut liberalis sim, & aliquam tribuam sententiæ oppositæ probabilitatem; nonne vitaretur iterationis sacrilegium, si iterum conficeretur Sacramentum sub conditione, ut innuit paullo supra Natalis Alexander? Ex quo insuper idem Alexander satius putet consulere Episcopos, Sedemque Apostolicam, quod etiam asseruit Farvacques pag. 128. quid colligimus, nisi sententiam nostram ex adversariorum confessione esse revera tutiorem? II. Quod gloriantur de Augustini, Thomæ, & Innocentii IV. patrocinio, eorum confidentia

fidentia est: quippe Augustinus de fallacia ac simulatione intentionis, præsertim ministrantium, ut infra dicam, nec verbum quidem. De Sancto autem Thoma rectius judicium proferunt Cajetanus, Soto, Gonet, Sylvius, &, ut innumeros innuam, Collegium Salmanticensium. Quantum vero in explicandis verbis Innocentii alucinentur supra ostendi, & paullo post accuratius evincam. Magistri sententiarum vellem audire verba; si enim depromantur ex IV. dist. VI. §. *Solet*, loquitur eo in loco de intentione regenerationis & finis; quemadmodum ratiocinatur Estius dist. I. §. 23. tanta verborum perspicuitate, ut mirum sit doctissimum Contensonium pag. 169. inter suos connumerasse ipsum Estium, illi apertissime repugnantem. Nego etiam Paludanum adversariis nostris penitus consentire, idemque opinor de Angelo Clavasio; ac subscribo in hac parte Vasquesio cit. disput. 138. cap. 2. n. 21. quamquam revera nonnullos in Catharini partes descendisse haud inficiar. III. Quicquid Antiquiores fuerint opinati; præclusam contendimus sententiarum libertatem, posteaquam accessit Pontificiæ, ac supra productæ definitionis auctoritas.

Præterea positionem nostram confirmo ex Innocentio IV. in eodem Comment. ad Cap. *Si quis puerum*, ubi adversarii indubitatum existimant Jurisconsultum illum clarissimum Catharino adhærere. Verum ego ex Innocentio ad hunc modum plecto syllogisticum ratiocinium. Si vera sit sententia quam oppugnamus, baptizans puerum, veramque formam pronuntians, quam adhibet Christi Ecclesia, sed perversa fide credens formam hanc falsam esse (quod facile sibi persuadere potest hæreticus aut Arianus, aut Paulianista) ideoque dicens in corde suo, *Nolo pronuntiare veram formam, nolo conficere Sacramentum*, baptizaret ne puerum illum? Quid dubitas, inquiunt adversarii? Baptizaret utique, si serio veram formam pronuntiaret. At Innocentius IV. sentit oppositum, docetque in hac hypothesi nullum esse baptismum; neque ex alio capite, quam ex defectu intentionis adhibendi formam illam, qua baptizans putat perfici Sacramentum. Igitur Innocentius manifeste adversariis nostris repugnat. Constat hujus ratiocinii vis ex verbis Innocentii ita num. 2. scribentis: *Si veram formam dicat, & non credat illam veram formam, sed aliam, non erit baptizatus; & hoc ideo, quia non intendit baptizare, quod ex eo apparet, quia formam veram dicere non intendit.* Rursus, si omnia juxta Ecclesiæ ritum adhiberentur, minister vero ita statueret in animo, Nolo facere rem sacram, sed abluere tantummodo corpus, ut fit in thermis, vel balneis; validum ne erit baptisma? Validissimum, inquiunt. At non ita Innocentius, qui eo loci num. 8. scribit: *Nota quod ad hoc quod aliquis baptizatus sit, necessarium est, quod baptizans intendat baptizare, non tantum balneare, vel carnes lavare.* Perperam ergo Innocentius in adversantium partes invitus trahitur.

Respondent Innocentium ibidem asserere ratum baptismum, quamvis minister *non gerat in mente facere, quod facit Ecclesia; imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare minister intendat.*

At hæ ineptæ sunt elusiones. I. quia Innocentius illis verbis *dummodo baptizare intendat*, exprimit intentionem faciendi rem sacram, distinguit enim, ut constat ex dictis, inter *baptizare*, & *lavare*. II. quia dum ait necessariam non esse intentionem *faciendi quod facit Ecclesia*, loquitur duntaxat de intentione effectus, sive, ut loquitur S. Thomas, de intentione faciendi quod facit Ecclesia *propter quod facit Ecclesia*; explicans enim Innocentius seipsum ait valere baptismum, etiamsi baptizans non intendat baptizare *secundum intentionem petentis baptismum, idest, ut baptismus operetur quidquid operari potest*. III. quia si Innocentius explicandus esset juxta adversariorum nostrorum sensum, nec necessaria esset intentio faciendi ritum externum. Ecclesia namque in eorum sententia peragit tantum ritum externum; ideoque si per Innocentium necessaria non est intentio faciendi quod facit Ecclesia, nec intentio faciendi ritum externum erit necessaria. IV. quia Innocentius addit ministrum non baptizare, *si non intendat conferre quod alii baptizantes conferunt*, ideoque necessariam putat intentionem *implicitam* etiam effectus, quamvis recte asserat non requiri intentionem effectus *explicitam*. Intentio autem istiusmodi est sola intentio faciendi rem *ut sacram*, quia tantum *ut sacra* producit effectum. Vide quæ diximus ad probationem hujus thesis priorem. V. quia adversantium aliqui, ac præsertim nuperus Scriptor, dum ajunt verba, quæ objiciuntur, esse Innocentii III. & ab Innocentio IV. adscripta solemnibus juris decretis, scilicet cap. *Si quis puerum*, nimiam fidem, aut oscitantiam præseferunt: quippe cap. *Si quis puerum*, nec ex Innocentio III. nec ex Innocentio IV. depromptum est, sed ex Alexandro III. verba autem Innocentii IV. nunquam inserta fuere Juris decretis: unde lectorem merito, ne cuilibet fidem præbeat, sed ut adeat fontes, commonefacimus.

Ad hæc probatur conclusio ex Rubricis Missalis Romani de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §. VII. ubi legitur: *Si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio.* Sed in tali casu est materia, prolatio formæ, & intentio ritus externi, quæ intentio a prolatione formæ deliberate peracta inseparabilis est. Ergo præter materiam, formam, & intentionem externam, alia intentio ad consecrationem est necessaria. Insuper, si determinet illas decem quas consecrare intendit, illæ decem consecratæ sunt; undecima autem, quamvis coram posita, non est consecreta. Determinatio itaque, per quam Sacerdos intus decernat, *Nolo consecrare undecimam illam hostiam*, facit ne consecrata sit, quamvis externus ritus juxta Ecclesiæ consuetudinem peragatur.

Respondet eruditus Auctor de Re Sacram. pag. 114. Missalis Romani Rubricas non esse leges Ecclesiasticas, utpote collectas ex Theologorum Scholasticorum opinionibus. Addit in iisdem Rubricis quædam haberi, quæ Theologorum judicio incerta, vel falsa sunt: incertum est enim quod §. III. legitur, non confici Sacramentum, *si panis non sit triticeus*: cum plures affirment idoneam esse Eucharistiæ materiam panem ex grano quolibet sub frumenti genere contento, ut ex spelta, hordeo, &c. Falsum vero, omnibusque Orientalium Euchologiis contrarium, quod legitur §. V. post verba consecrationis, quibus utimur in Ecclesia Romana, *Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis, non conficeret Sacramentum*; cum indubitatum sit Orientales singula verba consecrationis Calicis non pronuntiare. Inquit præterea etiam in Breviario Romano plura recitari, quæ revocantur in dubium. Respondet tandem insanum fore, & perridiculum consilium illud celebrantis: nam si revera vult consecrare tantum decem, cur undecimam ab altari non removet? Si non removet, peragere vult externum ritum divinitus imperatum, & omnes undecim hostiæ sunt consecratæ.

Ceterum prior responsio infirma admodum est; quanta enim diligentia Rubricæ fuerint dispositæ, apparet ex constitutionibus Pontificum, quæ Missali Romano solent præponi: easdemque Rubricas contineri in Missali Parisiensi edito ab Archiepiscopis Francisco de Gondy, Harduino de Perefix, Francisco de Harlay, & Cardinale de Noailles, necnon in plerisque Missalibus aliarum Diœcesum, testatur pag. 76. Habertus. Quare videtur superior sententia non alicujus Scholastici, sed Ecclesiæ; nec desunt qui illam inter fidei decreta connumerent, ut Sylvius, & Henno. Etsi detur autem, collectam esse ex placitis Scholasticorum; nemo saltem negabit inter Scholasticos sententiam nostram esse communiorem, & sententiæ Catharini præpositam a Rubricarum Auctoribus. II. Non est melioris notæ responsio insequens: enimvero quod §. III. asseratur pro materia Eucharistiæ solus *panis triticeus*, id conforme est Florentino Concilio, & decreto Eugenii IV. Tom. XIII. Conc. pag. 536. Non potest ergo hac in re incerta dici rubrica, nisi incertum asseratur decretum irreformabile: quod si aliquis opinetur cum Cajetano necessariam materiam Eucharistiæ esse panem cujusque frumenti, quicquid reponet pro explicatione memorati decreti, illud nos respondebimus pro rubricarum vindicatione. Quemadmodum etiam frumentum dicitur quicquid emittit aristas, ut triticum, hordeum, milium, panicum, hornmum, sesama, appellatum a frumine, vel a fruendo: ita triticum ex Varrone est quicquid ex spicis teritur; unde ex Plinio lib. XVIII. cap. 7. reperiuntur tritici plura genera. At in §. V. non asseritur quamcumque formæ diminutionem, aut immutationem reddere consecrationem nullam, sed additur, *si in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent*; idque caute, ne propriam obrueret machinationem, scriptor peracutus subticuit. Quid vero discriminis sit inter recitationem dubiæ historiæ, morum probitati nullatenus repugnantis, & expositionem sententiæ de nullitate Sacramentorum, nec ignorare arbitror barbitonsores. III. Sed & responsio postrema futilis est; siquidem fieri potest ut Sacerdos determinet undecimam hostiam non consecrare, ut communicaturo, quem novit sacrilege ad angelorum mensam accedere, absque ceterorum scandalo porrigat particulam non consecratam, nec tamen hanc ex aliarum numero ablegat, ne id communicaturus deprehendat: quod certo scimus ex simplicitate & ignorantia fecisse Sacerdotem quemdam Diœcesis Samminiatensis. Ex superiori itaque Rubrica certo colligitur necessariam esse determinatam intentionem consecrandi talem, vel talem hostiam, nec sufficere celebrationem externi ritus; ut aperte demonstrat in notis ad Thesaurum sacrorum Rituum p. 2. Tom. I. pag. 760. vir præclarus, & Sac. Rit. Congreg. Consultor, Cajetanus Maria Merati.

Tandem demonstretur propositio ratiocinatione communi: Externæ actiones ad varios usus sunt prorsus indifferentes; ideoque etiam ablutio, tametsi fiat cum invocatione Trinitatis, ex se est indifferens ut sit divina vel naturalis, ut sit profana vel sacra. At quod suapte natura indifferens est, debet determinari ad unum per aliquid

aliud. Ergo ritus externus, ut sit Sacramentalis, per aliquid debet determinari. Id vero quidnam est, nisi intentio peragendi rem sacram? Nititur momentum istud auctoritati S. Thomæ scribentis 3. p. q. 64. art. 8. *Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquæ quæ fit in baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia hujusmodi: ideo oportet quod determinetur ad unum, idest, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis: & hæc intentio exprimitur in verbis, quæ per Sacramenta dicuntur.*

Respondent adversarii se totam hanc argumentationem probare, nullatenus ea Catharini sententiam concuti; determinatur quippe externa actio ad constituendam rem sacram per seriam formæ a Christo institutæ prolationem: idque affirmat S. Thomas, dum ait, *Hæc intentio exprimitur in verbis, quæ per Sacramenta dicuntur.* Addunt determinari externum ritum ad actionem sacram etiam per circumstantias locorum ac temporum, puta si ablutio fiat ad fontem Baptismalem, ac præsente patrino, non domi a muliercula infantem lavante, aut si consecratio fiat a Sacerdote vestibus sacris induto, & ad altare accedente, non inter epulas, vel in comessatione profana.

Sed cum multum dicere se arbitrantur, nihil plane dicunt. I. Principio falsum est, per intentionem serio agendi ritum externum, actionem indifferentem determinari, ut sit Sacramentum. Etenim externa ablutio, sicut indifferens est ut serio, vel mimice peragatur, ita indifferens est ut sit profana, vel sacra. Sed quoniam est indifferens ut serio, vel mimice peragatur, requiritur intentio faciendi rem serio. Quia ergo est indifferens, ut sit profana, vel sacra, necessaria est intentio faciendi rem sacram. Hinc Estius, quem immerito pro se laudat Vinc. Contensonius, dist. 1. §. 23. inquit: *Ea porro dicitur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, qua quis intendit actionem, non ut est actio profana aut vulgaris, vel etiam mimica & derisoria, sed ut est singularis quædam actio, quæ in Ecclesia, id est, apud Christianos solemni more fieri conspicitur.* Ex quibus verbis hoc pacto instauratur argumentatio. Dum minister abluit infantem, vel intendit facere quod a Christianis solemni more peragitur, vel quod fieri solet in balneis, nihil cogitans de Christianorum institutionibus. At si intendat facere quod a Christianis solemni ritu peragitur, perficit rem sacram. Igitur si efficere velit quod fieri solet in balneis, peragit actionem tantum profanam. Rursus, ut ratiocinatur Eminentiss. Gotti Tom. XIII. pag. 106. ac nos diximus supra; sicut materia indifferens est, ita etiam est indifferens significatio verborum formæ. Necesse est autem, ut materia indifferens determinetur a forma. Necessum est igitur, ut indifferens significatio verborum determinetur ab intentione. Sed determinari nequit ab intentione serio peragendi exteriorem ritum *utcunque*, quoniam exterior ritus serio quoque peractus adhuc indifferens est, ut sit profanus, aut sacer. Ergo determinari debet per intentionem peragendi ritum externum ut sacrum. II. Juxta S. Thomam intentio, *quæ verbis exprimitur*, debet esse talis, qua minister *se subjiciat principali agenti*: ita Angelicus cit. art. 8. ad 1. *ut scilicet intendat facere quod facit Christus, & Ecclesia.* Per intentionem autem peragendi solum ritum externum, quomodo minister proposito mentis suæ subjicitur Christo? Quomodo agit nomine Christi? Quomodo exercet potestatem acceptam a Christo? Rursus S. Thomas proximo art. 10. docet perverti intentionem quantum ad perfectionem Sacramenti, *cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, præcipue quando suam intentionem exterius manifestat.* Igitur quamvis derisio occulta sit, nec se prodat animus non conferendi Sacramentum, Sacramentum ipsum nequaquam perficitur. Ut enim inquit Sylvius, addens S. Thomas, *præcipue quando suam intentionem manifestat*, indicare voluit defectum illum esse contra veritatem Sacramenti, etiam cum non manifestatur exterius: si vero manifestatur, non tantum Sacramentum esse nullum in se, verum etiam in Ecclesiæ judicio. Nec male loquitur Sylvius; siquidem ad hunc modum ratiocinamur: Derisio exterius manifestata reddit Sacramentum nullum exterius, & in judicio Ecclesiæ; igitur derisio latens in animo reddit Sacramentum nullum in se, intrinsece, & in ratione Sacramenti; ideoque castigatissime S. Thomas ait excludi veritatem Sacramenti per *intentionem ludicram*, eodem art. 10. ad 2. Non ait, per jocum, ludumque patentem; intentio quippe ludicra potest in mente latere. Adde quæ supra ex eodem art. recitavimus, adeasque Sylvium, Salmanticenses, ac Thomistarum ceterorum notissima Commentaria. III. Quod addunt externum ritum determinari, ut sit Sacramentum, a circumstantiis, est inane perfugium: nam primo loci ac temporis adjuncta non sunt illa tria, quibus Sacramentum perficitur, ideoque efficere nequeunt, ut actus exterior ad perfectionem Sacramenti consurgat. Deinde hujusmodi circumstantiæ commonstrant quidem intuentibus peractam ceremoniam haberi ut sacram; sed Sacramenta non debent esse signa duntaxat explicativa, ut hæretici autumant: debent esse efficientia & practica, & præter externam imaginem, divinam continere virtutem, eis per ministrantium operationem a Christo institutore collatam. Præterea si mulier domi, etiam extra mortis periculum, cum intentione recta ac debita forma baptizaret infantem, validus esset baptismus, & tantum baptizatus deferendus esset ad Ecclesiam, ut in illo sacræ adimplerentur ceremoniæ; circumstantiæ ergo fontis baptismalis, templi, loci, & istiusmodi reliquæ spectant ad sacrorum rituum celebritatem, non ad perfectionem Sacramentorum.

AD EA, QUÆ OBJICIUNTUR, RESPONSIO.

Plura adversus veritatem hactenus propugnatam solent opponi, omniaque ad quatuor capita reducuntur, videlicet ad Ecclesiæ consuetudinem ac definitiones, ad Augustini adversus Donatistas disputantis quædam testimonia, ad S. Thomæ inconcussam, ac in materia præsertim ista probatam doctrinam, atque ad argumenta rationi innixa, quæ Catharinus primum, & Salmeron, deinceps Contensonius, Juenin, Serry, aliique contexuerunt. Ex priori itaque capite objiciunt primo: Constat ex veteri & perpetua Ecclesiæ disciplina, sæpenumero pronuntiata fuisse nulla Sacramenta, in quibus debita materia, præscriptaque forma non fuerunt adhibita, necnon quæ administrata fuerunt ab ebriis & energumenis; nunquam tamen pronuntiatum legimus tale judicium, si quis voluntatem contrariam in mente gesserit, serioque perfecerit externum ritum. Dummodo ergo ritus iste celebretur, Sacramentum est validum. II. Contra Donatistas judicium tulit Ecclesia, Sacramenta *verbis Evangelicis consecrata* pollui posse cujuscunque sceleribus, nec reddi nulla ob aliquorum ministrantium perversitatem, ut apparet ex libris Augustini, & Optati, atque ex Collationibus Carthaginensibus; id vero sancitum est, quia Sacramentis inest divina virtus, qualiscunque sit ministrator. Quamquam ergo is obluctetur animo, perficit tamen mysteria sacra. Nec juvat distinguere inter perversitatem intentionis, & morum improbitatem; non enim unquam Ecclesiæ statuta distinctionem illam adhibuerunt: immo *sub communi nomine improbitatis* comprehenditur ipsa latens infidelitas, animique obluctatio. III. Si Sozomeno, aliisque præstanda est fides, Alexander Episcopus Alexandrinus diligenti præmisso examine ratum habuit baptismum ab Athanasio inter ludendum collatum; Alexander autem, inquit præcitatus Historicus, baptizatos pueros *accurate interrogavit quidnam illis dixisset, fecissetve ludi ipsius Episcopus, cumque omnia juxta ordinem Ecclesiasticum exacte in illis servata esse deprehendisset*, validum censuit baptismum: non legimus interrogatum Athanasium qua intentione id fecisset, sed tantum pueros de observatione ritus Ecclesiastici. Optime ergo noverat Alexander hanc observationem externi ritus sufficere, nec intentionem aliam requiri ad validitatem baptismatis. III. Nicolaus I. ad Consulta Bulg. cap. 104. definit ratum esse baptismum a Judæo collatum, si servavit præscriptam formam, nihil de intentione definiens: idem habetur apud Grat. de Consecrat. dist. 4. cap. *A quodam*. De Innoc. IV. ejusque Commentario in cap. *Si quis puerum*, dictum supra. In provinciali Synodo Rothomagensi anno 1581. & in Aquensi anno 1585. probatus fuit baptismus Calvinistarum, quoniam & hi servant Ecclesiæ ritum & formam. Denique Theologorum judicio, & Sorbonæ sententia habitum fuit ut ratum ac validum baptisma datum a Parocho Massiliensi, de quo supra, necnon approbatæ ordinationes Petri Lavardini, Episcopi Cœnomanensis, qui testatus est nunquam se habuisse intentionem ordinandi, imo nec suscipiendi Episcopatum; ut narrat Jacobus Sambovius in solut. Cas. Consc. Tom. 2. cas. 17.

Res. Hucusque adversarios nil prorsus, præter inania verba, produxisse. Ad primum namque affirmamus, dum Ecclesia decrevit nullum esse Sacramentum joco peractum, dum sancivit requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, dum proscripsit propositionem, *Valet baptismus, &c.* protulisse saltem consecutive judicium adversus sententiam, quam oppugnamus; quoniam sententia nostra nec est intentio recta, qua ministrans se Christo, & Ecclesiæ subjiciat, nisi proponat peragere Sacramentum; nec serio perficitur quod fit animi obluctatione; nec valet baptismus cum apud se minister decernit non baptizare; nec denique Alexander VIII. proscripsit Lutheranam doctrinam, sed serpentem in Belgio novitatem; quæ omnia cum supra singillatim sint a me commonstrata, necessum non est modo cum lectorum fastidio eadem repetere. Ad alterum primo dicimus, dum contra Donatistas approbatum est Sacramentum a quocumque ministro improbo collatum, *dummodum consecratum sit verbis Evangelicis*, demonstratam fuisse simul necessitatem intentionis internæ, quoniam verba, quæ diversam significationem patiuntur, ut *Baptizo, signo te, &c.* non consecrant materiale elementum, nisi adsit intentio faciendi rem sacram, idest,

ut sit

ut sit solemni ritu a Christianis; quamobrem si loquuntur de baptismo *consecrato* verbis Evangelicis, loquuntur de baptismo collato cum intentione peragendi rem sacram; sine qua intentione ablutio indifferens est, ut sit profana, vel *consecrata*. Deinde reponimus controversiam inter Catholicos, & Donatistas non fuisse de intentione ministrorum, sed an valeret Sacramentum collatum ab improbis & hæreticis; nihil autem repugnat ministrantem esse improbum & hæreticum, imo paganum & ethnicum, & nihilominus proponere sibi faciendum, quod novit a Christianis haberi tamquam sacrum & religiosum. Nec verum est perperam a nobis distingui inter perversitatem fidei ac morum, & perversitatem intentionis, cum Ecclesiæ Patres affirment Sacramenta nunquam pollui scelere aliquo, & perversitate ministrantium; primo quia officere Sacramentis aliquam perversitatem, ipsi adversarii fatentur, haud negantes nullum esse baptismum ludicra actione datum; & ludicra ipsa actio continetur *sub genere perversitatis*: secundo quia dum inquiunt Patres Sacramentis divinam virtutem inesse, neque contaminari ulla ministrantium improbitate, uti supponunt materiam & formam, quia sine his non perficitur Sacramentum; ita supponunt intentionem faciendi rem sacram, quia sine hac intentione ablutio est actio indifferens aut profana, non *Sacramentalis* & mystica: tandem quia distinguendam esse perversitatem intentionis respectu Sacramenti, & respectu effectus qui Sacramentum consequitur, & primam perversitatem esse *cum aliquis non intendit Sacramentum conferre*, eamdemque perversitatem tollere veritatem Sacramenti, expresse docet S. Thomas 3. p. q. 64. art. 10. ut supra vidimus. Quomodo ergo Patres docent Sacramentis nequaquam officere quicquid comprehenditur *sub communi nomine improbitatis*? Ad tertium principio summopere miramur, cur nobis opponatur factum Athanasii, cum ipsi adversarii nostri fateantur illud laborare maxima suspicione, atque hæreticis idem objectantibus reponant haud repugnare quin Athanasius, nisi grandævus ætate, jam adolescens, & Christianis rudimentis imbutus habuerit veram intentionem. Quod ergo omnes adversus hæreticos respondemus de intentione serio agendi, id ego respondeo Catharini patronis de intentione faciendi rem ut sacram, quam intentionem potuit quidem puer Athanasius habere. Si autem non habuit; cum intentione hac deficiente doceant illi externum ritum determinari ad esse Sacramenti *a circumstantiis*; dico, quod in eorum potius sententia nullum fuisset Sacramentum collatum ab Athanasio. Non enim ludebant pueri ad fontem baptismalem, sed ad litus maris, nec sacras vestes induerant, sed insignia chartacea. Deerant ergo circumstantiæ, quæ in eorum sententia determinant externum ritum ut sacer sit, non profanus. Si autem sacer fuit, determinari debuit ab Athanasii intentione. Præterea novit Alexander tinctos ab Athanasio solos impuberes Catechumenos; optime ergo percepit Athanasium voluisse ritum illum perficere, non quomodocumque, sed ut fiebat ab Episcopo, qui solos Catechumenos baptizabat, ut animadvertit cit. §. 24. in responsione ad objectionem postremam illustris Estius. Ad definitiones num. 3. productas respondeo inde nihil posse ab adversariis inferri. Nam quod attinet ad rescriptum Nicolai I. interrogatus fuerat tantum de conditione ministri, non de intentione, idest, *an ratus esset baptismus datus a Judæo, vel pagano*: nec in eodem rescripto ullum invenies verbum de ritu externo serio peracto. Adeas Tom. VIII. Conc. pag. 548. Immo si Nicolaus eo loci expresse Catharini sententiam tradidisset, facile demonstrarem ex ipsis adversariorum notationibus nil roboris argumento ipsorum inesse. Ibi enim Nicolaus absque ulla verborum ambiguitate docuit ratum esse baptismum *vel in trium personarum, vel in solius Christi nomine consecratum*: quod ob Nicolai rescriptum præter Scholasticorum plurimos affirmat Glossa ad præcitatum caput, *A quodam*. At oppositum tenent celebriores adversarii, præsertim Juenin dissert. 2. de Sacramentis q. 4. cap. 3. art. 3. & in expolita dissertatione contra virum Cl. Josephum Augustinum Orsi cap. 15. Catharini eruditissimus Vindex. Is autem ad Rescriptum Nicolai cum Bellarmino, aliisque respondet Nicolaum in illo ad Consulta Bulgarorum responso, tamquam privatum doctorem a præcedentium Pontificum decretis apertissime descivisse, in his maxime, quæ ad propositam quæstionem non pertinebant. Atque hujus generis esset, si quid Pontifex eo in loco de intentione disseruisset adversus sententiam nostram. At enim nihil penitus de intentione proferat Nicolaus, plura de hoc rescripto dicta sunt, quam postulabat inanis objectatio. De Innocentio autem, verbosior ero quam oporteat, si addam aliquid. Merito in Synodo Rothomagensi sancitum est non esse rebaptizandos redeuntes a Calvinistis ad Ecclesiam Catholicam; sed hæc definitio facta est contra eos, *qui dubitabant de valore baptismi ab hujusmodi hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum*. Ita cap. VI. num. 2. Tom. XV. Concil. pag. 826. His autem verbis excluditur necessitas intentionis finis, non intentionis faciendi rem sacram; ut mirum sit adversarios doctissimos eruditionis apparatu nobis, ceterisque rudioribus fucum facere. At Rothomagensis canon Aquensem eodem Vol. p. 1425. dilucide exponit. Et quidem Calvinistæ, licet non credant conferri gratiam per Sacramenta, nec putent Ecclesiam Christi esse Ecclesiam Romanam, (quod ad Sacramenti veritatem minime est necessarium) intendunt tamen baptizare, ut baptizatur in Christi Ecclesia: atque ad id contestandum baptizant *in cœtu publico*, ut ibidem affirmat utraque Synodus. De Parocho Massiliensi dictum supra, ac sæpe repetitum, qualemcumque malam intentionem finis, etiam propositum devovendi dæmoni baptizatos, stare cum intentione peragendi rem sacram. Quantum vero attinet ad Episcopum Cœnomanensem, distinguenda est intentio suscipiendi ab intentione conficiendi Sacramenta; intentio quippe, de qua loquimur, in suscipiente requiritur ad obtinendam gratiam, non ad Sacramentum perficiendum, nisi sermo sit de iis Sacramentis, in quibus intentio concomitatur materiam, ut in Sacramento Pœnitentiæ, ac Matrimonii: intentio autem ministri necessaria est, non ad effectum, sed ad perfectionem Sacramenti. Itaque Petrus Lavardinus, etiamsi animo simulaverit, vere fuit inauguratus Episcopus, modo promotus non fuerit per vim externam, & omnino reluctans, de qua re est etiam inter Doctores contentio. Sacramenta autem ab eo collata, si habuit *perversam intentionem finis*, adhuc fuerunt valida; si *perversam intentionem non peragendi rem sacram*, fuerunt nulla.

Secundo loco objiciunt auctoritatem Augustini, qui de Baptismo lib. VII. cap. 53. num. 101. permixte quæstiones varias proponit. Prima est, *Utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit*. 2. *Utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille cui datur, cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea quæ putatur Ecclesia; an jocans, sicut in mimo: & quid sit sceleratius in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi vel schismate sine fallacia, idest, animo non simulato; & utrum in hæresi fallaciter, an in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur*. 3. *Si tradens & accipiens fallaciter agant in ipsa unitate Ecclesiæ, utrum hoc magis baptisma acceptandum, an illud quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat: an quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distet inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia; ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil intersit*. Hæ sunt quæstiones ipsis Augustini verbis propositæ. Quid autem S. Pater respondet? Ostendit primum suam in definiendo modestiam: deinde ad quæstionem primam respondet, *habere eos baptismum, qui ubicunque, & a quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent: quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si caritate caruissent, qua catholicæ insererentur Ecclesiæ*. Ad secundam respondet ad hunc modum: *Sicut jam præteritis majorum statutis non dubito etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiant, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, Ex nobis exierunt*. Ad tertiam denique respondet: *Ubi autem neque societas ulla esset credentium, neque ille qui ibi acciperet ita crederet, sed totum ludicre & mimice & joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem*. Nota hoc ordine Augustinum suas responsiones contexere: nam ego fideliter verba ab exordio ad finem usque, tam quæstionum propositarum, quam responsionum exscripsi. Hinc sibi mire plaudunt adversarii de reportata victoria. Apertissime enim, inquiunt, docet Augustinus *ex majorum statutis* stare ratum validumque baptismum, seu in Ecclesia, seu extra Ecclesiam, fallaciter & cum simulatione suscipiatur. Igitur Augustinus negat necessitatem intentionis, quam nos propugnamus.

Dabo ceterorum responsa, deinde proprium subjiciam. Solet primo responderi Augustinum nihil definitive pronuntiare; ait enim num. 102. *Sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententia, quæ nullo in Catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt*. Insurgunt adversarii contendentes interpretationem hanc esse a mente Augustini alienissimam; hæc enim pronuntiat sanctus Pater de baptismo, qui initio confertur joco, & repentina pietate jocans mutatur; de fallacia enim absque hæsitatione pronuntiat, *Sicut jam præteritis majorum statutis non dubito eos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant*, &c. Ideo Juenin ait Bellarminum, qui responsionem illam adhibet, Augustini verbis abuti: maxime cum S. Pater ibidem asserat, fallaces, sive dantes, sive accipientes, si postea prodantur, pœnitentia quidem, non autem iterato baptismo sanari. Bellarminus tamen Augustinum meliori ponderatione legit: nam modesta illa S. Patris declaratio præcedit quamlibet responsionem ad præcedentia quæsita, ut constat legenti; & si quis totum caput nolit expendere, cernat

quo

quo in locu scriptum sit in margine, *Responsio*. Nec quemquam movere debent præcedentia verba: *Si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur*; nam excommunicatur, qui tradit fallaciter, *si agat in unitate Ecclesiæ*, idest, si simulet se esse catholicum, cum sit hæreticus; quæ simulatio non est simulatio intentionis, sed simulatio fidei: *& pœnitendo sanatur*, qui simulat recipiendo, cum baptismus recedente fictione reviviscat; sed hæc simulatio est in subjecto, non in ministro. Quare hæc prior responsio firma persistit.

Respondent alii, utique Augustinum firmiter asseruisse validum ratumque baptismum fallaciter acceptum, & fallaciter datum. Sed numquid Augustinus cum *fallaciter* dixit, exclusit intentionem conficiendi Sacramentum? Minime: *Fallacia* nomine intelligitur simulatio fidei, sive simulatio eorum, qui non inseruntur Ecclesiæ, in Catholica tamen Sacramenta aut conferunt, aut recipiunt. Juenin §. 2. subirascitur Estio, ac Sylvio, quod *fallacia* nomine interpretentur affectum ad peccatum mortale, ita, ut fallaces illi sint, qui ad sacra mysteria sine præparatione accedunt. Verum id nec Estius, nec Sylvius somniarunt. Nam Estius ad argumentum petitum ex lib. vii. de Baptismo Tom. iv. pag. edit. Duaci 22. hoc unum respondet: *De quarto loco respondemus dubitationem Augustini jam, quod ipse optat, remotam esse non unius, sed duorum Conciliorum generalium definitione*: nec aliter Sylvius in 3. p. pag. edit. Antuerpiæ 225. Estius quidem explicat quædam alia Augustini loca de intentione, *quæ in bonum vel malum finem dirigitur*; & me quidem judice rectissime; sed nihil aliud profert ad objectionem, in qua versamur, præter id, quod dictum est nuper. At communior responsio asserentium loqui Augustinum de simulatione fidei, frustra ab adversariis excutitur. Principio enim proferant, quæso, unum verbum, quod exprimat *intentionis* simulationem. Deinde commonstrent de sententia ipsorum sermonem instituere Doctorem maximum, dum ait loqui se *ex præteritis majorum statutis*. Ubi nam statuta ista leguntur? Hoc unum statutum fuerat, rata esse Sacramenta collata ab hæreticis, a schismaticis, ab improbis: ideoque Augustinus *fallaces* dixit, qui simulant fidem, qui simulant unitatem Ecclesiæ, qui simulant probitatem. Præterea dum Augustinus ait, *Sed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem, cum & tradens & accipiens fallaciter agant in Ecclesia*: & infra, *Quamvis fallaciter accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, Ex nobis exierunt*; nonne aperte innuit se illos appellare fallaces, qui cum sint extra Ecclesiam, simulantes societatem Sacramenta accipiunt in ipsa Ecclesia? De hac ergo fallacia, de hac simulatione accipiendus est S. Pater.

Tradidi hactenus, & vindicavi aliorum responsa: sed nisi desipiam omnino, in Augustini verbis nihil deprehenditur difficultatis. Mirum hoc lectori videbitur post tot objectantium strepitus, si solum Augustinum legerit apertis oculis. Prima quæstio, ut liquet, est *de baptismo dato ab eo, qui non accepit, sed curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit*. Hic est paganus, a Christiano quodam edoctus quid apud nos solemniter peragatur, idque tradens quod didicit. In hoc negamus deesse intentionem faciendi rem factam, & ideo recte Augustinus ad hanc quæstionem respondit ratum esse *baptismum ubicunque, & a quibuscunque accipiatur*. Altera quæstio est *de baptismo ejus, qui accipit cum simulatione, sive fallens in Ecclesia, sive jocans, sicut in mimo, si inter agendum repentina pietate moveatur*. Hic est, qui petit baptismum a Catholico, vel a Schismatico, fallaci simulatione; aut si petat mimice, subito commotus convertitur. In hoc casu dicimus esse *simulationem fidei* ex parte accipientis, non *simulationem intentionis* ex parte dantis; quo in casu validus est baptismus: ideoque ait S. Pater: *Sicut jam præteritis majorum statutis, non dubito illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur*: ubi nonne perspicuum est loqui Augustinum de simulatione sola fidei ex parte *accipientis*? Certe, præterquamquod aperta sunt verba, tam quæ recitata sunt modo, quam quæ præcedenti numero extant in propositione quæstionis; nec simulat minister qui est in Ecclesia, nec ille qui putat se esse in Ecclesia; idest, non simulat Catholicus, non hæreticus, non schismaticus baptizans; etiamsi baptizatus fallaciter vel fidem, vel hæresim, vel communionem schismaticorum profiteatur. Tertia quæstio est, utrum approbandus sit baptismus, *ubi nulla esset societas credentium, sed totum ludicre, mimice, & joculariter ageretur*. Ad hanc vero quæstionem quid respondet Augustinus? Respondet *divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus esse implorandum*; quod non ait hæsitans de fidei dogmate nunc adversus hæreticos definito; sed tantum in casu expresso in postrema quæstione, *si quis existat qui fideliter subito commotus accipiat*. Puto tam exacta laudati cap. liii. analysi penitus comprimi adversantium conatus.

At enim, inquiunt, ex Augustini principiis oppositum omnino concluditur. Etenim S. Pater adversus Donatistas ait effectum baptismi non pendere ex conscientia baptizantis, nam alioqui baptizatorum salus semper penderet incerta: docet spem non esse locandam in homine, ideoque a ministrorum meritis petendam non esse efficaciam Sacramentorum: commonstrat solum Christum esse justificationis nostræ auctorem; vide supra cap. xiv.

Resp. bene sapienterque omnia dici: effectus enim baptismatis non pendet a probitate ministri, ut Donatistæ somniabant, sed a meritis Christi, & a virtute Sacramentorum: quæ tamen Sacramenta, cum perficiantur per ministros, nulla sunt si desit ipsorum ministrorum intentio. Nec sequitur deberi nos ob salutis incertitudinem continuo tristari; quoniam nec firmissimam gratiæ certitudinem habemus, ut diximus contra hæreticos similia objicientes, propositione transacta: nec spes nostra est in eo qui signa applicat, & determinat, sed in eo, qui iisdem signis virtutem contulit: nec denique necessariam dicimus in ministro intentionem largiendi gratiam, sed tantum intentionem perficiendi Sacramenta, quæ ut semen fructiferum, sensu superius explicato, gratiam ipsam producunt. Verum in his argutiolis audiemus iterum oppugnatores.

Ex S. Thoma duo objiciunt, ac tertium addit Farvacques. Primum petitur ex art. 8. cit. ubi ad secundum ait: *Dicendum quod circa hoc est duplex opinio: quidam enim dicunt quod requiratur mentalis intentio in ministro, quæ si desit non perficitur Sacramentum: sed hunc defectum, inquiunt, in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum, supplet Christus, qui interius baptizat; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis: sed quantum ad effectum qui est res & Sacramentum, scilicet, quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character numquam imprimitur nisi per Sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister: in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum*. Ex quibus verbis ita argumentantur: S. Thomas refellit opinionem eorum, qui putant ad perficiendum Sacramentum requiri intentionem *mentalem*. Ergo censet sufficere propositum serio agendi ritum externum. Item ait Angelicus Doctor Sacramentum perfici, si minister exprimat verbis intentionem Ecclesiæ, cujus est minister, dummodo exterius contrariam intentionem non manifestet. Excludit ergo *internæ* intentionis necessitatem. II. In iv. sententiarum dist. vi. quæst. i. art. 2. quæstiuncola i. ad 2. scribit S. Thomas: *In baptismo & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideo si forma servatur, nec exterius aliquid dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est*. His verbis aperte S. Thomas docet ratum esse baptismum, dummodo minister serio proferat verba ab Ecclesia instituta, nec exterius significet contrarium mentis suæ propositum. Id vero quid aliud est, nisi sententia ipsa, quam perperam vellicamus? Non tantum Contensonius §. vi. laudatæ dissertationis, Juenin §. 3. Serry cap. 7. & Farvacques arg. 3. post Catharinum sibi Beatum Thomam assentiri gloriantur; verum etiam eam esse Angelici Doctoris mentem fatentur nonnulli opinionis adversæ cum Vasquesio disput. 138. cap. iv. num. 44. III. Addit Farvacques quæ de ministro scribit S. Thomas 3. p. q. 64. art. 9. ad i. *Licet credat per id quod agitur exterius nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi quæ exterius aguntur præbere Sacramentum. Unde non obstante infidelitate potest intendere facere quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia, sicut supra dictum est, minister agit in persona totius Ecclesiæ*.

Respondent viri in Sancto Thoma exercitatissimi, Cajetanus, Dominicus Soto, Gonet, Cardinalis Gotti, Sylvius, Salmanticenses, aliique quamplurimi, nequaquam S. Thomam excludere necessitatem internæ intentionis, nec sufficientem existimare solam expressionem verborum: quomodo enim hoc eodem loco, qui objicitur, affirmaret ministrum agere in persona totius Ecclesiæ absque interna intentione, cum juxta Sanctum Thomam in eadem q. 64. ille tantum se gerat ut Ecclesiæ minister, qui, tamquam instrumentum animo præditum, Christo agenti principali se subjicit? quomodo potest in sola expressione verborum agnoscere intentionem Ecclesiæ, cum intentio sit interior actus ministrantis indifferentem actionem determinans? quomodo potest nunc excludere intentionem illam *mentalem*, cujus defectum tollere veritatem Sacramenti tam aperte docet proximo articulo nono? quomodo de mente Doctoris Angelici hæsitabimus, posteaquam Opusculo V. tam diserte necessariam asseruit intentionem

non

non tantum faciendi quod facit Ecclesia, sed etiam intentionem peragendi rem sacram, scribens: *Si minister Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum!* Ita Tom. xvii. pag. 63. Quid his expressius, quid enucleatius proferri poterat? Itaque mentem S. Thomæ, inquiunt præclari disputatores, non aliunde, quam ex ipso Thoma debet quis expiscari. Objecerat 2. loco neminem posse habere salutis certitudinem, *si necessaria sit ministrorum intentio*, propterea quod intentio alterius nequeat cuiquam mortalium patescere. Quid ad hanc objectationem Angelicus? Reponit, non defuisse qui existimaverint necessariam quidem intentionem *mentalem*; haberi tamen hanc certitudinem, quoniam in parvulis defectum intentionis supplet Christus, in adultis autem fides & devotio suscipientium; sed hanc opinionem falsam esse, quoniam fides & devotio potest quidem supplere id quod requiritur ad justificationem, at non id, quod requiritur ad perficiendum Sacramentum; alioquin ejusmodi fides suppleret etiam defectum materiæ & formæ, & pueri sine lavacro regenerationis salvari possent. Ex illa itaque opinione, quod Christus, aut fides suscipientium suppleat quod deest, ut propugnarunt Alensis, Gabriel, Durandus, & alii, haberi nequit certitudo illa salutis. Unde ergo ad pacandam conscientiæ agitationem erit nobis confugiendum? quomodo de salute certi erimus? Præsumendum adeo non est, ut certi simus omnino, atque, ut hæretici dogmatizant, certitudine penitus inconcussa. Moralem tantum certitudinem habere possumus; & hanc quidem, modo conspiciamus sacros ministros serio agentes, nec verbis factisque commonstrantes animi reluctantiam, habet unusquisque baptizatorum; ideoque quantum attinet ad salutis solicitudinem, unusquisque de suscepto a se baptismate certus est. Huic responsioni subscribo; etsi enim nuperus Scriptor post Catharinum & Contensonium contendat violentam esse, & cum titulo, cum doctrina, cum ipsa objectione pugnantem; aliter tamen censent innumeri alii in S. Thomam studiosissimi. Et quidem merito; id enim quod in responso aliquo continetur, ad objectionis trutinam debet expendi. Præterquamquod ad argumentum, quod tanta facilitate in sententia adversariorum diluitur, non opus erat uti tali verborum complexu: sat erat uno verbo reponere, haberi certitudinem salutis, dummodo peragatur externus ritus. Immo videntur adversarii nostri adstruere certitudinem peracti Sacramenti plusquam moralem, atque ejuscemodi, quæ visu & auribus comprobetur. Quod enim baptizans fundat aquam, & exterius serio gerat se, oculis adstantes omnes conspiciunt: quod utatur præscripta forma, illud percipiunt aura. Quis autem nobis persuadeat tam certum esse baptizatum percepisse characterem, quam certum est vara esse quæ vivido sensu percipiuntur? Servata itaque Syllogistica forma dist. propositionem: Excludit S. Thomas intentionem mentalem, ut habeatur moralis certitudo salutis, concedo: ut perficiatur baptismus, subdist. in se, nego: in judicio Ecclesiæ, & conscientia suscipientis, concedo. Atque hæc responsio solvit etiam argumentationem secundam; est enim utrobique idem scopus, eademque objectio.

Quamquam jure commune responsum selegi, neque illud adhibui sine aliqua ponderatione; non desunt tamen, qui reponant, sanctum Thomam non rejicere opinionem eorum, qui requirunt intentionem *mentalem* absolute, sed in quantum dicit ejus defectum suppleri in parvulis a Christo, in adultis vero a fide ac devotione eorumdem. Hanc responsionem præfert alteri Aurelius noster Lovaniensis. At hæc responsio, licet primo aspectu videatur verbis S. Thomæ collineare, & revera S. Thomas non sentiat defectum intentionis posse suppleri; contraria ait tamen secundo testimonio, in quo ait: *In baptismo non requiritur mentalis intentio*: neque ulla est inter ea quæ leguntur in Summa, & in iv. sententiarum pugna contradictionis. Sunt & qui respondent excludi a S. Thoma intentionem *actualem*; sed hi, ut optime adversarii observarunt, confundunt quæ S. Thomas ad tertiam, & quæ ad secundam objectionem tradit in Summa, sive ad 2. & ad 4. in dist. vi. laudatam. Parum ab his recedunt, qui cum P. Nicolai censent non exclusisse Sanctum Thomam qualemcunque ministri intentionem, sed specialem, expressam, & cum attenta deliberatione conjunctam. Quare salvo aliorum judicio existimo traditum a Cajetano, & in Schola Thomistica pervulgatum responsum, germanum esse, legitimum, & inconcussum.

At quod addit Farvacques ex art. ix. quæst. 64. ad 1, infirmissimum est, detegitque quorundam allucinationem. Infirmissimum quidem est, nam eo in loco S. Thomas affirmat necessariam non esse in ministro fidem, qua tevera credat Sacramenta Divina esse, & per illam conferri gratiam; quo nihil sapientius dici poterat. Si enim hæc fides foret necessaria, numquam ratum esset baptisma datum vel a Judæo aut pagano, qui putant Sacramenta nostra nulla esse, vel a Calvinista, qui negant per ea inhærentem gratiam produci. Exigit tamen beatus Thomas, ut qui ea fide destitutus est, non ignoret quod Ecclesia Catholica per ea, quæ agit exterius, intendit perficere Sacramentum, & quod se gerat tamquam hujus Ecclesiæ minister, ideoque non proponat facere qualemcunque ritum, sed religiosum & sacrum. Quare per S. Thomam tria sunt distinguenda, fides ministri, propositum conferendi gratiam, & intentio faciendi Sacramentum ut fit in Ecclesia Christi, qualiscunque tandem sit Ecclesia ista, sive vera, sive falsa, sive apud Catholicos, sive apud hæreticos: quorum trium hoc postremum necessarium est, non primum, nec alterum; & si hæc accuratius distinguerentur, causa finita esset. *Si vero*, (inquit S. Thomas) *patiatur*, minister, *fidei defectum circa ipsum Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia Catholica intendit per hujusmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum: unde non obstante infidelitate potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet existimet id nihil esse: & talis intentio sufficit ad Sacramentum, &c.* Tanta affulgente luce hæc ipse Farvacques scripsit pag. 157. *Angelicus Doctor non tantum requirit ritus externos, etiam non mimice adhibitos, sed insuper ut minister sciat saltem confuse & generaliter Ecclesiam intendere per ejusmodi ritus præbere Sacramentum, seu aliquam rem sacram & utilem, non mere profanam.* Quid ergo tanta pro Catharino argumenta? Omnia perierunt. Debet minister *non ignorare quod Ecclesia Catholica intendit per ea, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum.* Ita S. Thomas, Debet minister *habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia.* Ita decreta Conciliorum sanctorum, Ergo debet minister intendere *per ea, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum.* Ad quid enim scientia illa, saltem confusa, nisi ad dirigendam intentionem? Nunne ut intendamus tantummodo externum ritum, sat est materiam & formam non ignorare? Cur ergo, si Catharini sententia vera est, necessum est insuper haud ignoret minister adhiberi in Christi Ecclesia exteriores ritus more quodam mystico, solemni, Sacramentali? At video de mente Sancti Thomæ satis superque dixisse.

Tenent quartum locum argumenta a ratione deprompta: decem profert Tom. xiii. disp. 2. Alphonsus Salmeron: quatuor Contensonius §. 7. ac totidem Juenin §. v. octo Serry cap. 9. & Auctor Op. de re Sacramentaria n. viii. sunt autem ejusmodi. I. Valet baptismus a Judæo, pagano, & atheo collatus: sed hi homines intentionem faciendi ritum sacrum nec habent, nec habere possunt: igitur hæc intentio ut baptismus ratus sit, non requiritur. Probatur minor: illi enim nequeunt ritum aliquem ut sacrum intendere, quem tamquam superstitiosum & sacrilegum execrantur: at Judæi & pagani execrantur ritum baptismatis tamquam sacrilegum: igitur nequeunt intendere ritum illum ut sacrum. II. Quamvis minister credat, ei Christus nihil aliud commisisse quam nudum externumque ministerium; modo itaque Evangelicum ritum serio celebret, vere Sacramentum conficit, & huic divina virtus assistit; probatur consequentia, qui enim nudum ministerium exercet, agit tamquam instrumentum, quod a causa principali movetur: ideoque qualemcunque intentionem ille habeat, nequit labefactari opus, quod in rectum finem a principali agente dirigitur. III. Non est, quemadmodum omnes consentiunt, necessaria in ministro intentio producendi effectum; ergo nec intentio peragendi rem sacram: probatur consequentia, nam quemadmodum Christus noluit gratiam & characterem pendere a secreta intentione ministrantium, ita noluit ex eadem intentione externum opus nancisci, ut sanctum sit, divinum, mysticum, sacrum. IV. Ecclesiæ ministri funguntur officio legatorum Christi; voluitque Deus, ut Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, formam haberet externæ & aspectabilis reipublicæ. Atqui acta ministrorum Reipublicæ valent, modo peragantur seria administratione quæ exterius pateat, quamvis interius minister detrectet se gerere tamquam ministrum Reipublicæ; ita enim Aman reluctans animo, & apparenter obsequium exhibens Mardochæo, vere illum affecit honore proferens jussu regis ea verba, *Sic honorabitur quem rex honorare voluerit.* Valet ergo pari ratione Sacramentum, dummodo ministrans celebret externum ritum, & præscriptam formam adhibeat. V. Ecclesia visibilis est, & Sacramentum signum, & res sensibus subjecta; nihil ergo quod non pateat sensibus, in Sacramenti definitione ponendum est; atque adeo latens intentio ministri Sacramento penitus est extranea: alioqui quonam pacto propugnabimus Sacramentorum naturam sitam esse in sensibilibus elementis, & qua ratione contra hæreticos demonstrabimus Ecclesiam esse visibilem; num de fidelium baptismate, & de Sacerdotum consecratione aliquid certi statuere possumus, si necessaria sint baptizantium internum propositum, & conferentium sacros ordines voluntas sincera & intima? VI. Imo, si hæc sententia tenenda sit, nec sustinere possumus quod Ecclesia nequeat deficere: contingat enim Episcopum non habere intentionem initiandi statutos ante se clericos, hos vero missas celebrare, peccata absolvere; tunc quidem Clerus, pars Ecclesiæ præcipua, erit fictitius, nullaque sacrificia, & scelerum absolutio: & si parochus non intendat conferre baptis-

baptismum, nec turba fidelium erit regeneratorum cœtus & congregatio. VII. Episcopi nullam intentionem habent ordinandi excommunicatos, idque etiam in Ordinum collatione palam restantur; nihilo tamen minus si excommunicato cum prolatione verborum præbeant materiam, erit Ordo ratus ac validus. VIII. Si valor Sacramenti pendeat ab intentione ministri, nemo habere poterit moralem salutis suæ certitudinem; cum ergo Sacramenta instituta sint, ut ex his homines gratiam hauriant, ad ea autem accedentes non discrucientur importunis animi anxietatibus, non debent a ministrantium voluntate pendere. IX. Sacramentum est signum e Christo institutum; sed signa effectum producunt, dummodo exterius ponantur: ergo & Sacramentum efficax in se est, modo celebretur exterius. X. Si minister interius sic decerneret, *Nolo conficere Sacramentum*, & tamen exerceret actum exteriorem, haberet duas voluntates inter se mutuo pugnantes: et quando occurrunt duæ oppositæ voluntates, illa quæ effectum obtinet vera censetur, altera autem reputatur mera velleitas. Id comprobatur exemplo mercatoris, qui licet merces suas servare vellet, si id posset incolumis, eas tamen actu projicit in mare, dum tempestate jactatur; atque ita voluntate servandi vitam superat voluntatem servandi merces. Ita in nostro casu voluntas, qua exercetur actus externus, superaret & irritam redderet voluntatem, qua minister apud se statueret, *Nolo conficere Sacramentum*. XI. Si materia applicetur formæ, coalescit compositum; si medicamenta præbeantur ægroto, conferunt sanitatem, si artifex attente se gerat exterius, perficit opus: igitur & Sacramentorum minister si materiam formamque adhibeat, eadem conficit. XII. Ut Sacramentum ratum sit, necessum non est, ut is, qui suscipit, intendat recipere aliquid religiosum & sacrum; ergo nec requiritur, ut rem aliquam religiosam & sacram præbere & conficere intendat minister ac dispensator.

Resp. hæc omnia argumenta non solum talia non esse, quibus ultro cedant qui ea pensitarent pacata mente, quemadmodum ajunt facundi Vindices Catharini; verum nec aliquid præferre dubitationis, quod non elidant contrariantque præmissa & discussa momenta. In gratiam tamen tyronum singula objecta servato scholarum more dispellamus. Itaque ad primum, animadvertimus paullo supra paganum & Judæum dum baptizat haud ignorare, ut inquit S. Thomas, id quod peragit, haberi apud Christianos tamquam religiosum & sacrum; quod licet ipse baptizans non credat, vult tamen se gerere tamquam Ecclesiæ nostræ ministrum, & consequenter *implicite* peragere externum ritum ut sacrum. Distinguenda itaque est minor: Hi homines nequeunt habere intentionem faciendi rem sacram, *explicite*, & revera credentes rem illam esse sacram in se, concedo: *implicite*, & non ignorantes rem illam haberi sacram apud Ecclesiam, nego. Neque dicas, si ita res se habeat, etiam qui intendit serio peragere ritum externum, habebit intentionem *implicitam* faciendi rem sacram: nam ritus externus indifferens est, ut fiat more sacro, aut profano; quod autem fit ab Ecclesia tamquam sacrum, non indifferens est, sed in aliquo genere determinatum: atque intentio *implicita* locum habet in iis, quæ determinata sunt, non in iis, quæ indifferentia permanent, ut supra exemplis commonstratum est, & mox repetam. Ad 2. negamus antecedens; non enim Christus commisit Ecclesiæ ministris nudum ministerium, sed eis etiam contulit Sacramenta conficiendi potestatem: nec instrumenta sunt mortua & inanimata, sed viventia, & ratione consilioque prædita, quæ nihil efficiunt, nisi principali agenti se deliberate subjiciant; & quemadmodum si hæc instrumenta joco, & ludicra actione moveantur, satis non est recta voluntas principalis agentis, ut ritus censeatur serio peractus; ita si moveantur absque proposito faciendi rem sacram, non sufficit sola intentio Christi, ut sit vere solennis & sacra, uti supra enucleatius explanavimus. In tertio est obvia, ac jam detecta disparitas. Quando enim causa aliqua determinata est ad producendum effectum, non requiritur ejusdem effectus *explicita* intentio; requiritur tamen ut causa determinata sit, quod tollatur ejusdem indifferentia: ideoque futilis est tertiæ argumentationis illatio. Quarta eodem vitio laborat; quippe non distinguit inter ministros, qui exequuntur mandata, & inter eos, qui præditi sunt potestate: nec observant qui hæc objectant, in temporali republica spectari duntaxat civilem politiam, & humanum commercium, in Ecclesiastica spiritale bonum intendi; magistratus institutos fuisse ad regimen civitatis, Sacramenta vero ad animarum medelam; ministros principum exercere in foro exteriori jurisdictionem, at Sacerdotes etiam cordium inquinamenta diluere. Profecto si attendenda esset in Republicæ politia latens quædam ac spiritalis potestas, recte diceretur, seditiosum legatum dum paciscitur de fœdere concitare ad bellum, & Aman obsequendo externa ceremonia Judæum virum, hunc ludibrio potius, quam honore, affecisse. Ad legatorum officia, pactiones, munera esse, ut plurimum, in suo genere determinata, non autem, ut sunt externi ritus, indifferentia. Ad quintum dicimus in signis *practicis* non solum attendendam esse externam speciem, verum etiam latentem efficientiam, & utrumque designari in definitione Sacramenti N. L. a nobis tradita: ita in cœtu Ecclesiæ visibilis spectanda est professio ejusdem fidei, & participatio Sacramentorum, & fidei, Sacramentorumque latens veritas. Sicut ergo est in Ecclesia occultus hæreticus, qui profitetur fidem, & tamen hujus non est vera professio; & sicuti esset in Ecclesia visibilis participatio Sacramentorum, si panem non consecratum impius Sacerdos fidelibus dispensaret, & nihilominus non esset verum Sacramentum; ita, si minister absque intentione ulla faciendi rem sacram perageret externum ritum, esset Sacramenti imago quædam, & species exterior, non latens virtus & veritas. Proximum hac ratione refellitur: De fide est Ecclesiam non posse deficere, de fide est in ea offerri verum sacrificium, de fide est haberi in ea virtutem Sacramentorum. At non est de fide hunc puerulum esse baptizatum, hanc numero hostiam esse consecratam, in hoc, aut illo fidem non defecisse; quoniam certi scimus Christum Ecclesiæ in communi, ejusque supremo Rectori assistentiam suam spopondisse, quam nequaquam in particulari promisit unicuique. Sicut ergo inepte ratiocinatur, qui ait: Potest contingere ut unus aut alter Sacerdos non proferat verba consecrationis, ideoque non offerat sacrificium, ergo in Ecclesia potest deficere quodlibet sacrificium; aut, Potest evenire ut aliquis non baptizatus promoveatur ad sacros Ordines; ergo deficere potest Clerus universus: ita insulse nimium, & inscite argutatur, qui, si contingat ratum non esse baptismum serio collatum, subinfert posse deficere Ecclesiam, & quælibet Sacramenta. Mirum præterea est Theologos viros ejusmodi scrupulis commoveri; quod enim potest contingere defectu intentionis, nonne evenire potest defectu materiæ vel formæ? Nonne minister improbus potest, dum puerum tingit, pro aqua naturali aliam effundere, & quod facilius est, formam corrumpere aut prætermittere? Quid ergo fiet postmodum, si puer iste, equidem non baptizatus, fit adoptatus inter Clericos, inunctus Sacerdos, inauguratus Episcopus? Deficiet ne Ecclesia Christi? Videant ergo, qui cum Juenino refellunt clarissimum Bellarminum confugientem in hac hypothesi ad providentiam Dei promissumque Ecclesiæ suæ patrocinium, se ipsos iisdem fluctibus agitari; atque ad asylum, perfugiumque istud esse nobis, sibique confugiendum. Ad VII. respondeo Episcopum in collatione Ordinum terrere initiandos, ne accedant excommunicatione innodati: at ubi compertum habet nullum excommunicatum adesse, vult revera singulis conferre Ordines: quare hi rati sunt vi interioris propositi, non tantum ope functionis externæ. In solutione argumenti octavi non ero verbosus, cum supra explicaverim quomodo habeatur in sententia nostra moralis certitudo salutis: nec major haberi queat in systemate Catharini; cum sicut in intentione, ita in materia & in forma possint contingere defectus plures. Ab insequenti pariter brevissime expediar, cum identidem dixerim Sacramenta non esse signa qualiacunque, sed *practica*, nec talia esse sine intentione ministrantium: alioqui rata forent etiam mimice administrata. Decimum hoc pacto solvitur. Duæ voluntates contrariæ sunt, quando idem habent objectum, ut voluntas servandi merces, & voluntas projiciendi merces: atque istarum voluntatum fateor illam esse inefficacem, quæ est conditionalis, & superatur ab alia voluntate absoluta; & ita inefficax est voluntas servandi merces nisi immineat vitæ periculum, & superatur a voluntate servandi vitam. At voluntas faciendi ritum externum, & voluntas non faciendi Sacramentum habent objectum diversum, illa nimirum opus indifferens, ista opus sacrum, adeoque possunt simul consistere, nec una superetur ab alia; quemadmodum stant simul voluntas conficiendi Sacramentum, & voluntas non conferendi gratiam, quia diversum habent objectum, illa scilicet causam, ista autem effectum. Quod sequitur exploditur quamfacillime: forma enim physica sive compositi naturalis, sive artefacti determinata est, forma autem Sacramentorum indifferens; ideoque, nisi ab intentione ministrantium determinetur, id quod exterius peragitur nec opus morale est, nec signum efficiens, nec sacrum aliquid, nec idoneum animarum medicamentum. Ad postremum principio negare possumus eum, qui animo reluctatur, vere & apud Deum suscipere Sacramenta: deinde asserimus firmum esse argumentum illud pro sententia Catholica contra hæreticos, non pro Catharini placitis adversus alios Theologos. Quia enim opus humanum procedere debet ex proposito voluntatis, & nullum est in reluctante & invito, optime consequitur ad Sacramentum quod est opus humanum requiri deliberationem operantis, & non reluctantiam suscipientis. Et quia ad constituendum perficiendumque opus necessum est ut determinetur ejusdem indifferentia, ad recipiendum autem in se operis effectum, sat est aliquando non contraniti, ac se operanti subjicere; idcirco ad perficiendum Sacramentum necessaria est intentio, quæ determinare queat externum ritum indifferentem, atque ad recipiendum in se Sacramentum sufficit aliquando in-

ten-

tentio interpretativa, ut cap. 18. explicabimus. At de propositione secunda dictum satis.

PROP. III. Ad hoc ut Sacramentum validum ratumque sit, necessum non est ut minister intendat illius effectum, vel habeat in animo illud peragere quod fit solemni ritu in Ecclesia Romana, vel explicite credat esse ritum illum revera sacrum & salutiferum; sed sufficit, si id proponat facere quod solenni more perficitur in Christi Ecclesia, qualiscunque sit Ecclesia illa, sive apud Catholicos, sive apud hæreticos permanens, & qualiacunque sint illius Ecclesiæ mysteria, sive efficientia gratiarum, sive fidei argumenta, sive symbola prorsus inania.

Hanc assertionem, quam principio hujus dissertationis diximus esse communem, invicta quoque commonstrant producta superius monumenta. Quorum primum est, probari ab Ecclesia, ut ad Consulta Bulgarorum ajebat Nicolaus, extatque in cap. *A quodam*, dist. 4. de Consecrat. baptisma a Judæo vel a Pagano collatum, modo se gesserint tamquam Ecclesiæ ministri. II. Constat etiam ex praxi Ecclesiæ, cui non adversatur definitio Synodi Rothomagensis, non esse rebaptizandos tinctos sacro lavacro a Novatoribus, *quamvis hi non habeant intentionem baptizandi in remissionem peccatorum*. III. Ratum esse baptismum sive in Catholica, sive ab iis qui se in Catholica esse arbitrantur, dummodo verbis Evangelicis consecratum sit, docet probatque contra Donatistas Ecclesiæ lumen splendidissimum Augustinus. IV. Nec unus inter Theologos invenitur, qui non subscribat Sancto Thomæ 3. p. q. 64. asserenti, necessarium non esse ad Sacramenti valorem, ut minister credat per id quod exterius agitur produci interiorem effectum, habeatque intentionem rectam quantum ad fidem, & Sacramenti efficientiam vel usum. V. Dictum denique, ac interdum repetitum est, dum peragitur determinatum opus, quod suapte virtute producit effectum, non requiri ut agens perspectam habeat ejusdem operis efficaciam, neque *explicite* effectum intendat: quæ omnia superius explicata hanc postremam thesim satis apertam reddunt atque expeditam.

SCHOLION.

„ ITa oppositam sententiam oppugnavi, ut nullatenus ei, quam *Catharinus* illustris Theologus clarissimæ Prædicatorum Familiæ, qui Tridentinæ Synodo interfuit, & Ecclesiasticis infulis fuit ob doctrinæ celebritatem condecoratus, dicitur primus omnium tradidisse, velim censuram inurere aliquam. Me enim non latet laudari pro eadem sententia viros doctissimos, quos paullo supra commemoravi, non tantum ejusdem cum prælaudato *Catharino* Instituti, verum etiam alios complures, honestissimi, ac celeberrimi nominis inter Theologos. Quorum permultos commemorat *Honoratus Tournely* accuratus inter recentiores, vulgatusque Scriptor, in Tractatu de *Sacramentis in Genere*, articulo primo Quæstionis septimæ. Novi etiam inter *adiaphoras*, & quæ in utramque partem agitari queant, locari hanc de intentione Ministri Sacramentorum controversiam a sapientissimo Romano Pontifice *Benedicto XIV*. quem nobiscum non semel, pro sua erga nos singulari humanitate, de rebus Theologicis collocutum haud immerito gloriamur.

„ Quamquam vero prædictam sententiam a *Catharino* traditam non multum distare a pravo hæreticorum dogmate Ven. Bellarminus, & Joannes de Lugo, Societatis Jesu Scriptores nobilissimi, & S. R. E. Cardinales amplissimi affirmaverint; immo a se nihil aliud doceri, quam id, quod asseritur a *Catharino*, quidam Novatores profiteantur, ut communi *Protestantium* nomine testatus est in Thesibus Sedanensibus Ludovicus Le-Blanc Calvinianæ sectæ minister, atque ejusdem factionis Guilielmus Amesius, quem refellere studuit opere inscripto *Nervi sine mole*, inserto disputationibus Ven. Bellarmini editis a Bohemo Typographo anno reparatæ salutis 1721., nihilo tamen minus ab hujusmodi criminationibus nobis abstinendum esse monuimus productis verbis Eminentissimi Pallavicini. Atque in eadem opinione, quæ a nemine moderato proboque viro rejicienda esse videtur, etiamnum persistendum esse arbitramur, eo lubentius, quod compertum nobis est, *Catharini* librum produisse in lucem Tridentinis Patribus adhuc sedentibus, nunquam Romæ adversam expertum fuisse fortunam, & in ejusdem operis doctrinam concessisse Theologos longe sapientissimos, quorum lucubrationibus nosmetipsos profecisse, areolasque nostras irrigasse fatemur; & quibus si nos comparare auderemus, profecto ingenioli nostri tenuitatis, & ignorantiæ videremur prorsus obliti. Fas sit itaque, judicio quidem nostro, prælaudatam Ambrosii *Catharini* sententiam, quæcunque ea demum sit, fartam rectamque tenere, eamque, cui magis arrideat, aut productis, aut ingeniose excogitatis ratiocinationibus aliis, naviter propugnare.

„ Sed frustra a nobis requiritur, ut illam amplectamur, repudiata communiori, pro qua, absit invidia verbo, abundantius ceteris laboravimus, ad hoc præceptoribus nostris, aliisque magnæ auctoritatis Proceribus non hortantibus modo, verum etiam jubentibus, atque impellentibus. Ac primum *communiorem* esse sententiam nostram norunt omnes, quotquot vel a limine Scholasticam Theologiam salutarunt. Sane *communioris* hujus assertionis testes plurimos laudavi superiori paragrapho, *Noster autem*. Ut vero a *communiori* recedamus doctrina, in iis præsertim, quæ ad Augustinianæ Scholæ Systema nullatenus attinent, nemo unus potest, aut debet expetere. Deinde, quoniam ita a natura ingenioque comparati sumus, ut nullo unquam pacto veritati velimus resistere, oramus, obtestamurque oppositum sentientes, ut alia nobis proponant validiora momenta, quam sint superius excussa: quæ enim ex hactenus editis dissertationibus sedulo diligenterque collegimus, non tanti sunt ponderis, ut valeant a nobis assensum extorquere. Immo propositam spem habemus eos, qui in hanc expendendam quæstionem, quam maximi momenti existimo, utpote in qua agitur *de validitate Sacramentorum*, intenderit animum, ac perlegerit Auctorum dissertationes, non utique nostras, quas nullius esse pretii probe intelligimus, sed summorum Theologorum, quos præcitato paragrapho laudavimus, adprobaturos fore hanc sententiam, in qua rata esse Sacramenta universi consentiunt, ea relicta, juxta quam an consistant, & rite perficiantur, ambiguum est, & ampliori eruditissimorum Theologorum consensione negatur. Et tamen qui *Catharino* subscribunt, sive ex præclarissima Prædicatorum Familia, sive ea nostra Augustinensium, non ignorant ab utriusque Ordinis scriptoribus, si major numerus, & major auctoritas spectetur, *Catharinum* oppugnari; iidemque sunt, qui probabiliores, & majorum sententias neotericorum placitis scite prudenterque præferendas esse demonstrant.

„ Porro neque Thomisticæ, neque nostræ Scholæ characterem esse propugnare opinionem, quæ solam *intentionem exigit serio peragendi ritus externos*, facile inde colligitur, quod opinionem illam refellit acerrime ex Thomistis cum ingenti asseclarum caterva Joannes Baptista Gonet, recentiorum Coryphæus, & Signifer, ex nostratibus autem Fridericus Gavardi Ægidianorum facile princeps, cui ceteri utroque, ut ajunt, pollice subscripsere. Neque obstat perpaucos e Thomistis pro *Catharino* stetisse, & nonnullos e nostris, exiguos tamen numero, accessisse ad Franciscum Farvacques Lovaniensem: hi enim non potuerunt ad se trahere nisi minimam Confratrum suorum partem. Dixi, ex Lovaniensibus etiam Leonardum Vantoy, unum profecto ex rigidioribus Augustini discipulis, nobis facem cum aliis plurimis prætulisse. Is coactum se ait ad deserendam sententiam, quam ævo suo propugnabant quidam non infimæ notæ Theologi, putantes satis esse ad sacramenti valorem *intentionem externus serio adhibendi materiam & formam*; & quibus momentis coactus fuerit, aperte declarat, illuc progressus, ut absque ulla hæsitatione affirmet hanc quæstionem esse modo *Pontificia auctoritate decisam*. Hujus, aliorumque loca, quum citata fuerint supra, & a me propriis inspecta oculis, necessarium non duxi iterum indicare. Sinat me ergo quilibet Lector in mea sententia quiescere; ipse vero abundans in proprio sensu, eam, quam existimat magis veritati consonam, amplectatur ut vult, & defendere nitatur ut potest.

CAPUT XVII.

Solvuntur vulgares quædam quæstiones circa intentionem Sacramenta administrantium.

QUærunt primo Theologiæ moralis institutores, quotuplex sit intentio, & quænam necessaria sit in ministro ad Sacramenti validitatem. Respondent vero unanimiter, intentionem triplicem assignari, actualem, virtualem, habitualem. *Actualis* illa dicitur, quæ operis executionem comitatur, idest, qua agens cum animi applicatione intendit facere quod actu facit: ut Sacerdos cum præsenti deliberatione mentis, nec alio intentione distracta baptizans, aut consecrans. Intentio *virtualis* ea est, quæ perseverat virtute in actione ministri, quamvis is distractus sit animo; dicitur autem intentio perseverare virtute, quando actu antecessit, nec retractatur, nec inter actum præcedentem, & opus intercedunt longa temporis intervalla, nec media ad consecutionem finis omnino disparata, aut contraria. Ita est virtualis intentio in Sacerdote, qui baptizare, aut consecrare decrevit, atque cum tali proposito adit templum, induitur sacris vestibus, accedit ad aram, aut ad salvificum fontem, sed vel rerum aspectabilium imagine, vel præterfluentibus cogitationibus mens ejus rapitur, divagatur, & avolat. *Habitualis* intentio appellatur, qua absque ulla præcedenti intentione, quasi ex consuetudine aliquis operatur; vel si aliqua præcessit intentio, aut per longum intervallum temporis, aut per media contraria, vel disparata, & cum fine nullo

Berti Theol. Tom. III. Ff pacto

pacto connexa, disperit, & evanescit, ut si Sacerdos nulla deliberatione præmissa, ea quodam usu, vel habitu oret, vel missam celebret; aut si id proposuit in animo, posthac media posuit omnino impertinentia, ut venationem, aleam, & talem confabulationem, in qua antecedens propositum prudenter censeatur evanuisse.

Communis itaque sententia est, *actualem* intentionem esse omnium optimam, unicuique sedulo curandum esse, ut cum hac intentione sacra perficiat mysteria; eam tamen non semper adesse, nec haberi absque singulari divini Numinis beneficio, neque necessariam penitus esse ad perfectionem Sacramentorum: *virtualem*, quamvis conjunctam cum aliqua animi divagatione, sufficientem tamen esse; *habitualem* denique nequaquam sufficere. Necessariam non esse intentionem *actualem*, demonstratur, quod absque tali intentione habeatur opus humanum, ac morale, a ratione & voluntate proficiscens; imperium quippe rationis, & voluntatis deliberatio, etsi actu pertranseat, dicitur virtute permanens, nisi aut animo retractetur, aut alia deliberatio ad opus disparatum effectricem causam inflectat. Ac præterea, ut dixi nuper, actualis illa & vigens præsentia animi, in tanto prætereuntium imaginum, & diverberantium cogitationum conflictu, est donum Dei speciale: quemadmodum Augustinus in Psalmum lxxxv. numer. 7. gravissima oratione commonstrat. Demonstratum etiam a nobis est adversus Baji, & Jansenii nefaria dogmata, motus animi absque ulla deliberatione subrepentes carere omni libertate ac malitia, ideoque non posse inficere ac nullam reddere liberæ deliberationis efficientiam. Satis esse intentionem *virtualem*, ex hoc ipso colligitur, quod necessaria non sit actualis, & per illam duntaxat humana officia secernantur ab iis, quæ aut brutis communia sunt, aut sine consilio ac libertate patrantur; ut mittam Romani Ritualis præscriptiones, universorumque Theologorum consensum. At non sufficere intentionem *habitualem* consequitur ex eodem principio: intentio quippe istiusmodi est potius propensio quædam ex iterata Sacramentorum administratione proficiscens; cumque locum habeat etiam in amente & in ebrio, qui absque consilio, & libertate operantur, sufficiens non est, ut opus dicatur liberum, morale, & humano more peractum. His non adversantur testimonia quorumdam veterum asserentium sufficere ad Sacramenti perfectionem intentionem *habitualem*, ut loquitur S. Thomas 3. p. q. 64. art. 8. ad 3. nam intentionem *habitualem* illam appellant nonnulli, quam postmodum Scholæ dixerunt *virtualem*, neque ab ista aliam describit S. Thomas, dum intentionem *habitualem* tunc esse definit, *cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere quod facit Ecclesia, & si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad aliq rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum*. In quibusdam etiam antiquis editionibus in textu S. Thomæ pro intentione *habituali* legimus intentionem *actualem*, ut adnotatur in margine edit. Antuerp. Plantinianæ pag. 229. Sed, ut ut vera lectio se habeat, ibidem explicari intentionem *virtualem* commonstrant citata verba, & argumentum eo loci propositum.

II.

Deinde in quæstionem vertitur, num in Sacramentis conficiendis sufficere queat intentio *interpretativa*. Dicitur autem intentio interpretativa, dum quis actu operans non est sui compos, ex ejus autem præcedenti deliberatione, quasi mentem ejus interpretamur, existimantes illum actioni, quam exequitur, minime reluctari; ut si aliquis baptizare, aut consecrare proponat, sed postea in somnum, in amentiam, aut in ebrietatem incidat, & dormiens, ebrius, amens, Sacramentum perficiat. Sed facillima est hujus quæstionis solutio: quippe censeri nequit actus humanus, quod exercetur ab homine mente destituto; cumque Sacramenta more confici debeant humano, non est minister ad illa conficienda idoneus, quisquis sine consilio operatur.

Solet commovere tardiora quædam ingenia, quomodo si ita res se habeat, sufficere possit intentio *virtualis*, in qua dum sacri ministri operantur, & proferunt verba Sacramentalia, aliis distracti non alia deliberatione utuntur, quam ea, quæ pertransit. Si autem sat est intentio transacta, ut quod agimr reputetur humanum ac liberum; cur sufficiens non erit intentio *interpretativa*, si revera præconcepta fuit a ministrante? Difficilius videtur quod tract. De peccatis q. 71. disput. 24. urget peracutus Godoy, de homicidio, aut alio scelere in ebrietate patrato: quod sane voluntarium ac liberum est, si occisor priusquam vino se conficiat, crimen fuerit præmeditatus, quidve in temulentia soleat gerere animadverteret. Si enim præexistens propositum sufficit, ut opus in ebrietate patratum tamquam liberum humanumque dijudicetur; cur talis generis existimanda non est sacrorum mysteriorum administratio?

At sunt iste, supra quam dici potest, futilia & inania. In intentione enim *virtuali* antecedens mentis deliberatio trahit operantem ad media propria illius muneris quod exequitur, movitque voluntatem ut ratio effectrix humani officii, idest tanquam lumen mentis, & norma libertatis. At vero intentio *interpretativa* non permovet ministrantem ad media congrua & ad Sacramentum ordinata: nam quid ad baptismum dementia, aut ebrietas? nec in ebrio aut stulto vim exerit antecedens propositum, tamquam lumen rationis, & regula libertatis, sed vi imaginationis, & impressione musculorum cerebri, ita, ut nil magis in baptismo ebrii ministrantis appareat deliberationis & humani officii, quam in partu maculis inusto ob impressionem, quæ per gravidæ mulieris arterias ad certas foetus partes dilabitur. Est tamen homicidium patratum ab ebrio, si illud præmeditatus est, crimen maximum; quoniam ad peccatum sufficit libertas in causa, juxta canones traditos lib. XXI. cap. II. scilicet sat est, si peccatum sit prævisum ac volitum, cum oriatur ex mala voluntate, & delectatione perversa: Sacramentum vero non perficitur cupiditate duntaxat, sive, ut Scholæ loquuntur, *tendentia in objectum*, sed applicatione formæ ad materiam facta libertate & consilio. Dicam brevi: ad peccatum sat est, si aliquo pacto sit liberum & voluntarium; ad Sacramentum requiritur, ut sit actus humanus, atque, ut dici solet, *exercitus*.

III.

Tertia quæstio est de intentione *conditionali*; an scilicet subsistat Sacramentum tali intentione collatum. Conditio autem vel est præterita, ut dum baptizans gravi dubitatione perculsus ait, *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* vel præsens, ut dum Sacerdos inquit, *Si es dispositus, ego te absolvo*: vel futura, ut si ad hunc modum loqueretur, *Ego absolvo te, si crastina die restitueris rem alienam*. Valet ergo Sacramentum sub conditione de præterito, vel de præsenti collatum, si conditio vera sit; secus, si falsa: quippe intentio *conditionata*, cum adimpletur conditio, transit in *absolutam*. Obiter nota, si baptizans intendat baptizare puerum, credens illum esse masculum, quamquam foemella esset, ratum esset baptisma, cum rationalis homo, cujuscunque generis sit, ad suscipiendum baptisma sit idoneus. At si intendat baptizare cum hac intentione conditionata, *Si masculus sit, non femina*, statuens in animo feminam non baptizare, juxta præclaros Jurisconsultos baptismus est nullus, ut demonstrare nituntur Cardinalis Hostiensis in Summa 3. p. de Baptismo, & ejus effectu, num. 10. & inter JCC. *Singularia*, §. xc. num. 3. vernaculus nostras Petrus Gerardi: ex quorum placitis infertur, interius propositum necessarium esse ad Sacramenti validitatem, ut supra ostendimus prolixa dissertatione. At si conditio sit de futuro, sub ea nequit perfici Sacramentum, quoniam dum adhibetur materia, & forma profertur, præsens intentio suspenditur; dum vero futuro tempore impletur conditio, non amplius adsunt materia, & forma quæ Sacramentum constituunt. Id tamen non valet de contractu matrimoniali, qui utique non subsistit statim ac apponitur conditio honesta de futuro, V. G. *Contraho tecum, si pater assentiatur*, aut, *si talem præbeat dotem*; sed conditione adimpleta ratus & firmissimus est; propterea quod omnes contractus sub conditione initi, *ea*, ut inquiunt Jurisperiti, *verificata*, perinde obligant, ac sic forent *absoluti*, atque pristinus consensus supponitur præsens, & perseverans. Quare ante conditionis eventum, si ille, qui cum aliqua muliere contraxit sub conditione, contrahat cum alia *per verba de præsenti*, contractus iste ratus erit ac permanens, cum sponsalia conditionata ante conditionem extantem incerta ac suspensa sint, ut habetur in VI. cap. unico *de Sponsalibus & Matrimoniis*, atque a nobis proprio in loco iterum explicabitur. Quanta vero in apponendis conditionibus requiratur prudentia, ac diligens rerum perquisitio, capite III. præmonuimus.

CAPUT XVIII.

De iis, qui Sacramenta rite suscipiunt.

Diximus de ministrantibus Sacramenta; dicendum modo est de iis, qui e ministris ea recipiunt, sive, ut in Scholis loquimur, de Sacramentorum *subjecto*. Qua in re tria ad examen revocanda sunt: primum quisnam suscipiendorum Sacramentorum sit capax: alterum num in eo, qui ad Sacramenta accedit, requiratur intentio, & cujus generis hæc esse debeat; tertium qua animi præparatione, ut e Sacramentis fructum percipiat, illa debeat quisque suscipere: quæ omnia brevissime resolventur, cum sigillatim in unoquoque *Sacramento* disquirenda sint præcipua cum ministrantium, tum suscipientium officia.

PROPOSITIO I. Juxta præsentem ordinem Sacramenta pro solis hominibus viatoribus sunt instituta, ideoque nemo alius est, ordinarie loquendo, *subjectum* Sacramentorum.

Nulla in hac assertione potest esse difficultas;

primum

primum quia liquet ex priori capite Sacramenta esse visibilia quædam signa, quibus homines in Dei cultum sub alicujus religionis nomine coadunantur. Deinde quia symbolis sensibilibus indigent soli homines corpore animoque præditi. Insuper gratia sanari, aut confirmari non debent, qui culpa carent, adhærent incommutabiliter summo bono, vel contra in gehennam detrusi sunt.

PROPOSITIO II. In adultis ad Sacramenti characterem suscipiendum necessaria est intentio aliqua, saltem *interpretativa*.

Dixi in adultis; nam in parvulis nullam intentionem requiri satis constat ex Augustino lib. IV. de Baptismo cap. 24. num. 31. scribente: *In infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum alii pro eis respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt.* Ex quo loco apparet quantum distet sententia Augustini a figmento hæreticorum asserentium in parvulo, dum abluitur regenerationis lavacro, fidem rationisque usum divinitus excitari. Demonstratum quoque est a me libro XXVIII., ubi adversus Socinianos de Christi redemptione disputavi, quam recto justitiæ ordine factum sit, ut quemadmodum pueri per generationem Adæ sine actu propriæ voluntatis nascuntur mancipia Satanæ, cæteri autem captivi remanent propriæ voluntatis arbitrio; ita parvuli absque ullo voluntatis suæ proposito eruantur per lavacrum regenerationis a dæmonis potestate, quamvis adulti inde nequeant eripi inviti, & absque motu liberi arbitrii, eo vehementius se ad justificationem disponentis, quo majori cupiditatu adhæret peccato. Adeas Volumen III. pag. 113. & 118.

Remanet ergo difficultas de adultis: in quibus generatim non requiri prævium aliquem consensum recipiendi Sacramentum, ac sufficere intentionem, ut appellant, *neutram*, eam scilicet, qua Sacramenta suscipiens negative se habeat, nec contranitatur, nec præbeat positivum assensum, tenent Cajetanus in 3. p. q. 68. art. 7. Ledesma in IV. p. 1. q. 9. & cum paucis aliis Farvacques cap. VII. q. 1. ac Vanroy cap. V. q. 1. Immo idem Vanroy Tom. IV. pag. 80. putat validum esse Ordinem collatum non solum indifferenter se habenti, verum etiam invito penitus & reluctanti.

Contraria tamen opinio affirmans requiri ex partu suscipientis intentionem aliquam, saltem *interpretativam*, nec valide Sacramentum recipi, si recipiens reluctetur, aut indifferenter se gerat, vera est, & sequentibus momentis corroborata. I. Ex Sacrorum Conciliorum definitionibus Catechumeni ægrotantes, ac subito obmutescentes nequeunt baptizari, aut pœnitentiam accipere, nisi habeant voluntatis præteritæ testimonium in aliorum verbis, aut voluntatis perseverantis ac præsentis in suis nutibus. *Ægrotantes*, inquit Synodus III. Carthaginensis cap. 34., *si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium ii, qui sui sunt, dixerint, baptizentur.* Et Arausicana 1. cap. IV. *Subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* II. Innocentius III. cap. *Majores*, de Baptismo, principio expresse rejicit opinionem eorum, *qui dicunt quod Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut baptismus & Ordo, ceteraque similia, non solum dormientibus & amentibus, sed invitis, & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur.* Ducitur autem Summus Pontifex in hac opinione refellenda momento admodum firmo; quoniam *qui fuissent inviti, vel reluctantes immersi, saltem ratione Sacramenti ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent: unde ad servandam regulam fidei Christianæ forent rationabiliter compellendi: verum id est religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus & penitus contradicens ad recipiendam & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Deinde ait Summus Pontifex censendos non esse absolute coactos & invitos, *qui ad suscipiendum baptismum terroribus atque suppliciis violenter attrahuntur*, illumque suscipiunt, *ne detrimentum incurrant*, ut contigit temporibus Sisebuti; cujus ratio pariter apertissima est, quoniam coactio *conditionalis* rationem voluntarii non tollit; non enim dicitur *absolute* mercatorem ad projiciendas merces cogi & impelli, dum procellis jactatus id facit, ne patiatur naufragium. Definit, præterea, *illum qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipere Sacramenti*, quemadmodum, inquit, notam nullius reatus incurreret, qui violenter cogeretur idolis thurificare contradicens penitus & reclamans. Declarat postremo characterem non suscipere Sacramenti *dormientes & amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictionibus persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare; secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi.* III. S. Pater Augustinus cit. lib. IV. de Baptismo, postquam docuit non requiri propriæ voluntatis deliberationem in parvulis, ita loquitur de adultis; *At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes cum legitur naturaliter movet: Ætatem habet, ipse pro se loquatur.* IV. In Rituali Romano edito jussu Pauli V. in Rubr. de Baptismo adult. præscribitur, ne baptismus conferatur ei, *qui usum rationis habuit ante amentiam, & nunquam ostendit voluntatem baptismi, aut intentionem, aut petitionem illius.* V. Id manifestæ rationi consentaneum est, quoniam ad vitam, moresque Christianos nemo compelli potest invitus, ideoque nec ad baptismum per quem initiati Ecclesiæ subjiciuntur: quod tenet de Sacramentis aliis ad certum vitæ genus obstringentibus, scilicet Ordine, ac Matrimonio. Accedit quod supra de Redemptione innuimus, hujus lytrum ac pretium solutum quidem pro omnibus a Christo, qui communem causam suscepit, sed non applicari adultis contranitentibus & invitis.

At adversus hanc propositionem objiciunt primo, nullibi Concilia, ubi pertractant de Sacramentorum perfectione, suscipientium voluntatem ac propositum commemorasse: Innocentium III. cap. *Majores* post verba superius producta, hæc addere, *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.* Quibus in verbis aperte docet, sat esse, si suscipiens non contradicat, habeatque indifferentiam, quam voluntatem *neutram* appellitant: teneri eamdem sententiam a Glossa in cap. *Solet*, de Consecrat. dist. 4. & in cap. *Majores*, de Bapt. Deinde opponunt exempla eorum, qui aut inviti, aut saltem nullam habentes suspicionem fuerunt ab Episcopis consecrati; ut Macedonius Eremita dicitur ordinatus a Flaviano Episcopo Antiocheno, apud Theodoretum in Monastica Historia cap. 13. Paulinianus frater Hieronymi a S. Epiphanio, ut narratur in Epist. inter Hieronymianas 100. alias 60. Augustinus a Valerio Hipponensi, apud Possidium in Vita Augustini cap. 4. Præterea objiciunt quod Augustinus narrat lib. IV. Confess. cap. 4. de quodam amico suo febribus laborante, qui *cum desperaretur, baptizatus est nesciens, mente atque sensu absentissimus.* Objiciunt denique nonnulla argumenta a ratione, quorum primum est, intentionem, si non requiritur in parvulis, neque necessariam fore in adultis, quoniam in omnibus poni debet quicquid spectat ad Sacramenti validitatem. Alterum depromitur ex Unctione extrema, quæ subministratur etiam subito morbo correptis, nec illam petentibus aut voce aliqua, aut nutu. Tertium est hujusmodi; si non requiritur consensus ut homo generetur, si potest alapam recipere invitus; cur assensus necessarius est, ut regeneretur, ut Sacramenta suscipiat?

Resp. ad primum, Concilia, ubi definiunt Sacramentum perfici materia, forma, & intentione ministri, loqui de iis, quæ ad omnia Sacramenta, cuicunque administrentur, sunt necessaria: certum est autem intentionem non requiri in pueris, qui baptizantur, nec in iis, quorum ori per vim Eucharisticus panis ingeritur, ut Augustinus scribit Tract. XXVI. in Joannem, num. 2. Innocentius III. sermonem ea loci instituens de iis, qui prius Catechumeni extiterunt, & habuerunt propositum suscipiendi baptismum, *per obicem voluntatis contrariæ*, non solum significat reluctantiam, sed etiam exclusionem præcedentis consensus, ut constat ex verbis immediate præmissis. Vide in III. Decretalium tit. 42. Innocentium IV. Gonzalez, alios. In Glossa ad cap. *Solet*, dist. IV. de Consecrat., legitur recipi Sacramentum, *qualemcunque intentionem baptizatus habeat*, scilicet, qualemcunque intentionem effectus, vel finis, non qualemcunque intentionem Sacramenti; instituitur enim sermo de Judæis, qui Baptismum susceperunt ad mortem vitandam. In Glossa autem ad caput *Majores*, ubi habetur Sacramenti characterem recipi ab iis, *qui ore exprimunt, licet corde dissentiant*, fit sermo de cordis malitia, & de perseverante affectu peccati: enimvero citatur ibidem caput, *Tum valere*, de Consecratione dist. 4. ubi id expresse declaratur. Atque hæc est certa responsio, quamvis non teneamur Glossæ doctrinam sectari. Qui enim cum Tournely pag. 256. reponunt Glossam hanc nullius ponderis esse, utpote expunctam jussu Gregorii XIII. non viderunt, aut legere noluerunt, cum Decreti, tum Decretalium editionem Romanam anni 1581. una cum iisdem Glossis restitutam ipsomet Gregorio XIII. approbante.

Ad secundum reponimus eos, qui dicuntur inviti in presbyteros ordinati, fuisse viros pietate conspicuos, & singulari præditos humilitate, qui propterea non absolute *obluctabantur*, cum potius omnem obedientiam Ecclesiæ, ejusque Pastoribus devovissent; sed existimantes se impares ad onera Ecclesiastica subeunda, haud violata obedientiæ virtute præferebant specimen humilitatis; aut si revera fuerant inviti, adfuisse tandem eis *voluntatem suscipiendi operis boni*, ut Augustinus ait Epistola 173. ad Donatum, num. 2. Præclare Sanctus Pater prope finem ejusdem Epist. comparat potestatem Ecclesiæ Domino non solum invitanti, verum etiam compellenti ad convi-

 vium,

vium, juxta Lucæ parabolam cap. xiv. Enimvero *qui compellitur*, inquit, *qua non vult, cogitur, sed cum intraverit, jam volens pascitur*. Ita nimirum qui reluctanti erant animo, dum initiantur mysteriis, sponte charactere condecorantur. Ortam Augustini repugnantiam ex quo sacrum *ministerium periculosissimum* judicaret, ipse affirmat in Epist. ad Valerium xxi. alias 148. num. 2. Sed de Ordine invitis collato disserendum est alibi.

At in amico Augustini, quem imperite nonnulli dicunt fuisse Nebridium superiori cap. iii. num. 6. ab Augustino commemoratum, cum Nebridius vixerit usque ad ejusdem Augustini baptismum, imo una cum illo fuerit Mediolani, & remearit in Africam, ex ix. Confess. cap. 3. num. 6. in amico, inquam, Augustini fuisse consensum saltem interpretativum hinc probatur, quod adolescens, etsi nondum *germanitus & penitus*, veram fidem tenebat; cumque Augustinus priusquam vita amicus defungeretur, baptismum, quem is acceperat, irrideret; *ita irridentem exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili & repentina libertate, ut si amicus esse vellet, talia sibi dicere desineret*. Quæ cum eo loci ab Augustino narrentur, mirum est doctissimum Augustinensem Farvacquesium asseruisse, quod nulla ratione præsumi possit Augustini amicum habuisse intentionem suscipiendi baptismum, quoniam deflexerat *ad superstitiosas & perniciosas fabellas*. Deflexit quidem, sed catechumenus fuerat, & desiderio baptismi aliquando flagraverat, in quo sitam diximus intentionem *interpretativam*.

Postrema denique argumenta nullius sunt roboris: quid enim inter parvulos & adultos intersit discriminis, non semel repetitum est; ac præterea si quid evinceret inanis illa argumentatio, uti in parvulis, ita in ratione utentibus, nullus motus liberi arbitrii necessarius foret ad justificationem, ut loquit hæresis execranda. At in infirmo, qui inviolatam servavit unitatem Ecclesiæ, supponitur in mortis articulo voluntas recipiendi ea Sacramenta, quæ omnes Catholici venerantur. Generatio autem est naturalis generis propagatio, non hujus accidentaria ac moralis perfectio: atque is, qui gignitur, aut cæditur, aut quicquam patitur, subjectum est operis, etsi nolit; quoniam ipso opere non immutatur, non perficitur, non obstringitur aliquo jure voluntatis arbitrium, quemadmodum in regeneratione, in justificatione, & in sacra ordinatione contingit.

PROPOSITIO III. Ut quis cum fructu Sacramenta *vivorum* recipiat, si adultus sit, & sibi sit conscius mortalis peccati, tenetur sacramentaliter confiteri: ut recipiat autem Sacramenta *mortuorum*, præter intentionem ac fidem, habere debet dispositiones libro xix. cap. 4. ea Tridentina Synodo enumeratas.

Probatur prima pars, quia peccator non debet se exponere periculo patrandi sacrilegium. Deinde ipsum *Sacramenti vivorum* nomen satis indicat non esse ad illud accedendum habenti conscientiam peccati, quod est spiritalis mors animæ. Insuper etsi aliquando contingat hominem contritione perfecta justificari, antequam actu recipiat Sacramentum Pœnitentiæ; nemo tamen præsumere debet habere se perfectam hujusmodi contritionem, & negligere confessionem *sacramentalem*, præsertim cum absque voto hujus confessionis vix, ac ne vix quidem perfecta contritio concipi valeat; ideoque si adsit copia confessarii, priusquam peccator ad Sacramentum accedat, debet Deo reconciliari, non tantum si accedendum ei sit ad Eucharistiam, de qua Apostolus in I. ad Corinth. xi. Tridentina Synodus sess. xiii. cap. 7. & cap. *Sicut Judas*, aliique de Consecrat. dist. 2. verum etiam si suscipienda sint Sacramenta cetera, ut de Confirmatione statutum legimus anno 1581. a Concilio Rothomagensi, anno 1583. a Rhemensi, & Turonensi, anno 1584. a Bituricensi: quorum Conciliorum canones collegit Farvacques cap. 7. q. 2. Verum singuli a nobis suis in locis distribuentur. De Sacramento matrimonii videtur Tridentina Synodus sess. xxiv. cap. 1. de Ref. loqui modo hortatorio: sed primum exhortatio non est adversa præcepto: deinde alloquitur conjuges omnes, non eos singillatim, qui gravis peccati premuntur pondere: insuper non ad confessionem solam hortatur, sed & ad communionem, de qua fatemur non extare in tali casu præceptum: præterea non de contrahendo tantum, verum etiam de consummando matrimonio verba facit: tandem noluit sancta Synodus de Scholarum opinionibus proferre judicium; non desunt autem, qui, Eucharistia excepta, doceant confessionem in Sacramentis ceteris non requiri. De dispositionibus accedentium ad Sacramenta *mortuorum* suo loco.

CAPUT XIX.

Disputatur de primo Sacramentorum effectu, idest, de Gratia.

MAgnum nobiscum cum Novatoribus circa Sacramentorum *efficaciam* dissidium est, quod cum pluribus verborum involucris proponi soleat, principio est accurate exponendum. Novatorum capita, Lutherus, & Calvinus, eamdem efficaciam veteris ac novæ legis Sacramentis attribuerunt, asserentes omne discrimen a Scholasticis propugnatum penitus esse explodendum. Ita Lutherus de Captiv. Babylon. cap. de Baptismo, & Calvinus lib. iv. Instit. cap. 14. n. 23. Liquet id intelligendum esse *de efficacia producendi gratiam*, quam contendunt per solam fidem divinarum promissionum apprehendi; nam alioqui fatentur Sacramenta Evangelica faciliora esse, & ad excitandam, obsignandamque fidem efficaciora veteribus. Imo quidam non tantum ajunt Sacramenta esse symbola gratiæ spiritualis, & ad hanc apprehendendam excitare sensibili repræsentatione; verum etiam præter virtutem signorum extrinsecam, quæ est exhibitio cælestium donorum, contesseratio divinæ dilectionis, & admonitio de mortificatione veteris hominis, vivificatione novi, ejusque spirituali alimonia, adesse signis virtutem aliam occultam, & adsistentem, idest, Spiritum sanctum, qui gratiam, quam signum tribuere non potest, homini credenti *efficaciter* confert. Lege Vossium de Sacramentorum vi, & efficacia Tom. vi. pag. 254. Cum hæc passim in Confessionibus, librisque hæreticorum legantur; non defuerunt viri etiam doctissimi, qui asseruerunt sola loquendi methodo Protestantes a nobis differre, maxime cum sit inter complures Catholicos satis vulgata sententia, quod Sacramenta sint gratiæ causa *moralis* tantum, non *physica*, ad quorum nempe exhibitionem Deus gratiam justificationis impertiatur. Sed quamvis hæretici fucum faciant, affirmentque se tantummodo vim & energiam interioris gratiæ tribuere Spiritui sancto, penes quem residet agendi virtus, in Sacramentis autem constituere solum ministerium; non est tamen situm in hoc, in quo etiam dissentiunt Scholastici, caput controversiæ: sed cum Novatores asserant solam fidem esse instrumentum apprehendendi gratiam salutarem, docent virtutem Spiritus sancti comitari quidem externa symbola, at non horum ratione impertiri salutarem effectum, sed intuitu fidei suscipientium.

E contra Catholici negantes Sacramenta legis Evangelicæ producere gratiam ex fide, ac merito suscipientium, nec alias partes exercere quam verbi, aut symboli sensibilis fidem excitantis; docent, (quidquid sit de modo & genere *causalitatis*) eadem Sacramenta gratiam producere *ex opere operato*, eaque, non fidem, nec meritum, aut suscipientium, aut ministrantium, esse ejusdem gratiæ instrumenta, propterea quod aliquando sine ulla fide sanctificationem impertiantur, ut contingit in parvulis; in adultis vero fides sit quidem ad justificationis gratiam dispositio, sed non apprehendendæ justitiæ ratio, aut instrumentum, aut mensura, aut causa, ut inquiunt Scholæ, *formalis*. Scholarum sententia definita est canone 8. sess. vii. Tridentinæ: *Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Ut ergo intelligas quid sit producere gratiam *ex opere operato*; adverte primum ea præcitato Concilio sess. vi. cap. 7. plures ad justificationem causas concurrere: *finalem*, quæ est gloria Dei & Christi, ac vita æterna: *efficientem*, quæ est Deus misericors, qui gratuito abluit & sanctificat: *meritoriam*, idest, Unigenitum filium Dei, qui nobis justificationem promeruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: *instrumentalem*, scilicet Sacramenta; *formalem* denique, nimirum justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, sive justitiam inhærentem, aut gratiam, quam Scholæ appellant *habitualem*. Præter has causas eadem S. Synodus exigit in adultis dispositiones, *fidei*, qua credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, libere moventur in Deum; *timoris*, quo utiliter concutiuntur; *spei*, qua se in Deum erigunt fidentes ipsum Deum sibi, propter Christum, propitium fore; *amoris*, quo ipsum Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; *detestationis* peccati, cum proposito inchoandi novam vitam, & suscipiendi baptismum: quæ disertissime sacrosancta Synodus ibidem enumerat, & nos de justificatione disputantes prosecuti fuimus lib. xix. cap. 4. Harum vero dispositionum necessitas ex iis, quæ sæpe diximus, aperte dignoscitur; nam cum peccatis homo adhæreat libere, perversa cupiditate, & voluntaria malitia; necessum est, ut divina gratia excitatus libero arbitrii motu ad justitiam accedat.

Sacramenta itaque sunt *instrumenta gratiarum*: in quorum instrumentorum usu duas actiones distinguimus: una *externa* est, qua materiam a Deo præscriptam, certisque verbis consecratam exhibet dispensator, aut probus, aut improbus; eamque applicat subjecto, aut prædictis dispositionibus exornato, aut iis destituto: altera actio est *intima & occulta*, qua Deus, non intuitu probitatis ministri, aut dispositionis suscipientium, sed vi institutionis, in qua relucet Dei misericordia & Christi meritum, per signa sensibilia largitur gratiam, quæ, modo pravæ voluntatis obicem non inveniat, (ut autem non inveniat faciunt dispositiones prædictæ) suscipientes mundat, sanctificat, innovat, corroborat. Est itaque produci gratiam *ex opere operato* illam produci per Sacramenta,

tam-

tamquam per causam instrumentalem, non vi exterioris actionis tantum, sed etiam intimæ, qua Deus dona spiritalia impertitur ob dignitatem institutionis, & applicationem meritorum Christi signis sensibilibus divina voluntate, & instituto Christi alligatam: sicuti produci gratiam *ex opere operantis* est illam produci, non ob rei exhibitæ institutionem, non ob dignitatem signorum, non ob merita Christi visibilibus symbolis alligata, sed intuitu probitatis ministrantium, & fidei suscipientium; quemadmodum duo minuta a muliere pauperrima in gazophylacium projecta *ex opere operantis* habuerunt meritum singularis, insignisque eleemosynæ. Placet mihi plurimum hæc explicatio *operis operati* tradita etiam ab Andrea Fabricio Leodio Animadvers. in artic. XIII. Confessionis Augustanæ pag. 293. & a Cassandro ad art. VIII. inter Opera Grotii Tom. IV. pag. 570. primum quia Fabricius videtur recte Catholicæ doctrinæ sensum assecutus; deinde quia ejus explicationi nulletenus repugnant variæ Scholasticorum expositiones: postremo quia hac una præmissa eliminantur calumniæ, & fraudes omnes hæreticorum.

Philippus enim Melanchthon in Confessione Augustana anno 1540. reformata ait art. XIII. *Damnat igitur Pharisaicam opinionem, qua obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in Sacramentis requiri, qua credat propter Christum nobis gratiam dari, sed fingit homines justos esse propter usum Sacramentorum ex opere operato, & quidem sine bono motu utentium*: & in Apologia inquit nos sentire, *quod per ceremonias justificemur sine bono motu cordis, hoc est sine fide, & hanc opinionem magna auctoritate doceri in toto regno Pontificio*: alii autem hæretici post Calvinum lib. IV. Instit. cap. 14. nos immani verborum procacitate proscindunt, quoniam asserimus Sacramenta *ex se* gratiam conferre unicuique non ponenti obicem ipsi gratiæ, quamvis nec credat. Permulti etiam cum Vossio citato Opere numer. 72. asserunt in hoc graviter Bellarminum, & Pontificios Doctores errare, quod asserant fidem ad salutem quidem concurrere, quatenus disponit, verbum ratione ejus, quod salutarem gratiam offerat, & Sacramenta, quia eamdem conferunt vi actionis suæ, cum eam conferant virtute quidem signi *dispositive*, et effective *immediate* Spiritus sancti virtute. Complures etiam nos arguunt, quod in ra tam saria utamur profanis illis, ac barbaris vocibus *opus operatum*, & ignoremus etiam regulas verborum, quæ Grammatici appellant *deponentia*.

Verum in his omnibus gerunt se hæretici more suo, & sententiam nostram ignorant penitus, aut splendidissima mentiuntur. Primo enim cum iidem hæretici ad gratiam justificationis obtinendam *solam fidem* prærequirant; nos etiam alias cordis dispositiones prædicamus, timorem, spem, dilectionem, & ceteras, quæ Tridentina Synodus enumerat sess. VI. cap. 6. & sess. XIV. cap. 4. ubi merito concludit: *Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit*. Atque id non tantum adversus hæreticorum calumnias sancta Synodus sapienter animadvertit; verum etiam in articulum XIII. Confess. Augustanæ Andreas Fabricius, Joannes a Daventria, Alphonsus Virvesius, Georgius Cassander, noster Hoffmeisterus, nec non H. Grotius in adnotatis ad Cassandrum pag. 621. Placet nobis usurpare hæretici hujus verba: *Opus operatum*, inquit, *intelligitur de efficacia, ad honorandam Ecclesiam, & ejus unitatem nobis commendandam, Sacramentis attributa. Ceterum non negant Catholici requiri ad salutarem usum in adultis fidem & Dei amorem. & hæc ita ajunt requiri, ut efficacia homos Deo salvus fit. In his omnibus nihil est controversiæ, si dextera interpretatio accedat*. Atque ita expungitur primum hæreticorum mendacium, & in doctrinam Catholicam singularis calumnia.

Quantum ad secundam calumniam spectat, fatetur Philippica XCI. pag. 301. Virvesius Scholasticos quosdem antiquiores vere affirmasse gratiam per Sacramenta conferri *non ponentibus obicem sine motu aliquo arbitrii sui*. At nihil habet incommodi hæc opinio, si loquamur de parvulis nondum ratione utentibus; imo nisi admittatur, consequetur non esse baptizandos infantes qui non credunt, ut tenent Anabaptistæ etiam a Luthero refutati. Nam quod hæreticus iste autumat etiam in puerulis excitari fidem, somnium est delirantium. Occurrit Melanchthon dicens fidem infantium suppleri per fidem generalem totius Ecclesiæ, & per fidem specialem gestantium. Non deerunt e Schola Theologi, qui id annuant: ac nos omnium primi subscribemus Augustino dicenti lib. I. de peccat. meritis cap. 24. num. 25. Infantes *propterea fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodam modo profitentur*; ac ex eodem Augustino lib. I. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. XXII. num. 40. & I. Oper. Imp. numer. 56. hanc proferemus rationem, quoniam *ita parvuli per alios credunt, sicut per alios peccatum traxerunt*. Verum negamus per hanc fidem, & non per Sacramentum parvulos justificari; cum hi, qui Sacramentum recipiunt, sed fidem non præsentiunt, regenerentur & renascantur in Christo; sive negamus alias in fide, quam dispositionis, haberi partes. Atque ita Theologi illi, si qui sunt, qui scripserunt justificationem non pendere e bono animi motu, locuti sunt de gratiæ efficientia, & Sacramentorum virtute, non de dispositione suscipientium.

At quod Vossius ait, nos vim justificationis omnem ponere in signo, sive, ut ajebat Melanchthon, *in ceremonia*; si id hæretici affirment, quasi nos Christi institutionem, & Spiritus sancti efficientiam penitus excludamus, & quasi opinemur Sacramenta esse gratiæ causas physicas naturales, tam putide calumnia est, ut refutatione non egeat; præsertim cum non omnes Catholici fateantur Sacramenta physice gratiam producere, & qui oppositum docent, affirment sensibilia elementa in producenda gratia supra energiam naturalem extolli.

Explodenda denique esset calumnia de barbarie, & novitate hujus vocis, *Opus Operatum*; nisi ad illam revincendam sat superque essent, quæ diximus cap. I. de vocabulo *Sacramenti*. Nonnulla addemus tamen. Ac primum sit, nil ad nos pertinere *quid Grammatici velint*, ut de verbo *fœneratur* inquit Augustinus serm. 3. in Ps. 36. num. 6. ac melius esse, *ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi*, ut idem Augustinus ait in Psalm. 138. num. 20. Deinde asserimus ea verba *Opus operatum* non esse primum intrusa, cum Lutherus & Calvinus ad infestandam Ecclesiam eruperunt; quamvis optimo consilio adversus nova hæreticorum commenta nova etiam vocabula adhibeantur: sed *opus operatum* ante Tridentinum Concilium commemoravit in IV. dist. I. q. I. art. 5. Thomas Aquinas, & quinquaginta fere annis ante Thomam lib. III. de mysteriis Missæ cap. 5. pag. edit. Colon. 367. Innocentius III. Significationem vero eorumdem vocabulorum occurrere in Patrum scriptis, recte animadvertit in dissert. de quibusdam SS. PP. locis contra hæresim Berengarii cap. 6. Christianus Lupus. Tandem negari potest esse verba aliqua *deponentia* juxta opinionem vulgarium Grammaticorum, cum Gaspare Scioppio lib. 3. cap. 2. & 3. Minervæ Sanctianæ. *Deponentia* enim sunt ea verba, quæ modo *deposuerunt* passivam, aut activam significationem, cum aliquando fuerint communia & habuerint utramque, aut potius in quibus aliquod nomen *deponitur*: ita consuetum est dicere, *utor bonis, obsequor amicis, ingredior janua, dominor libera civitate*; & verba *deponentia* hæc sunt, non quod activa, aut passive esse nequeant, sed quia in Grammatica syntaxi *deponimus* vocabula, *usum, obsequium, ingressum, dominium*, utpote verbis ipsis *utor, obsequor, ingredior, dominor* satis expressa. Ceterum si dixero activorum verborum servata syntaxi: *argentum abutar, abutitur operam, utor amicos, obsequor omnia, pontem ingredior, fungitur officia, pascuntur sylvas*, nemo me reprehendat, qui perlegerit Terentium, Plautum, Catonem, Virgilium. *Dominor* etiam passiva significatione usurpatur a veteri poeta, apud Ciceronem de Officiis, *ulciscor* a Memmio apud Sallustium in Jugurtha. Atque ita *opus operatum* non Schola tantum, sed etiam Latinissime Synodus retinuit absque labe orationis. Sed hæc ad Grammaticos. Collata, ut arbitror, in bono lumine controversia, expunctisque hæreticorum dicteriis, quæstionem distinctis thesibus nitar dirimare.

PROPOSITIO I. Non est Sacramentorum omnium, tam veteris, quam novæ legis eadem vis, atque efficientia.

Probatur I. ex Scripturis; Sacramenta enim vetera appellantur ab Apostolo, ut vidimus cap. I., *infirma, & egena elementa*, ad Galat. IV. 9. & dicuntur vim solam habuisse sanctificandi *ad emundationem carnis*, id est, conferendi *per se* sanctitatem tantum legalem, ad Hebræos IX. 13. e contra vero Sacramenta novæ legis dicuntur renovare hominem, sanctificare animam, & salvum facere, ut dicam infra. II. Si Sacramenta vetera habuissent cum novis eamdem efficientiam, ab illis nulla alia ratione discrepassent, *nisi quia ceremonia sunt alia, & alii ritus externi*; quod proscriptum est canone 2. sess. VII. Tridentini. III. S. Pater Augustinus antiquitatis fidelissimus testis lib. XIX. contra Faustum cap. 13. inquit: *Prima Sacramenta, quæ observabantur & celebrabantur ex lege, prænunciativa erant Christi venturi, quæ cum sua adventu Christus implevisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere legem, sed adimplere. Et alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitiæ fidei revelata*. In Psalmum quoque LXXIII. num. 2. *Sacramenta*, inquit, *non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promiserunt Salvatorem . . . Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora*. Vide & Epist. ad Jan. 54. alias 118. laudatam cap. V. hujus libri, adeasque Hier. Torrensem in Confess. Augustin. lib. III. cap. I. numer. 4. & in Panoplia lib. III. cap. 2. Wilhelmum Lindanum. III. Veteres justi, quantumvis Sacramentis muniti, post mortem inferni carcere tenebantur, ut liquet ex Gen. XXXVII. 35. Job. XVII. 13. Psalm. LXXXVIII. 49. & ex Epist. ad Hebræos XI. 13. 39.

At

At applicato nobis per Sacramenta merito passionis Christi, conferri jus proximum cælestis regni, & sine culpa defunctis ipsius regni possessio, scribente Paulo ad Ephes. 11. 5. *Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati, & conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Jesu, &c.*

Reponunt hæretici decipi nos magnificis Sacramentorum laudationibus, Augustinus enim nihil aliud contra Faustum contendit, nisi Sacramenta veteris legis Christum prænunciasse, nostra vero illum annunciare; illa fuisse promissiones complendarum rerum, hæc indicia completarum; & consequenter non in efficacia, & vi producendi gratiam differre, sed tantum in ratione significationis, ac promissionis, per quam Sacramenta novæ legis præsentem Salvatorem exhibentia facilius fidem excitant. Atque hanc esse mentem Augustini inferunt ex Q. xxxiii. in Num. ubi de Sacramentis ait: *Eadem quippe sunt in vetere & novo* Testamento: *ibi obumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata.*

Verum decipiuntur potius miserrimis hisce Calvinianis subterfugiis heterodoxi. Nam priori in loco contra Faustum diserte Augustinus Sacramenta nova appellat *virtute majora, utilitate meliora.* Quid sit autem *hæc virtus*, demonstrat proximo cap. xvi. affirmans eam non esse externam ablutionem, aut verba celeriter prætereuntia, quibus, ut hæretici tenent, fides forinsecus excitetur; sed esse spirituale donum, & gratiam permanentem, & qua nobis arrha æternæ vitæ confertur. *Virtus autem* (inquit) *quæ per ista operatur, jugiter manet, & donum spirituale, quod per ipsa insinuatur, æternum est.* Quod si hæretici reponerent hanc virtutem esse efficientiam Spiritus sancti; fateri deberent hanc efficientiam spirituale donum operari *per Sacramenta*, ut Augustinus affirmat, non per solam *fidei* excitationem. At dum hæretici vim Sacramentorum denegantes detorquent verba Augustini; deprehendere debent sacrilegii notam, qua eodem lib. cap. xi. a S. Parente inuruntur his verbis: *Quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit: impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* In secundo autem testimonio tam aperte Augustinus affirmat per nova Sacramenta *salutem dari*, ut nihil habeant hæretici quod reponant, nisi Augustinum per hyperbolem accipiendum. Ex præcitata etiam quæst. 33. in Num. Calvinus refellitur; ibi namque Augustinus n. 9. docet *in aqua dispersionis*, qua Judæi mundabantur a contactu mortuorum, & a cineribus vitulæ, *significatum baptismum Christi Judæis & gentibus profuturum*; & num. 11. ait, *Proinde qui Sacramento baptismi recte abluitur, quod illa adspersionis aqua figurabatur, mundatur & spiritaliter, idest, invisibiliter & in carne & in anima.* Quid ergo? In hoc per Augustinum sita est novorum Sacramentorum præstantia; quod non solum excitant ad Christi fidem, commonstrantque adimpleta, quæ in veteribus obumbrata, ac præsignata fuerunt; verum etiam Sacramenta nova sunt *meliora, salubriora, feliciora*; & ubi antiqua adspersio aquæ mundabat *legaliter*, auferendo immunditiam carnis & ve.ium oriam ex contactu cadaveris; baptismus in adspersione illa præfiguratus *inenarrabiliter valet plurimum*, & mundat *spiritaliter & invisibiliter*, ut simus sancti corpore & spiritu. Vellem, ut prudens lector in hisce expendendis aliquantulum immoraretur.

PROP. II. Quamvis vetera Sacramenta *per se* non conferrent gratiam sanctificantem, sed tantum emundationem carnis, & sanctitatem legalem, tamen etiam illam gratiam contulerunt *per accidens*, & quatenus erant protestativa fidei suscipientium.

Videntur Theologi in hac propositione plurimum dissentire; nam Magister in iv. dist. i. ait Sacramenta vetera significandi tantum gratia fuisse instituta, neque illis unquam homines justificatos, etiamsi in fide & caritate ea suscepissent. At Hugo Victorinus lib. i. de Sacrament. fidei p. 8. cap. 11. & 12. scribit etiam illa Sacramenta instituta, ut illis Deus hominibus medicinam præberet, eumdemque effectum habuisse cum Sacramentis legis novæ, & unam sanctitatem præstasse. S. Bonaventura in iv. dist. 1. p. i. q. 5. Hugoni adhærens, ait quidem Sacramenta antiquæ legis instituta in significationem futurorum, sed tamen per accidens justificasse; quatenus in eorum susceptione erat fidei protestatio. S. denique Thomas 1. 2. q. 103. art. 2. & 3. p. q. 62. art. 6. negat Sacramente Mosaicæ legis contulisse gratiam sanctificantem, & expiasse a peccatis. Posteriores autem Theologi quidam Hugoni ac Bonaventuræ adhæserunt, ut Estius in iv. dist. 1. §. 28. quidam S. Thomæ, ut Bellarm. lib. 2. de Sacramentis cap. 13. At ego in primis, ut facilius refutentur hæretici, qui nobis hac præsertim in re scholarum dissidia objectant, arbitror Magistrum, Hugonem, Bonaventuram, & Thomam, verbis tantum, non re discrepare; tametsi aliter unum, aliter alterum sentire scribant tales viri, quales sunt Bellarminus, Suarezius, Estius. Enimvero Magister scribens *quod vetera Sacramenta promittebant tantum & significabant, non conferebant salutem*, nec aliquis justificabatur ex operibus legis, *etiamsi in fide & charitate fierent*, nihil habet quod Apostolo, Augustino, & Theologorum Scholæ adversetur, si plano obvioque sensu accipiatur, quod non *per se*, sed per fidem Mediatoris, quam præsignabant, ceremoniæ veteres justificationem impertiebantur; cum *per se* institutæ tantum sint gratia significandi, & in servitutem onusque populi pervicacis. Atque hunc esse Magistri sensum ex præcitata dist. i. n. i. & 2. perspicuum est. Non alia ratione accipiendus est Hugo, quippe lib. i. de Sacram. p. 12. num. 5. primam inter Sacramenta nova ac vetera differentiam constituit, *quod Sacramenta novi testamenti gratiæ spiritualis signa sunt, & ad ipsam gratiam conferendam infusa sibi benedictione principaliter instituta.* Sacramenta autem vetera erant *horum signa tantum*, & gratiam conferebant non infusa sibi benedictione, *sed mediantibus iis, quorum signa fuerunt*, ne sine salute essent, qui redemptionis tempora præcesserunt. Quare etiam Hugo censuit vetera Sacramenta *per se* fuisse nuda signa futuræ reparationis, & gratiam contulisse tantummodo *ratione fidei* in Christum, quem promittebant. Sanctus etiam Bonaventura iisdem Hugonis vestigiis insistens docet citato loco Sacramenta vetera non *per se*, sed *per accidens* justificasse, ratione scilicet fidei operibus legis conjunctæ; tametsi Bonaventura interpretatus sit Magistrum, quasi scripserit nunquam vetera Sacramenta contulisse gratiam *nec per se, nec per accidens*: quod nescio, an apud Magistrum inveneris. Tandem Beatus Thomas laudato art. 6. ait quidem Sacramenta veteris legis non contulisse gratiam sanctificantem, sed addit, *per se ipsa, idest, propria virtute*, quatenus scilicet veteres justi non per Sacramenta, eorumque usum justificabantur, sed ratione fidei in futurum Reparatorem, cujus fidei Sacramenta legis erant *quædam protestationes.* Atque his ipsorum Doctorum verbis & doctrina explicatis constat inter ipsos nullum, vel minimum interesse discrimen; cum singuli, sive dicant Sacramenta legis significasse duntaxat, non contulisse salutem; sive affirment non contulisse gratiam *per se*, propriaque virtute; sive doceant justificasse ratione fidei adjunctæ; hoc unum intendant, gratiam non esse tribuendam virtuti antiquorum Sacramentorum, sed fidei: cujus tamen fidei virtute etiam per illa Sacramenta collatam esse justitiam, nullus, si probe sentio, negare potest.

Itaque præmissis veterum Scholasticorum vindiciis, eorumque conciliatis sententiis, ad hunc modum propositionem stabilio. I. Ex Apostolo ad Hebr. v. omnis Pontifex, etiam Aaronici ordinis, constituitur in his, quæ sunt ad Deum, *ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Et quidem sacrificia pro peccatis instituta, liquet ex libro Numerorum: oblata autem ad avertendam Dei indignationem, & statutas scelerum pœnas, ex Regum historiis, librisque Machabæorum. Haud inficiamur præcipuam instituendorum sacrificiorum rationem esse obsequium cultumque præstandum supremo Domino: concedimus etiam sanguinem hircorum & vitulorum contulisse vi sua munditiem tantum legalem, nec Judæos a servitute legis immunes penitus reddidisse; sed cum omnia in figura contingerent, præsignabant, ita pro hominibus mactandum fore Christum, agnum Dei immaculatum, expiandamque hujus sanguine conscientiam universorum, sicut hostiæ substituebantur pro transgressoribus, & lustrationes conferebant carnis emundationem. Id vero disputantes contra Socinum libro xxvi. demonstravimus. Hac ergo veterum figurarum umbra patres ad fidem promissi liberatoris pertrahebantur; atque ita per hanc fidem & gratiam Christi emundabantur ab animi inquinamentis, ita, ut legis signa non quidem *per se*, sed *per accidens* gratiam sanctitatis conferrent. Conciliantur hoc pacto adversæ specietenus Scripturarum sententiæ, quod nempe ea Sacramenta egena fuerint, vacua, inutilia, infirma, umbræ futurorum, nec vim habentia auferendi peccata; & quod per ea homines Deo placuerint, supplicia evitarint, veniam patratorum scelerum obtinuerint: quorum primum est antiquis Sacramentis *essentiale* & intrinsecum; alterum adventitium & *accidentarium* est, proveniens nempe ex fide, atque pietate credentium. II. Saltem sensu explicato Sacramenta vetera contulisse gratiam affirmant Ecclesiæ Patres: Ambrosius enim lib. vii. in Lucam num. 166. scribit: *Venit ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam, hoc est, venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore. Adventum ejus ex beneficiis recognoscimus. Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio est: circumcisio purificavit, sanctificavit lex, justificavit gratia.* Sane Ambrosius non tribuit legi vim sanctificandi *per se*; nam præcedenti libro iii. in Lucam scripserat legem *ab ea pietate, quæ secundum Deum est, decretorum difficultate* prohibuisse, atque ideo fuisse utilem incredulis & necessariam infirmis, quia *lubricos & errantes præcepti salutaris austeritate* cohibebat; libro etiam vi. num. 35. docet eatenus legem sanctificare, quatenus peccata reprehendit, atque ita qui per legem *prævaricationis crimen agnoscit, currit ad pœnitentiam, & consequitur gratiam.* Atque hoc est, quod Scholæ Magistri appellaverunt, sanctificare *per accidens.* Consonat

Augu-

Augustinus, qui in Leviticum q. 84. demonstrat nihil prodesse *Sacramentum visibile sine invisibili sanctificatione*, affirmatque Moysen sanctificasse *visibilibus Sacramentis per ministerium suum*, Dominum autem *invisibili gratia per Spiritum sanctum*. A visibilibus ergo Sacramentis, etiam antiquis, Augustinus minime gratiam sanctificationis disjungit. At non ait S. Pater vetera Sacramenta sanctificasse *per se*: immo discrimen maximum statuit inter vetera & nova, ut vidimus præced. proposit. & consequenter docet solum, Sacramenta legis justificasse *per accidens*, & merito fidei Evangelicorum mysteriorum, quæ præsignabant: atque id paullo post egregius Doctor affirmat de sacrificiis legalibus, scribens quæst. 25. in Num. *Si per seipsa adtendantur, nulli peccato possunt mederi; si autem res ipsæ, quarum hæc Sacramenta sunt, inquirantur, in eis invenies poterit purgatio peccatorum*. Eadem est sententia Leonis Magni serm. 2. de Pentecost. cap. 4. quo in loco, *Omnes Sancti*, inquit, *qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus sancti sanctificatione vegetati: & sine hac gratia, nulla unquam instituta Sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria: ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum*. Verum eo loci S. Pontifex docet quidem nunquam sine Spiritus sancti virtute, aut remissa fuisse peccata, aut instituta fuisse Sacramenta; sed minime Sacramentis omnibus tribuit eamdem efficientiam. His assertum nostrum comprobatum est, ac demonstratum simul quo sensu nonnulli Patres vim producendi gratiam veteribus Sacramentis tribuerint, & quomodo fallantur hæretici, qui prædictorum Patrum auctoritate oppugnare nituntur præcedentem primam propositionem.

. PROPOSITIO III. Sacramenta veteris legis gratiam conferebant *ex opere operantis*: de circumcisione tamen diversæ sunt Scholasticorum Doctorum sententiæ.

Prima pars sequitur ex dictis; si enim vetera Sacramenta per se valebant tantum ad emundationem carnis, & ad conferendam justitiam legalem, peccatum autem auferre non poterant, nisi ratione fidei in futurum Reparatorem, quem promittebant; profecto nonnisi *ex opere operantis* sanctificabant. Deinde confirmatur hæc propositio verbis Florentini Concilii in decreto unionis, ubi inter vetera ac nova Sacramenta hoc statuitur discrimen: *Illa non causabant gratiam, sed eam solum per Christi passionem dandam figurabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt*: quæ verba consonant productis ex Augustino, *Sacramenta novi testamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promittebant Salvatorem*.

Opp. 1. Liquet ex Scripturis ac Patribus, etiam sacrificia vetera sanctificasse, & effecisse peccatorum expiationem. Deinde Petrus in priori Epistola III. 20. comparat aquam baptismatis aquæ, per quam in diebus Noe salvæ factæ sunt octo animæ. Paulus etiam in 1. ad Corinth. x. 2. de Patribus Testamenti veteris ait: *Et omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt, &c.* Si ergo aqua baptismi, & panis Eucharisticus *ex opere operato* producunt gratiam; idem, eodemque pacto præstiterunt mare rubrum, & manna.

Resp. ex Scripturis ac Patribus manifestum esse, quod Sacramenta sanctificabant tantum per accidens, *per se* autem erant significativa gratiæ, quatenus aut conferebant sanctitatem legalem, aut eripiebant transgressores a morte corporis; quæ gratiæ redemptionisque a Christo perficiendæ erant symbola, ut explicatum est supra. Idem est sensus verborum Petri, qui scribens citato loco, *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma*, demonstrat in arca Noe Ecclesiam, in aqua baptismum, in corporum a naufragio liberatione præfiguratam fuisse æternam animarum salutem. Ea enim verba *similis formæ*, non virtutis æqualitatem significant, sed figuram, similitudinem, ac typo respondens exemplar, extatque in Græco ἀντίτυπον: quo vocabulo Apostolus ad Hebr. IX. 24. appellat *manufacta sancta exemplaria verorum*, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν. Eadem significatione alloquitur Corinthios Apostolus, nec aliud docet, nisi nubem ac mare fuisse typum baptismatis, manna Eucharistiæ, petram ex qua fluxerunt aquæ Christi ex cujus latere Sacramenta exiere, terram promissionis umbram cælestis regni, prostrationem in deserto symbolum reprobationis. Hortatur enim Apostolus Corinthios ne sibi impunitatem polliceantur, si obsequentes sint illecebris concupiscentiæ, freti nimium baptismatis & Eucharistiæ virtutibus. Utitur autem hoc argumento. Quidquid priscis contigit Patribus, id in figura factum est nostri: omnes Judæi fuerunt sub nube ac transierunt mare, atque id præsignabat baptismum omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, scilicet manna symbolum Eucharistiæ: omnes biberunt de petra, quæ erat figura Christi, & nihilominus qui vitulum adoraverunt, & fornicati sunt, in solitudine perierunt. Hæc omnia nobis præbuerunt exemplum, ac præsignarunt fore ut miserrime pereamus, neque nos Sacramenta eruant a perditione, si improborum Judæorum sectemur scelera. Vide præclarum Apostoli Commentatorem Estium, nec non ex Acatholicis Cappellum, & Grotium. At quid interpretes adeundum? Sese explicat Paulus scribens versu 5. & seq. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt*.

At inquiunt Calvinistæ: Si eamdem ac nos escam manducarunt, eumdemque susceperunt baptismum; habuerunt etiam eadem, ejusdemque virtutis mysteria.

Respondet Bellarminus libro 2. de Sacramentis cap. XVI. sic intelligendum esse Apostolum, ut significaret patres manducasse eamdem escam *inter se*, non eamdem *nobiscum*: quam responsionem probant Scholastici, ut Cardinalis Gotti Tom. XIII. pag. 71. Habert Tom. V. pag. 29. Nec ego huic responsioni adversabor: primum, quia scopo Apostoli nuper exposito quadrat optime: deinde quia non ait Paulus, eumdem cibum, eumdem potum nobiscum, sed absolute eumdem cibum, eumdem potum; præterea quia Christus Joannis 6. 32. affirmat Moysen non dedisse *panem de Cælo verum*, manna ab Eucharistia distinguens. Ceterum non desunt Patres, qui ita Apostolum interpretantur, ut Judæi etiam eumdem panem nobiscum manducaverint; non Augustinus tantum in Psalmum 7. 22. & Tractatu 45. in Joannem num. 9. sed etiam Anselmus, & Sanctus Thomas in caput x. Epistolæ 1. ad Corinthios. Hunc etiam sensum probat lib. VI. Biblioth. cap. 196. Sixtus Senensis; nec aliter sentiunt, auctore Estio in Paulum pag. 291. Græci Patres. Verum neque hæc interpretatio suffragatur Calvino. Augustinus enim in præcitatum Psalmum, ait, *Idem itaque in mysterio cibus & potus illorum, qui noster, sed significatione idem, non specie, quia idem ipse Christus illis in potu figuratus, nobis in carne manifestatus*. Quod proximo numer. 3. enucleatius exponens agnoscit in Sacramentis veteribus, non rem, sed figuram eorum, quibus nos fruimur, longa oratione prosecutus, quæ nos paullo supra extremis delibavimus labris. Nec aliud Augustinus Tract. præcit. in Joannem, ubi docet veteres eumdem cibum manducasse, eumdemque bibisse potum, *si attendamus intelligibilem significationem*; nam inquit, *quid nos bibamus norunt fideles*: bibimus namque ac manducamus quod profanis confiteum non est revelare. Est autem utrobique Augustini scopus commonstrandi nobiscum Patres fidei societate fuisse conjunctos, nec aliud antiquis signis prænuntiatum, quam quod apprehenditur novis, ita, ut veteres habuerint symbola earum rerum, quarum nos veritatem sumus assecuti. Ac idem tradere duo Ecclesiæ lumina, Anselmum, ac Thomam commonstrant eorum scripta: ille siquidem ait, antiquos Patres eumdem nobiscum panem, potumque gustasse, quoniam manna & aqua habebant in se *figuram corporis & sanguinis Domini*: ille autem, *eamdem*, inquit, *escam spiritualem manducaverunt, idest, Christi corpus in signo spiritualiter intellecto*. Nos itaque hæreticis hac responsione, nec a Thomistis rejicienda, occurremus: Antiqui Patres eamdem nobiscum escam manducaverunt, eamdem *significatione ac symbolo*, concedo: eamdem *reipsa*, *ac virtute*, nego.

Insuper oppones: Sacramenta novæ legis, ut dicendum est infra, gratiam conferunt *ex opere operato*, quoniam vim habent ex Christi passione: cur vero idem dicendum non est de Sacramentis veteris legis, cum omnes Sancti tam novi, quam antiqui fœderis, nonnisi merito passionis Christi salutem sint consecuti?

Resp. S. Thomas q. 62. art. 6. ad 1. virtutem passionis Christi copulari nobis per fidem, & per Sacramenta; sed unionem, quæ fit per fidem, esse per actum animæ, unionem vero quæ est per Sacramenta fieri per usum exteriorem rerum: & quoniam actus animi potest etiam futura apprehendere, ideo antiqui justi salvi sunt per fidem Christi venturi; e contra quia id, quod nondum est, nequit movere secundum usum exteriorum rerum, passio Christi nondum peracta non justificabat per usum visibilium Sacramentorum. Hanc responsionem non probat illustris Estius in IV. dist. 1. §. 28. quia etsi tempore veteris legis mysterium passionis Christi nondum esset peractum, Deus tamen respiciens in passionem Christi futuram potuit hominibus illius temporis conferre gratiam per Sacramenta, tamquam per signa, quibus divina virtus infallibiliter assisteret. Nec necessum est, inquit, ut quod movet in genere causæ efficientis existat, alias nec moveret id, quod jam esse desiit, atque ita nec Sacramenta novæ legis virtutem haberent a passione Christi transacta profluentem. Hæc Estius. Propugnari tamen potest responsio Thomistica, si spectetur tradita a S. Thoma inter actum animi, & usum rei sensibilis differentia, & si attendatur juxta S. Thomam Sacramenta novæ legis esse instrumenta gratiæ physica, aut physicis similia, quæ non a prævisa Christi passione, sed a peracta virtutem habent suam: atque ita vindicat S. Thomæ doctrinam Franciscus Sylvius in eumdem articulum pag. 207.

Quoniam tamen ipso Sylvio fatente talis Sacramentorum causalitas incerta est, cudam ingeniolo meo responsum alterum, & ni fallor, planissimum. Testamenta duo

sunt

funt, & utriusque Sacramenta diversa; fides autem est una. Vetus testamentum vitulorum & hircorum sanguine confirmatum est; novum Christi morte, præsignata in hostiarum veterum mactatione. *Et ideo*, inquit Apostolus ad Hebr. ix. 15. *novi testamenti mediator est*; cumque vetus testamentum haberet umbram futurorum bonorum, Christus morte sua veterem legem, hujusque Sacramenta abrogavit, institutis Sacramentis salubrioribus. At fidem antiquam non eliminavit, sed confirmavit; quod enim veteres credebant futurum, id nos credimus jam completum. Hinc antiqui Patres ratione legis, ejusque symbolorum pertinebant *ad vetus testamentum*; ratione fidei pertinebant *ad testamentum novum*. Legito Augustinum lib. de Grat. novi Testam. ad Honoratum, sive Epist. 140. alias 120. num. 5. & seq. Puto in his nihil occurrere difficultatis. Respondendum est itaque, etiam antiquos Patres justificatos ex fide Christi, ejusque passionis merito: quia fides est una, & ad hanc confirmandam Christus profudit sanguinem; non fuisse autem justificatos per Sacramenta, quoniam hæc diversa sunt, nec Christus mortem subiit, ut confirmaret Sacramenta legis. Quare negandum est collatam fuisse veteribus Sacramentis vim justificandi *ex opere operato* intuitu passionis Christi.

PROPOSITIO IV. Sacramenta novæ legis ex merito passionis Christi justificandi vim habent.

Sequitur ex dictis, & confirmatur auctoritate Sanctorum. I. Hieronymus in cap. 43. Isaiæ, Tom. III. pag. 326. ait in Baptismate dimitti peccata, & vetus chirographum deleri *in aspersione & sanguine novi testamenti*. Et in Epist. 82. ad Oceanum Tom. IV. pag. 651. scribit: *Latus Christi percutitur lancea, & baptismi atque martyrii pariter Sacramenta funduntur*. In Dialogo etiam adversus Pelagianos lib. 1. pag. ejusdem Volum. 504. *Redimitur*, inquit comparans Sacramenta urbi fugitivorum, *redimitur sanguine Salvatoris, aut in dono baptismatis, aut in pœnitentia*. Plura Schultingus Confess. Hieronymianæ pag. 654. Augustinus etiam Tract. XI. in Joan. 4. *Significabat mare illud rubrum baptismum Christi. Unde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus?* Ex latere Christi in cruce transfixo Sacramenta Ecclesiæ profluxisse tradit S. Pater lib. XV. de Civit. Dei cap. 26. in Psalmum 40. & 55. aliisque in locis. Hoc ideo ab Augustino dictum esse, non solum quia sanguis & aqua significant baptismum ceterorum Sacramentorum januam, & Eucharistiam in qua pretium ipsum sanguinis continetur, verum etiam quia Sacramenta a morte Christi virtutem accipiunt suam, ex Tractatu cxx. in Joan. n. 2. sapienter in articulum v. q. 62. ratiocinatus est Sylvius. Tandem accedit ratio insinuata articulo eodem a S. Thoma: etenim per Sacramenta nobis Christi passio applicatur, Christo conjungimur, Christi gratia fulcimur, ac *per baptismum cum Christo consepulti sumus in mortem*, ut Apostolus inquit ad Rom. VI. 4. & ad Coloss. II. 12. Per Eucharistiam digne susceptam in Christo manemus, ac propter eum vivimus, Joan. VI. 57. 58. Per cetera Sacramenta aut gratiam, aut gratiæ recipimus incrementum: quæ passionis Christi effecta esse saluberrima, nemo non novit.

PROP. V. Eadem novæ legis Sacramenta *ex opere operato* producunt gratiam.

Hæc propositio definita, ut diximus, Tridentino canone, præcedentium dissertationum consectarium est. Si enim in hoc sita est natura Evangelicorum Sacramentorum, quod sunt signum efficax gratiæ, si perficiuntur verbis, quorum non est munus præcipuum fidem promovere, sed subjectam consecrare materiam, & si, quod nuper vidimus, inter nova ac vetera Sacramenta discrimen est maximum, non tam in diversitate rituum, quam in derivata a merito Christi virtute; necessario Sacramenta hujus legis debent ob gratiæ ubertatem & efficientiam præferri vetustioribus, & spiritualia dona impertiri *ex opere operato*; quod nihil est aliud, nisi visibilibus signis vi institutionis, & merito passionis Christi conjunctam esse virtutem sanctificandi. Addamus tamen quædam pro Catholica veritate momenta.

Ac primo constat ex sacris litteris per Sacramenta nos salvos fieri, exuere veterem hominem, innovari spiritu, regenerari, renasci, peccatorum obtinere remissionem, sanctificari, mundari, donis spiritualibus exornari. Quid ad significandam vim & energiam producendi gratiam potest proferri expressius? Assumptum, ut vocant, probatur: nam de baptismo legimus Joannis III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*. Ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*. Ad Galat. III. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis, &c.* De Confirmat. Act. VIII. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. De Eucharistia Joan. VI. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. De Pœnitentia Joan. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. De Ordine, gratiam conferri per impositionem manuum presbyterii ait Apostolus 2. ad Timoth. VI. 6. De Unctione extreme inquit Jacobus v. 14. *Si in peccatis* (infirmus) *sit, remittentur ei*. De Matrimonio, etsi idem expresse in Scripturis non habeatur, ejus tamen gratiam commendat, quod Christus benedixerit nuptiis, easque præsentia sua consecraverit, Joan. II. 2. Utuntur his testimoniis Theologi omnes, Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 3. Estius in IV. dist. 1. §. 4. Tournely q. 3. art. 1. Habert cap. 4. q. 7. aliique communiter.

Respondent hæretici. 1. figuratas esse locutiones, quæ baptismum comparant aquæ lavacro, ac demonstrare tantummodo Spiritum sanctum animarum purgandarum, & irrigandarum, quasi aquarum munere fungi. 2. Sacramenta eatenus peccata dimittere, quatenus fidem excitant. 3. aperte Petrum epist. 1. cap. III. 2. non aquæ abluenti sordes carnis, sed *bonæ conscientiæ interrogationi* tribuere gratiam salvificam. 4. etiam Jacobum non unctioni, sed orationi fidei adscribere ægrotantium levamen & gratiam.

Verum inania sunt hæc subterfugia. Primum quidem; nam etsi demus hæreticis loqui Christum & Apostolos de baptismo tropice, & figurate; in hoc patet positam figuræ rationem, ut sicut aqua nativa virtute sordes carnis extergit, ita salutare lavacrum virtute Spiritus sancti lavat peccatorum inquinamenta; & sicut qui nascitur, fruitur usura lucis, ita qui per baptismum regeneratur, splendore sanctitatis perfunditur. Deinde non Spiritui sancto tantummodo regenerationem & purgationem tribuunt Scripturæ, sed Spiritui sancto & aquæ, Spiritui sancto & baptismi lavacro, ut nempe in Spiritu intelligamus virtutem sanctificationis præcipuam, in aqua vero id, quo virtus ipsa sanctificat, sive causam, ut dici solet, instrumentalem. Ita, ut Sanctorum utar exemplis, dum voce Deus mundum condidit, dum Filius Dei verbo, contactu, sputo, digito, halitu patravit miracula, horum effectricem causam fuisse divinitatem quis negat? verba autem, digitum, sputum, halitum fuisse ipsorum miraculorum instrumenta quis ignorat? Sed vide hujus libri caput undecimum. II. Nec Sacramenta sanctificant fidem excitando, primum quia in adultis fides Sacramentorum administrationem præcedit: non enim quis baptizatur ut credat; sed imbuitur fide ac baptizatur, ita, ut fides sit dispositio ad rite suscipienda Sacramenta, non apprehendendæ justitiæ instrumentum. Ut enim quando mulier viro desponsatur, notitia requiritur ut contractus sit rationalis & liber, conjugium vero perficitur corporum traditione; ita dum anima desponsatur Christo, requiritur fides, ut sciat cui se devoveat & copuletur, sed copulatio hæc peragitur usu visibilium instrumentorum. Si vero baptizandi sint parvuli, quis dicet in his per signa sensibilia excitari fidem, nisi insaniens Lutherus? III. Affirmans Petrus, quod nos *salvos facit baptismo, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*, principio a baptismate salutem repetit, dicens, *Salvos facit baptisma*: deinde consequentium verborum, me quidem judice, sensus est, baptismus salvat, non quatenus abluit corpus, sed quatenus remittendo peccata animum reddit sibi bene conscium. Etenim hæc expositio simplex & obvia est. Præterea, quemadmodum in hac phrasi *Baptisma non est depositio sordium carnis*, occurrit *metonymia*, quæ sensum reddit, Baptisma non salvat quatenus corporales maculas lavat; ita in phrasi ista, *Baptisma est interrogatio conscientiæ bonæ*, metonymicus sensus est, Baptismus nihil relinquit, quo aliquis facto sui ipsius examine torqueri debeat conscientia. Est etiam hæc expositio cohærens lectioni, quam habet Tom. II. pag. 514. Œcumenius: *Baptisma nos quoque salvat, quo non carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit ut bonæ conscientiæ responsio sit apud Deum*. Hac vero expositione præmissa, torquebit sese perperam serpens hæresis. Quod si placet magis per *interrogationem bonæ conscientiæ* intelligendam internam fidem externa professione expressam a baptizandis, nec ero repugnans; dummodo gratiæ effectus, ad quem fides disponit, ab externa ablutione minime separetur. At Græco vocabulo συνειδήσεως, *conscientia*, animum sibi conscium significari non dubito: atque recte expressit Arabs interpres Tom. v. Polygl. pag. 901. *Nunc baptisma salvat nos, non amovendo sordes carnis tantum, sed exhilarando conscientiam*. IV. Ultimum hæreticorum perfugium consimile est reliquis. Orationem a presbyteris factam super infirmos *formam* Sacramenti nos esse contendimus, quippe non sola adhibetur, sed cum *unctione*; & ad hanc perficiendam, non ad excitandam fidem deservire, illinc patet, quod Unctio extrema etiam iis, qui mente destituuntur, ex antiqua consuetudine administratur. Sed de his instituenda rursus disputatio: legendus interim Estius in Epistolam Jacobi pag. 1144.

Præterea thesis confirmatur traditione Patrum. Justinus enim Apol. pag. 94. ait nos, quemadmodum progenerati sumus *liquido genitali satu*, ita per baptismum renasci, *& remissionem ante commissorum peccatorum consequi in aqua*. Tertullianus de Baptismo cap. 4. *Supervenit statim Spiritus de cælis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt*. Et infra: *Medicatis quodammodo aquis, & spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in iisdem spiritualiter mundatur*. Ac sexto capite: *In nobis carnaliter currit unctio,*

sed

sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur; spiritalis effectus quod delictis liberamur. De Resurrect. autem carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, & anima consecratur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut spiritus illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Cyprianus Epist. lxx. *Ungi*, inquit, *necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, idest, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Gregorius Nyssenus Orat. in Baptismum Christi ait: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.* Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. iv. num. 11. in hoc præfert baptismum mari, per quod transiit Judæorum populus, quod Judæi mortui sunt in deserto, at qui regeneratur baptismo, per hunc fontem transit *a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento in sanctificationem: qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.* Et proximo cap. num. 15. docet aquam illam sanare, *qua habet gratiam Christi;* & talem esse aquam baptismatis, postea quam *Spiritus descenderit, & aquam illam consecraverit.* Idem Ambrosius libro 2. de Pœnit. num. 12. exemplo Naamani, qui initio lepram suam per aquam mundari posse non credidit, demonstrat verissimum esse, quod nonnullis *impossibile videbatur, ut peccatum ablueret aqua.* Hieronymus prælaudata Epist. ad Oceanum pag. 650. prædicans baptismi laudes comparat illum aquis, super quas Spiritus Domini in auriga modum ferebatur, & nascentem mundum parturiebat: ait baptismi figuram referre extructionem firmamenti, quod juxta hebraici sermonis etymologiam ex aquis sortitur vocabulum; egressionem pennatorum de aquis, in quibus præfigurabantur fideles, quos baptismus de terra levet ad cælum; fontem in medio paradisi scaturientem; diluvium, quo purgatus est mundus, mare in quo suffocatus est Pharao, & cetera plura, quæ nunc prætermittimus, concludentes Hieronymianis verbis, *In lavacro omnia peccata merguntur.* Augustini, præter ea, quæ producta fuere hujus disputationis decursu, præclara est sententia libro iv. contra Cresconium cap. 16. num. 19. ubi firmissimis argumentis, ipsorumque Donatistarum factis commonstrat, *non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate, propter eum a quo institutus est.* Cetera, quoniam his recte petitur hæreticorum jugulum, non proferam. Adesis Bellarminum lib. 2. cap. 6. & sept. ex cujus fontibus video fere omnes bibisse, nec non pervulgatas Confessiones Orthodoxorum, Tertullianianam & Cyprianicam Carthusiensis Petrei lib. iii. cap. 1. Ambrosianam Nopelii lib. iii. pag. 183. Hieronymianam Schultingii Tom. iii. cap. 1. art. 4. & 5. Augustinianam Torrensis pag. edit. Dilingæ 150. 2.

Frustra hæc Patrum testimonia eludent Sectarii: quippe quæ nobis suppeditant ratiocinium istud firmissimum. Sacramenta sanctificandi vim habent e Spiritu sancto: ipsorum spiritalis effectus est peccata remittere: id non e meritu hominum pendet, sed ab ipsorum Sacramentorum virtute; & si mortalium animum pulsat hæc dubitatio, quomodo elementa corporalia gratiam conferre possint spiritalem, debemus acquiescere, credentes iisdem elementis inesse Spiritus sancti energiam. Hæc Patres. Atqui asserentes per Sacramenta gratiam *ex opere operato* produci, nihil affirmant aliud, nisi Sacramentis inesse vim sanctificandi, hac vi pollere ex Christi institutione, independenter e fide, meritoque mortalium; & si ab iis quæratur quomodo signa sensibilia producere valeant munera spiritalia, respondent in iisdem signis divinam operationem latitare. Qui ergo asserunt gratiam per Sacramenta *ex opere operato* produci, hi a Patrum doctrina ac sensu nullatenus recedunt.

Tandem propositio vulgari hac ratione firmatur. Conferre gratiam *ex opere operato* est illam conferre per administrationem Sacramenti, non per fidem ministrantium, neque per dispositionem suscipientium. Sacramenta novæ legis gratiam non conferunt per fidem ministrantium, quandoquidem fatentur Novatores validum esse baptismum etiam ab hæretico, vel a pagano collatum, immo ab histrione, a mimo, a diabolo: neque eam conferunt ex sola dispositione suscipientium; tum quia parvuli absque ulla dispositione lavacro regenerationis mundantur; tum quia juxta Evangelica eloquia, si quis credat, sed cum possit baptizari, id negligat, nequit salvari. Igitur Sacramenta novæ legis *ex opere operato* producunt gratiam.

Argumenta hæreticorum jam a nobis refutata fuerunt: quæ petuntur ex hujus vocis *ex opere operato* novitate ac barbarie, dirimuntur in prænotatis ad præsentem dissertationem: quæ suadere possent veteribus, novisque Sacramentis inesse vim eamdem, prima & secunda propositione expunguntur; quæ vero afferuntur ad probandum solam fidem *instrumentum* esse justitiæ apprehendendæ, ea discussa fuerunt lib. xix. cap. v. In hoc etiam libro cap. xi. ostendimus non solum fidei, verum etiam Sacramentorum usui gratiam repromitti. Dari etiam fidem *informem*, ut vocant, idest, a remissione peccatorum sejunctam, diximus libro xxiii. cap. i. Omnia modo ad syntexim revocando dicimus *fidem* dispositionem esse ad justificationis gratiam obtinendam, & *sine fide* per opera legis nunquam potuisse, neque nunc posse hominem justificari; quoniam *fides*, ut Augustinus ait, *est humanæ salutis initium*; sed negamus fidei justificationem infallibiliter esse conjunctam: cujus rei prior ratio est, quia fides exigitur, ut quis ad gratiam baptismatis digne accedat; ut supra diximus, & infertur ex ultimo cap. Marci, nec non ex Actis Apostolicis: ubi legimus prius credendum esse, postea baptismum administrandum, non contra ad promovendam fidem, lustralem aquam fundendam; ideoque fides est *conditio*, ut quis baptizetur in remissionem peccatorum, propterea quod nemo invitus & ignarus, (si compos sit sui) Christo per visibilia Sacramenta conjungitur. Quare Philippus Eunucho petenti baptismum, Act. viii. 37. respondit, *Si credis ex toto corde, licet.* Atque in eodem cap. versu 12. legitur Samaritanos recepisse baptismum, *cum credidissent Philippo evangelizanti.* In justificatione ergo fides est præcedens *conditio*, nec gerit vices alias, quam ad salutarem gratiam disponendi. Accedit, quod si quis credat, non tamen pœnitentiam agat, & conteratur, nunquam gratiam consequitur: unde jam credentibus, & corde compunctis ajebat Petrus Act. ii. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti.* Cur baptizendi erant *in remissionem peccatorum*, si hanc obtinuerant per fidem? Fides ergo ad justificationem *disponit*, non ipsa justificat.

Unus restat scrupulus, sed eximendus quamfaciliter. Si nempe Sacramentorum effectus pendet a dispositione suscipientium; quomodo verum est ea *ex opere operato* conferre gratiam? Aut contra, si conditio & necessitas fidei non officit, quin Sacramenta gratiam *ex opere operato* producant; eccur hoc pacto gratiam non contulerunt Sacramenta vetera, quæ justificabant ratione fidei? Verum hæc nullius momenti sunt, si dicta hactenus attendantur. A calce ad caput hujus dissertationis constat Orthodoxos ita gratiam conferendi virtutem tribuere Sacramentis, ut certas in subjecto dispositiones requirant, & jejuna esse prætexta, frigidasque calumnias autumantium nos excludere in magno justificationis opere *motus arbitrii.* Sane cohæret optime inesse Sacramentis *energiam* producendi gratiam, & hanc non recipi in subjecto nequaquam disposito. Ut enim a causa naturali petamus exemplum, inest aquæ vis abstergendi sordes, & igni subjectam materiam comburendi, etsi nec laventur, nec comburantur corpora contrariis affecta dispositionibus, puta laterem crudum, lignum viride. Dicimus ergo Sacramenta novæ legis virtutem habere sanctificandi vi institutionis suæ, ac merito passionis Christi, nec tamen sanctificare invitum & incredulum; non defectu sui, sed *obicis* subjectorum; uti aqua mundat, ignisque adurit indita sibi proprietate, quamvis id in quolibet corpore non efficiat. Cum autem Sacramenta legis non ad sanctificationem sint instituta, sed ad significationem futurorum, nec illis ex Christi morte accesserit gratiam producendi potestas; recte idcirco statutum est Sacramenta illa non *per se*, sive *ex opere operato* contulisse gratiam, sed *per accidens*, & *ex opere operantis.*

De *Circumcisione* duntaxat difficultas est inter Scholæ Doctores, eamque ad statuendam æqualitatem Sacramentorum utriusque legis urget in iii. Instit. cap. 16. hæresiarcha Calvinus. Magister ergo Sent. Scotus, & qui eo sub duce militant, necnon Estius, Juenin, aliique multi affirmant circumcisionem *ex opere operato* contulisse gratiam; negant id Thomistæ, ac nostratium complures. Ac prioris sententiæ momenta sunt, quæ sequuntur. I. Circumcisionem institutam esse ad delendum originale peccatum plura argumenta demonstrant, ex Scripturis, ac Patribus, Augustino præsertim petita: hæc a nobis cap. 3. prop. iv. & v. collecta sunt, & contra Augustinianæ sententiæ oppugnatores vindicata. Profecto remissio peccati videtur circumcisionis finis præcipuus, quamvis etiam instituta fuerit ad populum obsignandum, ut nos eo loci prop. 1. commonstravimus; quippe in divinorum mysteriorum institutione finis præcipuus est effectus nobilior. Circumcisio itaque ex vi institutionis suæ, adeoque *ex opere operato* peccatum originale delevit. II. Deletum peccatum originis per circumcisionem, quemadmodum nunc per baptismum deletur, docet pluribus in locis cit. cap. 3. producta S. P. Augustinus: & cum Augustino Ambrosius scribens lib. vii. in Lucam, *Circumcisio purificavit:* Magnus Gregorius, qui in iv. Moralium ait hoc egisse pro iis, qui de stirpe Abrahæ prodierunt, *Mysterium circumcisionis, quod apud nos valet aqua baptismi.* Innocentius III. scribens in cap. *Majores* remissam olim fuisse originalem culpam *per circumcisionis mysterium:* quæ testimonia, aliaque consimilia laudato cap. 3. afferuntur. III. Augustinus non tantum ait circumcisionem fuisse Judaico populo vice baptismatis; sed etiam docet valorem habuisse suum, quamvis a Samaritano collatam, ut apud nos tenet datus ab

hæretico baptismus. *Numquid apud Samaritanos* (inquie Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 31. num. 36.) *circumcisus, si fieri tunc vellet Judeus, posset iterum circumcidi ?* Neque ergo ex fide suscipientium, quoniam hæc non erat in octo dierum infantulo, neque ex dispositione ministrantium, quæ perperam fingitur in Samaritanis vaccas aureas colentibus, ut idem Augustinus ait q. 64. inter lxxxiii. num. 4. delebat circumcisio labem originalem. Augustinus præterea in iv. contra Donatistas cap. 24. num. 3. asserit præceptum circumcisionis latum fuisse de puerulo dierum octo; quoniam etsi infans ille credere non valebat, ad justitiam tamen *ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat*. IV. Non discessit ab Augustino S. Thomas, in quarto saltem sententiarum dist. v. q. 9. ubi ait: *Oportuit aliquod remedium dari, quod ex opere operato peccatum aboleret, & tale remedium fuit circumcisio*. V. Baptismi figura quædam, fatentibus omnibus, erat circumcisio: imo Christi nomine hæc etiam ministrabatur, scribente ad Rom. xv. 8. Apostolo: *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis*: ut ergo baptismum, ita circumcisio *ex opere operato* contulit gratiam. Hæc sunt, quæ Scotistarum sententiam reddunt valde probabilem, partim a Mastrio disp. 1. q. 2. art. 3. ab Estio disp. 1. §. 30. & Juenin dissert. 2. q. 1. art. 2. deprompta, partim a me superaddita.

At suam quoque probabilitatem habet sententia opposita: pro qua militant proximæ argumentationes. I. Demonstratum est prop. 1. hujus cap. ex Apostolo, atque ex Patribus Sacramenta veteris legis fuisse *infirma & egena*, umbram futurorum bonorum, & salutem promisisse quidem, non contulisse. At inter hæc Sacramenta circumcisio quoque connumeranda est: quamvis enim sit *ex patribus*, ut recte in iv. dist. 1. quæst. 6. ait Scotus, non sequitur ad legem non pertinere, alias nec ad legem spectarent sacrificia cruenta, a mundi incunabulis immolata. Nam quemadmodum sacrificia in lege Moysi præcipiuntur, ita etiam præcipitur circumcisio, Levit. xii. 3. ita, ut Christus Dominus Joan. vii. 22. dixerit: *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem*. Quare si cetera legis Sacramenta gratiam *per se* non contulerunt, nec eam *per se* contulit circumcisio. II. Apostolus ad Rom. iii. demonstrans quid utilitatis attulerit ipsamet circumcisio, hunc ei primarium effectum attribuit, quod per hanc Judæis *credita* fuerint *eloquia Dei*, prænuntiata nimirum futuri Salvatoris mysteria. De vi justificationis Apostolus nec verbum unum: immo ad Galatas v. 2. vi. 15. affirmat circumcisionem nihil prodesse. III. Tertio Florentinum Concilium supra citatum definit, quod Sacramenta veteris legis *non causabant gratiam, sed eam solum per Christi passionem dandam figurabant*: ubi universim de antiquis Sacramentis loquitur, uti & Tridentinum sess. vii. can. 2. nullatenus excepta circumcisione. IV. Patres laudati cap. iii. prop. 2., tradiderunt circumcisionem datam in signum distinctivum seminis Abrahæ, ideoque non ad originalem labem delendam. V. Quod Augustinus ait de Sacramentis Mosaicis, præsignasse gratiam, non eam contulisse, idem de Circumcisione affirmat. Etenim Epistola 82. alias 19. ad Hieronymum num. 15. inquit: *Dico ergo circumcisionem præputii, & cetera hujusmodi, priori populo per testamentum, quod vetus dicitur, divinitus datam ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri*. In Psalm. lxxv. num. 1. *Sunt ergo Judæi*, inquit, *in circumcisione carnis, & sunt Judæi in circumcisione cordis. Patres nostri multi sancti & circumcisionem carnis habebant propter signaculum fidei, & circumcisionem cordis propter ipsam fidem*. Quo in loco quemadmodum certum est Augustinum *per circumcisionem cordis* designare gratiam spiritualem, ita videtur hanc fidei soli tribuere, non circumcisioni carnis, per quam patres ad vetus testamentum spectabant. Denique idem S. Pater lib. 2. de Nupt. & conc. cap. xi. demonstrans originale peccatum ex necessitate circumcisionis, videtur innuere illam habuisse vim justificandi ex sola fide Mediatoris, atque ideo appellatam fuisse ab Apostolo *signaculum justitiæ fidei*: ait enim, *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ita ad significationem purgationis valebat & in parvulis originalis veterisque peccati, sicut baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus*; additque nec legem, nec vetus testamentum, quod in servitutem generat, sic datum ut posset vivificare, sed repetendam gratiam ex fide Mediatoris: quæ fides *salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis*. Mitto S. Patrem lib. 2. contra lit. Petiliani cap. xxxvii. num. 87. haud obscure significare idem inesse discrimen inter circumcisionem & baptismum, quod interest inter pascha Judæorum ac nostrum, atque inter baptismum Joannis & Christi. At de hac sententia legi poterunt Sylvius in q. 80. art. 4. Soto dist. 2. q. 1. art. 4. Gotti q. iv. dub. 5. §. 4. ex nostris vero Aurelius Piette de Sacram. in gen. q. 1. Vanroy cap. 3. q. 3. Gavardi q. 2. art. 1. §. 6.

Mihi, ut verum fatear, utraque sententia videtur probabilis; ita tamen, ut persuasum habeam Sacramentum circumcisionis institutum fuisse propter originale peccatum, ut assentiuntur Thomistæ, & nos cap. 3. probavimus. Nec enim postrema sententia infringit argumenta Augustini contra Pelagianos: quippe S. Pater cum his disputans non pertractat *de efficientia Sacramentorum*, *sed de existentia peccati originalis*, quod optime probatur ex præscriptione remedii, quocunque tandem modo illud inquinatos mundaverit; quemadmodum S. Pater libro de Nat. & gratia cap. xvii. num. 19. aliisque in locis probat dari peccata ignorantiæ, ex quo in lege certis sacrificiis expiarentur, tametsi nullus dixerit eadem sacrificia *virtute sua, per se*, & *ex opere operato* fuisse peccatorum illorum expiationem. Quare invictissima Augustini contra Pelagianos argumenta perperam a quibusdam Theologis in hac de efficacia Sacramentorum quæstione elevantur, & jure meritoque ea vindicandi suscepi officiosam provinciam.

Qui ergo nostratium sententiæ vult adhærere, poterit ad argumentationes contrarias hæc adhibere responsa. Ad primum quidem dicet, utique circumcisionem institutam fuisse propter originalem noxam delendam, sed delendam tamquam *per signaculum justitiæ fidei*: & quoniam prænunciando *justificationem nostram, & exspoliationem concupiscentiarum carnalium*, ut contra Petilianum inquit Augustinus, erat signum protestativum fidei in futurum Mediatorem: *quæ fides*, teste eodem Augustino de Nupt. & concup. *justos faciebat pusillos cum magnis*, idest, inquiunt Scholastici, circumcisio justificabat *dispositive*, non *effective*. Profecto præsignare gratiam Christi, circumcisionem spiritus, & hominis innovationem, res est perfectior, quam carnaliter obsignare progeniem Abrahæ: ideoque illud, non istud fuit instituendi circumcisionem motivum princeps. Quod sequitur eadem ratione diluitur; per mysterium quippe circumcisionis remittebatur peccatum *dispositive*, non *effective*; maxime quod Ambrosius eo loci ait etiam, *Sanctificavit lex*, & Gregorius, *Hoc egit pro majoribus virtus sacrificii*, cum lex, & sacrificia solummodo ad justificationem valerent *per accidens*, & fidem Mediatoris promovendo: quæ, auctore Apostolo, fuit utilitas circumcisionis, per quam Judæis *credita sunt eloquia Dei*, factaque Reparatoris promissio. Ad tertium quidam respondent, etiam Samaritanos, quamvis idololatras, ac ideo per leones a Deo insolito more punitos, in monte Garizitano sacra fecisse cultu veterum Patriarchatum consecrata, necnon credidisse Christum summum legislatorem ac doctorem venturum esse, Joan. iv. 20. 25. At non arbitror hanc responsionem esse ad rem: nam Augustinus scribens adversus Cresconium de baptismo hæreticorum, de ea circumcisione consequenter pertractat, quæ data fuerit a Samaritano fide exspoliato. Respondendum puto, Augustinum disputantem de non iterando baptismate, uti comparatione illiusmodi: Quemadmodum circumcisio imprimebat in carne *signaculum fidei*, ita baptismus imprimit in anima *characterem*: sicut ergo iterari non poterat circumcisio facta a Samaritano, quia auferri nequibat *signaculum* illud impressum in carne; ita repeti non debet baptismus ab hæretico collatus, quoniam indelebilis est *character* baptismatis, atque ita Augustinus scite a figura ad figuratum ratiocinatur: quamvis in circumcisione solam typi virtutem agnoscat, prænuntiativam sanctitatis, non effectricem: *Circumcisionem præputii* (inquit) *in figura baptismatis Christi ab antiquis observatam esse negare, ut arbitror, non audetis. Numquid apud Samaritanos circumcisus, si fieri tunc vellet Judæus, posset iterum circumcidi? &c.* Quod vero S. P. ait cit. q. 64. in parvulis mysterium circumcisionis valuisse *per se ipsum*, id extra controversiam positum est; nam in parvulis nequit haberi interior fidei dispositio, sed eam tamen supplere poterant aut parentes, aut ministrantes: unde quidam Thomistarum scripsere circumcisionem in parvulis contulisse gratiam *ex opere operato passive*, non autem *active*, ut illustris Gonet disp. v. de Sacram. art. 2. Quod quarto objiciebatur loco, nullius est roboris: quippe Angelicus Doctor retractavit priscam opinionem, scripsitque 3. p. q. 70. art. 4. *In circumcisione conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio*. Postremum quoque facili ratione diluitur: quod enim circumcisio expresserit figuram baptismatis, facit, ut præsignarit *innovationem hominis*, non ipsam effecerit; alias idem, ac baptisma, præstassent nubes, mare rubrum, aliaque novorum Sacramentorum vetusta symbola. Nec probant circumcisionem datam Christi nomine verba Apostoli ad Rom. xv. nam ibi *circumcisio* haud inusitata apud Paulum phrasi sumitur pro *circumcisis*, idest, pro Judæis, quemadmodum ad Galatas ii. 7. asseritur *creditum* Paulo *Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis*; idque comprobat scopus Apostoli demonstrantis non esse a Gentibus contemnendos Judæos, quoniam *ad confirmandas promissiones patrum* venit Christus ad filios Israel, & etiam Gentes, quibus nulla promissio facta erat, Dei misericordia Evangelii gratiam sunt consecutæ. Legi potest Chrysostomus hom. xxviii. in Epistolam ad Rom. & in Pauli Comment. Seripandus pag. 248. & Estius pag. 172. quamquam hic locus sola lectione Paulini textus patescat.

Si

Si quis vero accedendum putat ad Scoti partes, respondere poterit ad argumenta contraria circumcisionem non esse ex Moyse, sed ex Patribus; & Apostolum, Concilia, ac Patres id tantum innuere, illam nihil valuisse ad expiationem peccati, quatenus erat signaculum carnis, pertinebatque ad ritus veteris testamenti, non quatenus huic signo meritis Christi, & institutione divina conjunctum erat peccati remedium: nam Paulus ac Patres de circumcisione pertractant adversus Judæos justificationem statuantes in ritibus Mosis, & Concilia pariter de iisdem ritibus loquuntur, aut circumcisione excepta, aut ea saltem considerata, ut ceremonia & symbolo antiqui fœderis. Et quidem, utut veteres vim circumcisionis ad reprimendam judaizantium pervicaciam studuerint deprimere, nequeunt illorum testimonia id evincere, quod circumcisio in remedium peccati fuerit indicta, ut ostendi cap. III. & IV. hujus libri. Hinc ergo peti poterunt etiam pro sententia Scoti valida munimenta, ac responsa ad propositas objectiones: aut si clypeo nostro sibi quispiam satis non videtur munitus; adeat Mastrium cit. quæst. art. 4. Estium dist. 1. §. 31. & Frassenium Tom. X. pag. 48. & seq. Interim nostra sententia est, circumcisionem institutam in originalis peccati remedium, Sacramenta vetera a novis plurimum discrepare, de circumcisionis efficacia posse unumquemque sentire pro libito: quorum primum postulat a nobis Augustiniana doctrina, alterum Catholica fides, tertium vero scholarum dissidium, & quod nos undique premit rationum pondus.

CAPUT XX.

Quomodo Sacramenta nova legis gratiam producant.

QUamlibenter disputationem hanc prætermitterem, ut perciperent hæretici nequaquam nos pro opinionibus Scholæ, tamquam pro aris focisque pugnare, ac intelligerent qui in opuscula hæc nostra conjiciunt oculos, quam ægre de rebus a cognitione nostra dissitis proferamus judicia, ubi subest periculum, ne detrahatur aliquid aut veritati, aut virtuti divinorum mysteriorum. Sed quoniam Scholæ morem geramus opus est, in hac etiam disquisitione paullulum ac temperanter versabimur. Quid sit causa, didicit quisque in Philosophiæ rudimentis: causarum quoque aliam esse *principem*, quæ propria virtute se movet, *instrumentalem* aliam, quæ a principali causa impulsum motumque recipit, arbitror neminem esse qui ignoret. Ac Sacramenta non esse causam gratiæ effectricem *principalem*, cum certum sit hanc a Deo creari & infundi, idque etiam definiat Tridentina Synodus sess. VI. cap. 7. nullus est, qui vertat in controversiam. Sacramentum itaque justificationis & gratiæ causa *instrumentalis* est, ejusdem Synodi definitione, atque Theologorum omnium consensu. Num causa sit *physica*, an duntaxat *moralis*, id unice parit in Scholis dissidium. Causam *physicam* eam esse, quæ reali influxu, ac motu, & reali actione attingit effectum, ut ignis calorem, sol lumen, semen plantas, segetesque producit, id quidem compertum est singulis. Causa *moralis* est, quæ duntaxat *intentionaliter* movendo præstat, ut perficiatur effectus, sive moveat imperio, ut judex ac princeps suo jussu hominem plectit supplicio; sive consilio & suasione, ut consiliarius & orator pertrahit regem ad bellum; sive merito, ut miles cicatrices ostentans impetret beneficia; sive inito fœdere, ut componitur res bellica congredientium pactione; sive denique signo aliquo, ut chirographo exigitur debitum. Posuimus hæc exempla, nam qui tenent Sacramenta esse *moralem* gratiæ causam, non consentiunt an hanc producant per modum impetrationis, an vi institutionis, qua Deus quasi pacto quodam se obstrinxerit ad gratiam largiendam Sacramenta suscipientibus, an ad instar chirographi, quasi Christi sanguine, meritoque obsignati.

Sacramentum esse causam gratiæ *moralem*, docuerunt ante Sanctum Thomam *omnes fere Doctores*, inquit in IV. dist. 1. q. 3. art. 1. Dominicus Soto, laudatis Alexandro Alensi, Bonaventura, Richardo, Scoto, Henrico, Durando, aliisque. Scotistarum nullus ab hac opinione recedit: videatur Mastrius de Sacram. disput. 1. q. 4. Frassen disput. Procem. art. 2. q. 2. F. Henno disp. VII. q. 2. His adhæserunt Vasquez disput. 132. in 3. p. & cum magno recentiorum numero Tournely quæst. III. art. 2. Du-Hamelius cap. 2. de eff. Sacram. Juenin q. VII. art. 2. Habert cap. 18. Propugnant autem *physicam* Sacramentorum *causalitatem* cum S. Thoma 3. p. q. 62. art. 4. omnes ejus discipuli, vix uno, aut altero excepto; & accurate de hac quæst. disputant præcitatus Soto, Gonet disput. III. art. 2. Contensonius dissert. 1. cap. 2. spec. 2. Cardinalis Gotti quæst. IV. dub. 3. Auctor Operis de Re Sacram. lib. 1. q. 3. cap. 2. Accessere Thomistis individui eorum pedisequi Salmanticenses, ac Sylvius, necnon Suarez præcit. q. 62. disp. 9. sect. 2. & qui e Salmanticensibus commendantur Tract. XXII. disp. IV. dub. 4. ex posterioribus Florentius De-Cocq Tract. VII. sect. 6. & Auctor Theologiæ Petrocorensis Tom. III. Tract. 1. cap. 4. In

utramque partem egregie disputarunt Maldonatus cap. 2. de Sacram. pag. 24. & Estius in IV. dist. 1. §. 5. Hos ex multis laudavimus, viros omnes doctos, atque percelebres, nec instituto veterum, qui singulorum nomine recitant, nec more juniorum qui neminem aut perraro aliquem tantum commemorant, quasi nova proferant, nec sint antiquiorum expilatores: quod & ubique servevimus, ita enim fiet, ut qui libros pervolutarit, cum furta scribentium, tum impensam in scribendo operam recte dijudicet.

At quid sentiunt Augustinenses? Ægidius, & Argentinas e Salmanticensibus ad Thomisticas trahuntur partes: num recte, mox dicam. Thomistæ certa sunt Gibbon Tom. VII. disp. IV. dub. 3. Joannes Puteanus in q. 62. 3. p. dub. 4. Antonius Guerrero Tr. VII. d. 1. Oppositum sensit cum aliis Lovaniensibus Farvacques cap. VIII. q. 2. & Vanroy Tom. V. cap. 3. quæst. 2.° Aurelius tamen Piatta Tom. V. cap. 5. q. 2. nutat utrinque: solent quoque in Italia studiorum Moderatores in utramque disceptare partem. Priusquam aperiamus mentem nostram, præmittimus nostra saltem ætate non posse de hac quæstione affirmari quod lib. 2. Hist. Concilii Tridentini pag. 271. scripsit Polanus, *utrinque* scilicet *proferri rationes magna verborum prolixitate, nec minori acrimonia, Dominicanis affirmantibus alteram opinionem Lutheranismo esse affinem, dictitantibus vero Scotistis Dominicanos impossibilia adstruentes hæreticis calumniandi Ecclesiam præbere ansam*. Laudandus mihi semper erit nuperus Thomista, qui de Re Sacram. Tom. 1. pag. 37. testatur, se nolle esse hac in re contentiosum, cum alia ratione cum amicis, alia cum hostibus sit congrediendum: eamque agendi rationem semper mihi servandam proposui; quamquam in nullo hactenus vel Thomista, vel Scotista Scriptore illam deprehendi acrimoniam, quam Polanus exaggerat.

Præmitto etiam eatenus Sacramenta per Thomistas esse gratiæ *instrumentalem causam physicam*, quatenus ut attingant eamdem gratiam confertur Sacramentis *virtus quædam spiritualis ad inducendum Sacramentalem effectum*. Ita enim loquitur S. Thomas q. 62. art. 4. Quid sit autem hæc virtus, & an sit permanens qualitas, aut transiens, aut sola Dei motio elevans instrumentorum virtutem, quam appellant *obedientialem*; sicuti non est una Thomistarum opinatio, ita nec ego definiam. Arbitror tamen juxta beatum Thomam virtutem illam esse motum primæ causæ: quippe eadem quæst. art. 1. scribit: *Causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur a principali agente... Et hoc modo Sacramenta novæ legis causant gratiam*. Profecto Ægidius Romanus in 2. dist. 1. q. 2. art. 5. & Quodlibet. V. q. 1. nec non Argentinas in IV. dist. 2. q. 1. art. 1. concl. 2. negant posse Sacramenta esse talia instrumenta, quorum actio attingat, etiam per Dei motionem, effectum gratiæ. Quamobrem non idem, ac Thomistæ, sentiunt Ægidius, & Argentinas: immo is tandem concludit Sacramenta esse causam gratiæ tantummodo *conditionalem*.

At Ægidius duplicem *instrumentalem* causam distinguit. Altera, inquit, *est causa instrumentalis directa*, quæ per motionem principalis agentis attingit effectum, ut oculus est causa visionis, scalprum statuæ, dolabra scamni; & causa istiusmodi debet *per motionem* principalis causæ, aut influxu, aut contactu effectum attingere. Alia est causa *instrumentalis indirecta*, quæ non attingit effectum, sed propria actione producit aliquid, cui, aut naturali virtute, si effectus sit naturalis, aut virtute supranaturali, si effectus supranaturalis sit, effectus ipse conjungitur: atque in hac causa non requiritur virtus, per quam attingat effectum. Hoc modo instrumenta agricolæ sunt causa segetum, cataplasmata sanitatis & vitæ: non enim illa vegetativam, neque ista vitalem energiam habent; sed illa id efficiunt circa terram, hæc id operantur circa corporis membra, unde proficiscitur vegetatio satorum, & valetudo animalium: sive, ut exemplum proferam spiritualium effectuum, quid præstiterunt manus Christi? quid clamor? quid verba? Tetigerunt duntaxat corporea membra, personuerunt ad aures: & tamen fuerunt *physica* instrumenta patrandorum miraculorum, quia aliquid revera præstiterunt, cui divina virtute conjuncta erat rerum mirabilium operatio. Causa enim *moralis* nihil in subjecto operatur, neque principalem effectum, neque id cui effectus ipse conjungitur. Hoc pacto Ægidius contendit Sacramentum esse *causam* gratiæ *instrumentalem physicam indirectam*, cum Thomistæ requirentes in Sacramentis virtutem, per quam spiritalem gratiam attingant, iis consequenter tribuant rationem causæ *instrumentalis directæ*: sententiæ autem Ægidii post Fridericum Gavardi q. 3. de Sacram. in gen. art. 1. Benignum Sichrovvsky, aliosque Ordinis nostri Scriptores, arbitror esse adhærendum.

Movet me ad sententiam hanc amplectendam, quod videatur satis perspicua, & possit Thomistarum, & Scotistarum argumentationibus confirmari, & ab harum neutris aliquid patiatur incommodi. Primo enim *instrumentalem causam indirectam*, & quidem *physicam*, eam

dicimus quæ aliquid *physice* producit, cui principalis effectus sit conjunctus. Ita Augustino docente in lib. IX. de Gen. ad literam cap. XV. num. 27. res creatæ sunt divinæ virtutis instrumenta, quamquam Dei opera perficiantur sublimiori virtute; dummodo creaturæ ipsæ aliquid operentur, quod divinæ operationi consentaneum sit. Quid enim præstat agricola? Hoc quidem unum, *ut surculus evellatur ex arbore, terraque mandetur, at non opus ejus est, ut succum imbibat, ut germen emittat, ut aliud ejus solo figat, quo radicem stabiliat, aliud in auras promoveat, quo robur nutriat, ramosque diffundat; sed illius qui dat incrementum*. Pari ratione *medicus*, ait S. Pater, *ægro corpori alimentum adhibet, & vulnerato medicamentum: primum non de rebus, quas creavit, sed quas creatas opere Creatoris invenit; deinde cibum & potum præparare potuit, emplastrum formare, & medicamento illitum opponere; num etiam ex his, quæ adhibet, operari & creare vires vel carnem potest? Natura id agit interiori motu, nobisque occultissimo*. Hæc Augustinus. Quamquam ergo agrorum cultor nulla præditus sit facultate, qua surculus terræ immissus figat radices, & crescat: quamquam opus medici non sit gignere erosam cicatricibus carnem, & vires morbo perditas restituere; quoniam tamen id præstat occulta naturæ vis ad culturam agricolæ, ad medici emplastrum, sunt hæc instrumenta *physica* vegetationis arborum, & sanitatis ægrotantium. Igitur si ad applicationem *physicam* Sacramentorum, ad ablutionem aquæ, ad inunctionem chrismatis, gratiam infundit occulta, & inenarrabilis virtus Spiritus sancti, tametsi elementa sensibilia spiritualem virtutem non habeant, erunt nihilominus *physica* producendæ gratiæ *instrumenta*. II. Atque hæc ratio primum confirmatur, quoniam sicut stata lege naturæ ad applicationem prædictorum instrumentorum vires suas exerit occulta vis naturalis; ita ad Sacramentorum administrationem virtus supernaturalis effectum operatur spiritalem; mundat enim Deus animam baptizatorum *lavacro aquæ*, confert charismata impositione *manuum presbyterii*, & absolutione Sacerdotali *peccata remittit*, ut nos capite præcedenti sacræ litteræ docuerunt. III. Allata ex Augustino comparatione agricolæ utitur S. Paulus in I. ad Corinth. III. 6. ubi ad deprimendam illorum contentionem, qui ob merita eorum, a quibus baptizati fuerunt, superbi inflabantur, *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*, commonstrans ita ad baptismi administrationem consequi opus gratiæ, ut ad ministerium agricolæ generatio plantarum: quo etiam in loco Apostolus concionatorem comparat ei, *qui plantat*, baptizantem vero illi, *qui rigat*, quoniam si Sacerdos evangelizet, & non conferat Sacramenta, Deus non justificat; sicuti si agricola plantet, sed non riget, non germinat arbor insita. IV. Dum baptismus corpus abluit, gratia mundat animam, unde ait Augustinus Tract. LXXX. in Joannem: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Consequitur ergo effectus gratiæ, & interior hominis regeneratio ad *physicam* aquæ ablutionem: ideoque hæc est causa *instrumentalis* gratiæ sensu explicato. V. Non sequitur ex his Sacramenta esse causam gratiæ tantummodo *conditionalem*, utpote quæ agant ex institutione divina, ideoque *moraliter*: quando enim causa *conditionalis* movet tantum intentionaliter, *moralis* causa est, ut chirographum, quod modo exhibeatur, effectum sortitur suum; at si causa *conditionalis* effectum non inferat, nisi *physice* aliquid operetur, ut se habet applicatio emplastri ad sanitatem, irrigatio soli ad vegetationem plantarum, tunc ita est causa *conditionalis*, ut sit etiam causa *instrumentalis & physica*, etiamsi virtute propria non attingat effectum, quemadmodum non vis emplastri, non vis irrigationis, sed occulta virtus naturæ sanat ægrotum, nutrit augetque arborem. Atqui Sacramenta ita sunt instituta, ut gratiam non conferant, nisi *physice* aliquid operentur. Igitur Sacramenta ita sunt causa *conditionalis*, ita gratiam ex divina institutione producunt, ut sint non tantum causa *moralis*, verum etiam *instrumentalis physica*, sensu explicato. Enim vero Sacramentis, quatenus gratiam conferunt ex meritis Christi & institutione, exhibentque passionis ejus chirographum, competere rationem causæ *moralis*, nec Thomistæ negant; sed ulterius propugnant *physicam* aliquam *causalitatem*.

At enim, inquis, Thomistæ ita contendunt Sacramenta *physice* gratiam producere, ut virtute spiritali ipsam gratiam attingant: idque probant firmissimis argumentis. I. Sacræ literæ Sacramentorum energiam enuntiant verbis, quæ maxime *physico* instrumento conveniunt; inquiunt enim hominem *renasci aqua*, *mundari lavacro*, *gratiam recipere per manuum impositionem*. Vide prop. V. præcedentis capitis. Æquum est autem, ut Scripturæ, ubi nulla occurrit contradictio, sensu obvio & litterali intelligantur. Reponunt utique adversarii etiam pretioso Christi Sanguini tribuere Scripturas, quod *lavet & emundet a peccato* I. Joan. I. 7. & Apoc. I. 5. & tamen esse illum causam *meritoriam*. At id Thomistis nil negotii facessit, quippe præceptore Angelico 3. p. q. 49. art. 1. Christus non solum nos redemit pretium pro nobis offerens proprio sanguine, qua in re causa *meritoria* relucet; verum etiam instituendo Sacramentorum *remedia*, in quibus sita est ratio *instrumentalis causæ*: imo & Tridentina Synodus sess. VI. cap. 7. accurate utramque causam distinguit. At in nostra sententia argumentum illud Thomisticum nil habet roboris: ut enim per aquam Jordanis vere mundatus est Naaman, quia ad ablutionem aquæ consecuta est divina operatio; atque seminibus fœdatis propagatur generatione peccatum Adæ, quia his procreatur caro, cui infunditur anima, ut vidimus lib. XIII. cap. 6, ita per lavacrum baptismatis vere mundamur, vere innovamur & renascimus, quia aliquid baptismus præstat *physice*, ad quod gratia a Spiritu sancto diffunditur: atque ideo apud Ambrosium lib. 2. de Pœnit. in aqua Jordanis præsignabatur virtus baptismatis; & juxta Apostolum ad Rom. V. 18. carnalis generatio per Adam, & spiritalis generatio per Christum habent invicem antilogiam. II. Stant pro Thomistis illustria testimonia Patrum. Tertullianus lib. de Baptismo cap. I. *Nos pisciculi*, inquit, *in aqua nascimur*. Chrysostomus hom. 25. in Joan. *Quod est uterus embrioni, hoc est fideli aqua*. Cyrillus lib. 2. in Joannem comparat vim sanctificandi, quæ inest baptismo, virtuti ignis, quam concipit *aqua infusa lebetibus, si admoveatur igni vehementi*; & magnus Leo ser. V. de Nativ. *Virtus*, inquit, *altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem*. Quamquam vero adversarii reponant, istiusmodi exemplis Patres asserere Sacramenta vere gratiam producere, modum autem non explicare, alias forent illa causæ *naturales* ipsius gratiæ, quod nullus dixerit; Estius tamen fatetur sententiam Thomisticam, si Patrum dicta attendantur, esse probabiliorem: nec sequitur objectum incommodum; quod enim Patres in hisce exemplis tribuunt naturæ vi, adscribunt in Sacramentis virtuti Spiritus sancti. Verum hæc eadem exempla in opinationem nostram quadrant magnopere; siquidem ut aqua ova piscium madefacit, sed hos gignit *vis occulta naturæ*; ut materna viscera explicant embrionem, cui in humana membra disposito animum inserit virtus creatrix; ut aqua in lebete agitatur, & ad hanc agitationem sentiens manus ustionem percipit: ita aqua baptismatis abluente corpus, gratiam divina virtus infundit animo. III. Confirmat opinionem Thomistarum, quod Patres virtutem Sacramentorum cum admiratione suspiciunt: unde Augustinus Tract. LXXX. in Joan. num. 3. ait: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Plura de hac virtute Catechismus Rom. p. 2. cap. 1. num. 27. Respondent utique adversarii, eo loci Augustinum pariter mirari, quod *verbum fidei per Ecclesiam credentem, afferentem, benedicentem, tingentem, tantillum mundet infantem*: ajunt & hoc mirum esse quod signum Crucis fugat dæmones, quod ad nutum Josue sol steterit, nec tamen Ecclesiam, signum crucis, Josue nutum esse horum effectuum caussas *physicas*. Alia tamen ratione de Sacramentis, alia de iis, quæ vim habent ex fide, ratiocinemur oportet. Ceterum sententia nostra hoc eodem argumento firmatur, quippe id summopere mirum est, quod *physica* ablutioni corporis conjuncta sit gratiæ operatio: atque, ut Augustinus scribit Epist. 23. nunc 98. numer. 2. aqua exhibeat *forinsecus* Sacramentum, & Spiritus operetur *intrinsecus* beneficium. IV. Quartum argumentum petunt Thomistæ ex Sacramentorum novæ legis præstantia. Sunt enim hæc gratiæ *signum efficax*, & gratiam non solum *continent*, sed & *producunt*: ut definit Trid. Synodus, sess. VII. can. 6. ac nos statuimus præcedenti dissertatione. Solet utique responderi hoc unum orthodoxos Patres decrevisse, gratiam sola fide non apprehendi, uti comminiscuntur hæretici, sed quod *moraliter* tantum movet, non excedere rationem signi probat exemplo *denarii plumbei* q. 62. art. 1. Doctor Angelicus, nec proprie contineri effectum in causa *morali*, subtili argumentatione contendit Soto: nec omnino probatur quod post Hugonem §. 6. ait Estius contineri gratiam in Sacramento, *ut aqua in vase*; hæc enim continentia est rei in loco, non effectus in causa; idque etiam animadvertit Sanctus Thomas cit. quæst. art. 3. ad 1. Quod si *vas* sumatur pro *instrumento*, ut apud Ezech. IX. 2. vas, quo propinatur venenum; etiam Thomistæ Sacramenta appellabunt *vasa gratiarum*. Ceterum nos dicemus, Sacramenta novæ legis gratiam & *continere* & *conferre*, quoniam infusio gratiæ conjuncta est Sacramentorum administrationi, non fidei suscipientium; quemadmodum Sacramenta vetera gratiam *nec continebant, nec producebant*, quod gratiæ largitio fidem, non symbolorum usum consequeretur. V. Tandem Thomistæ corroborant sententiam suam commemorando supremam Dei potestatem: quæ ut *instrumentaliter* rebus physicis, non voluntate tantum, aut jussu, sæpe visum cæcis, paralyticis motum, vitam demortuis, ægrotantibus largita est sanitatem; ita potest sanctificare animas *physicis* instrumentis. Addit Sylvius collatam divinitus vim igni inferorum, quo spiritus excruciantur, ut ait lib. XXI. de Civ. Dei cap. 10. Augustinus, *quamvis miris, veris tamen modis*. Cum ergo talis sit divina potestas, & causa *physica* sit etiam præstantior *morali*, non videtur Sacramentis deneganda *physicæ* causæ proprietas. At contra-

rii

vii reponunt, se de tebus, quæ in exemplam addneuntur, idem sentire; ac interdum *moralem* causam esse *physica* nobiliorem, ut constat comparatione epparitoris & principis, tortoris & judicis: quæri demum, quam vim Deus Sacramentis contulerit, non quam potuerit conferre. Verum nos neque supremam Dei potestatem comprehendentes angustiis nostri ingenioli, neque derogantes Sacramentorum dignitati, asserimus evinci his exemplis quomodo Sacramenta sint gratiæ *instrumenta physica*, sed *indirecta*; res enim a Christo in patrandis miraculis edhibitæ tangebant contactu physico corpora, & ad hunc contactum sequebatur occulta operatio divinitetis. Sententie quoque nostra, ut constat ex libro x. cap. 17. physice dæmones torquentur igne inferorum, quod huic alligati sint, & ad hanc alligationem consequatur pœna, & animi maceratio. Atque ita, ut diximus, Thomistarum argumentis confirmatur, non evertitur opinio nostra.

Idem nobis videtur de placito Scotistarum. I. Gratia, inquiunt, adeo sublimis est, ut nulla virtus creata possit illam producere; nam si virtus corporea sit, nullam habet cum spiritali effectu analogiam: si vero spiritalis, nequit corporeo elemento inhærere. Respondent quidem Thomistæ, hanc virtutem Sacramentis nequaquam *permanenter* inhærere, sed inesse tantum *transeunter*; quemadmodum *in voce sensibili est quædam vis spiritalis ad excitandum intellectum hominis*: quo exemplo utitur S. Thomas. Sed Mastrius, suique negant spiritalem virtutem etiam *transeunter* recipi in re corporea, ac ullam quoque vim esse in voce sensibili ad excitandam mentis perceptionem. At ego reponam virtutem effectui proportionatam non requiri *in instrumentis physicis indirectis*, ut constet exemplis productis: quod & affirmo de voce sensibili, quæ *physice* causat intellectionem vellicando tendines aurium, ad quam vellicationem consequitur mentis perceptio. II. Deinde Scotistæ ratiocinantur: Gratia sanctificans, non repugnantibus Thomistis, creatur. At nulla creatura potest assumi tamquam instrumentum ad opera creationis. Ergo nec Sacramentum sensibile ad gratiæ productionem. Hoc argumentum Thomistis negotium facessere fatetur Soto, quamvis cum Cajetano, aliisque respondeat, gratiam non creari, sed concreari; accidens enim non producitur, sed comproducitur: illud autem quod præstat Sacramentum est reddere hominem Deo gratum, quod est esse causam gratiæ, *abstrahendo a qualitate*. At hæc doctrina arcanum mihi est, & Sphingis ænigma: nam esse Deo gratum sanctificantis gratiæ causa non est, sed effectus. Dico igitur creaturam posse creationis instrumentum esse *indirectum*, ut τὸ σπέρμα est causa gignendi humani corporis, cui infunditur anima; non vero instrumentum *directum*, cum illud non agat, nisi per contactum, & quod nihil est, tangi nequeat: atque hæc est sententia Ægidii Romani citatis in locis, nec non Magistri sent. in IV. dist. 1. quem permulti Theologi interpretantes *de instrumento creationis directo*, perperam hactenus oppugnarunt. III. Diluimus eadem facilitate argumentum alterum Scoti, quod nullum instrumentum sit aptum ad opus, nisi prius habeat aliquam formam, qua agat: aqua autem baptismatis abluendis corporibus idonea sit, sed non animæ regenerandæ. At id quidem in instrumento *directo* requiritur, in *indirecto* non item. IV. Tandem Scotistæ utuntur hoc argomento: Non operatur causa *physica*, nisi actu existat; quod affirmari nequit de Sacramentis. In his enim cum syllaba profertur postrema, pertransiit sonus præcedentium verborum, nec existunt partes integræ Sacramenta constituentes. Baptismus quoque ficte susceptus recedente fictione reviviscit. Ubi tunc aquæ, ubi ablutio, ubi verborum prolatio? Quid denique de Sacramento Eucharistiæ, in quo & forma pertransit, & materia per consecrationem desinit esse? Etsi Thomistæ reponant per Sacramenta produci gratiam, quando ultimo perficiuntur, baptismum ficte susceptum imprimere *characterem*, & medio illo deposita fictione producere gratiam, in Eucharistia physice permanere in speciebus signum sensibile; patiuntur tamen hæc omnia oppositiones plurimas, quas recensere nimium foret molestum, atque operosum. Quare nos dicimus transeuntibus Sacramentis permanere divinam virtutem, quæ illorum administrationem consequitur; & hanc virtutem permanentem tunc effectum producere, quando nullum invenit obicem in subjecto; propterea quod non sunt Sacramenta causæ instrumentales *directæ*, quibus virtus spiritalis debeat inesse, sed causæ *indirectæ*, quarum *physicam* actionem virtus spiritalis consequitur, permanetque ea transacta: unde Augustinus de Verbis Sacramentorum Tract. lxa. num. 3. in Joannem ajebat, *Aliud est sonus transiens, aliud virtus manens*. Atque ita opinio nostra etiam Scoti argumentationes evitat, ac propterea probabilior videtur ceteris; juxta quam Sacramenta vere conferunt gratiam, & hanc nihilominus producit virtus divina, atque ut ajebat Epigram. xlv. S. Prosper,

Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis viribus implet opus.

CAPUT XXI.

Quid tradant de gratia Sacramentorum moralis Theologiæ Tractatores.

De gratia, cujus Sacramenta instrumentalis causæ sunt, principio catholica fide tenendum est, esse *habitualem*, intrinsecam, inhærentem; cum non justificemur sola imputatione justitiæ Christi, aut non imputatione peccati; sed revera innovemur, perficiamur, & per Spiritum sanctum inhabitantem habeamus æternæ hæreditatis pignus & arrham. De hac gratia lib. xix. cap. 2. disputavimus. Ea quidem gratia aut confertur homini culpa lethali inquinato, & quodammodo spiritaliter mortuo, per Sacramentum baptismatis ac Pœnitentiæ; vel superadditur homini justo, vitamque viventi spiritalem per cetera Sacramenta: unde illa duo appellari solent Mortuorum, & alia quinque Viventium, ut diximus cap. vii. Etquoniam pueri mortui sunt per Adæ prævaricationem generatione carnali, non requiruntur in his, ut reviviscant per regenerationis lavacrum, arbitrii dispositiones ac motus: qui necessarii sunt in adultis, propterea quod originali culpæ actualia crimina propria voluntate addiderunt, ac sponte dæmonis captivitate gravantur. Atque idem de Eunucho reginæ Candacis fide Christi per Philippum imbuto in Actis Apostolicis canebat Arator:

Conspectis properanter aquis ardescere cœpit
Eunuchi fecunda fides, qui gurgite mersus
Deposuit serpentis onus.

II.

Deinde quæri solet, num Sacramenta *vivorum* primam conferant gratiam, si quis ad ea accedat absque mortalis culpæ conscientia. Id negant complures cum Vasquesio disp. 205. in 3. p. cap. 5. ea ducti ratione, quod Sacramenta gratiam conferant ex vi divinæ institutionis; ad conferendam autem gratiam primam duo tantum, non reliqua sint instituta. Addunt in iis, quæ pendent a Dei voluntate, nihil aliud certo statui posse, quam id, quod nobis aut Ecclesia proponit, aut veneranda patrum traditio. Accedit, Eucharistiam esse panem vitæ, ac præbere spiritale nutrimentum, mortuis vero nihil porrigi posse quod eos enutriat. At communior tamen, ac vera sententia est, aliquando Sacramenta *vivorum* conferre primam gratiam, si ea recipiens se ipsum probet, nec habeat patrati sceleris notitiam vincibilem; sive id fiat ex Dei liberalitate, ut docuit S. Bonaventura dist. 12. p. 2. art. 1. q. 2. non per se, & vi institutionis; sive quia continent merita passionis Christi, ut videtur innuere S. Thomas 3. p. q. 79. art. 3. sive quia dant gratiam, per quam ad Sacramenta accedens ad contritionem excitatur, ut visum Alensi, Gersoni, aliisque veterum. Nos vero, nequaquam semota virtute passionis Christi, nec Dei liberalitate, dicimus ideo in facta hypothesi Sacramenta viventium etiam primam gratiam conferre, quia alioqui nec sortirentur effectum proprium, quem *ex opere operato* producunt, dum nullum obicem humanæ voluntatis inveniunt. Ita etiam Pœnitentia delet peccata, quæ ignorantur invincibiliter, quia alias non posset remittere cetera, quæ pœnitens confitetur. Atque ita etiam ex vi institutionis, *indirecte* tamen & mediate, in tali casu conferunt primam gratiam Sacramenta viventium, corruuntque facile argumenta Vasquesii*. Nec est inter panem, qui enutrit corpus & Eucharistiam, nec inter mortuum corpore & peccatorem omnimoda comparatio: nam panis ille nutrit tantum, & Eucharistia est panis vivus, dans vitam, & continens Christum, eos, in quibus manet, vivificantem: mortuus etiam vita corporis nil agit *vitaliter*, nec panem capit; peccator vero actuali gratia *præventus* posset credere, diligere, & sumere panem vitæ, nec tantum premere dentibus Sacramentum, sed etiam cum animi præparatione illam carnem manducare, quæ est *pro mundi vita*, Joan. vi. 52.

III.

Quærunt præterea, an gratia Sacramentalis sit a gratia *habituali* distincta. Spectari potest gratia, & quantum ad suam, ut inquiunt, *entitatem*, & quantum ad effectum, sive virtutem homini collatam. Si consideratur gratia priori modo, non video necessitatem aliquam statuendi hujusmodi distinctionem; sed sat est, si dicamus hanc gratiam exornare animam, illi inhærere, & pro diversa hominum dispositione minui, vel augeri: quæ fide tenenda sunt, ut lib. xix. contra hæreticos demonstravimus. At si spectemus effectum, Gratia Sacramentalis *ad habitualem* addit supernum auxilium ad finem Sacramenti consequendum. Sic baptismus præstat, ut homo consepultus Christo habeat in corpore mortis hujus adversus subsecuturas tentationes munimentum: Chrisma, ut non erubescat crucem Domini sui: Eucharistia, ut adversus quotidianas culpas habeat antidotum: Pœnitentia confert conscientiæ pacem, animique tranquillitatem: Unctio extrema ellevat animum ægrotantium, eosque communit adversus

hostis

hostis insidias : præstat Ordo, ut decenter Ecclesiastica munia exerceantur : efficit Matrimonium, ut conjuges vas suum possideant in sanctificatione & honore. At de his plura, cum ad singula Sacramenta explicanda elucubrationes nostræ pervenerint.

CAPUT XXII.

De altero Sacramentorum effectu, idest, Charactere.

ALter quorumdam Sacramentorum effectus est *character*: de quo alia ratione cum hæreticis disserendum est, alia autem cum Orthodoxis. Nam illi dogmatizant *characterem* nihil esse aliud, quam commentum Scholasticum, excogitatum, ut inquit Kemnitius 2. p. Exam. Conc. Trident. ab Innocentio III. atque in hoc explodendo *charactere* Wiclefus primum, deinde Lutherus, Calvinus, Tilmanus Heshusius, ac Novatorum reliqui intenderunt nervos omnes. At Scholæ Doctores, ut in ceteris rebus, quæ sensum subterfugiunt nostrum, exstare tamen absque hæsitatione ulla creduntur, in investiganda potius *characteris* natura, quam in vindicanda existentia operam suam locaverunt. Etenim Durandus *characterem* dixit ens quoddam rationis; non fictitium tamen, quemadmodum hæretici comminiscuntur, sed quod situm sit in quadam denominatione extrinseca, quæ insit recipientibus Sacramenta ex divina institutione, uti est in nummo ratio pretii, & in homine a principe delegato character ducis ac præsidis. Scotus vero *characteris* naturam constituit in relatione quadam reali, non tamen quæ inhærentem *formam* excludat : unde alucinantur qui cum Vasquesio 4. p. disp. 34. cap. 2. Scoto Durandi attribuunt opinionem. Theologi alii censent *characterem* esse physicam aliquam *qualitatem*; ad quam tamen *speciem* ex iis, quæ in Aristotelicis categoriis traduntur, *character* pertineat, non consentiunt Scholastici disputatores. Horum tamen quamplurimi, ut de ceteris qualitatibus, ita de *charactere* stabiliunt rem esse aliquam distinctam ab anima, juxta dogmata Peripateticorum philosophorum; quamquam id non esse omnino certum Dominicus Soto, Alphonsus a Castro, Faivacques, aliique asseruerint; dummodo quis fateatur, *characterem* tamquam signaculum animæ imprimi, eique inhærere permanenter, quod tantum Tridentina Synodus sess. VII. can. 9. adversus hæreticos definivit. Atque his prænotatis ad quæstionem diluendam progredimur.

PROP. I. Certum est dari *characterem*, atque imprimi ab his Sacramentis, quæ iterari non possunt, Baptismate scilicet, Confirmatione, & Ordine.

Hanc propositionem a Tridentina Synodo sess. VII. can. 9. definitam probant Theologi pluribus argumentis, quorum singula afferemus & explicabimus. Primo loco insignis Polemicæ Theologiæ Scriptor, Eminentissimus Bellarminus lib. I. cap. 20. imprimi *characterem* in Sacramentis quibusdam probat, ex quo Apostolus in 2. ad Corinth. cap. 2. 21. scribat: *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Et ad Ephes. I. 13. *In quo credentes signati estis spiritu promissionis* : nec non IO. 30. *Nolite contristare spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Infirmum putant hoc argumentum quidam Theologi, propterea quod possint hæc loca explicari de gratiæ unctione, & sanctificatione, ut revera Patres quamplurimi exposuerunt. Ac ita censent Ludovicus Habert cap. 19. q. 9. Tournely q. 4. art. 2. Ante hos vero Scotus in IV. dist. 6. q. 9. docuit admittendum utique esse *characterem* ob Ecclesiæ auctoritatem, at non firmiter probari verbis Scripturæ, vel Patrum. Quo in loco Scotus minime abjecit Catholicam sententiam, sed eam asseruit satis munitam Ecclesiæ auctoritate, nec opus esse ad ambigua testimonia confugere pro explicanda *characteris* natura, ut dicam infra : atque idcirco Scotum vindicavit Cardinalis Pallavicinus in Hist. Conc. Trid. lib. IX. cap. V. Ego tamen argumentum Bellarmini arbitror inconcussum. Primo quia omnia fere testimonia Patrum, quæ eo loci Tournelius ex ipso Bellarmino ad probandum *characterem* collegit, eadem phrasi, ac Paulina loca, videntur esse contexta : ideoque si illa decretoriam probationem minime efficiunt, erit & deprompta a Patribus ejusdem generis. Deinde Apostolus, ut liquet ex Græco textu, variata locutione haud obscure innuit priori loco diversos Confirmationis effectus; ait namque : ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν, καὶ χρίσας ἡμᾶς Θεός. ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς. i. e. *Qui confirmans nos cum vobis in Christum, unxit nos Deus : & qui obsignans nos, &c.* Præterea σφραγίζειν idem est, ac *insignire impresso sigillo*, & σφραγὶς idem, ac *signum sigillo impressum*, ac *nota* aliquem consignans, ac permanens, non solum apud profanos Scriptores, Pollucem, Aristophanem, Herodotum, verum etiam apud ipsum Paulum, qui ad Romanos IV. II. σημεῖον περιτομῆς, *signum circumcisionis* utique carni impressum, & indelebile, appellavit τὴν σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης, *signaculum justitiæ*. Postremo etiam Patres, præsertim Chrysostomus hom. 3. aliique Græcorum in Paulinis verbis, præter sanctitatis ornatum, intelligunt munus aliud, per quod speciali quadam ratione consecramur in Dei cultum : quod, ut infra dicam, est apud Patres statuendi trium Sacramentorum *characterem* princeps ratio. Atque ita, mê quidem judice, Bellarmini probatio valida est, ac merito eam ante adhibuerant S. Thomas 3. p. q. 63. art. I. & complures Scholæ Doctores.

Petitur secunda probatio ex Ecclesiasticis definitionibus. Nam Innoc. III. cap. *Majores*, non semel *characteris*, quem imprimit baptismus, mentionem facit. Nec audiendus Kemnitius, qui 2. p. Exam. ait id Innocentium primum excogitasse : liquet enim de *charactere*, tamquam de re notissima, a Pontifice institui sermonem : imo ante Innocentium illius meminit in IV. dist. 24. Magister. Eugenius item IV. ante exortos pestilentissimos Novatorum errores, communi Ecclesiæ sensu trium Sacramentorum *characterem* in Decreto unionis docuit Armenos. Eumdem postea erumpente Protestantium illuvione stabilivit præcitato canone Synodus Tridentina, non doctrinarum novitati, sed veterum documentis inhærens. Habes consensum Orientalium in censura non semel laudata Hieremiæ Constantinop. Patriarchæ.

Insuper corroboratur thesis traditione Patrum : quorum testimonia vel *characterem* æquivalentibus vocabulis describunt, vel aptissimis comparationibus explicant, vel manifesta ratione adstruunt. Tenet primum locum, quod ait Ambrosius de mysteriis cap. VII. num. 42. accipere nos in baptismate *signaculum spiritale*; & quod in Præf. ad Catech. inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus, baptismo imprimi σφραγῖδα ἁγίαν ἀκατάλυτον, *sigillum sanctum indelebile*. At exempla, quibus Patres explicant *characterem*, sunt istiusmodi. S. Basilius Orat. XIII. quæ est Exhortatio ad Baptismum, inquit ipsos homines obsignari, ut Angelus curam eorum gerat; alioqui, ait, *quomodo id præstabit, quomodo eripiet ex hostibus, nisi impressum sigillum dignoscat?* πῶς ἀντιποιήσεταί σου ὁ ἄγγελος; πῶς δὲ ἀφελεῖται τῶν ἐχθρῶν ἐὰν μὴ ἐπιγνῷ τὴν σφραγῖδα. Comparat etiam baptizatorum animabus domus Hebræorum in Ægypto sanguine linitas, & obsignatas, ἐσφραγισμένας οἰκίας; & eas appellat *thesaurum, sigillum obsignatum, signatam oviculam*. E contra non tinctos baptismate comparat *domibus Ægyptiorum*, ταῖς ἀσφραγίστοις, ἀσφραγίστῳ θησαυρῷ, προβάτοις ἀσημάντοις, *non obsignatis, non obsignato thesauro, non signatis ovibus*. Eadem comparatione utitur Nazianzenus scribens in Hortatione ad sacrum Lavacrum, *Ovis enim, quæ sigillo insignita est, non facile patet insidiis*; πρόβατον γὰρ ἐσφραγισμένον οὐ ῥᾳδίως ἐπιβουλεύεται, *&c.* Ab Epiphanio quoque hær. V. num. 6. *character* baptismatis comparatur signo circumcisionis, appellaturque, μεγάλης περιτομῆς, τουτέστι, τοῦ βαπτίσματος σφραγίσαντος ὑμᾶς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ. *Circumcisio magna, idest, baptismatis signantis nos in Dei nomen.* Augustinus vero pluribus in locis æquiparat *characterem* baptismatis *notæ*, qua ab Imperatoribus solebant milites insigniri. Hinc Tract. VI. in Joannem num. 13. docens cur foris baptizatus recipiatur in Ecclesia absque novo baptismate, utitur comparatione militis desertoris, & inquit : *Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agnoscitur : character est Regis mei, non ero sacrilegus : corrigo desertorem, non immuto characterem.* Idem exemplum, simulque comparationem ovium supra productam affert S. Pater lib. I. adversus Cresconium cap. 30. num. 36. scribens : *Neque enim propterea mutandus vel improbandus est regius character in homine, si erroris sui veniam, & militandi ordinem a rege impetraverit, quia eumdem characterem, quo sibi satellites congregaret, desertor infixit; aut propterea signa mutanda sunt ovibus, cum Dominico gregi socientur, quia eis Dominicum signum fugitivus servus impressit.*

Obiter hic notandum, non tantum milites jurejurando selectos, ut diximus priori capite, verum etiam *notis* quibusdam distinctos, ut *cingulo*, quo ignominiæ causa exspoliabantur, quemadmodum refert in Licurgo Plutarchus, Livius libro Hist. XXVII. & in Augusto Suetonius; *corolla* etiam *plumea, pennisque Puniceis*, de quibus lib. X. Rom. Antiq. cap. IO. Dempsterus; nec non *notis* quibusdam, *bullisque* impressis baltheo, de quibus Virgilius prope finem Æneidon :

Cœperat, infelix humero cum apparuit ingens
Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis.

Oves quoque solent a Pastoribus notari, aut incisa auricula, aut juxta Calphurnii præcepta, Ecloga V.

.... vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impressurus ovi tua nomina; nam tibi lites
Auferet ingentes lectus possessor in arvo.

Ex quibus Patrum comparationibus liquet *characteris* signaculum revera animo imprimi, non secus ac olim in carne *nota* circumcisionis, ac sua militibus, gregibusque ovium τὰ σημεῖα.

Ratio autem, quam Patres proferunt, petitur ex quo Baptismus, Confirmatio, & Ordo nequeant absque sacrilegio iterari : unde & consequitur tria tantum hæc Sacramenta imprimere *characterem*, ut recte citato canone IX. loquitur Synodus Tridentina. Et quidem Sacramenta illa tria iterari non posse, res est manifestior,

quam

quam in ea comprobanda sit nobis hoc loco immorandum. Aperti sunt enim canon septimus secundæ Generalis Synodi, quadragesimus octavus Sardicensis, sexagesimus octavus Carthaginensis, ac innumera alia Conciliorum decreta, atque testimonia Patrum, a quibus producendis, quoniam alibi sunt expendenda, interim supersedeo. Hujus autem vetitæ iterationis causam Græci apud Arcudium lib. 2. de Sacram. pag. 120. non aliam tradunt, quam *ἀνεξαλείπτων μενόντων σφραγίδων*, ut loquitur Philadelphiensis, *indelebilium permanentium signaculorum*. Ac perspicua est inter Latinos auctoritas Augustini, qua in Tridentina Synodo Seripandus noster contendit, ut articulus ille statuens *characterem*, non tamquam probabilior, prout quidam sentiebant, sed tanquam certus reciperetur, ut narrat citato cap. v. num. 3. Cardinalis Pallavicinus. Repetit ergo Augustinus epist. 23. nunc 98. num. 5. causam, cur iterandus non sit baptismus, ex quadam permanente consecratione, per quam etiam baptizatus apud hæreticos spiritali nota insignitur, scribens: *Nam si Christiani baptismi Sacramentum, quando unum atque idipsum est, etiam apud hæreticos valet, & sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat; quæ consecratio reum quidem facit hæreticum, extra Domini gregem habentem Dominicum characterem, corrigendum tamen admonet doctrina sana, non iterum similiter consecrandum*. Idem Augustinus docuit lib. 2. contra Epistolam Parmen. cap. XIII. num. 28. non de baptismate solum, verum etiam de ordinatione; atque citato libro 1. adversus Cresconium, lib. v. de Baptism. cap. XV. numer. 20. epist. 185. num. 43. tractatu VI. in Joannem num. 15. aliisque in locis. Atque tam aperta Augustini testimonia nequeunt aut de sola fidei professione, aut de gratia sanctificante explicari. Primo enim agnoscit S. Pater his in locis baptismatis *characterem* in desertore, & in eo, qui degit inter hæreticos; docetque non esse iterum baptizandum, sed corrigendum, quoniam probandus est character Imperatoris, non error desertoris. Deinde asserit *characterem* illum permanere, tametsi baptizatus ab Ecclesia separetur, *& in quodlibet profundum malorum, & in quamlibet voraginem peccatorum irruat usque ad apostaticam ruinam*; ad hunc enim modum loquitur præcitato libro v. de Baptism. cap. 15. Ac tandem de eo *charactere* expresse verba facit, qui in hæretico quidem permanet, *sed ad vitæ participationem non sufficit*, ut in citata Epistola ad Bonifacium. At quis *notam* hanc baptizato inhærentem, & quæ sine caritate, & *unitate columbæ* permanet, quæ valet ad signaculum animæ, non ad participationem salutis, & quæ persistit in qualemcunque peccatorum voraginem, (sit crimen apostasiæ, sit hæresis) prolabatur peccator; quis inquam, *notam* istam temere appellaverit aut gratiam, aut caritatem, aut fidei Catholicæ professionem? His ergo probationibus innixi dogma Catholicum propugnamus.

PROPOSITIO II. *Character* Sacramentalis revera animæ inhæret, atque indelebilis est.

Sequitur hæc propositio ex dictis: ac prior pars probatur I. quoniam Florentinum ac Tridentinum Concilium definiunt *characterem imprimi*: quo verbo significatur aliquid permanens, & inhærens. II. Patres præcitati *characterem* appellant notam, sigillum, signaculum: quæ vocabula exprimunt pariter aliquod inhærens signum. III. Augustinus *characterem* baptismatis ab hæretico collati vocat *Dominicum signum*, quod *fugitivus servus impressit*, quod *desertor infixit*. Secunda etiam pars constat, principio definitione Conciliorum, quæ *characterem* dicunt *signum quoddam spirituale & indelebile*: deinde auctoritate Patrum, tum Græcorum, qui cum Cyrillo ajunt recipi per baptismum *sigillum sanctum indelebile*; tum Latinorum, qui cum Augustino ideo rebaptizationem damnant, quoniam etiam in desertoribus & apostatis permanet Regis nostri *character*: postremo communi assertione Theologorum docentium *characteri* nihil esse contrarium, quo destruatur; peccatum enim gratiæ opponitur, non *characteri*, tum quia potest etiam impius ferre Christi signaculum, quemadmodum desertor baltheum militis; tum quia *character* non confertur ad animarum sanctificationem, sed ad consecrationem quamdam, & spiritalem potestatem. Atque hinc est, quod tria tantum Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt *characterem*, quippe his consecratione quadam efficimur Ecclesiæ filii, milites, ac ministri; & sicut in aula Regis alii sunt domestici, alii militum charactere insigniti, alii arcanorum participes, judicique præditi potestate: ita in Christi familia sunt qui per baptismum cooptantur in domum, qui alterius per chrisma ad fidem propugnandam redduntur idonei, & qui sacris initiationibus constituuntur divinorum mysteriorum dispensatores, suis quique signaculis condecorati. Ceteris vero Sacramentis, quæ potius ad suscipientium sanctificationem, quam ad institutionem, munimentum, ac ministerium Ecclesiæ videntur pertinere, conferuntur quidem uberrima gratiarum munera; at non, ita Domino provide disponente, signaculum *characteris*.

Ex his consequitur non amitti *characterem* a quocunque homine impio, etiam in apostasiam, vel hæresim prolapso: unde Augustinus inquit de apostata Tract. v. in Epist. Joan. num. 6. *characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur*. Et contra Epistolam Parmeniani lib. II. cap. 13. numer. 29. *An forte minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur?* Quo in loco recte PP. Maurini notulam apposuere, *Nec in Apostatis character deletur*: hærens quippe Sacramentum non est ritus pertransiens, nec gratia, qua destituuntur apostatæ, ideoque est *character*. Quærenti autem cur in istis permaneat, idem Augustinus respondet de Symbolo cap. VIII. num. 15. *Quomodo desertor habet characterem, ita & isti habent baptismum: habent, sed unde damnentur, non unde coronentur: & tamen, si desertor ipse correctus incipiat militare, numquid audet quisquam characterem mutare?* Quamobrem iis subscribimus, qui tenent etiam in beatis ad ornatum atque decorem, nec non in damnatis ad increpationis notam, & dedecus, spiritale hoc signaculum permanere. Arbitramur quoque, *si quis ab hominibus demigraret, & rursus a mortuis evocaretur, nequaquam eum fore anabaptismo, novaque initiatione consecrandum, ob permanentia & indelebilia signacula*, ut ex communi Græcorum sententia inquit apud Petrum Arcudium lib. II. cap. 23. Gabriel Antistes Philadelphiæ: *οὐδὲ τὶς ἐξ ἀνθρώπων γένοιτο, καὶ αὖθις ἀνακλη, οὐκ ἂν δέοιτο ἀναβαπτισμοῦ, ἢ τινων ἀνακαινισμῶν, ἀνεξαλείπτων μενόντων τῶν ἐν αὐτῷ σφραγίδων*. Atque idem sentiunt Scholæ Doctores cum S. Thoma 3. p. q. 63. art. 5. Quamquam ad id probandum parum, vel nihil conferat argumentum petitum ex eo, quod subjectum *characteris*, uti & fidei, sit intellectus, qui perpetuo viget in homine: sive enim subjectum hujusmodi sit animæ substantia, sive intellectus, sive voluntas; cum omnia hæc incorruptibilia sint, persistet *characteris*, qualecunque illud dixeris, *subjectum*; modo illud non sit dissolubile corpus. Imo cum animæ a facultatibus suis distinctionem negent in Schola complures, iisque nos libro XII. cap. 10. subscripserimus; illam de *subjecto characteris* quæstionem, utpote aut falsis, aut incertis saltem philosophorum decretis subnixam, scite prætermittendam existimamus.

PROP. II. Citra fidei periculum negari potest *characterem* esse rem distinctam ab anima.

Hujus theseos hæ sunt probationes. Primum cum sacrosancta Tridentina Synodus ad extirpandas hæreses intendens animum, plura de Sacramentis ceterisque fidei capitibus definierit, ea, quæ Scholastici disputant, salvis fidei decretis, nullo anathemate perstrinxit. *Characterem* vero distinctum non esse realiter ab anima docuerant omnes fere Nominales, quemadmodum refert Alex. Alensis in IV. quæst. VIII. art. 4. & Dominicus Soto dist. XIX. quæst. 1. art. 1. concl. 3. Deinde ipsi Theologi Tridentini testantur venerandam Synodum nequaquam hac de re protulisse sententiam: inter quos Alphonsus a Castro lib. VII. adversus hæreses, ait parum referre, an character *sit qualitas, sive relatio*, dummodo asseratur esse signaculum, quod Deus animæ imprimit, ut suum gregem discernat ab aliis. Atque præcitatus Dominicus Soto in IV. dist. 1. q. 4. art. 2. fatetur opinionem, quæ tenet *characterem* non esse rem distinctam a subjecto, numquam visam sibi a veritate alienam, & dist. 19. quæst. 1. inquit a se haberi tanquam probabiliorem: ibique in uno *charactere* Ordinis distinguit plures potestates per solos respectus ad diversa munera, ut potestatem conficiendi Eucharistiam, & potestatem solvendi & ligandi, confugiens ad solam distinctionem, quam nos alibi appellavimus *connotatorum*. Præterea descenderunt in hanc sententiam etiam recentium Theologorum plurimi: non tantum ii, qui aliam ab Aristotelica physiologiam sectantur, eliminantque *entitates* a substantia distinctas, verum etiam in illa philosophia cum moderatione versati, ut Habertus cap. 19. qu. 7. nostrique Farvacques, Vanroy, alii. Insuper, ut ego lib. XIX. cap. 1. dissetui de gratia *habituali*, eam utique inhærentem debemus contra Sectarios propugnare: sed cum Scripturæ ac Patres eam appellent *signaculum Spiritus sancti*, & comparent sigilli alicujus impressioni, cumque optime percipiatur signaculum, & figura per sigillum impressa, per accedentem *habitudinem* quamdam, & subjecti, ut inquiunt, *modificationem*; necessum non est gratiam ipsam constituere in spiritali *entitate*, & re, quæ distinguatur ab anima. Idem ergo possumus affirmare de *charactere*; & quidem potiori jure, cum ipsum Concilia, Patres, Theologi appellent *figuram*, *signum*, *sigillum*, *signaculum*. Postremo non video quid incommodi subeat, qui pervulgatam in Scholis de *characteris* natura abjiciat opinationem; quin potius facile, si amplectatur hanc nostram, eludet argumentationes cum Scoti, Durandi, Nominalium, recentiumque Philosophorum, tum etiam Protestantium, qui perperam objectis Scholarum difficultatibus tentant nos penitus exanimare. Nihil enim nobis cum Durando, qui *characterem* constituit *in relatione rationis*; dummodo fateatur subjectum hujus relationis esse animam intrinsece Christi *charactere* signatam; ut ra-

ut ratio pretii in nummo *relatio* quidem est, non tamen argenti utcunque vel auri; sed argenti, aut auri quadam figura & charactere obsignati: Nihil cum Scoto, qui *relationem* illam *realem* statuminat; nam & Scoto annuemus, modo, ut fatetur Mastrius, hujus relationis inhærentem *formam* unanimi sensu recipiamus. Nihil denique cum oppugnatoribus Peripateticorum accidentium: nostra enim nihil interest, si ut figuram a quantitate, & ceræ imaginem ab illius dispositione non secernunt, ita nec distinguant ab anima *characterem*; dummodo sicut figuram in circulo, & in sigillo formam vident messa, ita *characterem* revera inhærere animæ fateantur.

Ma non latet opinantes oppositum ista adversus me objectare. Inquiunt primo definitum a Conciliis, quod *charactee imprimatur*; id vero percipi nequit sina alicujus novæ *qualitatis* productione. Addunt ipsum *characterem* pertinere *ad secundam speciem qualitatis*: cum sit *signaculum indelebile, quo homini confertur spiritalis potestas*. Ajont quoqoe *characteri* suam asse definitionem diversam a definitione animæ, ac suam proinde *entitatem*. Verum hæc nullatenus quatiunt præmissam positionem. Respondemus enim figuram quoque recte dici corpori impressam, tametsi illam a quantitata distingui minime concedamus: fatemur *characterem* esse *qualitatem*, &, si id pugnaciter contendatur, etiam *secundæ speciei*, quamvis illum *ad figuram* refetat Marsilius, *ad habitum* Alensis, *ad patibilem*, ut vocant, *qualitatem* Altissiodorensis cum aliis; sed eatenus *characterem* dicimus *qualitatem* atque *potentiam*, quatenus ast quædam animæ habitudo, sive ipsamet anima affecta spiritali signaculo, & connotans collatam sibi divinitus potestatem; quemadmodum intellectus & voluntas appellantur *potentiæ*, & nihilominus sunt ipsa animi rationalis substantia, non *formaliter*, ut loquiunt, considerata, sed duntaxat *connotative*. Negamus etiam definitiones diversas semper commonstrare distinctionem rerum; cum alia rationa definiatur res in se spectata, ut *Deus*, *anima*, *corpus*; alia autem rationa eadem res considerata *connotative*, ut *Pater*, ut *intellectus*, ut *figura*; quamvis nec Pater sit alia res a Deo, nec intellectus ab anima, nec figura a corpore. Ceterum nolumus de re nobis incomperta certum proferre judicium: & quemadmodum dari *characterem* firmissime profitemur, id Ecclesia definienta, & Theologis consentientibus; ita quid sit *charactee*, in Ecclesiæ silentio, ac inter Scholarum dissidia nolumus temere definire, & ingenue fatemur nos ignorare.

At opponunt hæretici. Principio eum Theologi plurimi fateantur *characteris* naturam esse nobis penitus incompertam, nonne summæ dementiæ est, vella illum definitione dascribere, ac homines ratione præditos ad admittendam rem prorsus ignotam compellere? Deinde nec ipsi Scholarum duces ante Petrum Pictaviensem Magistri sententiarum auditorem, *characteris* meminerunt, altumque de eo silentium est penes ipsum Magistrum: ideoqua non mala eumdem characterem appellavere quidam Innocentii Tertii figmentum, placitumque Scholasticum exortum labente sæculo tertiodecimo. Insuper si proxima subsecutos Theologos consulamus, quidnam præsidii ex iis ad stabiliendum *characterem* haurire poterunt disputatores? Durandus, ut dictum est, illum constituit *in sola relatione rationis*: quod perinde est, ac si dicas in denominatione quadam, per quam significatur collata dignitas ac potestas, qualis est character Regis, Ducis, Magistri: nec aliter sentire videntur recentiores Canonistæ apud Vanespen Joris Eccl. Univ. p. 2. tit. 1. cap. 1. Scotus propter auctoritatem Ecclesiæ utique *characterem* recipit, idest, propter Innocentii III. Rescriptum. At negat ex Patribus, aut Scriptura illum evinci. Cajetanus item in 3. p. q. 63. art. 1. agnoscendum *characterem* fatetur ea sola auctoritate Ecclesiæ, eaque non multum antiqua. Idem tradiderunt Albertus Magnus, & Gabriel Biel in IV. dist. 6. Hi autem Theologi quamvis videantur *characterem* ob Ecclesiæ auctoritatem admittere, (quemadmodum de Scoto in Hist. Conc. Trid. inquit Paulus Sarpi) illum *modesta sagacitate* repellunt: nulla quippe est Ecclesiæ auctoritas, nisi aut divinæ Scripturæ, aut Patrum testimoniis suffulta.

Quod vero nec Scriptura, nec Patrum auctoritata stabiliri queat Sacramentalis *character*, & istud facili negotio hæretici jactant se demonstrare. Enimvero nullum de *charactere* in sacris libris extare vestigium, permulti, ut diximus, Scholastici etiam postremæ ætatis fatentur. Patres autem *signaculi* quidem *baptismatis* alicubi meminere, & Augustinus *characterem* expresso quoque vocabulo nominavit; sed nequaquam id, quod contendunt Scholastici, eo vocabulo designarunt. Nam Augustinus in sermone ad Cæsariensem plebem num. 2. dilucide ait nihil esse *characterem* baptismi præter Christianæ fidei professionem. *Ego*, inquit, *quando venio ad fratrem meum, & colligo errantem fratrem meum, adtendo fidem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Iste est character Imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus, præcepit dicens, Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Istum characterem a Domino dictum omnibus credentibus imprimendum. &c.* Dixerat paullo supra Augustinus Donatum, si proprio in nomine baptizasset, suum quidem impressurum *characterem*, at non inviolabilem, & qui non possat deleri. *Nam si Donatus* (inquit), *quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret: ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem: nunc vero iste desertor characterem fixit Imperatoris sui*. Quemadmodum ergo *character desertoris* nihil esset, quam tessera ac professio illius sectæ: ita *character Dominicus* nihil erit, prætetquam sanctæ Trinitatis & Evangelicæ fidei confessio.

Denique ad stabiliendum *characterem* impares sunt & invalidæ ratiocinationes Theologorum. Hi *characterem* ex eo præsertim capite adstruunt, quod aliqua Sacramenta nequeant reiterari. At nec prima tonsura reiteratur, ne in iis quidem, qui de gradu dejiciuntur: unde quidam Tridentini Theologi, si fides habenda Paulo Sarpi lib. VII. art. V. hoc nixi argumento existimarunt in prima etiam tonsura *characterem* imprimi: quod sane nullus dixerit, eum tonsura nec Ordo, nec Sacramentum sit. Circumaguntur quoque Scholastici, & implicantur vitioso circulo, dum probare nituntur tria Sacramenta imprimere *characterem* ex quo nequeant reiterari, & vicissim ajunt reiterari non posse, quoniam *characterem* infigunt. Infirma est etiam ratio altera, quod Baptismus, Confirmatio, & Ordo ideo *characterem* imprimant, quia conferuntur quadam consecratione, per quam homines in Dei cultum deputentur; id enim videtur proprium cujuslibet Sacramenti. Sed & quod inquiunt *characterem* esse figuram, notam, signaculum, ac signum quoddam distinctionis, futile admodum ineptumque videtur. Cui enim hoc signo innotescere debent ferentes τὴν αὐτοῦ σφραγῖδα, *impressum sigillum istud*? Deo ne? Noscit ille absque tali signaculo gregem suum: Hominibus vero? Horum intuitum latens illa obsignatio subterfugit. Atqua hæc sunt, quæ adversus *characterem* ab hæreticis opponi hactenus comperimus.

Ad hæc omnia servato ordine respondemus. Dicimus ad primum, temere existentiam denegari rerum illarum, quarum naturam & essentiam percipere non valemus: supernaturalium quippe non sensus, aut ratio exhibet normam, sed fides, traditio, auctoritas. Alioqui si ea neganda sunt, quæ superant captum nostrum; nec Trinitas erit, nec Incarnationis œconomia, nec mysterium aliud absconditum. Verum non esse *criterium* rerum eredendarum rationem humanam, pluribus argumentis demonstravi lib. XXIII. cap. 2. Nec nos cogimus quemquam, ut credat *characterem* esse qualem aut excogitavit Durandus, aut delineavit Scotus, aut descripserunt alii Scholarum Doctores; satis nobis est, si illius existentia non revocetur in dubium. At inquis, Scholastici varias *characteris* tradunt definitiones. Quid inde? Fatentur tamen omnes esse illum indelebile quoddam signum impressum animæ; etsi in hoc signo explicando quisque pro sua opinatione ratiocinetur. In eo ergo, in quo omnes consentiunt, nemini fas est dissentire, quia in hac re non humana ratione ducuntur, sed traditione majorum: in eo autem, quod quisque addidit ingenii sui adinventionibus, ego quidem neminem compello, ut uni præbeat assensum, vel alteri. Videmus in explanandis naturæ phænomenis alium ad atomorum effluvia confugere, alium ad triplex elementum Cartesii, alium ad leges motuum, alium ad occultas qualitates; & cum singuli diversa utantur physiologia, cui poteris reluctari, explicant tamen eadem phænomena, quæ evenire non ambigis. Si tam discordia sunt hominum placita in his, quæ cadunt sub oculorum adspectum, haud mireris litigiosos fuisse Scholasticos, dum humana ratione de rebus occultissimis disputarunt. Tene quod explicare conantur, si probare non potes, vel forte non assequeris singulorum explicationes. At *characteris* nomen fuit antiquioribus incompertum. Sit, ut dicis: de re, non de nomine disputamus. Dictum sæpenumero, omnes hæreses novas intulisse quæstiones, easque profligatas fuisse usu novorum vocabulorum. Proba, quod nos explicamus vocabulo *characteris*, id nequaquam veteres significasse *signaculi*, ac *sigilli* nominibus. Si id asseras, os tibi Græcorum, Latinorumque Patrum testimoniis conabor obtundere. Verum & *characterem* saltem ab Augustino sæpissima nominatum non ignoras. Falleris propterea qui autumas ab Innocentio III. fuisse confictum. Quis sibimet persuadeat hoc vocabulo usum omnium primum hunc Pontificem, dum rescripsit Archiepiscopo Arelatensi quærenti, *an baptismus collatus dormientibus & amentibus imprimeret characterem*? Certe & qui de hac re interrogat, & qui respondet imprimi *characterem*, dum Sacramentalis operatio non invenit obicem voluntatis contrariæ, loquuntur de *charactere*, tamquam de re in Ecclesia Catholica satis comperta; nec pertractant quæstionem, *an baptismus characterem conferat*, sed, *an baptismus characterem conferat, si baptizentur amentes aut dormientes*. Inquirimus & nos, num *character* Ordinis imprimatur in-

vito

tito & reluctanti. In hac quæstione instituiturne disputatio, an Ordo imprimat *characterem*, an id tamquam certum supponitur? Id quidem supponimus. Itaque & baptismum imprimere *characterem*, sedente Innocentio, tenebant omnes, positumque erat extra aleam omnem dubitationis. Dicis, cur nec Magister meminit *characteris*? Respondent Theologi meminisse in IV. dist. VII. ubi ait Baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse, quia juxta Augustinum dantur per consecrationem, *quod autem semel est consecratum, suam consecrationem numquam amittit*: ut enim dictum supra, hæc consecratio non significat gratiam, quæ amitti potest. Addo Magistrum etiam expresse locutum de *charactere* in IV. dist. 24. ubi ait; *Character ergo spiritualis, ubi fit promotio potestatis, Ordo vocatur*; ibique docet hunc Ordinis characterem esse *sacrum quoddam signaculum*. Scholastici demum, ubi eslerunt *characterem* non posse probari ex Scriptura vel traditione, disputant de *characteris* natura, non de existentia: enim vero ex traditione saltem compertum est, *characterem* imprimi, quamvis inde nequeat inferri, an sit relatio, an qualitas, an habitudo. Atque hoc sensu Scotus in IV. dist. VI. q. 9. inquirens an *character sit forma realis impressa in anima*, ait: *Nec Scriptura sancta istud exprimit, nec Sancti explicite*: unde liquet mentem Scoti minime assecutum Polanum, dum scripsit: *Anzi Giovanni Scoto disse, che per parole della Scrittura, e de' Padri, non era necessario porla; ma solo per l'autorità della Chiesa: modo consueto a quel Dottore di negar le cose con maniera di cortesia*. Hist. Conc. pag. edit. Gen. 246. Et quidem si Scotus negasset *characteris* existentiam, cur quæstione proxima prolixe disputasset de hujus *characteris* natura, contendens sitam esse *in forma aliqua relativa*, non autem *in absoluta*? Quis tempus terat in nihili investiganda natura? Quod dixi de Scoto, idem de quibusdam aliis antiquis Scholasticis dicendum est; etsi non oportet, ut post Ecclesiæ decreta mentem cujusque Scriptoris tanta anxietate perquirere studeamus. Venio ad oppositionum partem alteram. Etiam ex Scripturis evinci existentiam *characteris* docuit, ut dictum est, Bellarminus; cui subscribimus. Quamvis tamen silerent Scripturæ, clamat antiquorum traditio, traditionisque custos, & perscrutatrix Ecclesia: quæ satis mentem Augustini, aliorumque Patrum expressit. Age tamen, dicamus perpauca de præcitato sermone ad plebem Cæsariensem. In eo inquit S. Pater Baptismi, & Ordinis *characterem* permanere in desertore, ac desertoris nomine intelligit schismaticum & hæreticum; agnoscit ergo *characterem* a fide, & a gratia sanctificationis distinctum. Addit non iterandum baptisma Donatistarum, quoniam etiam Donatus infixit dominicum *characterem*. Ait quoque hunc *characterem* imprimi credentibus, dum baptizantur in nomine Trinitatis. Nonne hæc perspicue traduntur in eodem loco, qui objicitur? Augustinus ergo docet in baptismate *imprimi characterem*, & hujus causa iterandum non esse baptismatis Sacramentum. Sed objicis: Augustinus ait *characterem* illum dignosci interrogatione baptizaturum, & esse fidem ipsam Trinitatis, cujus invocatione confertur baptisma. Respondeo: Si ita res se habet, quomodo Augustinus ait *characterem* illum esse etiam in desertore, qui aliquando fidem Trinitatis pessundat & abnegat? Audias ergo Augustinum sese explicantem, & quidem apertius, quam fecerint quidam Scholastici. Petit infra S. Pater a Donatista, ut ostendat sibi, habere illum Sacramentum Christi; & ait, id Donatistam commonstrare profitendo fidem Trinitatis: non quod fides Trinitatis sit ipsum baptismatis Sacramentum; sed quia exponit *formam*, qua confertur Christi baptisma. *Et certe*, (expende Augustini verba) *videamus quod habes. Habeo, inquit, Sacramentum, habeo baptismum. Si dicam tibi, Proba: ostendis mihi quod acceperis, dicis quid confessus fueris, dicis quid teneas. Agnosco, non muto, non exsufflo. Absit, ut cum quæro salutem desertoris, faciam injuriam imperatori. Ergo probasti mihi quod habeas Sacramentum, exponendo Sacramentum*. Quod supra Augustinus dixit de *charactere*, repetit modo, iisdemque fere verbis de Sacramento. Atqui juxta Augustinum ideo ex confessione fidei dignoscimus aliquem verum accepisse baptismum, quia istiusmodi confessio exponit *formam*, qua verus baptismus confertur. Igitur eatenus ex fide Trinitatis cognoscimus *characterem*, quatenus fides ipsa exprimit Trinitatem, cujus invocatione datus baptismus *characterem* figit & imprimit. Redeas modo ad verba, quæ opponebantur: *Attendo fidem in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Iste est character Imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius comitibus suis, ut hunc imprimerent eis, quos congregabant castris ejus, præcepit dicens, Ite baptizate gentes in nomine Patris, &c.* Ita ex fide cognoscis *characterem*, quemadmodum ex fide cognoscis Sacramentum; quoniam scilicet fides exponit quibus verbis & consecratur baptismus, & *character* imprimitur. Is mihi videtur verborum Augustini sensus obvius, atque perspicuus. Nam quod sequitur de *charactere* baptismatis in nomine Donati, *hypothetice* ab Augustino, non *absolute* profertur; quasi dicat, Si baptismus daretur in nomine Donati, iterandus esset, nec imprimeret *characterem* indelebilem, quoniam esset *character* desertoris: contra vero dum confertur in nomine Trinitatis, baptismus iterandus non est, figitque perenne signaculum, quoniam est signaculum Imperatoris. In hoc autem asserendo Augustinus quemadmodum non ait baptismum a desertore collatum in nomine desertoris esse verum baptismum; ita non credidit *characterem* Donati futurum in ea hypothesi verum *characterem*: neque hypothesim ipsam approbat; sed ex ea urget & vellicat Donatistas iterantes collatum *extra unitatem* in Christi nomine Sacramentum.

In diluendis iis, quæ postremo loco objiciuntur, non ero verbosus: quippe ubi de rebus obscurissimis disputatur, irrefragabili auctoritati debet subjici ingenioli nostri imbecillitas. Asserimus itaque opinionem eorum, qui in Tridentina Synodo dixerunt Tonsuram quoque, non quamlibet, sed sacro ritu ab Episcopo datam, Sacramentum esse, & imprimere *characterem*, non esse omnino improbabilem, ac propugnari a multis, maxime Canonistis. Enimvero Tonsuræ *σφραγῖδα* canon 33. Trullanus, & 14. Synodi II. Nicænæ commemorarunt. Ast quoniam vetus fuit consuetudo in collatione Lectoratus tondere comam, ut solet fieri etiamnum apud Græcos & Syros; probabilius existimamus appellari *characterem* tonsuræ, aut significatione ampliori, aut comparate ad Ordinem, in quo simul initiati tondebantur; ita, ut fuerit olim *tonsura* ceremonia quædam annexa collationi minorum Ordinum, & quæ proinde gratia puerorum Ecclesiis inservientium etiam absque ullo Ordine conferatur. Fuit etiam tonsura aliquando apud veteres iterata, &, auctore Morino p. III. Sacr. Ordinat. Exerc. XV. pag. 272. in cujusvis Ordinis collatione; unde, ut modo non reiteretur, facit sola Catholicæ Ecclesiæ consuetudo. Corruit ergo ratio priori loco producta. Nec melioris notæ est altera: siquidem non est *vitiosus circulus* dialecticorum probare existentiam causæ ex effectu, & vicissim; quando unum eorum certo dignoscitur. Cum ergo nobis compertum sit, baptismum, etiam confessione hæreticorum, non esse iterandum, inde opinamur id evenire ex peculiari quodam, ac permanente effectu ejusdem baptismi. Neque enim cur baptismus non iteratur, facit, aut quod institutum sit ad delendum peccatum originale, quod semel remissum non redit; aut quod sit Sacramentorum janua, aut quod certam habeat promissionem æternæ vitæ; quod reponere solent heterodoxi. Etenim ille, qui ficte baptizatur, non consequitur originalis peccati remissionem, nec tamen iterum tingendus est. Apostata etiam & hæreticus foras exiit; nec iterum per lavacrum baptismatis eidem janua aperitur. Eucharistiæ insuper, quamvis frequentissime repetatur, conjuncta est æternæ vitæ promissio. Ineptas itaque hæretici causas afferunt, cur non iteretur baptismus, ut *characterem* eliminent. Hunc vero cur cætera Sacramenta non imprimant, præter Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, dixi in secunda propositione. A postrema denique argumentatione facile me expediam: placuit quippe Domino fideles suos obsignare, ut dignoscerentur ab Angelis, ut electi in cælis Sacramentorum Christi decora præseferrent, ut in gehenna cum signaculo Imperatoris vehementius desertores confunderentur: quod licet Omnipotens potuerit alia ratione perficere, placuit ei præstare impressa spiritali nota, quæ per comparationem ad insculptam, vel inscriptam formam, recte appellatur *Χαρακτὴρ*, *figura*, *insigne lineamentum*, *signaculum*.

CAPUT XXIII.

Agitur de Sacramentorum ceremoniis, & nonnulla circa Sacramentalia adnotantur.

De *ceremoniæ* vocabulo, ejusque significatione non pertractant viri Theologi. Strabo, Valerius Maximus, Livius apud Vossium in Etymologico *ceremoniam* dici putant a *Cære* Thusciæ oppido, ubi quo tempore Galli Romam tenebant asservatum putant æternum ignem, commoratasque Vestales, unde Livius *Cærem* lib. VII. appellavit *Receptaculum Romanorum Sacrorum*. Scaliger derivat *ceremoniam*, a perantiqua dictione *cerus*, idest, *justus*, *bonus*; quemadmodum a *castus* castimonia derivata est, & a *sanctus* sanctimonia. Hinc multi *ceremonias* scribunt absque diphthongo: ita hi, qui *a Cerere* hoc nomen repetunt, ut Philoxenus; nec aliter qui cum S. P. Augustino lib. 2. Retract. cap. 37. & Isidor. lib. VI. Etymolog. cap. ultimo, *ceremonias* deducunt *a carendo*, eo quod observantes careant his rebus, a quibus abstinent. Nonnulli repetunt *a cælo*, L. in R. commutato, ut in *cæruleus*: perplacetque Vicecomiti, aliisque de hoc argumento pertractantibus prior etymologia, nobis tradita ab Augustino. Sunt autem ceremoniæ *sacra omnia*, *quæ apud Græcos Orgia vocantur*, inquit eo loci Isidorus; quamvis *Orgia* proprie essent sacra Liberi Patris, idest, Bacchi. At de nomine satis.

Quæcunque ad cultum Dei pertinent possunt generali appellatione dici *ceremoniæ*, easque recte partitur Bellarminus lib. 2. de Sacr. in gen. cap. 29. juxta quatuor genera causarum.

sarum. In sacris enim actionibus quædam a Christo, quædam ab Apostolis, quædam ab Ecclesia fuerunt præscripta; quædam etiam indita a natura, ut cælum respicere, manus tollere, tundere pectus. Atque hæc a causa efficiente, sive ab Institutore distinguuntur. Ea quoque, si rem, vel causam materialem inspiciamus, aut personam spectant, aut tempus, aut modum, aut rem ipsam, puta oleum, panem, aquam, vestes, &c. A causa *formali* dividit Bellarminus ceremonias in eas, quæ vel immediate sunt Dei cultus, ut sacrificium, oratio, adoratio: vel ad Dei cultum disponunt, ut jejunium, & cælibatus; vel divini cultus sunt instrumenta, ut templa, calices, aræ. Sumitur denique ceremoniarum partitio ab effectu, vel fine: nam aliquæ institutæ sunt ad sanctificandum hominem, ut Sacramenta; aliquæ ad quosdam spiritales effectus, ut exorcismus, & aquæ lustralis aspersio; aliquæ ad ornatum, & mysticam significationem, ut cereorum lumina, alba Neophytorum vestis, Sacerdotum, clericorumque indumenta.

Hoc tamen loco ceremoniarum nomine intelligimus *Ecclesiasticos ritus vel a Christo, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia institutos, ut sacra decentius, & cum majori solemnitate peragantur*, ita, ut ceremonias non Sacramenta, aliaque sacra dicamus, sed modum, ordinemque res sacras decenter, accurate, magnifice, certis servatis regulis, rebusque adhibitis tractandi, atque perficiendi. Quæ vero ceremoniæ in unoquoque Sacramento serventur, singillatim suis in locis tradentur: nunc enim universim inquirendum est, num ceremoniæ recte sint institutæ, serventur utiliter, & inculpate possint omitti, adjectis quibusdam annotationibus circa ea, quæ in pluribus ac fere omnibus Ecclesiasticis functionibus assumuntur in usum, idest, sacris vestibus, Clericorum cantu, accensis cereis, thurisque suffitu: nam hæc omnia hæretici vellicant, damnantque superstitionis. Perpauca etiam dicemus de Sacramentalibus, quæ a recentioribus sex numerantur, comprehensa vulgato carmine, *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*, idest, Dominica oratio, aqua benedicta, eulogiæ, scilicet panes sancti fidelibus distributi, confessio pœnitentium, quæ, ut diximus pag. 190. 191. olim feria v. in Cœna Domini fiebat, eleemosyna, & elargitio benedictionum. At improprie inter Sacramentalia connumerantur oratio & eleemosyna; quæ potius opera moralia sunt, quam ritus ab Ecclesia instituti, habentes aliquam cum Sacramentis *analogiam*, quod est proprium *Sacramentalium*. Confessio pariter peccatorum. & beneficium absolutionis, sive privatim, sive in conventu Ecclesiæ impendatur, pertinet ad Pœnitentiæ Sacramentum: ideoque inter Sacramentalia locum habet illa tantum confessio generatim facta, antequam a Sacerdote, vel Episcopo benedictio percipiatur. Benedictionis quoque vocabulum cum amplum nimis sit, a nobis coarctabitur ad sacros cineres, ad ramos palmarum, ad cereum Paschalem, ad sacras imagines cereas, quas *Agnos Dei* communiter appellamus, & ad candelas, quas Romana Ecclesia solet in Purificatione beatæ M. V. benedicere. His enim potissimum, tanquam superstitiosis ritibus, heterodoxi indignantur.

PROP. I. Ecclesia ceremonias instituendo jure suo minime abusa est, illasque recte, prudenterque præscripsit.

Demonstratur pars 1. Habere Ecclesiam auctoritatem ceremonias, ritusque instituendi, complura momenta suadent. Principio id evincunt Theologi ex Apostolo ad Corinthios scribente, Epist. 1. cap. xi. 34. *Cetera autem cum venero disponam*: quem in locum S. P. Augustinus epist. 54. alias 118. ad Januarium ait institutos ab Apostolis quosdam ritus toto terrarum orbe servandos; cujus generis sunt anniversaria solemnitas Dominicæ passionis, resurrectionis, & adscensionis ad cælum, & quidquid custoditur *ab universa quacunque se diffundit Ecclesia*: deinde inquit S. Pater, etiam post Apostolorum ætatem quædam instituta, *quæ per loca terrarum, regionesque variantur*; ejusce modi sunt sabbati jejunium, & divinæ Eucharistiæ facta certis diebus frequentatio, productis etiam ad hoc stabiliendum verbis Apostoli. Ex quibus Augustini præceptionibus tria adversus hæreticos consequuntur; unum scilicet, præter Sacramentorum institutionem, quam Scriptura sacra commendat, plura saluberrime retineri ad ipsorum Sacramentorum usum, dignitatemque spectantia: alterum, ex horum genere quædam esse, quæ ubique terrarum ab Ecclesia tenentur, nec variantur ulla morum diversitate, atque hæc tradita per Apostolos, & a nemine prorsus violanda: tertium denique, complura in particularibus tantum Ecclesiis vigere, quæ etsi comparate ad universam fidelium multitudinem liberas habeant observationes, servanda sunt tamen *pro eorum, inter quos vivitur, societate*. II. Sacrarum ceremoniarum institutionem comprobat traditio veterum. Martyr enim Justinus prope finem Apologiæ ad Antoninum Pium commemorat sacros diei Solis conventus, concionum precumque ordinem, benedictionem Antistitum, Diaconorum ministerium, aquæ vinique oblationes, præscriptamque Eucharistiæ consecrandæ rationem. Tertullianus pariter de Corona milit. cap. 3. abrenuntiationes, quæ fiunt in baptismo, exhibitas Deo flexis genibus adorationes, signum Crucis fronti sæpissime impressum, standi a Paschate ad Pentecosten usque consuetudinem, aliaque permulta ex veterum disciplina recenset. Exorcismos baptismi laudant in Epistola ad Magnum Cyprianus, in priori Catechesi Cyrillus Jerosolymitanus, & in sermone ad Catechumenos 1. §. 2. atque in libris adversus Pelagianos præstantissimus Augustinus. De ceremoniis in Missæ sacrificio usurpatis laudatus Cyrillus Catechesi V. Magnus Basilius de Sp. sancto cap. 27. aliique veteres pertractarunt. At peculiares ritus suis in locis curabimus vindicare. III. Omni prorsus ætate, naturæ instinctu, legis mandato, atque auctoritate majorum certa sacrorum mysteriorum ratio ad cultum Dei promovendum recepta est. Et quidem nondum lata lege, post pium Abelem Noe constructo altari Domino pecudes volucresque mactavit. Jacob non solum lapidem erexit in titulum, verum etiam sacra ceremonia fudit desuper oleum. Jethro Exodi xviii. 20. Moysi suadebat, ut populo ceremonias, ritumque colendi Deum præmonstraret. Quæ vero idem Moses Domino præcipiente constituit, non opus est describamus. Rituum autem veterum observationem ipsemet Moses Deut. iv. populum alloquens, & Rex David acturus animam Salomonem exhortans iii. Regum 2. summopere commendaverunt. Synagoga quoque Judæorum nova addidit festa, Judithæ, Estheris, & Machabæorum temporibus. In Evangelica demum lege statuerunt Apostoli quæ videbantur opportuna, abstinentiam a suffocato & a sanguine, solemnitatis sabbati in diem Dominicum commutationem, Mathiæ electionem per sortes, institutionem septem Diaconorum, aliaque bene multa. IV. Hæretici ipsi quamquam rebelles lumini, aliquando coacti sunt veritatem hanc profiteri: siquidem in præfatione Confess. Helveticæ legitur, *Semper in ritibus & ceremoniis Christi Ecclesia usa sunt libertate: id quod in historia Ecclesiastica videre licet*; quibus verbis saltem *Reformati* concedunt dari ritus, qui a Christo instituti non sunt, & possunt pro libito Ecclesiæ, temporumque opportunitate immutari. In Confessione pariter Augustana art. xv. etsi impie asseritur complures Ecclesiasticos ritus servari non posse sine peccato, habetur nihilominus ritus plures, *qui sunt humana auctoritate instituti, servandos esse, ut certæ feriæ, certæ cantiones piæ, & alii similes ritus*. Bullingerus Decade v. serm. 8. fatetur ritus, qui observantur in Ecclesia Romana, esse vetustissimos; idque de Baptismo comprobat exquisitissimis Augustini testimoniis: nec aliter Calvinus, tametsi impudentissime eosdem ritus *incantationes* appellitet. Vide Joannis Gregorii *Conversionem* pag. 38. Adiaphoristæ etiam, de quibus Hosius lib. 1. de hæres. & Preteolus de Sectis, idest, Lipsienses & Witthembergenses, ut dicuntur, Reformati, Sacramentorum ceremonias res indifferentes existimant: ideoque poterat illas Ecclesia præscribere, & recipere in usum, salva veritate Evangelii, & legitima Sacramentorum administratione. V. Apparet ex dictis omni prorsus jure Œcumenicam Synodum Tridentinam sess. xxi. cap. 2. declarasse, *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*.

Quod vero Ecclesia in ceremoniarum institutione provide, prudenterque se gesserit, idem Tridentinum Concilium sess. xxii. cap. v. demonstrat, ex quo exterioribus ritibus commendatur divinorum mysteriorum majestas, & mentes fidelium per visibilia religionis, & pietatis signa excitantur ad rerum altissimarum contemplationem. Insinuat eamdem rationem Catechismus Rom. de Sacram. in gen. nu. 18. illamque corroborant quæ sæpe diximus, rationalem animam insertam corpori corporalibus imaginibus ad rerum spiritalium intelligentiam elevari; quemadmodum Hom. 25. in Matth. docet Græcorum eloquentissimus Joannes Chrysostomus.

Hinc nos subscribimus iis, qui sacras ceremonias, non ob ministrorum commodum, regionumque consuetudinem institutas pronuntiaverunt, sed qui in illis mysticam & symbolicam significationem agnoscunt. Pronuntiavit utique priorem sententiam bipartito Opere Gallica lingua conscripto Claudius de Vert Monachus Cluniacensis: quem ab errore vindicat illustris Tournelius, propterea quod profiteatur ille se nequaquam rejicere mysticam ceremoniarum rationem; idque ulterius testatur in Epistola ad Jurium ipsemet Vertius. Hunc tamen errore magno deceptum censuit in Pastorali Epistola anno 1720. Joseph Episcopus Augustæ Suessianum; prodiitque adversus Claudium anno proximo egregium Opusculum apud Parisios materna Gallorum lingua. Nimium scriptorem illum fuisse ausum censet quoque in eruditissimis Annotationibus de Sabbato sancto num. 393. & de Purificat. B. M. V. num. 22. Purpuratorum Patrum, Romanorumque Pontificum decus, BENEDICTUS XIV. Arbitror ego Claudium de Vert rationes quidem symbolicas in ceremoniis sacris agnoscere, sed quæ ipsarum institutionem sint consecutæ, ita, ut primitus naturalem habuerint causam,

postea

postea ob mysticum symbolum in illis excogitatum retentæ fuerint in usu. Quæ si vera sunt, de Vert a priori temperamento descivit, & immerito a Tournelio excusatur; nam in priori sacrorum rituum institutione spectasse Ecclesiam rerum spiritualium mysteria, certa nobis argumenta suadent, nec ad respondendum Novatoribus superstitionis crimen objicientibus, necessum est ritus sacros, & mysticos ad seriem rerum naturalium, humanarumque deprimere.

Revera in sacris ritibus spiritalem significationem esse attendendam, constat ex quo Deus inspirat quomodo colendus sit non solum ob sui gloriam, verum etiam ob nostram maximam utilitatem, ideoque non sine occultæ rei significatione inspiravit Abeli, ut ei offerret primogenita gregis, horumque adipes: ut quæst. 3. ad Deogratias, ep. 49. alias 102. docet S. Pater: quod repetit de omnibus aliis oblationibus, scribens adversus Faustum lib. vi. cap. 5. In Sacrificio etiam Abraham, de quo Gen. xv. liquet Deum præscripsisse victimarum conditionem, easque immolandi ritum, jubens ut sumeret *vaccam triennem, capram trimam, turturem atque columbam*, & universa hæc per medium divideret, partesque statueret *altrinsecus*; quod divini fœderis esse symbolum constat ex Jeremiæ xxxiv. 18. Quod etiam fecit Jacob erigens lapidem, & oleum fundens, non fuit duntaxat monumentum visionis, sed propheticum signum, pietatisque, ac *spiritalis pinguedinis* argumentum, teste Augustino de Civit. Dei lib. xvi. cap. 32. & Auct. libri de Unct. Chrism. inter Op. Cypriani. Præterea in lege scripta ceremoniarum omnium Deum fuisse auctorem, & sub illis latitasse futurarum rerum figuras, demonstrat liber Levitici, & in 1. ad Corinthios cap. 16. affirmat eximium Vas electionis. In lege quoque Evangelica in ritibus singulis latere mysteria comprobant quæ de expurgatione fermenti scripsit Apostolus eadem Epist. cap. 5. & de participatione ejusdem panis, cap. 10. Nec mysterio caret, quod Christus insufflando dederit Spiritum Sanctum hujus a se processionem commonstrans, ut docuerunt Augustinus Tract. cxxi. in Joannem, & Cyrillus Alex. lib. xii. cap. 5. Incensum symbolum esse orationis, altare throni Dei, candidumque byssinum justificationis & gratiæ, legimus cap. viii. & xix. Apocalypseos. His ergo constat sacrarum ceremoniarum institutionem symbolicam esse, mysticam, spiritalem.

Persuasum id & Gentibus, quæ juxta præformatam profanorum Numinum ideam, diversis ea ritibus coluerant. Templis principio idololatræ caruerunt, quod nondum immensi Numinis exuti penitus contemplatione, noscerent Deum nullo concludi loco: postmodum opinantes Jovem alto Olympi vertice considere, ei primum in montibus Bithyniæ, juxta Arrianum, ædes construxerunt; quemadmodum in montibus Moab erectas Beelphegor divinæ testantur literæ. Adhibuerunt & ipsi lustrationes religionis causa, pie sacrificasse opinantes, *si cutem lavissent*, inquit Lactantius. Cecinit sat. 3. Persius:

Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis.

Non soli Moyses & Josue calceos reverentia Numinis detraxere; sed & colentes idola Cybelis, & ingressuræ templum Vestæ mulieres. Solent idem præstare dantes operam magicis incantationibus. Eam ob rem dæmones his, aliisque ritibus delectantur, quoniam æmulantur *ipsas res divinorum Sacramentorum*, ut inquit cap. 40. de Præscript. Tertullianus. Hinc illiciuntur variis generibus lapidum, herbarum, carminum, rituum, *non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis*, juxta Augustini sententiam lib. xxi. de Civit. D. cap. 6. quia nimirum dæmones ipsos non latet, externis ritibus religionis symbola contineri.

PROPOS. III. Sacræ ceremoniæ ab Ecclesia præscriptæ sedulo sunt observandæ.

Definit id Tridentina Synodus sess. vii. can. 13. his verbis: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit*. Hujus definitionis æquitas hisce monimentis probatur. I. Vereri in lege cæremonias transgredi adeo grave scelus erat, ut Nadab, & Abiu ignem non sacrum in oblationibus adhibentes fuerint Levit. 10. cælesti ab igne consumpti, & Oza tangens Dei arcam 11. Regum 6. *Levitis Dei*, ut inquit Salvianus in vi. de Provid. *inofficiosus*, repentina morte corruerit. At non minori sanctitate pollent novæ legis mysteria: quorum proinde ritus contemnere irritat ulricem supremi Numinis indignationem. II. Deinde aut ceremoniæ in universa Ecclesia receptæ sunt, aut pro locorum, temporumque circumstantia variantur. Si ubique sint receptæ, eas parvipendere *insolentissimæ insaniæ est*, inquit Augustinus laudata ad Januarium Epistola. Si vero in peculiaribus Ecclesiis obtineant, in eisdem Ecclesiis commorantes earum ritus, consuetudinemque servare debent *pro eorum, inter quos vivitur, societate*. Hinc Stanislaus Hosius in Confut. Prolegomenum Brentii pag. edit. Antuerp. 143. recte contendit pro schismatico eum habendum, qui solemnes probatosque Ecclesiæ ritus rejicit & aspernatur. III. Non ausi sunt id negare vel Novatorum pestilentissimi. In Confess. namque Augustana juxta Reformationem anni 1540. de ceremoniis art. xv. legitur: *Sed illi peccant, qui eas cum scandalo violant, aut qui suarum Ecclesiarum tranquillitatem temere perturbant*. Ipse Melanchthon in cap. xiv. Ep. ad Rom. *Non probo*, inquit, *petulantiam illorum, qui ritus & traditiones sine probabili causa ubique violant, seu studio novitatis, seu quadam contumacia. In his enim non solum pietas, sed etiam humanitas desiderari potest. Quid enim est inhumanius, quam aspernari publicos mores, præsertim si videantur disciplinæ causa instituti?* In Epistolam etiam ad Colossenses appellat veterum ceremoniarum contemptores *stultos ac seditiosos*. Similia scripsit Œcolampadius in Epistola ad Erasmum Ritterium, de qua legendus Jo. Hoffmeisterus in Harmonia Conf. Aug. pag. 325. In Confessione pariter Saxonica reprehenduntur qui ceremonias, quæ prosunt ad disciplinam & ordinem regiminis in Ecclesia, contumaciter, superbeque contemnunt, ut refert Consultatione xv. Cassander. Grotius quoque in Annot. ad Cassandrum Tom. iv. pag. 612. scribit illos, qui constituendi ceremonias *Ecclesiis singulis, aut universo corpori adimunt potestatem, adimere ei quod cognatum est omnibus societatibus*. Addit talia Deo esse grata, *quia ordo & pax ipsi placent: partim etiam, quia in iis si non virtutes sunt sitæ, at certe præparatas quidam ad virtutem*. IV. Ecclesiæ, in iis præsertim quæ spectant ad divinum cultum, omnino obsequendum esse, summa illius potestas, Ecclesiasticæ disciplinæ ratio, vinculum communionis, & jura quæque suadent. At ceremoniæ ad divini cultus dignitatem, regulam, uniformitatem, majestatemque plurimum conducunt. Sunt ergo, ut præcipit in Bulla, quæ Rituali Romano præfigitur, Paulus V. & in ea, quæ legitur in fronte Missalis ac Breviarii, Pius V. *inviolate* observandæ.

Nota tamen consulto Tridentinum Concilium mandasse sacrorum rituum observationem, *in solemni Sacramentorum administratione*, quoniam necessitate urgente, sat est, si materia ac forma eorumdem Sacramentorum adhibeantur. Unde exploditur solemnis calumnia hæreticorum, qui eo nomine ceremonias aspernantur, quod a nobis serventur, quia existimamus promoveri illis gratiam & remissionem peccatorum. Ipsi quidem hæretici, cum asserant hominem sola fide justificari, necessaria consecutione docent nec observatione rituum, neque operibus satisfactionis conscientias esse onerandas; sed nos diversas justificationis causas statuentes, Sacramentis quidem hoc tribuimus, ut justificantem gratiam in nobis efficiant; nostris conatibus divino præventis adjutorio ad illam gratiam nos disponi affirmamus; & sacris ritibus id inesse credimus, ut nos facilius in studio religionis contineant, ut in nobis excitent reverentiam divinorum mysteriorum, ut exterioribus symbolis spiritalia nobis proponant, ut demum pædagogia quadam ad arcana & mystica accedere valeamus. Quod non obscure innuit sess. xxii. cap. 5. Synodus Tridentina, demonstratque citato loco ex consensione Theologorum Cassander, nec ignoravit, ut ex dictis constat, Hugo Grotius. Recte Philippica xiv. Alphonsus Virvesius: *Nemo est inter Catholicos tam stupidus, & superstitiosus, qui credat vestium colorem aut formam, & ceremonias alias hujuscemodi justificare.*

Affirmamus etiam non omnem sacrorum rituum transgressionem esse lethale peccatum, sed attendendam esse ceremoniarum, quæ prætermittuntur, conditionem: si enim plurimum sint conspicuæ, ut est in Missa sacras vestes, lumina, oblationem Hostiæ, aut Calicis elevationem, & adorationem, aliaque id genus adhibere; nequeunt absque gravissimo scelere prætermitti. Si vero accidentales sint, ut manus ante sacrificium abluere, & cetera hujusmodi, nisi adsit contemptus, plebisque scandalum, erit levis culpa duntaxat. Verum de hac re legenda dissertatio edita jussu Benedicti XIII. ab amplissimo Cardinali Gregorio Sellari Ordinis FF. Prædicatorum.

AD OBJECTA HÆRETICORUM.

Opponunt hæretici primo, plures Romanæ Ecclesiæ ceremonias derivasse a legibus Judæorum, quibus si obtemperemus, teste Paulo ad Galat. v. 2. *Christus nihil proderit*: permultas alias desumptas a paganorum superstitione, quæ proinde nequeant absque idololatriæ crimine retineri. II. Inquiunt unicuique fas esse sacras ceremonias aut immutare, aut omittere, quoniam Augustinus citata ad Januarium Epistola scribit *habere liberas observationes*; ac pessime se gerere, qui Religionem, *quam Deus paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt*. III. Ajunt etiam Papistas veterum rituum se contemptores ostendere, dum baptismum absque degustatione lactis & mellis, absque igne, & absque Eucharistia nunc ministrant: quæ si fas sit aspernari, cur non exorcismos, cereos, & ejusmodi cetera? IV. In ceremoniis Ecclesiæ videtur

Satanas, inquit cum Calvino Vedrosius rat. 3. Exam. docum. 9. post receptas imposturas suas, ad crassiora prorupisse ludibria, *qualia sunt sputum, & similes nugæ*, quarum nec apud veteres vestigium ullum. V. Arguari possunt ex jactis a Claudio de Vert fundamentis; cum enim vestes, ritus, cerei, aliaque id genus vel ea consuetudine locorum, vel ex necessitate fuerint primum usurpata; alta modo consuetudine vigente, & diurno duntaxat tempore convenientibus ad Ecclesiam fidelibus, abjici possunt antiquæ vestes, lumina, & cetera hujusce generis.

Respondetur ad primum, retinendas fore ceremonias, etiamsi a Judæis, vel Paganis essent derivatæ; quoniam quæ Judæi carnaliter servarunt, nos spiritualiter usurparemus, & quæ Ethnici adhibuerunt sacrilege, converterentur a nobis in Dei cultum. Numquid enim detestanda erant sacrificia Patrum, quia & sacrificia offerebant Gentiles? Numquid contemnenda sanctimonialium virginitas, quia & virgines fuerunt Vestales? Numquid destruenda templa, quoniam & extiterunt templa idolorum? Vide Augustinum libro 20. contra Faustum cap. 21. Sane superstitio vel attenditur ex objecto; & est, quando Dei cultus exhibetur creaturæ: vel ex humanorum actuum institutione atque directione; sitque dum exteriori ritu, aut pravis opinationibus instruimur, aut improbis obscenisque rebus religionis officia labefactamus. Superstitio ergo, quæ est in ceremoniis Gentilium, procul abest a nostris; quoniam illi idola, nos colimus Deum verum: illi absurdissimis foedissimisque moribus, nos saluberrimis optimisque institutis usu externorum signorum formamur. Deinde respondemus aliter de ceremoniis Judaicis, aliter de Ethnicis judicandum. Judaici ritus, quidam prænuntiabant Evangelicæ legis mysteria, ut circumcisio, sacrificia cruenta, esus Agni, baptismi, mortis Christi, & Eucharistiæ typi ac figuræ; & hi ritus merito sublati sunt, quoniam res præfiguratæ advenerunt. Ritus alii, ut vestes sacræ, lumina, thymiamata, cantica, ad decentiam exterioris cultus, & devotionis excitationem spectabant; ideoque etiamnum ritus istiusmodi jure servamus; cum teneamur animo & corpore Deo cultum exhibere; maxime quod a legis abrogatæ mysticis ceremoniis plurimum nostræ discrepant. Apostolum vero scribentem ad Galatas legalia primi generis, & quidem adversus eos, qui ex circumcisione justitiam salutemque repetebant, quasi lex Christi infirmior sit, quam quæ sola possit justificare, manifestum est ex proximis verbis: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini*. Ad Paganos quod attinet; omnes fere eorum ritus diabolus divinorum honorum cupidissimus mutuavit ex nostris, *æmulatus res Sacramentorum divinorum, & sibi arrogans, quo tanquam Deus haberetur*, ut citatis in locis docent Afrorum sapientissimi Tertullianus, & Augustinus. Si quosdam Ecclesia Christi, ut plebem a superstitione, idolorumque cultu removeret, ex contaminatis & profanis sacros reddidit & religiosos; id non est idololatras imitari, sed idololatriæ adminicula in religionis incrementa convertere. Hactenus ad primum. Ad secundum dicimus Augustinum, cujus verba sensumque audacter hæreticus Vedrosius pervertit, in illa ad Januarium Epistola cap. 1. præter divinas Scripturas admittere Apostolicas traditiones in iis, quæ servantur ab Ecclesia ubique diffusa; cujus generis dicimus esse ritus Sacramentorum *essentiales*. Neque eo loci ait Sanctus Pater retinenda Sacramenta paucissima ceremoniis rejectis, sed, *exceptis iis, quæ servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & prophetici temporis onerabant*. Pertractat deinde Augustinus de variis consuetudinibus Ecclesiæ, ritibusque accessoriis, de quibus ait quidem cap. 2. habere *liberas observationes*, quatenus nisi ubique recepti sint, universos utique fideles non obligant; sed docet tamen servandos in Ecclesia, a qua fuerunt probati, & ab iis, qui ad Ecclesiam illam accedunt, scribens: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur societate servandum est*. Idque Augustinus explicat exemplo jejunii sabbati, cujus alia Romæ, alia Mediolani vigebat consuetudo: & quod auctoritate Ambrosii asserit de jejunio, repetit postea cap. 5. de ritibus *Eucharistiæ*, dicens: *Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit*. Merito itaque id, quod contra Ecclesiæ ceremonias Vedrosius objicit, illas firmare ac stabilire supra affirmavimus. Tertia vero objectio nihil aliud probat, quam in ritibus Sacramentorum accidentariis fieri variationem aliquam: quod nos ultro fatemur, dicturi de veteribus baptismi ritibus, eorumque abolitione libro proximiori. Neque ex illa variatione sequitur posse unumquemque aspernari Ecclesiasticas ceremonias; quoniam non privata auctoritate, sed Ecclesiæ aut definitione, sicut parvulorum communio, aut desuetudine, sicut mellis lactisque degustatio, ritus quidam sunt antiquati. In quarta mirari satis non possumus impudentiam hæreticorum; siquidem etiam Christus sputo surdum & mutum sanavit, Marci VII. 33. eodemque sputo lutum fecit, quo linivit cæcum e nativitate, Joannis IX. 6. ideoque liniuntur saliva aures, naresque baptizandorum, *ut quemadmodum cæcus ille Evangelicus, quem Dominus jusserat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit, ita etiam intelligamus sacræ ablutionis eam vim esse, ut menti ad cælestem veritatem percipiendam lumen afferat*. Ita Catech. Rom. de Baptism. num. 68. & Gratianus cap. *Postea tanguntur*, de Consecr. dist. IV. cap. 68. qui canon desumptus est ex libro 1. de Sacram. cap. 1. n. 3. inter Ambrosii Opera. Calvinus itaque, & Vedrosius mysticas quoque actiones Christi existimabunt ridiculas & nugatorias. Ad ultimum constat ex dictis non probari a nobis systema Claudii de Vert: quamquam etsi ceremoniæ aliquæ necessitate fuissent inductæ, minime sequeretur esse abolendas, postquam probavit illas Ecclesiæ usus, in eisque præter res sensibiles nobis symbola rerum spiritalium exhibuit.

DE IIS, QUÆ IN SOLEMNIORIBUS ECCLESIÆ RITIBUS SOLENT ADHIBERI.

Utimur in solemni Sacramentorum administratione primum sacris vestibus, quarum usum temere damnant Novatorum quamplurimi. Etiam Aaron veste sancta *in gloriam & decorem* exornatum legimus Exodi XXVIII. 2. Samuelem quoque in templo deservisse accinctum *ephod lineo*, constat ex 1. Regum 2. 18. Sacræ itaque vestes cum ad gloriam decoremque spectent, habeantque præterea mysticam significationem, jure, meritoque adhibentur. Præter hæc Scripturarum exempla revincuntur Sectarii auctoritate Nazianzeni commemorantis Orat. 2. *Sacerdotalem stolam*, & vetustissimi Laodiceni Concilii, præscribentis ne Clericus psallat, legatque in templo absque *orario*. Expende hujus Synodi canonem 23. Tom. 2. pag. 1499. Insuper usum sacrarum vestium qui de Ecclesiæ ritibus pertractant stabiliunt antiquissimis monumentis. Mitto quæ ex ambiguis Anacleti Epistolis profert pag. 186. J. B. Casalius. Stephanus ad summum Pontificatum evectus tertio Ecclesiæ sæculo constituit ut in Ecclesia tantum *vestibus sacris* Sacerdotes & Levitæ uterentur: quod confirmat vetustissimum illarum usum. Joannem Evangelistam adhibuisse Pontificale πέταλον, laminam scilicet, aut vittam, refert in V. H. E. cap. 24. ex Polycrate Ephesino Eusebius. Sigebertus in Chronico ad annum 451. eo nomine notat Vandalos, quod vestes sibi fecissent *ex sacris palliis & vestibus*: traditque similia de Genserico Vandalorum rege Victor Vitensis. Sacra insuper vestimenta laudant apud eximium Lupum P. V. pag. vet. edit. 262. Remensis Hincmarus in 1. Capitularium, Ratherius Veronensis Episcopus Epist. Synodica 17. Cyrillus Hierosolymitanus apud Hermiam Sozomenum lib. IV. cap. 24. Etiam vetus pictura in *cæmeterio* Priscillæ repræsentat S. Pii I. & Pastoris presbyteri sacra indumenta. Adeas Aringhum Rom. subter. Tom. 2. pag. 305. & Blanchinum in notis ad Anastas. pag. 128. II. Vol. Ciampinus quoque in disquisit. de duobus emblematibus sacras vestes delineat ex vitreo orbiculo ætatis, ut conjectat, duorum Philipporum, qui Consules prodiere anno 247. Fabiano in Cathedra Petri sedente. Ait Ciampinus ipse asservari in oppido S. Eliæ Nepesinæ Diœcesis sacra vestimenta sexcentorum saltem annorum. Eadem probat ratio; quoniam exterior apparatus & devotionem excitat, & suadet, ut munda conscientia atque virtutum ornatu divinæ res peragantur. Ajebat propterea Innocentius I. de Myst. Missæ cap. 64. *Attendat Sacerdos studiose, ut signum sine significato non ferat*. Hæc tantum de sacris indumentis dicta sint universim, ne hoc in loco tractentur peculiaria.

II.

Carpunt Novatorum quidam etiam Psalmodiam, & cantica, quibus utimur in solemnioribus ritibus, officiisque Ecclesiasticis. Damnent, necessum est, eadem ratione psallentem Davidem, Levitarum choros, Salomonici templi innumeros fere cantores. Quod si a nobis petant Evangelicæ legis exempla; proferemus hortamentum Apostoli ad Ephes. V. 19. *Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*. In quem locum Hieronymus, *Sic cantet*, inquit, *servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur*. Facile insuper demonstrabimus cantandi morem esse in Christi Ecclesia antiquissimum. Ignatium Martyrem tradidisse Ecclesiæ Antiochenæ formam alternatim canendi demonstrat in Actib. Martyrum pag. 8. Ruinartius, literisque id olim mandaverat Socrates octavo capite libri VI. Auctor Qq. ad Orth. inter Opera Justini pag. edit. Perionii 60. ait retentum in Ecclesia cantum, *quoniam movet animum ad ardentem cupiditatem ejus rei, quæ in cantibus delectat: sedat motus, qui ex carne excitantur, &c.* Confirmat id sulmet exemplo Augustinus in IV. Confess. cap. 6. ita Deum alloquens: *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter!* Tali experimento S. Pater edoctus laudat libro nono ejusdem Op. cap. 7. Ambrosium, quod secundum morem Orientalium institue-

stituerit, ut psalmi & hymni canerentur, *ne populus mœroris tædio contabesceret*. Libro etiam x. cap. 33. fatetur se acquiescere in sonis, quos animant eloquia Dei, *cum suavi & artificiosa voce cantantur*, commendatque plurimum instituti hujus utilitatem, præsertim si cantetur *liquida, & convenientissima modulatione*, qualem ait placuisse Athanasio. Vide & sæpe laudatam ad Januarium Epistolam cap. 18. Ad hæc perantiquam cantandi in Ecclesia consuetudinem ostendit Cardinalis Bona in Harmonia Psallent. Eccl. pag. 21. profanorum Scriptorum testimonio, Philonis, Plinii II. Luciani. Philo quippe de Christianis Alexandrinis scribit: *Hymnos canunt in Dei laudem, vel recens a se factos, vel pridem ab aliquo priscorum vatum:* cujus testimonii meminit etiam Eusebius libro II. H. E. cap. 17. Lucianus in Philopatre conviciatur Christianis *ad hymnos tota nocte decantandos vigilantibus*. C. Plinius in Epistola ad Trajanum Cæsarem, de qua Tertullianus cap. 2. Apologetici, Eusebius lib. III. cap. 33. & Hieronymus in Chronico Eusebiano, refert de Christianis, *Quod soliti essent ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem*. Si perlegas Vossii in Plinianam Epistolam Commentarium Tom. IV. pag. 59. videbis quam belle, annuente eodem hæretico, hinc firmetur vetus Romanæ Ecclesiæ consuetudo. Ex his vero liquet canticorum, hymnorumque usus firmari vetustate, utilitate, auctoritate.

Sed illud ægre ferunt hæretici nos in canticis, ceterisque ritibus, uti latina lingua, quam plebs Christiana non percipit. Quam inique indignentur, ostendendum ubi disputabitur de Scripturarum sanctarum lectione. Ut interim compendio agamus: non una ratio Ecclesiam permovit, ut sola apud nos latina lingua administrentur Sacramenta, & divina celebrentur officia. Prima ratio est Ecclesiæ unitas, quæ postulat, ut ad Romanam Ecclesiam ceterarum Caput & Magistram venientibus eadem forma, & communiori idiomate societatis symbola præbeantur: alioqui tot linguæ adhibendæ forent, quot sunt Ecclesiæ membra, quod profecto non communionis servaret vinculum, sed induceret potius confusionem Babelis. Altera ratio est, quod in vulgari lingua decursu temporis, incursione barbarorum, populorumque mixtione frequens occurrit mutatio: decet autem in sacris ritibus a novitate, qua perturbari possunt simpliciores, quantum fieri potest abstineri. Rationem tertiam suppeditat Ecclesiæ praxis: quippe non solum Judæis, quando in captivitate vernaculæ linguæ obliti sunt, Esdras legem proposuit antiquo, Hebræoque idiomate; verum etiam Græci una semper in Liturgiis lingua usi sunt, quamvis ipsi pro regionum varietate variis dialectis loquantur, & in præsentia saltem popularis sermo plurimum discrepet a literali: ac Latini pariter nunquam latinam linguam deseruerunt, irrumpentibus in Latium barbaris, & lingua Itala adolente, atque ad hanc tandem venustatem progressa. Tandem injustissima est hæreticorum expostulatio: quod enim inquiunt, latinam linguam a populo minime intelligi, non una ratione diluitur. Principio nec Syri, nec Æthiopes, nec Armeni, nec Ægyptii vulgari idiomate utuntur suis in Liturgiis, ut demonstrat pag. 259. Cassalius: ideoque omnes fere Ecclesias impetit prædicta accusatio: quin & urget calumniatores ipsos, siquidem Calvinista Gallus, si Germaniam petat, aut Angliam, frequentat propriæ sectæ conventus, quamvis ignota sibi & peregrina lingua ibidem peragantur officia. Supponunt deinde hæretici verba in Sacramentis excitare duntaxat fidem, ideoque ab omnibus esse percipienda: cum vim habeant consecrandi materiam; devotionem vero ac reverentiam excitare valeant, etiamsi non percipiantur, ut docent Origenes hom. 20. in Josue, Chrysostomus hom. 3. de Lazaro, & S. Pater contra Epistolam Fundam. cap. 4. Insuper Apostolus Corinthios æmulantes loqui diversis linguis Epistola prima cap. XV. commonet oriri potius ex linguis confusionem, neque prodesse loqui, nisi aliquis interpretetur. At in Ecclesia Romana sunt Pastores, & Parochi mysteria exponentes, prout sess. XXII. cap. 8. mandavit Synodus Tridentina, & absque illorum interpretamentis sacræ literæ vernacula lingua prolatæ adhuc ignaris essent obscurissimæ, pluribusque mysteria non assequentibus offendiculo: præstat ergo unam latinam linguam cum Sacerdotum explicatione adhibere, quam vernaculas multas cum privati spiritus præsumptione. Tandem aliud de publicis, aliud de privatis orationibus est asserendum. Si de privatis loquimur, utamur, si lubet, proprio unusquisque idiomate: at si de publicis, utamur publico, ut loquamur ore, & spiritu Ecclesiæ, quam certo scimus nobiliori intentione dirigi, verbisque sublimioribus loqui, quam possit excogitare, vel promere universorum hominum ingenium & eloquentia.

III.

Quid vero dicendum de candelis, cereisque ad officiorum divinorum condecentiam accensis? Si ad vetus testamentum convertimur, lucernas in Sanctuario splendentes legimus Exodi XXV. 37. XXVII. 20. Levit. XXIV. 2. ac III. Regum VII. 49. Diximus autem supra in iis, quæ ad cultus divini majestatem pertinent, eamdem quolibet tempore habendam esse rationem. Sed cereorum, lampadumque usum in Christi etiam Ecclesia vetustissimum ostendunt momenta quamplurima. Primo probant usum illum testimonia Patrum, quos inter Gregorius Nazianzenus Orat. IV. seu invectiva 2. in Julian. pag. edit. Morel. 118. miratus ab illo reprehensos *cereorum ignes*. S. Hieronymus lib. 2. adversus Vigilantium, *Quicunque*, ait, *accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem*: & infra, *Quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde & Virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, &c.* Obiter nota non solum ad expellendas nocturnas tenebras, sed etiam in typum spiritalis luminis, ea mente Hieronymi accendi cereos, & ad hunc præsertim finem in Ecclesia adhiberi. Prudentius in Hymno de S. Laurentio cecinit,

Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Agit de cereis afferri solitis ad reliquias sancti Stephani Evodius Uzalensis, aut qui Evodii jussu edidit Commentarium in Append. Tom. VII. Operum S. P. Aug. Paulinus cereos, lampadesque describit Nat. III. & IX. de S. Felice. Venantius etiam Fortunatus lib. IV. de Judæis conversis, scribens:

Undique rapta manu lux cerea provocat astra.

Vide eumdem ubi describit loculum Sancti Martini. Constat deinde id muneris antiquo more Clericis demandari, ut accendant Ecclesiæ cereos & luminaria; ut liquet ex Concilio Carthag. IV. celebrato anno 398. can. 6. *Ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari*: quod & habetur in Sacrament. Gregorii de Acolythi Ordinat. & apud Isidorum lib. VII. Orig. cap. 12. ut mittam Innocentium III. lib. I. de Myst. Missæ cap. 3. Alcuinum, Rabanum, Rupertum, Gerardum Cameracensem, aliosque recentiores. Insuper nonne pro cereis candelabra præparata fuerunt? Priscum itaque cereorum usum commonstrat *Pharus* Adriani, de quo Baronius ad an. 795. num. 15. & Anastasius item in Adriano, & *phari* alii, de quibus Walafridus Strabo, & Leo Ostiensis apud Altaserram in notis ad Silvestrum; necnon candelabra connumerata ab Anast. item in Silvestro sect. 36. Prætermitto cereorum, ac luminarium usum in mortuorum vigiliis: quorum vetustatem comprobant Acta Proconsularia S. Cypr. apud Ruinartium pag. 190. Sepulchrales lucernæ cum Christi monogrammate apud Bellorium, & Begerum num. 22. & seqq. Tandem etiam miracula ritus istiusmodi confirmarunt; nam Narcissum ut sacræ lucernæ arderent signo crucis aquam vertisse in olei pinguedinem refert Eusebius lib. VI. H. Ec., cap. 9. arsisse cereos in Pictavensi templo sine olei diminutione narrat Gregorius Turonensis in lib. de Glor. Mart. cap. 5. accensas lampades Romæ in Templo S. Agathæ lumine divinitus illatu scribit M. Gregorius in III. Dialog. cap. 30. At de iis plura Silvester Petrasancta Tom. II. de Sacris Rit. cap. 8. & in libro de Benedict. eruditus Gretserus.

IV.

Nonnulla dicamus & de thuris usu. Exempla ex veteri testamento deprompta occurrunt Exodi XXV. 1. XXX. 1. XL. 24. I. Reg. II. 27. & ex novo Lucæ I. 8. Apocal. VIII. 5. quamquam eo non utamur tanquam ceremonia Judaica, sed quatenus orationis symbolum est, ex Ps. CXL. 2. earumque virtutum, quarum gratia *Christi bonus odor sumus*, ex II. ad Corinth. II. 15. Significatum præterea in thure cultum Numinis, quod ultimo spectat religionis quilibet actus, vidimus lib. XXIX. disputantes de Magis. Antiquum vero in Ecclesia usum thus adolendi pertractantes de rebus Liturgicis demonstrant ex canone III. inter Apostolicos, ex Auctore Operis de Ecclesiastica Hierarch. cap. 3. ex Act. III. Chalcedonensis Synodi, & monumentis aliis, quæ legi poterunt apud Card. Bona lib. I. cap. 25. & Menardum in Sacramentarium Gregorii pag. 195. Digna est, quæ non prætermittatur, sententia beati Ambrosii lib. I. in Lucam num. 28. *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus adsistat Angelus, immo præbeat se videndum.* En apertum sacrificii nostri, ritusque hujus testimonium. Addo perantiqua thymiamateria, seu thuribula, quæ monstrant antiquissimum esse thurificationis usum. Inter vasa argentea tertio sæculo a S. Urbano comparata extitisse cochleare ad ingerendum thuribulo incensum, ostendit ex opere anaglyptico in not. ad Anast. Tom. 2. pag. 179. Blanchinus. Laudatus Anastasius in Silvestro sect. 36. inter dona facta a Constantino Lateranensi Basilicæ recenset *Thymiama-*

miamateria duo ex auro purissimo pensantia libras triginta: donum aromaticum ante altaria annis singulis libras 150. & sect. 38. scribit dono datum Basilicæ S. Petri *Thimiamaterium ex auro purissimo cum gemmis undique ornatum*. Meminit *thimiamateris* & Helgaudus in Roberto Francorum Rege. *Thuribulum argenteum* commemorat Leo Ostiensis lib. I. cap. 58. De illo Alcuinus Poemate III.

Hic quoque thuribulum capitellis undique cinctum,
Pendit de summo fumosa foramina pandens;
De quibus ambrosia spirabunt thura Sabaa,
Quando Sacerdotes Missas offerre jubentur.

Nec audiendi sunt hæretici opponentes quod I. Isaiæ 55. inquit Dominus, *Incensum abominatio est mihi*: aut quod ait Tertull. Apolog. XXX. mandasse nobis Deum orationem ac pudicitiam, *non grana thuris unius assis, non Arabita arboris lacrymas*. Siquidem per Isaiam testatur Dominus se oblationes & sacrificia aspernari, si manus offerentium *plena* sint *sanguine*, nec quiescant *perverse agere*; quemadmodum ibidem inquit Propheta, explicatque in Orat. III. contra Julianum Nazianzenus. Tertullianus quoque de iis agit, qui conscientiæ non curant inquinamenta, ac sola oblatione externa se purgari confidunt, eodem ritu odorem Arabiæ incendentes, quo a Gentibus immolatur idolis. Frustra itaque nituntur hæretici subvertere hisce argutiunculis inveteratas Romanæ Ecclesiæ consuetudines.

V.

Loquamur perpauca & de usu lustralis aquæ, de qua pag. 188. diximus quo sensu ab Hugone appelletur *Sacramentum*, & quo pacto vim habeat ad venialia peccata abluenda. Itaque dicta eo loci non repetam: nec dicam de lustrationibus veterum, aut Gentilium, aut Judæorum; cum non horum intuitu aqua aspergamur, nec insit nobis opinio hac aspersione castimoniam præstari: sed id exequamur, quoniam & interioris ablutionis est symbolum, & per Ecclesiæ preces sanctificata plurimum valet ad dæmonem expellendum, obtinendamque supernam benedictionem. Ergo aspersionem istam institutionis esse Apostolicæ demonstrarunt viri doctissimi, Baronius ad annum Christi 132. num. 3. Bona de Reb. Liturg. lib. I. cap. 20. Bellarm. lib. III. de cultu SS. cap. 7. Blanchinus & Altaserra in notis ad Alex. Tom. 2. Anall. pag. 83. Atque idquidem tradit Auctor Constit. Apostolic. lib. VII. cap. 44. Idem nos asserimus, quoniam comperimus sacram hanc adspersionem semper obtinuisse, nec primam institutionem invenimus. Nam Alexandri inter Romanos Pontifices septimi decretum non omnes putant genuinum, amandantque nonnulli inter supposita ab Isidoro Mercatore; & qui illud recipiunt, ita exponunt, ut Alexander non primus auctor fuerit hujus ritus, sed confirmator: quamquam revera auctorem faciant Scriptor libri Pontificalis, & Walafridus Strabo de Rebus Eccles. cap. 29. At lustralis aquæ meminere Synesius epist. 121. apud Menardum pag. 95. in Sacramentarium Gregorii, canon IV. Synodi Namnetensis, Thodoretus lib. V. cap. 21. Hist. Eccl. ubi etiam refert, a Marcello Apamenorum Episcopo sparsa aqua benedicta fugatos dæmones. Hieronymus in Hilarione 2. p. Tomi IV. pag. 80. narrat dissipatas ejusdem aquæ adspersione Ethnici aurigæ præstigias. Plura hujus generis mirabilia collegerunt citatis in locis Altaserra, Petrasancta, Gretserus. At Scriptorum nemo commemoravit ritum illum, tamquam sua ætate receptum, aut novum; ideoque ad nos ex Apostolorum traditione descendit. Mitto quæ de vasculis vitreis, & fictilibus ad usum lustralis aquæ repertis in cœmeteriis, cryptisque referunt Durantes, & Casalius; nam ea perpessi potius martyrii indicia esse, verisimilius existimavit Aringhus lib. I. cap. XXVII. num. 13.

VI.

Consequitur, ut dicamus de Eulogiis, aut Pane benedicto. De iis complures afferunt decretum Miltiadis, qui præcepit, ut oblationes consecratæ distribuerentur per Ecclesias, eas appellans *Fermentum*: sed probabilius est hic sacram Eucharistiam designari, *fermentum* dicta, non quod Ecclesia Romana consecraret fermentatum, ut persuasum permultis; sed quod fermenti præstaret vicem, & esset quasi vinculum unionis, sive quod ad occultanda mysteria extraneis, & obscuro vocabulo appellaretur. Verum de hoc fermento alibi. Consuevisse olim fideles in symbolum communionis invicem mittere Eulogias, constat ex XIV. canone Concilii Laodiceni, quo inhibetur, *ne sancta, instar Eulogiarum, in festo Paschæ ad alias Parochias transmittantur*. Illas etiam Catechumenis distributas haud obscure innuit Augustinus lib. I. de Peccat. meritis & remis. cap. 26. S. Paulinum pro Eulogiis misisse panem siligineum, & *buccellatum* Sulpitio Severo, Alipio, & Romaniano, ejusdem Paulini epistolæ I. XXX. & XXXVI. commonstrant. Hincmarus in Capitulis pro Presbyteris Parochiæ suæ conscriptis an. 752. jussit cap. 7. ut singulis Dominicis diebus post Missarum solemnia Eulogias acciperet quisquis communicare non esset paratus. Græci etiamnum his utuntur. Adeas Sirmondum de Azymo cap. 6. Albaspinæum lib. I. Observat. cap. 8. Cangium in Glossario, aliosque ibidem laudatos.

VII.

Restat, ut breviter pertractemus de Benedictionibus, quæ Hugo Victorinus inter Sacramentalia connumerat, ac primo de Benedictione cinerum. Significari iis contritionem, humilitatem, pœnitentiam, dictum supra; quare ut Deum placarent, consperserunt se cinere David, Esther, Judith, Ninivitæ. Hieremiæ hæc verba sunt cap. VI. 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere*. Excitatur & cinere mortis recordatio, unde ajebat Rupertus lib. IV. de divinis Offic. cap. 10. *Cinere capita nostra adspergimus, ut nostra nobis calamitas ad memoriam revocetur*. Cur ergo Hospinianus etiam in sacros cineres indignetur, eique plaudant Refractarii ceteri, causam ignoramus. Queritur Hospinianus inductum hunc ritum a Gregorio Magno, qui jejunio Quadragesimali addidit dies quatuor. Negat id Gretserus lib. 2. de Bened. cap. 39. quod sacrorum cinerum meminerit ante Gregorium Maximus Taurinensis, qui floruit circa annum 420. Honorio, & Theodosio juniore imperantibus. Addat qui cum Gretsero sentit, Sacramentarium Gelasii editum a Thomasio. Verum non sunt hæc auctoritatis omnino exploratæ: nam Maximo sermones aliqui fuerunt suppositi; Thomasius edidit Sacramentarium Gelasii quidem, sed exaratum paullo ante septingentesimum annum, ac Missa *in capite jejunii* fortassis adauctum. Faciliori ergo via occurremus Hospiniano, si cum Cajetano Merati Tom. I. p. 2. pag. 879. in Gavantum dixerimus, antiquitus publicos pœnitentes conspersos cinere, & hanc pœnitentium consuetudinem postea in communem esse transactam. Confirmat hanc sententiam canon 63. Concilii Agathensis, qui jubet, ut initio Quadragesimæ recipiantur pœnitentes cinerum conspersione. Requirunt ejusmodi pœnitentiæ symbolum Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, quorum testimonia profert cap. 61. Casalius. Quid denique consequeretur absurdi, si ætate nostra ritus idem primum obtinuisset?

VIII.

Vetustior videtur esse benedictio palmarum, etsi Martene vicesimo capite de Antiq. Eccl. discipl. obtinuisse scribat post octavum duntaxat sæculum. Sed revincitur Martenius, ut docti viri observarunt, ex Sacramentario Gregorii ejusque perantiquo Codice Reginæ Suecorum, in quo hujus ceremoniæ fit mentio, necnon ex vetustissimo Calendario edito ab ipso Martenio V. vol. Anecd. ejusdemque sententia ante quintum sæculum exarato; in quo pag. 72. notatur *Dominica in Palmas*, & statio *ad S. Joban. in Lateranis*. Plura sane ejusdem ceremoniæ mysteria; quorum primum est commemoratio triumphalis ingressus Salvatoris nostri in urbem Jerosolymam enarrati capite XXI. Matth. alterum vero pacis, & gratiæ, ad quam Dominica Pascha præcedenti pœnitentes, & baptizandi festinabant; unde ea dies in Ordine Romano appellata est *Dominica indulgentia*, & apud Alcuinum, aliosque, *Pascha Competentium*. Illius triumphi palmæ signa sunt, hujus autem pacis rami olivarum. Isidorus lib. XVII. Etym. cap. 7. appellat oleam *pacis insigne*: hujusque arboris ramusculum columbam portasse ad arcam narratur cap. VIII. 11. Geneseos. De civibus triumphantis Jerusalem legitur Apoc. VII. 9. *Et palma in manibus eorum*.

IX.

Commemorat deinde Hugo Victorinus Cereum Paschalem, cujus benedicendi ritum a Zosimo anno Chr. 417. ad Pontificatum evecto fuisse statutum inquiunt Sigebertus in Chronico, Leo Ostiensis lib. III. Chr. Cassin. cap. 31. & qui de Ecclesiæ ritibus erudite scripserunt, Amalarius, Rupertus, & alii. Sed optime observatum a Baronio ad an. 418. num. 17. & postea a permultis benedictionem Cerei Paschalis esse in Ecclesia Zosimo antiquiorem. Anastasius quippe, & Liber Pontificalis tradunt constituisse Zosimum, ut Cereus, qui accendi tantum solebat in præcipuis Basilicis, benediceretur in singulis quoque Parochiis: quod non est novum instituere ritum, sed veterem ampliare. Necessum ergo non est ad vetustatem ritus hujus vindicandam recurrere ad suppositam Hieronymo Epistolam ad Præsidium, alterius sane, & fortassis non unius hominis fœtum, ac modo rejectam in Appendicem Tomi V. Incertum quoque an de hoc cereo, an de ceremonia alia pertractet Prudentius in hymno, qui inscribitur, *Ad accensum lucernæ*, & videtur oppositum suadere idem titulus, judiciumque recentiorum. His fluxæ fidei monimentis omissis, confugimus ad ea quæ diximus de Zosimo, & ad Benedictiones Cerei hujus, quas Opusculo 9. & 10. profert Ennodius emortuus anno 521. & ad Hymnum de Paschali Cereo,

reo, quem hymnum v. sæculo conscripsit Drepanius Florus. Hi aliique pertractant de hoc ritu, tanquam in Ecclesiæ consuetudinem recepto ætate majorum. Nec receptus est nocturnorum officiorum necessitate, ut visum Tom. i. pag. 275. Claudio de Vert: quoniam ad hunc finem ceteris quoque per annum solemnitatibus Cereus ille fuisset accensus, nec luceret tantum a Paschate ad Ascensionem. Jure Vertius propterea vapulat ab Auctore Gallo §. 27. & a sapientissimo Pontifice notatione in Sabbatum sanctum 393. Accenditur itaque Paschalis Cereus ob mysterium Resurrectionis Christi, quemadmodum legitur cap. 9. Concilii Toletani iv. in quinto Labbeanæ Collectionis volumine, necnon ob Evangelicæ fidei, & gratiæ splendorem: quæ omnia venuste exprimit decantatum a Diacono *Paschale Præconium*.

X.

Proxime sequitur, ut disseramus de cereis imaginibus, quas vulgo dicimus *Agnos Dei*; nem improbus Hospinianus inquit in Apophoretis derivasse a sigillariis, quæ sibi invicem mittebant Romani Saturnaliorum festo; & apostata Vergerus nares corrugat, quoniam Romanus Pontifex pronuntiat ceram cum agno impresso (inquit ille prope finem Tomi i.) delere peccata, *ut sanguinem Christi*. Egit de Ritu ceras consecrandi etiam noster Penvinius: in quo refutant recentiorum doctissimi, quod ait invaluisse posteaquem desiit usus administrandi in Paschate solemnem baptismum, ideoque post nonum sæculum. At videtur mihi Panvinius asserere, quod *remansit* ritus ille sublato antiquiori, quo baptizatis dabatur *cera candidissima cum imagine Agni, confecta ex chrismate, oleo sancto, cereis Paschalibus*, & de solemniori ritu benedictionis pertractare, non de antiquiori institutione, quæ sæculo saltem v. vigebat. Ad id comprobandum protulit olim Vincentius Bonardus in Opusculo Itala lingua conscripto pag. 32. ceram sacram, sive *Agnum Dei*, repertam anno 1544. in sarcophago Mariæ Augustæ conjugis Honorii Imperat., quæ fatis cessit ante medium sæculum quintum. Utitur & hoc argumento BENEDICTUS XIV. in absolutissimo Opere de Canon. SS. Tom. iv. p. 2. cap. 20. num. 12. Hinc tamen hæreticus Munsterus in Cosmographia occasionem erripuit cereas has iconculas explodendi, quod adinventa in eo sarcophago scriptum haberet in peripheria, *Maria nostra omnium pulcherrima*. Gretserus lib. 2. de Bened. cap. 36. respondet Munsterum decipi, nec imaginem fuisse ceream, sed auream, quæ a Surio *Agnus Dei* dicta sit ob figuræ similitudinem. Corrueret, si ita foret, argumentum Bonardi, probatum a sapientissimo, eruditissimoque Pontifice; nisi ex Bonardo ipso, necnon ex Raynaldo ad annum 1544. num. 43. constaret auream laminam inscriptam quorumdam Angelorum nominibus fuisse distinctam ab imagine cerea, & inscriptionem non ceræ, sed torqui incisam, *Maria nostra clementissima*, non ut scribit Munsterus, *pulcherrima*. Refutatur hoc pacto hæreticus, & persilit argumentum nuper productum de istius ritus antiquitate: de quo plura eo loci Bonardus, & Orat. i. Joannes Molanus. Porro imagines *agni* factæ ex cera pura & virginea symbolum sunt agni immaculati Christi Jesu absque ulla contagione ex Virgine procreati, quemadmodum ait in litteris ad Paschalem Ciconiam Ducem Venetiarum Romanus Pontifex Sixtus V. Pertractarunt de Miraculis per *Agnos* istos patratis Casalius, Gretserus, Petrasancta, Carolus Dufresne, præsertim vero iv. Vol. præcitato p. 2. cap. 5. Summus Pontifex BENEDICTUS, collectis undique Scriptorum testimoniis, egregiisque carminibus: nec aliquid ego sobjiciam, memor veteris adagii, *In sylvam ne ligna feras*. Respondendum tantummodo Hospiniano, & Vergerio, idque brevissime. Baronii sententia est, *Christianos ex Bullis Ethnicorum, quas parvulis suis fascini avertendi causa appendebant, occasionem sumpsisse ut recens baptizatos Bullis, sed sacris, insignirent, superstitione in religionem mutata*. His ergo *agnis* abolita est juxta Baronium, non confirmata superstitio Gentilium amuleta bullasque gestantium: nec nobis tantum, sed primorum quoque sæculorum fidelibus perperam superstitionis crimen objicitur. Vergerus autem splendidissime mentitur: *agnos* enim, de quibus sermo est, symbolum esse Christi, qui nos proprio redemit sanguine, recte nos cum Romano Pontifice asserimus: et *agnis* iisdem virtutem sanctificandi nequaquam tribuimus, non solum *meritoriam* illam, ac summam, quæ est in Christi morte, sed nec *instrumentalem*, quam propugnavimus in Sacramentis.

XI.

Dicam tandem de benedictione candelarum in festo Purificationis B. M. Virginis: nam de ceremoniis reliquis ad calcem consequentium librorum est pertrectandum. Repetunt quidam hunc ritum a Sergio Romano Pontifice, qui Cononi successit anno 687. sed Sergius tantum statuit, ut ea die haberentur Litaniæ: ante Sergium vero de hoc ritu ac festo sermonem instituerunt Sophronius Jerosolymitanus, Idelphonsus Toletanus, & Eligius Noviomensis Episcopus. Quidam cum Baronio in Notis ad Martyr. Romanum hujus ceremoniæ auctorem faciunt Gelasium, qui successit Felici III. anno 492. et ducuntur ea ratione, quod Gelasius sustulerit Lupercalia, ut constat ex erudito ipsius Commentario adversus Andromachum tom. iv. Conciliorum. Et quidem Lupercalia facta Februario mense consentiunt omnes: immo ab his dici *Februarium* scribit S. Pater Augustinus lib. xviii. contra Faustum cap. 5. est enim *februare* idem, ac *lustrare, expiare, purum reddere*: Lupercalia vero idem, ac lustrationes, quibus pelle hirci, vel capræ dissecta urbs lustrabatur, lorisque inde factis cæsæ mulieres, opem ferente Junone, facilius concipere, & parere credebantur. Sed quamquam Baronio subscribant cum Sandino in Hist. Fam. Sacræ viri e-lit litteratissimi: refellitur hæc sententia ex quo Gelasius scribat quidem adversus Lupercalia, sed de Purificatione Virginis, candelarumque benedictione nullam mentionem faciat: ex quo Lupercalie die Februarii decimaquinta celebrarentur: ex quo denique nihil sit in sacra ceremonia, de qua loquimur, respondens ritibus Lupercalium. Addit Menardus pag. 42. in Sacramentarium Gregorii, non a *Februis Lupercorum* dici Februarium, quemadmodum ait Augustinus; sed a *Februo*, idest, Plutone, in cujus cultum Ethnici accensis cereis lustrabant urbem. Verum hac in re animadvertendum erat viro doctissimo Plutonem appellatum *Fabruum*, quatenus præesse credebatur *februationibus*, ideoque posse cum Isidoro repetante nomen Februarii e *Februo* lib. v. Orig. cap. 32. conciliari Augustinum scribentem adversus Faustum dici Februarium *a Februis sacris Lupercorum*. Quod si discrimen inter Isidorum & Augustinum est aliquod; certe potior est Augustini sententia, quam tradiderat Festus apud Rosinum lib. iv. Antiq. cap. 6. necnon Ovidius in ii. Fastorum:

Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci
Omne solum lustrant, idque piamen habent.

Non evertit ergo sententiam Baronii, nec forte corroborat, mensis Februarii vocabulum. Tandem Menardus ipse, noster Angelus Rocca Tom. i. pag. 214. aliique permulti, a quibus non dissentit Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. Not. in Festum Purific. 26. verisimilius putant institutam ceremoniam hanc adversus lustrationes *Amburbales*, eas scilicet, quibus Ethnici ut justa persolverent Diis Manibus urbem accensis facibus februabant. His subscribo, primum quia hæ lustrationes, quamvis non haberent præstitutum diem, quod opponit Sandinus, fiebant tamen initio mensis, & Lupercalia, ut diximus, die tantum xv. Deinde quia apparet inter sacram hanc ceremoniam, & lustrationes illas *amburbales* oppositio, quæ non dignoscitur in februis Lupercorum. Præterea quia id affirmant Rabanus lib. 2. de Instit. Clericorum cap. 33. & Innocentius III. serm. i. de Purif. Rabanus quidem scribit institutam hanc ceremoniam adversus lustrationes Februo sacras, & Innocentius adversus cultum Cereris, quæ fertur accensis facibus quæsisse raptam a Plutone Proserpinam, sed adverti paullo supra Plutonem, Februum, Deumque lustrationum esse unum eumdemque, ut observat Rabanus ipse, traditque Servius in primum Georgicorum. Sed de ritus institutione satis dixi. Candelas accensas ferimus, ut sicut Simeon excepit in ulnis suis puerum Jesum, agnovitque superna illustratione latentem in eo majestatem; ita nos cereum gestantes, carnis fragilis ac labentis symbolum, supernum gratiæ lumen imploremus; atque ut imitemur prudentes Virgines, & lampade castitatis accensa advenienti Sponso occurramus. Attulit priorem hujus ritus rationem Ivo Carnotensis serm. de Purif. & Rupertus lib. iii. de Div. Off. cap. 25. alteram cap. 81. Joannes Belethus. Explicui tricesimum librum. A Puero, quem præsentavit in templo, impetret mihi Deipara sapientiæ lumen flammamque caritatis, ut digne & caste prosequar, absolvamque libros proximos de SACRAMENTIS.

SCHOLION.

„ DE cæremoniis ritibusque, qui observari solent in Sacramentis administrandis, valere etiamnum arbitramur, quod olim mandavit Dominus filiis Israel capite Exodi xii. 25. *Cumque introieritis in terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas*: nimirum religiose esse exercendas, etiamsi aliquando, vel in angustiis, vel in regionibus infidelium nequeant custodiri, quo modo Hebræi solemni ritu, ac palam celebrare præscriptas sibi solemnitates non poterant captivi in Ægypto, & peregrinantes in solitudine. Atque eo diligentiori cura sacræ cæremoniæ sunt observandæ, quod Ecclesiæ, & religionis, quam profitemur, tessera quædam sunt, & character, proculdubio inspirante numine institutæ. Iis enim a paganis, sectisque hæreticorum secernimur: quibus nos irridentibus, atque de illarum uso interrogantibus, expedite respondebimus, a nobis servari Romanæ Ecclesiæ, cui maximo Dei beneficio sumus addicti, instituta atque

„ con-

consuetudines. Ad hunc enim modum citato cap. 12. jussit Deus Hebræis ut responderent Ethnicis petentibus, *Quæ est ista religio?* illos a se ritus teneri, ut significarent pertinere se ad populum, quem liberavit Dominus de Ægypto.

Quamvis autem multæ causæ instituendi sacras cæremonias assignari possint; ea tamen præcipua est, quam tradit sacrosancta Tridentina Synodus sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 5. docens ipsas cæremonias eo fine ex disciplina, & traditione Apostolica adhiberi, *Quo & majestas sacramentorum commendetur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitentur*. Addit eo loci Synodus Œcumenica hanc rationem, propterea quod natura hominis ea est, *Ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli*. Alia profertur ratio, quam ex Augustino, & Concilio IV. Toletano producit Franciscus Sylvius in 3. p. q. 71. & quæ dictis plurimum cohæret, nempe, ut fideles ab infidelibus distinguantur.

Unde *Cæremonia* nomen derivatum sit, inquirunt aliqui: a *Cære* alii repetunt Etruriæ urbe, quæ Gallico bello furente Vestales & res sacras servavit: a *Cerere* alii, in cujus honorem *Cerealia* fuerunt antiquitus instituta: quidam a *Cælo*, quasi in his mysteria sculpta cernantur, aut priori mutata littera, a *Gero*, eo quod ostendant sacris ministris modum sese in muneribus sacris gerendi: nonnulli a nomine *Cerus*, quod veteri lingua denotat *sanctum*: aliqui demum a *carendo*, quod observantes careant rebus, a quibus abstinent; iis missis, qui vel a verbo Hebræorum *Cherem*, vel a Græcorum *χαίρειν cæremoniæ* nomen deducunt. De his vero Grammatici, & qui de Etymologiis, verborumque significatione pertractant, necnon in Lexico Juridico Jo. Calvinus, & S. R. E. Cardinalis Bona cap. 19. divinæ Psalmodiæ §. 3.

Solent sacras Cæremonias passim reprehendere Novatores cum Luthero, Calvino, & Chemnitio, quos refellit Ven. Bellarminus lib. 2. de Effectu Sacrament. cap. 3. & seq. repellendo ipsorum hæreticorum convicia. Hi enim temere ac mendaciter autumant, probari a nobis ritus, qui pugnant cum Dei verbo: tribui cæremoniis virtutem & efficaciam Sacramentorum, quam tamen ipsi nullam agnoscunt, nisi propter fiduciam suscipientium: anteponi humana commenta divinis præceptis; aliaque id genus absurda, quæ eadem facilitate a Theologis Catholicis exploduntur, qua objiciuntur ab Heterodoxis. Cæremonias enim non ideo observandas esse putamus, quod Sacramentis vim, & efficaciam impertiantur, neque ut divinis institutis verbo Dei scripto, vel tradito adversemur; sed ut sacra peragantur mysteria cum majori pompa ac decore; siquidem compertum est defendi e nobis validitatem Sacramentorum, etiam cæremoniis neglectis; nobisque persuasum est cæremonias complures ad nos ex Traditione Apostolica pervenisse, multas esse institutas ab Ecclesia, cujus potestatem non excedit pro temporum, & locorum varietate, statuere, ac immutare ea, quæ tantummodo pertinent ad disciplinam.

Interim cum Cæremoniæ sancte, & salubriter observentur; nulli fas est absque gravi piaculo illas, præciso necessitatis casu, negligere, aut prætermittere. Hoc definitum est a prælaudato Tridentino Concilio in illo 13. canone sessionis septimæ: *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Huc spectat professio illa fidei, quod omnes ad Ecclesiasticos gradus, & ad sacram doctrinam tradendam Christiano populo promovendi, tenentur Apostolicis Constitutionibus emittere, & jurejurando firmare, *Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto*. Eo etiam pertinent *Ritualia*, sive, ut vocari etiam solent, *Manualia*, post absolutam Tridentinam Synodum ab Episcopis pro recto commissarum sibi Ecclesiarum regimine concinnata; inter quæ servienti Romanæ Ecclesiæ præfationem addidit summus Pontifex *Paulus V.* jussitque, ut ad ejus præscriptum sacri ministri *sua ministeria tanquam ad publicam & obsignatam normam peragerent, unoque ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum consensu*. Quoniam autem Ecclesiasticæ leges, Romanorumque Pontificum sanctiones, in iis præsertim, quæ ad sacra pertinent ministeria, conscientiam omnium fidelium, maxime Ecclesiasticorum, obstringunt inviolabili nexu, ac præterea dum agitur de sacrarum cæremoniarum usu, agitur de re spectante ad majestatem divinorum mysteriorum, & ad communionem, perfectamque in iis, quæ ad dogmata & disciplinam referuntur, omnium fidelium, membrorumque sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ arctissimam unitatem; intelliget unusquisque, cum eos, qui ritus & cæremonias, de quibus dissertatio instituitur, omittunt & negligunt, tum illos, qui cum possint & debeant agnoscere, nesciunt, nec student addiscere, non levi crimine ob irreligiosum contemptum, & ignorantiam culpabilem inquinari.

Nec audiendi sunt hæretici homines, qui nobis opponunt epistolam S. P. Augustini ad Januarium, asserentis eos, qui novos ritus introducunt, *ipsam religionem, quam paucissimis, & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premere, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur*: & ulterius opponunt, *Romanenses* cæremoniis suis tollere discrimen illud, quod voluit Deus esse inter Christianos & Judæos. Non, inquam, talia objicientes audiendi sunt. Enimvero S. Pater apertissime ait resecandas esse privatas illas, & pro libitu inductas cæremonias, *quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Conciliis Episcoporum statutæ inveniuntur, nec consuetudine Ecclesiæ universæ roboratæ sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur*. Atque hæc Augustini doctrina, qua improbatur introductio novorum rituum, facta cujusvis arbitrio, & contra morem Ecclesiæ, allato superius canoni Tridentinæ Synodi omnino cohæret. Discrimen vero inter *Legem* & *Evangelium* est maximum, quod istud ad exteriorem cæremoniarum usum addit interiorem spiritum gratiæ; sicut magnum est discrimen inter Judæos, & paganos, licet utrique exteriora, & sensibilia adhibeant religionis suæ signa; quoniam illi vero Deo, hi dæmonibus immolant; ut Augustinus libro 20. contra Faustum cap. 4. respondet Manichæis.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRIGESIMUS PRIMUS,

In quo pertractatur de Sacramento BAPTISMI.

FELIX SACRAMENTUM AQUÆ NOSTRÆ, ajebat Tertullianus de Baptismo adversus Quintillam pertractaturus. Et revera ab ipsa rerum creatarum origine prænuntiata fuere Sacramenti hujus præstantia, necessitas, effectus, utilitas; nec elementum est ullum, quod amplioribus divinorum beneficiorum symbolis fuerit cumulatum. Principio enim temporum Spiritus Dei *in auriga modum* ferebatur super aquas, & nascentem mundum *in figura baptismatis* parturiebat, inquit scribens ad Oceanum Hieronymus. Cæli deinde ab aquis sortiti vocabulum; aves, quæ ex aqua egressæ de terra levantur in aerem; fons e Paradiso in quatuor flumina erumpens, & amaras aquas mortuasque vivificans; purgatus mundus dilavio, expulsoque alite teterrimo volitans super aquas columba, orbique pacem annuntians; Naaman aquarum fluctibus mundatus a lepra; Bersabee civitas juramenti, regnumque Salomonis, quod nomen sumpsit a fontibus; inventa ad puteum Rebecca; Rachel propter aquas Supplantatoris osculo salutata; Præcursor Domini juxta Salim, fontesque aquarum præparans plebem Domino; Salvator lavacro suo sanctificans fluenta Jordanis; patratum ab illo primum signum ex aquis ad nuptias; Samaritana ad puteum vocata; colloquium cum Nicodemo de nova *ex aqua & Spiritu sancto* nativitate; latus Christi percussum lancea, & baptismi mysteria fundens: hæc, inquam, aliaque innumera commonstrant satis hujusce Sacramenti virtutem, confirmantque brevem illam, gravissimamque laudationem, *Felix Sacramentum Aquæ nostræ*. De hoc itaque Sacramento, quo renascimur, abluimur, divini Spiritus participatione donamur, & de antiqua peccati propagine in novam generationem transimus, facti nova creatura novumque figmentum, aggredior Theologicam dissertationem argumenti dignitate, rerumque amplitudine perutilem, ac perjucundam; in qua exornanda quid operis studiique insumpserim, non ego fastidiose recenseam, facile tamen dignoscet lector: quem illam non modo patienti, sed etiam libenti animo excepturum fore confido.

CAPUT I.

De Baptismatis vocabulo, significationibus, definitione, atque origine.

PRimum ergo Sacramentorum novæ Legis est *Baptismus*: cujus etymologiam, ac significationem nominis primum investigabimus: atque ut pervulgatis disquisitionibus non solum pertenuis eruditionis nostræ lacinias assuere, verum etiam prætermissas a Scholasticis quæstiones curemus intexare, expendemus etiam scitum Socini contendentis baptismo nihil significari præter institutionem atque doctrinam. Videbimus præterea an Baptismi origo, quatenus est Sacramentum, quo Ethnici in novam religionem, Ecclesiamque deducuntur, derivatum sit ex Hebræorum statutis, siva num etiam apud Judæos proselyti mystico quodam lavacro initiarentur, ut post Maimonidem tradidere complures Hebraicarum antiquitatum Scrutatores; inter quos Joseph de Voisin de Lege Divina cap. 6. pag. 23. Lightfootus in Harmon. Evang. pag. 447. & in Horis Hebr. 265. & lib. III. de Ingen. moderat. cap. 2. omnigena eruditione excultus Lamindus Pritanius.

Itaque *Baptisma* Græcum vocabulum est a *βαπτίζειν*, quod idem est, ac *mergere*, signatque medium aliquid inter *ἐπιπολάζειν*, *leviter innatare*, ac *δύνειν*, *pessum ire*, sive ad exitium seu fundum petere, ut ex Vett. Glossis ad calcem Cyrilli tradunt Henricus Stephanus, Vulcanius, & Vossius. Ampla ergo, & lata significatione *baptizare* idem notat, ac *lavare*; & quemadmodum apud Hebræos טבל *mergere* frequenter accipitur pro רחץ *lavare*, ita apud Græcos *τὸ βαπτίζειν* idem significat, ac *abluere*. Occurrunt exempla Judith XII. 7. *Baptizabat se in fonte aquæ*. IV. Reg. V. 14. *Descendit, & lavit* (*ἐβαπτίσατο*) *in Jordane septies*. Lucæ XI. 38. *Quare non baptizatus esset ante prandium*. Nec aliter accipiendum est verbum *βαπτίζειν*, ubi in sacris literis fit mentio ablutionum legalium, ac *baptismatis*, idest, lotionis *calicum*, *urceorum*, *æramentorum*, *lectorum*, Marci VII. 4. & ad Hebr. IX. 10. Hinc Pharisæi, qui crebris utebantur mersionibus, sectam, aut hæresim constituebant, quam in Dialogo cum Tryphone pag. 307. appellat Justinus *Φαρισαίων βαπτιστῶν*, *Pharisæorum Baptistarum*. Ab his Epiphanius h. XVII. distinguit hæresim Ἡμεροβαπτιστῶν, *Hemerobaptistarum*, qui quotidie lavabant, ac sese aquis abluebant, ut se ab omni crimine purgarent. De his etiam in Constit. Apost. lib. IV. cap. 6. pag. 333. Ἡμεροβαπτισταὶ δὲ, τινὲς καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσιν, ἀλλὰ καὶ τὰς κλίνας, καὶ τοὺς πίνακας ὅτι κρατῆρας, καὶ ποτήρια, καὶ καθίσματα ἐὰν μὴ καθαρίσωσιν ὕδατι, οὐδὲ χρῶνται. *Hemerobaptistæ, qui quotidie, nisi abluant se, non comedunt, imo & lectis, catinis, crateribus, poculis, & sedilibus, nisi aqua purgaverint, nullatenus utuntur*. Ceterum liquet ex præcitato cap. VII. Marci etiam Pharisæos omnes has lotiones adhibuisse, imo nonnullos, ut puriores viderentur, sæpius, non singulis tantum diebus, sed etiam noctibus: quod suis in Marcum Comment. ex Josepho notavit Grotius.

A significatione verbi *βαπτίζειν*, quatenus idem est ac *mergere*, promanarunt tres aliæ significationes, *plurimum affligi*, *pœnitere*, *martyrio affici*: unde apud veteres *baptismus* appellantur calamitas, pœnitentia, martyrium, ducta inde comparatione, quod sicuti corpus aqua, ita animus mergitur pœnarum gurgite; aut quemadmodum in baptismate aquis, ita in pœnitentia lacrymis, atque in martyrio sanguine perfundimur. De afflictionum & martyrii baptismate inquit Dominus Lucæ XII. 50. *Baptismo autem habeo baptizari*, idest, pati, affligi, omnique suppliciorum genere affici: unde in hunc locum Theophylactus pag. 419. Βάπτισμα δὲ τὸν θάνατον αὐτοῦ λέγει, *Baptisma autem mortem suam dixit*. Et Marci X. 38. ait Christus: *Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* quo item in loco omnes teterrimam trucemque mortem intelligunt. Calamitates sibi ab hostibus invidisque illatas comparat aquarum gurgitibus sanctus David Psal. XVII. 17. & LXVIII. 2. Hunc postremum locum Augustinus n. 3. egregie exponit de Christi acerbissimis cruciatibus. Præsertim vero martyrium baptismati comparatur ob similitudinem, quæ est inter aquam & sanguinem, & ob virtutem, quam etiam baptismus habet remittendi peccata. De comparatione inter baptismum aquæ, & baptismum sanguinis agit in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 61. in Appendice Tom. VIII. Operum Augustini, Gennadius Massiliensis: de virtute autem baptismatis, ac martyrii nos etiam hoc in libro. Audiatur tantum hic Prosper Epigrammate 87. Tom. VIII. Biblioth. PP. pag. 95.

Fraudati non sunt sacro baptismate Christi
Fons quibus ipse sui sanguinis unda fuit.
Et quicquid sacri fert mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria martyrii.

Pœnitentia pariter a Nazianzeno Orat. XXXIX. sive, *in sancta Lumina*, pag. 643. appellatur, *τὸ διὰ δακρύων βάπτισμα*, *lacrymarum baptisma*, quoniam & hæc si vehemens sit, & conjuncta flagrantissimæ caritati, eluit peccati sordes. Quare de Magdalena cecinit lib. IV. vers. 79. Sedulius presbyter:

Ex polluta diu, modicum purgata recessit
Per gemitum, propriique lavans in gurgite fletus,
Munda suis lacrymis redit, & detersa capillis.

Adhibetur præterea *Baptismi* vocabulum ad significandam remissionem peccati, donationem Spiritus sancti, divinorumque donorum affluentiam: quo sensu non tantum dicimur mundari aqua, verum etiam baptizari Spiritu sancto, & igni, Act. I. 5. & Matth. III. 11. Comparatur autem virtus Spiritus sancti *igni*, ob vim purgandi efficacissimam, veterumque noxarum consumptricem, nec non ob figuram linguarum ignearum, quibus in die Pentecostes Apostolis illapsus est. Vide vaticinium Isaiæ IV. 4. Chrysostomum Hom. XI. in Matth. pag. edit. Commel. 103. Augustinum serm. LXXI. de verbis Evang. num. 19. alias XI. de Verbis Dom. cap. 12. nec non Barthium lib. V. Adversariorum cap. 2. Præclara est etiam similitudo Panis, qui aqua & igne perficitur, quam protulit Dux Catholicus Sebastianus, dum Gothorum Rex Gensericus eumdem solicitaret, ut unam secum religionem iniret, *Quemadmodum*, inquit, *hic panis, ut ad sum-*

tum honorem ascenderit aquæ & ignis beneficio consecutus est; sic ego aqua sancti baptismatis, & igne Spiritus sancti ad decus hominis Christiani perveni. Quod si effeceris, ut panis hic combustus, itatumque mollitus, atque tacollus melior evadat, tum ipse faciam quod hortaris. Vide Sigonium prope finem libri XII. de Occidentali Imp. pag. edit. Francf. 208.

Præter has vero significationes, præcipue *baptismus* significat *Sacramentum regenerationis per aquam*, sive lavacrum, quo a peccatis abluimur, & renovamur spiritu: de quo Christus Joannis III. 5. ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* ac Paulus ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.* Hujus autem baptismatis, cujus typum prætetulit diluvium Noeticum, in quo perierunt peccatores, ac mare rubrum, per quod pertransiit populus Israel, id nos docentibus Apostolorum principibus, Petro 1. Epist. III. 21. & Paulo 1. ad Corinth. x. 2. tanta est dignitas & excellentia, ut illum præclarissimis titulis Scriptura, Patresque insignierint. Nam quod in baptismate fidem sanctæ Trinitatis profiteamur, consepeliamur Christo, mundemur e culpa, atque spiritu vitæ innovemur; hunc Baptismum appellamus *Sacramentum fidei, sepulturam veteris hominis cum Christo in mortem, ablutionem peccatorum*; quæ nomina passim occurrunt in Paulinis Epistolis: necnon *Illuminationem, unctionem Spiritus sancti, indumentum incorruptionis, sigillum, & arrham hæreditatis*; quorum nominum rationem paucis complexus est oratione *in sanctum lavacrum*, Tom. I. pag. 638. Nazianzenus scribens: Καλεῖται δὲ ὥσπερ Χριστὸς ὁ τούτου δοτήρ, πολλοῖς τε καὶ διαφόροις ὀνόμασι. Δῶρον μέν, ὡς μηδὲν προεισενεγκοῦσι διδόμενον. χάρισμα δέ, ὡς καὶ ὀφείλουσι. βάπτισμα δέ, ὡς συνθαπτομένης τῷ ὕδατι τῆς ἁμαρτίας. χρῖσμα δέ, ὡς ἱερὸν καὶ βασιλικόν, τοιοῦτοι γὰρ οἱ χριόμενοι. φώτισμα δέ, ὡς λαμπρότης. ἔνδυμα δέ, ὡς ἀδοξίας κάλυμμα. λουτρὸν δέ, ὡς ἔκπλυσις. σφραγὶς δέ, ὡς συντήρησις, καὶ τῆς δεσποτείας σημείωσις. Videlicet, *Appellatur autem, quemadmodum Christus ejus dator, multis diversisque nominibus: Dicitur donum, quia iis qui nihil prius contulerunt datur: Gratia, quia etiam debentibus: Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur: Unctio, quia sacer & regius; hujusmodi enim erant qui ungebantur: Illuminatio, quia splendor, & claritas: Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est: Lavacrum, quia abluit: Sigillum, quia conservatio est, ac dominationis significatio.*

Ex quo Baptismus dicatur ob protestationem fidei in Christum *Sacramentum fidei*, & ob charismata Spiritus sancti *Illuminatio*; ausi sunt Socinus, & Ostorodius comminisci nomine *baptismi* in sacris literis significari institutionem doctrinamque Evangelicam, ita, ut baptisma Joannis nihil fuerit aliud, quam ipsius prædicatio: & præceptum Domini Matt. XXVIII. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes, &c.* nihil sonet aliud, quam, *Ite prædicate, docete, imbuite fide*: hac enim interpretatione præmissa facilius viam sibi sterni prævidit Socinus ad negandam baptismi necessitatem, atque ad asserendum, quod *baptizari aqua* idem sit, ac *fidem Christi palam testari*, quod vel usitata baptismatis ceremonia fieri potest, vel alia qualicumque ratione. Ne itaque hunc errorem, unde promanant pestifera alia dogmata, absque infixo *theta* prætermittamus, hoc in loco demonstrandum est turpiter Socinum allucinari, cum absurdo, ac plane inusitato sensu unum idemque esse contendit doctrinam, atque baptismum. Ac primum cedo, qui profanorum, sacrorumque Scriptorum acceperit *baptismi* vocabulum in alio sensu, quam ad immersionem, intinctionem, ablutionemque signandam, ac *baptisterium*, quam ad commonstrandum tinctorium in cellis frigidariis, aut caldariis constructum, vel locum illum, in quo regenerationis lavacrum administratur. Cum vero nos passim Socinus objurget, propterea quod interdum spreto literali sensu ex Patrum testimoniis requirimus Scripturarum intelligentiam, cur modo ipse cudit e proprio cerebro tam absurdam significationem vocabulorum, communi planissimaque rejecta? Deinde si baptismus Joannis idem erat, ac illius doctrina; quomodo Jerosolymitæ *baptizabantur ab illo in Jordanis flumine?* Marci I. 5. Quomodo idem Joannes ait ib. 8. *Ego baptizavi vos aqua?* Præterea Joannem ipsum baptizasse *in Ænnon, juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & baptizabantur*, legitur Joan. cap. III. 23. Quamvis ergo Joannes prædicaret pœnitentiam, & hæc etiam culpam abluat, habeatque cum exteriori lavacro quamdam *analogiam*; baptismum tamen Joannis non fuisse ritum ac ceremoniam ab ejus prædicatione distinctam nemo dicet, qui audacter negare velit aquam esse aquam, Jordanem Jordanem, rivos rivos, idest, qui insanus non sit, ac delirus.

Idem evincitur ex persona Christi, qui Matth. III. 13. Marci I. 9. Lucæ III. 21. *baptizatus est a Joanne*: neque dici potest eo sensu *baptizatus*, quasi imbutus doctrina, non tinctus aqua; enimvero Marcus eo loci inquit, *Baptizatus est a Joanne in Jordane, & statim ascendens de aqua, &c.* ac Matthæus notat principio Joannem obstitisse ne Dominum tingeret, mirabundus, ac dicens, *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* sed tamen ad Christi responsionem acquievisse: quare non Baptista Dominum, sed Dominus Baptistam docuit. Quis enim dixerit Unigenitum, *qui est in sinu Patris*, e famulo rudimenta accepisse? Baptismus ergo non est doctrina; quoniam etiam Salvator, qui doctrinam habet a Patre, Joan. VII. 16. baptismum accepit a servo. Præterea dicitur quidem Christus baptizasse, Joannis III. 22. sed non per se id, communiter saltem, peregit, scribente eodem Evangelista proximo cap. IV. 2. *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*; quo demonstratum est Apostolos fuisse ministros Christi, & hunc longe præstantiorem Joanne, qui propria manu tingebat, ut in libro de Baptismo animadvertit Tertullianus. At Jesum omnes proprio ore docuisse testatur historia Evangeliorum universa: ac ideo *baptizare*, ac *docere* diversum sonant; cum per se non baptizet, qui per se docet. Ad hæc nisi baptismus aliquid sit a doctrina distinctum, cum Dominus ait discipulis Mat. XXVIII. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos*, & Marci XVI. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, non rhetoricam locutionem adhibuisset, ut inquit Socinus, sed insulsam, ac puerilem ταυτολογίαν; dixisset enim, *docete, & docete: qui crediderit, & crediderit.* Ex iisdem quoque locis constat gentes prius docendas, postea credituras, deinde tingendas baptismate; & consequenter doctrina præcedens fidem non est baptismus, qui fidem subsequitur.

Confirmatur eadem veritas ex doctrina, gestisque Apostolorum. Etenim Paulus 1. ad Corinth. I. 16. 17. ait, *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*; & cum plurimos docuerit, affirmat se baptizasse tantum Crispum, Cajum, & Stephanæ domum: quod sane falsum esset, si inter baptizare & evangelizare nullum interesset discrimen. In Actis quoque Apostolicis II. 38. dictum a Petro quibusdam jam credentibus, & compunctis corde, *Baptizetur unusquisque vestrum*: & VIII. 12. legitur, *Cum ergo credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* En aperte baptismus fidem, ideoque Evangelii doctrinam ac prædicationem subsequitur. Eodem capite versu 36. Eunuchus, cui Philippus evangelizaverat Jesum, cum venissent ad quamdam aquam, ait: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* His forte reponet Socinus in Baptismo aquæ profiteri Neophytos fidem Christi. Verissimum id est; symbolum enim recitant, ipsaque baptismi *forma* continet sanctæ Trinitatis invocationem: verum nec baptizari est fidem utcunque profiteri, sed aqua tingi, vel mergi in remissionem peccatorum.

Hinc Socinianorum permulti tenent præcipi revera in sacris literis baptismum verum ac proprium, & hunc retinendum esse, & perpetuo in Ecclesia servandum. Slichtingius enim in 1. ad Corinth. ad ea verba, *Aut in nomine Pauli baptizati estis*, inquit: *Docemur etiam hoc Apostoli loco, Baptismi ritum in Ecclesia retinendum esse, quo sciant omnes in cujus nomen initiati sint.* Wolchelius lib. VI. de vera Rel. cap. 6. ait utique baptismum esse publicum Christianæ professionis symbolum, sed, *per intinctionem in aquam*: & Ludovicus Wolzogenius in cap. XXVIII. Matth. v. 19. scribit, *Baptismum esse medium, quo Apostoli uti debebant ad faciendos discipulos: inter Judæos quoque fuisse receptum, ut qui ex Paganismo in Judaicam religionem transibant, aqua baptizarentur, quo signo profitebantur, quod sicut sordes corporis aqua abluuntur, ita ipsi quoque conversi ad Deum velint omnem idololatriam abjicere: hunc ritum præcepta Christi servandum in omnibus fidem in ipsum suscipientibus: Baptismi nomen per synecdochen partis prædicationem quidem Evangelii complecti, sed signare etiam ritum illum a Christo præscriptum, & qui prædicationem Evangelii consequi debet.* Hæc Wolzogenius: in quibus licet illud absurdissimum sit, quod cum Socino asserit baptismum aquæ esse nudam ceremoniam, qua palam fidem Christi testamur, agnoscit tamen ceremoniam ipsam ab Evangelica doctrina distinctam, & in Ecclesia Christi institutione servandam.

At opponit Socinus: Apostolus ad Galatas III. 27. ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ad Hebr. VI. 1. 2. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis manuum, &c.* Petrus etiam Epist. 1. cap. III. 21. *Quod vos*, inquit, *nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Ex quibus verbis perspicuum est Petrum *baptismatis* nomine, non aquæ baptismum intellexisse, sed aliud omnino baptismi genus, doctrinam scilicet Evangelicam.

Verum nescio quid sibi velit hisce testimoniis Socinus. Nam prioris loci apertissima est expositio, eos scilicet, qui baptizantur, exuere veterem hominem, & induere novum, *qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*, ut ait idem Apostolus ad Ephes. IV. 24. quare citata verba commonstrant salutarem effectum baptismi, idest, abolitionem peccati, & spiritus renovationem,

Chri-

Christum enim *induere*, juxta Paulinam phrasim, est Christo sanctitate & justitia conformem fieri, ad Rom. XIII. 14. Recte Chrysostomus Tom. 2. in Paulum pag. 1006. *Etenim si Christus est filius Dei, tu vero illum induisti, in illum per similitudinem transformatus es, &c.* οἱ γὰρ Χριστὸς υἱὸς τοῦ θεοῦ, σὺ δὲ τὸν αὐτὸν ἐνδέδυσαι τὸν υἱὸν, πρὸς αὐτὸν ἀφομοιωθεὶς, &c. Hinc nos recte de Sacramentorum efficacia sentientes, baptismum supra cum Patribus appellavimus, *Indumentum justitiæ, & ignominiæ velamen*. In Epistola autem ad Hebræos non ait Apostolus baptismum esse doctrinam, sed non opus esse, ut jam Christiana fide imbutis tradat catechumenorum rudimenta, inter quæ est doctrina baptismatum. Quod autem *baptismatum* plurali numero dictum sit, parum refert; nec est cur Socinus oggerat baptismum aquæ esse unum: nam & una est doctrina, quam ipse putat esse baptismum; quamquam vel cum Theodoreto dicimus Apostolum *baptismata* dixisse numero multitudinis, quia plures baptismi gratiam consequuntur; vel quia non solum aquæ baptismus datur, sed etiam sanguinis, & flaminis; vel quia cum exteriori mersione conjuncta est interior animæ purgatio, vel ob alias causas, de quibus Estius in Paulum. Petrus denique, ut dictum est præcedenti libro cap. 19. ait nos salvos fieri per baptismum, non quatenus corpus tangit, sed quatenus virtutem habet abluendi peccatum, removetque animi bene sibi conscii trepidationem; vel quatenus baptizati fide, & abrenunciatione Satanæ, de qua in baptismate interrogantur, disponuntur ad gratiam, æternamque salutem adipiscuntur. Audiamus, quæso, Jonam Slichtingium Socinianum in hunc locum, apud Antonium Van-Dale in Hist. Baptismi pag. 371. *Utitur autem Apostolus interrogationis voce, qua alludit ad interrogationem in baptismo fieri solitam, qua baptizati interrogabantur an peccatis omnibus renunciarent*. Et infra: *Conscientia bona est bene sibi conscire, nullius sibi mali conscium esse. Hæc in baptizatis erat. Nam præteritorum omnium criminum reatu per baptismum erant soluti, eodem & baptismi Sacramento semet ad omnem in posterum justitiam, ac vitæ puritatem obstrinxerant*. Postremo missis exterorum interpretationibus, *bonæ conscientiæ interrogatio*, de qua Petrus, est contractus ille, quem baptizati cum Deo ineunt, & quem sincero corde ad salutem capessendam servare debent; habent enim Græci pro interrogatione, ἐπερώτημα, *stipulationem*: & præclare quadrat in hunc locum illud Ambrosii de Myst. cap. 11. num. 5. *Repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti Diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium*.

Hæc postrema responsio expeditior est ad evitandam illam fiduciam hæreticorum, quam Slichtingius citato loco appellat Græco vocabulo παῤῥησίαν, *parrhesiam*, idest, libertatem loquendi ex rei evidentia fluentem, & ob quam hæretici alii parant baptizatum quemque teneri ad credendum sibi remissa esse peccata, ea firmitudine, qua credimus articulos fidei; autumantes ob hanc specialem fiduciam, quam vocant *fidem divinarum promissionum*, dici baptismum a Patribus *sigillum fidei*, sive *fidei obsignationem*. Verum, præterquamquod dictum alibi fidem, per quam justificamur, non esse confidentiam hanc a Novatoribus temere, impudenterque jactatam; etiam Catholici appellant Baptismum cum Tridentinis Patribus sess. VI. cap. 7. *Sacramentum fidei, sine qua nulla unquam contingit justificatio*: sed docent fidem istam, quæ justificationis exordium est, illam esse, quæ concipitur ex auditu, & qua credimus vera esse quæ divinitus revelata atque promissa sunt. Atque hoc sensu inquit Tertullianus de Pœnit. cap. 6. *Lavacrum istud obsignatio est fidei*: quem locum perperam heterodoxi objectant; cum Tertullianus ibidem fidem illam cum salutari timore conjungat, subjiciens, *Audientis intinctio est metus integer*. Et infra: *Itaque audientes optare intinctionem, non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat; qui præsumit, superbit. In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic ut debitum sibi repromittit. Ille sumit, hic invadit. Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem, quem emendatiorem, nisi timidiorem?* At contra specialis illa hæreticorum fides nequit Deum timere tanquam judicem, ut fatentur Monhemius, aliique hæretici, solum timorem, quo Deus honoratur ut Pater, non quo timetur tanquam peccatorum vindex, probantes, a nobis alibi refutati, & in Opere de hoc argumento cap. V. a Joanne Hesselio Lovaniensi. Basilius quoque vocat baptismum *sigillum fidei*; sed statim addit, hanc fidem esse confessionem Deitatis; ait enim: τὸ βάπτισμα σφραγὶς τῆς πίστεως, ἡ δὲ πίστις θεότητος συγκατάθεσις. πιστεῦσαι γὰρ δεῖ πρότερον, εἶτα τῷ βαπτίσματι ἐπισφραγίσασθαι. τὸ δὲ βάπτισμα ἡμῶν ἐστι κατὰ τὴν κυρίου παράδοσιν, εἰς ὄνομα πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, Tom. 2. pag. 84. idest, *Baptismus est sigillum fidei, fides vero Deitatis confessio. Nam credere prius oportet, ac postea baptismate obsignari. Baptismus vero noster est secundum Domini traditionem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Idem tradunt antiquiores Patres; inter quos Martyr Justinus ait illos duci ad aquam & regenerari, ὅσα ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι ὅτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται: *Quicumque persuasi fuerint & crediderint vera esse quæ a nobis docentur ac prædicantur*. Immo ex Actis Apostolicis cap. II. 41. ubi legitur baptizatos, qui Petro evangelizanti crediderunt, *Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt*, & cap. VIII. 37. ubi Eunucho petenti baptismum ait Philippus, *Si credis ex toto corde*, & ille respondit, *Credo filium Dei esse Jesum Christum*; necnon ex præmissis baptismati catechesibus, symbolique formulis, de quibus loquitur universa Ecclesiasticarum rerum historia, constat non alia ratione baptismum dictum *Sacramentum fidei*, nisi ob Trinitatis & Incarnationis Dominicæ professionem. Consentientem habeo Hugonem Grotium, qui in cap. 28. Matth. pag. 289. scribit: *Et tales quidem fuere fidei interrogationes, aut primis temporibus, aut proximo primis: quarum respectu βάπτισμα Basilio & aliis dicitur σφραγὶς τῆς πίστεως. Fidei obsignatio Tertulliano de Pœnitentia*. Facessant ergo Novatores alii, qui Tertulliani & Basilii auctoritate contendunt baptismum esse Sacramentum *fidei* illius *specialis*, in cerebro hæreticorum confictæ.

Ex his omnibus constat rejiciendas esse traditas ab hæreticis definitiones baptismatis, sive dixeris cum Calvino, *Baptismum esse signum initiationis, quo cooptamur in Ecclesiæ societatem*, sive cum Melanchthone, *signum quo Deus nobiscum agit, & recipit in gratiam*, sive cum Episcopio, & Wolchelio, *publicum Christianæ professionis signum & tesseram*: quæ definitiones omnes eo collineant, ut vel negent Sacramenti novæ legis efficientiam, vel inhærentem gratiam & spiritalem regenerationem, vel ipsius baptismatis necessitatem, adeoque satis superque ex primo, & decimonono capite præcedentis libri latens in hisce flosculis venenum deprehenditur. Nos itaque Baptismum definiendum existimamus cum Catechismo Romano P. II. cap. 2. §. *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo*: quæ definitio cum baptismi proprietatem, tum materiam formamque demonstrat. Etenim baptismum *Sacramentum* esse, & spiritalis gratiæ signum sensibile, quæ ratio unicuique Sacramento inest, nobiscum consentiunt hæretici. Esse autem Sacramentum *regenerationis*, idest, quo consepulti cum Christo in mortem, renascimur, & innovamur, constat ex verbis Christi Joan. III. 5. & Pauli ad Tit. superius recitatis, nec non ex Augustino, qui baptismum appellat *Sacramentum regenerationis spiritualis, & salutis æternæ*, Tract. XV. in Joan. lib. I. de Peccat. merit. & remiss. cap. 24. in II. adversus Cresconium cap. 13. & in VI. contra Julian. cap. 2. & 4. *Aquam* vero esse baptismatis *materiam* constat ex sacris literis, & Patribus, ex dictis contra Socinum; & in sequentibus confirmabitur. *In verbo* pariter sitam Sacramenti *formam* diximus præcedenti libro cap. 9. quod singillatim de baptismo affirmat Apostolus ad Ephes. V. 26. & Augustinus Tract. lxxx. in Joan. num. 3. Verba, quæ baptismi constituunt *formam*, sunt sanctæ Trinitatis invocatio: unde nonnulli id etiam exprimunt in definitione baptismi, perspicuitatis gratia; sed non opus est, ut singula in rerum definitionibus accuratissime describantur, modo innotescat ipsarum rerum, quæ definiuntur, natura. Tenenda est igitur allata baptismatis definitio.

Restat, ut de origine baptismi nonnulla dicantur. Profanarum quoque Gentium antiquam fuisse consuetudinem, ut initiandi toto corpore abluerentur, contendit Grotius in Matth. pag. 286. ex Libanio, Lampridio, ex Comœdia Eupolidis, ex Horatii Scholiaste, necnon ex Clemente Alexandrino, ac Tertulliano. Certum est per lavacrum initiatos Isidis ac Mithræ cultores, tinctosque Ethnicos ludis Apollinaribus, & Pelusiis. Addit plura Spencerus Volumine 2. de legibus Hebr. dissert. 3. sect. 1. cap. 2. ubi etiam probare nititur lustrationes Judaicas e Gentium ritibus fuisse traductas. Atque ex Hebræorum more derivasse baptismum Christianorum opinantur præcitati hæretici, Grotius, Wolzogenius, Lightfootus, haud dissentientibus aliquibus Catholicorum.

Momenta horum sunt, quod etiam Hebræis baptismus fuerit symbolum initiationis, quo Ethnici in Judæorum Ecclesiam adsciscebantur; idque probant primo, ex quo Jacob Patriarcha Gen. XXXV. priusquam Bethel conscenderet, convocata domo sua ait: *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra*: quo in loco Abenezra verbum והטהרו, *& mundamini*, interpretatur de ablutione corporis. Afferunt deinde testimonium Maimonidis, qui lib. Issure Biah, parech 13. scribit triplici ritu Israelitas in fœdus intrasse, circumcisione, baptismo, & oblatione: circumcisionis usum fuisse in Ægypto, Exod. XII. 48. Baptismum in deserto ante datam legem, Exodi XIX. 10. oblationem postea, Exodi XXIV. 5. addit pro masculis necessariam fuisse cum baptismo circumcisionem, pro feminis vero baptismum tantum, ac sacrificium: neminem factum proselytum, receptumque in fœdus, nisi circumcisus esset, & baptizatus; circumcisum vero, & non baptizatum, ex proselytorum expunctum numero. Producunt & Thalmud Babylonicum in lib. Jevamoth, ubi legitur baptizandos duntaxat Ethnicos, nec tingendum filium Ethnicæ mulie-

ris, si gravida facta fuerit jam proselyta. Denique animadvertunt Pharisæos ita interrogasse Baptistam, *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Joan. I. 25. non quærentes de usu baptismatis, sed de auctoritate. Cum itaque apud Judæos consuetum fuerit, ut Gentes mersione initiarentur; ex Hebræorum ritibus, inquiunt, promanavit Christianorum baptismus.

Ut dicam de his quod sentio, negari non potest etiam apud idololatras fuisse in usu baptismata, et lustrationes, de quibus Plutarchus in Iside, Virgilius Æneid. IV. Tacitus Annalium XV. 44. Seacchus noster in Myrothecii p. 2. pag. 75. aliique a Joanne Spencero collecti. At cum Gentiles non solum corpora abluerent, verum etiam templa, simulacra, mactandas pecudes, vestes, idque non semel, sed frequentissime, & quotiescunque sacra instituerent; Gentilium lustrationes non erant eo sensu initiationes, quasi his profanæ religioni nomen darent; sed purificationes quædam superstitiosis quandoque peractæ ritibus, quibus arbitrabantur se digniores esse, qui ad aras accederent, & sacris operarentur. Atque hinc Tibullus lib. II. Eleg. I. cecinit,

Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam:

& Livius lib. XLV. *Omnis præfatio sacrorum*, inquit, *eos, qui non sunt puri manus, sacris arcet*. Fuerunt ergo apud Ethnicos baptismata ac mersiones ritus potius, & ceremoniæ, quam initiationes mysteriorum.

Apud Judæos vero per circumcisionem, non per baptismum, Ethnici in fœdus deducebantur; vereorque, ne oppositum hæretici quidam commenti sint, ut inde facilius persuadeant, baptismum necessarium quidem esse tamquam symbolum professionis Christianæ venientibus e cœtu Gentilium, non autem procreatis e Christianis parentibus; quemadmodum necessarius erat apud Judæos, sed non ex Hebræorum gente, aut e proselytis, generatis: quare opinionem illam, quæ & baptismi necessitatem evertit, & hunc in sola fidei professione constituit, opportune in rem suam amplexatus est cum heterodoxis aliis callidus Wolzogenius. At Judæos sola circumcisione, non baptismo, deductos in fœdus, liquet ex eo, quod nullibi legatur fuisse olim lustrationem *signum fœderis*; ut de præcisione præputii XVII. Genesis. Constat præterea apud Judæos lustrationes non fuisse singulare quoddam initiationis symbolum, sed ritum, ac ceremoniam communem, qua utebantur Pontifices, Levitæ, profani, feminæ, leprosi, aliique omnes, vel ob contractam immunditiam, vel ob reverentiam sacrorum. Non est autem mysterium initiationis id, quod alium ab initiatione, & communem, frequentissimumque habet usum. Addo sententiam Rabbinorum esse in Gemara tit. Jabimoth cap. 4. *eum, qui circumcisus fuerit, nec baptizatus, tamquam proselytum habendum esse, quoniam circumcisi quidem, at non baptizati fuerunt Patres*: idem dicit Rab. Eliezer ab ipsomet Lightfooto laudatus in Horis Hebr. pag. 266. Addo etiam inverisimile non esse, quod baptismus superadditus fuerit a quibusdam Hebræis circumcisioni, ut discriminarentur a Samaritanis, ut ex Raf Alphes demonstrat Wilhelmus Schichardus apud Anton. Vandale, Hist. Baptism. pag. 342. Josephus insuper lib. XIII. Antiq. cap. 9. alias 17. narrans quomodo in expeditione Hircani Idumæorum gens adscita fuerit inter Judæos, ait admisisse circumcisionem, ac spopondisse se in ceteris servaturam Hebræorum leges, nulla facta mentione baptismatis: *Illi vero*, inquit, *patriæ amore tum circumcisionem admiserunt, tum vitam in ceteris similiter ac Judæi agere sustinuerunt*. Rursus lustrationes Judæorum institutas, non ad initiationem & in symbolum fœderis, sed *ad emundationem carnis*, & purgationem labis, quæ vel contactu cadaverum, vel aliis modis, etiam ab initiatis contrahitur, haud obscure innuit Apostolus ad Hebr. IX. 13. Postremo circumcisio, quæ signum fœderis est, non solum necessaria erat Judæis genere, sed etiam emptitiis, alienigenis, ac proselytis omnibus. Si ergo ex traditione Rabbinorum baptismus ortis ex Judæis, aut ex proselytis necessarius non erat; nec erat signum fœderis, ac mysterium initiationis.

Ex his soluta manent argumenta Lightfooti, aliorumque. Ad primum enim dicimus præcepisse Jacobum domui suæ, ut mundaretur, non quod ablutio esset initiationis Sacramentum, sed ob reverentiam loci, ad quem debebat adscendere, sive *ob pollutionem occisorum, quæ contrectaverat*, ut inquiunt Rabbi Samuel, & Jonathan. Ad alterum dicimus aut Maimonidem errare, aut intelligendum de ritu superaddito baptismati a Judæis, ut discriminarentur ab aliis gentibus, quæ pariter circumcidebantur. Ad tertium liquet ex dictis, Gemaram ineptiis, oppositisque sententiis scatere, nec alia de causa Ethnicos baptizatos e Judæis, quam ob immunditiei expiationem. Ad ultimum constet eos, qui confluebant ad baptismum Joannis, fuisse jam initiatos, & in Ecclesiam Judæorum adscitos; ideoque non erat baptismus ipse initiationis mysterium, sed ceremonialis purgatio; de qua mirari non poterant Pharisæi, qui optime noverant e Judæis lustrationes quamsæpissime adhiberi, & qui eas præ ceteris repetebant.

Consequitur tandem ex dictis, Baptismum Christianorum nihil habere commune, præter aquæ elementum, cum mersionibus Judæorum, eo quod apud nos Baptismus est Sacramentum, quo cooptamur in Christi Ecclesiam: unus est, non multiplex; eoque non tantum tinguntur Gentes, quæ ex cultu idolorum convertuntur ad Christum, sed etiam filii baptizatorum. Præterea nec in baptismate nostro præscriptum est tempus; nec aqua conspersa cineribus vitulæ, qualem in aspersionibus suis adhibuisse Judæos constat ex libro Num. XIX. 9. Aqua denique Christiani baptismatis nullam vim habet, nisi consecrata sit verbo: consecrata autem non ad emundationem carnis ex sui institutione valet, sed ad spiritus innovationem. Falluntur ergo, qui ex Hebræorum lustrationibus baptismum nostrum derivant.

CAPUT II.

De Baptismate Joannis.

POsteaquam dixi de lustrationibus Gentium & purificationibus Hebræorum, & ostendi ab iis plurimum discrepare Baptismum Christi; pertractandum mihi est de lavacro Joannis, & inquirendum an saltem istud sit cum Christiano baptismate confundendum. Joannis ergo baptismum hæreticorum quidam nimis deprimunt, alii nimium extollunt, reliqui perverse explicant. Deprimunt Sociniani, ac præsertim in Institutione Germ. cap. 30. Ostorodius, nullum in eo divinum mandatum agnoscens: quod nos etiam sentire, falso scribit disput. VIII. de Baptismo Gerardus Vossius. Nimium vero baptisma Joannis attollunt, qui ei tribuunt eamdem, ac baptismo Christi, efficaciam, ex eo, ut opinor, capite, quod putent Sacramenta nihil esse aliud, quam Dei oppignorationem, & sigilla doctrinæ, nullumque excepta fide agnoscant instrumentum justitiæ: idque de mersione Joannis sentiunt Melanchthon contra Anabaptistas, Calvinus in IV. Instit. XV. 17. Brentius in III. Lucæ, Magdeburgenses Centur. I. lib. 2. cap. 4. Theodorus Beza in Acta, XIX. 4. Vossius præcitata disput. & alii. Perverse denique de Baptismate Joannis loquuntur, qui eum illud a baptismo Christi distinguant, nullam tamen differentiæ rationem tradunt, præter accidentariam temporis, personarum, mersionis, ac fidei, nulla facta effectus mentione. Gerit se in hunc modum Joannes Lightfootus in cap. 3. Matth. ubi ait, Baptismo Joannis nullum ab una religione in aliam traductum, Judæosque illo imbutos doctrina Evangelica, ut fide in Messiam, & pœnitentia, ad Christum recipiendum essent paratiores; cum Apostoli Judæos baptizantes, Christi, qui advenerat, fidem promoverent, Gentibus vero etiam Trinitatem annuntiarent: quæ omnia, utut speciosa videantur, baptismi nostri differentiam, quæ in vi regenerationis sita est, silentio prætereunt alto. Vindicanda ergo mihi est baptismi Joannis dignitas, demonstrandum illius a baptismate Christi discrimen, istiusque discriminis potissima ratio assignanda.

PROP. I. Baptismus Joannis cælestis fuit, idest, institutus divino instinctu, & Mosaicis etiam mersionibus excellentior.

Id primum non obscure indicat historia Evangelica; Matthæi quippe XXI. 25. Christus interrogavit principes Sacerdotum: *Baptismus Joannis unde erat? e cælo, an ex hominibus?* Ut si respondissent, *De cælo*, quod veritas postulabat, cur ergo, Dominus intulisset, ei non credidistis, qui de me tam apertum, præclarumque perhibuit testimonium? Idque optime veluti homines sunt assecuti, tacite ad Christi interrogationem submurmurantes, *Si dixerimus e cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi?* Cælestis ergo erat, Domini testimonio, Joannis tinctio. II. Lucas III. 2. testatur tunc Joannem venisse prædicando baptismum in regionem Jordanis, cum super illum *factum est verbum Domini*: quibus verbis, inquit Theophylactus, innuitur *illum non temere, neque citra vocationem ad testificandum de Christo prosiliisse, sed divino motum spiritu*, pag. 323. οὐκ αὐτόκλητος ἦλθε μαρτυρήσων περὶ Χριστοῦ, ἀλλὰ θείῳ κινούμενος πνεύματι. III. Idem Joannes sic loquitur apud cognominem Evangelistam, I. 33. *Qui misit me baptizare in aqua*, satis commonstrans se divino mandato baptizandi munus obiisse.

Fuisse autem baptismum Joannis præstantiorem purificationibus Legalibus probat egregie Cyrillus lib. I. in Joannem cap. I. p. 157. ex quo cum veteres ceremoniæ Christum prænuntiarent, & mersiones legis gratiam promitterent futuro quidem, sed incomperto tempore conferendam; baptisma Joannis Christo *proximum erat, docebatque præparationem quamdam, & rudimentum perfectionis*. Animadvertit eo loci Doctor eximius contentionem ortam inter discipulos Joannis, cum Judæis nonnullis, de qua Joan. III. 25. in hoc versatam, quod illi baptisma suspicientes magistri sui, purificationes legales oppugnare viderentur. II. Sanctus Basilius lib. de Baptismo Tom. I. pag. 647. his verbis baptismum Joannis præfert purificationibus legis: *Baptismus itaque per Moysen traditus, primum peccato-*

rum

num differentiam observavit; non enim quævis peccata remissionis gratiam assequebantur. Deinde vero & differentia sacrificia exigebat. Purificationem studiose petebat. Impurum & maculatum aliquando, reliquis separabat: dierum & horarum observantiam statuebat; & tunc baptismus illis, a quibus accipiebatur, quasi quædam purificationis erat obsignatio. Joannis vero baptisma multis modis excelluit. Nullam enim prorsus faciebat peccatorum differentiam: nullum exigebat sacrificiorum discrimen. Purificationem studiose non efflagitabat, nec dierum aut horarum habebat observantiam, nec ulla prorsus facta dilatione, per gratiam Dei & Christi ipsius, simul ac accesserat quis, & peccata sua, quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat. At de hoc loco, quo abutuntur hæretici hunc baptismum æquiparantes baptismo Christi, dicam iterum: nam hæc tantum ed confutationem Orostodii.

PROP. II. Multipliei titulo Joannis baptisma discrepabat a baptismate Redemptoris.

Primam autem rationem discriminis quidam in eo statuunt, quod revera baptismus Joannis non fuerit Sacramentum, nisi quatenus *Sacramenti* nomen ampla significatione accipitur pro signo quolibet mystico: in qua sententia est S. Thomas 3. p. q. 38. art. 1. Nititur vero hæc opinio duplici momento, quorum unum est, Sacramentum esse signum permanens, cum baptismus Joannis exiguo temporis perduraverit intervallo: alterum, vi sua mundasse duntaxat corpus, ut S. Thomas inquit art. proximo ad 1. Sed dilutæ videntur hæ rationes; prior namque e temporis diuturnitate petita, omnino Sacramento extranee est: altera probat tantum, baptisma Joannis fuisse, ut erant veteres ritus, egenum, infirmumque elementum. Nec inverisimile est beatum Thomam eppellasse baptismum illum *Sacramentale* potius, quam *Sacramentum*, habita ratione effectus, qui erat *parare viam Domino*, & ad baptismum Christi disponere, non spectata ratione generica Sacramentorum. Quare posse illud baptisma dici Sacramentum, non repugnant Thomistæ duo hujus ævi percelebres, Auctor de Re Sacrem. lib. 2. q. v. cap. 1. §. 4. & Thomas Vincentius Monelie dissert. de Annis Christi cap. v. num. 13. Verum, sive *Sacramentum* dicas, sive *Sacramentale*, in hoc differt a baptismate Christi, quod *sicut legis vetera Sacramenta, præcursorio quodam, & præfiguratorio fungebatur officio*, ut inquit S. Pater de unico baptismo contra Petil. cap. 7. num. 9. ac præterea, quod Joannes baptisme ipsum accepit *certæ dispensationis gratia, non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandam viam Domino*, ut idem Augustinus scribit contra Donatistas lib. v. cap. 9. num. 10. Ex quo autem baptisme Joannis haud diu perseveraverit, *quod non fivit Dominus, ne hoc unum, quo ipse baptizat, indigere præcedenti altero videretur*, ut insequenti num. 11. ait Oppugnator Donatistarum, consequitur etiam baptismum Joannis propter ad hanc Legem minime pertinuisse, sed fuisse medium quoddam inter novam, & veterem, unius finem, alteriusque initia commonstrans.

Petitur alia differentiæ ratio e formule baptismi: baptismus quippe Joannis verborum expers fuit, inquiunt Ludovicus Habert de Baptismo cap. 1. q. 9. & Cardinalis Gotti dub. 1. §. 2. post Bellarminum lib. 1. de Baptismo cap. 20. Reponit Vossius cit. disp. num. 8. verisimiliorem esse sententiam eorum, qui dicunt Joannem usum hac, similive forma, *Baptizo te in nomine venturi Messiæ*, & hanc esse sententiam Ambrosii lib. 1. de Spir. S. cap. 2. Hieronymi in cap. 3. Joelis, Scholasticorum quorumdam, & quæ colligitur ex Act. XIX. 4. At fallitur Vossius. Nam Ambrosius ibidem num. 41. eo sensu docet Joannem baptizasse *in advenientis Jesu nomine*, quatenus *Christum prædicabat*; negatque eos, qui ignorabant esse Spiritum sanctum, sed baptismo Joannis tincti fuerant, de quibus Act. XIX. 2. *baptismum in Christi nomine* accepisse, cum non credidissent in Spiritum Christi, quem prædicabat Baptista. Idem scribit Hieronymus in Joelem Tom. III. pag. 1359. ubi de fide in Spiritum sanctum instituit sermonem. Ex Actis vero colliges tantum, Joannem baptizasse baptismo pœnitentiæ, *in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent*: quæ verba ad Joannis prædicationem spectant, non ad formulam elementum aquæ determinantem. Salva ergo Marsilii, Paludani, Alensis, aliorumque sententia, subscribo Suaresio Tom. 2. in 3. p. disp. 25. Lorino in Acta pag. 773. aliisque negantibus Joannem usum in baptismate verborum *forma*. Ducor autem momentis hujusmodi. Primum Scriptura de hac formula silet, ac Patres, ut diximus, in alio loquuntur sensu: nec est, cur opponas cum laudato Suaresio Augustinum in libro quæst. novi Testam. q. 29. spurio, & jure in appendicem 2. p. Tom. III. ablegam. Deinde in baptismate collato Jesu adhibitam formulam negant Paludanus ipse, ac Marsilius, immo & Gerardus Vossius; tametsi nescio quam aliam formulam excogitaverit in IV. dist. 2. Palacius. Præterea necessum non erat verbo consecrari *materiam* nullius in ordine ad gratiam producendam efficientiæ. Addunt quidam, etiam tincto Domino baptismum Joannis perdurasse, quod inferunt ex Joannis IV. 2. At puto eo loci sermonem esse de baptismate Christi, primo quia S. Peter lib. v. de Baptismo num. 11. scribit, *Dominus*, postquam Joannis baptismate tinctus est, *ultra illud perseverare non sivit*: ad hæc, quia apud Joannem cap. 4. legitur Jesum baptizasse, *quanquam non baptizaret ipse, sed discipuli ejus*; quod recte Augustinus Tract. XV. in Joannem num. 3. ita conciliat, *Baptizabat enim, quia ipse mundabat, non baptizabat, quia non ipse tingebat*. At baptismus datus discipulorum Christi ministerio, & cui ipse Christus, ut Augustinus ait, *præbebat adjutorium majestatis*, regenerationis Sacramentum est. Imbelle est itaque argumentum postremum, petitum ex duratione baptismi Joannis; qui sane si perstitisset baptizato Domino, debebat mutari ea formula, *Baptizo te in nomine venturi Messiæ*. Ceterum hac etiam *forma* concessa baptismati Præcursoris, adhuc consequitur ex ea maximum a baptismo Christi discrimen. Enimvero lavacrum administratum *in nomine Messiæ venturi* pollicebatur gratiam, non eam conferebat; datum vero *in nomine Christi advenientis*, proximam redemptionem, non consummatam perfectamque præferebat: hi autem, qui baptizantur *in Christi nomine*, quem jam mortuum, sepultumque, ac redivivum firmissime credunt, completæ redemptionis fructum, ac præsentem regenerationis percipiunt gratiam. Tandem non in Christi nomine tantum, sed suo sanctæ Trinitatis invocatione Dominicum baptisma confertur: mentiturque splendidissime Vossius, scribens etiam Joannem *in nomine Trinitatis* baptizasse. Si id enim verum est, quomodo nonnulli tincti Joannis baptismate ignorabant Spiritum Sanctum, Act. XIX. 2.? Præclare Hieronymus in Joelem loco cit. *In actibus Apostolorum, qui baptizati erant baptismate Joannis in eum qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Jesu: quia responderunt Paulo interroganti, Sed ne si sit quidem Spiritus sanctus novimus, iterum baptizantur, imo verum baptisma accipiunt: quia sine Spiritu sancto, & mysterio Trinitatis, quicquid in unam, aut alteram personam accipitur, imperfectum est*. Sive ergo baptismus Joannis fuerit in aqua, & non in verbo, sive non fuerit in verbo *fidei*, idest, cum Sanctæ Trinitatis invocatione; a baptismate Christi plurimum discrepavit, fuitque in hujus comparatione admodum imperfectus.

Probo denique differentiarum rationes, quas attulit Lightfootus; non enim sum talis ingenii, qui emmpentem ex ore impiorum veritatem, tanquam margaritam in stercore, audeam pedibus conculcare. Joannis baptismus sese circa Jordanis regionem continuit, ac neminem ex falsa religione deduxit in veram: at baptismus Christi etiam ad Gentes pertransiit, easque de regione umbræ mortis in lucem Evangelicæ veritatis pertraxit. Habuit etiam Præcursoris lavacrum speciem pristinæ severitatis, cum præscriberet immersionem illam, quam Judæorum quidam tollere studuerunt gratia feminarum Galilæarum; intinctio autem Christi id genus immersionis necessario non exigat. In his homini hæretico assentior. In eo etiam assero præstare baptismum Domini baptismo Joannis, quod hic tingeret propriis manibus, ille ministerio discipulorum; unus adultos, ac pœnitentia expiandos, alter & parvulos originaria tantum labe pollutos: ad Christi demum baptisma accessit multitudo populorum frequentior, ita, ut ea res zelotypiæ causæ fuerit discipulis Joannis, Joan. III. 26. atque invidentiæ Pharisæis Joan. IV. 1. Insuper & istud, quod discipuli Joannis turbati sint, & Pharisæi populos confluentes ad baptisma Christi invidis, lividisque suspexerint oculis, argumento est baptismum Domini esse baptismate famuli longe præstantiorem; ut Tract. in Joannem XIII. num. 8. vidit Augustinus, & in Comment. pag. 175. Alexandriæ antistes Cyrillus.

PROP. III. In hoc etiam baptismus Christi præstat baptismo Joannis, quod ille majorem habeat efficaciam, valeatque ad ablutionem culpæ; cum ille vi sua conferret legalem tantum, corporeamque munditiam, remissionem vero peccatorum nonnisi ratione pœnitentiæ, fideique suscipientium.

Hanc utriusque baptismatis differentiam, quam negant hæretici, ne cogantur Sacramento Christi tribuere virtutem producendi gratiam, & ejurare male feriatum de Justificatione systema, probant argumenta prorsus invicta. I. Joannes Matth. III. 11. inquit: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Hoc in loco Joannes discrimen illud statuit inter suum, & Christi baptismum, quod suus corpus tantum ablueret, & ad pœnitentiam excitaret: baptismus autem Christi pertingat animum, eumque gratia Spiritus sancti perfundat. Respondent hæretici baptismum Christi in Spiritu sancto fuisse cum in die Pentecostes *apparuerunt* in Apostolis *dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque Spiritus sanctus supra singulos eorum*, Act. II. 3. Id vero probant ex quo Matthæus ibi, necnon Lucas III. 16. *Spiritum* simul, & *ignem* commemorant: & ex quo Dominus

nus priusquam cælum adscenderet, ita Act. I. 5. Apostolos allocutus est, *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies*: idem ait Petrus Act. XI. 16. Verum hæc responsio nullatenus vim præmissæ argumentationis infringit. Nam primo fatetur Joannem etiam ad effusionem Spiritus in linguis igneis intendisse animum; negamus de baptismo aquæ non esse pariter accipiendum, cum utrumque innuat dicens, *In Spiritu sancto, & igni*. Deinde si contendas *Spiritum sanctum & ignem* ad unam effusionem Spiritus pertinere, ut sensus sit, *Ille baptizabit vos Spiritu sancto in linguis ignis elapso*, quod non ignoro contendere in hunc locum Hugonem Grotium: igitur etiam Joannis III. 5. ea verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, in unum baptisma quadrabunt; & quemadmodum non sejungis energiam Spiritus a linguis igneis, ita separare non debes energiam ipsam a baptismate aquæ. Rursus de hoc etiam baptismo tradidere Patres, quod sit *in Spiritu sancto, & igni*, quatenus sicut aqua lebeti infusa & ad ignem apposita comburendi vim induit, ita, inquit Cyrillus in Joannem pag. 147. *διὰ τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας τὸ αἰσθητὸν ὕδωρ πρὸς θείαν τινὰ καὶ ἄῤῥητον ἀναστοιχειοῦται δύναμιν. Per Spiritus efficacitatem sensibilis aqua ad divinam quamdam & ineffabilem vim transformatur*: quod pariter tradiderunt Theodorus Heracleotes, Macarius, aliique apud Corderium in Catena Volum. 2. pag. 80. Insuper Joannis scopus est humiliter significare suam a Christo discrepantiam: quam comprobat ex comparatione utriusque baptismatis, quasi dicat, quemadmodum in aqua, qua ego baptizo, est sola exterior ablutio, & in aqua baptismatis Christi latet Spiritus sancti energia: ita in me nuda humanitas est, & præcursoris officium; in illo autem subest vestimento carnis majestas divinitatis, & Reparatoris auctoritas; ideoque *profitetur baptismatis simplicitatem sui*, inquit Chrysostomus Hom. XI. in Matth. pag. 104. *nec illud quicquam amplius habere demonstrat, quam ut eos ad pœnitentiam duceret: non enim dicit in aqua remissionis, sed pœnitentiæ: tum demum ponit Christi baptisma ineffabilium donorum liberalitate cumulatum*: τὸ ἐντελὲς τοῦ βαπτίσματος τοῦ αὐτοῦ δεῖ, καὶ δείξας ὡς οὐδὲν πλέον ἔχει ἢ πρὸς μετάνοιαν αὐτοὺς ἀγαγεῖν. οὐ γὰρ εἶπεν, ὅτι ὕδατι ἀφέσεως, ἀλλὰ μετανοίας. τίθησι καὶ τὸ αὐτοῦ, τὸ τῆς ἀφάτου δωρεᾶς γέμον. Præterea, cum eo loci Joannes commonstret Messiæ dignitatem, dum ait hunc baptizaturum *in Spiritu sancto, & igni*; videtur *ignis* nomine designare Messiæ auctoritatem, qua in futuro sæculo probaturus est uniuscujusque opus, & nomine *Spiritus sancti* tum energiam baptismalis aquæ, tum alia gratiarum charismata: ideoque imperite contendunt hæretici ex vocabulo *ignis* locutum Joannem tantummodo de linguis igneis super Apostolos dispertitis: id vero animadvertit ingeniose citato loco Macarius, mihique videtur quadrare subjectis verbis, *Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Quare possunt verba Joannis ad varia baptismatum genera accommodari, nullo tamen excluso, non baptismo aquæ, non effusionis Spiritus, non postremæ conflagrationis. Tandem Joannis III. 5. illis verbis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, aquæ vis regenerativa tribuitur, quam sane habere nequit absque Spiritus sancti virtute: unde Augustinus epist. 23. ad Bonifac. nunc 98. num. 2. de regeneratione scribit: *Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum*. Et Ammonius, Catena Græc. in Joan. pag. 89. *Aqua quidem corpus emundat, sed animam inaspectabilem Spiritus sanctificat. Et aqua matricis loco sumitur, Spiritus vero vice Dei effectoris. Aqua illa, quæ sensu percipitur, ad divinam quamdam virtutem elevatur, omnesque quos contigerit sanctificat, utpote solo connotato a Spiritu diversa, cum sit eadem operatione*. τὸ ὕδωρ καθαρίζει τὸ σῶμα, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἀόρατον ἁγιάζει ψυχήν. τὸ ὕδωρ ἐν τάξει μητρὸς λαμβάνεται, τὸ δὲ πνεῦμα ἐν τάξει τοῦ διαπλάττοντος Θεοῦ. τὸ αἰσθητὸν ὕδωρ πρὸς θείαν ἀναστοιχειοῦται δύναμιν, καὶ ἁγιάζει τοὺς ἐν οἷς ἂν γίνηται. τὸ ὕδωρ ἐπινοίᾳ μόνον διαφορὰν ἔχει πρὸς τὸ πνεῦμα, ἐπεὶ ταὐτόν ἐστι τῇ ἐνεργείᾳ. Similia Chrysostomus hom. XXIII. in Joan. pag. 127. & Cyrillus Alexandrinus supralaudatus. Vide præcedentis libri caput XIX. prop. 5. Nullibi tam magnifica de baptismate Joannis scripta leguntur. II. Præcitata verba, *Nisi quis renatus, &c.* probationem aliam suppeditant. Iis enim respondit Dominus Nicodemo interroganti quomodo potest homo iterato introire in matris uterum, & renasci; quod mirum non esse inquit Salvator, cum ipse locutus sit de regeneratione spiritus, non carnis: ac propterea addidit, *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est*. Animum advertas. Homo semel gignitur carne in utero matris, & idcirco nequit carne renasci, atque una est carnis nativitas ex Adam: ergo semel regeneratur homo baptismate, & ideo baptisma repeti nequit, sed unum est Sacramentum regenerationis in Christo. Illud vero non est baptismus Joannis, quo tingi semel, iterumque Judæi poterant, & post quem novimus plures tinctos fuisse baptismo Christi: non erat ergo baptismus Joannis Sacramentum regenerationis, uti est baptismus Domini. *Jam natus sum de Adam*, inquit Augustinus Tract. XI. in Joan. num. 6. *non me potest iterum generare Adam: jam natus sum de Christo, non me potest iterum generare Christus. Quomodo uterus non potest repeti, ita nec baptismus*. III. Validum petitur argumentum ex Act. XIX. ubi legimus Paulum iterum baptizasse baptismo Christi quosdam discipulos Ephesi, *qui dixerunt se baptizatos in Joannis baptismate*, versu 3. Si uterque baptismus idem est, cur illum Apostolus iteravit, maxime cum nefas sit baptismum rite collatum repetere? *Quæro itaque*, ait Augustinus lib. V. contra Donatistas cap. X. num. 12. *quæro itaque, si baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit baptismus Christi eis, quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis voluit baptizari?* & seq. num. 13. *Quæ igitur causa est, nisi quia baptisma, quod illos jussit Paulus accipere, non hoc erat quod per Joannem dabatur?* Non una est ad hanc decretoriam argumentationem hæreticorum responsio. Calvinus lib. IV. Instit. XV. 18. ait, *Quid sibi volunt ea verba, Baptizati sunt in nomine Jesu? Quidam interpretantur tantum sincera doctrina eruditos a Paulo fuisse: sed simplicius intelligere malim, baptismum Spiritus sancti, hoc est gratias Spiritus visibiles per manuum impositionem datas: quas baptismi nomine significari non novum est*. At inepta supra quam dici potest hæc responsio Calvini. Et quantum ad aliorum opinionem *de doctrina*, liquet ex præced. cap. id olere purum putum Socinianismum. Quod vero addit *baptismi* nomine designari in Actis impositionem manuum, principio auctore etiam Vossio num. 29. adversatur sententiæ omnium antiquorum, si excipias Optatum, & Interpretem Ambrosiastem in Paulum; cum veteres scripserint vere ab Apostolis rebaptizatos, qui antea rite a Joanne baptizati fuerant. Deinde eo loci narrat Lucas Paulum denuo baptizatis imposuisse manus, actionem hanc a tingendi ministerio sejungens: *Baptizati sunt*, inquit, *in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos*. Constat quoque ex Act. cap. VIII. 17. manuum impositionem fuisse munus Apostolicum longe a baptismo diversum. Præter hæc, cum nomen *Pauli* occurrat versu 6. *Cum imposuisset illis manus Paulus*, non versu præcedenti, *Baptizati sunt*; atque aliunde constet non fuisse consuetudinem Pauli baptizare, probabile admodum est, alium baptizasse, ac Paulum manus imposuisse. *Baptizati erant ab alio Christiano*, inquit Grotius pag. 637. Quomodo ergo baptismus, & collatio Spiritus sancti per manuum impositionem idem sunt, si hæc duo sejunctis ministeriis distincti viri perfecerunt? Repudiata responsione Calvini aliam excogitavit Philippus Marnixius, laudatus a Theodoro Beza in Acta pag. 353. eaque utuntur idem Beza, Schmidius pag. 913. Drusius Tom. VII. Crit. Sacr. pag. 349. & alii. Inquiunt ergo, illa verba, *His auditis baptizati sunt*, non esse Lucæ narrantis rebaptizationem eorum, qui baptizati fuerunt a Joanne, sed esse verba Pauli significantis, quod etiam Joannes baptizabat in nomine Christi: etenim, ajunt, extat Græce ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν, ubi particula δὲ *adversativa est*, & respondens particulæ μὲν, in versu 4. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας. *Joannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ*. Verum hæc responsio præmissa Calviniana deterior est. Ac primo consentiunt hæretici illam antiquis omnibus adversari; unde rejicienda est tamquam commentum Marnixii. Inquit Vossius num. XXXIII. pag. 288. *Nam sententia illa, quæ μὲν, & δὲ, ad Pauli sententiam refert, atque inde statuit semel duntaxat fuisse baptizatos, admodum novella est; quippe nata me nato*. Præterea infirmum est admodum argumentum depromptum ex duabus illis particulis, quas certum est perraro adversativas esse, & a Græcis *euphoniæ* gratia cuilibet fere periodo inseri; neque opus est afferamus exempla, cum in ipso Actorum libro a primo versu, ac deinceps, frequenter se prodant. Insuper Versiones omnes, quas vide in Polyglottis Walt. Tom. V. pag. 592. dum illarum particularum interpretationem omittunt, aperte refellunt singularem Marnixii commentationem. Rursus si præcitata verba sunt Pauli, cum ipse baptizatos a Joanne alloqueretur, uti dixerat, *In quo baptizati estis*, ita prosecutus fuisset, *His auditis baptizati fuistis*, non in tertia persona, *Baptizati sunt*. Tandem Grotius hæc de ea opinione scribit: *His auditis, nempe illi ad quos Paulus loquebatur: sunt enim hæc Lucæ verba. Sic acceperunt Latinus, Syrus, Arabs, & veteres omnes ante Marnixium*. Hujus repudiata responsione, aliam excogitavit Gerardus Vossius num. 27. quam puto subtiliorem. Ait litteratus ille, post institutum a Domino baptismum Joannis fuisse antiquatum & illegitimum, eos autem, qui baptizati iterum sunt apud Ephesum, suscepisse baptismum Joannis ab aliquo ejus discipulo, *post introductum baptisma Domini, & exclusum baptisma servi*, quæ est sententia Optati Milevitani lib. V. de Schism. Donatist. num. V. pag. 85. Verum neque hæc sententia præsidio esse potest hæreticis. Enimvero Optatus ibidem

præ-

præmiserat, *Quamvis alterum fuerat baptisma Joannis, & alterum sit Christi. Baptisma Joannis ante legem pro pleno voluit esse, quod non erat plenum.* Rursus Optatus oppugnat Donatistas rebaptizantes, & oppugnantes quod iterum baptizati sint jam baptizati a Joanne Act. XIX. quem locum urgent quoque posteriores Anabaptistæ: quos contra efficax est argumentum Optati docentis non esse comparandos rebaptizatos post baptismum Joannis cum rebaptizatis post baptismum Christi, sive dicas baptisma Joannis & baptismum Christi fuisse diversos; sive dicas baptismum Joannis exclusum instituto Christiano. Quicquid præterea sit de mente Optati; incredibile est Joannem ministrasse baptismum jam exclusum, & abrogatum, atque inter tot millia, quæ baptizavit Petrus Act. II. 41. nullum fuisse tinctum a Joanne, ad quem venisse, ut baptizaretur, omnem Judæam, etiam publicanos, narrant Matthæus, III. 5. Marcus, I. 5. Lucas III. 12. Ad hæc Paulus ibidem docuit, cur necessum foret baptismum repeti: nec ait, Ideo baptizamini, quia recepistis baptismum jam exclusum, sed ideo, quia Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ, *ostendens parvi momenti fuisse baptisma Joannis, neque enim dixit, remissionis fuisse, sed pœnitentiæ*, inquit pag. 144. Œcumenius, ἐντεῦθεν δὲ δείκνυται ὅτι ἀτελὲς ἦν τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. οὐ γὰρ εἶπεν ἀφέσεως, ἀλλὰ μετανοίας: & cum ceteris Latinorum Tertullianus de Baptismo cap. X. *In Actis Apostolorum invenimus, quoniam qui Joannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum sanctum, quem ne auditu quidem noverant: ergo non erat cœleste quod cœlestia non exhibebat, &c.* Explosis itaque commentationibus hæreticorum, concludendum est cum Augustino lib. de Unit. Eccles. cap. XXI. n. 58. *Non erat unus baptismus qui dabatur a Joanne, & qui dabatur a Paulo.*

Deinde probatur thesis ex canone primo de Baptismo Conc. Trid. sess. VII. *Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Subirascitur Vossius n. 23. Tridentinis Patribus, dicens longe alium eis fuisse spiritum, quam Augustino, qui non anathema dicit iis, qui dissentirent, sed negat se cum iis velle pugnaciter contendere; vidit enim sanctissimus Antistes, etsi hic erret aliquis, non periclitari salutem, non convelli fidem, non lædi pietatem. Papæ, quam insigniter! Ubinam illud asserit Augustinus? In v. libro de Baptismo cap. X. n. 12. ubi ait: *Tamen ne quisque contendat, etiam in baptismo Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos jussit Paulus denuo baptizari, per baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.* Atqui hæc, Vossi, nequaquam canoni Tridentino adversantur; non enim sacrosancta Tridentina Synodus dixit *anathema* iis, qui assererent etiam baptismo Joannis peccata fuisse dimissa: minime; anathema in eos intorsit, qui baptismum Joannis, & Christi unum dicunt, sive utrique eamdem attribuunt efficaciam. At sive dixeris Baptismo Joannis non dimissa peccata, quod non inficiaberis eodem loco asserere absque hæsitatione Augustinum; sive dixeris aliquam ampliorem sanctificationem per baptismum Christi collatam, negas baptismum Christi & Joannis esse unum, eamdemque habere efficaciam. Igitur sive unum, sive alterum affirmes, idest, sive quod Augustinus tenet, sive quod non vult in disputationem pugnaciter trahere, probare debes Tridentinæ Synodi definitionem. Rursus in hoc etiam Tridentinorum Patrum debes commendare prudentiam, quod id, de quo Augustinus agere noluit pugnaciter, præcitato canone non expresserint, rati id tantum ad fidem pertinere, quod maximum sit inter utrumque baptismum, Joannis, & Christi, discrimen. Fatentur enim Catholici quidam Theologi fidem non convelli, si dicatur Joannis baptismate dimissa fuisse peccata, modo statuatur baptismatum differentia; quamquam verissime teneant ferme omnes baptisma Præcursoris aut non diluisse peccata, aut si diluit, id non præstitisse baptismatis energia, *ex opere operato*. Postremo misarrimum hæretici hominis subterfugium censendum est, quod dum Augustinus gratis illud concedit, quo etiam admisso causa cadunt Donatistæ ibidem exagitati, arripit inde occasionem oppugnandi quod Augustinus absoluta pronuntiat, *Baptismo Joannis non dimittebantur peccata, dimittebantur vero Domini baptismo.*

Jam vero ad Patrum traditionem progrediar, qua in re brevis ero, tum quia permulti hactenus fuerunt producti, tum quia ingenue Vossius num. 16. pag. 285. scribit, *Multas Patrum ejus, ac Bellarminus voluit, sententia fuisse agnoscimus.* Itaque prætor Tertullianum, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum Alexandrinum, & Œcumenium prælaudatos, Auctor qq. ad Orthodoxos inter Opera Justini, quæst. XXXVII. pag. 413. ait, τὸ βάπτισμα Ἰωάννου προοίμιον ἦν εὐαγγελίου τῆς χάριτος, *Baptismus Joannis proœmium fuit Evangelii gratiæ*; paucisque interjectis scribit *dimissa peccata*, non vi hujus baptismatis, sed, διὰ μετανοίας τε καὶ πίστεως τοῦ Χριστοῦ, *per pœnitentiam, & per fidem Christi.* Idem scribit Cyrillus Hierosoly. Catech. 3. Basilius de Spiritu sancto cap. XV. Tom. 2. pag. 178. *Illinc cognoscitur*, inquit, *quantum inter eam gratiam, quæ a Spiritu proficiscitur, & baptismum eum, qui aqua tantum constabat, sit discriminis, quod Joannes quidem baptizavit aqua, Dominus autem noster, Jesus Christus, in Spiritu sancto:* ὅτι κἀκεῖθεν τῆς ἀπὸ τοῦ πνεύματος χάριτος, πρὸς τὸ ἐν ὕδατι βάπτισμα γνώριμον τὸ διάφορον. ὅτι Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ἐν ὕδατι. ὁ δὲ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. Vide quæ de hoc libro scripsi Vol. I. pag. 224. Gregorius Nazianzenus Orat. in sancta lumina XXXIX. pag. 634. *Baptizavit (inquit) etiam Joannes, non jam ille quidem Judaico more, sed etiam ad pœnitentiam, nondum tamen prorsus spiritualiter. Hoc enim addit, in Spiritu. Baptizat quoque Jesus, sed in Spiritu. Quod quidem perfectum numerisque omnibus absolutum baptismum reddit.* Ἐβάπτισε καὶ Ἰωάννης οὐκ ἔτι μὲν Ἰουδαϊκῶς. οὐ γὰρ ἐν ὕδατι μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς μετάνοιαν. οὔπω δὲ ὅλον πνευματικῶς, οὐ γὰρ προστίθησι τὸ ἐν πνεύματι. βαπτίζει καὶ Ἰησοῦς, ἀλλὰ ἐν πνεύματι. τοῦτο ἡ τελειότης, &c. Hieronymus adversus Luciferianos Tom. 4. pag. 293. *Audi quid Scriptura doceant: Joannis baptisma non tam peccata dimisit, quam pœnitentiæ baptisma fuit, in peccatorum remissionem, idest, futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura.* Gregorius M. lib. I. in Evang. Hom. VII. num. 3. *Joannes*, inquit, *non Spiritu, sed aqua baptizat; quia peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non lavat.* Denique Theophylactus in Evang. ita loquitur Joannis ore, pag. 19. *Meum baptisma non dat spiritualem gratiam, sed neque peccatorum remissionem.* τὸ μὲν ἐμὸν βάπτισμα οὐ δίδωσι πνευματικὴν χάριν, οὐδὲ γὰρ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Producam postremo loco & exterorum testimonia. Primum, cum Dominus baptismum instituit, Judæorum aliqui cum discipulis Joannis disceptantes, *præter sententiam, atque inviti fateri coacti sunt longe præstantius esse Christi baptisma*, inquit Cyrillus in Joan. Tom. IV. pag. 175. expendens quæ narrantur Joan. III. 25. & IV. 2. ἐπὶ τῶν γραμμάτων χωρῶν, καὶ ἄκοντες πολὺ δὲ κάλλιον εἶναι λέγοντες τὸ διὰ Χριστοῦ λεγόμενον βάπτισμα. II. Josephus lib. XVIII. Antiq. cap. VII. nunc V. n. 2. de Joanne, ejusque baptismate scribit: *Deo enim ita acceptum iri lavacrum ajebat, cum eo non ad expiationem criminum uterentur, sed ad corporis munditiem*, οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι, μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείᾳ τοῦ σώματος. Citatur hoc testimonium Josephi ab Origene lib. I. contra Celsum pag. edit. Cantab. 35. & ab Euseb. H. E. lib. I. cap. XI. pag. 29. nec est, qui illud in dubium hactenus revocaverit. III. Etiam hæretici veritatem hanc agnovere. De Vossio dictum supra, fateri multos Patres sentire nobiscum: adde in proxima quæst. contra Anabaptistas num. XXIX. hæc subjicere: *Plurimi aqua tantum baptizasse Joannem putant.* Grotius aperte amplectitur Catholicorum sententiam in Act. cap. XIX. v. 4. Tom. 2. pag. 637. Quid? Ipse Lutherus in disputatione habita anno 1520. art. 2. ait: *Baptisma legis membra, vestes, vasa lavabat, figurans spiritu externorum operum sanctitatem, & legis velamen: baptisma Joannis, revelata facie legis, omnes peccato immergit, & avidos gratiæ facit: baptisma Christi peccato mersos, & avidos gratia educit, & novas creaturas facit. Ut baptisma legis pœnitentiam non præstabat, sed magis præsumptionem, donec in baptisma Joannis desinebat: ita Joannis baptisma gratiam non præstabat, sed magis desperationem, donec ad baptismum Christi pertingebat.* Idem tradidisse Melanchthonem in primis locis communibus animadvertit Cassander in Consult. ad art. IX. Confess. Augustanæ Tom. IV. Op. Grot. pag. 571. Cur ergo postea Melanchthon, ejusque Sectatores a sententia discesserunt? Nempe quoniam devexa est mendaciorum via, ac tumidorum hæreticorum sapientia per viam eamdem incedit,

Commentisque suis ludificata ruit:

inquit Prosper.

Diluenda remanent perpauca Acatholicorum objecta, videor enim mihi præcipua non præcidisse tantum, sed & avulsisse radicitus. Principio, inquiunt, satis liquet baptismum Joannis & Christi convenire in causa efficiente principali, cum propositione prima dictum sit, illum quoque fuisse cælestem. Nec dici potest, quod reponunt Bellarminus de Baptismo cap. 20. & Maldonatus de Sacram. disp. 2. q. 3. baptismum Joannis fuisse cælestem quantum ad institutionem, non quantum spectat ad affectum & ritum; oportet enim ritum & effectum Deo tribuere, si ipse Joannem miserat ad tingendum aqua in remissionem peccatorum, ut legimus Joann. I. 33. Convenit præterea utarque baptismus materia, quia utrobique tinctio facta est aqua. Conveniunt & in ratione *formæ*; nam videtur parum probabile Joannem muta ceremonia fuisse contentum; si autem formula hac usus est, *Baptizo in nomine Messiæ venturi*, aut duntaxat, *In nomine Christi*; hæc forma non est diversa ab ea, quam adhibuerunt discipuli ante passionem, atque, ut nonnulli e Schola docuere, etiam post passionem in baptizandis Judæis. Tandem etiam in affectu convenit utrumque baptisma, aut effectus accipiatur pro obsignatione doctrinæ, aut pro remissione peccati. Nam si de doctrina sermo sit, etiam Joannes annuntiabat Christum, dicens Joan. I. 29. *Ecce agnus Dei, &c.* imo & Trinitas in ejus baptismate innotuit, cum baptiza-

ptizato Domino vox *Patris audita est*, & *Spiritus sanctus in columba specie descendit*, Matth. III. 16. & Lucæ III. 22. De remissione autem peccati, sicuti Act. II. 38. de baptismate Christi ait Petrus, *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum*, ita Marci I. 4. de baptismo Joannis legitur: *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Eadem ergo ratione uterque baptismus peccata abluit.

Revera baptismo Joannis remissa fuisse peccata docent nonnulli Patres. Tenet primum locum Basilius, qui Orat. superius laudata de baptismo Tom. I. pag. 648. inquit: *Simul itaque accesserat quis, & peccata sua, quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus fuerat; in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat*. Ἅμα τοίνυν προσῆλθέ τις ἐξομολογησάμενος τὰς ἁμαρτίας, ὅσας δήποτ' ἂν, ἢ ὁποίας δήποτ' ἂν. καὶ ἐβαπτίζετο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ, καὶ εὐθὺς ἐλάμβανε τὴν ἄφεσιν ἁμαρτημάτων. Accedit Ambrosius, qui lib. de Spiritu sancto cap. 3. num. 41. ait: *Joannes in remissionem peccatorum in advenientis Jesu, non in suo baptizabat nomine*. Ex quo loco Mag. sent. in IV. dist. 2. infert baptizatos a Joanne non fuisse rebaptizatos, si in Trinitatem crediderant, nec in ipso baptismo Joannis spem collocaverant, ac rebaptizatos tantum, qui Spiritum sanctum nesciebant, suamque spem in Joannis lavacro posuerant. Opponit Vossius & Prudentium, quem Cathemer. hymno VII. tribuisse baptismo Joannis remissionem peccatorum, affirmat quoque Jansenius Gandavensis in Concordia cap. XIII. pag. 99. Prudentii autem verba ista sunt:

Hoc ex lavacro labe dempta criminum
Ibant renati; non secus, quam si rudis
Auri recocta vena pulcrum splendeat,
Micet metalli sive lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.

Quædam sunt alia, sed levioris momenti; ut unum esse baptisma, auctore Apostolo ad Ephesios IV. 5. nec Joannem, nec ejus discipulos, nec Apostolos certe tinctos fuisse baptismo Christi: istum denique baptizatum, nobisque fore maximum solamen, ac decus, si eadem cum Redemptore nostro mersione abluamur; sed de his plura Bellarminus de Baptis. cap. 23.

Hæc tamen nullam ad catholicum dogma labefactandum vim habent. Ad primum enim respondemus duo in institutione aliqua spectari, instinctum, sive inspirationem atque mandatum, & potestatem virtutemque rei collatam. Si primum attendas, baptismus Joannis cælestis erat, quod nos adversus Orostodium statuimus: si spectes alterum, non cælestis erat, sed elementaris, corpus tantummodo tingens; & hanc tingendi vim habet utique Jordanis flumen a Deo, sed non primum collatam, dum misit Joannem baptizare; tunc inditam, cum initio temporis aquam fluidæ naturæ produxit. Id ante Bellarminum, & Maldonatum tradiderat S. Thomas 3. p. q. 38. art. 2. *Dicendum, quod in baptismo Joannis duo possunt considerari, scilicet ipse ritus baptizandi, & effectus baptismi. Ritus quidem baptizandi non fuit ex hominibus, sed a Deo, qui familiari Spiritus sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine; quia nihil in illo baptismo efficiebatur quod homo facere non posset: unde non fuit a solo Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur*. Ante beatum Thomam idem tradiderat Tertull. scribens lib. de Baptismo cap. 10. *divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen, non potestate, quod & Joannem a Domino missum legimus in hoc munus; ceterum humanum conditione. Nihil enim caleste præstabat, sed calestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus*. Perperam ergo Vossius impetit Bellarmini & Maldonati responsa. In baptismo Joannis fuisse tinctionem nemo ignorat: defuisse *formam* supra ostendimus; quam si detrahas, *quid est aqua, nisi aqua?* inquit Augustinus Tract. 80. in Joan. n. 3. Nec proinde asserimus Joannem muta usum ceremonia, cum Christum annuntiasse, & ad pœnitentiam hortatum fuisse quos tingebat, sit certum: negamus hanc prædicationem, hortationemque appellandam Sacramenti *formam*, quam in doctrina sitam esse aliud est hæreticorum figmentum jam altero libro dispunctum. Atque ut liberalis sim, & concedam Joannem adhibuisse *formam* fundendo elementum; baptizasse tamen sub invocatione Trinitatis falsum est penitus. Ridendus hic mihi est Vossius, qui id ex uno Magistro sent. in IV. dist. 3. probare nititur. Huc ne confugiunt, qui non solum Lombardum, verum & Scholasticos omnes, imo & Patrum traditiones rejiciunt? Sed & magister eo loci discipulos ante passionem *baptizasse in nomine Trinitatis*, scribit; baptismo Joannis baptizasse, non scribit: quinimo eo loci complectitur opinionem eorum, qui ajunt Christum instituisse baptismum in Jordane, quando baptizatus est a Joanne, ac propterea haud inverisimile putat Apostolos ante passionem baptizasse *in nomine Trinitatis*. Unus ergo eximendus est scrupulus de remissione peccatorum. Solet responderi, baptismo Joannis non dimissa peccata virtute baptismi, sed virtute pœnitentiæ; cum baptismus Christi eadem diluat propria vi, atque energia: quare baptismus Joannis dicitur *baptismus pœnitentiæ*, baptismus Christi *lavacrum regenerationis*: quæ responsio est fere communis, placuitque ex Reformatis Scriptoribus etiam Regnerio Pedrinio in Matth. pag. 137. quod num. XI. cogitur Vossius concoquere. Tutatur autem sese responsio ista ab omni adversantium oppugnatione, modo verba ipsa, quæ opponuntur, attendas.

At mihi arridet responsio altera, quod baptismus Joannis erat in remissionem peccatorum proxime futuram per Christum, ad quem digne suscipiendum populus ad pœnitentiam voce Præcursoris excitabatur. De baptismo quippe Joannis non legimus, eo hominem renasci, regenerari, sepeliri in Christi mortem, ablui peccata, & cetera, quæ diximus cap. I. de Christiano baptismo enuntiari; sed legimus tantum, *fuisse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: quorum verborum sensus est, Joannem prædicando & baptizando ad pœnitentiam fuisse exhortatum Judæos, ut pararent viam ei, qui adveniebat gratiam exhibens, baptizans in Spiritu sancto, & peccata dimittens: qua exhortatione, si qui pœnitentiam egit vehementem, hunc vi contritionis fideique caritati conjunctæ justificatum, nequaquam repugno. Trahit me primum in hanc sententiam, quod Joannes non hortabatur ad pœnitentiam tanquam ad dispositionem baptismatis sui, ut Petrus Act. II. 38. sed tanquam ad præparationem pro recipiendo Messia, dicens Matth. III. 2. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*: atque dum Jesum vidit, Joan. I. 29. 33. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Deinde sensum hunc innuit Paulus Act. XIX. 4. de quo loco plura jam dixi: idque fatetur etiam Acatholicus Grotius. Præterea hæc fuit plurimorum Patrum sententia. Tertullianus, *Prædicabat baptismum pœnitentiæ* (inquit de Bapt. cap. 10.) *in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum*. Hieronymus in Joelem supra laudatus, *in futuram remissionem*. Augustinus lib. V. de Bapt. cap. 10. *In remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsa vero in Domini baptismo id fieret*. Insuper cohæret cum his Patribus sententia aliorum, qui absolute negant baptismo Joannis dimissa peccata. Ad hæc idem sensisse Tridentinos Theologos auctor est lib. IX. Hist. cap. 7. Pallavicinus. Tenuisse denique sententiam istam Scholarum Angelum, satis liquet ex 3. p. q. 38. ad 2.

Excipiuntur, & explanantur utraque responsione, quæ objiciebantur ex Patribus, perpauca tamen, & quæ cum supra productis nequeant æquiparari. Si enim velis baptismo Joannis dimissa crimina vi tantummodo pœnitentiæ; hanc Basilius commemorat, nec Ambrosius, & Prudentius excludunt. Si responsionem præfers nostram; etsi fundandum non est, ut commonstretur omnes omnino veterum denegasse baptismo Joannis peccata fuisse dimissa: id enim ad fidem non spectat, ut supra monuimus; contendere poteris, neque Basilium habere nos adversarium. Quomodo enim adversarius, qui in libro de Spiritu sancto nobis quæ diximus præmonstravit? In loco autem, qui objicitur, tria baptismata distinguit, unum Mosis, alterum Joannis, tertium Christi. Primum, quod promittebat futurum Reparatorem, & conferebat solam munditiem legalem, appellat *obsignationem purificationis*, τὸ σφράγισμα τοῦ καθαρισμοῦ: alterum, in quo Salvator prædicabatur adveniens, exhibebat εὐθὺς τὴν ἄφεσιν, *statim remissionem*: tribuebat tertium, reliqua superans, τὴν ὑπερβολὴν χάριτος, *supereminentiam gratiæ*. Ne locus iste pugnet cum iis, quæ scripsit Basilius in lib. de Sp. S. interpretor ego particulam, εὐθὺς, *statim*, ac si idem valeat ac *quamcitissime, quamprimum*; ita, ut sensus sit, primum baptisma prænuntiabat remissionem aliquando futuram: alterum jam advenientem, ac statim obtinendam; tertium vero plenam, perfectamque largitur. Nonne hæc interpretatio optime Basilii scopo, verbisque collineat? Idem affirmandum de verbis Ambrosii: *Joannes*, inquit ille, *in remissionem peccatorum, in advenientis Jesu baptizabat nomine*, idest, in remissionem futuram. Quid arduum, absurdumque, si ita explicemus Ambrosium, qui Præf. in Psalmum XXXVII. Tom. I. pag. 816. docet solum baptismum Christi conferre gratiam, baptismum vero pœnitentiæ incutere timorem suppliciorum? *Baptismus Joannis*, inquit, *oculus suppliciorum est; baptismus Christi oculus gratiarum*: & in Lucam lib. 2. numer. 78. pag. 1307. *Aqua corpus abluitur, Spiritu animæ delicta mundantur. Aliud agimus, aliud invocamus; licet etiam in ipso fonte sanctificatio divinitatis adspiret. Non enim aqua omnis ablutio; sed hæc inter se divisa esse non possunt; & ideo aliud fuit baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est. Istud ex utroque, illud ex uno*. Agit autem Ambrosius ibi de Joanne, & exponit ejus verba, *Ego vos aqua baptizo*. Unus restat Prudentius. Et hunc possumus accipere de remissione *in spe*, & quæ lavacrum Joannis non comitaretur, sed consequeretur; nam cecinit eo in loco,

Sed

Sed tinctu postquam membra defæcaverat,
Cælo refulgens influebat Spiritus.

Si repugnes, unoque versu decertes, antitheton panget lib. 1. H. Evang. Arator:

Nomine venturi Præcursor in orbe Joannes
Exhibuit baptisma suum, Dominoque paravit
Ipse viam, memorans cunctis baptisma futurum
Post aliud, quod jure datur, quod Trina potestas
Illustrare solet.

Reliqua paucis expediam. Apostolus ad Ephesios scribens, eos monet, ut soliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, IV. 3. ex quo eidem Domino se devoverint, eamdem fidem fuerint amplexi, eodemque baptismo regenerati. Nil illic de Joannis baptismate. Etiam Joannem baptizatum a Christo affirmat Nazianzenus pag. 633. in Oratione XXXIX. Idem scribit Sanctus Thomas cit. q. 38. ad 3. Vide Cardinalem Gotti Tom. XIII. pag. 156. Necesse tamen non erat, ut tingeretur baptismo novæ legis Præcursor, priusquam hæc obstringaret truncatus capite. Discipulos baptizatos baptismo Christi scribit Augustinus Ep. ad Seleucianam, nunc 265. num. 5. Baptizari Christus a Joanne voluit, ut Præcursoris ministerium probaret, ob quam rem & circumcisionem accepit: ut exinanitus in forma servi, & factus in similitudinem carnis peccati, simile cum peccatoribus susciperet signum; ut nobis præberet humilitatis exemplum; ut denique consecraret baptismi nostri elementum, de qua re infra. Lege S. Thomam 3. p. q. 38. art. 1. & 2. Suaresium Tom. 2. pag. 256. & Jansenium in Concordia cap. 14. At nobis, instituto salubriori remedio, quemadmodum nec carnis circumcisio, ita nec ablutio sola abstergens membra præscribitur; ac magis consolationis nostræ argumentum est, quod exclusum fuerit baptisma servi, quod institutum salubrius, quod regeneremur Spiritu sancto, & ex fonte levemur tanquam e Christi sepulcro ad spiritalem vitam renati. Hæc de baptismo Joannis: de quo ajebat Cyrillus Tom. IV. pag. 156. Joannem apertissime suum a Christi baptismate alterum, ac longe imparem commonstrasse, quasi præscius foret, *exorituros aliquos, qui præ mentis inopia dicere auderent, nullum esse prorsus eorum discrimen. ἐν γὰρ ὄντας ἐλπίδος ὡς μακρὰν ἀναδυχρόνισθαί ποτε τοὺς ἀποτολμῶντας ἐξ ἀνοίας αὐτῶν μηδεμίαν ὅλως ἐν αὐτοῖς ὑπάρχειν τὴν διαφορὰν*, &c. Dignum cedro, & quo dissertatio claudatur, oraculum.

CAPUT III.

Quando a Christo institutum sit Baptismatis Sacramentum?

VEnio ad Baptismum Christi, de quo primum inquiritur quando a Domino sit institutus. Arcessunt quidam baptismi originem ab eo tempore, quando Christus Matth. XXVIII. inquit Apostolis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. in qua sententia fuit Rupertus lib. 3. in Joannem: nec ab ea recedunt qui cum Melchiore Cano lib. VIII. de locis Th. cap. 5. tenent nunquam Apostolos ante Christi mortem aliud, quam Joannis, administrasse baptisma. Alii cum Scoto in IV. dist. 3. baptizasse Apostolos baptismo Christi ante hujus mortem haud negant, sed quo tempore baptismus sit institutus ajunt omnino esse incompertum: qua de re legendus Mastrius Tom. IV. disp. 2. quæst. 1. Nonnulli cum Alex. Alensi p. 4. de Sacram. q. VIII. membro 2. art. 3. distinguunt multiplicem baptismatis institutionem, unam, quam vocant *potentialem*, cum Jesus baptizatus in Jordane aquis vim regenerativam largitus est; *formalem* alteram, cum ait Apostolis, *Ite, docete*, &c. præscribens formam, *In nomine Patris*, &c. alteram quantum *ad finem*, dum ait Joan. 3. *Nisi quis renatus*, &c. Quantum *ad effectum* quartam, dum inquit Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, &c. Rursus institutum baptismum ajunt quantum *ad efficaciam, & significationem*, quando de Christi latere Joan. XIX. *exivit sanguis, & aqua*. Addunt & institutum *officialiter*, cum Dominus misit discipulos binos & binos ad prædicandum & baptizandum, Lucæ X. Ajebat de Alensi Vossius disp. IX. thesi I. *non dividere, vel distinguere, sed concidere in minutias, ut bovem solent molossi*. Permulti denique unum institutionis tempus designant: quidam cum Estio dist. 3. §. II. quando Christus ait Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Joannis III. 5. quidam vero quando in Jordane baptizatus est a Joanne. Tenent hanc postremam sententiam cum Magistro in IV. dist. III. ac S. Thoma 3. p. q. LXVI. art. 2. Thomistæ, ac nostrates singuli; necnon Bernardus Zane Episcopus Spalatensis in Orat. habita in Conc. Lateran. V. an. 1512. Bellarminus lib. 1. de Bapt. c. 5. Suarez in præcitatum art. quæstionis 66. Vasquez disp. 140. cap. 4. atque ex recentioribus J. B. Du-Hamel cap. 2. Ludovicus Habert cap. 1. q. 7. Boucat dissert. I. art. 5. ac Tournely q. 3. art. I. Ego quoque, tametsi disquisitionem hanc parum necessariam arbitror, scholæ morem gerens opinionem postremam tanquam probabiliorem amplector.

PROP. I. Probabilius est baptismum a Christo fuisse institutum ante passionem, & quidem dum baptizatus est a Joanne.

Demonstratur prior pars. I. Joannis III. 22. & IV. 1. legitur etiam Jesum, ac discipulos ejus baptizasse. Atqui non baptizarunt baptismo Joannis; igitur baptizarunt baptismo Christi. Minorem probo: ait eo loci Evangelista, *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*. Dicitur ergo Christus baptizasse, ministrantibus discipulis baptismum: ideoque hi Christi, non Joannis baptisma administrabant; alioqui Joannes potius, quam Christus dicerentur per discipulos baptizasse. Præclare S. P. Augustinus Tract. XV. in Joannem, num. 3. *Baptizabat enim, quia ipse mundabat, non baptizabat, quia non ipse tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis*. Et in Epist. ad Seleucianam 265. num. 5. *Ipsius enim erat baptismi Sacramentum; ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat*. Similia Cyrillus in Joannem pag. 156. ubi etiam advertit, nunquam Joannem baptizasse, διὰ χειρὸς ἑτέρων, *per aliorum munus*. Et Ammonius in Cat. Græcor. pag. 103. *Ceterum baptisma Evangelicum tradebat, quod multum erat a Joannis baptismate diversum*: τὸ Εὐαγγελικὸν λοιπὸν παρεδίδου βάπτισμα, ὅπερ πολλὴν εἶχεν διαφορὰν πρὸς τὸ Ἰωάννου. Rursus Joannes de Christo prænuntiaverat, Joann. I. 33. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*; nec ullibi invenies Dominum Jesum aqua duntaxat baptizasse. Cum igitur audis, *Jesus baptizabat*, accipere debes, baptizabat *Spiritu sancto*. Recte Augustinus cit. Tract. XV. num. 4. *Hic est qui baptizat. Baptizat quidem Christus in Spiritu*, &c. Rursus nullibi legimus eos, quos discipuli Domini baptizarunt, fuisse iterum baptizatos, sicuti Act. XIX. 4. rebaptizatos novimus baptizatos baptismo Joannis, utique, quod hi non essent tincti baptismate Christi, ut præc. cap. dictum est. Baptizati ergo a discipulis Domini, Christi baptismum receperant. *Quidam qui habebant baptisma Joannis* (inquit August. Tract. V. in Joan. num. 16.) *jussi sunt a Paulo baptizari, non enim habebant baptisma Christi*. Et num. 18. *Dedit Judas, & non baptizatum est post Judam, dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem, quia si datus est a Juda Baptismus, Christi erat*. Ait Augustinus contra Donatistas, quos imbelli peteret argumento, si discipuli Domini dedissent baptismum Joannis. II. Discipuli Joannis, cum audissent etiam Jesum baptizare, *venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum*, Joann. III. 26. Si Jesus, ejusque discipuli baptizassent baptismo Joannis, cur discipuli Joannis quæstionem movissent illam, dum ipsius honori cessisset, quod baptismate suo etiam Christi discipuli baptizarent? Vide Augustinum Tract. XIII. num. 8. & Epist. XLIV. ad Eleusium cap. V. num. 10. & Cyrillum in Joannem pag. 175. Addo Ammonium scribentem pag. 104. ideo confertim turbas ad baptismum Christi accurrisse, quoniam *neque Joannis, neque discipulorum ejus baptismus Spiritum sanctum conferebat*, ὅτι τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, ὅτι οὐδὲ τῶν μαθητῶν παρεῖχε πνεῦμα ἅγιον. III. Joannis XIII. 10. Christus discipulorum lavans pedes, inquit ad Petrum: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*. Petrus itaque ante passionem Christi baptismo, idest, *aqua, & Spiritu sancto* fuerat ablutus. *Perfecta enim mundatio*, inquit Augustinus cit. Epist. 44. *non in Joannis, sed in Domini baptismo est*. Poterat quidem Petrus mundus esse eo tempore sine baptismate nondum quoslibet obstringente: sed tamen Augustini ratio persistit, tum quia baptismus perfectiorem contulisset munditiem: tum quia congruum erat, ne Apostoli Eucharistiam acciperent, & novæ legis Sacerdotes constituerentur nondum baptizati, quod eo loci S. Pater animadvertit; tum demum quia revera Petrum fuisse a Domino baptizatum est vetus traditio, de qua vide Euthymium in Evangelia pag. 324. Evodium apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. pag. 134. & Acta ab Æmilio Sanctorio collecta Tom. VII. SS. Junii pag. 3. Atque hæc de prima propositionis parte.

Alteram partem stabiliunt quæ sequuntur. I. Si Dominus, ejusque discipuli dabant aliud a Joannis baptismate; atque, ut liquet ex Historia Evangelica, nunquam leguntur ante baptizatum Jesum baptizasse, id vero fecerunt Joanne adhuc superstite, & initio Dominicæ prædicationis: profecto videtur eo tempore, quo Christus ad Jordanem venit, baptismus ab eo consecratus & institutus, siquidem antea non erat, & posthac solemni ritu ministrabatur. II. Instituitur Sacramentum dum consecratur *materia*, & designatur verborum *forma*. At *materiam* baptismatis, idest, aquam fuisse a Domino in Jordane mundatam, sanctificatam, consecratam, concors est sanctorum Patrum sententia: quare S. Thomas q. 66. art. 2. inquit, *Tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum: hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus; unde tunc vere baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum Sacramentum*. Neque hanc probationem

elidunt quæ reponit Estius cum antiquioribus, Christum contactu carnis suæ ordinasse aquam ad regenerationem hominum, non ei regenerativam vim contulisse, aut quod ait Juenin, aquas Jordanis contactu quidem Christi sanctificatas, non autem donatas fuisse sanctificandi virtute: oppositum quippe docent Patres, si perlegantur attente. Ambrosius enim lib. 2. in Lucam num. 83. pag. 1308. non solum ait, *Baptizatus est ergo Dominus non mundari volens, sed mundare aquas*, quæ verba plures exscripserunt; sed ulterius addidit, *ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberent*, ut recte vidit S. Thomas q. 39. art. 1. Nazianzenus Orat. XXXIX. pag. 633. inquit Christum accessisse ad baptismum, ut ipsum a quo baptizabatur afficeret sanctitate, ut in aqua veterem Adam sepeliret: *Præsertim vero, & propter hoc Jordanem, quemadmodum ipse spiritus, & caro erat, ita spiritu perficiens, & aqua*, πρὸ δὲ τούτων, καὶ διὰ τοῦτο τὸν Ἰορδάνην, ὥσπερ ἦν πνεῦμα καὶ σάρξ, ἵνα πνεύματι τελειῶν καὶ ὕδατι. S. Maximus Taurinensis Hom. VI. de Epiph. Tom. VI. Bibl. PP. pag. 12. *Christus*, inquit, *beati Joannis ministerio fluenta Jordanis benedictione proprii baptismatis consecravit*: & infra, *Baptizatur Filius in Jordane, Spiritus sanctificat Sacramentum, Pater aperit veritatem*: ac seq. Hom. VII. *Quod vero fluentis Jordanis baptizatur Jesus, aqua nostro baptismati consecrantur*; ac rursus pag. 13. *Baptizatur ergo Jesus, non sibi, sed nobis: baptizatur non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet: baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat Sacramentum*. Mitto sermonem 36. de Tempore inter Augustinianos, nunc in Appendice n. 135. Cyrillum in Symb. Græc. Tom. 1. pag. 44. En aperte affirmant Patres Christum in Jordane non solum aquas sanctificasse suæ carnis contactu, verum etiam eas perfecisse, ut haberent jus baptismatis, ut in earum ablutione adesset Spiritus sancti energia, ut nostro baptismati consecrarentur, ut novum instituerentur baptisma: quid est autem donari sanctificationis virtute, si hoc non est? III. Aquas in Jordane vi regenerationis donatas antiquæ etiam Liturgiæ commonstrant. In vetusto Missali Gothico Gallicano edito a Cardinali Thomasio, & citato ab Edm. Martenio lib. 1. de Antiq. Rit. art. 18. pag. 169. in Benedict. Fontis Baptismalis legitur: *Deus qui Jordanis fontem pro animarum salute sanctificasti*: Item: *Sanctifica, Domine, hujus laticis undas, sicut sanctificasti fluenta Jordanis*. In Græcorum Euchologio apud Jacobum Goarium in Officio Baptismatis pag. 350. habetur: *Ut in eam (aquam) redemptionis gratia, benedictio Jordanis mittatur, Dominum precemur*: ὑπὲρ τοῦ καταπεμφθῆναι αὐτῷ τὴν χάριν τῆς ἀπολυτρώσεως τὴν εὐλογίαν τοῦ Ἰορδάνου, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. Ubi male apposuit Goarius particulam *ET*, quæ non apparet in Græco, ita, ut benedictio Jordanis sit ipsa gratia regenerans. Hinc additur, *Ut virtus purgativa supersubstantialis Trinitatis his aquis insideat*, ὑπὲρ τοῦ καταφοιτῆσαι τοῖς ὕδασι τούτοις τὴν καθαρτικὴν τῆς ὑπερουσίου Τριάδος ἐνέργειαν. Pag. 353. *Da ei redemptionis gratiam, Jordanis benedictionem*, Δὸς αὐτῷ τὴν χάριν τῆς ἀπολυτρώσεως τὴν εὐλογίαν τοῦ Ἰορδάνου: ac statim, *Fac illam incorruptionis fontem, sanitatis donum, solutionem peccatorum*, ποίησον αὐτὸ ἀφθαρσίας πηγήν, ἁγιασμοῦ δῶρον, ἁμαρτημάτων λυτήριον. In Ordine baptismi apud Æthiopes, Tom. IV. vet. Bibl. Patrum pag. 47. qui Ordo inscribitur Severo Patriarchæ Alexandrino, *O Deus, qui media in Jordane baptizatus es a Joanne, & naturam aquarum sanctificasti, ad te accedo, miserere mei: multum lava me Deus, qui tanquam indigens baptizatus es in fluvio Jordanis, & sanctificasti nobis baptismum apud te*. Infra: *In baptismo suo sanctificavit nobis baptismum*. Vide & Jos. Vicecom. lib. 1. cap. XV. pag. 36. In benedictione, qua utitur Romana Ecclesia in Sabbato sancto id utique non exprimitur; sed nota, Gulielmum Durandum in Rat. Divin. Offic. lib. VI. cap. 82. pag. 237. animadvertere ea verba *Qui in te a Joanne baptizatus est*, olim proxima fuisse illis, *Qui te de paradisi fonte manare fecit*; cujus transpositionis hanc ille rationem reddit: *Quia gratia de paradiso manans aquis in baptismo est infusa, unde de baptismi gratia Ecclesia profluens in quatuor partes orbis dilatata est, quod quodammodo factum est, quando Dominus baptizatus est a Joanne, quia tunc aquæ vim regenerativam susceperunt*. Postposita autem ea verba fuere, aut servata serie historiarum sanctarum, aut auctoritate libri Sacrament. Gregorii, Tom. III. pag. 72. editique a Thomasio pag. 83. At de priori illa lect. etiam Prompt. Antiq. Liturg. Tom. III. pag. 52. Vim ergo regenerativam in Jordane collatam aquis comprobant vetera quoque Ritualia. IV. Posset & huc referri, quod in Ecclesiæ primordiis, tametsi aliquando tingerentur, ubi primum aqua occurrisset, ut de Eunucho Reginæ Candacis narratur Act. Apost. VIII. 36. præsertim tamen mysterium illud peragebatur *in fluviis*, ut ex Walfrido Strabone lib. de reb. Eccl. cap. 26. & Honorio Augustodunensi lib. 3. de Gemma animæ cap. 106. referunt Vicecomes lib. 1. cap. 4. Durantes lib. 1. cap. 19. Martene lib. 1. art. 2. in Operibus, quæ præclari hi viri de Antiquis Ecclesiæ ritibus ediderunt. Hujus autem rei causam producunt istam, quoniam, ut Walfridus inquit, *ipse Dominus noster Jesus Christus, ut in nobis idem consecraret lavacrum, in Jordane baptizatus est a Joanne*. V. Nec tantum materia, etiam forma baptismi in Jordane designata est. *Apparet*, inquit August. Tract. VI. in Joannem n. 5. *manifestissima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. In ista Trinitate missi sunt Apostoli*. Ante Augustinum Origenes Cat. Græc. pag. 45. Ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ πεφανέρωται τοῖς ἀνθρώποις ἡ Τριάς. εἰ γὰρ ὁ πατὴρ ἐμαρτύρησε, καὶ ὁ υἱὸς ἦν ὁ μαρτυρούμενος, καὶ ὑποδεικνύον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πῶς ἡ Τριὰς ἡ θεότης; videlicet, *In Jordanis fluvio manifestata est hominibus Trinitas. Si enim Pater testimonium dedit, & Filius fuit de quo testimonium est datum, & qui ipsum manifestavit, Spiritus sanctus, quomodo non Trinitas divina?* Ac in præcitato Æthiop. Ord. pag. 51. *Fons vitæ apertus est baptismus, & Pater, Filius, & Spiritus sanctus in sancta gratia sua. Pater qui clamavit, Hic est filius meus dilectus, & Filius qui inclinavit caput suum, & in eo baptizatus est, & Spiritus sanctitatis qui in specie columbæ volans descendit, & sanctificata sunt flumina, & fontes omnes*. VI. Denique & effectus Baptismi tunc innotuit, dum cæli aperti sunt, & Spiritus sanctus in columbæ specie descendit. Recte Ephrem Syrus volum. 2. Cat. Græc. pag. 85. *Aperiuntur autem cæli, quos clausit Adam & sibi, & posteris: quamobrem? ut discas etiam te baptizato hoc fieri, Deo ad supernam patriam te vocante*. Ἀνοίγονται δὲ οὐρανοί, οὓς Ἀδὰμ ἔκλεισεν αὐτῷ τε καὶ τοῖς μετὰ αὐτόν. τίνος ἕνεκεν; ἵνα μάθῃς, ὅτι καὶ σοῦ βαπτιζομένου τοῦτο γίνεται πρὸς τὴν ἄνω πατρίδα τοῦ Θεοῦ καλοῦντός σε. Et infra, *Super Jesum venit Spiritus, ut ostendat super omnes fideles dum baptizantur sese etiam venturum*. Ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν ἦλθε τὸ πνεῦμα, ἵνα δείξῃ ὅτι καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστοὺς μέλλει ἐπιφοιτᾶν βαπτιζομένους.

Oppones: Præmissæ thesi sacræ literæ, Patres, & ipsa ratio adversantur. Et sacræ quidem literæ, nam cum Christus in Jordane baptizatus est, baptisma servi suscepit, nulla *forma* verborum consecratum. Enimvero principio constat *formam* baptismi nostri institutam, cum Dominus mittens Apostolos ad prædicandum Matth. ult. inquit, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Deinde constat ante Christi adscensionem datum non fuisse Spiritum sanctum, Joan. VII. 39. Præterea falsum est ante passionem collatum fuisse baptisma Christi; nam a quo, & cui datum comminiscimur? A Christo? At ipse non baptizabat. Apostolis? Hi vero Spiritu sancto baptizandi erant post Christi discessum. Paulus insuper baptizatos nos docet *in morte Christi*, ad Rom. VI. 3. ideoque nemo ante Christi passionem, ipsius baptismate tinctus fuit. Ad hæc, si ante passionem institutum velimus, cur non subscribimus Estio, qui institutum arbitretur, dum Christus ait Nicodemo Joannis III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.*? Hæc enim verba de Baptismo Christi Patres omnes exponunt. Constat etiam ex Evangelica Hist. ibid. versu 22. post habitum colloquium cum Nicodemo, venisse Jesum in terram Judæam, & baptizasse, *velut procedens*, inquit Estius, *ad executionem institutionis factæ*. Hæc ex Scripturis. II. Quantum ad Patres attinet, Augustinus Tract. 120. in Joannem, num. 2. aliisque in locis ait Ecclesiæ Sacramenta profluxisse ex latere Christi, quando exivit inde *sanguis & aqua*: Joan. XIX. 3. Quomodo ergo fuerat antea Sacramentum aquæ, idest, Baptismatis? Antiquior Tertullianus de Baptis. cap. 11. scribit: *Itaque tingebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante præcursor, eodem baptismo Joannis*. In eadem sententia, nemine contradicente, sunt Chrysostomus Hom. XXVIII. in Joannem pag. 145. & ejus pedisequus Theophylactus in Evang. pag. 601. His connumerari potest Ambrosius scribens de Apostolis in Galilæa post Christi resurrectionem congregatis, lib. XIX. in Lucam num. 183. *Quibus docendi, & baptizandi tribuit potestatem*. Accedit Magnus Leo, qui Epistola IV. ad Episcopos per Siciliam constitutos, cap. 3. pag. 110. ait: *Posteaquam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus Præsules omnes Ecclesiarum docebantur, & formam, & potestatem tradidit baptizandi, dicens, Euntes ergo, &c. De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cœpisse*. III. His ratio suffragatur: Sacramenta enim suam ex Christi passione habent efficaciam, ideoque debent passionem illam supponere. Deinde Sacramentorum institutio legislatoris actus est: at in Jordane Christus non jurisdictionem exercuit, sed potius humilitatem. Denique, etsi detur in Jordane omnia, quæ in Christi baptismo peraguntur, præsignata fuisse, formam quoque, & effectum, id nequaquam satest, ut illinc repetamus baptismatis institutionem: siquidem etiam Lucæ 7. in muliere peccatrice designatæ fuere partes omnes Sacramenti Pœnitentiæ, contritio in lacrymis, satisfactio in caritatis & humilitatis operibus, nec non *forma* in verbis a Christo prolatis, *Remittuntur tibi peccata tua*; & nihilosecius Sacramentum Pœnitentiæ juxta Tridentinum, sess. XIV. cap. 1. fuit institutum, quando Christus post resurrectionem, Joan. XX. 22. in discipulos

suos

suos insufflavit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Igitur neque e signis, quæ apparuerunt in Jordane, recte colligas tunc institutum fuisse baptismum.

His ad hunc respondeo modum. Ad primum dico ad institutionem Sacramenti necessarium non esse, ut dum instituitur, *forma* proferatur; sed sat est efficax determinatio, ut quando hæc materia cum tali verborum formula applicetur, vim habeat sanctificandi. Atque hinc Hugo Victorinus libro Erudit. Theologicæ Tract. v. ait in Jordane institutum baptismum, *quia ibi collata est aquæ illa efficacia, ut quicunque postea mergeretur in nomine Trinitatis, consequeretur benedictionem*. Utitur eadem ratione S. Thomas. Adde inverisimile nequaquam esse Christum in Jordane non solum accepisse baptismum, sed etiam baptizasse Joannem, & tunc consecratis aquis baptismum suum instituisse. Joanni quippe dicenti Mat. III. 14. *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* respondit Dominus, *Sine modo*; quasi diceret, Ego te consecratis aquis postmodum baptizabo. Certe a Domino baptizatum Joannem scribit præcitatus Nazianzenus: & Hieronymus in cap. III. Matth. Tom. IV. pag. II. *Pulchre dixit, Sine modo, ut ostenderet Christum in aqua, Joannem a Christo in spiritu baptizandum*: quæ verba accipi nequeunt de baptismate martyrii, quo postea Joannes baptizandus erat; hanc enim expositionem addit quoque Hieronymus, præmissa particula, *sive aliter*, qua innuit se aliquid novi dicturum. Ad hæc affirmo Christum occasione baptismatis sui, præsentibus discipulis *formam* tradidisse, qua ipsi tingerent, ad eamque comprobandam Patris testimonium, & speciem columbæ accessisse: nam id contigit Domino jam baptizato, & cum ascendisset de aqua, Matth. III. 16. & Lucæ III. 22., aut dum baptizaret Joannem, aut dum instituti a se baptismi rationem exponeret: atque iccirco Ambrosius lib. de Sacramentis cap. 5. num. 15. scribit Spiritum sanctum descendisse, *cum Dominus noster Jesus Christus formam baptismatis daret*, Tom. 2. pag. 352. Divinitus quoque revelatum fuit Sanctimoniali Ordinis nostri Veronicæ de Binasco, a Domino jam baptizato tinctum Joannem, Tom. 2. Bollan. pag. 908. Denique etsi in Jordane solus baptismus Joannis fuisset collatus, nullaque *forma* nostri baptismatis tradita; sufficit ad Sacramenti institutionem, ut *materia* determinata sit, & *forma* illa aperte commonstrata, quibus baptismus Christi esset suo tempore conferendus; unde S. P. Augustinus serm. 63. de diversis, nunc 51. cap. 23. num. 33. ait: *Et quamvis esset illud baptisma Joannis: in eo tamen sensibiliter apparuit Trinitas Patris & Filii & Spiritus sancti, qua consecratus est ipsius Christi baptismus, quo baptizandi erant futuri Christiani*. Ex his diluuntur facillime cetera. Quando enim Christus misit discipulos ad baptizandas gentes, non instituit baptismum, sed præcepit, ut jam instituto gentes initiarent, nec solis Judæis, verum etiam paganis cum cælestem doctrinam, tum Sacramenta impertirentur. Spiritus sanctus visibili quidem specie super Apostolos in die Pentecostes descendit, sed ipsis, aliisque antea datus fuerat *invisibiliter*; & a quo jam acceperant sanctificationis gratiam, donati nunc fuerunt charismatum largitate. *Spiritus sanctus* (inquit Augustinus q. 62. inter LXXXIII.) *latenter dabatur ante Domini clarificationem, post manifestationem autem Divinitatis ejus manifestius datus est. Et hoc dictum est, Spiritus autem nondum erat datus, idest, nondum sic apparuerat, ut omnes eum datum esse faterentur: sicut etiam Dominus nondum erat clarificatus inter homines, sed tamen clarificatio ejus æterna nunquam esse destitit*. Ibidem S. Pater demonstrat datum antea Spiritum sanctum Davidi, Elisabeth, Zachariæ, Annæ, Simeoni, productis Scripturarum testimoniis. Ante passionem vero baptismum Christi datum a discipulis, & quidem confluenti multitudini, quam ad Christum mittebat Præcursor, dictum est supra. Baptizabat ergo Dominus *præsentia majestatis*: propria autem manu non quemlibet indiscriminatim, nonnullos tantum, Joannem nempe, ac Petrum, nec non Virginem matrem, quam a Domino baptizatam narrat citato loco Euthymius ex veterum traditione. Ab Apostolo autem baptizati dicimur *in morte Christi*, quoniam per gratiam *in novitate vitæ* ambulamus, sicut Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris: quem sensum tradit ibidem Paulus, explanatque Augustinus cap. LI. num. 14. Enchiridii. At argumentum Estii nullius est roboris; siquidem illis verbis, *Nisi quis renatus*, &c. non exprimitur institutio baptismatis, sed necessitas: quemadmodum iis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, Joan. VI. 54. necessitas quidem probatur, at non institutio Eucharistiæ. Hæc ad argumenta producta 1. num.

Ad ea, quæ urgentur ex Patribus, sic respondemus. Non oportet, ut ad confirmandam opinionem Scholæ suffragium afferat traditio universa: sufficit, si innixa ea sit plurium auctoritati. Tertullianus præterea, Chrysostomus, ac Theophylactus ducuntur momento illo, quod nondum datus esset Spiritus sanctus, quod ex dictis obviam habet solutionem. Ex horum quoque Patrum testimoniis sequeretur, nec in Jordane, neque ullo ante adventum Spiritus sancti tempore Sacramenta ulla fuisse efficacia, nec Eucharistiam in ultima Cœna institutam tribuisse spiritalis gratiæ ubertatem. Jure ergo præferimus Augustini, aliorumque sententiam, satis opera etiam nostra communitam. Nam quod S. Pater ait Sacramenta promanasse de Christi latere, illud de merito & efficacia accipiendum est, non de Sacramentorum institutione; alioqui tunc instituta quoque fuisset Eucharistia. At Ambrosius jure dixit *potestatem baptizandi*; aliud est enim baptismi institutio, aliud mandatum, præscriptio, intimatio: quæ duo optime distinguit S. Thomas. Etiam verba Leonis Magni referri debent ad mandatum & publicam baptismi promulgationem: etenim seq. num. 6. inquit de Christo, *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis*. Si tunc, quomodo postea? In Jordane instituit, in cruce confirmavit, ascensurus in cælum generali intimatione præscripsit ipsius regenerationis lavacrum.

Postremas argumentationes ita infringam. Ut baptismus vim suam atque energiam habeat a passione Christi, sat est si eadem passio prævisa fuerit. Ad institutionem vero requiri actum Legislatoris negant permulti: addit S. Thomas Christum, dum baptisma suscepit, implesse munus Legislatoris, quoniam inchoavit ea, quæ sunt novæ legis. At ego repono non ideo Christum instituisse baptismum in Jordane, quia a Joanne baptizatus est, sed quia dum baptizatus est tribuit aquis vim regenerativam: quod nego humilitatis tantum, non etiam auctoritatis ac potestatis fuisse exercitium. Ad ultimum fateor non omnem *materiæ* ac *formæ* designationem sufficere ad institutionem Sacramenti; necessaria est enim materiæ determinatio, & consecratio per verba, quæ sensibili signo vim tribuant producendi gratiam; quam vim Christus in domo Pharisæi accumbens nulli dedit, sed ipse divina potestate peccata pœnitentis mulieris abstersit. Accedit hanc esse inter baptismum, & pœnitentiæ Sacramentum differentiam, quod in baptismo in neminem exercetur *Judicium*; in pœnitentia autem pœnitentes *per Sacerdotum sententiam* ab admissis peccatis absolvuntur, ut sequenti cap. 2. eadem sessione XIV. docet Synodus Tridentina. Quare merito Pœnitentiæ Sacramentum *præcipue* institutum dicitur, cum Dominus a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens, *Accipite*, &c. quoniam *tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit*, inquit eadem Synodus Œcumenica.

PROP. II. Quamvis baptismus ante mortem Christi fuerit institutus, præceptum tamen illum suscipiendi non obstrinxit, *saltem generaliter*, ante Evangelicæ legis promulgationem.

Pertractat hanc quæstionem S. Bernardus epist. 77. ad Hugonem, nunc inter Tractatus Tom. IV. pag. 118. ubi primum ostendit esse a ratione alienam opinionem Hugonis Farsiti asserentis neminem ullatenus potuisse salvari absque baptismo, ex quo primum dictum a Domino legimus, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Hæc vero argumenta Bernardus affert. Primo *durum nimis austerumque videtur, ut verbum adhuc absconditum palam jam noceat*. At prædicta Domini verba privatim uni Nicodemo dicta fuerant, qui etiam nocte ad Jesum venerat, Joan. III. 2. Deinde baptismus est Sacramentum fidei: *Fidem vero necesse est, ut auditus præcedat, dicente Apostolo, Ergo fides ex auditu*, ad Rom. x. 17. Præterea non defuerunt *alia præter baptismum contra originale peccatum remedia, ut circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum*: quod non subito evanuit, sed cum super tecta clamatum fuit, *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, ad Galat. v. 2. Concludit Bernardus seq. cap. 2. baptismi obligationem cœpisse primum post sufficientem ejus promulgationem: *Ex eo tempore tantum* (inquit) *cuique cœpit antiqua observatio non valere, & non baptizatus quisque novi præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam*; affirmatque parvulis, & necdum ratione utentibus, quibus sola nocere creditur peccati contagio, *tandiu antiqua valuisse Sacramenta, quandiu palam interdicta non fuisse constiterit*. Hæc Bernardus: cujus sententiam amplexatus est Hugo Victorinus, Scotus, Estius, Tournely, aliique complures. Legi poterunt Mastrius quæst. 1. de Baptis. inst. art. 2. & Frassen q. 2. art. 1. concl. ult. Subscribo huic sententiæ, tum ob propositiones a S. Bernardo productas; tum ob doctrinam Trident. Concilii sess. VI. cap. 4. docentis translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum, fieri non posse sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, *post Evangelium promulgatum*; atque huc referentis quod scriptum est, *Nisi quis renatus fuerit*, &c.

Thomistarum tamen permulti, Soto, Medina, Gonet, Gotti, alii tenent obligationem baptismi statim cœpisse post resurrectionem, quod probant, quoniam Christus Matth. ult. 19. legem baptismi promulgavit discipulis, ideoque

ideoque ex eo tempore cœpit lex baptismi obligare, inquit Gonet disp. 1. §. 4. & Cardin. Gotti quæst. III. dub. 2. num. 7. Deinde inquiunt ex Apostolo ad Hebr. VII. 12. *Translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat;* unde Augustinus, et Hieronymus, quamvis dissentirent de observatione Legalium, ambo tamen illa extincta & mortua ferebantur. Id etiam probant ex quo in cruce omnia fuerint consummata; ideoque Christus clamavit, Joan. XIX. 30. *Consummatum est.* Denique ajunt promulgationem legis necessariam quidem esse, ne excusationem valeant prætexere qui ipsam legem *invincibiliter* ignorant: sed tamen qui latam norunt a principe, & promulgatam in aula, tenentur eidem obtemperare.

Quamquam his plura seponit Mastrius art. 3. non mihi talia videntur, quæ jure assertioni nostræ opponantur: siquidem nec Thomistæ negant necessariam notitiam legis, ut alios obstringat. Quemadmodum ergo nos assentimur Scotistis, & necessariam fatemur legis promulgationem, ut obliget omnes universim; ita Thomistis concedimus sufficere privatam notitiam, ut nequeat ignorantia excusare eos, qui *voluntarie* contemnunt remedia salutis. Non enim aliud docet citata Epistola S. Bernardus, ubi testatur ideo non obligasse legem baptismi ante promulgationem, *quia tale hoc inquisitum humano non poterat addisci magisterio*, neque hujusmodi ignorantia erat quæ non haberet excusationem, qua scilicet *scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut verecundia inquirendi.* Si quis ergo ante publicam Evangelii promulgationem scisset quæ tacite Christus docuerat Nicodemum, nec ignorasset extinctam in Christi morte legem circumcisionis; is quo remedio aut sibi, aut parvulo originali culpa obstricto consuluisset? ex qua ignorantia habuisset excusationem? Eam ob rem consulto propositioni particulas illas affixi, *saltem generaliter*. Ex adductis tamen Thomistarum probationibus non videntur singulæ ineluctabiles. Siquidem ea verba, *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.*, si postremum Matthæi caput conferatur cum ultimo Marci, dicta videntur non statim post Domini resurrectionem, sed cum adscensurus esset ad Patrem. E contra verba illa, *Consummatum est*, protulit Christus in ultima vitæ periodo; unde ante Resurrectionem, ac in triduo mortis cœpisse obligationem baptismi tenent quidam S. Thomæ discipuli, ut testatur Petrus de Cabrera Tom. 3. p. 972. Vide nostram de Legalium fine dissertationem lib. XX. cap. 10.

CAPUT IV.

De Aquæ elemento, idest, de materia Baptismi.

MOdo de Baptismi *materia*: circa quam erraverunt quamplurimi. Ac missis iis, qui negarunt Sacramenta quælibet sensibilia, Gnosticis, de quibus Irenæus lib. I. cap. 18. nunc 21. num. 4. Ascodrupitis, & Archonticis, de quibus Theodoretus lib. I. Hæret. fabul. cap. 10. & 11. tom. IV. pag. 201. Cajanis, de quibus Tertullianus de Baptis. cap. I. atque aliis quibusdam, qui superbo cognomine *Spirituales* sunt appellati; his, inquam, missis, baptismum in aqua repudiarunt Manichæi, autumantes elementum illud e principio malo productum, apud Augustinum de Hæres. cap. 46. His Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 2. accenset Paulicianos, qui in Sacramentis res materiales aversabantur, eo quod Dominus dixerit in Evangelio, *Ego sum aqua viva*, ex Euthymio p. 2. Panopliæ cap. 21. Opponit vir acerrimi ingenii Honoratus Tournely quæst. 1. art. 2. hujusmodi hæreticos errasse circa baptismi efficaciam, non circa *materiam*, cum eo loci Euthymius scribat, *Illi infantes suos presbyteris baptizandos afferunt*. At Tournelius fallitur. Scribens enim eo in loco Euthymius, *Evangelii verba baptismum existimant*, demonstrat Paulicianos aquæ elementum sustulisse, & Sacramentum perfecisse *sola pronuntiatione verborum*, ut Bellarminus ait, & cum ipso Vasquez disput. 141. cap. 1. Juenin q. 3. cap. 1. Auctor Op. de Re Sacram. q. 2. cap. 1. necnon Vossius disput. 1. th. 2. Deinde cum Pauliciani Manichæi essent, non potuerunt in Sacramento adhibere *aquam*, quam putabant e malo principio conditam: quare illos paullo post Euthymius refellit, scribens: *Quomodo in re a malo confecta boni ille patris filius bonus baptizatus inde ascendit?* Probat etiam infra Damasceni, Basilii, aliorumque adductis testimoniis, non solum *spiritu*, verum etiam *aqua* homines baptizandos, cum constent animo, & corpore, quorum istud sub aspectum cadit, alter non cadit: atque hæc ad refellendos Paulicianos inepte dicerentur, si *aquam* adhibuissent. De pueris autem Euthymius ait, *Liberos etiam suos ab Ecclesiæ presbyteris salutari baptismo volunt aliquando lustrari*, non quod Pauliciani baptismum ipsum probarent, sed ut adjumentum afferrent corporibus, quemadmodum, inquit, *Salutarem crucem ex ligno confectam sibi ipsis imponunt, deinde si convaluerint, eam perfringunt, aut conculcant.*

Præter istos materiam baptismi esse *aquam* negarunt apud Augustinum de Hæresib. cap. 5. Seleuciani, vel Hermiani. Quidam censent hos pro aqua posuisse *ignem*, ductos Joannis verbis de Christo, *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igni*. Ita Estius dist. 3. §. 7. & Alphonsus de Castro lib. 1. adversus Hæreses, & Cardinalis Gotti q. 1. dub. 3. Incertum tamen, an hi ignem adhibuerint, scribunt Vasquez, et Tournelius citato loco. Ex Augustino quidem id unum infertur, hæreticos illos non accepisse *baptismum in aqua*: & hoc tantum colligi ex Philastrio censent Gotfridus Olearius in dissert. de Baptismo, & in notis ad Philastrium Galeardus. S. Philastrii hæc sunt verba, pag. 40. *Animas hominum de igne, & spiritu esse existimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc, quod dixit Joannes Baptista, Ipse vos baptizabit in spiritu, & igne.* Videtur mihi Tournelius Vasquesin, & Galeardus Oleario nimium fidere. Philastrius enim scribens, *Isto baptismo non utuntur*, & causam afferens, *propter verbum hoc, quod dixit Joannes*, alium baptismum, idest, *ignis*, significat, præsertim quod Seleuciani animas hominum *in igne & spiritu* constituentes, facile poterant credere letitantes illas in corpore purgari igne, & quodammodo instaurari. In Anathematismis, quos olim resilientes ab hæresi Manichæorum, Ecclesiæ tenebantur offerre, memoratur & Hermas; & dicitur anathema iis, *qui rejiciunt salutarem baptismum, umbelicis autem infantium combustis utuntur ad animarum purificationem*. Vide Tom. I. Patrum Apost. pag. 539.

Quidquid sit de his hæreticis, *ignem* in baptismo complures adhibuisse compertum est: ac primum eo usi sunt nonnulli hæretici, qui jactabant, statim ac in fontem descenderent, super aquam ipsum ignem apparere, eoque baptizatos habere *integrum perfectumque lavacrum*, non, sicut nos, decurtatum & mutilum. Meminit horum hæreticorum Anonymus Scriptor de Baptismo Tom. I. Concil. pag. 783. & Martene de Ritib. baptismi lib. I. art. XIV. Affirmant permulti, etiam Bellarminus, & Tournelius, errorem hunc Jacobitis præsertim Coptis, ex Bernardo Lutzemburgensi in Catalogo Hæret., addunt quidam & Æthiopes. Sed primum dici potest veterum nonnullos *ignem* adhibuisse, non tamquam materiam baptismi, sed veluti signum effectus, quemadmodum mel, lac, vinum, ut utitur demonstrare Hugo Grotius in cap. III. Matth. Deinde Æthiopes baptizare *aqua* constat ex Ord. Baptismi secundum illorum usum Tom. XXVII. Bibl. PP. p. 642. Idem eruitur ex relatione Damiani a Goes Tom. II. Hisp. illustratæ. Æthiopes præterea ajunt accepisse se baptismi ritum ab Eunucho Reginæ Candacis, quem appellant Indich, & quem baptizatum aqua legitur Act. VIII. De Jacobitis major suspicio est, quod iis tribuat caustieum baptismum etiam Jacobus de Vitriaco cap. 76. Hist. Orientalis, Marinus Sanutus, Matthæus Parisius, & alii citati pag. 230. e Sollerio: sed nota, ibidem Vitriacum ipsum testari se ab incolis accepisse, ignitas cruces in se brachiis inuri, *ad paganorum distinctionem, & ob sanctæ Crucis reverentiam:* illud vero est consimile signum etiam hodierni Copti in brachiis ostentant, quos tamen certum est baptismali cauterizatione non uti. Ludulphus lib. III. Hist. Æth. cap. 6. n. 41. fabulam illam evincit testimonio Gregorii Habessini: atque his monemur, ne singulis auctoribus fidem adhibeamus. De Catharis exortis sæculo duodecimo, assentimur Egberto Bunnensi serm. VIII. Tom. XXIII. Bibl. Patrum, pag. 615. nam & antiquiores Messaliani, quorum illi germen sunt, apud Theodoretum lib. IV. H. Fab. cap. 11. repudiabant *aqua lavacrum*, ex Manetis utrique propagine. Ex hoc Theodoreti loco infertur Hermam, unde Hermiani, fuisse antesignanum Messalianorum, ex quibus Cathari: si ergo hi ex Eckberto baptizabant *igne*, idem censendum est de Hermianis. Atque id comprobant quæ supra diximus.

Fuerunt, qui non per aquam baptizarent, sed per *oleum*, de quibus citato loco ex Thuribio Asturicensi Edmundus Martene: quidam alii, ut refert Egbertus Eboracensis in Excerpt. cap. 42. aquæ commiscendum *vinum* existimarunt. Nonnulli sedente Stephano III. puerum in solo vino baptizarunt: quidam alii Gregorio IX. Pontifice Maximo, cum deesset aqua, baptizarunt *cervisia*. Baptizandum vino, aut quovis alio liquore, si nullo modo aqua haberi possit, tenuit etiam Beza Epist. 2. ad Thomam Tilium. Memoria autem fefellit eumdem Bezam, ibidem scribentem non aliter sentire Scholasticos; quod notat etiam Vossius disput. 1. Th. 5. Lutherus in Colloquiis Symposiacis, idest, convivalibus, cap. 7. pariter asseruit sufficere ad baptismum *quicquid loco balnei esse potest*. Videtur habere originem error iste, ex quo valeat excitare fidem quicquid habet cum ablutione, per Christi sanguinem facta, aliquam *analogiam*. Hinc opinionem illam adoptarunt Novatorum complures. Hi cum necessitate aquæ negent ejusdem consecrationem, quam Calvinus lib. IV. Instit. cap. XV. 19. ait appellandam potius *incantationem*, Tilmanus Heshusius in Errorib. Papist. num. 27. *manifestam magiam*, & Magdeburg. cent. 2. cap. 2. *alicujus Pontificis Ethnici* inventum: quod & de aliis aquæ benedictionibus tradunt. Duo sunt itaque hoc loco demonstranda; primum baptismatis materiam esse aquam, & quidem

dem naturalem ac veram: alterum recte, & ex antiquorum præscripto baptismalem aquam solemni benedictione rituque consecrari.

PROP. I. Sola naturalis aqua Sacramenti baptismatis materia est.

Id primo evincunt præclara baptismatis symbola, in quibus præsignatam Spiritus sancti energiam aquæ Sacramento collatam agnoverunt eximii Patres Ecclesiæ. Ambrosius enim de Mysteriis cap. 3. Tom. 2. pag. 328. prænunciatam operationem divinitatis elemento aquæ insidentem ostendit a mundi origine, cum Spiritus Domini ferebatur super aquas, Gen. 1. 2. Addit diluvium, quo terra a carnali immunditia purgata fuit, Noe receptum in arcam, columbam dimissam, & cum oleæ ramo reversam, Gen. VII. & VIII. Profert & figuram baptismatis expressam in mari, & in nube, testimonio Apostoli confirmatam, 1. ad Corinth. x. 2. Addit fontem Mara immisso ligno figura Crucis tactum dulcem, ac Naamanum Syrum in Jordane mundatum a lepra. Agit proximo capite de piscina Siloe, in quam descendebat cælestis Angelus. Hæc omnia fusiori stylo prosequitur lib. 1. de Sacramentis, & sequenti. Eadem profert S. Hieronymus Epist. 82. ad Oceanum Tom. IV. pag. 650. exemplis allatis aliis, firmamenti quod ex aquis sortitur vocabulum, pennatorum, quæ de aquis egressa ad cælum levantur, puteorum, quos repugnantibus Allophylis foderunt Abraham & Isaac, fontium, a quibus Bersabee civitas, regnumque Salomonis nomen sumpsit, adiuventæ prope aquas Rebeccæ, salutatæ ibidem Rachelis, vindicatarum a Mose filiarum Sacerdotis Madian. Producit & Præcursoris baptismum juxta Salim, primum Christi signum patratum ex aquis, Samaritanæ vocationem ad puteum, & fusam e Christi latere aquam. Nec aliter Augustinus lib. 2. ad Simpl. num. 5. lib. XII. contra Faustum cap. 15. & 16. aliisque in locis. Nec dicas Augustinum appellare figuram baptismatis etiam Circumcisionem lib. VI. contra Jul. cap. VII. num. 18. hæc enim non materiæ Sacramenti figura erat, sed effectus, quatenus præsignabat *expoliationem corporis carnis*. II. Hieronymus præcitato loco de gratia, quæ confertur baptismate aquæ, docet accipienda veteris testamenti loca, Ps. 28. 3. *Vox Domini super aquas, Dominus super aquas multas*. Cant. IV. 2. *Greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus*. Ezech. XXXVI. 25. *Et effundam super vos aquam mundam, &c.* III. Aperta sunt novi Testamenti loca Joannis III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*. Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* Act. VIII. 36. *Venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Ad Ephes. V. 26. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. In quibus verbis animadvertendum est præter occultam conscientiæ emundationem, præter vim verborum, & Spiritus sancti virtutem, expresse designari sensibile *aquæ* elementum, ut demonstravi primo capite adversus Socinum, confirmatque tam verborum distinctio, quam praxis sanctorum Apostolorum. Apposite Augustinus Tract. XV. in Joannem num. 4. *Sed forte ait aliquis, Baptizat quidem Christus in Spiritu, non in corpore. Quasi vero alterius dono, quam illius, quisquam & Sacramento corporalis & visibilis baptismatis imbuatur. Vis nosse quia ipse baptizat non solum spiritu, sed etiam aqua? Audi Apostolum: Sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundans eam. Unde? Lavacro aquæ in verbo. Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus*. IV. Extant præterea de materia baptismi definitiones Ecclesiæ. Gregorius IX. anno 1241. in rescripto ad Archiepiscopum Nidrosiensem de baptizantibus in Norvegia ob aquæ penuriam cervisia, apud Raynaldum ad hunc annum, ait: *Cum, sicut ex tua relatione didicimus, nonnunquam propter aquæ penuriam infantes terræ tuæ contingat in cervisia baptizari, tibi tenore præsentium respondemus, quod cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua & Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati qui in cervisia baptizantur*. Florentinum Concilium in Instruct. Armenorum, *Materia*, inquit, *hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis*. Ac Tridentinum sess. VII. can. 2. *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini Jesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit*. V. Docent hoc idem Patres. Tertullianus de Bap. cap. 1. Cajanos aquæ baptismum abjicientes comparat aspidibus, regulisque serpentum, *qui arida & inaquosa sectantur. Sed nos*, ait, *secundum Ἰχθὺν nostrum Jesum Christum pisciculi in aqua nascimur*. Vocabulum, *ἰχθύς, piscis*, revocat in memoriam nostram, quod scribit Augustinus lib. XVIII. de Civ. Dei cap. 23. Sibyllam Erythræam Acrostichidem de Christo Jesu conscripsisse *in capitibus versuum ordinem literarum ita habentem*, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, *quod est Latine, Jesus Christus Dei filius Salvator*. Refert ibidem Augustinus Sibyllina carmina latinitate donata, & Græce Vives in Comment. ex Eusebio aliquantulum tamen errata: quare adeas Sibyllas Opsopoei pag. 380. *Horum autem Græcorum quinque verborum*, inquit ibidem Augustinus, quæ sunt, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, *si primas literas jungas erit* ΙΧΘΥΣ, *idest, piscis, in quo nomine mystice intelligitur Christus*. Vide & Optatum lib. III. de Schis. Donatist. pag. 52. & Panvinium de Sibyllis. At hæc ad intelligentiam potius textus Tertulliani, quam ad materiam baptismatis. Hanc esse omnem aquam naturalem, ejusdemque speciei cum producta initio creatarum rerum, asserit cap. 4. idem Tertullianus. *Nemo dicat*, inquit, *numquid ipsis enim aquis tinguimur, quæ tunc in primordio fuerunt? Non utique ipsis nisi ex parte, quod genus quidem unum, species vero complures; quod autem generi attributum est, etiam in species redundat: ideoque nulla distinctio est, mare quis, an stagno, flumine, an fonte, lacu, an alveo abluatur*. Exscribere aliorum testimonia in re notissima, necessum non est. VI. Etsi vero in his, quæ divinam habent institutionem, investigemus non oportet rationem humanam; videtur tamen non potuisse determinari pro Sacramento regenerationis materiam faciliorem, magisque congruam. Repetit S. Thomas congruentiam illam 3. p. q. 66. art. 3. ex rerum seminio, quod philosophi quidam posuerunt *aquam*. Gratulamur hoc in loco, Doctorem Angelicum recurrere ad principium universale, quod nos statuimus lib. XI. cap. 3. Legimus Gen. 1. 3. Spiritum incubasse aquis; ac de Baptismo Tertull. cap. 3. ait: *Primus liquor quod viveret edidit: ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare noverunt*. Lege Orat. habitam in Trident. Concilio a Joanne Villetano Tom. XIV. pag. 1627. Addit S. Thomas symbolum internæ ablutionis, & recte ob scripturæ loca num. 2. producta. Ambrosiaster Interpres Pauli in VI. caput ad Rom. pag. 59. App. scribit: *Ideo per aquam celebratur, ut sicut aqua sordes corporis abluit, ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos nos & innovatos credamus*. Tertio loco addit Angelicus mysteria passionis Christi: hujusque causæ rationem profert Chrysostomus Hom. X. in Paulum pag. 103. quoniam, *quod Christo crux & sepulcrum, hoc nobis baptisma fuit, quamvis non iisdem rebus: ille enim carne & mortuus & sepultus est, nos autem peccato utrumque*. ὅπερ οὖν ὁ σταυρὸς τοῦ χριστοῦ καὶ ὁ τάφος, τοῦτο ἡμῖν τὸ βάπτισμα γέγονε, εἰ καὶ μὴ ἐπὶ τῶν αὐτῶν. αὐτὸς μὲν γὰρ σαρκὶ καὶ ἀπέθανε καὶ ἐτάφη, ἡμεῖς δὲ ἁμαρτίᾳ ἀμφότερα. Accedit *aquam* esse passionum typum, ut dixi cap. 1. Hinc S. Cyrillus Hierosolymit. Catechesi 2. Mystagogica pag. 521. baptismum appellat *eorum, quæ Christus perpessus est, similitudinem*, τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων ἀντίτυπον. Assignat S. Thomas & aquæ *communitatem*, nempe congruebat Sacramento apprime necessario materies ubique obvia & facillima. Vide Catech. Romanum P. 2. de Baptismo num. 10. Affert rationes alias Estius dist. 3. §. 8. sed præcipuas jam tenes. VII. Cum præter baptisma *aquæ* Matt. III. & Lucæ III. fiat mentio baptismi *ignis*; illud tandem ostendam, quam inscite usi quidam fuerunt baptismo caustico. Ac primo hujus internecivi baptismatis apud nullos veterum extat vestigium, nisi in conficto libro, qui inscribitur *Prædicatio Pauli*: in quo libro absurda multa congesta narrat prælaudatus Scriptor Anonymus inter Opera Cypriani. Hujusmodi sunt, Christum propria peccata confessum, pene invitum compulsum a matre ad accipiendum Joannis baptismum, ignem in Jordane super aquam delapsum, ac Petrum & Paulum in urbe Roma primum sibi invicem fuisse cognitos. Eckbertus autem serm. VIII. adversus Catharos narrat horum antesignanos Arnoldum & Theodoricum, qui studuerunt exinanite baptismum aquæ constitutum a Domino, ipso igne, quo unus Coloniæ, alter Bunnæ baptizari voluit, miserrime absumptos; ideoque *justissimo judicio factum est, ut sic in igne baptizarentur, ut ab eo irrevocabiliter devorarentur*. Quod legitur denique in Evangelio, *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igni*, aut metaphorice, aut literaliter accipere volumus. Si primum, *ignis* significat *Spiritus sancti virtutem*, ut inquit præcitatus scriptor Anonymus: si alterum dicis, non ad lavacrum regenerationis hæc verba referenda sunt, sed vel ad effusionem Spiritus sancti super Apostolos, vel ad postremam mundi conflagrationem, & purgationem, quod supra demonstravi cap. 2. Scripturarum contextu, & testimoniis Sanctorum. Adeas, plura si cupias, Chrysostomum Hom. XI. in Mat. pag. 104. Cyrillum Catech. XVII. pag. 439. Theophylactum in Lucam pag. 325. & ex Latinis Hieronymum in Matth. Tom. IV. pag. 11.

Corruunt ex dictis omnia adversantium objecta. At primo opponunt locum, de quo modo dixerut. Deinde objiciunt qui aquam & materiam excludunt omnem, verba Joannis, *Ego baptizo vos aqua, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto*: quo in loco videtur antithesis demonstrare lavacrum Joannis corporeum esse, baptismum Christi spiritualem. Sed liquet ex cap. 2. id verum esse, si accipiatur de effectu; secus, si fiat sermo de *materia*, quam necessariam ad Sacramentum regenerationis commonstrant enim alia Scripturæ loca, tum ratio Sacramenti, quæ in signo sensibili sita est. Innuit vero Joannes quantum suum a Christi baptismate differat; cum illud aqua corpus

eb-

abluat, istud vero Spiritus largitate sanctificet animam. Objiciunt & cavillulum alterum, Joan. III. 5. ea verba, *Ex aqua & Spiritu sancto*, idem sonare, atque ex spiritu aqueo, quod supra diximus esse excogitatum a Grotio. Verum si id accipias de Spiritus sancti energia, quæ insit aquis, gratanter concedimus; si de spiritali baptismo prorsus invisibili, rejicimus inter hominum commenta. Ipse enim textus, ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, *ex aqua & Spiritu sancto*, quemadmodum & alii præcitati, utrumque ponit, aquam, & spiritum. At, inquis, Grotius hic unum spiritum intelligi firmis argumentis confirmat. Ait Christum dedisse operam, ne diutius Nicodemus allegoricæ locutionis ignorantia nutaret, Matth. III. II. per verba *in spiritu & igne*, significari ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo*, *spiritum igneum*: ita Act. XVII. 25. ζωὴ καὶ πνοή, *vita & inspiratio*, idem esse ac πνοὴ ζωῆς, *inspiratio vitæ*: ad Coloss. II. 8. διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, *per philosophiam & inanem fallaciam*, idem sonare, ac *per inanes fallacias philosophiæ*. Matth. IV. 16. Ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, *in regione & umbra mortis*, esse idem, ac, *in regione umbræ mortis*. Me non latet Grotium hæc omnia proferre ad demonstrandum aquam esse symbolum Spiritus sancti, non ad excludendum sensibile Sacramentum, sed quoniam incaute plura e Socinianis ebibens, incaute etiam evomuit; dicimus nihil nobis esse negotii cum Grotio, quem ad ejus adoratores refellendos, non ad instruendos Catholicos interdum laudavimus. Sane hæc argumenta contra jaculatores intorquentur. Si enim Nicodemus allegorico sermone decipiebatur: cur Dominus iterum aquæ allegoriam obtrusit? At constat ex sola lectione illius capitis, Nicodemum hæsitasse ad Christi sententiam, *Nisi quis renatus fuerit*, eam intelligendo de renascentia carnali: ac Dominum respondisse de alia longe dispari se loqui, de ea nimirum, qua homo renascitur *ex aqua & Spiritu sancto*. Cumque & ista nondum Israelita satis perciperet, addit Christus se de cælestibus loqui, & posse Spiritum, qui ubi vult spirat, etiam per aquam hominem regenerare. Quid his mysteriis erat opus, nisi de aquæ baptismate Dominus pertractasset? Sat erat reponere, *Solo spiritu homo regeneratur*. Sed vide Augustinum Tract. XI. in Joan. num. 6. Exempla allata aquam non excludunt, sed comprobant. Locis enim illis receptis, ad hunc modum ratiocinabor: Quid est inspiratio vitæ? vita sensibili inspiratione collata. Quid vero fallacia inanis philosophiæ? latens in syllogismis philosophorum deceptio. At quid regio umbræ mortis? habitans in scelerosis factis exitium. Ita per *spiritum aqueum*, si ita fas sit efferre, intelligo spiritum occulta energia operantem in aquis; præsertim cum has ad peccatorum remissionem Apostolos adhibuisse divina tradant eloquia. Ceterum baptismum constare extrinseca quoque ablutione, ostendimus priori capite adversus Socinianos.

Præter hæc objicies: Joannes Moscus, cognomento Eviratus, in Prato spirituali cap. 176. Tom. 2. vet. Bibl. PP. refert Judæum quemdam in deserto vehementi febre correptum, & præ solis æstu ardore, ac siti fere resolutum, ab itineris comitibus postulasse baptismum; cumque deesset aqua, baptizatum arena ter super eum injecta, ac ita regeneratum *in nomine Trinitatis*, imposito ei nomine Theodori: subito vero virtute baptismi convaluisse, quod ejus validitatis indicium est. Narrat consimile factum Nicephorus lib. II. cap. 37. etsi unum, idemque censent plurimi; at illud contigit sub Aurelio Antonino, Dionysio Episcopo Ascalonita; illud Dionysio Episcopo Alexandrino, sub imperio Philippi ad Episcopatum evecto.

Resp. ex utraque Mosci, & Nicephori narratione probari oppositum. Moscus enim refert Judæum illum repente quidem sanatum ob ardentissimum baptismatis desiderium, sed cum pervenisset ad urbem Ascalonem, *Visum beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Jordanem, ibique baptizari*. Nicephorus pariter, *Postquam autem domum sunt reversi, rem eam ad Dionysium Alexandriæ Episcopum retulerunt. Ille vero admiratione stupens Ecclesiam consuluit, cui visum est aqua insuper ad eum modum initiatum juxta Ecclesiæ traditionem abluendum esse*. Quantum ad Historiam attinet, arbitror & ego a Mosco & Nicephoro narrari factum idem, & hunc errasse circa Dionysii personam. Primo quia circumstantiæ utriusque narrationis cohærent, adolescentis Judæi, deserti loci, repentinæ oppressionis, ingestæ arenæ, restitutæ salutis, ac nominis Dionysii. Deinde quia Nicephorus scribit id contigisse Marco Aurelio Antonino, quo imperante fuerunt Episcopi Alexandrini Celadion, & Agrippinus, non Dionysius; quare si ad tempora Marci Aurelii hæc historia esset referenda, contigisset sub Dionysio Episcopo Corinthiorum, ut visum Baronio ad an. 181. num. 2. Floruit enim Dionysius Corinthius juxta Chron. Eusebii pag. 170. Marco Antonino Imperante. Denique Moscus ait id narratum *Alexandriæ ab Andrea Abbate*: quod causam prodit, cur Nicephorus pro Dionysio Ascalonita scripserit *Alexandrinum*.

Denique objiciunt qui probant vinarium baptismum, sat esse ad Sacramenti materiam *analogiam* cum ablutione animarum, quæ analogia inest cuique liquori, vino præsertim, quo vulnera absterguntur & sanantur. Addunt rescriptum Stephani III. qui de Presbytero, a quo baptizatus fuerat infans vino, ait, *Si in vino quis propterea, quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo*.

Resp. materiam Sacramenti non solum habere *analogiam* cum re quam significat, sed etiam divinam institutionem; cum Sacramentum *sit signum divinitus institutum*: non enim penes hominem est sensibili signo efficaciam gratiæ alligare, immo nec immutare *sigillum*, quo nomine Novatores insigniunt Sacramentum. Quis enim, nisi falsarius, pro sigillo Principis aliquid signaculo alio firmaret? Vide præced. libri cap. I. Ad rescriptum Stephani varia adhibentur responsa. Nat. Alex. sæc. VIII. cap. I. art. 6. ait sic habere quidem editionem Sirmondi, sed istic mendum cubare. Tom. VI. Conciliorum pag. 1651. adnotatur, ibi a librario *glossema temere intrusum*, quo deleto absolvitur quidem presbyter ab excommunicatione, sed non probatur baptisma: nonnulli tribuunt ea responsa, non Romano Pontifici, sed Stephano Tornacensi. Sirmondus denique, qui primus hæc edidit ex MS. Laudunensi, animadvertit eadem responsa privatim data Monachis Britaniacensibus, cum idem Codex habeat in fine, *Expliciunt quæ Domnus Papa Stephanus in Carisiaco villa Brittaniaca Monasterio ad interrogata dedit responsa*. Respondemus ergo primum videri supposititium illud responsum Stephani, cujus nec Collationes canonum, nec Scriptorem aliquem invenimus meminisse: deinde affirmamus male literis exaratum: tertio, ut liberalissimi simus, privatam opinionem dicimus, non Pontificiam definitionem: tandem post citata verba sequitur, *Si aqua fuit præsens, ille presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur, quia contra canonum sententiam agere præsumpsit*. Supponit itaque juxta canones materiam baptismi esse solam aquam, piamque baptizantis ignorationem excusat. Obiter nota Stephanum, quem cum Onuphrio nostro, ac Baronio *Tertium* diximus, appellari ab aliis compluribus secundum. Baronium & Onuphrium, ideoque & nos acriter reprehendit Pagius ad annum 752. num. 13. sed immerito; nam Stephanum illum, qui post Zachariam ab universo populo electus, & in Lateranense Patriarchium immissus, tribus tantum diebus supervixit, nos verum Pontificem esse contendimus. Rationes, ne nimium evagemur, vide in notis ad Anast. Tom. IV. pag. 227. Quod diximus de Responso Stephani, dicimus de alio Siricii, citato in Pœnitentiali Theodori, & in quibusdam Codicibus a Touroelio laudatis: cum enim non inveniatur in Romanis Archivis, neque in aliqua canonum collectione, neque citati Codices consentiant, nunquam denique in Romana Ecclesia opinio de baptismate in vino obtinuerit, imo nec ætate Siricii fuerit audita; jure, meritoque affirmamus & Siricii responsum spurium esse, aut saltem adulteratum.

PROPOSITIO II. Non est Ecclesiæ Romanæ recens usus, sed a Patrum traditione derivatus, ac retinendus, consecratio & benedictio aquæ baptismo deservientis.

Tametsi nihil evincerent Novatores, si baptismalis aquæ consecratio novæ esset disciplinæ, cum immutandorum rituum pro temporum opportunitate habeat Ecclesia plenissimam facultatem; ut appareat tamen impudens illorum audacia, dum nobiscum antiquos orthodoxos omnes condemnant, secundam hanc thesim primo loco monumentis Patrum firmamus. Benedictionis namque baptismalis aquæ mentionem facit Auctor Constitut. Apost. lib. VII. pag. 381. & lib. VIII. pag. 411. Basilius de Spiritu sancto cap. 27. Tom. 2. p. 211. repetens ipsam benedictionem ex traditione Apostolica inquit: εὐλογοῦμεν δὲ τό τε ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον. ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; *Benedicimus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis, ac præterea ipsum qui baptismum accepit. Ex quibus scriptis?* Cyrillus Hierosolymit. Catech. III. pag. 52. *Ut illa*, inquit, *quæ in aris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur, sic contra aqua simplex per sancti Spiritus & Christi invocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur*. ὥσπερ γὰρ τὰ τοῖς βωμοῖς προσφερόμενα τῇ φύσει ὄντα λιτὰ, μολύσματα γίνεται τῇ ἐπικλήσει τῶν εἰδώλων, οὕτως ἐκ τῶν ἐναντίων τὸ λιτὸν ὕδωρ πνεύματος ἁγίου καὶ Χριστοῦ καὶ Πατρὸς τὴν ἐπίκλησιν λαβὸν δύναμιν, ἁγιότητος ἐπικτᾶται. Cyprianus Epistola 70. pag. 269. *Oportet ergo mundari & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere*. Ambrosius de Myst. cap. 3. num. 14. *Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est: cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri & salutaris poculi temperatur*. Monuimus alibi, Ambrosium agere de usu & consuetudine, non de jure, ut inquiunt, & validitate. Idem Ambrosius lib. I. de Sacram. cap. V. num. 18. *Forma baptismatis & usus hoc habet, ut ante fons consecretur, & tum descendat, qui baptizandus est. Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquæ, invocationem postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æterna*. Ob tam præclara testimonia Bullingerus, Albertinus, Dallæus, & hæretici alii hæc

Opera

Opera Ambrosio abjudicant, luridisque pingunt coloribus, sed perperam, cum negare nequeant Auctorem, quisquis sit, ante octavum saltem sæculum floruisse, & vetustas ceremonias memorasse aut juxta Ecclesiæ Mediolanensis ritus, aut juxta Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinem. Augustinus serm. 352. num. 3. *Quia baptismus*, inquit, *idest salutis aqua, non est salutis nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur*. Vide & Victorem Vitensem de Persecut. Vandalica, aliosque laudatos a Joseph Vicecom. lib. 1. de Antiq. rit. cap. 14. Martene lib. 1. art. 14. Hugone Menardo in notis ad Sacram. Gregorii, not. 306. & Notif. I. edita a Prospero Card. Lambertini, nunc BENEDICTO XIV. His addi possunt vetera Græcorum Euchologia apud Goarium pag. 353. Ordo Baptismi, qui tribuitur Severo Alexandrino Tom. IV. vet. Bibl. PP. pag. 50. Sacramentarium Gregorii Tom. III. pag. 72. antiqui Rituales libri, laudati a Martene art. 18. Sacram. Romanæ Ecclesiæ editum a Cardinali Thomasio lib. 1. n. 44. Missale Gothicum, quod Cardinalis Bona lib. 1. Rer. liturg. cap. 12. scriptum asseruit ante annos nongentos, editumque ab ipso Thomasio. Adde Ordines nationum ceterarum, de quibus Jodocus Coccius lib. v. art. 8. Ex his liquet nullam esse in Orbe Catholico nationem, quæ a vetustis temporibus aquam pro baptismo conferendo non consecraverit. Tertio loco pervetustum morem consecrandi aquam commonstrant antiqua Baptisteria, non alia constructa ratione, quam ad sacram lympham, solemni sacratam ritu, loco digniori servandam. Anastasius quidem Bibliothecarius de S. Pio I. Pontifice Maximo electo anno 142. scribit, *Fontem baptismi construi fecit, manu sua benedixit, & consecravit*. Constantinus in Lateranensi Basilica ædificavit *sanctum fontem ex metallo porphyretico ex omni parte coopertum intrinsecus, & foris, & desuper, & quantum aquam continet ex argento purissimo in pedibus, qui pensavit argenti libras tria millia & octo*. Vide Anast. Tom. 1. pag. 39. De antiquo *Fonte* Mediolanensi versibus S. Ambrosii exornato, necnon de Pisano, legendus eruditus Ciampinus p. 2. vet. Monum. pag. 22. Meminit Baptisteriorum, quæ hæretici incenderunt, S. Athanasius in Epist. Encyclica ad Episcopos Tom. 1. pag. 113. De iisdem verba facit lib. XXII. de Civit. Dei cap. 8. & in libro de Cura pro mortuis gerenda S. P. Augustinus. Dixi constructa baptisteria ad servandam aquam solemni benedictione consecratam: unde Paulinus de *Baptisterio*, quod ædificaverat Severus, scripsit Epist. XII. pag. 142.

Dives opum Christo, pauper sibi, pulchra Severus
Culmina sacratis fontibus instituit.

Accedunt postremo loco miracula, quæ consecratam pro baptismo aquam mire commendant. De qualibet aqua benedicta scribit Epiphanius hær. XXX. num. 12. *magnam habere vim ad magicas artes, maleficiaque omnia restinguenda*. Baptismali vero sanatum mendicum quemdam a podagra, & a paralysi mimum Carubitanum scribit citato loco Augustinus. Eamdem aquam ad preces Sacerdotum prosilire inquit lib. VIII. variar. lect. Cassiodorus. Divinitus in vacuam piscinam diffluere, & huc, illucque fluctuare, dum sabbato Paschæ benedicitur apud Osen Lusitaniæ campum, narrat Greg. Turonens. de Gloria Martyr. cap. 24. necnon Baronius ad an. 548. num. 10. De aqua in insula Arcipelagi, nec non apud ceteras Orientales Ecclesias in die Epiphaniorum consecrata, post Allatium, & Pagium, nos etiam scripsimus Volum. III. pag. 152. A Larinis pariter benedictam perstitisse apud nonnullos incorruptibilem demonstrat exemplis compluribus Jacobus Gretserus lib. 2. de Benedict. pag. 103. Adde singulare, quod anno præteriti sæculi vigesimo contigit in Monasterio Haldenslebiensi prope Magdeburgensem civitatem, ubi fons baptismalis per sexaginta annos incorruptus permansit; intruso autem illuc Lutherano ministro statim computruit. Vide Christianum Lupum P. v. in canones pag. prioris editionis 328. Comprobant itaque consecrationem aquæ baptismalis traditio Patrum, consuetudo Ecclesiarum, Baptisteriorum ornatus, rerumque mirabilium eventus.

C A P U T V.

Resolutio dubiorum quorumdam, quæ movent de materia Baptismi Tractatores moralis Theologiæ.

INquirunt primo quid sit aqua *vera & naturalis*, quam esse materiam baptismatis dictum est hactenus. Sed communis sensus huic quæstioni responsum exhibet. Aqua est enim elementum illud, *quo ad necessaria quotidie utimur*; unde ita appellatam volunt Grammatici ex *A*, & *Qua*, quasi *a qua vivemus*. Græci appellant τὸ ὕδωρ ab ὕω, *pluo*, *fluo*, pleonasmo literæ δ. atque hoc nomine vocatur ab Aristotele, & Xenophonte aqua pluvia, ab Homero flumen, & mare. Plinius initio libri XXXI. aquam dicit elementum, quod *ceteris omnibus imperat*. Augustinus, a quo non dissentiunt philosophi, ait aquam esse *undam labilem*, & elementum *labiliter fluxum*, de Gen. ad lit. lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 7. Indubitatum est ergo sufficere ad baptismum aquam quamlibet *naturalem*, sive scateat e fontibus, sive fluviis præterlabatur, sive fluctuet in mari, sive in stagno, aut puteo contineatur. Produximus præced. cap. Tertulliani locum insignem. De Victore Papa legitur in Pontificali, quod tribuitur Damaso, & apud Anast. Tom. 1. pag. 16. *Constituit, ut necessitate faciente ibi, ubi inventus fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum Christiana confessione credulitatis clarificata, quicumque hominum ex gentilitate veniens, ut baptizaretur*. Nota id tantum licere, si emergat necessitas, mortisque periculum. II. Quoniam mutatio tantum accidentalis non immutat elementi naturam, indubitatum est rite conferri baptismum sive aqua calida sit, qua Græci dicuntur tingere; sive frigida sit, aut sulphurea, aut porulenta, aut resoluta ex grandine, pruina, vel nive. Hæc tamen postremo commemorata, nisi soluta sint, non sunt ad baptizandum idonea, quia cum materia Sacramenti quamdam habeat cum effectu similitudinem, sitque natura sua *signum* alterius rei, concreta illa corpora nivis, glaciei, grandinis, cum non constent particulis actu fluxis, & ad abluendum aptis, nequeunt censeri elementum illud, quod est Sacramenti *materia*. Pari ratione affirmamus cum S. Thoma quæst. 66. art. 4. validum esse baptismum, si per naturam, aut per artem talis fiat aquæ immutatio, quæ illius *speciem* non solvat; ut si colore aliquo tincta sit, si odore affecta, si permixtione terrestrium particularum turbida, si decoctione catuium, modo *species* permaneat, transmutata. III. Asserendum est nullum esse baptismum, si adhibeantur ea, quæ licet abluendi vim habeant, aqua tamen censeri nequeunt, ut vinum, cervisia: cujus generis sunt & sudor, lacrymæ, lac, aliaque, de quibus etiam Martinus Bonacina de Baptis. disp. 2. dub. 3.

I I.

Sed difficilior est quæstio de aqua rosacea, necnon de ea, quæ ex arboribus, vitibusqua promanat, si nulla alia aqua sit in promptu. His validum conferri baptismum negant quamplurimi, immo fere omnes Theologi. Tenent nihilo tamen minus oppositum ex nostris Joannes Puteanus 3. p. q. 66. art. 4. dub. 1. Franciscus Farvacques q. 2. de Baptismo §. 3. nec opponitur his Vanroy cap. 1. q. 2. Ducuntur vero his momentis. Primum aqua e floribus igne subjecto expressa, vera, & naturalis est; in mixtis quippe elementa vere persistere communis est Medicorum, & Chymicorum opinio, longe verisimilior quorumdam Peripateticorum decretis. Deinde plerique Theologi hactenus negarunt aquam rosaceam esse idoneam baptismo materiem, quoniam *forma substantiali* differt ab aqua naturali, & communi. At *formas substantiales* relegarunt e Democriti, & Epicuri schola redivivi philosophi: iisdem etiam *formis* admissis, aqua rosacea, quæ cum aqua naturali majorem habere videtur affinitatem, quam habeat aqua quorumdam fontium, ab ea distinctam substantialem *formam* non habet. Præterea si naturalis aqua non foret, quæ ex floribus, herbisque exprimitur, id esset, quia elibano artificiali stillatur: at si id probaret quidquam; nec esset naturalis ignis ille, qui e silice percussio elicitur: qui tamen artificialis *quoad modum*, non *quoad substantiam* poterit nuncupari. Infirmum præterea est argumentum, quod illiusmodi aquæ sint odoriferæ; nam dictum est paullo supra, odorem non immutare substantiam: ac omnes fere fontes aquas emittunt diversis præditas qualitatibus. *Arbores* pariter *aquam ad se trahunt ex humo radicum opera, velut fistulis; atque adeo avertuntur fontes & scaturigines ne profluant; propterea cæsa sylva fontes promanasse compertum est*, inquit apud Farvacquesium Majolus. Afferuntur & quæ scribit Joannes Dicastillo tract. 2. de Baptis. dub. 3. disp. 3. collectas brevi tempore ex vitibus amphoras aquæ, colore, sapore, & odore ab elementari parum, aut nihil diversæ, & apud Indos homines & pecora bibere aquam, quæ jugiter fluit ex arboribus, nec ullum sentiri hujus ab aqua naturali discrimen.

Nullum hæc argumenta apud me robur habent. Principio enim probo monitum præclari auctoris de Re Sacrament. Tom. 1. pag. 134. *de vera & naturali aqua* ex communi hominum usu, non ex disputationibus philosophorum judicium ferendum esse. Deinde etiam ex Philosophiæ principiis prædictæ argumentationes mihi videntur infirmæ. Et prima quidem; nam etsi demus elementa permanere in mixtis, qua de re digladiantur physici, nemo tamen negat corporum permixtione immutari naturas rerum. Ita, etsi aqua permaneat in vino, in hydrargyro, & in aquis mulsis, aut caullicis; inscite, ut opinor, dixeris retinere hæc corpora *naturalis aquæ* substantiam: atque idem videtur asserendum de aqua rosacea particulis analepticis, seu mercurialibus, unde odor promanat, ac volatili sulphure, tenuique oleo, non permixta solum, sed *undique incorporata*. Quare aquam hanc, aliasque clibano fabricatas, nec aquas *sine nominis additamento* appellamus, cum succus sint potius, ac humor attractus, χυμὸς proinde, non ὕδωρ. Videtur etiam Florentina Synodus

dus *aquam naturalem* communi sensu accepisse: nam alioqui hæc verba forent superflua. Præterea quamvis Rituale Romanum posteriorum editionum, ubi *rubricæ* leguntur stylo magis contracto, definiat tantum materiam baptismi esse *aquam veram & naturalem*; editum Romæ jussu Gregorii XIII. aperte explicat quid sit aqua hæc naturalis, docens pag. 17. *Materiam hujus Sacramenti esse aquam veram & naturalem, ut fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, paludum, cisternarum, & pluvialem, & sit quamcunque simplicem, & puram, quæ propriam aquæ speciem retineat; nec referre frigida sit, an calida: non autem esse aquam artificialem, ut ex rosis, floribus, herbis, seu similibus rebus expressam, aut distillatam, neque alium quemvis liquorem.* Imbelle est etiam argumentum petitum ex nova Philosophia: in qua denegatur utique *substantia* a materia distincta, at non *forma substantialis* discriminans rerum *species*, & in certa permixtione corporum sita. Nec sunt ejusdem naturæ corpora omnia quæ difluunt, quamvis plurimum habeant communis materiæ, idest, aquei humoris. Ejusdem farinæ est quod additur, arbores humorem trahere ex aqua transvecta radicum vehiculis; & hæc namque in visceribus plantarum confecta oleosis, sulphureisque particulis induit diversam naturam, cum aqua sit in nostra sententia catholicum rerum corporearum principium. Nisi id eveniret, aqua naturalis forent oleum, vinum, nec non humani corporis humores: in quibus invalide baptizari definit Innocentius III. cap. *Non ut apponeres*, de Baptismo. Si autem aqua ex cortice arborum, & ex vitibus stillans retineat *speciem* suam, quod evenire potest si arbor meatus ampliores habeat, per quos transeat immunis, ut inquit de vitibus Murciæ, & de plantis Ombrii Dicastillo; non debet id statuere regulam universalem. Itaque quantum ad me spectat, sententiam Puteani, & Parvacquesii non approbo, amplectorque oppositam, non solum inter Theologos, verum etiam inter JCC. lib. III. Decret. tit. 42. communem.

At si nulla aqua haberi possit præter rosaceam, & expressam ex floribus, conferendus ne erit baptismus? Utique, respondet nuperus Augustinianus Scriptor Antonius Guerrero Tom. I. pag. 416. & ait hanc esse communem opinionem; quoniam fas est urgente necessitate uti materia dubia. Perperam ergo Scriptor iste oppugnavit præc. pagina Parvacquesium; nam is adhibendam aquam rosaceam docuit *in extremo tantum periculo*. Si quis ergo opinetur prædictam aquam esse materiam probabilem, poterit eam sub conditione adhibere, nempe, *Si hæc aqua est materia sufficiens, ego te baptizo, &c.* Si autem amplecti velit sententiam nostram, eamque, (si excipias Baunium, Chameroiam, Puteanum, & duos, aut tres alios) communem; cum non sit probabile, sed aperte falsum, aliam aquam præter *veram & naturalem* esse materiam baptismatis, neque in casu necessitatis fas est cum aqua e rosis, aliisve floribus, aut plantis expressa aliquem baptizare. Vide Andream Mendo in Statera opinionum benignarum dissert. IX. quæst. I. & Emmanuelem Gonzalez in III. Decret. tit. 42. pag. 844.

III.

Inquirunt præterea, an leve crimen debeat existimari, si baptizans pro aqua consecrata, sacroque Chrismate delibuta, quam facile habere queat, adhibeat communem atque profanam: ut apud Antoninum Dianam Tract. III. Miscell. Resol. 33. tenent Quintanadvennas, & Granado, aliique vix nomine noti. At quæ præc. capite diximus de aquæ baptismalis consecratione, abunde refellunt hujusce opinationis laxitatem. Hæc ergo refutatur primo productis eo loci Basilii, Ambrosii, aliorumque testimoniis. Addimus visum quibusdam veterum consecrationem illam esse prorsus necessariam, cujus sententiæ videtur S. Cyprianus in præcitata Epist. Synodica ad Januarium, & ceteros Episcopos Numidas Tom. I. Concil. pag. 762. Extat etiam apud Gratianum de Consecrat. dist. V. cap. *Numquid*, decretum Stephani V. *Numquid baptismatis unda, nisi cruce sanctificata, peccata relaxantur?* Quæ tamen, ut diximus de consimili Ambrosii loco, accipienda sunt de more atque consuetudine: unde Glossa Decreti, *Refert factum, quia sic fit*. Accedit divinorum signaculorum dignitas, & commendatio Sacramentorum, de quorum materia ait S. Pater de Catechiz. rudib. cap. 26. num. 50. *non sic habendam illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet.*

Quid vero, si baptismus solemni ritu non conferatur? In hoc etiam casu, si aqua consecrata haberi queat, culpandus est qui eam non adhibet. Enimvero tenent momenta eadem, quod res divina peragitur, & assumitur elementum, non ad quemlibet usum, sed ad animarum emundationem. Sane sævientibus persecutionibus, quando Sacramenta non poterant solemniter celebrari, religioni tamen duxerunt Patres ac Martyres baptizare aqua tantummodo consecrata. Aperta sunt quæ narrantur de Aproniano baptizato a Sisinio Diacono, de Artemia Diocletiani filia, & Jobia filia regis Persarum, quas baptizavit S. Cyriacus, & de aliis, quorum exempla singulis obvia sunt.

CAPUT VI.

De ablutione, sive de materia Baptismi proxima.

ELementum aquæ *materiam* baptismi *remotam* vulgo appellitant; aquæ vero usum, aut abluendi modum, *materiam proximam*, de qua instituimus modo disputationem. Triplicem enim modum abluendi diversis temporibus novimus obtinuisse, immersionem, infusionem, aspersionem; immersionem præterea olim trinam, postmodum simplam fuisse in usu receptam. Nullam autem hac in parte litem intentant nobis Lutheri, aut Calvini sectatores, qui baptismum, sicuti apud nos moris est, tenui infusione, aut adspersione ministrant; sed funem contentionis ducimus cum Græcis schismaticis, qui antesignano Marco Ephesio, post solutam Synodum Florentinam, inter ceteras istam separationis suæ prætexuere causam, baptismum a se mersione trina collatum alium esse a baptismo, quem infusione præbet Romana Ecclesia, & ideo hanc a vera fide descivisse, scribente ad Ephesios Paulo, IV. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Itaque adversus Græcos fœdifragos, quemadmodum trinam immersionem fuisse quondam servatam non diffitemur, ita negamus eam *ad substantiam baptismatis* pertinere; atque ut ordinem debitum dissertatio ista teneat, priscam consuetudinem, hujus varietatem, atque desuetudinem commonstrabimus. Poterit autem qui nostram lucubrationem aut mutilam, aut elumbem compererit, adire Jueninum dissert. II. cap. 3. q. 2. Tournely q. I. art. 3. Habertum cap. III. aliosque recentiores, nisi opportunum magis ei videbitur perlegere qui de sacris ritibus pertractarunt, ac præsertim Josephum Vicecomitem lib. IV. cap. 6. Martenium lib. I. art. 14. & Hugonem Menardum in notis ad Sacrament. Gregorii: quibus addi velim Joannem Ciampinum in Explicat. quorumdam Sarcophagorum Tom. II. Vet. Monum. Barnabam Brulonium de Spect. & feriis, & ex Acatholicis Joannem Gerardum Vossium disput. I. de Bapt. thesi 6. & sequentibus. Diatribe autem nostra hoc procedit incessu.

PROP. I. A priscis Ecclesiæ sæculis obtinuit consuetudo baptizandi per immersionem, & quidem trinam.

Immersione baptizatum Dominum videntur innuere ea verba Matth. III. 16. *Baptizatus autem Jesus confestim adscendit de aqua;* quibus recitatis Hieremias Constantinopolitanus Resp. II. ad Witthembergenses cap. 4. *Ascendit*, inquit, *ex aqua: ergo ante descenderat. Ecce immersio, non adspersio.* Nil vero probabilius, quam ad similitudinem Dominicæ humilitatis tinctos primitivæ Ecclesiæ fideles. II. Et quidem olim collatum fuisse regenerationis lavacrum *trina mersione* probant vetera monumenta, quæ etsi a non obesæ naris hæreticis revocantur in dubium, antiquam tamen consuetudinem auctoribus suis competiam esse suadent. Hujusmodi sunt, canon 49. Apostolicus, *Si quis Episcopus, vel presbyter, non tria unius mysterii baptismata perfecerit, sed unum baptismum, qui datur in mortem Domini, deponatur.* Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ ἀλλ' ἓν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω. Atque hunc canonem esse unum ex receptis a Romana Ecclesia, constat ex dictis Tom. IV. pag. 169. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. de Baptism. *Ter illum Episcopus mergit, hac trina illius mersione & emersione tres beatitudinis divinæ personas inclamans.* Τρὶς μὲν αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βαπτίζει ταῖς τρισὶ τῶν ... καταδύσεσι καὶ ἀναδύσεσι τὴν τρισσὴν τῆς θείας μακαριότητος ὑποστάσεων ἐπικαλούμενος. III. Certiora & indubitata extant traditionis hujus apud Patres vestigia. Tertullianus de Corona Milit. cap. 3. *Dehinc ter mergitamur:* & contra Praxeam cap. 26. *Nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.* Tres item mersiones commemorant alii Patres, Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. VII. num. 20. Hieronymus adversus Luciferianos, & in cap. 4. Epist. ad Ephesios, Leo Magnus Epist. ad Episcopos per Siciliam constitutos, Bern. in serm. de Cœna Domini. IV. Nec tantum Patres id innuunt, verum etiam hujus trinæ mersionis significationem explanant. Ac primu Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. II. num. 8. in trina immersione & emersione symbolum agnoscit *trium dierum, ac noctium sepulturæ Jesu*, τῆς τριημερονύκτου ταφῆς Ἰησοῦ, quam hujus ritus rationem prosequitur S. Gregorius Epistola ad Leandrum, de qua infra. Tertullianus, & Ambrosius loco citato opinantur eos, qui baptizantur, ter mergi *propter Trinitatis mysterium:* insinuatur eadem ratio apud Grat. de Consecrat. cap. *Eodem modo*, & cap. *Multi*. Rabanus Maurus lib. I. Instit. Clericorum cap. 28. utramque rationem probat, Dominicæ sepulturæ, ac Trinitatis mysterii, additque alteram, nempe, quia *tertio gradu peccati homo in mortem cecidit*. Hujus trinæ immersionis usum inter Apostolicas traditiones recensent permulti. Tertullianus de Corona Milit. cap. IV. de ritu mersionis, aliisque præcedenti cap. 3. recensitis, ait: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum,*

rum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Basilius de Spiritu sancto cap. 27. τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; *Ter autem immergi hominem, unde?* ac respondet, ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας; *nonne ex minime publicata, & arcana hac traditione?* Hieronymus pariter adversus Luciferianos: *Multa, quæ per traditionem in Ecclesia observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.* VI. Idem comprobant antiquiores Rituales libri. Vide Officium Græcorum, ejusque varias lectiones apud Jacobum Goar pag. 357. Ritum baptizandi apud Ægyptios pag. 58. Librum Sacramentorum Gelasii editum a Thomasio a Ms. 900. annorum, pag. 84. Codicem S. Remigii Remensis ejusdem vetustatis apud Martene lib. 1. cap. 1. art. XVIII. ord. 8. & antiquum Ordinem Romanum de Divinis Offic. Tom. XIII. Bibl. Patrum pag. 697. In Sacramentario Gregorii typis edito non memoratur trina mersio; quam tamen præcipiunt vet. Mss. Remense, Corbejense, aliaque laudata num. 323. a Menardo.

PROP. II. Non fuit tamen ad sæculum usque XIII. trina mersio ita communiter recepta, ut probatus aliquando non fuerit baptismus, aut infusione, aut unica mersione collatus.

Obtinuisse enim ritum baptizandi per immersionem etiam tertiodecimo sæculo, constat ex S. Thoma 3. p. q. 66. art. 7. ubi ait tutius esse baptizare per immersionem, *quia hoc habet communior usus*: obiit autem S. Thomas anno 1274. Verum cum ritus ille prævaluerit, immo etiamnum obtineat in Mediolanensi Ecclesia, & apud Coptos, & Jacobitas; non fuit omnino indispensabiliter observatus. I. De Baptismo per infusionem dato profert illustria exempla Martene ex vita S. Laurentii, quem baptizasse Romanum militem aqua ex urceo effusa referunt Acta martyris, commonstratque vetus pictura etiam nunc in Basilica S. Laurentii in Agro Verano, ubi Romanus conspicitur sacrum suscipiens a Laurentio lavacrum. Addit vir eruditus Acta S. Gratiliani, S. Bacchi Junioris, & sancti Liudgeri Episcopi, in quibus baptismum infusione collatum ipsa Sanctorum gesta confirmant. Vidit hæc & doctus Tournelius, qui tamen contendit immersionem fuisse *constanter observatam* in solemni baptismo; infusionem vero, aut aspersionem aquæ usurpatam solummodo in baptismo privato, & urgente necessitate. At Mabillonius in Itin. Italico pag. 73. & 81. refert dono sibi datas a Ciampino cujusdam tumuli prope Neapolim reperti figuras duas, quibus repræsentatur baptismus per immersionem simul, & superinfusionem collatus. Idem Ciampinus volum. 2. Vet. Monum. cap. 4. profert in tabula delineatum ex antiquis Sarcophagis baptismum Agilulfi Regis Longobardorum, & Theodolindæ ejus uxoris, in pelvi, sive semidoliolo existentium, & superinfusa aqua tinctos in superiori parte corporis, dum inferiores tantum essent aqua mersæ. Consimilis extat pictura in templo Sanctæ Pudentianæ, de qua idem Ciampinus pag. 20. Imo collatum baptismum infusione aquæ, existente baptizato extra pelvim, demonstrat alter Sarcophagus Ciampini pag. 16. necnon baptismus Romani, de quo supra, depictus in agro Verano, ubi male scribit Martene S. Romanum cerni *existentem in pelvi*, cum sit extra, nudus, & dextera Levitæ porrigens urceolum altatum aqua plenum, quod forte non una, sed trina fieret aspersio, aut infusio. Etsi ergo immersio longe apud veteres prævaluerit, obtinuit tamen aliquando infusionis usus. II. Perfusione baptizatos *Clinicos*, idest, decumbentes in lecto, constat ex Epistola S. Cypriani 76. ad Magnum. Videtur ibi S. Martyr mirari, cur in ægritudine baptizati *Clinici* appellarentur: *Non invenio*, inquit, *unde hoc nomen assumant, nisi forte qui plura & secretiora legerunt, apud Hippocratem, vel Soranum, Clinicos istos deprehenderunt.* Scite, & ingeniose; *Clinici* enim medici dicuntur, quorum princeps Hippocrates. Soranus etiam fuit inter medicos nobilissimus, nec uno in loco laudatur ab Augustino. Lepide Martialis lib. 1. Epigram. 31.

Chirurgus fuerat, nunc est vespilla Diaulus;
Cœpit quo poterat Clinicus esse modo.

Attamen, sicuti qui invisunt decumbentes, ita ægroti *Clinici* dicti sunt ἀπὸ τῆς κλίνης, *a lectulo*, in quo decumbunt. Vide Eusebium lib. VI. Hist. Eccl. cap. 43. pag. 244. Horum ergo Clinicorum baptismum, de quo hæsitabat Magnus, quoniam superfusione, non immersione conferebatur, ratum censuit S. Cyprianus, scribens: *Neque enim sic in Sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali sordes cutis & corporis, abluuntur.* Et post pauca: *Unde apparet adspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere.* Addit: *Et idcirco quantum fide concipere & sentire nobis datur, mea sententia hæc est, ut Christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege, & jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nihil consecutos eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes & vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur.* Notes, velim, Cypriani in dijudicanda aliorum opinione sententiam, in sua autem pronuntianda firmitudinem. Profecto baptismum Clinicorum probarunt Synodus Neocæsariensis canone XII. Tom. 1. Concil. ad an. 314. aliæque posteriores, etsi vetuit ea Synodus, ne baptizati in ægritudine ordinarentur in presbyteros, sive quod necessitate potius, quam electione initiari viderentur, sive Sacerdotii officia implere non possent, quos valetudo ignaros elementorum fidei baptismum suscipere coegisset, ut opinatur in notis ad prælatum canonem Albaspinæus. III. Trinam mersionem circa annum sexcentesimum Hispaniarum Episcopi deseruerunt occasione Arianorum, qui ex ea petebant argumentum ad oppugnandam sanctæ Trinitatis *consubstantialitatem*: inductam vero ab Hispanis consuetudinem approbavit Magnus Gregorius Epistola 43. libri 1. ad Leandrum Episcopum Hispalensem; ubi post multa, quæ etiam a Gratiano relata sunt in canone *De Trina* de Consecrat. dist. IV. ait Gregorius Tom. 2. pag. 522. *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando & tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.* Gregorii judicium secutum est, sedente Honorio, anno 633. Concilium Toletanum IV. canone 6. alias 5. ubi post Sancti Gregorii verba, legitur: *Quapropter, quia de utroque Sacramento, quod fit in sancto baptismo, a tanto viro reddita est ratio* (trinæ scilicet, aut simplæ mersionis) *quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habetur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos qui tertio mergunt hæreticorum probare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium Sacramenti, videat in eo mortem & resurrectionem Christi significari: nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est, & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo Unitatem Divinitatis & Trinitatem personarum ostendi: Unitatem dum semel immergimus; Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizamus.* Et hunc Canonem inter decreta retulit Gratianus citata dist. IV. cap. *Propter vitandum*. Gregorianæ Epistolæ, & Canonis Toletani meminit Valafridus Strabo de Rebus Ecclesiasticis cap. 26. scribens: *Alii trinam immersionem volunt in similitudinem triduanæ sepulturæ, ut in canonibus Apostolorum statutum habetur, & Romanorum consuetudo observat: alii unam, propter divinitatis unitatem contendunt, ut in Concilio Toletano plenissime habetur; ubi etiam commemoratur quod beatus Gregorius interroganti super hæc Leandro inter cætera ita responderit, Quia in una fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa.* Vide Tom. XV. Bibl. PP. pag. 196.

Invehitur in Hispanos Alcuinus Epist. 69. ad Lugdunenses pag. 1587. scribens morem illum unius mersionis esse contra universalem sanctæ Dei Ecclesiæ consuetudinem: adversari Apostolo, qui ait nos consepultos esse in Christo per baptismum, cum Christus triduo in sepulcro permanserit: revinci potius Arianos baptismate, quo ter mergimus, quia in ipso unum apparet Trinitatis Sacramentum. Addit & Ambrosii, ut putat, versus de ternarii excellentia:

Omnia trina vigent sub majestate Tonantis.
Tres Pater, & Verbum, sanctus quoque Spiritus unum.
Trina salutaris species crucis, una redemptrix.
Tertia lux Dominum remeantem a morte recepit.
Trina dies Jonam tenuit sub viscera ceti,
*Tres pueri * cernere Deum flagrante camino.*
Ter Sabaoth sanctum referens benedictio psallit.
Ter mergendus aqua est, cui gratia plena lavacri, &c.

* *cernunt Dominum.*

Negat etiam Alcuinus epistolam de simpla mersione, citatam a PP. Toletanis, a S. Gregorio scriptam fuisse, quod eam non invenerit *in Epistolari libro* Roma ad se allato, ut observarunt in notis ad Gregorium Maurini Patres: idque Alcuinus asserit epistola proxima LXX. quæ videtur continuatio præcedentis. Martinus quoque Bracarensis Antistes in Epistola ad Bonifacium, edita Volum. II. Concil. Hispaniæ pag. 506. reprehendit eos, qui *unam tinctionem fieri voluerunt*; nam si sub uno nomine facta una tinctio unitatem Deitatis demonstrat, ac per hoc error fugitur Arianus; Sabelliana ignorantibus subrepet pestis, dum sub uno nomine una solummodo retenta mersio, nullam in Sacramento baptismi monstrat trium personarum distinctionem. Intorquet simile argumentum Gerardus Vossius, disp. II. thesi 4. pag. 262.

Hæc tamen nullius momenti sunt. Quocunque enim modo conferatur baptismus, si materia & forma serventur, ratus erit, ac validus: neque necessum est, ut mersione, aut infusione simpla, vel trina significetur mysterium Trinitatis, aut Christi passio; tum quia Sacramentum est

signum gratiæ, non prædicatio duntaxat fidei, gratiam vero commonstrat quæcunque ablutio: tum quia fides, si baptizetur adultus, ab eo petitur, & exigitur, tanquam prævia dispositio; & si tingatur infantulus, id supplet fides gestantium, aut sanctæ matris Ecclesiæ. Deinde in sola forma hæc significantur; unitas vocabulo singularis numeri, *in nomine*; Trinitas, distincta divinarum enumeratione personarum, quæ sane catholico sensu, non Ariano, aut Sabelliano, enuntiantur. Mors etiam Christi una mersione monstratur, quoniam semel sepultus est; nec emersio, & immersio per se signum sunt dierum, quibus Dominus in sepulcro delituit, sed potius resurrectionis & sepulturæ; quamquam mersione trina id quoque sit aliquatenus demonstratum. Si enim trina mersio, eadem omnino ratione significaret sepulturam Domini, & Trinitatis mysterium; tres simul personæ innuerentur sepultæ. Quare mersio, ut mersio est, mortem significat Christi, non Trinitatem: hanc vero innuit aut mersionum numerus, aut personarum enumeratio, aut utrumque. Nihil est ergo in causa, cur Alcuinus ex significatione mysterii redarguat canonem Toletanum. Infirmum est pariter argumentum ex traditione depromptum; quamvis enim trina immersio, ut diximus, prævaluerit, obtinuerunt tamen etiam ritus alii: ac præterea traditiones ad solam disciplinam spectantes possunt ab Ecclesia pro temporum opportunitate antiquari. At quod Alcuinus neget Epistolam ad Leandrum esse genuinum Gregorii fœtum, facilius est refutare. Primum enim hæc Epistola Gregorii salivam habet. Deinde illam exhibent codices optimæ notæ. Insuper meminerunt ejusdem Epistolæ S. Isidorus de Script. Eccles. S. Licinianus Episcopus ad ipsum Gregorium scribens, & Joannes Diaconus in vita Gregorii cap. 53. Tandem fidem omnem superat, quod connexa sit Gregorii Epistola in Synodo, cui præfuit S. Isidorus, frater ejusdem Leandri, ad quem missa fuerat.

At Martinus Dumiensis citata Epistola scribit, baptismum conferendum non esse *in nominibus Trinitatis*, ac certissime *tertio nomen invocari, & tertio tingui*, Arianorum censendum esse. Damnat etiam præsumptionem eorum, qui *pro refugienda Arianorum similitudine*, tinctionem unam fieri voluerunt, priusquam aliqua accederet sententia *Generalis, aut Provincialis Synodi*: quod nempe non debeat unusquisque, ob hæreticorum abusum, propria auctoritate antiquam disciplinam delere. Licuit ergo Hispanis post Gregorii Epistolam adhibere mersionem simplam; maxime quod *quidam trinam, quidam simplam facerent, & a nonnullis schisma suscitaretur, ab aliis crederetur scindi unitas fidei*, ut legitur ipsomet canone Toletano: a quo propterea, *ad vitandum scandalum*, provide definita est una mersio. Vossius autem fallitur, dum ait argumentum Gregorii, & Toletani Concilii non esse tanti ponderis, ut inducenda sit simpla mersio in Ecclesiis, quæ cum Arianis conflictantur. Non id unice spectandum est; sed etiam scandalum schismatis, inducta consuetudo, & opinio eorum, qui contendebant irritum esse baptismum trina mersione peractum: quæ omnia narrat Synodus Toletana, eodem Volum. 2. pag. 480. Ceterum tam Gregorius, quam Toletana Synodus utrumque baptismum *rectum, & irreprehensibile* judicarunt, sive collatum una, sive trina mersione. Animadvertas autem, etiamnum in Ecclesia Romana probari, & in usu esse baptismum per trinam immersionem in nonnullis Ecclesiis, eamque adhiberi pro forma & situ baptisteriorum, licet prævaleat usus infusionis, quæ pariter trina, non simpla, est apud Latinos: de qua re vide Rituale Romanum, nec non Synodum Beneventanam Cardinalis Vincentii Mariæ Ursini an. 1693. qui etiam ætate nostra ad summum Pontificatum evectus, ubi baptisterii vas amplum est, propria manu parvulos ter immergebat.

PROP. III. Quocunque ritu conferatur baptismus, sive immersione, sive infusione, sive aspersione validus est: recte Ecclesia Romana præscribit immersionem, aut infusionem; a Marco autem Ephesio, aliisque Græculis male nulloque jure reprehenditur.

Quidam priorem partem confirmant exemplo Petri, qui Act. II. 41. una die baptizavit tria millia hominum, & cap. IV. 4. alia die hominum quinque millia. Quomodo enim potuit unus tam ingentem numerum immersione trina baptizare? Profert rationem istam S. Thomas q. 66. art. 7. Ac baptizasse Petrum omnem illam multitudinem eadem die constat ex Scriptura, & ex Epistola XV. Leonis Magni cap. 5. Sunt tamen, qui hanc probationem infirmam putant, ut Vicecomes lib. IV. cap. 6. quoniam veteres baptismum illum adspersione datum non asserunt; nec inverisimile est Petrum baptizasse more apud Judæos recepto, in locis ad immersionem idoneis, necnon adjuvantibus aliis, *tum Apostolis, tum Discipulis*, ut inquit Carthusianus. II. Quicquid sit de vi probationis hujus; invictæ sunt aliæ, quæ ex thesi præmissa consequuntur. Et prima quidem, quod stet *Sacramenti substantia*, si verbum accedat ad elementum, necnon analogia, signumque interioris ablutionis, quocumque ritu fundatur aqua: & argumentum quidem illud etiam S. Thomas producit priori loco. Accedunt exempla baptismi infusione collati. Adde probatum a Patribus baptismum *Clinicorum*; & cetera jam commonstrata. II. S. Cyprianus in præcit. Epistola ad Magnum, significari gratiam baptismatis sola adspersione, probat exquisitis Scripturæ locis, ut Ezechielis XXXVI. 25. *Et effundam super vos aquam mundam*. Legit Cyprianus, *Et aspergam*: atque Num. VIII. 7. *Aspergentur aqua lustrationis*. Addit Cyprianus aquam aspersionis appellari a Mose aquam *purificationis*, nec baptismum præsignatum solummodo *in mari*, verum etiam *in nube* superius madefaciente. At initio hujus libri *baptismum* significare ablutionem quamlibet, satis declaravimus. Probat Cypriani Epistolam Augustinus lib. VI. de Baptismo cap. VII. num. 10. Tournelius pag. 27. laudat ejusdem Augustini verba Tract. LXXX. in Joan. nu. 3. *tingentem etiam tantillum mundet infantem*: at nescio quo jure *tantillum* faciat adverbium. IV. Cum baptisma sit maximæ necessitatis, videtur imperceptibile, datum fuisse trina mersione, aut superfusione, aut animam agente puerulo, aut deficiente aquæ copia, aut ad unum Sacerdotem confluente immensa baptizandorum multitudine; ideoque nec adhibitam mersionem puto, quando Paulus Act. XVI. 33. baptizavit custodem carceris & domum ejus; aut quando Petrus in Mamertino carcere, aqua divinitus e saxo erumpente, Processum & Martinianum & quaterdenos milites abluit, quod ita carmine expressit Martha Marchina:

Clauditur in tenebris hominum Piscator, & inde
Bina quaterdenos retia missa trahunt.
Unda deest, Petri virga Tarpeia rupes
Percussa, e petris large fluenta dedit.

Ac solam fortasse aspersionem adhibuit Liberius, dum festo die Pentecostes *quatuor millia & duodecim* promiscuâ sexus salutari baptismo expiavit, ut ex Actis Damasi refert Paulus Aringhus Romæ Subterr. pag. 223. Voluminis 1. Atque hæc de priori parte propositionis.

Alteram partem comprobat Rituale Romanum, editum jussu Pii V. ubi tit. de forma baptismi legitur, *Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur*. Et quidem adspersionem perraro adhibitam, aperte ex præmissis monimentis evincitur.

Tertiam partem sic demonstro. Liquet ex Rituali nuper laudato, & ex Beneventana Synodo, Actisque Mediolanensibus supra citatis, etiamnum in Ecclesia Latina ritum trinæ immersionis adhiberi, *pro Ecclesiarum consuetudine, & forma Baptisteriorum*. Immo Rituale Gregorii XIII. mandat, ut si baptismus per immersionem sit conferendus, *Baptisterium humilius jaceat, ac late patens cum suis gradibus extruatur*. Quo ergo jure affirmant Græci, ritum immersionis a nobis eliminatum? II. Sive immersione, sive infusione tingamus, ter immergimus, aut aquam fundimus. At Græci non ita mersionem putant necessariam, ut complures eorum non utantur superinfusione: baptizant enim puerum pronum positum, & sinistra in ventre sustentatum, dextera salutarem aquam superinfundentes: ideoque immersionem, & infusionem eodem vocabulo designant, ut animadvertit, probatque ex Neophyto Rhodino pag. 365. eruditus Goarius. Nuda ergo battologia nobiscum decertant. III. Sit denique in trina mersione latens mysterium: sit porro: principio istud refert etiam trina effusio: deinde vero, etiam in aqua calida ipsi Græci portentosum aliquid divinant, & nihilominus si frigida abluatur infans, baptismum ratum pronuntiant, ut constat ex canone Synodi Amathuntinæ ibidem producto a Goario, ὁ χρὴ ἐπὶ ψυχρῷ ὕδατι βαπτίζειν, ἀλλ' ἐπὶ ζέοντι. δηλοῦντος τὸ ζέσεως τὸ ζῶν τῆς χάριτος τοῦ βαπτίσματος. εἰ δὲ ἀνάγκη ἐστι, γινέσθω καὶ ἐπὶ ψυχρῷ, idest, *In aqua frigida baptizare non oportet, sed in calida; manifestante nimirum calida fervorem gratiæ baptismatis: si vero necessitas urgeat, fiet & in frigida*. Ita de trina mersione, aut infusione, quamvis in ea mysterium lateat, ratiocinentur oportet.

Militare videntur adversus primam partem hujus propositionis probationes omnes proposit. 1. Et sane urgeri possunt hoc pacto. Canon XLIX. Apostolicus deponendum censet presbyterum, *qui non perfecerit tria unius mysterii baptismata*. Irritum ergo judicat baptismum absque trina immersione collatum. II. Tertullianus, Hieronymus, Basilius, aliique Patres affirmant trinam mersionem haberi ex traditione Apostolica: nefas est igitur ritum hunc immutare. III. Latet in trina mersione mysterium Dominicæ sepulturæ, trium divinarum personarum, nec non expiationis cujuslibet generis peccatorum. Hoc ergo ritu semoto, Sacramentum mystica signi ratione exspoliatur. IV. Non solum Magnus in Epistola ad Cyprianum, sed etiam Cornelius Papa apud Eusebium lib. VI. cap. 43. dubitat de validitate baptismi *Clinicorum*; scribit enim de Novatiano in lectu aquæ perfusione baptizato, *In ipso, in quo jacebat, lectulo perfusus baptismum suscepit, si tamen hujusmodi baptismum suscepisse dicendus est*. V. Denique simplam immersionem invexit primus omnium

Euno-

Eunomies, *μὴ χρῆναι λέγων τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον*, *dicens non oportere ter mergi eum, qui baptizatur*, inquit Theodoretus lib. IV. Hæret. fabul. cap. 3. Ut igitur trina immersio apud Hispanos in desuetudinem abiit propter hæresim Arianam; ita nunquam adhibere fas est mersionem simplam ob hæresim deteriorem Eunomii, & Aetii.

Verum ut argumenta, ita etiam solutiones, ex prædictis thesibus obviæ sunt. Ad 1. itaque respondemus, Apostolico canone non declarari nullum baptismum absque trina mersione datum, sed deponi tantummodo eam non adhibentem, propterea quod nonnulli baptizabant, non in nomine Trinitatis, sed *in nomine solius Christi mortui pro nobis*, & ad hunc ritum inducendum utebantur una mersione tantum. Igitur propter Ecclesiæ disciplinam, & in detestationem illius erroris, præscripsit canon *invocationem Trinitatis, trinamque mersionem*; ut manifeste apparet ex sequenti canone 50. *Si quis presbyter*: de quo vide Glossam decreti de consecrat. dist. 4. can. 79. Ad secundum, jam diximus distinguendas esse traditiones, quæ spectant ad regulam fidei, ab iis, quæ pertinent ad ritum & disciplinam; & quemadmodum traditiones primi generis custodiri debent inviolatæ, ita posteriores pro vicissitudine temporum subeunt, ut de velandis Virg. loquitur Tertullianus, *novitatem correctionis*. At de his plura lib. XXXII. cap. 6. Ad tertium, quamvis cum Paludano in quarto dist. III. q. 3. aliisque negari possit symbolum mysteriorum fidei spectare *ad substantiam Sacramenti*, ut quod accidentarium sit duntaxat: respondemus tamen cum S. Thoma art. VII. ad 2. ablutionem, quocunque modo fiat, repræsentare Christi mortem, dum *corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum*: ne repetam quæ de sensu Apostolicæ sententiæ ad Rom. VI. 3. dixi præcedenti cap. 3. & quæ de Trinitatis mysterio expresso in baptismi formula, paullo supra. Ad proximum jam dixi dubitationem Magni fuisse dispunctam a Cypriano, quamvis non satis appareat, an Magnus hæsitarit de validitate baptismi perfusorum, an de effectu ob exiguam in Clinicis fidem; nam Cyprianus respondet etiam perfusos gratiam consequi, Deo *credentibus in Sacramentis salutaribus indulgentiam suam largiente*. Ego tamen non diffiteor Magnum de valore baptismatis hæsitasse; cum Cyprianus hisce verbis propositam sibi quæstionem exponat, *Quæsisti etiam, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi*. Verum, ut dixi, scrupulum hunc Sanctus Martyr exemit, temperanter simul, & erudite. Cornelius autem ea phrasi carpit Novatianum, qui nulla fide, nulla recta intentione, nulla observatione canonum, aqua baptismali perfusus, nec liberatus a morbo perficiens reliqua juxta Ecclesiasticam regulam, nec ab Episcopo consignatus, refragante universo Clero, per gratiam Episcopi contra præcitatum canonem a Synodo Neocæsariensi innovatum, ad presbyteratus gradum conscenderat: quæ, aliaque eo loci ab Eusebio conscripta ostendunt quanta improbitate Novatianus parvipenderat Sacramenta. Ceterum illum fore rebaptizandum minime asseruit Cornelius, quod affirmasset utique, si Novatiani baptismum irritum existimasset. Mitto quod tam Magni, quam Cornelii verba dubitantis sunt, non asserantis: nec mirum, si judicium non proferunt suum, contemnentibus compluribus Ecclesiasticam disciplinam. Ad ultimum dicendum cum Arcudio non reprobatum in Eunomianis baptismum, eo quod semel immergerent, sed quia cum una mersione utebantur formula fidem Trinitatis labefactante. Theodoretus quippe, ad ea verba, *Dicens non oportere ter mergi eum, qui baptizatur, μὴ χρῆναι λέγων τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον*, addit, *nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi, μηδὲ ποιεῖσθαι τὴν Τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ*. S. etiam Epiphanius violatam ab Eunomianis formulam ad hunc modum recitat h. LVI. nunc LXXVI. pag. edit. Petavianæ 992. *εἰς ὄνομα θεοῦ ἀκτίστου, καὶ εἰς ὄνομα υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ εἰς ὄνομα πνεύματος ἁγιαστικοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ κεκτισμένου υἱοῦ κτισθέντος, In nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, & a creato filio procreati*. Ex quo loco diligenter exscripto vides decipi virum doctum, Gasparum Juenin, qui Arcudium de affictis Epiphanio his verbis reprehendit. De immutato autem ab Hispanis mersionum ritu dictum supra.

APPENDIX.

SUnt qui hoc loco inquirunt, quonam modo olim baptizati mergerentur. Plura de his Vicecomes libro IV. cap. IX. & seq. Martene lib. I. cap. I. art. 14. necnon Vossius disput. I. thesi 6. Primo itaque immergebantur nudi, quo ritu demonstrabatur *exuere baptizatos veterem hominem*; & imitabantur Christum, *qui in cruce nudatus principatus & potestates hujus sæculi spoliavit*, ut eleganter docet S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. XVII. & II. Mystagogica a principio, S. Joannes Chrysostomus Hom. VI. in Epist. ad Coloss. D. Anselmus in cap. 3. Matth. & Bernard. serm. 46. de Paupertate. Denudabantur vero non solum adulti, verum etiam infantes; ut liquet ex Sacramentario Gregorii, & Ordine Romano, & ex Alcuino cap. 19. de div. Off. nec non mulieres, ut constat ex iis, quæ de Conone presbytero narrat Eviratus cap. IV. Prati Spiritualis, & ex iis, quæ contigerunt Constantinopoli, dum e Sede sua armata manu dejiceretur Joan. Chrysostomus, ut ipse scribit in Ep. ad Rom. Pontif. Innocentium. Exhibent hujus denudationis consuetudinem imagines Romani, Agilulfi, Theodolindæ, aliæque supra e Ciampino memoratæ, necnon quæ conspicitur in Ecclesia Mediolani Ambrosianæ Basilicæ proxima, nudos exhibens in baptismali lavacro S. Patrem Augustinum, Alipium, ac puerum Adeodatum. Mulierum autem pudori non una ratione consultum fuit. Priscis temporibus solæ Diaconissæ nudabant feminas, dabantque operam, ne a ministrantibus conspicerentur, ut legitur lib. III. Constit. Apostol. cap. XV. apud Epiphanium hær. LXXIX. quæ est Collyridianorum, Justinian. Novella VI. cap. 6. In *Elemento γ* cap. 13. Matthæi Blastaris, & apud alios in Notis Const. Apost. pag. 387. Deinde mulieres tingebantur in loco a viris separato, & post exorcismum a masculis discedebant, ex Cyrillo Hierosf. in Præf. Catech. ex Ordine Romano, & ex libro XXII. Augustini de Civit. Dei cap. 8. Alicubi etiam cortinæ, & vela obducebantur: qua in re merito commendatur apud Surium die 22. Julii, & apud Continuatores Bolland. tom. I. Jul. pag. 395. sollicitudo sancti Ottonis Pomeranorum Apostoli.

Immersio præterea baptismalis in modum crucis peragebatur. In Ordine Æthiopum præscribitur, ut qui baptizatur ter attollatur ex aquis, *a fronte, a tergo, & altero laterum*. Jacobitæ baptizandum componunt in modum crucis. S. Bonaventura in IV. dist. 3. qu. 1. referens ritum, qui ætate quoque sua servabatur, ait baptizandum respicere *primo versus Orientem, secundo versus aquilonem, tertio versus meridiem*. In trina demum mersione semel pronuntiabant integram baptismi formulam. In vet. Ordine Romano Tom. XIII. Bibliothecæ PP. legitur: *Baptizant eos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocando, ita dicendo*, Ego baptizo te in nomine Patris, *& mergit semel*: & Filii, *& mergit iterum*: & Spiritus sancti, *& mergit tertio*. Haud secus Rituale Gregorii XIII. pag. 14. *Trina eum mersione baptizet, semel tantum dicens*, Ego te baptizo in nomine Patris, *mergat primo*: & Filii, *mergat secundo*: & Spiritus sancti, *mergat tertio*: atque ut id servetur, dum baptismus datur per infusionem, mandat tum idem Rituale, tum editum jussu Pii V. Negari non potest id ex antiqua traditione fluxisse, scribente Tertulliano contra Praxeam cap. 26. *Ter ad singula nomina in personas singulas tingimur*. Sacrilege ergo se gereret, qui ad unamquamque mersionem repeteret singula *formæ* verba, eumdemque baptismum impie repeterat: quod monuit sapienter S. Thomas 3. p. q. 66. art. 8. ad 3. comprobatque ipsa ratio repetitæ materiæ, & formæ, quibus integrum perficitur Sacramentum. Hac in parte jure, meritoque Alcuinus invehitur in quosdam Hispanos, qui dum alii unam servabant mersionem, ipsi trinam faciebant, *& unaquaque mersione invocationem sanctæ Trinitatis; ac per hoc tres personas ter nominare studentes, dum ipsa veritas præceperit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quid opus est tertio replicare, quod semel dictum sufficit?* Ita ille Epist. ad Paulinum Patriarcham 81. alias 66. pag. 1609.

CAPUT VII.

Quædam circa modum abluendi quæstiones.

AT quæres, si etiamnum obtinet baptismus per infusionem, aut per immersionem collatus, poterit ne qui baptizat, unum, aut alterum abluendi modum servare pro libito? Dixi supra, in hoc servandam consuetudinem Ecclesiarum, necnon Baptisteriorum formam. Nemo errare hac in re poterit, si tria, quæ mox subjiciam, teneat monita. Est primum, ne memoria excidat canon XIII. sess. VII. Triden. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit*. Accedit Augustini regula in Epistola LIV. ad Januar. n. 6. ubi de iis, quæ per loca, regionesque variantur, inquit: *Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem est, aut contra mores, hinc, vel inde meliores. His enim causis, idest, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat*. Et supra, num. 2. *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, ne-*

que contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est. Animadvertendum denique, ea rituum quoque diversitate oriri aliquando schismata, plebisque Christianæ scandala: ad quæ compescenda, diximus supra canone VI. quarti Toletani Concilii simplam mersionem auctoritate beati Gregorii fuisse præscriptam.

II.

Inquires præterea, an baptismus valeat, si abluatur aliqua tantum pars corporis, & quænam sit abluenda? Ad hæc respondeo necessum non esse, ut totum prorsus corpus aqua perfundatur. Damnat quidem Theodoretus lib. IV. Hæret. fabul. pag. 236. Eunomianos, eo quod baptizandum aqua usque ad pectus superiori parte tantum madefacerent; & posteaquam quidam capite ad solium illiso vulnus accepit, excogitarint baptismi genus aliud, quo baptizandum in subsellio extendentes, erectum ipsius caput lavabant, nullo alio membro corporis attincto; aut tænia quadam longissima hominem a pectore usque ad ungues pedum involvebant, ne aqua illic ullatenus madefieret. Verum duo hic notanda sunt: unum, Eunomianos in baptismate Trinitatem non invocasse, quod innuit idem Theodoretus, ac nos paullo supra observavimus: alterum, hæreticos illos *aquam non adhibuisse reliquis partibus, tamquam execrandis*, τοῖς δ' ἄλλοις μορίοις τοῦ σώματος ὡς ἐναγέσι προσφέρειν τὸ ὕδωρ ἀπαγορεύουσιν, ait eo loci Theodoretus: ex quo PP. S. Mauri in notis ad illa Ambrosii verba, *Quomodo sapiens Marcion, atque Eunomius, qui malunt Deum malum, quam bonum habere?* lib. I. de Off. Ministr. cap. 25. num. 117. recte inferunt, Eunomium Arii blasphemiam nova impietatis accessione cumulasse, & cum Marcione induxisse Deum malum, a quo procreatas autumavit inferiores pariter humani corporis, malas proinde in sensu ejusdem Eunomii, atque execrandas. Eunomium a Manichæis errores hausisse prænotaverat in notis ad Canones Concilii Gangrensis Severinus Binius Tom. II. Concil. pag. 434. His autem præmissis, affirmo immergendum esse, aut abluendum saltem baptizandi caput, quod humani corporis pars præcipua est, & in quo facultates omnes sensuum, ut inquit 3. p. q. 66. art. 7. ad 3. S. Thomas, vigent, suaque exercent officia; nec non, si philosophis plurimis assentimur, residet rationalis anima in ea cerebri glandula, quam Anatomici appellant *Conarion*, excipiens animales spiritus, rerumque corporearum imagines. In capite ergo ablutus homo, dubio omni procul baptizatus est: secus si in vestibus, & in capillis tingatur, nec aqua ad cutem pertingat. Etsi enim Dominicus Soto in IV. dist. 3. art. 7. ablutum in capillis rite baptizatum pronuntiat, quoniam vulgari idiomate, si aqua soli perfundantur capilli, dicitur caput ablui; imo & de tinctis vestibus, asserat esse rem valde dubiam; hanc tamen opinionem fere omnes explodunt: rejiciuntque pariter sententiam Durandi, scribentis sat ad baptismum esse, si aqua minimus digitus, aut externa alia pars abluatur. Vide Suaresii disp. 20. in præcitatam tertiæ partis quæstionem. Certum est graviter eum peccare qui, cum possit abluere caput, tingit corporis partem alteram, etiam pedem, aut brachium. Necessitate tamen urgente, E. G. si materno ex utero puerulus emitteret manum unam, perfundi debet pars, quæ apparet, juxta præscriptum Ritualis Romani tit. de baptiz. parvulis, ubi hæc habentur: *Nemo in utero matrum clausus baptizari debet: sed si infans caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Similia S. Thomas q. 68. art. XI. ad 4. Ex hac præscriptione intelligimus, non constare de validitate baptismi, si alia a capite pars abluatur; quandoquidem *forma conditionalis* adhibenda non est, *nisi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio*, ut recte monet idem Rituale titulo præced. & Catechismus Rom. P. 2. cap. 2. num. 57. quod & nos libro superiori advertebamus. Nec probat oppositum Ecclesiastica sepultura eo modo baptizatis concessa: hanc enim jure Ecclesia impertitur, quia nemo in dubiis æquo, justoque exspoliatur.

III.

Præterea inquires, num si ablutio fiat, ut baptizato necem inferat, sit verus baptismus? Si ablutionis servetur natura, puta si infans ferventi, aut venenata aqua perfundatur, ac debita adhibeatur *forma*, nec desit intentio, non videtur de hac re dubitandum; affirmatque etiam Scotista Henno disp. 2. de Baptismo q. 3. Enimvero quod aqua fervens sit, aut veneno infecta, ipsius non immutat proprietatem; nec si abluens intendat effectum pravum, vanum redditur Sacramentum, etiamsi nedum interimere infantulum, verum & illum devovere diabolo cogitaret minister immanis ac scelerosus; quod vidimus libro superiori disputantes de intentione. At si baptizandus projiciatur in puteum, vel flumen, unde nequeat emergi; valere baptismum negat Scotus in IV. dist. 4. q. 3. cui non solum accessere peracuti illius scholæ disputatores, ut Mastrius disp. 2. de Bapt. q. 2. art. 5. & Frassen Tom. X. pag. 258. aliique, uno excepto Brancato, verum & exterorum nonnulli, quos ibidem num. 39. laudat citatus Mastrius, & quibus addo Dominicum Soto in IV. dist. 3. art. 8. Habert cap. 3. q. 3. hanc inutilem disquisitionem appellat, cum nemini liceat quovis prætextu necare innocentem; ideoque nefas est, etiam periclitantem infantem in fundum projicere. At id etiam Scotus affirmat dist. V. q. 3. nec disquiritur an fas sit hoc facere, sed an baptizatus sit puer, si istud fiat. Videtur baptizatum non esse ob ea, quæ sequuntur. Primum, si puer projiciatur in puteum, quod aliquando contigisse refert Panormitanus, nec infunditur aqua, nec adspergitur, nec immergitur; non enim est forma mersionis, ubi nulla succedit emersio: ideoque illa projectio nullam habet speciem ablutionis. Juxta enim communem loquendi modum, quod ita immergitur, ut non emergat, non dicitur ablui. Quis etenim vel sordidum canem in altum demergens puteum, unde non posset evadere, diceretur illum lavare, non autem perdere & occidere? Atque hoc argumento movetur Dominicus Soto. Deinde baptizari quisque debet in mortem Christi, qui ita sepultus est, ut resurgeret. At nisi emersio sit; nec resurrectionis est symbolum. Tandem baptismus ex Christi institutione ordinatus est ad vitam illius, qui baptizatur; ideoque ablutio, quæ mortem infert, non baptismus dicendus est, sed flagitiosum, crudelissimumque homicidium.

Est tamen communior sententia opposita, quam & propugnant nostrates, Gavardi q. 2. de Baptismo art. V. Vanroy cap. I. q. 4. Guerrero Tract. VII. disput. 2. num. 43. & Pietin P. V. pag. 374. Hæc innititur communi principio, quod duo tantum pertineant ad substantiam Sacramentorum, verbum, & elementum. Ratio autem abluendi omnino indifferens est, modo aqua physice tangat corpus. Hinc est obvia, nec semel repetita S. P. Augustini sententia Tract. LXXX. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Tria etiam ad perficiendum Sacramentum necessaria esse, materiam, formam, & intentionem, auctoritate Conciliorum Sanctorum definitum est. Quid ergo in casu ad Sacramenti perfectionem deest, si projiciens puerum in flumen formam proferat, intendatque facere quod facit Ecclesia? Nec quicquam obest, quod actio impia sit, mortemque inferat: non enim impietas, & sacrilegium ministrantium reddit nulla & irrita Sacramenta. Nullam præterea difficultatem ingerunt contraria argumenta, si primum excipias. Ad alterum enim optime responsum a Theologis, puerum, qui aquis suffocatur, resurgere ad vitam spiritalem; baptismus enim est figura mortis, & resurrectionis Christi, quatenus in baptismo peccatis morimur, & ad gratiam resurgimus, ut docet Apostolus ad Rom. VI. 4. atque nos cap. præcedenti, aliisque in locis animadvertimus. Tertia quoque objectio exsufflatur, siquidem baptismus non ad vitam corporis, sed ad vitam spiritus fuit institutus: quod si ablutio mortem inferens nunquam esset baptismus; nec baptizatus foret parvulus, qui venenatis aquis a facinoroso ministro perfunderetur.

Ad argumentum ergo priori loco positum, & quod unica aliquam speciem habet difficultatis, nego *immersionem* recte non appellari nisi succedat emersio, cum potius *immergi*, & *emergi*, quemadmodum & *aspersio*, & *abstergi* invicem opponantur. Quare sicut vere quis aspergeretur aqua, etsi post adspersionem non abstergeretur; ita vere, proprieque immergeretur, quamvis postea non emergeretur. Immo, si vim latinorum verborum attendamus, *immergere* non aliud sonat, quam intus *mergere*, & veluti *in profundum obruere*: atque ne proferam exempla ex Cicerone, Plauto, aliisque a Nizolio in Thesauro lat. linguæ collecta; sane non petebat extrahi ab undis, sed discerpi, dilacerari, & in profundum projici, qui apud Virgilium in tertio Æneid. ajebat:

Pro quo si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.

Ablui etiam dicitur, quod sordidum cum sit, flumini immergitur, tametsi fundum petat; veluti si in limpidam Versiliam projicias squalentem concham. In mersione catuli, etsi pereat, ablutionem non fieri negamus; idque potiori jure in puero, qui mersus flumine vitam perennem consequeretur. In eum siquidem quadraret illud Paulini pag. 144.

Sic homo & occasu felici functus, & ortu,
Terrenis moritur, perpetuis oritur.

Atque his dissertationi *de materia baptismatis* finem constituo.

CAPUT VIII.

Pertractatur de forma, qua Sacramentum Baptismi perficitur.

Sequitur, ut disseramus de Baptismatis *forma*, sive de verbis, quibus consecratur aquæ elementum. Agendum autem primo de *forma* illa, quam adhibet Occidentalis Ecclesia; tum de ea, quæ in usu est in Ecclesia Græcorum; tandem de illa, quam invexit ac multifariam lacectavit hæreticorum audacia.

PROP. I. Legitima est, antiquissima, & omnino certa verborum formula, qua baptizant Latini.

His verbis hæc formula continetur, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Legitimam hanc *formam* esse satis commonstrat decretum Eugenii Papæ ad Armenos Tom. XIII. Conc. pag. 535. Tridentina Synodus sess. VII. can. 4. de Baptismo Tom. XV. pag. 778. Rituale Gregorii XIII. pag. 14. & Pii V, primæ edit. pag. 18. Accedit consensus omnium Ecclesiarum Occidentis; eadem quippe *forma* utitur a priscis temporibus Ecclesia Gallicana, ut liquet ex Constitut. Synodicis Odonis Episcopi Parisiensis Tom. X. Conc. pag. 1802. & ex antiquo Missali Gothico-Gallicano apud Thomasium pag. 334. ac Martenium Volum. I. pag. 171. Item Ambrosiana, sive Mediolanensis, Hispanica, aliæ: inter Hæreticos etiam Reformatos eadem *forma* viget; unde Vossius disp. 2. de Baptismo th. V. etsi temere ait nequaquam Salvatorem nos verbis illis adstrinxisse, quod proximo capite refutabitur, subjicit tamen: *Ita per totum orbem & olim obtinuit, & nunc fit, ideoque satis verisimile est, morem istum ab Apostolica promanare exemplo.* Utuntur eadem formula Hugonittæ apud Martinum Marloratum pag. 83. De Orientalibus postmodum. II. Eam esse antiquissimam constat ex Sacrament. Gregorii Tom. III. pag. 73. & ex Ordine Romano Tom. XIII. Bibl. PP. pag. 697. Et quidem semper invocationem Trinitatis in baptismo fuisse expressam, demonstrabitur sequenti capite; de verbis autem illis *Ego te baptizo*, dubitarunt nonnulli, quod horum non extet ante Magnum Gregorium, & per quinque priora sæcula expressum testimonium; sed, ut infra ostendam, immerito; enimvero S. Gregorius non primus eam *formam* invexit, sed descripsit tanquam situm communi Latinorum usu receptum: quod recta observat Juenin quæst. IV. cap. 3. art. 1. & q. 5. cap. 4. Ludovicus Habert. III. Hujus formulæ perfectionem ostendit, quod in ea non deest invocatio Trinitatis expressa, cujus pronuntiatione sacrum perfici lavacrum exploratissima traditio est: cetera autem verba tingendi actum & baptizantis ministerium significant. Bene præcitatus loco Eugenius: *Quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sancta Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Haud secus S. Thomas q. LXVI. art. 5. & Catech. Rom. de Baptismo num. 13.

PROP. II. Græcorum *forma* enuntiativa est, non deprecativa: valida & ipsa est; nec ab ea, qua utuntur Latini, substantialiter differt.

Non tantum superioris ævi Scholastici, verum etiam viri alii doctissimi existimarunt Græcos in baptismate conferendo uti hac formula, *Baptizetur servus Christi, in nomine Patris, &c.* At post evulgata Orientalium Euchologia oppositum sentiunt docti recentiores, Juenin cap. 2. art. 1. Habert cap. 4. q. 3. Tournelius q. I. art. 4. Auctor de Re Sacram. cap. 3. §. 2. atque ante hos omnes Farvacquesius noster cap. III. q. 2. Certa ad hanc rem demonstrandam argumenta suppeditant Arcudius lib. I. Concordiæ cap. 8. Goarius not. in Euchol. Græc. pag. 365. Morinus lib. VIII. de Pœnit. cap. 16. & Martenius Antiq. Rituum lib. I. cap. 14. num. 17. Et quidem Euchologium Græcorum pag. 355. hanc formam præscribit: Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν, ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. *Baptizatur servus Dei in nomine Patris, & Filii, & sancti Spiritus, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Quidam Rituales libri repetunt voculam *Amen* post quamlibet sanctæ Trinitatis personam, ad hunc modum, *Baptizatur servus Dei in nomine Patris, Amen; & Filii, Amen; & Spiritus sancti, Amen.* Parum differunt formulæ Jacobitarum, & Maronitarum, de quibus Faustus Naironus in Enoplia Cath. fid. p. 2. cap. 2. omnes siquidem proferuntur enuntiative, *Baptizatur, &c.* Nec aliter Ordo Æthiopum Severo attributus. Eadem ratione, baptizatum Judæum, de quo supra cap. IV. narrat in Prato Spirit. loco ibidem citato Joannes Moscus. II. Validam esse prædictam baptismi *formam* constat primo, quia eamdem valere scribit in prælaudato decreto, sive Instruct. Armenorum, Eugenius IV. deinde, quia valide Græcos ea formula baptizare, nec ad eam immutandam cogendos esse, definiere post Eugenium Leo X. in Bulla, *Accepimus nuper*, emanata die 18. Maji an. 1521. & Clemens VII. Bulla, *Provisionis nostræ*, emissa die 26. Martii an. 1526. De his consulas Leonem Allatium in Opere de Ætate, & interstitiis in Collat. Ordinum pag. 5. Præterea Ecclesia Latina baptizatos a Græcis iterum non baptizat, ideoque Græcorum baptismum tanquam legitimum approbat. Si denique nonnulli ætate S. Thomæ, ut ipse refert in IV. sent. dist. 3. q. 2. art. 2. dubitarunt de valore baptismi *forma* Græcorum collati, in eam dubitationem venerunt, propterea quod opinabantur *deprecativam* esse eamdem *formam*, non autem *enuntiativam*. At explosa est modo hæsitatio ista, primum quia ex præcitatis Euchologiis, & Ritualibus, cum editis, tum asservatis in Bibliothecis Barberintana, & Cryptæ Ferratæ, compertum est Græcorum *formam* habere βαπτίζεται, *Baptizatur*, non βαπτιζέσθω, *Baptizetur*: nec ulterius ambigi potest, quin *enuntiativa* ea sit. Præterea quia etsi legeretur, βαπτιζέσθω, *Baptizetur*, Imperativi modi esset, non Optativi. Postremo, quoniam *deprecativa* etiam formula judicio Theologorum, quibus præcedenti libro subscripsimus, *formæ substantiam* nequaquam immutat. III. A Latinorum *forma* hanc Græcam *substantialiter* non discrepare ulterius evincitur, quoniam utraque exprimit actionem tingendi, expressamque habet invocationem Trinitatis: imo testimonia Græcorum qui baptizat, dum ait, Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, subintelligit, ὑπ' ἐμοῦ, sive δι' ἐμοῦ, *a me*, aut, *per me*: idque constat confessione Simonis Thessalonicensis, qui apud Goarium pag. 356. & apud laudatum Arcudium pag. 16. inquit, τὸ βαπτίζεται τὸ ἑκουσίως σημαίνει, καὶ παρ' ἐμοῦ τοῦ ἀρχιερέως, ὁ ἱερέως, καὶ τὸ ἔργον αὐτὸ ποιοῦντος, καὶ τῆ ἐν τριάδι μονάδι Θεοῦ, nimirum, *Illud baptizatur spontaneam actionem significat, & per me Pontificem, vel Sacerdotem, opus ipsum actu exequentem; & per unum in Trinitate Deum.* Repetitio autem voculæ *Amen*, & additio vocabulorum, *servus Dei*, sive, *Agnus in grege Christi*, aut laciniæ aliæ, *in vitam æternam*, vel, *in remissionem peccatorum*, minime *formæ* proprietatem adulterare cuique notum est, pinguissimæ licet minervæ.

At enim dicis: Unde præterita ætate invaluit opinatio, a Græcis *formam* adhiberi illam, *Baptizetur servus Dei, &c.*? Id quippe non tantum affirmavere rudes quidam Scholastici, sed celebrioris nominis, ducesque aliorum; necnon Eugenius IV. in Instructione Armenorum edita eo tempore, quo in Italiam convenerant viri Græcorum rituum peritissimi, nec Græci sermonis ignari. Quid etiam potuit esse causæ, ut vetus Græcia ab Occidentalium consuetudine in hac parte discederet, unde posterioribus temporibus Schismatici adversus Romanam Ecclesiam pervicaciores evaderent?

Respondeo promanasse opinationem Majorum partim ab affinitate inter Græcum βαπτίζεται, & Latinum *Baptizetur*, partim vero a consuetudine jurandi in verba Magistri, atque a temporum rusticitate ac barbarie. At Eugenius, me judice, ritum Græcum perfecte novit, scribens enim in decreto, *Non negamus quin & per illa verba, Baptizetur talis servus Christi, &c.* vel, *Baptizatur manibus meis talis, &c.* utrumque definit, idest, & valere baptismum datum *forma* Græcorum, quam Scholastici proferunt *modo deprecativo*, & valere collatum *forma* illa, quæ *enuntiativa* est: nisi mavis dicere etiam priori loco legendum, *Baptizatur*, ita enim legit Leo X. & Clemens VII. in prælaudatis Constitutionibus apud Allatium: mihique propterea commendanda hoc loco est eruditio eorum, qui in postremis Conciliorum editionibus ea voce *Baptizetur* * asterisco confixa, apposuerunt in margine, *Baptizatur*. Hanc vero formulam potius Græci adhibuerunt, quia cum initio nascentis Ecclesiæ alii aliis præferrent, quod baptizarentur a viris præstantioribus, ut narrat Apostolus in I. ad Corinth. I. 12. maluerunt quidam uti verbo *Baptizatur*, quam *Ego baptizo*, ne quis schismati occasionem præberet, aut opinaretur homines propria, non Christi potestate baptizare. Atque hinc Joannes Chrysostomus Hom. I. in Acta pag. 453. animadvertit etiam Dominum Jesum dixisse Apostolis Act. I. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto*, non, *Vos ego baptizabo*, διδάσκων ἡμᾶς ταπεινοφρονεῖν, *docens nos, ut modeste de nobis sentiamus.* Causam vero hanc observarunt, non solum Gabriel Philadelphiensis apud Arcudium, sed etiam S. Thomas Aquinas, Alphonsus Castrensis, atque alii. Quod ergo principio humilitatis fuit, modo factum est Græcis argumentum temeritatis; dum baptismum nostrum ob unam voculam spernunt, nobis baptismum eorum, vocibus pluribus, utique superfluis, collatum minime reprobantibus. Neque enim nos propria auctoritate baptizamus in partes, ut Corinthiorum Ecclesia, discissi; quemadmodum nec arbitramur cum Donatistis pendere vim Sacramenti a sanctitate ministri, adeo, ut jure obnoxii simus increpationibus, quas modo in nos Græculorum loquacitas, & olim adversus Donatianos Tract. VI. in Joannem, & sermone XCIX. magnus Augustinus intorsit. Finem faciamus Caryophili verbis:

Perbene Romanus, bene Græcus mystica profert
Verba: unus meriti Conditor, una fides.

PRO-

PROPOSITIO III. Quamplures sunt baptismi *formæ* ab hæreticis confictæ, quæ tollunt Sacramenti veritatem.

Harum formularum prior sit, quam commemorat canon 48. inter Apostolicos Tom. I. Conc. pag. 35. & cap. *Si quis Presbyter*, de consecr. dist. 4. eorum scilicet, qui baptizabant *non in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, sed in trium principii expertium, vel trium filiorum, vel trium paracletorum*, μὴ εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ' εἰς τρεῖς ἀνάρχους, ἢ τρεῖς υἱοὺς, ἢ τρεῖς παρακλήτους. Proscripsit iterum eamdem *formam* anno 538. Vigilius Papa in Epistola ad Eutherium, sive potius ad Profuturum, ut observarunt Baluzius, & Pagius ad præcit. annum pag. 563. II. Voluminis. II. Aliam *formam* excogitarunt Gnostici apud Irenæum libro I. cap. 21. num. 3. his verbis utentes, *In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo, qui in Jesum descendit, in unione, & redemptione, & communione virtutum*: εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων. Addit S. Martyr, alios hebraica quædam vocabula, ut magis eos, quos initiabant, in stuporem traherent, protulisse, ipsaque vocabula Græce describit, βασεμα, χαμοσσὴ, βααιανορὰ, μυστάδια, ῥουαδὰ, κουστὰ, βαβοφὸρ, καλαχθεῖ, *Basema, Chamossi, Baeanora, Mystedia, Ruada, Custe, Babophor, Celathi*: quæ & interpretatus, *Id quod virtutem omnem exsuperet, invoco, quod lux & spiritus bonus, & vita nominetur, quoniam in corpore regnesti*. Meminere hujus formulæ Eusebius lib. IV. H. E. cap. 11. pag. 124. Theodoretus lib. I. hæreticarum Fabul. Tom. IV. pag. 201. ubi pertractat de Marco Præstigiatore, & alii. Hebraica tamen verba non uno modo Gnostici illi, a Marco *Marcosii* appellati, proferebant: aliter enim ea describit in Thesauro Orthodoxo Nicetas Choniates lib. IV. cap. 6. Tomo XXV. Bibl. PP. pag. 113. aliter citato loco Irenæus, & Epiphanius hær. XXXIV. num. 20. pag. 255. adeo, ut non male Feuardentius in Iren. Marcosios æquiparaverit magis monstrose attentantibus occultorum vocabulorum susurramine, ut Eclog. VIII. cecinit Maro:

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam:
Carminibus Circe socios mutavit Ulissis;
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Sapientissime: enimvero & in Marcum præstigiatorem senex quidem apud Irenæum lib. I. cap. 15. num. 16. invectus est carmine, quod incipit,

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Idolorum fabricator Marce, & portentorum inspector,
Astrologiæ cognitor, & magicæ superstitionis.

At de Gnosticis, & Marcosiis satis. III. Permulti etiam Ariani ex impio eorum dogmate formulas quasdam fabricarunt; nam Athanasius Orat. III. affirmat Arianos baptizare, εἰς κτίσαντα, καὶ κτίσμα, εἰς ποίημα, καὶ ποιητὴν, *in Creatorem, & creaturam*; & Hieronymus adversus Luciferianos, *In Patre sola vero Deo, & in Jesu Christo Salvatore, & in Spiritu sancto utriusque servo*. Videntur nihilominus horum Patrum verba accipienda esse, non de prolatione *formæ*, sed de fide, animoque proferentium; primo quia Athanasius eo loci scribit, *alias quoque hæreses nomine tenus ritum ipsum*, (idest, trium divinarum personarum pronuntiationem) *exprimere, & tamen quia sanam fidem non retinent, inutilem esse aquam, quam impertiunt*. Atque ita (inquit eadem Orat. 3. nunc 2. num. 43.) *qui sunt Arii sententia, licet quæ scripta sunt retineant, & nomina pronuncient, eos tamen, qui ab illis accipiunt baptismum, decipiunt, & eludunt*. Præterea Hieronymus citato Dialogo Tom. IV. pag. 305. reprehendit Hilarium Diaconum, appellatque *Orbis Deucalionem*, propterea quod rebaptizasset Arianos, non autem ab aliis hæresibus venientes: quod sane non fecisset, nisi Ariani illi communem formam servassent. Ad hæc Innocentius I. epist. 18. ad Alex. Tom. 2. Conc. pag. 1269. ait Arianorum baptisma ratum esse, *quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti perficiunt*. Gregorius etiam Epist. 67. lib. XI. affirmat Arianos in communionem recipi per solam manuum impositionem, *quia in Trinitatis nomine baptizantur*. Extat idem apud Grat. c. *Ab antiqua*. de Consecrat. dist. IV. num. 44. Dixi tamen permultos Arianos *formam* variasse; nam Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum ait Anastasio I. imperante, Deuterium Arianorum Episcopum baptizasse quemdam, nomine Barbam, hac sub formula, *Baptizatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto*, Βαπτίζεται Βάρβας εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, δι' υἱοῦ, ἐν ἁγίῳ πνεύματι, pag. edit. Valesii, post Evagrium, 560. Addit Theodorus, hac forma pronuntiata statim aquam, quæ erat in *Colymbethra*, idest, piscina evanuisse. Rebaptizatam quoque in Galliis Brunichildem, sive Brunam filiam Athanehildi Regis Gothorum, uxoremque Sigeberti scripsit lib. III. Hist. Francorum cap. 4. pag. 47. Aimoinus Monachus Floriacensis: quod argumento est, Gothos Arianos legitimam baptismi formulam nequaquam servasse. Hinc sapienter perscribunt canones, ut qui ex hæreticis ad nos veniunt, *si in sanctæ Trinitatis nomine baptizati sint*, iterum non baptizentur, cap. *Si qui apud illos*. *Quamvis unum*. *Ostenditur illos*, dist. IV. de Consecrat. secus si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati non sint, cap. *Si revera*, & *Quos a paganis*, & *De Arianis*, eadem distinctione. IV. Baptismi *formam* adulterarunt Eunomiani, & Aetiani, quos Trinitatem minime invocasse scribit Theodoretus lib. IV. hæret. fab. pag. 236. & usurpasse hanc formulam, *in nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, & a create filio procreati*, refert Epiphanius hæresi LXXVI. pag. 992. At de his supra, ubi disseruimus de trina, aut simpla mersione. V. In Trinitatis nomine nequaquam baptizatos Bonosiacos, & Cataphrygas, scribit laudata Epistola 76. Gregorius Magnus: & refertur a Gratiano prælaudata distinct. IV. cap. *Hi vero hæretici*. Ceterum qua *forma* Bonosiaci tingerent, me fugit. Eos quoque, sicut Arianos, non eumdem ritum ubique servasse, & aliquando baptizasse in Trinitatis nomine, constat ex canone 17. Concilii e. Arelatensis, quo præscribitur, ut Bonosiaci interrogentur de fide Trinitatis, & an hujus invocato nomine baptizati sint: prout citato cap. *De Arianis*, seu, *De Afris*, anno 314. statuit Concilium primum Arelatense. VI. Accensendi sunt perversarum formularum fabricatoribus Montanistæ, quorum baptismum nullam habere rationem, scribit in Epistola Canonica ad Amphilochium Tom. e. pag. 757. S. Basilius, eo quod baptizarent, εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ μοντανὸν, ἢ πρίσκιλλαν, *in Patrem, & Filium, & Montanum, sive Priscillam*, Spiritum sanctum summa afficientes injuria *per comparationem cum hominibus*, ut ibidem inquit Basilius: unde & Gregorius Magnus Epistola non semel laudata inquit: *Isti sanctum Spiritum perversa sensu esse quemdam pravum hominem Montanum credunt*. Hos ego e Cataphrygis, de quibus supra, non distinguo, ductus auctoritate Tertulliani de Præscript. cap. 52. quamvis istorum non una fortasse viguit doctrina. VII. Perversa *forma* usos præterea dicimus, quotquot canon VII. Synodi I. Constantinopolitanæ, ac Trullanæ XCV. statuit rebaptizandos, Paulianos præsertim, sive Photinianos, aut Sabellianos, aliosque hæreticos, quorum præcipuas sectas commemoravimus, Trinitatem negantes, & Evangelicam *formam* abjicientes: de quibus legendus interim Lupus in præfatos canones, & quæ adnoserunt PP. S. Mauri ad prælaudatam S. Gregorii Epistolam, nam de hæreticorum baptismate plura nobis repetenda erunt. VIII. Denique & Novatores circa baptismatis *formam* errant quammaxime; etsi enim communiter adhibent apud nos usitatam, eam tamen minime existimant necessariam, quoniam putant sola fide apprehendi justitiam, non conferri illam vi Sacramenti. Hinc Zuinglius lib. de vera & falsa Relig. pag. 202. scribit valere baptismum quocunque modo conferatur, nec *formam* aliquam necessariam esse, quia baptizari in Dei nomen, nihil aliud est, *quam per fidem in Deum inferi*. Similia effutiunt Novatores alii; imo Lutherus de Capt. Babylon. cap. de Baptismo scribit: *Non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiet baptismum, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini*; quia nimirum (juxta hæreticum dogma) *in suscipientis fide, vel usu, sita est virtus baptismi*, ut inquit ibidem hæresiarcha: quæ impia doctrina, quantum ad justificationem attinet, refutata est alibi; quantum vero spectat ad *formam* baptismi, proximo capite exagitabitur.

CAPUT IX.

Sintne ad valorem Baptismi necessaria omnia verba, quæ ordinariam ejus formam constituunt.

ORdinariam baptismi *formam* appello sequentem, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen*. nec quæstionem moveo de pronomine *Ego*, aut de particula, *Amen*; illud quippe prorsus non requiri constat tum ex probata Græcorum formula, tum ex conditione verbi personam exprimentis; hanc vero particulam, *Amen*, esse quasi peracti Sacramenti acclamationem per se patet. Instituo igitur disputationem de reliquis partibus ejusdem *formæ*; ac principio de verbi, *Baptizo*, pronuntiatione. Recte asserit eruditus Lupus in dissert. de S. Leonis IX. Actis pag. primæ edit. 863. olim gravissimos Doctores existimasse ad *formæ essentiam* non requiri verba personam, & actum baptizantis exprimentia. Fuerunt in hac opinione Præpositivus in IV. p. Summæ, Petrus Cantor p. 2. & Stephanus Tornacensis, aliique refutati ab Alberto Magno in IV. dist. 3. His connumerat Tournely pag. 48. Magistrum Sententiarum; apud quem tamen invenies tantummodo verbum, quo consecratur baptisma, esse invocationem Trinitatis, qui est veterum, & recentiorum omnium communis sensus: de suppressione autem verbi, *Baptizo*, nil in IV. dist. 3. apud Magistrum. Impingit Tournelius opinionem illam, post Morinum lib. VIII. de Pœnit. cap. 16. & Hugoni Victorino lib. 2. de Sacramentis part. VI. cap. 13. At

13. At ibidem Hugo affirmat tantum, puerulum ablutum a matre cum invocatione Trinitatis, animo non conferendi Sacramentum, sed sordes abstergendi, fovendique corpusculum, baptizatum nequaquam fuisse; at cum mulier pronuntiaverit etiam verbum, *abluo*, *mergo*, *lavo*, aut aliud simile, ex illo capite non apparet. Certe Morinus rationes Stephani Tornacensis judicat esse probabiles; etsi fateatur post Alexandri III. decretum a Gregorio IX. lib. 3. Decretalium insertum, Tornacensis sententiam suo jure cecidisse. Hanc ergo ad lancem appendet diatribæ hujus pars prima.

In parte altera discutiam graviorem quæstionem, num ratum sit baptisma absque expressa sanctæ Trinitatis invocatione. Gravior est hæc controversia: Sociniani siquidem, Episcopius, Vossius, & Huldricus Zuvinglius, quamquam non vetant, dum initiamus baptismo, invocare Trinitatem, contendunt tamen id *ad essentiam baptismatis* non requiri, eo quod baptizari sit fide in Corpus Christi mysticum cooptari, non visibili Sacramento mundari a labe peccati. Eapropter ratum baptismum pronuntiant Christi solius nomine pronuntiato. Hoc postremum tenuit etiam Magister citata distinct. 3. lit. E. & Cajetanus ad quæst. lxvi. art. 5. & 6. a doctrina Præceptoris Angelici aperte desciscens, unde jussu Pii V. e Commentariis Summæ ipsa Cajetani sententia dispuncta fuit. Præcinuerant tamen Cajetano nonnulli antiquiores citati a Dominico Soto in iv. dist. iii. art. 6. eumque secutus est Adrianus P. *s.* art. 2. quæst. 2. Scotus, cui (sicut permultis veterum) placuit Apostolos in solo Christi nomine baptizasse ex divina dispensatione, licet fateatur communem *formam* promulgatam a Christo, dum ait Matth. ult., *Ite*, *&c. in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*; vacillat tamen in hac quæstione, scribens in iv. dist. 3. q. 2. *Non audeo dicere quod baptizatus hodie in nomine Christi esset baptizatus*, *sed nec adeo dicere quod non esset baptizatus*, *quia non lego ubi fuerit ea dispensatio revocata*. Consimili modo anceps ait eadem dist. art. 2. q. 5. Ricardus: quare in horum sententia baptizatus in solo Christi nomine, baptizandus iterum foret *sub conditione*. Nihil affinitatis habet Scholasticorum illorum opinio cum placitis hæreticorum; hi quippe nituntur nefario dogmati, quod nullis verbis aquæ elementum consecretur, & attollatur ad producendam gratiam: illi vero utrunque asserentes contenderunt, dum una sanctæ Trinitatis persona nominatur, subintelligi alias, adeo, ut idem sit baptizari *in nomine Christi*, & baptizari *in nomine Trinitatis*. Falsa tamen est, & secundo hujus capitis membro refutanda hæc opinio, quocunque sensu propugnatur; cum certa sit, & vera sententia, baptismum non consecrari, nisi expressa sanctæ Trinitatis invocatione.

Sed quid de Apostolicis temporibus asserendum est? Baptizarunt ne discipuli nomine solius Christi invocato? Affirmativam partem propugnant inter Scholasticos non ignobiles, non tantum antiqui celebratissimi, S. Thomas, Scotus, S. Bonaventura, & alii; verum etiam posterioris ævi quamplurimi, & ætate nostra præclarus Scriptor Dominicanæ familiæ, quem tamen alter ejusdem instituti vir æque doctus strenue exagitavit. Poterit qui velit antiquorum illorum vestigiis insistere, adire ex Thomistis Gonet disp. 1. art. 3. & quos ille singillatim commemorat: e Scotistis vero Brancatum disput. 12. art. 5. Franciscum Henno disp. 2. q. 6. Claudium Frassen disp. 1. q. 6. Sed oppositam sententiam tenet major Doctorum numerus, Bellarminus, Suarez, Vasquez, Estius, Juenin, Tournelius, ac nostratium omnes, præsertim juniores, Farvacques, Gavardi, Vanroy, Pietta. Animadverte autem nulla nos lege adstringi ad propugnandam illam veterum sententiam, salva etiam Scholarum necessitudine: primum quia antiqui pertractantes de baptismi *forma*, docuerunt Apostolos in solo Christi nomine baptizasse speciali Dei consilio, ut Christi nomen Judæis, & Gentibus redderetur honorabilius, non data opera disputantes, an revera ea forma baptizassent Apostoli, sed exponentes quædam loca ex Act. Apostolicis deprompta, quæ primo adspectu id videntur innuere: unde eorum sententia potius est propugnanda, qui in his locis expendendis, eique in Patrum investiganda traditione, animum nervosque intenderunt. Deinde ii etiam, qui Scholæ nomen dedere, nequaquam religioni duxerunt se hac in parte Magistri sententiæ obstringere, ut ex Thomistis fecerunt Dominicus Soto, Melchior Canus, Joannes Nicolai, & nuperrime Auctor librorum de Re Sacramentaria, ne commemorem Cardinalem Gotti, qui utramque sententiam censet esse probabilem. Scotistarum tamen nullum hactenus aut legi, aut audivi, qui vel in hac minima re Subtili Doctori adversatur, si unum excipias Centinum, de quo q. 2. art. 2. illustris Mastrius. Hæc itaque disquisitio tertiam hujus capitis partem occupabit.

PROP. I. Requiritur ad validitatem Baptismi verbum, quo exprimitur actus baptizantis, scilicet, BAPTIZO, sive, BAPTIZATUR.

Demonstratur 1. definitione Alexandri III. quæ habetur in iii. Decretalium tit. xlii. cap. 1. *Si quis puerum ter in aqua immerserit*, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*: *& non dixerit*, *Ego te baptizo in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*, *non est puer baptizatus*. II. Confirmatur ex occasione hujus Rescripti, quod datum ad Petrum Pontium ex Abbate V. Claravallensi Præsulem Claromontanum, & ad hanc controversiam definiendam, constat ex Annalib. Cisterc. Angeli Manrique, ad annum MCLXXVI. cap. 6. sive Tom. 3. pag. 39. ex quibus apparet Pontium literas dedisse ad Mauritium Episcopum Parisiensem, & ad Stephanum tunc Abbatem S. Eburtii, postea S. Genovefæ, ac deinde Tornacensem Antistitem, eos consulens, quid sentirent de baptismo ab homine laico, sine verbis, *Ego te baptizo*, in necessitate collato: cumque Mauritius respondisset nullum esse, at Stephanus ratum judicasset, Pontium graviori hæsitatione permotum, rem omnem ad Romanum Pontificem detulisse, *Qui controversiam diremit*: *abusum damnans edita Decretali*, *quæ in corpore Juris circumfertur*, *cap. 1. de Baptismo*. Ita Cisterciensis Historicus. Atque ex his constat, quando decretum Alexandri editum sit, & quomodo definitionis vim habeat: quod non arbitror antehac notum. III. Diligentia ipsa Pontii splendorem addidit veritati; nam ille præcitata Epistola ad Mauritium, & Stephanum quæ habetur Tom. xxv. Bibl. PP. pag. 5. ait. *Hæc est pessima consuetudo in terra nostra*, *ut in talis necessitatis articulo dicant*, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, *nec totam exprimant verborum formam*, *quæ debet exprimi in baptismo*, *quod andesare vocant*. Ex quibus verbis apparet Pontium consuetudinem illam reprobasse. At Mauritius baptismum illum absque ulla hæsitatione nullum declaravit, rescribens Pontio: *Nisi hæc verba simul a quocunque*, *& quacunque lingua proferantur*, *baptismum esse non credimus*: *quia ergo sicut literarum vestrarum testimonio cognovimus*, *præsentium lator in submersione filii sui*, *Ego te baptizo*, *siluit*, *& tantum*, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti protulit*, *baptismum non fuit*, *& ideo puer ille baptizandus est*, *quia baptismum nunquam suscepit*. Stephanus quidem docuit oppositum, sed temperanter, & protestatione hac inserta, *Opiniones profundo*, *non assertiones*, & ista, *Clausulam tamen*, *quæ a baptizantibus solet & debet dici*, *scilicet*, *Ego te baptizo*, *summa devotione deosculor*, *summo studio amplector*. Hanc ergo thesim quæ narrantur de Præsule Claromontano, non impetunt, sed corroborant. IV. Jurisconsultorum decus Innoc. IV. in lib. iii. Decret. cap. 2. num. 4. ait, verbum Baptizo *esse de substantia formæ*: & quamvis ibidem scribat substitui non posse verbum æquivalens, ut, *Baptizat te Christus*, *vel Petrus*, *vel Sacerdos*, *se demonstrato*, quod nonnulli opponunt ad ejus elevandam auctoritatem, addit tamen, *Si aliqua provincia esset*, *quæ nunquam formam nostram accepisset*, *& verba dicta*, *& alia æquipollentia nostris diceret*, *deberent haberi pro baptizatis*. Quare arbitror Innocentium hæsitasse de baptismo immutata forma collato, si mutetur prava intentione inducendi errorem, puta hæresim Nestorianam, quæ Christum a secunda persona Trinitatis divellit. Nam Nestorii perfidiam haud obscure commonstraret eadem forma, *Baptizat te Christus*, *&c.* Ceterum quod Innocentius ait pertinere ad *formæ substantiam*, *Ego te baptizo*; id tradunt JCC. omnes, Em. Gonzalez, Gibertus, alii; tametsi Prosper Fagnanus interpretatur cap. *Si quis puerum*, de baptismo, quo puer mersus sit aqua, nec pronuntiatum sit, *In nomine Patris*, *&c.* in quo, ut ex dictis constat, ignorat factum, nec sensum verborum assequitur. V. Alexander VIII. die 7. Decembris an. 1690. proscripsit hanc propositionem num. 27. *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus*, *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*, *prætermissis illis*, *Ego te baptizo*: quæ damnatio quæstionem prorsus dirimit. VI. In hac definitione Alexander normam Traditionis secutus fuit: quippe ex Apostolis tradita & commendata sunt, *quæ per universam custodiuntur Ecclesiam*, quemadmodum ait Augustinus lib. 2. de Bapt. cap. vii. num. 12. Universæ autem Ecclesiæ consuetudo fuit, & est, uti in Baptismate verbo actum ablutionis exprimente, ut constat ex Græcorum, Syrorum, Ægyptiorum, Latinorum Ritualibus libris, ab Arcudio, ab Amalario, ab Alcuino laudatis, ceterisque a Mabillonio, a Thomasio, a Goario, a Martenio donatis latinitate. In viginti enim quatuor baptizandi Ordinibus vetustissimis apud eumdem Martenium lib. 1. cap. 1. art. 18. ubique legitur verbum *Baptizo*, aut, *Baptizatur*; nec desiderari invenies, nisi in uno Ms. Cameracensi sequioris ævi, trecentis ab hinc annis exarato, nullius proinde, si cum ceteris comparetur, auctoritatis. Quamobrem thesis nostra, & Romanorum Pontificum definitio innixa est perpetuo custoditæ, ac firmissimæ traditioni.

Hujus traditionis præsidio diluenda censeo omnia argumenta Stephani Tornacensis, & Joannis Morini, qui opponunt ex verbis Christi, *Docete omnes gentes*, *baptizantes eos*, *&c.* non deduci necessaria esse verba, *Ego te baptizo*, sicuti necessarium non est, ut ministri proferant, hæc verba, *Ego te doceo*. Addunt, ex Patribus non unum colligi, baptismum conferendum *in nomine Trinitatis*

tatis. Connumerant præcitatos Auctores, qui sententiam tenuerunt oppositam, Stephanum, Petrum Cantorem, Præpositivum. Affert Morinus & exempla Mosis, & pueri, quem Elisæus misit ad mortuum suscitandum, qui, ut jussa exequerentur, non opus erat, ut dicerent, *Projicio virgam*, *Pono baculum super faciem suam*, *&c.*

Verum in his, quæ pendent a divina institutione, neque in Scriptura inveniuntur expressa, traditio est nobis certa regula rerum dijudicandarum; alioqui, nec necessaria erit in baptismo prolatio verborum, *In nomine Patris*, *&c.* quoniam neque Matth. ult. expresse Salvator ait, *Ite*, *hæc verba proferte*: quod si dicamus, quantum gestient Socinus, Vossius, Zuinglius? Ex quibus satis apparet præmissæ argumentationis inanitas. Auctores vero prælaudatos, (quod humanum est) errasse monstravimus. Exempla quoque a Morino producta non faciunt ad rem; tum quia omnem omnino *formam* excludunt, tum etiam quia in patrandis miraculis elementa certis verbis non consecrantur, quamvis & Dei verbo perfecta sint miracula innumera. Denique ex his eruitur, nunquam ratum fuisse baptismum absque verbis istis *Ego te baptizo*, aut æquivalentibus; quamvis ante Romanorum Pontificum definitiones id nonnulli absque nota hæresis affirmaverint.

Nemo succenseat mihi, quod prætermiserim argumentum, quo Theologi solent fulcire assertum illud, contendentes necessum esse, *ut actus exprimatur in verbis formæ*, prout videtur innuere Eugenius IV. cujus verba produximus præced. cap. prop. 1. Me quidem non latet, niti illiusmodi momento S. Thomam q. LXVI. art. 5. ad 2. Dominicum Soto in IV. dist. 3. art. 5. & ne antiquiores commemorem, Habertum cap. IV. q. 3. ac Tournelium q. 1. art. 4. Sed certum est Sacramentum Confirmationis ratum esse absque verbo exprimente actum, sive cum *forma* Græcorum, *Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου*, *Signaculum donationis Spiritus sancti*, aut consimilibus, de quibus libro proximo. Si autem verbum *exprimens actum* non requiritur ad valorem Confirmationis, cur necessarium est ad valorem baptismi, nisi quia id Salvator instituit? Quod vero ait Eugenius ita baptismum perfici, verum est: sed & ipse institutionem attendit, non vim, necessitatemque verborum. Ad Christi igitur voluntatem, non ad rationis libellam confugiendum est nobis. Hinc communem argumentationem haud prorsus efficacem existimavit Farvacquesius noster q. IV. cap. 3. §. 2. ac nuper Pius Thomas Milante Ord. Præd. Exercitat. XVII. in propositiones ab Alexandro VIII. proscriptas.

PROP. II. Non valet Baptismus absque expressa sanctæ *Trinitatis* invocatione collatus.

Demonstratur 1. Matthæi ultimo 19. præcepit Dominus discipulis, ut baptizarent *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*. Igitur hæc verba in *forma* baptismatis a Christo præscripta debent comprehendi. Respondent hæretici cum Vossio disp. X. th. V. nullis proferendis verbis baptizantes hoc præcepto fuisse adstrictos; cum *baptizari in alicujus nomen* nihil aliud sit, quam per ablutionem initiari, & consecrari in alicujus religionem & cultum, ut illius arbitrio vivamus. Sed excutitur hæc responsio; primum quia ibidem Vossius fatetur, *non junioribus modo*, *sed etiam veteribus ita persuasum esse*, ut præcitatis verbis Christus baptismi *formam* præscripserit: & quidem id, ut mox videbimus, est Patrum omnium constans, & perpetua traditio. At in Scripturæ divinæ investigando sensu, non proprii ingenii ductum sequi fas est, sed interpretationem Patrum & documenta Majorum. Deinde religio, cui per baptismum *initiamur*, est illa, qua in *unitate substantiæ* profitemur *Trinitatem personarum*: si ergo baptismus est *mysterium religionis initiativum*, debet Trinitatis fides in ipso exprimi, præsertim cum absque tali nota, per ablutionem tam in religionem Christianam adsciscì, & consecrari quis possit, quam in Ethnicam, vel Judaicam: & consequenter absque additione verborum non datur Sacramentum, sive signum sensibile, quo Christianorum Ecclesiæ inseramur. Præterea Ecclesiam illam sibimet Christus despondit *mundans eam lavacro in verbo*, auctore Apostolo ad Ephes. V. Non ergo ablutione sola, sed & in verbo: *In quo verbo*, *nisi in illo*, ait Chrysostomus paullo infra laudandus, *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*? II. Evertit hæreticam responsionem, simulque commonstrat necessariam esse plenam prolationem horum verborum, definitionum Ecclesiæ repetitio. Mitto canonem XLVIII. Apostolicum, de quo prop. 3. capitis præced. Auctor Constit. Apostolic. lib. III. cap. 16. pag. 288. mandat, ut qui baptizat, *proferat nominatim invocationem Patris*, *Filii*, *& Spiritus sancti*, *αὐτὴν ὀνομαστὶ τὴν ἐπίκλησιν πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος*: quod inquit repetens lib. VII. cap. 22. pag. 368. id Dominum injunxisse Matth. ult. dum ait, *Euntes &c.* *ὡς ὁ κύριος διετάξατο ἡμῖν λέγων. πορευθέντες*, &c. Arelatense Concilium I. anno 314. can. 8. *De Afris*, alias, *De Arianis*, præcepit, ut illi rebaptizentur, *qui baptizati non fuerint in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*. Tom. 1. Conc. pag. 1428. & Concilium Nicænum Tom. 2. pag. 31. jussit canone VIII. non esse rebaptizandos Catharos, sive Novatianos, canone autem XIX. pag. 58. rebaptizandos Paulianistas, sive Samosatenses. Non alia quidem hujus discriminis ratio, nisi *quia Paulianistæ in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti minime baptizabant*, *& Novatiani iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant*, inquit Innoc. I. epist. 22. Tom. 2. Conc. Eamdem rationem producunt S. Pater Augustinus lib. de hæres. num. XLIV. & S. Gregorius epist. 67. libri XI. relatus, ut supra diximus, a Gratiano cap. *Ab antiqua*, de Cons. dist. 4. Hinc merito alii canones præscripsere, ut absque ulla ambiguitate *in sanctæ Trinitatis nomine* baptizarentur, qui baptizati essent solummodo *in nomine Domini*: atque ubi id non esset plane compertum, interrogarentur venientes ab hæresi. Videsis cit. dist. IV. de Consecr. cap. *Si revera*, & *Multi sunt*, ex epistolis Pelagii deprompta, necnon cap. *Hi vero hæretici*, petitum ex Epistola prælaudata Gregorii. Consonat Leo Magnus epist. 79. ad Nicetam Aquilejensem. Zacharias denique in Epist. VI. ad Bonif. anno 748. mandavit, ut *quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*, nullo modo rebaptizari debeat; secus si baptizatus sit hac forma non servata, scite & caute animadvertens, ut expenderetur, an presbyter qui sermonis barbarie, ita formulam pronuntiaverat, *Baptizo te in nomine patria*, *& filia*, *& Spiritus sancta*, id fecisset ignorantia Latini sermonis, an consilio inducendi hæresim: quod & legas apud Grat. cap. *Retulerunt nuntii*, & apud Aventinum lib. III. Annal. Bojorum. Item in hoc volumine pag. 201. Confirmat perpetuam hanc sententiam Ecclesiæ, quod in nullo Rituali, aut Liturgico libro invenies aliquam baptismi formulam, quæ expressam sanctam Trinitatem non habeat, pervolutes quantumvis Thomasium, Menardum, Goarium, Martenium, alios. III. Accedit Latinorum Patrum locupletissima auctoritas. Tertullianus enim de Baptismo cap. 13. inquit: *Lex tinguendi imposita est*, *& forma præscripta*: *Ite*; *docete omnes nationes tinguentes eas*, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*: quod repetit de Præscript. cap. 20. & adversus Praxeam cap. 26. Cyprianus in Epist. ad Jubajanum, quamvis versaretur in errore Rebaptizantium, supponebat tamen *formam* baptismi a Domino præscriptam: *Dominus enim* (inquit pag. 279.) *post resurrectionem discipulos suos mittens*, *quemadmodum baptizare deberent instruxit*, *& docuit dicens*: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, *ite ergo*, *docete omnes gentes*, *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. *Insinuavit Trinitatem*, *cujus Sacramento gentes baptizarentur*. Ambrosius de Myst. cap. IV. num. 20. ita de Catechumeno loquitur: *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, *remissionem non potest accipere peccatorum*. S. Pater Augustinus lib. III. de Baptismo cap. 15. n. 20. affirmat baptismum consecrari Evangelicis verbis, *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*. Et libro VI. cap. 25. num. 47. *Certa illa Evangelica verba*, *sine quibus non potest baptismus consecrari*. Et ibid. *Cæterum quis nesciat non esse baptismum*, *si verba Evangelica*, *quibus symbolum constat*, *illic defuerint*? In symbolo quippe de Patre, Filio, & Spiritu sancto pertractatur. S. Fulgentius de Incarnat. cap. XI. pag. 639. recitatis verbis, *Docete omnes gentes*, *&c.* inquit: *Doctor igitur & largitor æternæ salutis hanc ideo formam sancti baptismatis dedit*, *ne quis in eodem Dei filio naturas dividens manifesto illaquearetur errore*. S. Gaudentius Brixiensis cap. 288. *Neque enim baptizari quis potest*, *nisi in integram*, *atque inseparabilem Trinitatem*. IV. Consentiunt & Græci. Justini martyris profert Beveregius in notis ad canonem L. Apost. hæc verba: *In nomine Dei Patris rerum omnium Domini*, *& Salvatoris nostri Jesu Christi*, *& Spiritus sancti*, *in aqua tunc lavantur*: ἐπ' ὀνόματος τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται. Extat in Apologia ad Anton. Pium pag. 94. S. Basilius tom. 2. pag. 170. ait primo, *perfectum non esse baptismum*, *in quo solum nomen Spiritus invocatur*, ἐν ᾧ μόνον τὸ ὄνομα τοῦ πνεύματος ἐπεκλήθη: addit: *in baptismo separare spiritum a patre & filio*, *ut periculosum est baptizanti*, *ita inutile est baptismum accipienti*: ἐν τῷ βαπτίσματι ὁ χωρισμὸς τοῦ πνεύματος ἀπὸ πατρός, καὶ υἱοῦ, ἐπικίνδυνος μὲν τῷ βαπτίζοντι, ἀνωφελὴς δὲ τῷ δεχομένῳ: sequitur, *sicut enim credimus in Patrem*, *& Filium*, *& Spiritum sanctum*, *sic & baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὕτω καὶ βαπτιζόμεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. S. Athanasius Orat. 2. contra Arianos Tom. 1. pag. 508. posteaquam demonstravit tres simul personas in baptismo nominari, non quod solus Pater non sufficiat, sed quia baptismus eadem virtute singularum personarum perficitur, *Quocirca*, concludit, *cum pater in baptismo nominatur*, *in eo etiam filium necesse est nominari*, ὀνομάζεται δὲ ἐν τῷ βαπτίσματι ὁ πατήρ, ἀνάγκη καὶ τὸν υἱὸν συγκατονομάζεσθαι. Atque in Epistola IV. ad Serapionem pag. 703. ex quo sanctum lavacrum detur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, infert eum, qui post baptismum prævaricatur, in sanctam individuamque Trinitatem delinquere, affir-

affirmans, si sanctum lavacrum in nomine unius personæ daretur, jure inferendum in unam duntaxat personam peccare. Præscriptam vero *formam* baptismatis Matth. ult. docet etiam Cyrillus Jerosolym. Catech. XVI. pag. 399. Nazianzenus, & Ammonius in Cat. Cord. pag. 815. Damascenus item lib. IV. Fid. Orthod. cap. 10. Theophylactus in Matth. pag. 184. S. Joan. Chrysost. in Epistolam ad Ephes. hom. XX. exponens ea verba, *Mundans eam lavacro in verbo vitæ*, inquit: *In verbo, dixit, quonam? In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ἐν ῥήματι φησί. ποίῳ; ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Didymus denique libro 2. de Sp. sancto, interprete Hieronymo Tom. IV. pag. 508. *Non arbitror*, inquit, *quemquam tam vecordem & insanum futurum, ut perfectum baptisma putet id, quod datur in nomine Patris & Filii, sine assumptione Spiritus sancti, aut rursus in nomine Patris & Spiritus sancti, Filii vocabulo prætermisso; aut certe in nomine Filii & Spiritus sancti, non præposito vocabulo Patris. Licet enim quis possit existere saxei, ut ita dicam, cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet contrarius legislator Christi, tamen sine perfectione baptizabit.* Scopus autem Didymi est demonstrare argumento ex *forma* baptismi deprompto individuam Trinitatem. V. Hactenus producta exhibent hujus thesis multiplicem probationem, quarum prima sit: Erronea est opinio, quæ Ecclesiæ definitionibus, ac Patrum doctrinæ adversatur. Talis est autem sententia Magistri, & Cajetani, qui putarunt ratum esse baptismum in solo Christi nomine datum. Igitur hæc sententia est erronea; prout notatur in margine lib. IV. dist. 3. affirmantque Ruardus Tapperus in Explicat. 1. art. Lovan. Joannes Driedo lib. 3. de Reg. Script. Joannes Hesselius lib. IV. de Sacram. Estius in dist. 3. §. 3. Lupus dissert. de Act. S. Leonis p. 3. pag. 858. Hinc merito Magistri sententia refutatur a S. Thoma q. 66. art. 6. a Bellarmino lib. 1. de Bapt. cap. 3. atque a Theologis fere universis. Altera probatio sit: Videtur ea sententia sacrilegii crimen inurere Romanis Pontificibus, qui jusserunt iterari baptisma absque Trinitatis expressa invocatione collatum: quippe sacrilegium est ratum baptismum repetere. Accedit probatio tertia; adversa siquidem opinio labefactat argumentationes Patrum, qui probant indivisam Trinitatem, ex quo in baptismo nomina divinarum personarum nequeant separari. Si vero loquamur de sententia Socini, Episcopii, Vossii, aliorumque necessitatem cujuslibet formæ denegantium, constat apertissime ex dictis non tantum esse erroneam, verum etiam hæreticam, & Sacramenti rationem audacter oppugnantem. Ab hæresi Magister, & Cajetanus immunes sunt, quoniam necessitatem *formæ*, ejusque præscriptionem profitentes existimarunt in nomine unius personæ totam Trinitatem intelligi, innixi difficili testimonio Ambrosii postea explicando. Et horum tamen opinio iisdem argumentis quatitur, & obruitur.

Hæretici negantes necessariam esse quamcunque *formam* præter argumentum supra refutatum hæc duo opponere possunt. I. Ex quo Apostolus ad Coloss. III. 17. præcipiat, ut omnia fiant *in nomine Domini Jesu Christi*, non ideo tenemur cum manducamus & bibimus, proferre hæc verba, *Manduco*, aut, *bibo in nomine D. J. C.* Igitur ex quo Christus dixerit, *Baptizantes eos in nomine*, &c. non consequitur hæc verba, dum baptizamus, esse necessario pronuntianda. II. Aliquando trina immersio adhibita fuit absque prolatione verborum. Ait enim Ambrosius lib. 2. de Sacrament. cap. VII. num. 20. *Interrogatus es, Credis in Deum patrem omnipotentem? Dixisti, Credo, & mersisti.* Idem ait de duabus aliis personis. Ipsæ itaque mersiones possunt verborum vicem supplere. Hinc in libro Sacramentorum Gelasii legitur: *Et cum interrogat, per singulas vices mergit eum tertio in aquam*, nulla *formæ* mentione facta.

Resp. ad 1. nego consequentiam & paritatem; Ecclesia enim, & Patrum traditio docent primis verbis conjunctum præceptum prolationis, non verbis Apostoli. Ita respondent Joannes Driedo loco supra cit. & Jansenius in Concordia cap. 149. Et si petas, cur istiusmodi præceptum in Scriptura expressum non sit, respondebit Schelstratius de Arcani disciplina pag. 19. Sacramenta non initiatis fuisse occultanda, ac principio nascentis Ecclesiæ *tradita verbo* explananda, non *scripto*. Addo priori loco, ad Coloss. III. loqui Apostolum de omni deliberato opere; nec requiritur ad omne opus pronuntiatio verborum; & ideo τὸ *in nomine Domini*, idem sonat ac, *in gloriam Dei*, ut ad Corinth. prima, cap. X. 31. ubi occurrit eadem Apostolica commonitio. At Matt. ult. sermo instituitur de Baptismo, idest, de Sacramento, quod *consecratur Evangelicis verbis*: & in quo si verbum detrahas, *quid est aqua, nisi aqua?* Agnoscis, opinor, sæpe repetita verba Augustini. Ad alterum respondent PP. S. Mauri, Ambrosium insinuare interrogationes, quæ in baptismo fieri solent, & quibus olim respondebant trinæ mersiones, non celebrandi ordine, sed intentione, ut sic loquamur, celebrantium. Constat hæc responsio ex antiquis Liturgiis omnibus, & ex quo Ambrosius paullo infra, idest, num. 22. baptismi *formam* recenseat. Idem dicimus de Sacram. Gelasii, in quo præterea duo animadverto: unum, quod in edito e Thomasio pag. 84. post trinas interrogationes legitur, *Deinde per singulas vices mergis*, &c. ex quo apparet intentione celebrantium, non ordine celebrandi, tres mersiones tribus interrogationibus respondisse, ut ad Ambr. adnotarunt viri clarissimi: alterum, quod in vetustissimo Codice Regio, & in Noviomensi apud Martene pag. 174. additur forma, *Baptizo te* ille *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut habeat vitam æternam*; quod ostendit nunquam *formam* fuisse prætermissam.

PROP. III. Neque ab Apostolis baptismus absque invocatione Trinitatis expressa collatus fuit.

Demonstratur primo. Ut vidimus hactenus, Christus baptismi *formam* præscripsit Apostolis, dicens, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Atqui his verbis mandavit, ut gentes initiando per regenerationis lavacrum singulas Trinitatis personas nominarent: quod & Patres docent, & adversarii non diffitentur. Imperceptibile est igitur Apostolos transgressos fuisse tam expressum, recentissimumque mandatum. At reponunt adversarii id Apostolos non præstitisse pro libito, sed facta sibi a legislatore dispensatione, ut nomen Christi honorificentius exciperetur. Verum excutitur nullo negotio commentum illud. Ac principio, cum ea, quæ ad historiam pertinent, nullam promereantur fidem, si absque ullo idoneo testimonio proferantur; jure petimus, ut istiusmodi dispensationis prodant vestigium aliquod, unam saltem antiquorum vel ambiguam voculam: quod cum præstare non valeant, repetimus animosiores datam Apostolis *legem tingendi* tali præceptione, ut non auderent illam ullatenus decurtare. Præterea quis unquam audivit, legislatorem prudentissimum legem ferre, illam absolute intimare, præscribere etiam, ac jubere ut præcones sui cuique servandam proponant, ac simul eam relaxare, eique vulnus infligere? Si ergo Christus præcepit Apostolis ut baptizarent in nomine Trinitatis, eisque simul injunxit, ut servarent, & servanda præscriberent, *quæcunque mandavit*, inverisimile omnino est, statim illum in lege hac dispensasse, & ab initio Apostolos fidelibus exemplum relaxationis exhibuisse. Ad hæc laudati Patres ita asserunt præscriptam *formam* baptismatis, ut unius personæ invocatio separari nequeat ab invocatione aliarum, quemadmodum separari non potest ipsa fides; eamdemque *formam* appellat, ἀπαράβατον παράδοσιν, *inviolabilem traditionem*, ut citato cap. 12. de Sp. sancto inquit Basilius: quod perinde est, ac asserere traditam baptismi *formam* nulla ratione fuisse immutandam. Insuper ratio commonstrat nullam esse causam dispensandi, nisi rerum vel temporum perurgeat angustia, quod & definitur cap. *Priscis igitur*, dist. II. Quam ergo dispensationis causam habuerunt Apostoli? Gloriam, inquiunt, & celebritatem nominis Jesu Christi. Sed cuinam manifestanda erat hæc gloria? Baptizandis ne? Jam ipsi per catechismum noverant Jesum esse Deum, mundique Reparatorem, atque se baptismi initiatione in ejus cultum, religionemque adsciscendos. Profanis vero, quibus Christi nomen ludibrio erat? At hi vel ignorabant initiationis nostræ mysteria, vel ad hæc trahendi erant Apostolica prædicatione. Si præterea nomen Christi *scandalum* erat Judæis, & *stultitia* gentilibus, figmentum quoque videbatur mysterium Trinitatis arcanum, & unius divinitatis in tribus subsistentiis individua majestas. Quid ergo? Dices baptismum conferendum fuisse *in Christi nomine*, quoniam nomen illud erat permultis despicabile? At ego dicam contra, dandum fuisse *in nomine Trinitatis*, cujus cultum profani existimant superstitiosum; idque longe probabilius, nam Christiana fides, cui baptizati devoventur, fides Trinitatis, & Incarnationis simul est. Insuper quemadmodum multis odio erat nomen Christi, ita ignorabant complures dari Spiritum sanctum, non Ethnici soli, sed universa etiam secta Sadducæorum: cum isti ergo baptizarentur, consulendum erat gloriæ Spiritus sancti, *in ejus nomine* baptizando. Rursus non detrahitur gloriæ nominis Jesu Christi, sed honor debitus ei redditur, quando Deo Patri, & Spiritui sancto conjungitur, ipsique eadem virtus tribuitur, idem obsequium impenditur, eodem ritu baptizati initiantur; ideoque gloria tanti nominis postulat, ut *forma* baptismi proferatur integra, non decurtata. Addamus & illud: Si justa fuit Apostolis ea causa baptizandi in solo Christi nomine, quam adversarii confingunt; opus est, ut vigeat ratio eadem, eademque dispensatio, si baptizandus sit modo Paganus, aut Judæus hostis infensus Christiani nominis. Postremo (arbitror enim satis adversariorum responsionem contrivisse) concedamus gratis, postulasse gloriam nominis Jesu Christi, ut peculiari ratione in *forma* baptismatis exprimeretur; id quidem fieri poterat Patre, & Spiritu sancto non prætermissis: idque reapse factum aliquando do libenter & ultro; scribit enim supra laudatus Justinus Christifideles per aquæ ablutionem initiari, *in nomine Dei Patris universorum Domini, Salvatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti*, & inter formulas perantiquas etiam istam invenimus apud Naironem, & Marte-

M m nium.

nium: *Baptizatur agnus in grege Christi, in nomine Patris, &c.* II. Alterum argumentum ad probandam thesim petunt sententiæ nostræ propugnatores ex cap. XIX. Act. ubi narratur Paulum ita nonnullos discipulos interrogasse, *Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* cumque illi respondissent, *Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus*, statim Apostolus reposuit, *In quo ergo baptizati estis?* Nulla alia hujus interrogationis causa esse potest, nisi quod hi discipuli, si baptizati fuissent baptismo Christi, non potuissent ignorare Spiritum sanctum, quoniam Christi baptismus datur *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Igitur Apostolico etiam tempore baptismus Christi erat cum expressa sanctæ Trinitatis invocatione. Jam responsum ab adversariis huic argumento, ita ab Apostolo Ephesinos discipulos interrogatos, quoniam Apostoli licet baptizarent in solo Christi nomine, non baptizabant tamen, nisi Catechesi præmissa, & fide Trinitatis imbutos: quare idem sonant ea verba, *In quo ergo baptizati estis?* ac ista, *Quomodo ergo baptizati estis?* numquid sine Catechismo, & Spiritus sancti non accepta notitia? Contra hanc responsionem ad plurimum valere putant nostrarum partium Theologi, quod non ait Apostolus, *Quomodo*, sed, *in quo*. Ast, ut verum fatear, mihi, quod adversarii reponunt, non displicet: quippe notitia fidei a catechismo potius petenda est, quam a *forma* baptismi; unde & Estius censet probabilius ad catechismum, non ad *formam* Paulum animum intendisse. Persistit vis nihilominus argumenti: ita enim urgeo adversarios. Principio sententia vestra baptizari *in nomine Christi*, est baptizari invocato nomine Christi: igitur baptizari *in Spiritu sancto*, est baptizari invocato nomine Spiritus sancti. Aut contra: Dicitur baptizari *in Spiritu sancto*, qui baptizatur præmissa prædicatione Spiritus sancti, quamvis per vos Spiritus sanctus non exprimatur in *forma* baptismi; dici ergo potest aliquis baptizari *in Christo Jesu*, qui baptizatur imbutus fide Christi, tametsi in *forma* baptismi Christus ipse non exprimatur. Aut hoc modo: Ubi legimus, *In quo ergo baptizati estis?* particula *In* significat catechismum, non *formam*: itaque verbis proximis *Baptizati sunt in nomine Jesu*, eadem particula *In* non *formam* significat, sed catechismum. Sed hæc retorquendo contrariorum responsiones dicta sint. Revera enim persuasum mihi est ea verba, *In quo ergo baptizati estis?* idem valere, ac ista, *In quonam ergo baptismo baptizati estis?* ita, ut non solum catechismum innuant, sed etiam ipsum baptismum propria *forma* constantem: siquidem in Græco legimus, *εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; In quid ergo?* sive, *In quem?* atque ita legunt cum Chrysostomo in Acta pag. 719. Græci omnes, nec non Syrus. Arabs vero, *In quo baptismo*: quem sensum confirmat responsio discipulorum, *In Joannis baptismate*. Mirabatur ergo Paulus Ephesios ignorare Spiritum sanctum, quoniam si baptizati fuissent baptismo Christi, ante baptismum instructi fuissent in fide Trinitatis, in baptismo abluti fuissent invocato Trinitatis nomine, atque per baptismum in cultum ejusdem Trinitatis se nossent fuisse initiatos. III. Permovet adversarios, quod in Actis Ap. legimus collatum baptismum *in nomine Jesu Christi*, cap. II. 38. VIII. 12. X. 48. XIX. 5. His autem verbis, inquiunt, demonstratur *forma* baptismi, non minus, ac Matth. ult. 19. illis verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. At argumentum istud vel nihil probat, vel sententiam nostram confirmat; quod evidens erit productis hujus loci interpretationibus. Præferamus primum honoris gratia ipsorum adversariorum explicationem. Illis verbis, inquiunt, commonstratur *forma*, qua tingebant Apostoli; igitur baptizabant *in nomine Jesu Christi*. Concedo quod nunc inferunt; sed nego baptizasse *in solo nomine Jesu Christi*, Patre, ac Spiritu sancto prætermissis: id quippe illo argumento non evincitur. Primo enim non diffitentur adversarii, Apostolos priusquam baptismo initiarent, annuntiasse Trinitatis mysterium; & tamen cap. 2. Act. solum narratur Petrum prædicasse *Jesum crucifixum*, in cap. etiam VIII. legimus Philippum evangelizasse Eunucho *Jesum*: de Paulo item cap. XIX. hoc unum scriptum est dixisse baptisma Joannis datum, ut crederent *in Jesum* venturum. Quemadmodum ergo legimus in Actis Ap. Petrum, Philippum, Paulum baptizasse *in nomine Jesu Christi*, ita legimus evangelizasse ipsum *Jesum*. At non evangelizarunt *Jesum*, sine Patre & Spiritu sancto. Igitur non baptizarunt *in nomine Jesu*, sine invocatione Patris, & Spiritus sancti. Si perant, quare id sacer Historicus non enarravit? reponam vicissim, Eccur non inquit Philippum una cum Jesu Patrem, ac Spiritum sanctum evangelizasse? Si dicant, subintelligitur *fides Trinitatis* nomine fidei in Christum, quoniam Christus Trinitatem annuntiavit; dicam ego pariter in baptismate Christi intelligi baptismum *in nomine Trinitatis*, quoniam Christus tale baptismum præscripsit. Præterea Patres, quos infra producam, ita in Act. Ap. Christi nomen sentiunt expressum, ut Pater & Spiritus sanctus non intelligantur omissi. Ad hæc, si demus Filii nomen singulari ratione, & cum adjunctis expresso, ut videtur innuere Martyr Justinus, moles adversariorum tota corruet. Insuper ex quo dicamur Matth. III. 11. & I. ad Corinth. I. 13. baptizati *in Spiritu sancto*, non proinde excluditur Pater & Filius: igitur ex quo dicantur Apostoli baptizasse *in nomine Jesu Christi*, non ideo exclusitur nomen Spiritus sancti & Patris. Admissa ergo adversantium interpretatione, & dato iis verbis, *In nomine Jesu Christi*, designari *formam* baptismatis, ipsorum argutatio evanescit, nec probabilis est opinio tam labili fulcro subnixa. Si autem expendamus alia interpretamenta, hæc eadem argumentatio sententiam confirmat nostram. Sunt enim qui putant *baptizari in nomine Christi*, nihil aliud esse, quam baptizari virtute, merito, & efficacia Christi, de qua interpretatione plura Jo. Hesselius de Bapt. cap. 4. Ita Sacerdotes Judæorum Act. IV. 7. interrogarunt Petrum, qui claudum ad Portam templi sanaverat, *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Ipse Dominus Marci ult. 17. de credentibus ait, *In nomine meo dæmonia ejicient*: & olim Psalmographus XLIII. 6. *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*. Quibus in locis idem est *In nomine*, ac, *in virtute*. Quidam censent *baptizari in nomine Christi* non esse aliud, quam baptizari baptismo instituto a Christo: quod maxime quadrat verbis, quæ objiciuntur ex cap. XIX. Act. ubi constet baptismum Christi opponi baptismo Joannis. Sane & qui *Baptizari in nomine Christi* sic accipiunt, ut non sit aliud, quam ritu baptismi initiari, & consecrari in Christi cultum, eique se devovere, atque in religionem ab ipso institutam adsciscì; quam phrasim derivatam contendunt ex Hebræis, apud quos *baptizari in nomine Proselytarum*, מטבול בשם גירות, ut de mulieribus bello captis inquit Maimonides, idem sonat, ac *Proselytarum religioni* nomen dare. Ita Grotius in Matth. XXVIII. quod caute accipias, nullatenus excluso sensibili Sacramento, ne in Socinianismum impingas. Quævis harum interpretationum commonstrat Apostolos nequaquam sine consueta *forma* baptizasse, quod constat ex hoc ratiocinio: *Baptizari in nomine Christi* est baptizari baptismo instituto a Christo, atque hoc baptismo inseri in Ecclesiam, religionemque Christianam. Atqui Christus baptismum instituit dandum sub expressa invocatione Trinitatis, & qui baptizatur baptismo Christi fidei, & cultui Trinitatis sese devovet. Ergo qui baptizatur *in nomine Christi*, baptizatur in nomine sanctissimæ Trinitatis. IV. Postremo fulcitur assertio nostra eximiorum Patrum auctoritate. S. Cyprianus laudata Epist. 73. ad Jubajanum pag. 284. de verbis Petri Act. II. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*, inquit, *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Frustra hunc nodum etiam injectis unguibus contrarii solvent. Nam Cyprianus, ut perspicue ostendat loqui se de expressa Trinitatis invocatione, statim repetit *formam* a Christo præscriptam, dicens: *Ubi post resurrectionem Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizare gentiles jubentur*. Probat autem eo loci sanctus Martyr baptizatos *in solo nomine Jesu Christi* non posse consequi remissionem peccatorum, neque id sentientibus præsidio esse Apostolicam historiam, quandoquidem incredibile est Apostolos fuisse transgressos mandatum Christi, qui jussit *Gentes baptizari* (expendas hæc verba) *in plena & adunata Trinitate*. De Basilio dictum supra. Addo tantum, commonere eo loci unumquemque, ne in errorem inducatur ex quo nominis Patris, & Spiritus sancti mentio in baptismatis commemoratione omittatur, *Neque ideo putet horum vocum usum, nominumque invocationem esse indifferentem*, μηδὲ διὰ τοῦτο ἀδιάφορον ἡγείσθω τὴν ἐπίκλησιν τῶν ὀνομάτων. Quæ verba nonnisi de invocatione expressa, nominumque prolatione possunt accipi. Hieronymus in III. Joelis supponens discipulos Ephesinos, de quibus Act. XIX. baptizatos *in nomine Domini Jesu* baptismo Joannis, scribit fuisse rebaptizatos, imo verum baptismum accepisse, *quia sine Spiritu sancto, & mysterio Trinitatis quicquid in unam vel alteram personam accipitur, imperfectum est*. De hoc tamen loco vide quæ diximus cap. 2. hujus libri. S. Pater Augustinus hæreticum Arianum Maximinum, dicentem Spiritum sanctum non esse Creatorem, quoniam de Filio dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt*, quasi legeret, *Omnia per ipsum facta sunt absque Spiritu sancto*, hoc argumento refellit lib. III. nunc II. cap. 17. num. 5. *Si autem quia non est nominatus, quod etiam per illum facta sit creatura, quando de filio dictum est, Omnia per ipsum facta sunt, ideo putas Dei Spiritum non esse creatorem; proculdubio nec in ejus nomine patris baptizatos dicere quibus ait Petrus, Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi; quia non ait, Et Spiritus sancti: nec in Patris nomine, quia nec ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre & Spiritu sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: cur non sic audis de filio Dei, Omnia per ipsum facta sunt; ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum sanctum?* Audio insignem Scotullam contendentem hoc Augustini testimonio sententiam firmari suam, & hortantem ut accuratius Augustinum perlegamus, atque

ita

ita *ipsa* lectione convincamur: sensus enim Augustini est, inquit, si jussi baptizari in nomine Christi non nominatis Patre & Spiritu sancto, censentur tamen baptizati in nomina Patris & Spiritus sancti, quia nempe eadem est trium personarum virtus; cur facta per filium non censentur etiam facta per Spiritum sanctum, cum eadem sit Filii, & Spiritus sancti potentia? Sana qui hæc reponunt, non tam nos faciunt bardos, quam Augustinum stolidum, & incautum. Maximinus quippe Arianus, si negabat omnia facta esse per Spiritum sanctum, negabat quoque Filii & Spiritus sancti eamdem esse virtutem; negabat & consequenter in baptismo non nominato Spiritu sancto totam Trinitatem intelligi, eo quod trium personarum virtus sit eadem. Insulse ergo, inscite, & casse omnino Augustinus prædicta comparatione Maximinum exagitasset; atque ei merito reposuisset, Quid de *forma* baptismi objectas, quid comminisceris? Nec Spiritus sanctus in baptismo habet eamdem cum Patre efficaciam, & idcirco aliquando baptizarunt Apostoli in solo Christi nomine; quemadmodum per solum Verbum omnia facta esse inquit Joannes Evangelista. Meam ergo argumentationem non diluis, non enervas, Augustine, sed confirmas. Augustinus itaque supponit nunquam Apostolos in solo Christi nomine baptizasse, idque putat etiam Maximino persuasum: eumque propterea hoc ratiocinio refellit: Ex quo in Actibus Apost. legatur Apostolos baptizasse *in nomine Christi*, non sequitur baptizasse non nominatis Patre & Spiritu sancto. Ergo ex quo cap. 1. Joannis scriptum sit, *Omnia facta esse per Verbum*, non consequitur facta simul non esse per Patrem, & Spiritum sanctum. Atque ita stat sua argumentationi Augustini firmitas & libratio. Joannes Damascenus lib. IV. de Fid. Orthod. cap. 10. docet primum, *rebaptizandos quicunque in sancta Trinitate baptizati non fuerint*: ὅσοι δὲ μὴ εἰς τὴν ἁγίαν τριάδα ἐβαπτίσθησαν, τούτους δεῖ ἀναβαπτίζεσθαι. Deinde ait *Baptizari in Christo*, quod in sacris literis legitur, *non idem esse ac baptizari invocato solo nomine Christi, sed credentes in eum ablui*: τὸ οὖν εἰς Χριστὸν βαπτισθῆναι δηλοῖ τὸ πιστεύοντας εἰς αὐτὸν βαπτίζεσθαι. Addit *impossibile esse in Christum credere, non edoctos confessionem in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum*: ἀδύνατον δὲ εἰς Χριστὸν πιστεῦσαι μὴ διδαχθέντας τὴν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα ὁμολογίαν. Concludit idcirco Dominum Apostolis suis præcepisse, *ut baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: τὸν μὲν ἐπιχειροῦντας οἰκείους μαθητὰς ὁ κύριος ἐδίδασκεν, ἔλεγε. βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Facundus denique Hermianensis Episcopus lib. 1. Operis, quod conscripsit pro defensione trium Capitulorum pag. 22. edit. Sirmondi, *Quod autem*, inquit, *in nomine Jesu hi quos memoravimus baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quia non in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizati sunt, ut etiam in ipsis servaretur verbis a Domino constituta forma baptismi: sed quia hoc erat insinuandum quod baptismo novo fuerint baptizati; sufficere judicatum est ad discretionem ipsius novi baptismi solum nomen Domini Jesu memorare, quod neque in baptismo Joannis, neque in aliis baptismis Judaici ritus intercerebatur. Ceterum illis sacratis verbis, idest, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizati mihi videntur.*

ADVERSARIORUM OBJECTIONES DILUUNTUR.

Opp. 1. Ex Scripturis: Mandatum illud Matth. ult. *Euntes, &c.* non ad Judæos spectat, sed ad gentiles, ut constat ex illis verbis, *Docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Ex quo ergo Gentiles *in plena & adunata Trinitate* essent baptizandi, ut ait Cyprianus, minime sequitur eamdem *formam* necessario fuisse servandam in baptizandis Judæis. II. Revera Judæos in solo Christi nomine baptizatos legitur in Apostolorum Actis cap. 2. 8. & 19.

Resp. ad primum, nego ant. quamvis enim *Gentium* nomine veniant aliquando pagani, & idolis addicti, eo tamen vocabulo significantur nationes, hominumque genera; nec aliud sonat Græcorum τὰ ἔθνη. Id vero præsertim Matth. ult. ubi additur adjectivum, *omnes*, πάντα τὰ ἔθνη. Quare Persica lectio vertit, *totum mundum*, Æthiopica vero, *omnes generationes*, & recte; Marcus enim Matthæi abbreviator cap. XVI. 15. ea verba, *Euntes docete omnes gentes*, reddidit, *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Voluit ergo Dominus ne discipuli se continerent dumtaxat intra fines Palæstinæ, sicut mandaverat Matth. X. 5. sed ut, post lustratas Judæorum regiones, etiam ad exteras commigrarent. Et quidem Apostoli Domino obtemperantes primum Judæis, deinde gentibus reliquis Christum annuntiarunt, ut legitur Act. 1. 8. & XIII. 46. Sicut ergo τὸ *Docete omnes gentes* ad Judæos quoque spectat; ita & quod sequitur, *baptizantes eos, &c.* Fallitur itaque eximius Thomista, & oppositæ sententiæ vindex acerrimus, dum objectat discrimen illud Judæorum, atque Gentilium, & jure exagitatur ab antagonista sodali Volum. 1. de Re Sacram. pag. 231. Animadverto ipsum discrimen ad rem non esse; quippe S. Thomas q. LXVI. art. 6. ad 1. scribit Apostolos ex speciali Christi revelatione in primitiva Ecclesia in ejus nomine baptizasse, *ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis, & Gentilibus honorabile redderetur*; unde intaro eam oeconomiam, sive dispensationem, si fuisset, tam in baptizandis Judæis, quam in baptizandis Gentilibus fuisse servandam. Addo fictum istud discrimen robur addere hæretico dogmati, quod baptismus conferendus tantum sit ex Dei mandato Ethnicis, ut in veram Ecclesiam inserantur, eo quod *baptisma sit introductorium in visibilem Ecclesiam*, ut ait Lightfootus in Matth. pag. 390., quandoquidem de solis Ethnicis Christus sermonem instituisset; tametsi impium illud dogma momentis aliis refellitur. Ad 2. distinguenda est propositio: Apostoli baptizarunt *in Christi nomine*, idest, baptismo a Christo instituto, & meritis Christi peccata remittente, conc. Baptizarunt *in Christi nomine*, idest, solo Christi nomine invocato, nego. Vide supra n. 111.

Opp. 2. Sententia adversariorum auctoritati Patrum innixa est: Hilarius in libro de Synodis num. 85. ait: *Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti jussi, tantum in Jesu nomine baptizaverunt.* Ambrosius lib. 1. de Sp. sancto, cap. 3. numer. 42. inquit, *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum.* Et num. 44. *Rationem sequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum sanctum, quo unctus est, designasti.* Idem scribit Venerabilis Beda in Act. X. Videtur idem innuere sanctus Basilius citato cap. 12. de Spiritu sancto: ubi ait: *Siquidem Christi appellatio totius deitatis est professio: quippe quæ simul declarat & Deum, qui unxit, & Filium qui unctus est, & Spiritum sanctum qui est unctio.* ἡ γὰρ τοῦ Χριστοῦ προσηγορία, τοῦ παντός ἐστιν ὁμολογία. δηλοῖ γὰρ τόν τε χρίσαντα Θεὸν, καὶ τὸν χρισθέντα υἱὸν, καὶ τὸ χρῖσμα τὸ πνεῦμα. Item Theodoretus in cap. ult. Lucæ pag. 546. *Christi nomen in se ipse continet & Patrem inungentem, & unctionem Spiritum, & unctum Filium.* τὸ Χριστοῦ ὄνομα αὐτοῦ ἐμφαίνει καὶ τὸν πατέρα τὸν χρίσαντα, καὶ τὸ χρῖσμα τὸ πνεῦμα, καὶ τὸν χρισθέντα υἱόν. Denique S. Bern. in Epistola ad Henricum Archidiaconum Aurelianensem Tom. 1. pag. 236. interrogatus an ratum esset baptisma collatum puero periclitanti sub hac forma, *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ & veræ Crucis*, respondet ratum sibi videri, hac ratione producta, *Legimus sane in Actibus Apostolorum, non modo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, verum & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos.*

Resp. Hilarii sensum hunc esse, non deserendum vocabulum ὁμοούσιον, *quia vitiose a nonnullis soleat intelligi*: ad quod commonstrandum varia profert exempla, ut delenda alioqui ex prima ad Timotheum ea verba, *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, quoniam abutitur hoc loco Photinus: damnandam igni, aut spongia abstergendam epistolam ad Philippenses, ne legat in ea Marcion, *Et habitu inventus ut homo*; aliisque allatis exemplis concludit novum quoque testamentum abjiciendum, si ob pravam quorumdam interpretationem aliqua supprimenda essent vocabula: quippe si legantur E. gratia Actus Apostolici, ubi narratur Apostolos baptizasse *in nomine Jesu*, si negare velimus, Apostoli *reperientur in crimine*, utpote qui non observarint præscriptam a Christo *formam*. Quare ut liquet ex scopo Hilarii, & ex toto orationis complexu, idem est, *Tantum in Jesu nomine baptizaverunt*, ac, *Tantum in Jesu nomine baptizasse leguntur*, ut optime adnotarunt PP. S. Mauri. Hilarius itaque supponit Apostolos baptizasse *in nomine Trinitatis*; alias perperam eorum exemplum produxisset ad probandum non esse vocem aliquam eliminandam ob ambiguam significationem, pravamque aliquorum intelligentiam. Haud nescio Christianum Lupum in dissert. de Actis S. Leonis p. 3. pag. 858. scribere *deserendum Hilarium*; sed detur mihi venia, si in re perlevi a sodali recedam.

Ambrosii testimonium intricatissimum esse fateor, adeo, ut excusandus sit Magister in ejus intelligentia deceptus; at illud nullatenus suffragatur adversariis. Primo namque inde sequeretur, non solum Apostolicis temporibus, verum & nunc ratum esse baptismum invocata una tantum persona collatum, cum ratio, quam inculcat Ambrosius, etiamnum subsistat, ut optime notatum ab Estio in IV. dist. 3. §. 5. Consequeretur etiam validum esse baptismum *in solo nomine Spiritus sancti*, de quo præsertim sanctus Antistes pertractat. Fieret & consequens, nullum esse baptismum absque fide Trinitatis datum, sive unius, sive etiam trium personarum invocatione. Hæc tria consectaria cum adversarii non probent, frustra a perplexo, & ambiguo Ambrosii testimonio præsidium quæritant. Sed videamus quid respondere soleat, & quænam responsio sit præeligenda. I. Ac primo animadverto Catechismum Romanum P. 2. de Baptismo n. 16. tradere revera Ambrosium loqui *de forma baptismatis*, sed nequaquam dum unam personam commemorat excludere alias, & quod scriptum est explicata, non quod actu perfectum:

Quamquam dubium (inquit) *fortasse alicui videri potest, an hujusmodi forma Apostoli aliquem baptizaverint; si Ambrosii, & Basilii sanctissimorum & gravissimorum Patrum auctoritatem sequi volumus, qui ita baptismum in nomine Jesu interpretati sunt, ut dixerint iis verbis significari baptismum, non qui a Joanne, sed qui a Christo Domino traditus esset: tametsi a communi & usitata forma, quæ distincta trium personarum nomina continet, Apostoli non discederent. Atque hoc loquendi genere Paulus etiam in Epistola ad Galatos usus videtur, cum inquit, Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis, ut significaret, in fide Christi, nec alia tamen forma, quam idem Salvator & Dominus noster servandam præceperat, baptizatos esse*. Hanc responsionem, utut vera sit, impos est ingeniolum meum cum textu Ambrosii conciliare; siquidem ita ille unius Personæ invocationem deprædicat, ut dicat sufficere, *si quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide*. II. Communior est responsio, quam tradunt Estius, Sylvius, Nat. Alex. Juenin, & alii, non loqui Ambrosium *de forma baptismi*, sed *de operatione S. Trinitatis*, demonstrando in illis Scripturæ locis, ubi operatio tribuitur uni personæ, nequaquam excludi alias: atque hoc pacto, etsi in Act. Ap. legimus baptizasse Apostolos *in nomine Christi*, non sequitur aliarum personarum nomina siluisse. Ad quam responsionem confirmandam addunt illam Ambrosii doctrinam esse desumptam ex libro Basilii de Spiritu sancto, ubi hæc doceri nemo denegabit, qui Basilium perlegat oculis non lippientibus. Probabilis plurimum est hæc responsio: etenim Ambrosius initio hujus capitis inquirendum proponit, *Qua ratione, cum dixerit* (Apost. in 1. ad Corinth.) *Ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Spiritu sancto tacuerit*; responderque: *Ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti designatur, non solum ad sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium; nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur ac Spiritum*. Atque ad hoc comprobandum agit postea de baptismo, cujus effectus modo in sacris literis tribuitur *Spiritui sancto*, ut Joan. 1. 27. & 1. ad Corinth. XII. modo *Jesu Christo*, ut Act. XIX. 5. Hinc Ambrosius num. 45. concludit: *Unitas ergo operationis, unitas prædicationis, quæ non potest separari*. III. Responsio tertia traditur a Farvacquesio, ab Harduino, a Nat. Alex. a Ludovico Habert, a Tournely, ac præcedenti præfertur a PP. S. Mauri Tom. 2. Op. Amb. pag. 608. qui ajunt agere Ambrosium, non de sola operatione Trinitatis, sed etiam de fide eorum, qui suscipiunt baptismum, & hoc sanctum Præsulem intendere, catechumenos, quamvis interrogarentur de fide in unam personam sanctæ Trinitatis, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent, legitimum baptismum, & remissionem peccatorum consecuturos. Responsionem hanc ceteris & ego arbitror meliorem, quoniam Ambrosium loqui de pronuntiandis in baptismate divinis personis, tota orationis series demonstrat. Primo enim profert num. 41. exemplum Æthiopis Eunuchi Candacis reginæ, qui *baptizatus in Christo plenum mysterium consecutus est*. Legimus vero illum hanc fidei professionem emisisse, Act. VIII. 37. *Credo filium Dei esse Christum*. Deinde num. 42. ait S. Doctor: *Plenum autem est* (fidei Sacramentum) *si Patrem & Filium Spiritumque sanctum fatearis; si unum neges, totum subruis*. Quid est Trinitatem fateri, nisi credere? Sequitur Ambrosius: *Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum*: sermone comprehendere, est fidei professionem emittere, in qua professione, qui ait, *Credo in Dominum Jesum Christum*, si fidem ex auditu perceperit, & quis sit Dominus Jesus agnoverit, se in totam Trinitatem credere profitetur. *Ita* (ait subinde sanctissimus Præsul) *quamvis Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium*. Hæc verba nequeunt accipi *de forma baptismi*; alias irritum esset baptisma *in nomine Trinitatis* collatum ab Ariano; intelligenda sunt ergo de fide suscipientium. Perspicua magis sunt, quæ sequuntur num. 43. *Quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide*: & num. prox. *Qui unum dixerit, Trinitatem signavit*; aliaque omnia, quæ ex dictis satis sunt obvia. Sane ex quo ad fidei professionem sufficiat dicere, *Credo in Dominum Jesum Christum*, modo animo etiam Spiritus sanctus ac Pater retineantur, non sequitur idem satis esse ad *formam* baptismi; quippe fides in corde sita est, Sacramentorum autem *forma* in verbis a Christo præscriptis, quæ non ex animo proferentium virtutem habent, sed ex merito institutoris. Vide quæ supra de Ambrosio diximus prop. 2.

Idem de Venerabili Beda dicendum est: nam eo loci Ambrosium exscripsit; ut recte vidit Estius in IV. dist. 3. & Sylvius in art. 6. q. LXVI. Ceterum ipsemet Beda in libro Variarum qq. Tom. VIII. q. 14. quæ est de peccato originali, scribit: *Si quis baptizans dicit, Ego baptizo te in Christo Jesu, & non dicat, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non est verus baptismus*. Ad Basilium & Theophylactum respondeo, explicare illos cur baptismus *in nomine Trinitatis* dictus sit baptismus *in nomine Christi*: quod recte dici animadvertunt, quoniam nomen Christi est totius Trinitatis appellatio. At ibidem docent Apostolos baptizasse *forma* sibi a Domino præscripta, ac decipi qui putant posse prætermitti, & indifferentem esse usum nominis Patris, & Filii, & Spiritus sancti: quod de Basilio constat ex dictis. Theophylactus vero eodem in loco hæc habet; *Quomodo autem baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, præsertim cum alios doceamur baptizari in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti? Igitur primum quidem dicimus, quod quando dicimus baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quod oporteat in solius Christi nomine fieri, sed quod Christi baptisma spirituale sit, non Judaicum. Insuper baptisma in nomine Christi intellige in mortem Christi*. Tum subjicit rationem, de qua supra. Quare demiramur Frassenium, & alios probare sententiam suam ex Theophylacto, præsertim cum ibidem nec de baptismo collato ab Apostolis loquatur, ac demonstret *in solo nomine Domini* esse remissionem peccatorum, redarguens eos, qui baptizabant *in Montanum, Priscillam, & Maximillam*.

De Epistula D. Bernardi est judicium Estii spuriam esse, eique affictam. Tournely inquit Estium id asserere, non probare, & Jacobum Horstium genuinam agnoscere, eique subscribere doctissimum Mabillonium: ait tamen caute, *videtur*. Censeo Estio subscribendum. Primo animadvertit etiam Michael Bajus in Opusculo *de Forma baptismi*, cap. 4. pag. 228. hanc Epistolam unam esse ex triginta, quæ posterius additæ sunt, & de quibus an sint Bernardi certo non constat. Deinde Mabillon in Præfat. ad sancti Bernardi Opera testatur eamdem Epistolam *in paucis manuscriptis inveniri; nec in ullo alio, præterquam in Sorbonico exemplari valde mutilo*, a se repertam. Tertio rationem allatam ab illius Epistolæ auctore, ratum illum baptismum, quia baptizans, *in eo quod addidit, sanctæ & veræ Crucis, manifeste commendavit Dominicam passionem*, quamvis Horstius appellat non spernendam, constat esse insulsam, & quam non credo ex ore Melliflui profectam. Ipsum enim Bernardum latere non poterat nunquam *nomen Crucis* formam baptismi constituisse. Demum & Horstius ait, *Si tamen ejus est hæc Epistola, nam plerique negant*. Verum si Bernardi est, dicendum cum eodem Horstio, *Hæc sententia hodie non recipitur a Theologis, & traditione Apostolica, & aliorum Patrum, ipsiusque sancti Augustini auctoritate refellitur*. Similia Juenin in fine quæst. IV. agnoscens hanc Epistolam tamquam germanum Bernardi fœtum. Auctor denique illius Epistolæ ait se *breviter* respondere, & absque *præjudicio sanius sapientis*; quo liquet aliis negotiis distentum, nec firma, certissimaque assertione hæc dictasse.

Opp. 3. Romani Pontifices definiere baptismum in solo nomine Christi collatum ratum esse ac legitimum, quoniam & Apostoli *sub illa forma* baptizaverunt. Talem fuisse sententiam Stephani in suis literis adversus Rebaptizantes, demonstratum a plurimis, præsertim a Joanne Launojo p. v. ep. 1. & liquet ex Cypriano ep. LXXIII. ad Jubajanum. Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum cap. 104. interrogatus an rebaptizandi essent baptizati a quodam Judæo, de quo ignorabatur an paganus esset, vel Christianus, respondit: *Si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, (unum quippe, idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos*. Extat etiam in cap. *A quodam*, de Consecrat. dist. IV. ubi & Glossa Decreti ait valere baptismum *in solo nomine Christi*, quamvis modo sub ea forma baptizare non liceat.

Resp. sententiam Romanorum Pontificum nobis innotescere ex aliis ejusdem dist. rescriptis, ex can. nempe, *Ab antiqua, Si revera, Multi sunt, Hi vero hæretici*, aliisque citatis prop. 2. quo cum Auctore Glossæ candidatum nostrum remittimus. Ac de Stephano infra; nunc enim solum seponimus, ab ipso baptismum dici *in nomine Christi*, qui a Christo institutus est, & *forma* ab illo statuta collatus. De Nicolao autem, quamquam non desunt qui eum interpretantur eo pacto, quo nos supra acta Apostolica, & Ambrosium explanavimus, eo quod Pontifex hæc eadem commemorat; respondemus tamen illius definitionem irreformabilem esse in eo, quod statuit legitime baptizatum etiam a Judæo, vel Pagano, non esse rebaptizandum; in eo, autem, quod obiter pertractat de *forma*, sub qua baptizarunt Apostoli, quoniam de hac interrogatus non fuerat, inseruitque quod opinabatur, non attendens ad traditionem, & Prædecessorum decreta, privatum Doctorem egisse, non Romanum Pontificem: siquidem non de *forma*, ut dixi, sed de ministro, interrogatus fuerat a Bulgaris; nec quæstio proposita erat, num *forma* baptismi esset *Baptizo te in nomine Jesu Christi*, sed, an ratus esset baptismus *a Judæo, vel Pagano* collatus. Atque hanc responsionem datam a Bellarmino lib. IV. de Rom. Pontif. cap. 12. a Vasquesio disp. 143. cap. 3. a Cano lib. VI. de Locis cap. 8. ad 7. a Sylvio, Tournelio, innumerisque Theologis, nemo jure repudiavit. Addo negere hoc argumentum etiam adversarios, qui fatentur

post

post ætatem Apostolorum baptismum datum *in nomine tantum Christi* nullum esse: unde mitamur præclarum Scotistam Henno q. vi. concl. 2. auctoritate Nicolai probare aliquando ratum fuisse baptismum in solo nomine Christi, dum conclus. præcedenti, qua statuit jam invalidum esse, ad objectam Nicolai auctoritatem, respondet; *Nego, quia non interrogabatur, an valeret baptismus collatus in nomine Christi, sed an valeret collatus a Judæo*. Gerit se eodem modo Frassenius Tom. 2. pag. Rom. edit. 274.

Opp. ult. Decebat, ut plures Theologi inquiunt, in Ecclesiæ incunabulis reddere nomen Salvatoris nostri honestissimum ac celeberrimum, ejusque divinitatem palam testatam facere: quod melius fieri non poterat, quam invocatione hujus augustissimi nominis baptizando, atque in novam Ecclesiam inferendo. Hæc ergo erat dispensationis, quam propugnant complures, causa legitima & gravis. Præterea videtur Joannes Lightfootus in Horis Hebr. pag. 270. haud contemnendam rationem afferre, cur Judæi *in Christi nomine*, Gentiles *in nomine Trinitatis* essent abluendi: quia nimirum cum Judæis summe controversum est de Messia, quem esse Jesum Nazarenum a gente illa perfida negabatur, ideoque non sine causa, imo non sine necessitate initio baptizatum est *in nomine Jesu*, ut sigillo illo firmaretur hæc veritas cardinalis, *Jesum Nazarenum esse* verum Messiam. At cum Gentilibus non erat controversia *de vero Messia*, sed *de vero Deo*, & ideo inter Gentiles necessum fuit, ut initiarentur credentes, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Resp. ad 1. jam demonstravimus supra, gloriæ & celebritati nominis Jesu consultum magis adhibendo consuetam baptismi *formam*, quam mutilam, qua Christi nomen a Patre, & a Spiritu sancto pronuntiatum sit separatim. Quæ enim sublimior gloria, quam Dominum Jesum *unum* substantia ac potestate cum summo Deo profiteri? Et quidem ex *forma* baptismi unam in tribus personis ostendi essentiam ac majestatem, vidimus lib. vii. cap. 3. & hæreticos male de Trinitate sentientes non semel hanc *formam* adulterasse, ostendimus paullo supra. Dictum quoque est baptismate initiatos crederet, & per Apostolicam prædicationem fide imbutos; ideoque non ignorantes quo sensu nomen *Filii* in sancto lavacro pronuntiaretur. Quod si celebritas ac dignitas venerandi nominis postulabat, ut singillatim enuntiaretur sejunctim a personis aliis, id in prædicatione potius, quam in baptismate erat faciendum; & si adversarii non putant, Apostolos, quibus dictum est *Ite, docete, baptizate*, annuntiasse nomen solius Christi, non Trinitatem; nunquam mihi persuadebunt, baptizasse *in nomine Christi* tantum, non *in nomine Trinitatis*. Addidi confictam illam dispensationis causam, si fuit unquam, & nunc in suo robore permansuram; commendoque Subtilem Doctorem, qui ait: *Non audeo dicere quod baptizatus hodie in nomine Christi non esset baptizatus, quia non lego ubi fuerit ea dispensatio revocata*: ac pariter excuso Magistrum, & Cajetanum, qui arbitrati sunt baptismum *in solo Christi nomine* etiamnum esse ratum, quoniam talis fuit Apostolorum ætate. At cum omnium consensu postrema hæc sententia falsa sit, eamque Scholæ omnes cauerint, mehercule non video, cur primam, a qua ista consequitur, pugnaciter defenditent, quasi decertantes pro aris. Neque enim illam dispensationem aut datam esse, aut cessasse possunt evincere, quantumvis lacertis viribusque se torqueant. Dici postremo, me præfracte non denegare, quin Apostoli honoris gratia ad *Filii* nomen addiderint vocabulum *Salvatoris nostri Jesu Christi*, aut consimile; malo etenim id asserere, quam incompertam illam dispensationem venditare. Sed de priori argumento hactenus. In proximo, quod urget Lightfootus, non immorabor, siquidem & nunc Judæi virulentia illa, & Vatiniano atque capitali odio in Salvatorem nostrum laborant, & nunc denegant esse Messiam: nunquam vero sine prædicatione Christi, crucisque præconio caput baptismati nostro submittunt. Si ergo olim, etiamnum in solo Christi nomine baptizari illos oportet. Neque tantum *Messiam* negant; oppugnant quoque *Trinitatem*, & cum Christus se *Unum* cum Patre asseruisset, adeo commoti sunt, ut lapidibus eum impeterent. Quod si filium Patris illum credidissent, nec Messiam abnegassent. Permulti denique Judæorum, ut olim Sadducæi, Spiritum sanctum ignorant. Quantum ergo Judæos spectat; nulla baptismi *forma* congruentior, quam vulgaris Christi divinitatem, mysteriumque Trinitatis significans. Idem dicendum est de Gentilibus, qui non solum pluralitati Deorum addicti sunt, verum etiam detinentur errore, quod adorandus non sit Christus affixus cruci: unde ajebat Apostolus 1. ad Corinth. 1. 13. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Mysterium item Trinitatis adversatur gentium polytheismo, earumque captum longe superat. Quæ ergo militat pro Judæis, eadem pro Gentilibus tenet ratio: quamquam illud nobis attendendum est, non quod imbecillis ratio suadet, sed quod Veritas ipsa præscripsit. Hæc autem, ut ultima primis respondeant, prinsquam cælum conscenderet, allocuta est Apostolos repetitis sæpe verbis, & quæ in fine Hist. Evang. numeris expressit Juvencus Presbyter:

Pergite, & ablutos homines purgantibus undis
Nomine sub sancto Patris, Natique lavate,
Vivifici pariter currant spiramina Flatus.

MONITUM.

Quamquam tertiam ac postremam propositionem certam, & valide communitam existimo; nullam contrariæ inuro censoriam notam, nec improbabilem illam arbitror, si expendantur sola argumenta ab auctoritate deprompta. Principio nec unus negat in eam conspirasse antiquiores Scholasticos, præsertim in iv. dist. 3. Scotum, Durandum, Divum Bonaventuram, nec non 3. p. q. lxvi. art. 6. S. Thomam, atque his subscripsisse discipulos numero, doctrina, & fama præclaros. Scio S. Thomam a Natali Alex. V. Cl. diss. 13. sæc. 11. aliisque ita exponi, quasi *hypothetice* duntaxat, non assertive in eam sententiam abierit, nec *ad dispensationem* confugerit, *nisi ex hypothesi*, methodo Scholasticæ intentum. Si quod ajunt *hypothetice*, ita accipiant, ut S. Doctor noluerit factum discutere, ac verum supposuerit, sicut videtur innuere in notis ad præcitatum articulum Joannes Nicolai; Alexandro subscribam: si usurpent τὸ *hypothetice* ad commonstrandam beati Thomæ hæsitationem, aut tactam argumentationis gratia συγχώρησιν, *concessionem*, id non assentiar; non enim S. Thomas ait, *si baptizabant*, sed *baptizabant*: exponensque subinde auctoritatem Ambrosii, eum probat de Apostolorum ætate, in qua ait servatam formam baptismi traditam in Evangelio, *integritate intelligibili*: quod minime negat Adversarius Viri Cl. P. Josephi Augustini Orsi, cap. xvii. num. 2. Aperta præterea est mens S. Thomæ in iv. Sent. dist. 3. art. 2. quæst. 2. ad 3. ubi docet ab Apostolis mutatam *formam sensibilem*; quod nullibi retractatum invenio. II. Non desunt præter Scholasticos, qui in eamdem sententiam devenerunt, præsertim Nicolaus I. supra laudatus, a quo insertam Rescripto ad Bulgaros opinionem, quæ nono sæculo non esset recepta, nequit salva æquitate affirmari. Patres quidem a præclaro Viro Jos. A. Orsi diligenter collectos, explicandos quomodo nos supra exposuimus Acta Apostolica, Ambrosium, Basilium, & Theophylactum, erudito illius Adversario arbitror concedendum. De Ferrando tamen Diacono ad Orsium accedo. Ferrandus enim non tantum ait Apostolos baptizasse *in nomine Christi*, quæ verba fateor esse ambigua, sed etiam rotundis verbis addit, nomen Patris, & Spiritus sancti subticuisse: *In nomine Domini* (inquit Ferrandus in Epist. ad Anatolium pag. edit. Rom. 75.) *in nomine Domini Jesu Apostoli baptizabant: numquid quia Patrem, & Spiritum sanctum tacebant, ideo negabant?* Nequeunt hæc verba in sententiam nostram trahi, nisi per vim ac violentiam. Certe de mente Ferrandi non dubitat in notis ad Facundum Hermianensem vir summus Jacobus Sirmondus. III. Veterum opinioni non opponitur Catechismus Romanus de Baptismo num. 15. Catechismum vero a selectis Theologis præside Cardinali Sirleto editum jussu Pii V. & a Gregorio XIII. approbatum, non perrennis existimamus auctoritatis: in sententiam tamen nostram ejusdem Catechismi Auctores seq. n. 16. descendisse observatum est supra. Opinionem illam docuit e suggestu in Concilio Basileensi die xvi. Januarii an. 1433. Joannes de Ragusio Dominicanæ familiæ Procurator Generalis; atque in Congregat. Gen. Synodi Tridentinæ die xvii. Junii an. 1562. Ludovicus Joannes Villetanus, uterque de Communione sub utraque specie naviter disputans, & ex variatione *formæ* baptismi facta ab Apostolis inspiratione divina, probans argumento *a majori ad minus* non semper necessario servandam utriusque *speciei* communicationem: quod argumentum, tametsi ambiguo fluxoque principio innixum, ostendit tamen quid de *forma* baptismi ab Apostolis collati ad sæculum usque decimum sextum tenuerint celebriores Theologi. IV. Addam postremo in gratiam sententiæ oppositæ, hæc haberi in Synodo Nemausensi celebrato circa annum Domini 1484. imperante in Galliis Philippo III. *Dicimus infantem baptizatum esse, si baptizans dixit, Baptizo te in nomine Christi. Quod tamen non est laicis exprimendum, ne a forma statuta per Ecclesiam recedatur*. Extat prope finem Tom. 21. Conc. Labbei. Similia leguntur in statutis Synodalibus Eliæ Episcopi Uticensis, quæ non habentur impressa: de quibus lib. 1. art. xiv. n. 20. eximius Martene. Hæc tamen mihi non videntur talis ponderis: quæ nos valeant removere a superiori sententia, sum nonnulla ex dictis etiam hoc tempore baptismum in solo Christi nomine datum comprobarent; cetera autem innitantur facto historico, in cujus perquisitione permulti operam minime locaverunt: quod præmonui hujus dissertationis initio.

CAPUT X.

Solvuntur nonnullæ quæstiones circa formam Baptismi.

COmmunem *formam* Baptismi hactenus explicavi. Verum quid censes de alia *forma*, in qua minister pro verbo

verbo *baptizo*, alind apponeret, V. G. *mergo*, *abluo*, *tingo?* Nulinm tali in casu fore baptismum statuit Glossa Decreti, in cap. *Multi sunt*, de Consecr. dist. IV. quoniam, inquit, Mergo *non est synonymum cum eo verbo, Baptizo*. Etiam Innoc. IV. in cap. *Si quis puerum*, de Bapt. ait: *Loco hujus verbi, baptizo, non potest poni lavo, vel balneo, quia hoc verbum baptizo plus importat ex institutione, quam sit ejus propria significatio*. Idem ex Scholasticis opinantur Alensis q. VIII. de Baptismo art. 3. n. 3. & Gabriel in IV. dist. 3. At ratum, legitimumque baptismum in tali casu existimo, primo quoniam constat ex cap. I. hujus libri hæc verba *baptizo*, *abluo*, *tingo*, *mergo*, revera esse synonyma; unde corruit contrariorum præcipua ratio. Ad hæc apod Tertullianum pro *baptizare* legimus *mergitare*, ac *tingere*, lib. de Bapt. cap. 13. adv. Praxeam 26. & de Corona militis cap. 3. Cyprianus etiam epist. 22. ad Clerum Romæ consistentem pag. 78. ait, *In nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti gentes tingui*; & epist. 25. ad Moysen pag. 82. aliisque in locis verba Matth. XXVIII. 19. sic recitat: *Ite ergo, & docete omnes gentes, tingentes eos, &c.* Hieronymus Tom. IV. pag. 144. idest, in cap. ult. Mat. *Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua*: & post pauca, *Jussis Apostolis, ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent Sacramento*. Isidorus denique lib. VI. Orig. cap. 19. *Baptismus Græce, Latine tinctio appellatur*. Insuper Stephanus III. anno 754. in Responsis Carisiacis, (quæ tamen non esse explotatissimæ auctoritatis diximus pertractantes de baptismate in vino) num. 14. rite baptizatum puerum definivit, sub hac forma, *In nomine Patris mergo: & Filii mergo: & Spiritus sancti mergo*. Ad Glossam autem Decreti, & ad Innoc. IV. aliosque oppositæ sententiæ verbo tenus hærentes, respondeo accipiendos esse in hypothesi, qua non intenderent lavantes puerum rem sacram peragere, nec facere quod intendit Ecclesia; cum severa sermonis nostri consuetudine verbum *lavare*, & *abluere* profanam actionem, non sacramentalem significet. Dico etiam eum, qui non ignarus sermonis nostri, pro *baptizo* aliud verbum synonymum usurparet, etsi intentionem rectam haberet, scelus tamen grave patraturum; propterea quod, si verbum *Baptizo*, juxta Augustinum lib. VI. contra Jul. cap. 9. num. 26. a Latinis non adhibetur, *nisi in Sacramento regenerationis*: neque fas est ad usum Sacramenti transferre quæ humanis rebus etiam contaminatis promiscua facimus.

II.

Quod vero, si in forma baptismi nullo modo exprimatur *subjectum*, aut pronomine *Te*, aut æquivalenti vocabulo, validum ne conficietur baptisma? Sunt qui affirmant duplici ratione ducti. Petitur una ex præcitato Stephani III. Rescripto; in recensita enim *forma* nullatenus persona baptizata designatur. Depromitur altera ex Decreto Eugenii IV. asserentis perfici Sacramentum, *si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctissima Trinitatis invocatione*: quod, inquiunt, servatur in hac forma, *Ego baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Etenim verbum *Baptizo* commonstrat actum, qui a ministro exercetur; & quæ sequuntur, continent invocationem Trinitatis. Oppositam tamen sententiam tanquam probabiliorem amplector cum Dominico Soto in IV. dist. III. art. 5. Sylvio in 3. p. q. 66. art. 6. concl. 3. Vasquesio disp. 142. cap. 3. quibus omnes, si unum, vel alterum excipias, subscribunt. Movet me primum, quod in nullo Rituali, aut Euchologio *formam* aliquam baptismi deprehenderim, in qua persona ejus qui baptizatur, aut nomine, aut pronomine, aut adjuncto aliquo non explicetur; nec video cur Farvacques vellicet Præpositum id asserentem. Deinde in hoc Sacramentum baptismi situm arbitror, quod elementum *vi formæ* applicetur suscipienti. Insuper non video quo pacto, nisi *subjectum* exprimatur, designetur certa & determinata actio, & non potius vaga & indifferens. Nec urgent contraria argumenta. In Rescriptis enim Carisiacis irrepsisse glossemata, nec constare eadem esse Stephani, dictum supra. Eugenius autem jam *formam* Latinorum Græcorumque descripserat, in qua exprimitur baptizati persona; ac propterea docens valere formam utramque, & Sacramentum perfici, *si exprimitur actus*, loquitur *de actu determinato*, ut exprimitur in forma Latinorum vi pronominis *Te*, in forma autem Græcorum vi adjuncti *servus Christi*.

III.

At quid, si minister τὸ *in nomine* pronuntiaret numero multitudinis, *In nominibus*? Nullum in hac hypothesi fore baptisma consentiunt omnes. Prior ratio infertur ex verbis Christi, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine*, sive ut Græci habent, *εἰς ὄνομα*, *in nomen*. Proxima petitur ex consuetudine, ac disciplina omnium sæculorum; nullam quippe Catholicam *formam* invenies ejuscemodi immutatione prolatam. Eruitur tertia ex Patribus. Ambrosius lib. I. de Spiritu S. cap. XIII. num. 132. de præcitatis Domini verbis ait: *In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus sancti; quia unus Deus*: nec aliter Auctor librorum de Sacram. quem Ambrosii nomenclatura laudamus, lib. II. cap. VII. num 2. *In uno autem nomine baptizari nos jussit*, hac producta ratione, *Noli mirari quia dixit unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas, una majestas*. Item Hieronymus in cap. IV. Epist. ad Eph. Tom. IV. pag. 362. *Et non baptizamur in nominibus Patris & Filii & Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus*. Nec aliter Augustinus lib. 2. adversus Maximinum cap. 22. num. 3. *In nomine, non in nominibus: hi enim tres unum sunt, & hi tres unus est Deus*: atque Tract. VI. in Joan. num. 9. *Intenti facti sumus cum audiremus, Ite, baptizate gentes. In cujus nomine? In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Iste unus Deus, quia non in nominibus, sed in nomine. Ubi unum nomen audis, unus est Deus*. Quarta ac postrema ratio ex dictis infertur, quia cum τὸ *in nomine* divinam substantiam, virtutem, potestatemque significet; si dicas, *in nominibus*, sensum omnibus orthodoxis oppositum, & quidem pravum, hæreticum, nefarium appingis præscriptæ *formæ*, eamque adulteras substantiali depravatione: atque rationem illam perlegas quoque in Catechismo Rom. P. 2. de Sacram. Baptismi num. 12.

IV.

Si autem pronuntiet quidem *in nomine*, sed hanc particulam tertio repetat, dicens, *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti*, baptisma reputandum erit legitimum? Haud vereor, quin sint negaturi Italorum complures, quibus magnus Apollo est Martinus Bonacina. Etenim is de Baptismo disp. 2. q. 2. puncto 4. parem casum hunc facit cum præcedenti, scribens num. 5. *Quamobrem si quis baptizando dicat, Ego te baptizo in nominibus Patris, &c. aut etiam si dicat, Te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti, invalide baptizat, ut multi Doctores testantur apud Suarez, &c.* Rationem addit Bonacina, *Nam dicendo in nomine Patris, &c. non ostenditur unitas divinæ essentiæ*. Verum, si nonnihil sapio, nil absurdius, & in re tam gravi ponderatum minus, poterat a Moralistarum signifero in vulgus spargi. Principio ea *forma* passim peracta Sacramentalia inficias non ibit antiquorum Ritualium inspector. Invenies enim in Ordine Baptismi Ecclesiæ Alexandrinæ Tom. IV. vet. Bibl. Patrum pag. 58. effundi in aquam baptismalem sacrum Chrisma his verbis: *In nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti, Amen*. Ex veteri Sacramentario Gallicano edito a Jo. Mabillonio Tom. I. Mus. It. ipsa baptismalis aqua hoc exorcismo expiatur: *Exorcidio te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Domini nostri Jesu Christi filii ejus, & Spiritus sancti*. Nec aliter legas in Sacram. Gelasii. Interdum etiam quod significatur *Dei nomine*, synonymis repetitur, ut in Exorcismo salis Ritualia etiam posteriora, ac probatissima, *Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Spiritus sancti*. Nonnunquam adinvenies particulam *in nomine* semel tantum repetitam, & tertio loco positam æquivalentem, *in virtute*, ut in Exorcismo priusquam accedatur ad baptisterium, *Exorcizo te, omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi Filii ejus & Judicis nostri, & in virtute Spiritus sancti*. Vides in hisce exemplis aliquando tribus vicibus, aliquando duabus tantum, aliquando vero æquipollenti vocabulo τὸ *In nomine* pronuntiatum absque ullo prorsus fidei in sanctam Trinitatem dispendio. Nec dicas his in locis repetitum *In nomine* commonstrare aliam naturam in Filio, idest, humanam: nam primum id affirmari nequit de Spiritu sancto, in cujus invocatione repetitum *In nomine*, aut, *in virtute* apertum est. Deinde natura Christi humana non invocatur absque divina. Quem sensum denique appinges exscriptis ritibus, perspicies facile accommodari *formæ* baptismatis, de qua dissemus. II. Si fas non est repetere particulam *In nomine*, propterea quod substantiam potestatemque significat; sacrilegum & erit iterato proferre hoc nomen *Deus*, cujus eadem est significatio. Damnabimus propterea probatam ab Ecclesia dæmonum adjurationem, *Imperat tibi Deus Pater: imperat tibi Deus Filius: Imperat tibi Deus Spiritus sanctus*. Rejiciemus quoque symbolum Athanasianum, & universis Theologis temere audacterque refragantes nullum judicabimus baptisma datum hac formula, *Baptizo te in nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus sancti*. Si autem repetitum vocabulum *Deus* nequaquam divinam substantiam multiplicat; nec eam multiplicabit repetitio particulæ *In nomine*. III. Nec attente Bonacina Suaresium perlegit, qui invalidam utique censet baptizandi formam, si pro *In nomine*, dicas *In nominibus*; at de replicato *In nomine*, loco, quem Bonacina citat, idest disp. XXI. in quæst. 66. 3. p. inquit: *Respondetur illam formam esse validam,*

quia

quia unum & idem nomen potest iterum atque iterum nominari, & invocari absque pluralitate, & vere dicitur, Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus.

V.

Tres personas *in forma* baptismatis singillatim exprimendas diximus sup. capite: si autem quis eas designaret hujusmodi verbis, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*; ratum ne censendum erit Baptisma? Respondeo me propriæ inscitiæ conscium nolle de hac quæstione proferre judicium: non enim me latet, nullum baptismam illum definire S. Thomam lib. IV. ad Annibaldum dist. 3. quæst. un. art. 2. Scotum in IV. sent. dist. IV. quæst. 2. num. 9. Thomistas omnes, Cajetano excepto, in 3. p. disp. LXVI. art. 5. & Scotistas cum Mastrio disp. 2. de Baptismo, & Confirm. q. 2. necnon Sylvium in cit. qu. LXVI. concl. V. Suarez ibidem disp. 22. sect. 4. Estium in IV. dist. III. §. 6. Vasquez disp. 144. cap. 2. ac Nostrates cum Friderico Gavardi q. 2. de Baptismo art. 6. Quis vero cum talibus tantisque adversariis audeat subire certamen? Neque enim pugnant inermes, sed quod ajunt, sequentibus argumentis defendunt. Est primum, quod vocabula *Genitoris & Geniti* non significant personam subsistentem, sed proprietatem, & actum, prout Scholæ appellitant, *notionalem*: nam nomen *Patris* significat relationem, quæ constituit *hypostasim*, nomen vero *Genitoris* significat originem, *quæ non est constitutiva hypostasis*, ex doctrina S. Thomæ I. p. qu. 40. art. 2. Proximum argumentum est, quod sicut ex parte *materiæ* assumitur aqua communis & naturalis, nec sufficit æquivalens ex rosis, aut aliis floribus expressa; ita in *forma* assumi debent nomina in ea lingua, in qua proferuntur, communia; maxime quod Dominus *materiam* ac *formam* baptismi determinavit: quæ ratio insinuatur ab eodem S. Thoma 3. p. q. LXVI. art. 5. ad 7. Addamus argumentum tertium: Constat Epiphanium hæresi LXXIII. quæ est Semiarianorum, reprobare baptismum datum in nomine *Ingeniti, & Geniti*; quod videtur hoc idem, de quo disputamus. Etsi enim hunc locum Epiphanii interpretantur quidam, quasi *τὸ in nomine Ingeniti & Geniti*, idem sit, ac, *in nomine increati, & creati*, quia disputat adversus Arianos inter creaturas divinum Verbum connumerantes; hi tamen decipiuntur, quoniam Epiphanius, ait, *ἐν ὀνόματι τοῦ ἀγεννήτου, καὶ γεννητοῦ*, geminata litera *νν*. utiturque participiis verbi *γεννάομαι, gignor*, non *γίνομαι, fio*: de quorum verborum diversitate dixi cap. ult. libri VI. Constat autem pravam hæreticorum fidem vi Sacramentorum non obesse, modo verba idonea ab illis adhibeantur.

Et tamen hæc, ut dicam quod sentio, me a sententia Cajetani penitus non divellunt, quam video etiam probatam Glossæ cap. *Multi sunt*, de Consecr. dist. IV. & Scholasticis etiam nonnullis, inter quos Puteanus noster, Victoria, ac Ledesma, laudati a Guerrero pag. 424. Me autem primum permovet, quod libro IX. aliam sectatus physiologiam, nullam cum Gregorio Ariminensi agnosco intrinsecam formam a divina substantia distinctam, per quam constituatur *persona*: & hujus nomine nihil aliud percipio, quam id quod est, non *absolute*, sed *connotative*, idest, cum ordine ad aliud. Atqui hoc vocabulo *Genitoris* designatur quod est cum ordine ad aliud, scilicet *Generans* cum relatione ad *Genitum*. Igitur hoc nomine significatur vere proprieque *persona*. II. Si attendamus Grammaticalem significationem, hoc nomen *Christus* significat *Unctum*, non hypostasim; *Paracletus* etiam *advocatum*, & *consolatorem*, non personam, & nihilominus nomina sunt hæc personarum, ratione, ut inquiunt Scholæ, *concreti*: quoniam ille, qui unctus est, persona est; & ille, qui advocatus est, pariter persona est. Ergo, etsi nomen *Genitoris* actum demonstret gignendi, nihilo tamen minus, quoniam ille qui gignit, Pater est, & ille qui genitus est, Filius est; ratione *concreti* Genitor, & Genitus designare debent personas. III. Quid metaphysicis perceptionibus mentem diverberamus? Ex communi usu exquirere debemus significationem vocabulorum. lingua vero tam latina, quam vernacula, *Patris*, ac *Genitoris* nomine promiscue utimur: nec aliter divina Scriptura Eccli. XXII. 4. singulas item Trinitatis Personas ita in pervulgato hymno veneramur, *Genitori, Genitoque laus & jubilatio, &c.* IV. Nec nomina, quibus utimur frequentius, *Patris, Filii, & Spiritus sancti*, spectata vi Grammaticali significant hypostasim; sed omnino synonyma sunt cum vocabulis *Genitoris, Geniti, & Spirati*, actumque *notionalem*, non rem subsistentem designant: & singulorum consequenter eadem est ratio. Dicitur *Genitor* a *gignendo*, & dicitur *Pater* juxta Varronem lib. IV. de Lingua Latina, *a patefaciendo semine*: aut a Græco *πατήρ*, derivato a *πάω*, idest, *alo*, quod Pater sit *altor prolis*, sive, ut placuit Eustathio, *ἀπὸ τοῦ παῖδας τηρεῖν*, *a parvulos asservare, ac tueri*. Item *Filius* est a *φύω*, *pario, nascor*, transeunte *υ*. in *i*. aut, quemadmodum quidam volunt, a *φιλέω, amo*, quoniam amor omnium constantissimus est parentis in filium: alterum item vocabulum Græcum *τέκνον*, *filius*, a *τίκτω, pario*. Spiritus quoque a *spirare*, sicut, & Græcorum *πνεῦμα ἀπὸ τοῦ πνέω*, quod est *spirare ex ore*. Hebræi etiam Patrem dicunt אב *Av*, ab אָבָה *velle & concupiscere*, Filium vero בֵּן *Ben* ex בָּנָה *ædificare*, quasi sit Patris *ædificium*; & Spiritum רוח, *Ruah*, a רוח *spirare*. Ex quibus apparet eamdem prorsus esse rationem de nomine *Patris, Filii, & Spiritus sancti*, atque de nomine *Genitoris, Geniti, ac Spirati*, sive vim Grammaticalem, sive usum attendas.

Ad primam ergo objectionem respondeo vocabulum *Genitoris* significare actum quidem *notionalem*, sed *in concreto*, quod omnino apparet etiam in vocabulo *Patris*; idque repono de nomine *Geniti*, & *Spirati*. Ad alteram dico Christum determinasse materiam & formam Sacramentorum *in specie*, non *in individuo*; & synonyma idem significantia non immutare substantiam vocabulorum. Ad tertium dico Epiphanium jure reprehendere Semiarianos, qui pravo animo nomina adulterabant: nec denego graviter peccaturum qui mutaret consuetam baptismi *formam* aut intentione perversa, aut animi vanitate, tametsi persisteret substantia verborum. Affirmo etiam non valere baptismum datum *In nomine Ingeniti, & Geniti*, quoniam *Ingenitum* significat attributum Patri, & Spiritui sancto commune, neque in ea *forma* Spiritus sanctus exprimitur. Salvo itaque meliori judicio baptismum datum *in nomine Genitoris, &c.* validum censeo, nec reiterandum, nisi forte sub conditione.

VI.

Postremo, (nam si quæ sunt alia, quæ in quæstionem venire possunt, expedita fuere libro præcedenti cap. XII.) dubitant aliqui, num baptisma ratum sit prætermissa duntaxat minima particula *Et*, quoniam etsi parvi momenti videatur, demonstrat tamen divinarum personarum distinctionem: atqui his videtur accedere Gabriel in IV. dist. 3. & Augustinianus Belga Leonardus Vanroy cap. 5. de Bapt. q. V. At ego absque ulla hæsitatione ratum baptisma illud existimo, propterea quod vocabula *Patris, Filii, & Spiritus sancti*, nativa, propriaque significatione demonstrant oppositionem relationis, ideoque distinctionem personarum. Quamquam nec minima illa particula omitti debet; & qui eam prætermitteret Sabelliana pice inquinatus, subjiceretur anathemati, quod anno D. 538. Vigilius scribens ad Eutherium intorsit in quosdam, qui, *ut minuerent Trinitatem*, in fine psalmorum sublata syllaba conjunctiva dicebant: *Gloria Patri, & Filio, Spiritui sancto*. Adeas Tom. V. Conciliorum pag. 312.

CAPUT XI.

Pertractatur de Ministro Baptismi.

SEquitur, ut dissertationem instituamus de Baptismi ministro: quod ut ordinata præstetur methodo, primum de baptismo solemni ritu, & extra necessitatem dato, deinde de privato, collatoque periclitantibus, pertractabimus. Ac ministrum quidem solemnis baptismi esse Episcopum, ac Presbyterum, nec non ex delegatione Diaconum, ipsi Novatores consentiunt. In necessitate autem baptizare etiam minores Clericos, imo & Laicos, doctrina Catholicorum est, cui opponuntur Calvinus lib. IV. Institut. cap. XV. n. 20. & Græci quidam recentiores apud Petrum Arcudium lib. I. Concordiæ cap. XI. pag. 24. Controversia major videri potest de mulieribus, quas nonnulli Patrum, & antiqui canones negant habere potestatem baptizandi: contra vero Marcionitæ, Pepuziani, & Collyridiani munere solemniter baptizandi feminas honestabant. De hisce omnibus hoc capite agendum est.

Prop. I. Jus baptizandi solemni ritu Episcopis principaliter datum est, deinde Presbyteris id commissum, non tamen absque Episcoporum auctoritate.

Demonstratur prima pars. I. Apostolis, quorum Episcopi successores sunt, dictum est a Domino Matt. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & Paulus Epist. ad Corinth. prima, se aliosque Apostolos appellat cap. IV. 1. *Dispensatores mysteriorum Dei*. II. Apostolos ac Discipulos ministrasse baptismum ex historia novi testamenti aperte constat; ubi legimus Petrum baptizasse tria millia hominum Act. II. 41. a Paulo baptizatum Crispum, Cajum, & domum Stephanæ 1. Corinth. I. 14. 16. Lydiam Act. XVI. 15. & ibidem 33. custodem carceris Philippensis. III. Non aliud docent antiqui Patres. Tertullianus de Bapt. cap. 17. inquit: *Dandi* (baptismum) *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate*. Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ Tom. III. pag. 1673. ait: *Sacerdotes autem, qui dant baptismum, faciunt oleum Chrismatis, manus imponunt, catechumenos erudiunt, Levitas, & alios constituunt Sacerdotes*. Ex hoc loco, & ex præcitato Tertulliani, atque ex Auctore librorum de Sacram. inter Opera Ambrosii lib. III. cap. 1. num. 4. intelligimus olim Episcopos dictos simpliciter *Sacerdotes*, aut etiam *Summos Sacerdotes*. Idem Hieronymus adversus Luciferianos p. 2. Tom. IV. pag. 295. ait: *Sine Episcopi jussione neque Presbyter, neque Dia-*

Diaconus jus habet baptizandi. IV. Idem ostendunt exempla sanctissimorum Episcoporum, qui suis manibus baptizarunt. De Macario Jerosolymorum Antistite scribit Theodoretus lib. II. H. Ec. cap. 27. veste aureis filis contexta donatum a Constantino, *ut ea indutus divini baptismi ministerium perageret*, ἵνα ταύτην περιβαλλόμενος, τὴν τοῦ θείου βαπτίσματος ἐπιτελῇ λειτουργίαν, pag. edit. Val. III. Ambrosius, auctore in ipsius Vita Paulino *ejus notario* (errant permulti, qui illam adscribunt S. Paulino Nolano Episcopo) num. 9. *postulavit non se, nisi a catholico Episcopo, baptizari*: & num. 38. *In rebus divinis implendis fortissimus, in tantum, ut quod solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea Episcopi tempore, quo decessit, vix implerent*. Licentius in carmine ad S. P. Augustinum olim præceptorem suum, apud ipsum August. Epist. XXVI. olim 39. num. 3.

An te voce vocem, clavi quem Rector Olympi
Fontibus infantum præfecit, & abdita jussit
Ubertate animi longe tractare fluenta:

Quibus verbis supponit munus esse Episcopi tam *docere*, quam *baptizare*. V. Non solum jus baptizandi Episcopis est, verum etiam hi tantum in primis Ecclesiæ sæculis baptizabant, quod duplici argumentorum genere demonstratur. Ac primum depromitur, ex quo olim in qualibet civitate unum duntaxat baptisterium extaret, idque prope Cathedralem Ecclesiam, ut adnotarunt summi viri Panvinius noster in libro de præcipuis urbis Basilicis cap. de Baptist. Lateran. Joseph Vicecomes lib. 1. de Antiq. Rit. cap. 8. Lupus de Appel. Eccl. Africanæ cap. 28. ubi e Baptisterio demonstrat Carthaginensem Basilicam Fausti, in qua baptizabat S. Eugenius, fuisse Cathedralem, Martene lib. 1. cap. 1. art. 2. num. 15. atque in priori Notificat. doctissimus Bononiensis Ecclesiæ Archiepiscopus, nunc Œcumenicus, & Vigilantissimus Christiani populi Rector. Confirmat tantorum virorum assertionem, quod in vetustis Martyrologiis invenio commemoratam III. Kal. Julii dedicationem *antiqui Baptisterii Romæ*: in Concilio Toletano XVII. celebrato anno 694. de Regulis fidei, mandatum Episcopis, ut propria manu claudant, *suisque signaculis obsignent* ostia Baptisterii; in Hispaniis denique non nisi post annum Domini 890. baptisteria fuerunt multiplicata, ut constat ex cap. XII. Synodi Triburiensis Tom. IX. Conc. pag. 345. Persistere antiquitatis vestigium, quantum ad unicum Baptisterium, Florentiæ, Bononiæ, Parmæ, Pisis, & Urbeveteri scripsit citato loco Panvinius. Nulla autem congruentior unius baptisterii, & prope Cathedralem constructi potest ratio assignari, nisi quod olim soli Episcopi baptizarent. Argumentum alterum conficiunt historica monumenta, quæ ante Martenium, & recentiores Theologos, collegit in Appendice ad Ephesinum Latrocinium eximius Lupus: Epistola nempe Cleri Edesseni ad Photium & Eustachium, quæ extat in Actis Conc. Chalced. Act. X., rogantia, ut imminenti Paschali festivitate ad propriam sedem Ibas remitteretur, quoniam ipsius præsentia opus erat *propter catechismos, & propter eos, qui digni sunt sancto baptismate*. Epistola S. Gregorii Papæ 32. libri I. nunc 33. ad Romanum Patricium, & Exarchum Italiæ, suffectum a Mauricio Imperat. in locum Smaragdi, qua illum hortatur, ne in civitate Ravennate detineat Blondum Hortensis civitatis Episcopum, quod eo absente fieret, *ut Ecclesia sine Rectore, & populus, quasi sine pastore grex*, desueret, *& ibidem infantes absque baptismate morerentur*. Sapienter in notis ad hanc Epistolam PP. S. Mauri: *Quare absente Episcopo infantes sine baptismate moriebantur? Quia baptismi ordinarius minister est Episcopus, & in illa solum civitatis Ecclesia, in qua Episcopus sedebat, olim erat baptisterium: hodieque Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, Bononiæ, &c. in solis Ecclesiæ Cathedralis Baptisteriis infantes sacris aquis intingui solent*. Similia legas in Epistola Hincmari III. ad Odaerum invasorem Ecclesiæ Bellovacensis, de qua Lupus citato loco Tom. I. vet. edit. pag. 855. & Tournely de Sacram. Bapt. pag. 140. *Odoacrum* hi duo pronuntiant: at Hincmarus *Odacrum*. De prima parte propositionis hactenus.

Secunda pars de Presbyteris probatur. I. In Constitut. Apostolicis lib. III. cap. XI. legimus: *Permittimus baptizare solos Episcopos ac Presbyteros, ministrantibus Diaconis*, ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν μόνοις ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς τῶν διακόνων. Innoc. I. Epist. ad Decentium cap. 3. Tom. 2. Concil. ait de Presbyteris, *Seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant*. Concilium Florentinum Tom. XIII. pag. 535. in Decreto pro Armenis, *Minister hujus Sacramenti* (baptismi) *est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. Idem eruitur ex Responsis Stephani III. aut II. non semel laudatis, a num. X. usque ad XV. Tomo Conciliorum Labbei Sexto. Non aliud colligas ex Vet. Ordine Romano pag. 696. Tom. XIII. Bibl. Patrum. II. Idem constat auctoritate Majorum. De Tertulliano, & Hieronymo paullo supra. S. P. Augustinus serm. 33. de diversis, nunc CCCXXIV. narrans miraculum beati Stephani apud Uzalim patratum, quo revixit infans in gremio mulieris Divi opem implorantis, inquit: *Continuo tulit illum ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus Sacramentis assumptus est*. Ac Theodulphus Aurelianensis Antistes editus a Sirmondo, de Bapt. cap. 17. *Presbyteris* (inquit) *sive absentibus, sive præsentibus Episcopis, baptizare licet*. III. In hoc tantum difficultas aliqua occurrit, an Presbyteri sint *Ordinarii* ministri baptismatis, an *Delegati*. Esse enim *ordinarios*, & *ex officio*, constat ex Florentino Concilio, ex Catechismo Romano, tit. de Baptis. n. 23. ex S. Thoma 3. p. q. 67. art. 2. ex ratione pervulgata, quoniam presbyteri ad Eucharistiam consecrandam instituti sunt, ideoque etiam ad illa administranda, per quæ ejusdem Eucharistiæ quilibet particeps esse possit. E contra habere presbyterum solam potestatem baptizandi *delegatam*, videtur colligi ex præcitatis testimoniis Tertulliani, & Hieronymi, asserentium presbyteros non habere jus baptizandi nisi *ex jussione & auctoritate Episcoporum*: nec aliter Ignatius in Epist. ad Smyrnenses, & Epist. 88. ad Episcopos Germ. & Galliæ (si tamen supposititia non est, ut visum Quenellio) Magnus Leo. Accedit & ratio, quia baptizare & in Ecclesiam recipere Pastorum, Rectorumque munus est. Attamen, etsi Catech. Rom. ibid. ait antiquos Patres, ubi affirmant Sacerdotibus sine Episcopi venia jus baptizandi non esse permissum, accipiendos de certis anni diebus, quando solemni ritu Episcopi baptizabant; arbitror facilius omnia conciliari, si dicamus Sacerdotes omnes habere *vi Ordinis*, ut præsint Christianæ plebi, ideoque & doceant, & baptizent, & Sacramenta omnia (Ordine, & Confirmatione exceptis) ministrent; quamobrem Episcopus sacram ordinationem celebrans inquit, *Presbyterum oportet præesse*; sed hac in re attendendam esse Ecclesiasticam politiam, atque Antistitum jurisdictionem. Quare dum Episcopi baptizabant, non poterant id muneris arripere presbyteri; uti & modo, si illi doceant, hos tacere necessum est. Ita si nunc adsit Parochus, non debet baptizare alius Sacerdos, nec parentes possunt ad aliam Parœciam deferre baptizandum infantem. Ac propterea optime in Rituali Romano præscriptum legimus solemnis baptismi ministrum *esse Parochum, vel alium Sacerdotem a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatum*. Dicam brevi: Quilibet Sacerdos vi ordinationis habet baptizandi potestatem, non autem jurisdictionem.

PROP. II. Diaconus nonnisi ex delegatione, potest solemni ritu baptismum administrare.

Probatur I. auctoritate Tertulliani & Hieronymi, qui affirmant Diaconis *absque Episcoporum jussione* potestatem baptizandi non esse. Auctor Constit. Apostol. lib. VIII. cap. 28. pag. 411. *Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit vero ab Episcopo, & presbytero, non baptizat, &c.* Citatur hic locus in fine Responsionum Nicetæ Heracleensis ad Constantinum Episcopum. Epiphanius in h. LXXIX. quæ est Collyridianorum: *Nam neque Diaconis quidem ipsis ullum in Ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur, sed hoc duntaxat, ut eorum quæ perficiuntur, ministri sint*. Καὶ γὰρ οὐ Διάκονοι ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιτετραμμένοι τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα. II. Probatur ex definitione Canonum. In cap. *Diaconus*, dist. XCIII. cap. 3. legitur: *Diaconi absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis ordinibus, seu officiis longius constitutis, extrema necessitas compellat*. Depromptus est canon ex Epistola Gelasii ad Episcopos Lucaniæ cap. VII. Extat Tom. IV. Concil. Similia legas in cap. 19. *Constat*, de Consecrat. dist. IV. desumpto ex libro 2. Isidori de Offic. cap. 24. Nec aliter canone IV. Concilii Rothomag. celebrati anno MLXXII. Volum. Conc. IX.

Diaconis vero commissum aliquando baptizandi munus, nequit in dubium revocari: Philippum Diaconum baptizasse Eunuchum Reginæ Æthiopum constat ex cap. VIII. Actuum. II. Habemus Concilii Illiberitani canonem LXXVII. *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel presbytero aliquos baptizaverit, &c.* quo permittitur Diacono jurisdictione Ecclesiastica prædito baptizare, non autem baptizatum per benedictionem *perficere*, idest, *confirmare*: quod Episcoporum munus est. III. Ex præcitato Ordine Romano liquet Diaconos in Sabbato sancto præsertim baptizasse, quod nempe hoc eis indulgeretur propter multitudinem ad baptismum confluentem, ut observarunt Andreas Saussay in Panopl. Sacerdot. lib. 2. cap. 6. Ferdinandus de Mendoza lib. III. de Conc. Illiberit. cap. 77. Thomassinus de Eccl. disciplina lib. 2. primæ partis cap. 29. Franciscus Hallier de Hier. Eccl. lib. 3. sect. 3. §. 3. & in tit. 28. lib. V. Decret. Emman. Gonzalez. IV. Idem eruitur ex Catech. Rom. P. II. cap. 2. num. 23.

Non desunt tamen, qui putent Diaconos posse *ex officio* conferre baptismum, ejusque dici *ordinarios* ministros, ut apud Franc. Hallier cit. loco tenet Ludovicus Cellotius. Hujus opinionis hæ probationes produci possunt. I. Diaconi ex citato cap. 28. lib. VIII. Const. Apostolicarum, & cap. *Pervenit*, dist. XCIII. dispensare valent Eucharistiam: igitur & conferre baptismum. II. Possunt Diaconi & pœnitentiam dare, cap. *Fures*, 2. de furtis. Quare non baptismum? III. Episcopus consecrans Diaconos, inquit: *Provehendi, filii dilectissimi, ad Leviticum*

ordi-

ordinem, cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ adscenderitis: Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, prædicare, &c. Spectat igitur ratione proprii officii ad Diaconum baptizare. IV. Tandem Tertullianus & Hieronymus eodem modo loquuntur de Presbyteris, ac de Diaconis; ideoque si illi *ex officio* baptizant, hi quoque ordinaria potestate baptismum conferunt.

At communior est, ac vera sententia, Diaconos nonnisi extraordinarios, & delegatos baptismi ministros esse; non enim quidquam probant argumenta nuper producta. Ad primum quippe dicimus, neque dispensare corpus Christi spectare ad officium, ac munus Diaconorum, neque id posse Diaconos præstare extra necessitatem, & sine Episcopi, aut Presbyterorum mandato, ut docet Sanctus Thomas 3. p. q. 82. art. 3. Citato lib. VIII. Const. Apost. legitur, *Oblatione ab Episcopo, vel presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat presbyteris*. Expende hæc verba, *οὐχ ὡς ἱερεὺς, ἀλλ᾽ ὡς διακονούμενος ἱερεῦσι*. Id ipsum *Diaconi* nomen commonstrat. Non aliud infertur ex cap. *Pervenit*; quo decernitur Diaconos, tanquam ministros Episcopi, & inferiores presbytero habendos esse, ac debere gratiam communionis recipere presbytero porrigente. At non habere illos jus baptizandi, liquet ex cap. *Præsente presbytero*, ead. dist. Inde etiam patet nonnisi urgente necessitate concessam Diaconis Dominici corporis dispensationem. Tantum, quum vigebat usus communionis *sub utraque specie*, Diaconi dispensabant Sanguinem in calice, quia id agere poterant, quamvis non tangerent Sacramentum, ut ait cit. art. ad 1. Doctor Angelicus, & lib. X. Moral. cap. 23. Azorius. Hoc duntaxat commissum Diaconis constet etiam ex off. S. Laurentii martyris. Hinc de Levitarum manu lib. I. Hist. Apost. Arator:

Quæ pocula vitæ
Misceat, & laticem cum sanguine porrigat Agni.

Ad secundum dicimus nunquam Diaconos administrasse Sacramentum Pœnitentiæ, sed tantum ex delegatione Episcopi recepisse eos, qui solemnis pœnitentiæ gradus expleverant, non absolutionem impendentes, sed excipientes pœnitentium deprecationem: id vero duntaxat affirmat *Palea* in cap. *Fures*, nec aliud innuit perdifficile illud Cypriani Ep. XVII. *Apud Diaconum exomologesim facere*, ut adnotarunt Ferd. de Mendoza lib. 2. de Concil. Illiberit. cap. 64. & observat. XXVII. libri 2. doctissimus Albaspinæus. Ad tertium dicimus Diaconum *vi ordinis* accipere potestatem baptizandi ex commissione & delegatione, non tamen virtute proprii gradus, quo constituitur presbytero subjectus, non præses, nec minister baptismi ordinarius, ut liquet ex cap. *Diaconos*, dist. 93. Idque ex Scholasticis docent Soto in IV. dist. 4. q. un. art. 1. & Vasquez disput. 147. cap. 4. & Gonzalez, aliique Jurisconsulti in cap. 1. de Clerico non ordinato. Ad ultimum resp. Presbyterum & Diaconum non posse baptizare absque jussione Episcopi, eo præsente; sed presbyterum *vi ordinis* esse solemnis baptismi ordinarium ministrum, Diaconum vero extraordinarium tantum, ac delegatum, ut constat ex dictis.

COROLLARIUM.

Sequitur ex hac thesi probabilem esse sententiam quorumdam asserentium Diaconum, si absque delegatione baptizet, fieri irregularem, ex cap. 1. *De Clerico non ordinato*, lib. V. Decret. tit. 28. Ita censent Paludanus, Sylvester, Sylvius, Navarrus, Habertus, Tournelius. Ratio est, quoniam ex præcitato canone irregularitatem contrahunt, qui baptizant, aut divinum officium exercent *in gradu, quem non habent*. At diaconus, ut diximus, *vi ordinis* habet tantum, ut sit minister baptismi solemniter dati *ex delegatione*. Si igitur non delegatus baptizat, exercet id quod excedit sui muneris potestatem. Sunt tamen, qui in tali casu Diaconum ab irregularitate faciunt immunem. I. Quoniam *vi ordinationis* plus quippiam habet in solemnis baptismatis administratione, quam inferior clericus, aut laicus. II. Ex cap. *Diaconos*, dist. 93. conceditur Diaconis baptizare in extrema necessitate, si absint Episcopus & presbyteri, quod videtur accipiendum esse de baptismo solemni; ingruente enim necessitate possunt baptizare absque solemnitate laici quoque, & mulieres. Hinc Glossa in præcit. cap. ait: *Ubi necessitas exigit, & presbyter est absens, potest Diaconus etiam jure suo baptizare*. III. Quod Diaconus sit minister ex delegatione, oritur ex eo, quod pendeat e presbytero, debeatque ipsius jussa capessere, non quod non constituatur *vi ordinis* ad baptizandum idoneus; ideoque si non delegatus administrat solemnem baptismum, lædit quidem presbyteri jurisdictionem, sed non arrogat sibi munus, quod nemo valeat exercere nisi constitutus in Ordine superiori. IV. Communis est regula canones in odiosis restringendos esse, non ampliandos. Ob hæc momenta ita priori sententiæ adhæreo, ut postremam, quam tenet Franciscus Henno disp. 3. de Bapt. q. 3. non ausim censorie nota configere.

Prop. III. In casu necessitatis quilibet homo, etiam laicus, potest absque solemni ritu administrare baptismum.

Dixi absque *solemni ritu*, quoniam ceremoniarum, solemnisque ministerii apparatus ad casum necessitatis non attinet, ideoque eo uti fas est ministris tantummodo ordinariis. Propositio itaque probatur 1. definitionibus Ecclesiasticis. Eliberitanum Concilium can. 38. decernit, *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate*. Hoc canone affirmari laicum valide, si compellat necessitas, baptizare, perspicuum est. Sola emergit difficultas, cur canon excipiat bigamum, & qui baptisma integrum non perceperit: de quo miratur Petavius in suis ad Epiphanium notis scribens pag. 341. *Ergo ne a bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?* Sed animadvertendum, canonem esse accipiendum, *si plures adsint*: quo in casu decens admodum & congruum est, ut potius baptizatus, quam paganus, & potius agamus, quam bigamus tingat: quod observarunt ante recentiores Theologos in notis ad prælaudatum canonem Ferd. Mendoza, & Gabriel Albaspinæus. Gelasius Papa in præcit. Epist. ad Episcopos per Lucaniam & Brutios constitutos, *Quod*, inquit, idest baptizare, *& laicis Christianis facere plerumque conceditur*. In Concilio Lateran. IV. cap. *Firmiter*, de summa Trinit. §. *Una vero*: habetur: *Sacramentum baptismi a quocumque rite collatum proficit ad salutem*. Concilium Florentinum in Instruct. Armenorum: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare potest*. Idem definitur cap. *Quod quodam*, Causa 1. q. 1. num. 97. *Ad limina*, XXX. q. 1. nu. 7. cap. *Sanctum*, de Consecrat. dist. IV. nu. 36. Deinde probatur propositio veterum testimonio. Tertullianus de Baptismo cap. XVII. ait: *Baptismus, æque Dei census, ab omnibus exerceri potest*; & postquam commonefecit, ut laici absque verecundia & modestia id muneris coram Episcopo adsumant, *Sufficiat* (inquit) *in necessitatibus ut utaris; sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit*. Addit subinde rationem, quam Theologi omnes insinuant, petitam ex summa baptismi necessitate, *Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis; quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare quod libere potuit*. S. Pater Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. *Si laicus*, ait, *aliqua pereunti dederit* (baptismum) *necessitate compulsus, quod cum ipse acceperit dandum esse addidicit: nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum*. Certe Gerardus Vossius disp. XI. th. VII. ait Augustino hoc in loco non videri adeo certum, quid fieri conveniat, scilicet, an repetendum sit baptisma in necessitate a laico collatum. At Vossius fallitur, non enim S. Pater hæsitat de validitate baptismi, sed an impietatis damnanda sit opinio contraria; nam subjectis verbis legitimum appellat baptismum laici, etiam extra necessitatem, *Quamvis recte dici possit illicite datum*, ob alieni juris usurpationem; concludit vero, *Si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est*. In libro quoque VII. de Baptismo cap. LIII. num. 102. asserit verum esse baptismum, *ubicumque, & a quibuscunque verbis Evangelicis consecratum*. Prætermitto Isidorum lib. 2. de divinis Offic. cap. 24. Walafridum Strabonem cap. 26. & Catechismum Romanum P. 2. cap. 2. num. 24. Probatur denique propositio hæreticorum ipsorum consensione. Calvinus enim lib. IV. Instit. cap. XV. §. 20. fatetur, *ab ipsa fere Ecclesiæ exordio usu receptum, ut in periculo mortis laici baptizarent; quamvis* temere subjiciat; *Non video qua firma ratione defendi possit*. De Anglicana Ecclesia scribit Isaac Casaubonus in Resp. ad Cardin. Perronium: *Laicorum vero baptismum, aut feminarum, ut fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, baptismum esse pronuntians, etsi non legitime administratum*. Similiter Georgius Abbas in Prælect. Oxoniensibus laudatus a Vossio: *Male igitur factum est si laicus; pejus factum, si femina rem sacrosanctam hanc attigerit: sed factum est, & quod factum est, infectum esse non potest*. Neque enim a nobis negatur laicos illicite baptizare, si præsto sit Presbyter, aut Diaconus.

Op. Nunquam laicis baptizare licitum infertur ex Scriptura, ex Patribus, ex ratione. Etenim Matth. ult. Christus Dominus solis Apostolis baptizandi contulit potestatem, dicens, *Euntes docete, &c.* quibus verbis constat mandatum, ut baptizarent, ordinariis tantum verbi ministris. Auctor Constit. Apostol. lib. III. cap. 10. hæc habet, *Sed neque laicos concedimus aliquod Sacerdotale munus exercere, veluti sacrificium, baptismum, manuum impositionem*: id vero attentanti minatur *τὴν τοῦ Ὀζία τιμωρίαν*, *Oziæ pœnam*. Et S. Basilius in Epist. ad Amphiloch. can. 1. reprobans baptisma hæreticorum, ait tinctos ab his, repurgendos, *veluti a laicis baptizatos*, *ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους*. Primum objecit Calvinus loco cit. Hæc duo autem testimonia inculcat Gerardus Vossius disp. XI. n. 3. & 9. Addamus depromptam ex historia rationem. Diximus prop. 1. absentibus Pastoribus infantes sine baptismate periisse, ideoque Gregorium Ma-

gnum lib. I. epist. 33. rogasse Exarchum Ravennatem, ut dimitteret Hortensem Episcopum Blondum. Etiam S. P. Augustinus Epist. ad Honoratum 180. nunc 228. num. 8. hortabatur ministros, ne fugam arriperent in persecutione Vandalica, eo quod magnus tunc fieret in Ecclesia concursus, *aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem &c.* Cur hæc inculcare, si urgente necessitate baptizare possint & laici?

Resp. Nihil ex his erui, nisi Apostolos esse baptismi, ac prædicationis ordinarios, principesque ministros, & qui expectare non debeant antistitum jussa: nam præterquamquod in exponendis scripturis debemus attendere Ecclesiæ judicium, ac traditionem majorum, constat ex Actis Apost. etiam Philippum Diaconum administrasse baptismum Eunucho, & Ananiam Paulo. Scio respondere Calvinistas, etiam Philippum ac Ananiam fuisse *verbi ministros*. At ex hac responsione subinfero, Diaconos, qualis erat Philippus, ex delegatione, posse solemni ritu & baptizare & prædicare, ideoque Christi mandatum Matth. ult. non ita spectare Apostolos, ut nequeat alios comprehendere. Dicent, si de Diaconis sermo sit, nec hæreticus diffitetur. Verum & in casu necessitatis, domi saltem, laici docere possunt, ex priori ad Corinth. XIV. 35. Similiter ergo privatim baptizare non prohibentur. Auctor Constitutionum Apost. loquitur de baptismo solemni, & extra necessitatem dato: perstringit enim laicos, qui munera Sacerdotalia, exemplo Core Num. 16. & regis Oziæ 2. Paralip. 26. usurpabant, ut constat legenti præcitatum cap. X. & ultimum lib. VIII. Hoc loco videtur etiam negari Ananiam, qui baptizavit Paulum, fuisse Diaconum, quamquam oppositum censet Œcumenius in Act. IX. Videsis canonem XVI. Nicephori Confessoris in Jure Græco-Rom. & LI. apud Glycam p. 3. Annalium, necnon Cotelerium in notis ad PP. Apost. I. Volum. pag. 282. De mente Basilii pertractandum infra: sufficit modo, si dicamus in eadem ad Amphilochium Epistola definiri, *Quod oporteat consuetudine uti, & sequi patres, qui quæ ad nos pertinent providerunt*, Tom. 2. pag. 759. Postrema ratio nil probat: nam nisi adsit Episcopus, error & ignorantia invalescunt, sicut lupi grassantur, dum pastor dormitat: atque id præsertim sua ætate Augustinus & Gregorius exaggerabant, quando laici spe sanitatis decepti differebant baptismum, maximaque propriæ, & alienæ salutis torpebant negligentia. Vide quæ adversus Gussanvillæum PP. S. Mauri adnotarunt ad Epistolam illam Gregorianam.

PROP. IV. Et mulieres valide in necessitate baptizant.

Sequitur ex dictis, eadem enim mulierum & laicorum est ratio. Decretum etiam Concilii Florentini comprehendit mulieres: similiter & Lateranensis IV. Idem definit Urbanus Papa II. in Epistola ad Vitalem Brixiensem presbyterum, ut patet ex cap. *Super quibus*, Causa XXX. q. 3. num. 4. Probat insuper dandum baptisma, etiamsi nullus adsit præter feminas, argumentum supra ex ejus necessitate depromptum. Præterea Patres indiscriminatim pertractantes de laicis, legitimumque pronuntiantes baptismum *a quocunque* verbis Evangelicis consecratum, mulieres nequaquam excludunt. Non aliter sentiunt Græci Orthodoxi, ut ex præcitato canone XVI. Nicephori, & ex Hieremia Patriarcha Constantinop. cap. VII. suæ Centuriæ, demonstrat lib. I. Concordiæ cap. 10. Arcudius.

Bellarminus de Bapt. cap. VII. probat hanc assertionem exemplo Sephoræ, quæ Exodi IV. filium suum circumcidit, atque idem exemplum strenue vindicat a Calvini commentationibus. Responderunt postea Bellarmino Georgius Abbas quæst. 2. Oxoniensi, & Vossius disp. X. th. 4. nusquam in vet. testamento, nec in Philone, aut Josepho legi, utrum voluerit Deus fieri circumcisionem per Sacerdotem, aut patremfamilias, per feminam ne, an marem. Etiam Serrius ex Catholicis Exercit. XXXIII. existimavit puerum Jesum non circumcisum a Sacerdote, ejusdem Sephoræ exemplo non prætermisso. Addunt Sephoram peccasse, nec factum ejus esse pro exemplo afferendum. Hæc tamen argumentum Bellarmini minime enervant, tametsi quæ attigimus sint validiora. Etenim dato quod ministerium circumcisionis fuerit laicale, (quod non opus est in præsentia discutere,) circumcisio tamen per Sephoram facta repeti non poterat, & figura erat baptismi, qui semel datus nequit reiterari, ut inquit Augustinus Epistola ad Maximinum Donatistam 203. nunc 23. num. 4. & lib. 2. contra lit. Petil. cap. 72. Igitur nec reiterandus est baptismus a muliere collatus; ideoque est validus. Deinde quæ olim circumcisionis, eadem nunc baptismatis est necessitas. Ad hæc non sola Sephora filium circumcidit; verum etiam id præstiterunt piæ mulieres, de quibus in 1. Machab. I. 63. & in 2. libro VI. 10. Nec est, cur dicant hæretici hos libros non esse in canone hebræorum: illos quippe ut Augustinus ait lib. XVIII. de Civit. Dei cap. 36. *Ecclesia pro canonicis habet*.

Oppones: Mulierum baptismum damnat Tertullianus de Baptismo cap. 17. scribens: *Petulantia autem mulierum, quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet*. Et in libro de Virginibus velandis cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, &c.* Et de Præscript. cap. 41. *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere*. Epiphanius h. 42. num. 4. pag. 305. damnat Marcionem, quod mulierculis tribueret, *ἐπιτροπὴν βάπτισμα διδόναι*, *permissionem baptizandi*: & h. 49. num. 2. pag. 48. eumdem errorem redarguit in Peputianis, sive Quintillianis: quod & notavit hæresi 27. Augustinus. Idem Epiphanius hæresi LXXIX. num. 3. de beata Virgine inquit, *ἀλλ' οὐδὲ βάπτισμα διδόναι πεπίστευται*, *Sed nec baptisma dare ei concreditum est*: quod repetit infra num. 7. S. Joannes quoque Chrysostomus hom. de sanctis Bernice, & Prosdoce, quæ extat Tom. I. edit. Com. pag. 640. descripto *baptismi nomine* sanctarum Virginum martyrio, post hæc verba, *ἐβάπτισεν δὲ αὐτὰς ἡ μήτηρ*. *Baptizavit autem illas mater*, (Domnina scilicet, quæ filias aqua necatas Deo obtulit,) statim addit, *τί λέγεις; γυνὴ βαπτίζει; Quid ais? mulier baptizat?* ostendens his verbis feminam posse quidem mysticum celebrare baptismum, at non verum. Demum Concilium Carthaginense IV. celebratum anno 398. canone 100. inquit: *Mulier baptizare non præsumat*. Adverte Bellarminum cit. cap. 7. respondere ipsum Concilium excipere casum necessitatis, quoniam Petrus Lombardus in IV. sent. dist. 6. & Gratianus cap. *Mulier*, de Consecrat. dist. IV. num. 20. addunt clausulam, *nisi necessitate cogente*; sed posteriores hæretici observarunt hanc clausulam in nullis Conciliorum libris reperiri: atque ita esse liquet ex collectione Labbei Tom. II. pag. 1207.

Resp. hic tantummodo evinci feminas baptizare non posse in Ecclesiæ conventu, solemni ritu, extra necessitatem, & si virorum adsit copia. Manifestum id est præcitatos auctores legenti. Tertullianum perstringere *petulantiam mulierum*, quæ ex fabula Teclæ munia presbyterorum obibant, quales erant Quinctilla, & Priscilla, tam apertum est, ut negare non audeat Vossius disp. XI. th. 10. Grotius in dissert. de administrat. Cœnæ, ubi non sunt pastores, Tom. IV. pag. 509. ait Tertullianum agere adversus mulieres, *quæ in hæreticorum parasynagogis publice docebant populum*, &, si videtur Tertullianus sensisse, nec privatim baptizare licitum feminis, restringendum id esse ad circumstantiam, ubi adsint viri. Didicimus ex Apostolo 1. ad Corinth. XIV. turpe esse mulierem loqui *in Ecclesia*, quod docere dominii & auctoritatis indicium sit, ex eodem Apost. 1. ad Timoth. II. Vide quæ scripsimus cap. 9. libri XXVIII. Privatim ergo, & nisi vir adest, ut docere, ita baptizare femina potest, ac debet, *Tunc enim* (inquit ipse Tertullianus,) *constantia succurrentis excipitur, cum viget circumstantia periclitantis*. Epiphanius pariter de his loquitur, *apud quos mulieres Episcopi erant, et presbyteri*, *Ἐπίσκοποί τε παρ' αὐτοῖς γυναῖκες, καὶ πρεσβύτεροι γυναῖκες*. Tales erant Peputiani, Cataphryges, Collyridiani, quos & valide refellit, quoniam Mariæ potius, quam Quinctillæ, aut mulierculæ alteri Sacerdotalis dignitas fuisset collata, *οὐ ἱερατεύειν γυναῖκες διὰ προσετάσσοντο, ἢ κανονικόν τι ἐργάζεσθαι ἐν Ἐκκλησίᾳ*, *si Sacerdotio fungi mulieribus mandatum foret, aut canonicum quidpiam præstare in Ecclesia*. Non alia mens Chrysostomi triumphum Bernicis & Prosdocis celebrationi mysteriorum, solemnique sacrificio, personante oratione comparantis. Ad canonem 100. Synodi Carthaginensis nemo, me judice, respondit melius Doctore Aquinate, qui 3. p. q. 67. art. 4. ad 1. ait vetari hoc canone mulieribus ministerium publici, solemnisque baptismi; siquidem præcedenti canone 99. legitur, *Mulier, quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat*. In proximo itaque canone eadem exceptio subintelligitur, *In conventu*; non quam affingit Gratianus, *nisi necessitate cogente*: nam *in conventu*, sive *in Ecclesia*, adsunt Sacerdotes, & viri, nec ulla necessitas compellit feminas baptizare. Ceterum quod ait Gratianus, posse mulierem baptizare, si cogat necessitas, verissimum est, & reliquis sanctionibus comprobatum. Ex hoc canone Carthaginensi refellitur error Attonis Vercellensis, autumantis Diaconissas posse *in conventu Ecclesiæ* alias feminas baptizare: de quo errore Spicilegium Acherianum, & Cotelerius ad caput 9. lib. III. Constit. Apostol. Quid peregerint in feminarum baptismo Diaconissæ, dictum supra in Appendice capitis sexti.

CAPUT XII.

Nonnulla ad praxim spectantia de ministro baptismi quæsita producuntur & explanantur.

Contingere potest, ut in lucem editus infans agat animam, eique sit salvifica unda succurrendum; pluribus autem in puerperæ domo existentibus, clericis, laicis, feminis, inquiremus cui id muneris sit committendum. Extra dubitationem positum est, ordinem dignitatis esse servandum; nec mulieri baptizandum si præsto sit masculus, neque laico si adsit clericus, nec diacono si sacerdos sit præsens. Ita docent cum Hugone Victorino lib. I. Eru-

Erudit. Theologiæ cap. 13. ac S. Thoma 3. p. q. *67.* art. 4. omnes Scholastici. Petitur autem ex dictis superiori cap. aperta ratio; enim vero Augustinus lib. 2. contra Epist. Parm. cap. 13. numer. 29. de laico baptizante inquit: *Nulla cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est*. At si adsit quispiam e cloro, nulla necessitas laicum compellit; ideoque alienum jus temere invadit. Idem dicendum de minori clerico, dum adest superior: administratio siquidem baptismi spectat ad Ecclesiasticam Hierarchiam, in qua dignitatis, quantum fieri potest, servandus est ordo. Mulier quoque id non debet præsumere, quoniam auctore Apostolo in 1. ad Corinth. xi. 3. *caput mulieris vir*: quod & insinuat eo loci Sanctus Thomas. Hæc præscribit Ritnale Romanum de ministro bapt. *Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, nisi pudoris gratia deceat feminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam, & modum baptizandi*. Recte opposita est exceptio pudoris, & ritus cognitio; quoniam *sancte sancte tractanda sunt*, nec Sacramentum exponendum est periculo nullitatis. Id etiam Diana animadvertit p. v. tract. 9. ref. 87. Toletus in Summa lib. 1. cap. 29. Vide & Catechismum Rom. de Sacram. Bapt. num. 25.

II.

Gravior videtur difficultas, an si laicus, vel mulier obstetrix baptizent præsente Clerico in sacris constituto, lethale crimen committant, an veniale duntaxat. Verum si præsens sit presbyter, mortale peccatum patrari, indubitatum est, quoniam ille baptismi minister est *ex officio*, nec fas est cuilibet alienum munus in re gravi usurpare, & violare jus conferendi Sacramenta, tametsi non sequatur contemptus, & Sacerdos præsens consentiat, ut adversus Valentiam, ac Petrum Ledesma tenet illustris JC. Gonzalez in Tit. XXVIII. libri v. Decret. Si vero non adsit Sacerdos, sed Diaconus, aut alius Clericus; laicum, aut feminam baptizantem venialiter tantum peccare, tenent Quintanadvennas, Diana, & præcitatus Gonzalez, necnon Dominicus Soto in IV. dist. IV. art. 2. Sylvius in 3. p. q. *67.* art. 5. & Salmant. tract. 2. cap. IV. Horum argumentum est, quoniam nulli Clericorum, si Sacerdotem excipias, incumbit *ex officio* baptizare, ideoque non violatur in tali casu jus alicujus, nec fit Sacramento notabilis irreverentia. Verum argumentum istud non est, ut putant, firmissimum & palmare: sed videtur falsum in casu necessitatis non devolvi jus baptizandi ad illum, qui ceteris præeminet, nec lædi ordinem Hierarchiæ, jure divino, ac naturali præscriptum. Quare in hoc etiam casu jus violatur alienum, ut tenent Vasquez disp. 147. cap. 5. ex nostris autem Farvacques cap. IV. de Baptismo quæst. VI. Vanroy Tom. IV. cap. IV. de Bapt. quæst. 2. Antonius Guerrero Tract. VII. disput. 2. num. 80. Huic sententiæ, salvo jure alterius, subscribo, maxime quod in rebus ambiguis conscientiæ securitati sit consulendum.

III.

At duo tantum præsentes sunt, obstetrix, & Sacerdos vinculo excommunicationis innodatus; quis horum tinget periclitantem puerulum? Audio Navarrum, Sylvestrum, aliosque bene multos præferendum tali in casu laicum, eo quod Sacerdos excommunicatus Satanæ traditus est, segregatus a communione fidelium, & suspensus ab ordinis exercitio. Quod si opponas Sacerdotem illum in casu necessitatis rite absolvere; reponent disparem esse rationem, propterea quod in nulla necessitate valeat laicus absolutionem impendere. Verum Leander Tract. 2. de Excom. §. 1. & Farvacques laudato in loco putant hos decipi, aut saltem infirmo niti argumento. Siquidem administrare baptismum absque solemni ritu, & impellente necessitate non est *actus ordinis*; alioqui id exequi non posset mulier, nec laicus. Igitur vi excommunicationis, qua Sacerdos arcetur ab exercitio Ordinis sui, non prohibetur baptizare necessitate urgente. Et quidem si tali in casu baptizet; consensu omnium, non fit irregularis, quoniam non exercet actum Ordinis, peragitque quod conceditur laico; ut recte Suarez de Censuris disp. XI. sect. 3. num. 20. & in cap. 1. de Clerico excommunicato Jurisconsulti. Si autem excommunicatione a privatim baptizando prohiberetur; proculdubio ex præcit. cap. 1. fieret irregularis. Non videtur ergo tali in casu denegandum presbytero jus, quod ei tanquam viro competit supra mulierem. Adde jus baptizandi persistere in *charactere* Ordinis, nec constare quod velit Ecclesia illius usum in necessitate quoque prohibitum: nullam vero *ex ordine* habet obstetrix conferendi baptismatis facultatem. Hæc illi. Verum a priori communique sententia arbitror non recedendum. Nam per excommunicationem Ecclesiæ, velut mortuus, a communione fidelium quis separatur, cap. *Per venerabilem*. §. *Sunt autem*, lib. IV. Decret. tit. XVII. num. 13. Atqui mulier in ministerio baptismi præferenda est homini segregato ab Ecclesia. Igitur & presbytero excommunicato. Neque robur habent argumenta contraria: non primum, quia Sacerdos excommunicatus non ut laicus habendus est, sed ut segregatus a communione fidelium: non alterum, quia in privato baptismate non requiritur *character* Sacerdotalis.

IV.

Ut revertamur ad puerum agentem animam, ne pereat decedens absque regenerationis lavacro, ex adstantibus plures eum abluunt baptismi forma prolata: quæritur autem, an Sacramentum perficiant. Respondemus nullum de hac re dubium esse, si materiam singuli adhibeant, pronuntient verba, rectamque habeant intentionem. Quod enim posset opponi, unum, eumdemque effectum non produci a duplici causa totali, locum non habet in hac quæstione; cum ministri baptizantes sint causæ instrumentales, non principes: effectus quoque supernaturalis sit, earumque causarum excedat virtutem. Hinc unum baptismum tunc fieri docent S. Thomas 3. p. qu. *67.* art. *6.* necnon Scotus in IV. dist. *6.* q. 2. & utriusque Scholæ Theologi. Extra controversiam quoque est, si unus prius altero verba proferret, illum duntaxat baptizaturum; eum vero, qui postea pronuntiaret *formam*, patraturum sacrilegium, & tamquam repetentem baptisma fore puniendum.

Quid autem, si adessent duo, quorum uni truncata esset manus, alteri evulsa lingua? Negat ibidem S. Thomas in responsione ad tertium, integrum fore baptismum, quoniam qui verba proferret, ipse non immergeret, nec posset dicere, *te baptizo*, id enim præstaret alter brachia, non linguam habens. Imperite autem, ut credo, Cajetanus recedit hoc in loco a S. Thoma, respondens posse omnes scrupulos vitari adhibita forma Græcorum, *Baptizetur servus Christi*: nam & in hæc forma intelligitur actio ministri. Forte melius Paludanus in IV. dist. 5. ubi ait duos illos homines, elinguem, brachiisque truncatum, unum integrum repræsentaturos, & eum, qui loqueretur propria lingua, manu aliena quidem baptizaturum, sed vicaria. Accedit Paludano Joannes Chapeaville in Tractatu de Sacramentis ministrandis tempore pestis, qu. 20. At non excedunt hæc fines exiguæ probabilitatis: ac tali pacto baptizatum, iterum sub conditione baptizandum esse affirmamus.

V.

Oritur nunc quæstio quinta, num baptismi indigus, non quidem puer expers rationis, sed catechumenus, & adultus, sese prospiciens in mortis periculo, nec ministrum inveniens ullum, baptizare queat semetipsum? Respondemus negative cum Innoc. III. cap. *Debitum*, lib. 3. Decret. tit. XLII. num. 4. ubi rescribit Theodorico Metensi Episcopo, denuo esse baptizandum ab alio, *qui in mortis articulo constitutus in aquam seipsum immersit, dicens, Ego baptizo me in nomine Patris, &c.* quod Pontifex hac ratione demonstrat: *Inter baptizantem debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, Ite, baptizate omnes gentes, &c.* Addit comparationem carnalis generationis, in qua alius est qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur, *& sic*, inquit, *in Sacramentali generatione, qua soboles ex aqua, & Spiritu sancto renascitur, alius debet esse qui generet, & alius qui spiritualiter generetur*. Concludit etiam in baptismo paternitatem & filiationem inveniri, *quibus baptizatus & baptizans ad invicem referantur*. Consentiunt omnes in hac parte Theologi. Neque dicas aliquando etiam laicos propria manu sumpsisse Eucharistiam, viros quidem cava nudaque dextera, & mulieres nitido tecta linteamine, ut constat ex Palladio cap. 143. Cyrillo Hier. Catech. 5. mystag. & Serm. inter Augustinianos de Temp. 252. nunc 229. Ap. num. 5. ex quo depromptæ sunt lectiones Brev. Rom. in festo dedicat. Eccl. Discrimen quippe est maximum inter baptizari & communicare, quemadmodum inter gigni & nutriri.

VI.

Proxima quæstio est, num laicus, quem certum est non posse solemni ritu baptizare, nec privatim necessitate urgente, si presbyteri, vel ministri alii inveniantur, ut dictum est cap. præced., & liquet ex c. *In necessitate*, de Consecrat. dist. 4. num. 21. si audeat solemniter baptizare, quemadmodum gravissime peccat, & alienum munus usurpat; ita & contrahat irregularitatem, cui ex cap. *Si quis baptizaverit*, lib. v. Decret. tit. 28. numer. 1. subjicitur Clericus. In tali casu laicum solemniter baptizantem non fieri irregularem censent Laymanus, Bonacina, Diana, aliique innumeri; quoniam, inquiunt, constat ex titulo agi ibidem *de Clerico non ordinato*, ac præsertim de Diacono, qui non promotus ad presbyteratum rem divinam perageret. Sed revera laicum illum fieri irregularem existimo. Primo quia cum verba per-

spicua sunt, frustra confugitur *ad titulum*: qui num recte adjectus sit, ignoramus. At verba canonis sunt, *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur*: ex quibus verbis constat Hormisdam non loqui tantummodo de Diacono missam celebrante, sed de quocunque non ordinato quodlibet Sacramentum, ac singillatim solemnem baptismum administrante. Atqui, subsumo, laicus tali in casu exercet aliquod divinum, & quod nonnisi ab ordinato potest eo ritu administrari. Igitur laicus abjiciendus est, & tanquam irregularis non est ordinandus. Præterea in Editione Gregoriana adnotatur, haberi in VII. Mss. hunc titulum, *De non ordinato ministrante*, & Glossa: *Nota hic pœnam non ordinati ministrantis*. Cum etiam superiori titulo 27. pertractatum sit de ordinatis, quibus administrare Sacramenta non licet, subnectitur titulus, *De ministrante non ordinato*: ideoque appositus, *De Clerico non ordinato*, ita spectat ad Diaconum celebrantem, aut absolventem, ut non excludat laicum baptizantem. Postremo si laicus solemniter baptizet, fungitur ordine, quem non habet, non minus quam Clericus non ordinatus: quod ergo de Clerico non ordinato, idem de laico judicium est pronuntiandum. Atque ita saniori quidem sententiæ, quam pervulgati Tractatores tradunt Paludanus in IV. dist. 5. Suarez Tom. 3. in 3. p. disp. 3. sect. 4. Sylvius in q. 67. art. 1. Gonzalez in præcit. cap. *Si quis*, aliique percelebres.

VII.

Sequitur quæstio, an recte se gerat Parochus, qui ut salutem infantis in tuto statuat, expectetque patrinum de longinquo venturum, puerum extra necessitatem domi baptizat, perfecturus post adventum patrini rituum solemnitatem in templo. Ad hanc quæstionem respondemus Parochum grave peccatum patrare, nisi agatur de Regum ac principum filiis, ut in Man. cap. 22. n. 7. asseruit Navarrus, q. 8. de Min. baptismi Farvacques, Henno ibid. q. 3. & cum ceteris Canonistis Joan. Petrus Gibert de Bapt. sect. 9. num. 4. Patet ex Clementina lib. III. tit. XV. cap. unico: qua in Viennensi Concilio sub Clem. V. anno 1311. statutum est, *ne quis in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare, qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non præsumant*. Eadem legas cap. 48. Synodi Meldensis celebrati anno 845. Dictum supra cap. VI. p. 2. Clinicos domi baptizatos non fuisse ad Presbyterii gradum promotos, id vetante canone 12. Concilii Neocæsariensis. Et quamquam olim rabie persecutionum furente, nec sacris ædibus constructis, baptizatos invenimus Catechumenos privatis in domibus, in carceribus, & ubique locorum; baptisteriis tamen ædificatis nullibi legimus baptismum extra necessitatem datum privato in loco. Immo ad baptisteria augustissimos reges, eorumque liberos accessisse, tradunt Historici, ut de Theodosio juniore Marcus Gazeus apud Baronium ad annum 401. & de Clodovæo rege, ejusque filio Ingomiro Hincmarus Remensis Archiep. in vita S. Remigii. Ratio quoque postulat, ut quemadmodum suscipiendi baptismatis eadem causa est singulorum; ita omnes publice ad communem matrem Ecclesiam accedant. Atque hinc patet Viennensem Synodum novum potius Regibus contulisse privilegium, quam reliquos recenti lege obstrinxisse, neque ullatenus contemnendam Ritualis Pii V. præceptionem: *Itaque necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizare debet, nisi forte sint Regum aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Cappellis, seu Oratoriis, & in aqua baptismali de more benedicta*.

VIII.

In quæstionem denique venit, quid de baptizantibus sentiendum sit, qui olim a compatribus munera recipiebant, vel collocato super altare puerulo baptizato, vel concha, in quam nummi immitterentur, exposita. Respondemus autem præter universales inhibitiones, quibus indicitur sacris ministris, ne quicquam exigant pro aliqua administratione Sacramentorum, cujusmodi sunt canones Lateranensis Concilii celebrati anno 1179. cap. 9. alterius Later. an. 1216. cap. 42. Burdigelensis an. 1255. cap. 26. aliique innumeri, producti a pertractantibus de Simonia; peculiares haberi canones, distinctaque mandata, ne quidpiam accipiatur in collatione baptismatis. Illiberitanum Concilium anno 315. cap. 4. prohibuit, *ne qui baptizantur, nummos in concham immittant*. Gelasius Papa anno 494. in Epist. ad Episcopos Lucaniæ, cap. 5. *Baptizandis* (inquit) *consignandisque fidelibus sacerdotes pretia nulla præfigant*. Concilium Toletanum XI. anno 675. cap. 8. *Si pro baptizandis* (ait) *pretia qualibet vel præmia voluntarie oblata susceperit Presbyter, tribus mensibus excommunicatione plectatur*. Prætermitto Canonem 5. Concilii Remensis anni 1049. canonem 16. Concilii Rothomagensis anni 1050. Acta Ecclesiæ Mediolanensis P. 1. lib. 2. aliaque plura decreta, quæ legi possunt apud Martenium lib. 1. de Antiquis Ritibus cap. 1. art. XV. num. 6. vel apud Joannem Petrum Gibert de Ecclesiæ Rectoribus Tit. X. cap. V. §. 5.

C A P U T XIII.

De Anabaptismo, sive Rebaptizantium errore, historica theoremata.

PRæmissam de ministro baptismatis dissertationem consequitur altera de *Anabaptismo*, idest, de errore illorum, qui ab hæreticis, vel improbis tinctos iterum baptizarunt. Est enim hæc eadem quæstio, ac si in disputationem veniat, num etiam hæretici & impii administrent validum, ratumque baptisma. De impiis autem universim diximus superiori libro: ideoque agendum hoc in loco de hæreticis, de quorum baptismo tractationem hucusque distulimus, non una causa impellente. Principio enim de baptismo hæc dissidia præsertim efferbuerunt; deinde expresse sess. VII. canone 4. de baptismo dato ab hæreticis sententiam dixit Synodus Tridentina: ac præterea non desunt, qui salva fide negant posse hæreticos quædam sacramenta conficere, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem; quod jam nullus de baptismate pronuntiabit. Hanc ergo sedem præsenti controversiæ haud immerito constituimus. In historiam vero dilucidandam animum initio intendimus; & investigabimus quinam hæreticorum a catholicis tinctos rebaptizarint: posthac quinam catholicorum tinctos ab hæreticis, qua in re viri maximi in judicium trahendi sunt, Tertullianus, Dionysius Alexandrinus, magnus Basilius, ac præsertim Firmilianus ejus prædecessor, ac Cyprianus; nam hos duos ab impacto Rebaptizantium errore vindicat, ut alibi diximus, peracutus & eloquens Italus: tum videndum, qua ratione se gesserit in hac causa Romanus Pontifex Stephanus; ac tandem quomodo gravis hæc controversia finita sit, & quibus terminis circumscripta. Atque his, ut statim aggrediar dissertationem, arbitror lectorum satis attentum reddi, rerumque dicendarum expectatione suspensum.

PROP. I. Permulti hæretici baptismum repetere consueverunt.

Veniunt primo loco Hemerobaptistæ, principio hujus libri commemorati, qui non semel, sed quotidie sese abluebant, & a quibus initium Anabaptismi nonnulli arcessunt: sed puto illos, non Sacramentum certis consecratum verbis, sed lustrationes Pharisaico more iterasse. II. Sequuntur Cælicolæ, quorum sectam Vossius disp. XVIII. de Bapt. appellat *obscuram*, & de qua in Codice Theodosiano tit. VIII. *de Judæis, Cælicolis, & Samaritis*, legitur *Cælicolarum nomen inauditum quodammodo novum crimen superstitionis vindicavit*. At in eodem Codice plura hujus sectæ deprehendo vestigia. Primum ex præcitato titulo, in quo *Cælicolæ* Judæis, Samaritisque junguntur, infero Cælicolas fuisse *Judæos genere*, Mosaicos ritus, & Christianum baptisma simul retinentes; non enim, si generis fuissent alieni, cum Judæis, & Samaritis invenirentur permixti. Eodem insuper titulo, l. 212. de Cælicolis legimus, coegisse quosdam Christianos *fœdum, teterrimumque Judæorum nomen induere*. Præterea idem *Cælicolarum* nomen commonstrat Judæorum progeniem, de qua fuit olim Ethnicorum opinio *cæli* duntaxat *lumen* adorare. Ita Satyra XIV. vates Aquinas, citatus vol. 1. pag. 31. cui addimus Petronium in Catalectis:

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cæli summas advocet auriculas:

quo tamen in loco legerem, *Et cilli summas advocet auriculas*; nam videtur poeta respexisse ad fabulam *de capite Asinino*, explosam eodem volumine primo pag. 32. siquidem κίλλος apud Dores est *asinus*. Opponit Vossius Augustinum scribentem de Donatistis Ep. 165. ad Eleusium, nunc 44. num. 13. *Jam enim miseramus ad Majorem Cælicolarum, quem audiveramus novi apud eos baptismatis institutorem extitisse*. Quomodo, Vossius inquit, Major ac præses Judæorum, Donatistis, qui Christiani erant, potuit accenseri? Sed oppositionem diluunt, quæ habentur l. 44. Cod. Theod. tit. de Hæreticis: *Donatistarum hæreticorum, Judæorumque nova atque inusitata detexit audacia, quod Catholicæ fidei velint Sacramenta turbare*. Hinc intelligimus, Majorem Cælicolam, & Judæum simul cum Donatistis probasse Anabaptismum, atque labefactasse Christiana Sacramenta superstitione Judaica: unde Augustinus illum appellat *novi* apud Donatistas *baptismi institutorem*; quamobrem Cælicolæ uno cum Donatistis

ctitis ab Honorio & Theodosio Augustis anno 408. leg. XLIII. *de hæret.* nominatim proscripti sunt. III. Marcion apud Epiphanium h. XLII. numer. 4. non semel, sed tertio baptismum repetendum asseruit: *nam cum virginem in patria constuprasset, & ingentis flagitii convictus aufugisset, alteram sibi circumforaneus iste baptismum adscivit; licere pronuntians ter omnino aquis elui, ac baptismo peccatorum ad condonationem expiari*, Tom. I. pag. 304. De Marcione plura lib. I. cap. 8. Rebaptizantibus permulti ex Philastrio accensent *Montanistas*; quos tantum mortuos baptizasse idem Philastrius scribit cap. 49. unde Vossius opinionem perstrinxit illam. At cum idem Philastrius cap. 63. scribat: *Montanistæ sunt, qui rebaptizant si quos seduxerint homines*; non illa opinio perstringenda erat, sed explicanda. Montanistæ itaque a Montano dicti, sive Pepuziani a Pepuza Phrygiæ oppido, unde & Cataphryges appellati sunt, rebaptizasse non legimus neque apud Philastrium h. 49. neque apud Epiphanium h. 49. & 50. neque apud Augustinum h. 26. & 27. At fuerunt alii, *Montanistæ* a Philastrio nuncupati, qui re ipsa iterum baptizarunt. IV. Horum nomine intelliguntur Lapsi, qui cum Felicissimo, quem Novatus Diaconum constituerat, & cum Fortunato Carthaginensi, se a S. Cypriano separarunt circa annum CCL. quod contenderent lapsos, modo libellum a martyribus & confessoribus afferrent, statim esse recipiendos, & Cyprianus assereret id adversari Ecclesiasticæ disciplinæ: cumque hi *Libellatici* cum Felicissimo in monte communicarent, *Montanistæ* a Philastrio una cum Donatistis dicuntur. Hi ergo, sicut & Novatiani, ad se confugientes iterum baptizabant; atque eo usque abrepti sunt, ut Ecclesiam, e qua segregati erant, crederent Satanæ conventiculum, nec in ea vera esse Sacramenta, sed pollutiones Sacramentorum, & ceremonias inanes; unde se, suosque talia execrantes, *καθαρούς*, idest, *mundos* appellitabant. Rebaptizarunt deinde hæretici Donatistæ, quorum schisma exortum est anno CCCCII. juxta Valesium, Pagium, & Norisium, cum sedata persecutione ageretur de eligendo in locum Mensurii Episcopi Carthaginensis vita functi Cæciliano: adversus quem steterunt Majorinus domesticus Lucillæ, ac Donatus, a quo Donatistæ, qui sectæ initio dicebantur *Pars Majorini*: unde Augustinus Epist. 68. ad Januarium, nunc 88. ait: *Pars Donati primo apud Carthaginem pars Majorini dicebatur*. An vero Donatistis nomen dederit Donatus Numida a Casis Nigris domesticus Lucillæ, an Donatus, qui Majorino successit, non consentiunt Scriptores. De Donato a Casis Nigris assertorem habeo Augustinum Ep. 185. sive libro de correct. Donatistarum numer. 47. Alterum Donatum sectæ ducem facit Optatus lib. III. adversus Permen. cap. 3. Sed puto facile hanc litem dirimi, neque Optatum adversari Augustino: nam S. Pater de hæresibus num. 69. tradit Donatum Numidam adversus Cæcilianum divisisse Christianam plebem, Donatum vero successorem Majorini hæresim eloquentia sua confirmasse. De his ergo Donatistis inquit ibidem Sanctus Pater: *Audent & rebaptizare Catholicos*, nec male illos appellavit Philastrius *Montanistas*: quamvis de Philastrio attendi debeat ejusdem Augustini judicium in priori Epistola ad Quodvultdeum, nunc CCXXII. numer. 2. Enimvero Donatiani dicuntur *Montenses* ab Optato lib. 2. cap. 4. & a Hieronymo in Chronico ad an. 36. & in fine Dialogi adversus Luciferianos, nec non ab Augustino lib. de Unit. Eccles. cap. 3. & ep. 53. olim 165. num. 2. quibus in locis invenies etiam dictos *Campitas*, *Rupitanos*, *Cutzupitas*: quoniam exemplo antiquioris sectæ sub Felicissimo, in montibus, rupibusque coadunabantur. V. Ad hæc Catholicos ad se transeuntes rebaptizarunt Ariani: de quibus S. Pater h. 49. *Rebaptizari quoque ab Arianis Catholicos novimus: utrum & non Catholicos, nescio*. Vide & Ambrosium de Tradendis Basilicis, sive sermone contra Auxentium Arianum, numer. 37. De Eunomio insuper scribit Epiphanius h. 76. numer. 6. pag. 992. *Iterum baptizat Eunomius, non modo qui a Catholicis, aut aliis hæresibus, sed eos etiam, qui ab ipsismet Arianis deficiunt*. VI. Rebaptizant denique Anabaptistæ, perditissimi hæretici, vates mendacissimi, hominumque propudia. Horum caput fuit Nicolaus Pelargus, qui anno 1521. fretus opera Carolostadii, & Munceri sectam primus instituit Wittembergæ. Tum eam excitavit Tiguri in Helvetia Georgius quidem a Conrado Grebe rebaptizatus. Illinc a Zuinglianis expulsi Zollicæ quinto a Tigurina urbe lapide se receperunt. Post Tigurinum colloquium an. 1525. inde etiam edicto Senatus fuerunt ejecti. Anno 1530. regem creare Augustæ ausi sunt, Augustinum Veder, forcipibus propterea laceratum, plexumque capite: & tamen adeo pestis grassata est, ut circa hæc tempora in una Moravia septuaginta Anabaptistarum millia numerata fuerint. At de his plura in Historia Anabaptistica Arnoldus Meshovius.

PROP. II. A Catholicis rebaptizandos hæreticos nonnulli Veterum tradiderunt, inter quos secundo sæculo desinente Agrippinus Carthaginensis Episcopus, ejusque gentilitius Tertullianus.

Recte Epiphanius in libro, quem inscripsit Brevem Catholicæ, Apostolicæ fidei Expositionem, num. XIII. ait: *Etiam alii ex Catholicorum partibus, præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra generalis Concilii decretum ab hæreticis ad suas partes transeuntes iterum baptizant*. Hos inter commemorandum Agrippinum Carthaginensem Episcopum, satis constat. Cyprianus enim epist. 71. ad Quintum, ubi nititur ostendere baptismum hæreticorum irritum esse, inquit: *Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir, cum ceteris Coepiscopis, qui eo tempore in provincia Africa, & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit*. Et Epist. 73. ad Jubajanum, *Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint*. Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. VIII. num. 13. excusans Cyprianum ait: *Quam tamen consuetudinem, nisi prior ante Agrippinus, & nonnulli per Africam Coepiscopi ejus etiam per Concilii sententias deferre tentavissent, non auderet iste saltem ratiocinari adversus eam*. Similia lib. III. cap. 12. num. 17. & lib. IV. cap. 6. num. 8. Sanctus Vincentius Lirinensis in Commonitorio num. 9. pag. postremæ edit. Rom. 17. hæc habet: *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem & instituta majorum, rebaptizandum esse censebat*.

Eamdem fuisse mentem Tertulliani demonstrant quæ sequuntur. Libro de Baptismo cap. 15. ait: *Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet: ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis*. Recentiores post Dupinium in Geographia sacra Africæ, quæ præmittitur Op. Optati pag. XXX., contendunt Tertullianum his verbis, *Ad nos enim editum est*, respexisse ad Concilium Agrippini, quod proinde coactum putant ante annum 200. non 215. cui illud affigit Harduinus. At obscurissima sunt verba illa Tertulliani, ut notavit Pamelius, ac forte hunc sensum reddunt, *Sicuti vera fides, ita verus baptismus nobis commissus est, non hæreticis*: hæc quippe interpretatio nostra periodo illi, ac sententiæ cohæret; nec exposuit alia ratione Carolus Morean, scribens, *Ad nos editum, nobis traditum*. Itaque Joannes Salinas, vir alioqui doctus, haud invicta in notis ad S. Vincentii Commonit. Harduinum refellit. Ante annum Christi 215. aut secundum Baronium 217. edictis Imperatorum, Christianorum conventus fuerant prohibiti: unde hoc tantum anno ab Africanis actum de rebaptizandis hæreticis tenent cum Harduino Baronius ad annum 217. num. 2. Vossius disp. 19. de Baptismo, & Pagius ad an. 215. ex quorum sententia infertur non a Tertulliano commemoratum Agrippini decretum, sed potius a Tertulliano Agrippinum in errorem inductum: quod Baronius animadvertit proximo num. 5. Ut ad Tertullianum revertatur oratio; tradidit eumdem errorem de Pudicitia cap. 19. scribens: *Apud nos ut Ethnico par, immo & super Ethnicum hæreticus, etiam per baptisma veritatis utroque homine purgatus admittitur*. Ubi nostrum appellat *baptisma veritatis*, quod ejus sententia apud hæreticos *falsum* sit. Etiam de Præscrip. cap. 12. *Nemo* (inquit) *ab eo illuminatur, a quo contenebratur*: quo in loco *illuminationem* dici baptismum quidam docti arbitrantur; cum tamen Tertulliani verba, ut alia permulta, subobscura sint, & commode queant accipi pro doctrina. Baptismum quidem *illuminationem* appellari, manifestum est ex libri hujus initio.

Ex his constat Eusebium, ubi libro VII. H. Eccl. cap. 3. ait: *πρῶτος τῶν τότε Κυπριανὸς τῆς κατὰ Καρχηδόνα παροικίας ποιμὴν, οὐκ ἄλλως ἢ διὰ λουτροῦ πρότερον τῆς πλάνης ἀνακαθηραμένους προσίεσθαι δεῖν ἡγεῖτο*, *Primus omnium Cyprianus, qui tum temporis Carthaginensem regebat Ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore prius emundatos, admittendos esse censuit*; & Nicephorum idem scribentem lib. VI. cap. 7. non ita esse accipiendos, quasi Cyprianus *primus hujus sententiæ auctor fuerit*, cum ipse Agrippinum & Ecclesiæ suæ traditionem laudaverit; sed quod Cypriani præsertim auctoritate, & occasione dissidii cum Stephano exorti, tum primum Rebaptizantium opinio evaserit celeberrima, Afrorumque præsertim Ecclesias turbaverit. Addo adverbium τότε in textu Eusebii conjungendum cum articulo præcedenti, ita, ut sensus sit, *Cyprianus primus inter homines ejus ætatis*, ut vertit Christophorsonus pag. edit. Colon. 155. non ut supra recitavimus ex Valesio: unde nonnulli, inter quos Joannes Cestrensis in Annalib. Cyprianicis ad an. 256. num 6. demonstrant apertissime falli Valesium, & Joannem Gerardum Vossium, qui putant Eusebium fuisse deceptum: quem in scopulum impegisse video & Juenium q. VI. de Baptism. cap. 2. art. 3. Facile errant, qui emendandos putant antiquiores, summosque viros.

PROP. III. Rebaptizandos hæreticos tertio labente sæculo propugnarunt Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episco-

Episcopus, & Cyprianus Episcopus Carthaginensis: quorum de hoc argumento Epistolas tanquam genuinas recipimus.

Hanc propositionem nos, ut credimus, omnium primi inserimus Theologicis Dissertationibus, adacti tamen necessitate; siquidem Raymundus Missorius inclyti Ordinis Min. Conv. ut diximus lib. XXIII. cap. 5. expolito & eleganti Opere ab errore Rebaptizantium cum Firmiliano S. Martyrem Cyprianum studuit acerrime vindicare. Hujus quidem universa argumenta discutere instituti nostri ratio non sinit, neque refutandi peracutum Scriptorem gloriam iis eripiemus, qui hanc provinciam subiere: quos inter sunt aliqui, ut fert rumor, quorum elucubrationes jam sub prælo sudant. Interim ergo, dum expectamus aliorum judicium, nostrum citato libro XXIII. elapso jam anno prolatum, confirmabimus; frustra enim proxima asserta subjicerentur, si Firmiliani & Cypriani de Rebaptizandis Epistolæ spuriæ essent, neque hi duo doctrina, ac sanctitate percelebres revera stetissent adversus Stephanum. Aliter ergo rem sa habere, ac Missorius contendit, de Firmiliano primum asserimus his momentis subnixi. I. Firmiliani Epistolam inter Cyprianicas LXXV. rebaptizantium continere errorem, & adversus Stephani sententiam esse conscriptam, nemo in dubium revocat: Atqui eam Epistolam genuinum fœtum esse Firmiliani evidentissimum est. Igitur Firmilianus adversus Stephanum adhæsit Rebaptizantium errori. Prob. min. Quamquam hæc Epistola in editione Manutii sit prætermisse; atque hinc oriri posset aliqua suspicio suppositionis: nihilo tamen minus in curas suspicio hæc evanescit, si animadvertatur reperiri in vetustissimis codicibus, quos vidit Pamelius, in Anglicano, Affligiensi, Blandino, Marchiano, Dunensi, & Cauchiano. In his autem codicibus haberi testetur Nicolaus Rigaltius pag. prioris editionis suæ Op. Cypriani 144. Addit ipse Rigaltius extare hanc Epistolam in Regio Codice sub num. CCCV. Joannes quoque Oxoniensis in editione sua Bremæ pag. 217. testatur e se repertam in septem antiquissimis Mss. quorum ipsi copia facta est: cum decem aliis contulit Editor Benedictinus. Habetur etiam in Ms. Angelicæ Bibliothecæ, quem ex vetustiori, sedente Nicolao V., exaravit Hieronymus Pistoriensis. Cur autem hæc Epistola desideretur in editione Manutiana, culpam in se transfert Latinus Latinius scribens pag. 177. Bibl. Sacræ: *Ego Latinus omisi, non Manutius; cum majorum exempla secutus, tum hominis petulantiam detestatus*. Hinc merito typis cusam habes a Pamelio, insertamque editionibus Morelli, Rigaltii, Joannis Oxoniensis, Baluzii, ac PP. S. Mauri. Abjudicare ergo hanc Epistolam Firmiliano, est detrahere vetustissimorum codicum, qui hac in re sunt *prora & puppis*, auctoritati. II. Percipere nequit Missorius quomodo hæc Epistola Romanum Pontificem aceto perfundens, & inhumanitatis redarguens prodierit a Firmiliano præclaro Antistite, ac sanctitate conspicuo. Absit, ut nos derogemus meritis Firmiliani. Haud ignoramus quam honeste de tali viro loquantur apud Eusebium PP. 2. Concilii Antiocheni, & Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis: scimus quoque Firmiliani nomen inscriptum die 26. Octobris Menologiis Græcorum. At non id sat est ad amandandam hanc Epistolam inter spurias. Videbatur quippe Firmiliano, nondum veritate eliquata, rebaptizantium opinio innixa traditioni, certa, aut saltem probabilior, præsertim quod accepisset propugnari a Cypriano tanti nominis viro; atque ægre proinde ferebat, injuste (ut falso opinabatur) sibi velle Romanum Pontificem indicere anathematis pœnam. Nec unum occurrit exemplum, in quo eximios viros ad contentiosas epistolas conscribendas, librosque amariori stylo exarandos, imaginariæ veritatis impulit studium. Omitto quæ Theophilus Alexandrinus, & Epiphanius Cypri Episcopus adversus virum incomparabilem Joannem Chrysostomum attentarunt: quæ adversus Cyrillum edidit Theodoretus: quæ ad Augustinum conscripsit Hieronymus: quæ in trium Capitulorum Oppugnatores Facundus Hermianensis: quæ in prædicatores Gratiæ Vincentius Lirinensis, aliaque id genus sexcenta, ex quibus deprehendimus magnorum virorum aut in aliis reprehendendis libertatem, aut acrimoniam in sugillandis. Sat enim est, si ad mentem revocemus Asianorum Patrum, præsertim Polycratis Ephesini, necnon Præsulum Galliæ, ac in primis S. Irenæi, acerrime cum Victore Papa de die Paschatis celebrandi dissidia: videtur quippe causa causæ consimilis; nam Victor Quartadecimanis, Stephanus Rebaptizantibus excommunicationem comminatus est, ac tam Rebaptizantes, quam celebrantes Pasche luna Martii XIV. putabant se pro antiquo more, & Ecclesiarum suarum disciplina certare. Si autem una alteri causæ est præferenda, profecto Tesseradecitarum majori contentione, animisque pervicacioribus fuit agitata. Quod ergo afferri potest in tot Episcoporum excusationem, id plurimum valet ad excusandum Firmilianum: & si contendas nulla ratione posse excusari, malo credere culpam pœnitentia expiasse, quam detrahere nominis ejus celebritati. III. Firmilianum fuisse inter Rebaptizantes, atque ea de causa voluisse Stephanum in illum pœne excommunicationis animadvertere, testatur Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VII. Hist. Eccl. cap. 5. pag. edit. Valesii 252. Dionysii hæc de Stephano verba sunt: ἐπεστάλκει μὲν οὖν πρότερον καὶ περὶ Ἑλένου, καὶ περὶ Φιρμιλιανοῦ, καὶ πάντων τῶν τε ἀπὸ τῆς Κιλικίας, καὶ Καππαδοκίας, καὶ Γαλατίας, καὶ πάντων τῶν ἑξῆς ὁμορούντων ἐθνῶν, ὡς οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην αἰτίαν ἐπειδὴ τοὺς αἱρετικοὺς (φησὶν) ἀναβαπτίζουσι: *Antea quidem literas scripserat de Heleno, & Firmiliano, de omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, Galatiam, cunctasque finitimas provincias constitutis, se ob eam causam ab eorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent*. En aperte Dionysius, & ex illo Eusebius, quorum silentium objectat vindex Firmiliani, tradunt huic Rebaptizantium maculam insedisse; nec scribunt tantum a Stephano nominatum cum Heleno Firmilianum, quod præter ceteros fuerint Antistites maximi nominis; sed insuper manifeste, nullaque sermonis ambiguitate dicunt voluisse Stephanum in illos intorquere anathema, quod Rebaptizantibus adhærerent. Atque de hoc maxime conqueritur cum Cypriano in sua Epistola Cæsareensis Episcopus. IV. Cuinam de mente Firmiliani assensum potius præbeamus, quam magno Basilio ejusdem urbis Episcopo, ac tanta literarum gloria percelebri? Is quidem Epistola I. Canonica ad Amphilochium Tom. 2. pag. edit. Morell. 759. postquam scripserat rebaptizandos omnium sententia Montanistas, qui tingebant in Patrem, Filium, Montanum, atque Priscillam, ait videri sibi rebaptizandos omnes promiscue hæreticos, ut visum olim Cypriano, ac prædecessori suo Firmiliano: *Verum enim vero* (inquit) *antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes uno calculo subjicere*, πλὴν ἀλλ' ἔδοξε τοῖς ἀρχαίοις, τοῖς περὶ Κυπριανὸν λέγω, καὶ Φιρμιλιανὸν τὸν ἡμέτερον, τούτους πάντας μιᾷ ψήφῳ ὑποβάλλειν. V. Cum ex tam illustri testimonio, accedente etiam prælaudata Epistola Dionysii, constet Firmilianum, Cyprianumque in dogmate rebaptizantium conspirasse, nec ulla spongia attributus sanctissimis viris error abstergitur; nec inverisimile est Cyprianum per literas Cæsareensem Episcopum consuluisse: nec qui probe noverit, quam vehementi stylo pugnarunt veteres pro Ecclesiarum suarum disciplina, mirabitur Firmilianum adversus decreta Stephani excanduisse: nec demum ob frivolas conjecturas quantumvis pompa verborum & rhetorico pigmento illitas vetustissimorum codicum, quos tineis, blattisque excussis pervolutarunt viri laborum patientissimi, despiciet fidem, ac deludet auctoritatem.

Opponit vir eruditissimus: Firmilianus in Epistola ei supposita non tantum in virum sanctissimum, innoxium, nemini secundum, omnibusque probatum, idest, in Stephanum Romanum Pontificem evomuit horrenda probra, & convicia; verum etiam controversiarum infallibilem Judicem, & universalem Ecclesiæ Pastorem asperrime pertractavit. Ne ergo id asseramus de viro sanctitate clarissimo, epistola, quæ illi morum probitatem & fidem adimit, est inter spurias rejicienda. II. Hujus suppositionis invictum est argumentum profundum silentium Eusebii, Dionysii Alexandrini, Augustini, ipsorumque Donatistarum, qui cum in Carthaginensi Collatione omnem verterent lapidem ut statuerent *Rebaptismum*, minime tamen Firmiliani testimonium in ea disceptatione protulerunt. III. Neque hujus Epistolæ mentionem aliquam factam esse in Concilio III. Carthaginiensi constat ex ejus Actis editis ab Erasmo, & nunc insertis Editioni Cyprianicæ. Cur autem lectæ in eo Concilio fuerunt literæ Jubajani, qui Afrorum sententiæ aut numquam, aut sero, aut frigide adhæsit, & non potius perlectæ literæ Firmiliani, qui ad Xysti usque tempora in ea opinione perstitisset? IV. Totius Rebaptizantium historiæ non injuria architectus videtur signifer Arianæ factionis Eusebius Cæsariensis, qui occasione hæresis Cataphrygum & Paulianistarum omnia permiscuit, universa de Orientalium Afrorumque anabaptismo historia conficta. Neminem quippe latet quomodo Arianos inter ac Donatistas intercesserit necessitudo, & vinculum communionis, ut in Epistola ad Bonifacium 185. & in Colloquio habito cum Fortunio Donatista Epist. 45. tradidit Augustinus. V. Constat Historia Eusebiana plurimum Orientalibus probata in errorem inductum S. Basilium; nam is de baptismo hæreticorum multa narrat minus idonea, & invicem pugnantia: scribit a Dionysio Alexandrino Paulianistarum, & Cataphrygum baptisma fuisse receptum, ac fuisse illum apud Romanam sedem veluti Heleni, & Firmiliani sequestrum, quod aperte exscripsit ex Eusebio lib. VII. cap. 5. Quare perperam testimonium Basilii adversus Firmilianum paullo supra productum est.

His ad hunc modum respondemus. Primo Firmilianus existimabat se pro causæ æquitate pugnare, præsertim acceptis per Rogatianum literis Cypriani, ex quibus etiam Afrorum Episcoporum agnoverat consensionem: unde in priori sententia confirmatus, permotus etiam minis excommunicationis, quam sibi immerito intentari putabat, indignatione accensus convicia jactavit in Stephanum; nec fidem pessumdedit, si judicio Romani Pontifi-

cis

cis ausus est refragari, siqeidem servans Ecclesiarum unisatem sibi decertandum esse putabat pro consuetudine ac disciplina, quam perantiqnam arbitrabatur, hac in re autiquiorum complurium, præsertim Asianorum antistitum, exempla secutus. Respondeo ad secundum, Eusebium, Dionysium, necnon Basilium Magnum asserere Firmiliani *Rebaptismum*, ac deos priores innuere etiam Stephani in Firmilianum, Helenum, aliosque Rebaptizantes indignationem; nnde satis apparet sententia Firmiliani, atque caussa & occasio conscriptæ ad Cyprianum epistolæ. Ex Augustini autem & Donatistarum silentio nil jure inferas. Certo siquidem Augustini ætate vulgata erat Historia Eusebii, qui obiit anno 338. terebantur manibus Opera Basilii, qui decesserat ineunte aeno 379. Poterant ergo disceptantes de *Rebaptismo* Helenum, Firmilianum, ipsum Basilium laudare. Id non fecerunt, quoniam cum Orientales commenicarent cum Africanis, ipsi autem Donatistæ separationem suam pugnacissime tutarentur, dicebant ipsos Orientales suam de Rebaptizandis hæreticis sententiam retractasse, & ideo non cum Donatistis, sed cum Catholicis unitos esse. Quare Augustinus lib. iv. contra Cresconium cap. 17. numer. 20. scribit: *Num quod dicis Orientales ideo vestrorum communione discretos, quia postea nobis consentiendo judicium suum quod habuerunt de baptismo rescindere maluerunt; si hoc ab aliquibus paucis Orientalibus factum est (quod quidem interest utrum possit ostendi) profecto suum judicium correxerunt*. Quo in loco Augustinus dubitat, an Orientales, qui tamen cum Catholicis communicabant, deposuerint suam de *Rebaptismo* sententiam, & ex eorum communione exagitat, oppugnatque schisma Donati; atque ex retractatione sententiæ, quam Donatistæ obtrudebant, horum confodit *anabaptismum*. Nec moror quod prolixe & ornate prosequitur Missorius, non extare literarum Firmiliani Græcum exemplar, nec illas latina toga induisse Cyprianum, cujus summa caritas nequaquam petulantiam Orientalis Episcopi prodidisset: hæc enim neminem cordatum poterunt permovere; quin ex deperdito Græco exemplari, persuasum mihi est, literas Firmiliani non esse Donatistarum vafritie confictas, quippe Græce, non Latine tantum eas fabricassent. Cyprianus vero patrocinium sententiæ suæ in literis Firmiliani duntaxat contuebatur, non acerbitatem verborum, vehementi proinde flagrans caritate, dum coepiscopi consensionem quærebat, espressamque literis, licet duris & concitatis, evulgabat; atque, ut opinor, anathematis, quod minabatur Stephanus, a se, suisque fulmen avertere nitebatur. Ex his autem argumentis ex veterum silentio, conjecturisque petitis, ista potius videntur esse inferenda: Eusebius quidem, quem Missorius putat historiæ Rebaptizantium consarcinatorem mendacissimum, non confinxit literas Firmiliani. Donatistæ usque ad tempora Augustini earumdem non meminerunt, nec ipsi illarum dicendi sunt auctores. Nullus Donatista posterior easdem literas, quæ tandiu delituerunt, in vulgus sparsit, nec solent eximii impostores quæ ad alios decipiendos excogitant, in tenebris sepelire. Novatores, qui ejusmodi literis abutuntur adversus Romani Pontificis auctoritatem, eas non peperisse codices supra viginti ipsis Novatoribus antiquiores commonstrant. Quem ergo suppositarum literarum auctorem, quam figmenti hujus caussam, quem finem, quam ætatem, quodnam commodum profert eloquentissimus adversarius? Sed ad reliqua progrediamur. Tertium Carthaginense Concilium in altera dissertatione pro Cypriano confictum pariter, & repugnans Epochæ Stephani, contendit vir doctus: in eo igitur potuisset posterus Fabricator, Firmilianicæ epistolæ mentionem facere. At Concilium pariter genuinum est, rectæ Chronologiæ non repugnat, nec in illo commemorari potuerunt literæ Firmiliani. Nos Stephanum in summum Pontificem electum asserimus anno 254. Valeriani I. quo anno die 3. Martii obiit Lucius, seditque Stephanus usque ad annum 257. & iv. nonas Augusti Valeriano IV. & Gallieno III. Coss. in propria sede capite truncatus est. Quod perspicuum erit legentibus dissert. 2. Schelestratii cap. 7. Vol. 1. Antiq. Eccl. ac Notas Blanchini, aliorumque Tom. 2. Anastasii pag. 216. Epocham vero Epistolarum Cypriani, & Conciliorum Carthaginensium in caussa Rebaptizantium, hanc statuit Auctor Vitæ Cypriani, Monachus Sancti Mauri accuratius, quam præstiterint Pearsonius, Tillemontius, & alii. Non improbat ille exorsam in Africa controversiam de *Rebaptismo* initio anni 255. Potes illam deducere etiam ab anno superiori, immo & a 253. nam prius inter se Afri decertarunt, quam cum Stephano. Episcopi Numidæ scribentes ad Cyprianum, huic occasionem præbuere sententiam dicendi suam: nam Epistola Cypriani, & aliorum xxx. Episcoporum laudat ipsos Numidas. Hæc Epistola nunc inter Cyprianicas lxx. est Synodica primi Carthaginensis congressus habiti anno 255. aut forte præcedenti. Paullo post Concilium hoc primum scripsit Cyprianus ad Quintum, a quo per Lucianum consultus fuerat quid in Synodo cum ceteris coepiscopis decrevisset: atque hæc est Epistola Cyprianica lxxi. Celebrata deinde anno 255. paullo post primam (si habitam contendas hoc anno) secunda Synodus Carthaginensis Episcoporum lxxi. atque Cyprianus cum aliis lxx. scripserunt ad Stephanum Epistolam inter Cyprianicas lxxii., in qua proinde fit mentio Epistolæ lxxi. ad Quintum, & Synodicæ lxx. ad Numidas. Subsecuta est secundum Concilium Epistola Cypriani ad Jubajanum; nam in ea fit mentio ejusdem Synodi, ad quam Episcopi lxxi. convenerant: : recte iccirco hæc Epistola locata est inter Cyprianicas num. lxxiii. Pervenerunt interea temporis in Africam literæ Stephani, quarum cupidus Pompejus Sabratensis scripsit ad Cyprianum, hic autem Pompejo morem gerens rescripsit Epistolam lxxiv. in qua & Stephanum studuit refellere. At Cyprianus videns adversari sibi Romanum Pontificem scripsit etiam, misitque Rogatianum ad Firmilianum Episcopum Cæsareæ, coegitque Concilium Tertium ex Episcopis lxxxv. Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ. Celebratum est calendis Septembris anno 256. superstite adhuc Stephano; qui anno proximo, ut diximus, martyr occubuit. Pervenit eodem anno, Synodo jam soluta, ad Cyprianum Epistola Firmiliani, n. lxxv. inter Cyprianicas recensita: atque in hac Epistola Cæsareensis auditis iis, quæ rescripserat Stephanus, & fortassis legati amplificaverant, in eumdem Stephanum acuit stylum. Firmiliani vero Epistolam conscriptam anno 256. jandudum docti viri observarunt ex Epocha Alexandri Severi, a cujus obitu præteriisse ibidem dicuntur anni fere xxii. Occisus est autem Alexander die 15. aut 18. Martii anno 235. Scriptam post Concilium iii. a Cypriano Epistolam ad Magnum censent eruditi recentiores, unde positam legimus num. lxxvi. at alii contendunt hanc esse priorem in hac materia, quod nullius Concilii, aut aliarum literarum occurrat in ea vestigium: quare nihil nostra interest hujus Epistolæ Epocham investigare; de qua Pearsonius in Annalibus Cyprianicis, & Pagius ad annum 255. num. x. Apparet ex dictis, cur literarum Firmiliani nulla fiat mentio in tertia Synodo Carthaginensi, & quomodo hæc non pugnet cum Epocha Stephani, ut perperam nititur demonstrare Missorius. Ad quartum hanc tene responsionem. Quidquid sit de fide Eusebii, de qua disserui alio in loco, neqeit dici sine injuria maxima, & aperta falsitate commentor historiæ Rebaptizantium. Quamquam enim Donatistæ captarent Arianorum consuetudinem; Eusebius tamen *Rebaptismum* improbat eodem libro vii. cap. 2. 3. 7. & 9. scribens Stephanum pro antiqua traditione stetisse, ac Dionysium cælesti quoque voce admonitum, opus non esse recipiendis hæreticis iterato baptismate. Neque dicas Eusebium reprobasse Rebaptisma, ægre ferendo tinctos iterum a Catholicis Paulianistas: quantum enim hos adversaretur, apparet ex eodem lib. vii. H. E. cap. 27. immo nec ella affinitas est Arianos inter, ac Samosatenses, sed ex Sirmiensi Synodo laudata Tom. 1. pag. 177. hos inter, & illos eruitur pugna & contentio. Eusebius ergo, sive Arianum dicas, sive Orthodoxum, neque in gratiam Rebaptizantium, neque in gratiam Paulianistarum meentitus est. Quanta insuper aversione Eusebius prosequatur schisma Novati, cujus Donatianum est surculus, constat ex libro vi. cap. 43. & lib. vii. cap. 8. Postremum diluam hoc pacto. Sit Eusebii Historia, fueritque apud omnes magno in pretio, quod me quidem judice promereter; nego ejus lectione deceptum Basilium, qui sane non opus habebat res gestas prædecessorum suorum e scriptis exterorum delibare. Falsus est insuper quisquis ait Basilium scripsisse in i. Can. probatum Dionysio baptisma Paulianistarum. Ait Basilius duntaxat pag. 757. *τὸ δὲ τῶν Πεπουζηνῶν οὐδένα μοι λόγον ἔχειν δοκεῖ. καὶ ἐθαύμασα πῶς κανονικὸν ὄντα τὸν μέγαν Διονύσιον παρῆλθεν. Pepuzenorum autem* (baptismus) *nullam mihi rationem habere videtur: & miratus sum, quomodo hoc magnum Dionysium, qui fuit Canonicus, præterierit*. Dionysius ergo Pepuzenorum, sive Cataphrygum (quorum non una erat secta, ut dicam Prop. ix.) baptisma probavit, non Paulianistarum; quamvis Basilius, qui adhæsit Rebaptizantibus, nitatur eo loci contra Dionysium ostendere idem de omnibus hæreticis, Catharis, Montanistis, aliisque asserendum. Narrat præterea Eusebius Dionysium Alexandrinum, necnon Dionysium & Philemonem presbyteros apud Romanam Sedem egisse, ne Helenus & Firmilianus anathemate mulctarentur, sed hæc in Epistola Basiliana nequaquam leguntur; ideoque non uno commento utitur Missorius, ut probet Basilium deceptum ab Eusebio: quamquam si eadem a Scriptore narrarentur utroque, esset id veritatis fulcimentum, non argumentum erroris. At de Firmiliano quod instituti nostri erat, persolvimus: modo ad Cyprianum convertimur.

Cyprianum itaque accensent Rebaptizantibus, quotquot ad hæc usque tempora floruerunt, immo nec Missorii sententiam secuti sunt qui adversus Bossuetium postremo tempore Romanorum Pontificum propugnaverunt auctoritatem, quamquam illud, si haberet probabilitatis speciem aliquam, ad conterendas oppositiones e Cyprianicis testimoniis depromptas videretur aptissimum. Nec tantum secuti non sunt, ejus tamquam ineptæ fabellæ nec meminerunt cum Joseph-Augustinus Orsi, tum Joseph-Maria

Plati-

Platina, viri ambo literatissimi, & alter quidem ejusdem cum Missorio instituti. Perpaucos nos laudaturi, primas deferemus Eusebio, quem non esse fabulæ architectum diximus paullo supra. Scimus ad Eusebii elevandam auctoritatem reponi, Cyprianum non fuisse Rebaptizantium *omnium primum*, ut inquit Eusebius in editione Valesii, nec etiam *primum ejus ætatis*, ut melius legerunt Christophorsonus & Pearsonus, sed animadvertimus dici *primum* ab Eusebio Cyprianum, quod tunc temporis ejus opera, auctoritate, ac Synodorum celebratione sententia Rebaptizantium evaserit celebrior, & cornua erexerit. Christophorsoni quoque versionem ita probavimus, ut πρῶτος τῶν τότε, non sit nobis *primus ætate*, sed merito, atque doctrina. Addimus modo, Eusebium commemorare subinde epistolas Dionysii, & Synodos ab Orientalibus in causa Rebaptizantium celebratas; unde liquet compertum Eusebio, alios ante Cyprianum pugnasse pro *Rebaptismo*. II. Sequitur Magnus Basilius, quem historia Eusebii non esse deceptum, (præterquamquod nec ipsum Eusebium lapsum, falsumque contendimus,) eximii Doctoris nomen præclarissimum, exquisita eruditio, præmissaque contrariæ suscipionis confutatio probo cuique viro suadebunt. III. Accedit Hieronymus, qui adversus Luciferanos Tom. IV. pag. 303. inquit: *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: & idcirco hæreticorum baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui a beato Petro vicesimus sextus fuit, super hanc rem Africanam Synodum direxit, sed conatus ejus frustra sunt*. Laudat Hieronymus paullo infra Cypriani ad Jubajanum epistolam, innuitque etiam literas ad Pompejum, dum ait suis in Epistolis *lacerare Stephanum Romanæ urbis Episcopum*. Atque hæc nemo dixerit ex Eusebio Hieronymum exscripsisse, quum nullam ille mentionem faciat Africanæ Synodi, neque Cyprianicæ ad Pompejum epistolæ, neque alterius ad Jubajanum. IV. Plurima ex Augustino proferri possunt: nam Cypriani literas laudat lib. I. de Baptismo cap. XVIII. n. 28. Epistolam ad Quintum expendit lib. II. cap. I. num. 2. De literis ad Jubajanum agit eodem libro cap. II. num. 4. & lib. III. cap. II. num. 4. cap. IV. n. 6. cap. XI. n. 16. Epistolam ad Pompejum refellit lib. V. cap. XXIII. n. 31. Vellicat simul literas ad Jubajanum, ad Quintum, & ad Pompejum lib. VI. cap. VII. n. 10. Addit ibidem epistolam, quam Cyprianus scripsit ad Magnum, necnon alteram ad quosdam Collegas, idest, ad Numidas; nec silentio prætetit eodem libro cap. XV. n. 25. epistolam, quæ periit, ad Stephanum. Mitto loca alia quamplurima. VII. Contendit vir doctus Augustinum *facti quæstionem* refugere, ejusque adversus Donatistas disceptationem esse *hypotheticam*, quoniam scilicet facta hypothesi Cyprianum revera illas Epistolas conscripsisse, illarum auctoritate perspicue & valide refutabantur Donatistæ, propterea quod in Epistolis Cyprianicis unitas Ecclesiæ apertissime commendatur. Superstruit autem systema istud *hypotheticum* dubitationi, quam alicubi præfert Augustinus, num revera Cyprianus rebaptizandos hæreticos scripserit, & docuerit. Extant quidem aperta hujus hæsitationis vestigia lib. I. contra Cresconium cap. XXXII. num. 38. lib. II. cap. XXXI. num. 39. & in Epistola ad Vincentium Rogatistam XCIII. num. 38. atque ad Macrobium CVIII. num. 9. Verum hæc dubitatio ad systema illud *hypotheticum* stabiliendum nequaquam sufficit. Dubitat siquidem Augustinus, imo potius ait alios dubitare, tum spectata Donatistarum præsumptione, & mentiendi libidine, tum quod nequeat integritas, atque notitia unius quamlibet illustris Episcopi custodiri, quemadmodum custoditur Scriptura canonica; sed apud ipsum Augustinum tenuissimam esse dubitationem istam argumentationes plures evincunt. Ac prima sit, quod locis numero præcedenti citatis, expendens epistolas Cyprianicas, non ait, *In literis Cypriano attributis*, sive *affictis*, sed, *Extant beati Cypriani in ejus literis magna documenta*: *His verbis beati Cypriani*: *Hoc enim ipse etiam Cyprianus cum ceteris statuit*: *Ad Pompejum etiam scribit Cyprianus*: *Epistolam, quam Jubajano scripsit, illam quam ad Quintum dedit, illam, quam cum quibusdam collegis ad quosdam collegas, illam, quam ad Pompejum*; & alia his consimilia, in quibus aperte Augustinus agnoscit Cyprianum earumdem epistolarum auctorem. Deinde ubi S. Pater excusat Cypriani errorem, non scribit de hoc immerito S. Martyrem insimulari; sed modo inquit, Dominum ei veritatem non aperuisse, *ut ejus pia humilitas & caritas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace pasceret*; ita lib. I. de Bapt. cap. 18. modo non ausurum fuisse ipsum Cyprianum ratiocinari adversus universalem consuetudinem, *nisi prior ante Agrippinus, & nonnulli per Africam Coepiscopi ejus etiam per Concilii sententias deserere tentavissent*; ita lib. 2. de Bapt. cap. 8. modo apparere in Epistolis Cypriani simplicitatem potius, quam duplicitatem, dum ait *admissos sine baptismo in unitatem corporis Christi de divina misericordia mereri indulgentiam, & ab Ecclesiæ muneribus non separari*; ita libro 2. contra Cresconium cap. 33. modo ejus merita usque ad triumphum martyrii consecuta, *ut & caritatis, qua excellebat, luce illa obumbratio fugaretur*; ita in libro de unico Baptismo contra Petilianum cap. 13. Quorsum vero hæc aliaque multa ad elevandum, & excusandum errorem, quem idem Augustinus confictum, nullumque crederet? Præterea Augustinus, dum ait de Cypriano, *Si scripta ejus esse constat*, aut phrasi consimili *hypothetice* loquitur; ad quorumdam potius, quam ad sui ipsius attendit dubitationem: inquit enim ad Vincentium scribens, *Quamquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant*; & ad Macrobium, *Illud Concilium, vel illa scripta, si vere ipsius sunt, & non sicut aliqui putant sub ejus nomine conscripta atque conficta*: sed postmodum sententiam promens suam, ita sanctus Pater loquitur priori loco, *Nos tamen non negamus illud sensisse Cyprianum*; & de Epistola ad Stephanum lib. VI. de Baptis. cap. XV. num. 25. *Nam & ipsum in isto cœtu sacerdotum lectam esse dixit: quod factum omnino non dubito*. V. Idem Augustinus citata ad Vincentium epistola num. 39. duo profert argumenta, ob quæ ipse haud negat Cyprianum adhæsisse Rebaptizantibus: ac primum est, *Quod stilus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci*. Retinet enim cum puritate orationis genium Africanum, ornatus simul est, placidus, ac ratiocinio potens, & est quasi Tertullianici moderamen & expolitio. Interdum quidem variat Scriptorum oratio, nec semper graditur eodem incessu: sed tandem uniuscujusque se prodit indoles & ingenium. Ad hæc ut faciem faciei perraro aliquam, sed singulari & insigni, propriisque delineamentis affectæ prorsus nullam invenimus simillimam, ita stilum stilo nonnunquam reperiemus consimilem: sed talem, qui a peculiari, suisque lineis, notis, figurisque distincto minime secernatur, inventum iri non arbitror. Atque ita a Livio Sallustium, Tullium a Cæsare, Terentium a Plauto, Ovidium ab Horatio, quasi ex forma vultus, Grammatici e stili proprietate plurimum differre cognoscunt. Habent faciem pariter singularem inter Afros Tertullianus, Cyprianus, Optatus, eamque statim discernunt ipsorum lectioni paullulum assueti. Hinc ob stili dissimilitudinem abjudicamus Cypriano Epistolam Celsi ad Vigilium de singularitate Clericorum: ac de libro *de Spectaculis*, qui tamen ad stilum S. Martyris propius accedit, scribit in ejus vita Monachus Benedictinus numer. XXXV. *Inest dissimilitudo, quam uutes legendo Cypriano assueta & contrita facile percipient*. Hanc profecto dissimilitudinem non offendes in epistolis *de Rebaptismo*: quæ, etsi multæ sint, habent nihilominus singulæ *propriam* illam *faciem*, in quam Augustinus conjiciens oculos ait: *Nos tamen duas ob res non negamus illud sensisse Cyprianum: quod & stilus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci*: *& quod* (en Augustini Donatistam alloquentis alterum argumentum) *& quod ibi magis contra vos nostra causa monstretur invictior, vestraque separationis præsumptio, videlicet ne maculaemini peccatis alienis, tota facilitate subvertitur, cum apparet in literis Cypriani communicata esse cum peccatoribus sacramenta, cum admissi sunt in Ecclesiam qui secundum vestram, & sicut vultis, illius sententiam baptismum non habebant*. Hinc ita ratiocinamur: Primo in literis Cyprianicis nullum anathema dictum in approbantes baptisma ab hæreticis datum, immo significatum expresse servandum esse cum illis inviolatum vinculum communionis. Sat est unum illud Cypriani testimonium, *Neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes*: de quo Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 6. alisque in locis. At Donatistæ se a non rebaptizantibus segregabant, illosque adversabantur tanquam nefaria contaminatione pollutos. Ergo Donatistæ Cyprianicas Epistolas minime fabricarunt. Nullus deinde, quantumvis Minervæ pinguis, & ignarus, reprobat hæresis, errorisque sui motivum præcipuum. Atqui causa princeps hæresis, & schismatis Donatiani fuit segregatio a Catholicis, tanquam a peccatoribus & immundis. Igitur nullus Donatista, tametsi ignarus & imprudens, commendare potuit assertam in Epistolis Cyprianicis communionem. Rursus Donatista, quem fingis Epistolarum earumdem artificem, aut vafer erat & callidus, aut imprudens ac stolidus: si primum affirmas, quomodo callidus Donatista probare potuit unitatem Ecclesiarum? si sentis alterum, quomodo stolidus Donatista potuit tam bene Cypriani imitari orationem, sectari virtutem, æquare acumen, nectere ratiocinia, eximiique cujuslibet impostoris non modo explere partes, sed superare? Insuper nullo validiori argumento revinci, ac subverti possunt Donatistæ, quam petito ex epistolis Cyprianicis. Hinc Augustinus septem de Baptismo libros conscripsit, ut exemplo & auctoritate Cypriani contereret ipsorum Donatistarum perversitatem, quemadmodum testatur eodem in Opere a capite ad calcem, necnon in 2. Retract. cap. 18. Adversus igitur semetipsos acerrimi Catholicorum hostes arcem illam, munitissimumque propugnaculum minime construxerunt. VI. Confirmat dicta hactenus Facundus Hermianensis scribens lib. 2. de Tribus Capitulis pag. edit. Sirmondi 428. cap. 3. *Nemo sapiens Ecclesiam tradit hæreticam, quia doctrinam beati Cypriani Carthaginensis Episcopi Martyris laudat; cum ille non solum privatim, ut ei visum est, verum etiam congregata Concilio definierit*, ut

ut omnis hæreticus ad Ecclesiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus a Stephano Antistite Romano restiterit, suamque sententiam scribens ad Pompejum quanta potuit humana argumentatione defenderit. Et contra Macianum pag. 577. *Idcirco beatus quoque Stephanus Præsul Apostolicæ Sedis, cum sanctum Cyprianum, atque alios Afros Episcopos de baptizandis omnibus hæreticis decrevisse cognosceret, quamvis ut dictum est nullo interposito anathemate, neque adversus ulla Concilii generalis antiquiora decreta, aut conniventes hæreticis talem sententiam protulissent; continuo tamen ei denuntiavit, quod si qui hoc auderent, ab Ecclesia pellerentur*. Valde ibidem Hermianensis commendat Augustinum, quoniam auctoritate beati Martyris Cypriani compressit Donatistas, non ex *systemate hypothetico*, quod Missorius miratur nec deprehendisse Norisium in Donatistarum Historia, sed quia cum revera Cyprianus *aliter, quam plures aliarum provinciarum Episcopi de Baptismo saperet, non tamen se, quemadmodum ipsi Donatistæ, ab Ecclesia segregavit*. VII. Ad subvertendam opinionem, quæ inveteravit, ac possessionis jure fruitur, pondus non habent momenta infirma, atque inutilia. Cyprianum vero stetisse pro *rebaptismo* sententia est, quæ Scriptorum omnium insedit animis, Mss. & editorum librorum firmata consensu, probata Historicorum suffragiis, nullumque ante Missorium, vel Tournaminum (cui namque hujus commenti tribuenda sit origo prima, nil ad nos attinet) illam e propria sede ausus est dejicere ac deturbare. Ut ergo merito censeatur illinc delapsa, proferri debent argumenta pondere gravia, rerumque circumstantiis inspectis multas habentia opportunitates. At quæ proferuntur argumentationes, nullius, ut mox ostendam, sunt roboris: nec video cur expediat in illas omnes eloquentiæ nervos, totumque acumen mentis intendere. Nova enim sententia nil ad Cypriani laudem, meritorumque ipsius confert celebritatem; cum in ea potius disceptatione illius caritas in unitate servanda, studium in perquirenda veritate, temperamentum & eruditio in epistolis conscribendis, cura antiquioris disciplinæ tenendæ, eximiæque egregii dotes aliæ magnopere eniteant, & si quid humani lapsus occurrit, id purgatum fuerit falce martyrii, & igne flagrantissimæ dilectionis: quibus rationibus Augustinus jam ostendit novam hanc in Cyprianum devotionem tenuissimis stimulis excitari. Immo, si quod sentio fas est ingenua proferre, quamquam novam istam in Cyprianum devotionem commendo plurimum, pluris tamen beatissimum Martyrem ex hisce epistolis æstimo, in quibus deprehendo tot probitatis, virtutisque argumenta, simulque commoneor, quantum mihi trepidandum sit in sententia aliqua pronuntianda, cum tantorum meritorum virum noluerit Deus justissimo, altissimoque judicio veritatem hanc revelare. Nihil præterea ex nova opinione percipient commodi qui Romanæ Sedis propugnant auctoritatem; quæ enim hoc in dogmate objiciuntur ex Cypriano, a singulis Controversiarum Scriptoribus diluuntur, nec horum aliquis respondit Cypriani epistolas esse confictas; ac si id respondisset, jure persisteret adversarius, contendens nos prorsus devictos & superatos ad inaudita, novaque figmenta confugere. Denique si Cypriano recensitæ epistolæ abjudicandæ sunt, pereunt argumenta, quæ inde erui pro confirmandis Traditionibus dixi libro xxiit. cap. 5. nec arduum erit illa ratiocinandi methodo semel recepta, complura facta, quibus Romanæ Ecclesiæ dogmata fulciuntur, inter hominum commenta rejicere. Saltem hoc sibi promittunt hæretici in Actis Erudit. Lipsiæ an. 1736. pag. 26. ubi non tantum Missorii laudes prosequuntur, (quod factum bene omnique jure fatemur) verum etiam hæsitanter in hæc verba prorumpunt: *Dubitavimus vero, an Auctor applicationes regularum suarum sit admissurus, simul ac Protestantes iis uterentur in dijudicandis factis ab Ecclesia Romana probatis*.

Breviter jam præcipuas adversarii argumentationes expendam. Quarum prima est, nec unum reperiri auctorem qui in adversariis oppugnandis ad systema *hypotheticum* non deflectat: quod præstitisse Augustinum, cui aperta erat Donatistarum astutia & falliloquentia, demonstrat primum hæsitatio, quam pluribus in locis de facto, scriptisque Cypriani significat, tum quod probans rite ab hæreticis conferri baptismum ex Cypriani sententiis & opusculis receptissimis, si Rebaptizantibus sanctum martyrem accensuisset, damnasset eumdem supini erroris, & manifestissimæ *antilogiæ*. Huic argumento responsum est paullo supra. Nunc tantum addimus probare & nos systema *hypotheticum*, quo adversarii ex suppositione ipsorum doctrinæ facilius revincuntur & refutantur, nec denegamus Augustinum in Donatistas Cypriani auctoritatem objicientes, valida ejusdem Cypriani exemplo, & scriptis insurgere. Sed inde insurgit, ideo Donatistas premit: quod Cyprianus *de baptismo aliter sentiens, quam res se habebat, in catholica unitate permansit, illumque nævum in candore sanctæ animæ caritatis ubera contegebant*. Vide libri 1. de Baptismo postrema capita. Et si alicubi anceps est, aut de Epistolis Cyprianicis, aut de Carthaginensi Concilio; dubitat spectata Donatistarum perversitate, & Cypriani sanctimonia; at postquam egregie hanc vindicavit, sensisse Cyprianum hæreticos esse rebaptizandos non negat, & adversus semetipsos illas Epistolas a Donatistis confictas, nequit prudentissimus Augustinus sibimet suadere. Nec propterea Cyprianum arguit *antilogiæ*, quippe nullum, quem invenerim, Cypriani locum profert ex receptis illius Operibus Augustinus, in quo aperte probatur hæreticorum baptismus: quamvis Missorius scribat pag. 281. *Compluribus Cypriani sententiis & receptissimis opusculis literisque collectis probat* (Augustinus) *baptismum rite ab hæreticis conferri*. Producere Augustinum contra Donatistas permulta testimonia Cypriani ad probandam Ecclesiæ unitatem, necnon ad commonstrandam in Ecclesia bonorum, malorumque commixtionem, cum ex Epistolis controversis, tum ex Epistola ad Antonianum, ex altera de lapsis, ex alia de zelo & livore, verum est: plurima, immo unicum afferre testimonium, in quo diserte Cyprianus asserat *baptismum rite conferri ab hæreticis*, id falsum est penitus; abitque inter figmenta reliqua, objecta Cypriani *antilogia* & contradictio.

Petitur secunda objectio ex silentio S. Optati Milevitani, qui scribens adversus Parmenianum libros septem (nam & postremum recipiunt Critici) nullibi mentionem facit Cypriani, quam fecisset utique, si fuisset Rebaptizantium dux & coryphæus. Tanta est autem Optati auctoritas, ut apud ipsos Donatistas promeruerit æstimationem, eumque in Collatione tertiæ diei legi postulaverint. Accedit quod argumentis Optati probantis Majorinum recessisse a cathedra Petri, vel Cypriani, si docuisset is rebaptismum, Donatistæ reposuissent, non Majorinum, sed Cæcilianum recessisse a cathedra Cypriani, cum in eadem de Rebaptismo sententia Majorinus ipse perstitisset. Huic argumento respondendum est ad hunc modum. Pertractans ipse Missorius de auctoritate argumenti negantis pag. 205. recte observat, necessum esse, ut illud vim habeat, prætermissa fuisse ab auctore, quæ neutiquam fuissent prætermittenda, ita causa, quam egit, postulante. Atqui sententia Cypriani de Rebaptismo prætermitti debebat ab Optato: nullam ergo vim habet argumentum a silentio Optati depromptum. Quod sententia Cypriani fuerit ab Optato prætermittenda, demonstro ex eodem Optato, qui libro v. ubi disputat de Baptismo, num. 3. ait: *De hoc Sacramento non leve certamen innatum est, & dubitatur, an post Trinitatem, in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis, Licet: Nos dicimus, Non licet. Inter Licet vestrum, & Licet nostrum nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt Judices: si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est judex. Si paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium. De cælo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cælum, cum habeamus hic in Evangelio Testamentum?* Anne vides Optatum de baptismate disputantem ad sola divina testimonia recurrere, ac prævenire etiam Donatistas, ne aut Cyprianum, aut Orthodoxum alium opponant, ad solum Evangelium provocans adversarios, propterea quod etiam apud Catholicos exorta fuerint hac in parte dissidia? Optatus igitur debebat Cypriani Epistolas, sententiamque alto silentio præterire. Quid, quod Optatus scribens adversus Parmenianum, nec meminit Epistolæ ejusdem Parmeniani ad Tychonium, quam S. P. Augustinus egregio Opere refutavit? Numquid ex Optati silentio epistola Parmeniani judicabitur spuria? Probationes autem silentio Optati subjectæ nil omnino concludunt. Nam Donatistæ in Collatione Carthaginensi *petierunt Optatum legi*, quia arbitrabantur inde se probaturos *Cæcilianum ab Imperatore damnatum*: quod cum minime in Optato invenissent, *Donatistæ dixerunt hoc se non petiisse recitari, stomachantes adversus eos, qui risum tenere non poterant*, ut narrat Augustinus in Breviculo Collat. tertii diei cap. xx. n. 38. Hæc vero quid faciant ad præsentem de Cypriano controversiam, non video. Nec momenti alicujus est, quod Optatus scribit lib. 1. cap. x. *Non enim Cæcilianus exivit a Majorino avo tuo, sed Majorinus a Cæciliano: nec Cæcilianus recessit a Cathedra Petri, vel Cypriani: sed Majorinus, cujus tu Cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat*. Eo enim loci Optatus probat schismatis originem non a Cæciliano, sed a Majorino esse repetendam, quod Cæcilianus successerit Mensurio, suffragio totius populi electus, & rite a Felice Autumnitano, seu Aptungitano ordinatus, Majorinus vero contra Cæcilianum ordinatus fuerit a Traditoribus, & se a communione catholicorum sejunxerit, erecta Episcopali sede, quæ ante ipsum Majorinum non erat. Atque hanc esse Optati mentem præcitata verba declarant, confirmantque totius libri contextus. Ut ergo Donatistæ diluerent argumentationem Optati, non debebant respondere Majorinum secutum sententiam Cypriani de

Rebaptismo, de quo ibidem S. Optatus non loquitur; sed debebant ostendere Majorinum, non Cæcilianum esse legitimum successorem Mensurii, & Cæcilianum, non Majorinum, nova erecta sede schisma conflasse. Quamquam & de Rebaptismo longe distat sententia Donatistarum a Cyprianica; cum illi non solum hæreticos, sed etiam a pace deviantes rebaptizandos judicarent: quod monuit Augustinus lib. 1. de Baptismat. cap. xix. num. 29.

Tertia objectio promitur ex silentio Pontii, qui cum fuerit Cypriani Diaconus, ejus amantissimus, exilii voluntarius comes, vitamque & passionem ipsius Cypriani conscripserit, nullam hujusce sententiæ fecit mentionem; enimvero si Cyprianus docuisset Rebaptismum, id Pontius gestorum ejus Scriptor diligentissimus minime prætermisisset: & si Cyprianus a priori errore resiluisset, & istud Pontius mandasset literis, ne videretur se delectari errore ipso Magistri. Scribit namque Augustinus ad Vincentium Rogatistam haud esse improbabile, *quod Cyprianus correxerit istam sententiam, & forsasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt*. Non ego hanc adhibebo responsionem, meminisse Pontium & sententiæ Cypriani, & Carthaginensium pro ea stabilienda conciliorum, ut in Apparatu lib. iv. art. 14. numer. 10. scripsit Petrus Annatus: nam revera hæc non habentur apud Pontium, sive pervolutes Editiones omnes Cypriani, sive Acta Martyrum Ruinartii, sive Codicem nostrum prælaudatum. Ac si Annatus singularem aliquem nactus esset aliisque incompertum, indigitasset utique, erroris que tam obvii a se abjecisset suspicionem. Nec respondebo Dupinium in nova Bibliotheca asserere Pontii Opus cum tanta eloquentiæ affectatione conscriptum, ut posset merito venire in suspicionem falsitatis, nisi illud Hieronymus agnovisset pro genuino. Nec denique illud reponam non videri hunc Pontii librum turgido stylo, rethoricisque figuris ornatum idem esse Opus, quod præcitatus Hieronymus de Script. Eccl. cap. 68. *volumen* appellat *egregium*. Caveus autem diligentissime scriptum censet, at *stilo simplici & inelaborato*. Sit per me quidem Pontii foetus, sit egregium præstantissimumque volumen, nec affectata editum eloquentia, sed vera. At Missorius ad vim argumenti a veterum silentio deducti, id etiam recte ac sapienter exigit, ut Auctor, cujus profundum silentium opponitur, fuse, & ex instituto quæstionem, de qua agitur, pertractaverit. Nego itaque Pontium *fuse* res a Cypriano gestas, editasque ab eo literas recensuisse. Ipse enim fatetur numer. x. præterite *multa alia, & quidem magna*, nec inverisimile est ea duntaxat narrasse, quæ ad Cypriani laudem, aliorumque ædificationem potissimum serviebant. Immo Pontius nec meminit Epistolæ xl. in qua Cyprianus pertractat de presbyteris factionis Felicissimi, qui illum subruere tentarunt; neque Epistolæ lii. ad Antonianum, aliorumque, in quibus disseruit de Libellaticis, & quæ haud exiguam rerum a Cypriano gestarum partem continent. Præterit Pontius & Cypriani Concilium celebratum anno 252. in causa Victoris presbyteri, omnesque ad Romanum Clerum, & ad Cornelium epistolas de lapsis ad poenitentiam recipiendis. Quid plura? Epistolam lv. ad eumdem Cornelium, qua se Cyprianus defendit adversus Schismaticos, lvii. de ipsius Cornelii confessione, necnon lviii. ad Lucium, in qua de hujus ab exilio reditu gratulatur, frustra perquires in Pontii libro. Ibi Xystum solum ex Romanis Episcopis invenies commemoratum num. xiv. quem Pontius appellat *pacificum Sacerdotem*, forte (si levioribus conjecturis est indulgendum) quod Cyprianus cum Xysti prædecessore aliquam habuerit dissensionem. Cum autem Pontius, ut firmissime teneo, Magistri sui adhæserit opinioni, non Cypriani errore delectatum dicimus, sed doctrina meritisque devinctum, adactumque ne scriberet quod nil conferebat ad scopum & dignitatem suscepti operis.

Opponit iv. loco Missorius silentium auctoris Anonymi Tractatus adversus Rebaptizantes, necnon summum, diuturnumque silentium ipsorum Donatistarum ante Augustini tempora: silentium præterea ipsius Donati, qui convictus a Melchiade Papa, Romanoque Concilio, caussatus est exiguum Episcoporum numerum formulasque judiciorum; & damnatus a Synodo 1. Arelatensi, & provocans ad Constantinum, ab eoque de sacrilega appellatione objurgatus, nunquam protulit aut Cypriani literas, aut ejusdem, sive Agrippini Concilia: altissimum denique silentium, quod extat in Actibus Synodicis, in gestis proconsularibus, & in legibus Imperatoriis, ubi nullum facti Cyprianici deprehendi potest vestigium.

Resp. & argumentationem istam nullius esse roboris. Nam si silentium aut scriptis, aut factis adimeret auctoritatem, cum literis de Rebaptismo rejicienda foret celeberrima Cypriani Epistola ad Fortunatum de Exhortatione Martyrii, altera ad Antonianum de Cornelio & Novatiano, quæ in xi. antiquis Cod. desideratur, ac præsertim lxvii. ad Stephanum de Marciano Episcopo Arelatensi; quam, licet Lannojo, aliisque videatur conficta, Missorius tamen & genuinam agnoscit, & ex ea prolixam nectit ratiocinationem, de qua inferius est disserendum. Primæ enim, ac tertiæ harum Epistolarum nemo veterum meminit, ut constat ex notis posteriorum Editionum Cypriani ad Epistolam lxvii. nec istas in tantis Mss. Codicibus adinvenies, in quantis leguntur agentes de Rebaptismo. Quo ergo se vertet adversarius ut Cypriano adjudicet nunc commemoratas Epistolas, eo nos convertimur, ut quas explodere nititur, propugnemus; potiori quidem jure, cum istæ jam ab ætate Hieronymi & Augustini Cypriani sub nomine legerentur. Sed est aliud, quod præmissæ objectationi reponamus. Enim vero, quantum attinet ad librum Anonymi de Rebaptismo, si scriptum dicas adversus Cyprianum tertio sæculo, ut est communis sententia, fatearis necessum est Cyprianum pro Rebaptismo pugnasse, eumque suppresso nomine ab Anonymo carpi, & vellicari; & Cyprianum ipsum esse virum illum *magnæ prudentiæ & constantiæ*, quem adversarius clanculum mordet, appellatque audacter *hæreticorum stupore præditum*. Si vero Missorium audias, & librum de Rebaptismate editum velis contra Donatistas, quod difficulter mihi, aliisque persuadebis, commendare debes silentium Anonymi, qui oppugnans pervicacissimos Donatistas, beatissimi Martyris famæ pepercerit. At quantum ad antiquiores Donatistas attinet, principio dicam ad nos usque ipsorum scripta & facinora minime omnia, & singula pervenisse; & ne alio divagetur disceptatio, libenter legeremus Acta Romanæ Synodi sub Melchiade, quam hic objectat vir eruditus, præter fragmenta, quæ proferunt in Collatione iii. diei Augustinus, & lib. 1. cap. 24. adversus Parmenianum Optatus. Quod si dicas fuisse seniores Donatistas oculatiores posterioribus, nec obtrudisse Cyprianum, quod norint hunc servasse cum impiis unitatem, & hæreticorum quidem, sed non improborum expunxisse baptisma, aut potissimum fuisse intentos in subvertenda ordinatione Cæciliani, & avertenda a se origine schismatis; hoc etiam temere non inficiabor. Donatistæ præterea factam a Melchiade damnationem putabant se posse facilius eludere, si Melchiadem ipsum de crimine traditionis arguerent, aut negarent potuisse sub Melchiade Cirtæ Synodum congregari, aut assererent falsa esse concilia, quæ diem, & consules haberent inscriptos, quale præsertim erat Cirtense. Atque hoc fuisse Donatistarum perfugium, constat ex Collat. 3. diei cap. 17. & 18. & ex libro ad Donatistas post Collationem cap. 14. Donatus vero appellans ad Constantinum, (non a Melchiade, ut existimarunt Baronius & Balduinus refutati a Norisio P. 1. Hist. Donat. cap. 9. sed appellans a Synodo Arelatensi,) nullo pacto exemplum proferre poterat Cypriani. Sanctus enim Episcopus Synodos Catholicorum in Proconsulari provincia coegit, non appellavit ad Cæsarem. In legibus denique Imperatoriis, quæ collectæ extant in postrema Edit. Dupinii Operum Optati pag. 215. & seqq. nullum invenitur judicium Ecclesiasticum habitum in causa Donatistarum, non Concilii Cirtensis, non Romani sub Melchiade, non primi Arelatensis. Acta autem Proconsularia antiquiora, quæ extant in causa Donatiana, sunt Flavii Marcellini, & anni 411. quo Carthagine mense Junio habita est Catholicorum, & Donatistarum Collatio. Sunt ne Synodi Cirtensis, Romana, & Arelatensis fictitiæ? Anno ne 411. Donatistæ non objecerant sancti Cypriani auctoritatem, nec Augustinus libros vii. de Baptismo conscripserat? At de frondoso, inanique argumento dictum satis.

Conatur insuper Missorius expungere tertiam Synodum Carthaginensem, pluraque, ut illam ostendat suppositam, momenta congerit. Primum est, quod vero non videatur simile sub cælo Africano convocatum xc. fere Episcoporum conventum, æstuoso tempore, nec gravissima urgente causa, ut agerent nempe de Rebaptizandis hæreticis, quod jam aliis in Synodis definierant. Alterum, quod in Conciliorum actis omittere diem & Consules, ut omittuntur in Synodo Cyprianica, videtur positum in more Donatistarum, ut liquet ex Augustino in Breviculo Collationis iii. cap. 15. Tertium, quod idem Augustinus citatis in locis, ac præsertim lib. 1. contra Cresconium cap. 32. de hac Synodo dubitat, scribens: *Nam & vos profertis Concilium Cypriani, quod aut non est factum, aut a ceteris unitatis membris, a quibus ille non divisus est, merito superatum*. Quartum, quod hac in Synodo perlectæ dicantur literæ ad Jubajanum, non aliæ ejusdem argumenti; sitque inter Episcoporum sententias contradictio apertissima, cum Cyprianus dixerit de Rebaptismate a se prolatam sententiam *semel atque iterum & sæpe*, Geminus autem a Furnis & Junius a Neapoli dixerint, *semel decrevimus, semel censuimus*. Quintum, quod Carthaginensis hæc Synodus nequeat cum Epocha Stephani concordare. Consignandus est enim obitus Lucii cum eximio Petavio anno Ch. 255. P. Licinio Valeriano Aug. iii. & P. Licinio Gallieno ii. Coss. eodemque anno sub initium mensis Aprilis Stephanus inauguratus est Pontifex. At Stephanus martyr occubuit iv. Nonas Augusti eodem anno, seditque non amplius, quam menses quatuor. Hoc autem exiguo intervallo, quomodo potuerunt Epistolæ inter Cyprianum, & Stephanum intercedere, plura celebrari Concilia, & ea venire, quæ in Africa & Ro-

mæ

mæ dicimus contigisse? Detur quoque gratis, & summa agatur benignitate, detur decessisse Stephanum non an. 255. sed 257. Valeriano Aug. IV. & Gallieno Aug. III. Coss. non proinde concurret Synodus illa Carthaginensis cum Epocha Stephani. Primo namque anno ipsius Pontificatus inter Cyprianum ac Stephanum nulla potuit oriri contentio, quandoquidem post Stephani inaugurationem Romana Ecclesia hanc Cypriano per literas significavit, Cyprianus Episcopis Africæ, tum hi Stephano gratulatorias misere, Pontifex Cypriano communicationis literas dedit, Cyprianus rescripsit Stephano, inita inter eos amicitia, hujus fama etiam in Gallias pervenit; Faustinus Lugdunensis Episcopus scribit Cypriano illius adversus Marcianum opem implorans, diuque expectato responso, alias ad Cyprianum dat literas, Cyprianus adductus duabus Faustini epistolis scribit ad Stephanum de Marciano. Hæc omnia minori, quam unius anni spatio, perfici non potuerunt; ideoque nulla fuit hoc anno Stephani cum Africanis contentio. Quæstio de hæreticorum baptismate exorta est mense Aprili, convocatur Concilium primum, recrudescit disceptatio, celebratur Concilium alterum, mittuntur Synodicæ ad Numidas, fit certior de Synodica factione Stephanus, Afris minitatur anatheme, indicitur tertia Carthaginensis Synodus, & celebratur calendis Septembris; quisnam dixerit talia ac tanta quinque mensium spatio fieri potuisse? Hæc Missorius.

Cæterum & ille nil penitus probant. Ad primum enim negamus Carthaginis florentissimæ olim urbis, æmulæ Romani Imperii, Deorumque, ut ab Augustino dicitur, *regni*, fuisse malignum aerem, non, ut Geographi monstrant, clementissimum, atque uti initio Carminum de Punicis Bellis ait Silius Italicus, *gratissimum*. Qualecunque vero sit cælum Carthaginiense, *Poeni* & Africani *nec fessa* quieti *transmittunt corpora*, ec facri maxime Antistites, magno Cypriano incitante. Dabo & aerem Carthaginensem esse ferventissimum, & crassissimum. Calendis Junii habitam Collationem coram Marcellino eadem in urbe, nemo negabit: quid inter Calendas Junii, & Calendas Septembris interfit, non video; mensis ille æstivum calorem præcedit, iste subsequitur. Eadem die *Calendarum Septembris* celebratum Carthagine Concilium Coss. Cæsario & Attico, idest anno 397. sedente Siricio Papa, constet ex 2. Conciliorum volumine pag. 1567. Nec levis erat Afris Episcopis causa Romanum Pontificem adversarium habere, ab eoque percelli minis atrocibus. Quid plura? *Ecce consentio, meridies Africa sit. Africa sit meridies: abundare audio rebaptizatores in Africa*, inquit Augustinus serm. 46. n. 37. *Sodales malos, hæreticosque* non dico: nam Augustinus de Donatistis, nos de Orthodoxis Patribus disputamus. Ad secundum non reponam Concilium, de quo est disceptatio, diem habere, idest, Calendas Septembris; ideoque, si argumentum illud a mora Donatistarum evinceret aliquid, probaret hanc Synodum carere ipsorum Donatistarum fraude & ingenio: nec dicam die & Consule carere omnes alias Cypriani epistolas, etiam Synodicas; nedum quippe solvit argutationem ejuscemodi, sed disjicit, dissipatque Augustinus scribens in libro contra Donatistas post Collationem cap. XV. n. 19. *Fieri autem potest, ut in codicibus sit varietas, dum alii etiam dies & consules diligentia majore describunt, alii superfluum prætermittunt. Sicut etiam codex de quo primum legimus judicium Constantini, quo inter partes Cæcilianum innocentem, illos autem calumniosissimos pronunciavit, diem & consulem non habebat. Quo etiam illi invidiosissime proclamaverunt, quod Imperatoris literas sine die & consule recitavimus; & tamen etiam ipsi alios ejusdem Imperatoris literas in causa Felicis Ordinatoris Cæciliani, quas mirabili cæcitate contra seipsos protulerunt, sine die & Consule recitarunt, nec eis inde aliquid objecimus, ne similiter, ut ipsi, tempore necessaria superfluis verbis occuparemus*. Ad tertium plura superius dicta sunt, ubi quæsivimus qualis Augustini fuerit, & unde exorta hæsitatio: nam quadrant omnia huic Synodo, quam non uno in loco Augustinus absolute laudat & profert, ac data opera in postremis de Baptismo libris vocat ad trutinam. Sane quantumvis callida ac mendax fuerit Donatistarum vafrities, tanto Episcoporum numero, qui in Synodo proprio de nomine commemorantur, affricasse errorem, sententias illorum compinxisse, nec potuisse tamen aperte revinci eximiam hanc imposturam, ingenioli mei tarditas non assequitur. Quod sequitur facillimam habet expeditionem; literæ enim ad Jubajanum in tertia Synodo lectæ sunt, quoniam secundæ Synodi acta commemorant, unde & his productis facile Episcopi priorem sententiam confirmarunt, & Cypriano unanimiter adhæserunt. Nec repugnat Geminum, & Junium de re pluries discussa dixisse, *Semel decrevimus*; forte enim hi secundæ Synodo LXXI. Episcoporum, non primæ XXXI. interfuerunt: quamquam, si attente Gemini & Junii pensitet verba, percipies non alium præferre sensum, quam illos in suscepta semel sententia persistere; quod jure poterant pronuntiare, quamvis de ipsa causa fuerit semel, iterumque actitatum. Ad quintum dicimus, optime tertiam hanc Carthaginiensem Synodum convenire cum Epocha Stephani, si cum viris doctissimis affirmemus Lucium martyrio coronatum die 5. Martii anno 254. & Stephanum electum a Clero eodem anno die 9. Aprilis, Dominica Passionis. Imo Pagius ex libro Pontificali, cui non repugnat Catalogus Liberianus, contendit Stephanum electum superiori anno 253. & nuperus Auctor vitæ Cypriani num. 31. scribit cum Pagio omnes satis convenire. Subscriberem his & ego, si faterentur Stephanum ordinatum a Lucio, antequam is in exilium deportaretur, ad exercendam in urbe Vicariam administrationem; quam etsi Pagius deneget, vetusta comprobant monimenta, & ipsemet Anastasius scribens in Lucio, *Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano Archidiacono suo*. Sed vel anno 253. vel sequenti Stephanum dicas inauguratum Pontificem, parum refert. Sedisse usque ad annum 257. sive usque ad *Coss. Valer. Aug. IV. & Gallieni Aug. III.* constet ex libro Pontificali, aliisque Catalogis vetustissimis, ex quibus emendandus Anastasius, qui sedisse scribit *usque ad Valer. III. & Gallien. II.* ad annum scilicet 255. Corruunt ergo Missorii argumenta omnia, quibus Stephanum sedisse autumat mensibus tantum quatuor. Rectius dixisset *quatuor annis*, ut habetur in Vaticano Codice 800. annorum, in altero vetustissimo ante decretum Anselmi Lucensis Episcopi, in Ms. Bibliothecæ Urbinatis, aliisque compluribus. Quod profecto, sive computando Vicariam Stephani administrationem, sive deducendo Stephani annos ab anno 253. statutæ, nobisque probatæ Epochæ adamussim convenit. At nobiscum benigne agit Cypriani vindex, & gratis concedit sedisse Stephanum usque ad annum 257. quo etiam concesso contendit Synodum Carthaginensem concurrere non posse cum Epocha Stephani, quia invictissime constet in Epistola Cypriani adversus Marcianum, decursuque antecti temporis Cyprianum inter ac Stephanum integro saltem anno, ab indepto Pontificatu nullum exortum esse dissidium, post annum vero ab Aprili ad Calendas usque Septembris, mensium quinque intervallo, ea, quæ in causa Rebaptismatis contigisse narrantur, perfici neutiquam potuisse. Quid ad hanc, qua plurimum sibi plaudit, & causam vicisse putat, novam, invictamque objectationem? Eam undique emendicatam, fractamque arbitramur. Ac principio non benigne agit Missorius, sed æquissime omnique jure, dum Stephanum sedisse ait ad annum usque 257. imo & dum se liberalem deprædicat, Stephani Pontificatum decurtat, repetens hujus initia cum Cl. Petavio, a summis & accuratis Chronologis refutato, a Coss. Valer. III. & Gall. II. anno nempe 255. cum repetendum diserimus ab anno 254. & juxta complurium supputationem a præcedenti. Non est ergo, cur viro docto de tanta benignitate gratias agamus. Deinde magnopere miramur, quomodo vir peracutus nitatur ostendere Cyprianum per integrum saltem annum concordi fuisse animo cum Stephano ad Pontificatum evecto; cum paullo supra eam sententiam sit amplexus, sedisse Stephanum quatuor duntaxat menses. Profecto si id non est secum pugnare, aut saltem digladiari andabatarum more, probabilis erit prodigiosa quælibet antilogia. Insuper si quid evinceret totum illud Missorii ratiocinium, non everteret Synodum Carthaginensem, sed suppositam demonstraret Epistolam contra Marcianum, quam ob eamdem rationem petitam e causa Rebaptizantium spuriam nituntur ostendere Joannes Gerbasius Doctor Parisiensis in dissert. de Causis majoribus cap. 8. art. 1. Launojus in dissert. de duobus Dionysiis, Joannes Fellus in sua Editione Cypriani, & Casimirus Oudinus Tom. 1. de Script. Eccl. p. 276. Genuina est tamen, & habetur, quicquid Launojus scribat, in vetustissimis Mss. de quibus vide notas ad Epist. Cypriani LXVII. in Editione Maurina. Interim ad argumentum ductum ex harmonia Cypriani cum Stephano, quo Scriptores nuper citati oppugnant Epistolam Cypriani, historiamque Faustini, & quo Missorius in rem suam extortum impetit Synodum Carthaginensem, respondit Nicolaus Rigaltius: *Hujus argumenti vis cum toto pendeat ex circumstantia temporis, quo scripsit epistolam Cyprianus, Stephano per quadriennium fere in Episcopatu sedente, satis potuit esse spatii, quo nondum exarserant animi*. Hinc nota Oudinum, qui inter rejicientes Epistolam illam recenset Rigaltium, mendacem esse scriptorem. Præterea dum Missorius scribit motam quæstionem de Rebaptismate mense Aprili, postremo anno Pontificatus sancti Stephani, non advertit Afros inter se primum, quam cum Stephano disceptasse, nec ad Romanum Pontificem scripsisse nisi post celebratam secundam Synodum Carthaginensem; quod supra significavimus agentes de Firmiliano. En, ut arbitror, argumentum Missorii satis superque revictum. Sed ne liberalitate vincamur, gratis & nos demus Stephanum sedisse quatuor duntaxat mensibus; quid inde? Præcesserant, non subsecuta sunt sancti Pontificis inaugurationem quæstionis hujus primordia. Nil absurdi, si quatuor mensium spatio, jam aliis celebratis congressibus, Cyprianus ad Stephanum scripserit, & accepto responso Synodum indixerit, literas dederit ad Pompejum, & ad Firmilianum, & paullo post celebrarit indictam Synodum. Etsi nam-

que Carthago in Africano litore sita longe ab urbe Roma distaret, eam interfit tamen solum mare, brevi poterant a Stephano ad Cyprianum, a Cypriano ad Stephanum deferri epistolæ. Etenim Carthagine recto cursu Romam naves prætervehebantur, atque duæ hæ urbes, ut Virgilius inquit in 1. Æneidum, quasi se fronte spectabant:

Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago, Italiam contra, Tiberinaque longe
Ostia.

Tridui navigatione Romam Carthagine delatas recentes ficus, quas in curiam attulit Cato, ostendens quam prope a muris essent Pœni, atque ideo statutum Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est, scribunt Plinius libro XIV. cap. 18. & in M. Catone Plutarchus. Ex ipsa Cypriani vita, cui fuerunt cum Romanis Episcopis Cornelio, Lucio, Stephano, & Xysto literarum officia, cognoscimus ejusdem navigationis facilitatem. Sed hæc ut liberales sumus addita sunt: cetera nunc prosequamur.

Postremo; (nam si quæ sunt alia fundamentis disjectis & ipsa corruunt) etiam decretum Stephani Missorius aggreditur. Primo quia nihil de hoc decreto in suppositis Actis apud Surium, & Baronium, neque in Anastasio inter Stephani constitutiones, neque in Chronico Damasi. Deinde, quia nullo pacto fieri potuit, ut Stephanus baptizari vetuerit *a quacunque heresi* revertentes, cum multi hæretici in nomine Trinitatis non baptizent. Præterea, quod frivolam, ineptamque rationem prætexat, videlicet, quod *nec heretici proprie baptizent alterutrum ad se venientes*, sed communicent tantum: quasi Catholica Ecclesia normam ab hæreticis mutuetur. Insuper, quia non legimus Stephani rescriptum adversus Donatistas productum, quo causa absque tanta contentione finita esset. Illis ergo argumentationibus ab errore Rebaptizantium S. Cyprianus demonstratur immunis, quod utique ad majorem ejus laudem videtur conferre. His respondemus nullatenus concuti, sed firmari magis sententiam veterem, si decretum Stephani expendamus. Sanctum enim Pontificem stetisse contra Rebaptizantes narrat Eusebius lib. VII. H. Ec. cap. 3. scribens: *Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit.* Cur autem injurius sit in Eusebium, qui asserit insignis fabulæ esse architectum, aut Paulianistarum gratia mentitum, attulimus supra rationem aliquam, addimusque modo quæ cap. 27. ejusdem libri scribit in Paulum Samosatensem, ubi illum appellat *Gregis Dominici vastatorem*, & adversus illum *excitatos undique* ait *Pastores Ecclesiarum*. Et quod de Stephano Eusebius mandavit litteris, idem postea Nicephorus lib. VI. cap. 7. universique Historici tradiderunt. Meminit decreti Stephani & Augustinus lib. v. de Baptism. cap. 23. num. 31. nec non lib. de unico Baptis. cap. XIV. n. 23. quo in loco etiam addit sententiam Stephani non solum ex literis Cypriani patescere, sed etiam ex literis *aliorum Episcoporum*. Nec arbitror Donatistas adeo fuisse stulidos, ut cum Stephanum, non absque laude commemorarent, suam de Rebaptismo sententiam ab eo comminiscerentur proscriptam, decretumque contra semetipsos delinearent, confictisque a se epistolis illud insererent. Quare & decretum verum est, & genuinæ literæ Firmiliani & Cypriani, somniumque nova commentatio Missorii. Prætermitto quæ de hoc decreto scribunt Facundus Hermianensis supra laudatus, & in 1. Commonit. cap. 9. S. Vincentius Lirinensis, libellum quoque Synodicum in Collect. Conc. Labbai Tom. 1. pag. 717. quem vidit etiam eruditissimus adversarius. Acta vero Stephani apud Baronium ad annum 259. num. 8. inchoantur a delatione S. Pontificis baptizantis in Crypta ad Mummium urbis Præfectum, & inde ad Imperatorem Valerianum: quamvis & ibidem num. 23. legitur: *Per cryptas martyrum missas atque concilia celebrabat*. Ex horum Conciliorum aliquo profectam dicimus Synodicam in Rebaptisma: unde Lirinensis ait Stephanum Afris rebaptizantibus restitisse, *cum ceteris collegis suis*. Etiam Anastasius inquit in Stephano, *In carcere ad arcum stellæ fecit Synodum*; & hunc Synodum adversus Rebaptizantes celebratam conjectant quamplurimi. Immo Anastasius in Melchiade 2. Volum. pag. 271. nullam commemorat Synodum adversus Donatistas, nec ullam omnino: & nihilominus vir peracutus, ut supra vidimus, Synodum istam agnoscit & urget, perspiciens optime quam infirmum sit argumentum petitum ex silentio Anastasii. Atque idem de Chronico Damasi dictum sit. Quod sequitur de probato a Stephano baptismate omnium hæreticorum, non solum a recentioribus Theologis Juenin, Tournelio, Habert, aliisque expunctum fuit, verum etiam a Pagio ad an. 256. num. 6. ab Antonio Charlas lib. 2. de Libert. Eccl. Gallic. cap. 15. a clarissimo P. Coustant Tom. 1. Epistol. Pontif. a pag. 277. a Benedictino altero in Præf. ad Opera Cypriani §. IV. & aliis innumeris: & nos infra de hac quæstione dicemus nonnulla. Proximum frivolum argumentum est: non enim inquit Stephanus, Rebaptizandum non est, *quia nec heretici rebaptizant*, sed, *Ipsi heretici proprie non baptizant*, idest, quia baptisma non est *proprium* hæreticorum, sed Christi, nec hæretici sacramenta *propria*, sed sacramenta Ecclesiæ dispensant, adinstar adulteræ conferentis *munera quæ sua non sunt*: quæ utique est ratio validissima ad probandum baptismum ab hæreticis datum, eaque Augustinus utitur lib. 2. contra lit. Parmeniani cap. 2. & 7. in Epistola contra Donatistas, sive de Unit. Ecclesiæ cap. 23. in lib. III. de Bapt. cap. 19. aliisque in locis. Stephanus ergo ad antiquam traditionem confugit, non ad hæreticorum consuetudinem: tametsi absurdum non est arguere negantes unitatem Baptismatis, ex quo nec plures hæretici illam ausi sint temerare. Ad argumentum aliud dicimus & Stephani rescriptum contra Donatistas ab Augustino non uno in loco productum, illo autem causam non finitam *quantum ad discussionem*, quoniam publicum non erat, eique Africani restiterant, quod putarent non agi *de dogmate*, sed tantum *de disciplina*: in se tamen decreto Stephani causa Rebaptizantium & finita erat, & definita. Atque hæc de errore Cypriani, cujus meritis nil derogare sententiam nostram demonstratum est supra, nec aliud addimus modo, nisi *etiam primum Apostolorum Petrum potuisse aliter sapere, quam veritas postulabat, quod accidisse etiam Cypriano sine ulla ejus contumelia credimus quicunque diligimus Cyprianum, quia non eum fas est diligi majore caritate, quam Petrum*. Ita Augustinus lib. II. de Bapt cap. 20.

PROP. IV. Decreto Stephani probatum fuit Baptisma omnium promiscue hæreticorum, sed consecratum duntaxat Evangelicis verbis, idest, in nomine Trinitatis collatum.

Hanc propositionem adversus Marcum-Antonium de Dominis, Blondellum, Vossium, Launojum, Dupinium, & Joannem Cestriensem, aliosque inconcussæ fidei Romanorum Pontificum injustos oppugnatores, commonstrant quæ sequuntur. I. Decretum Stephani, ut servatur in Epistola S. Cypriani ad Pompejum, est: *Si quis ergo a quacunque heresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cum ipsi heretici proprie ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Stephanus ergo id unum volebat, ut antiqua servaretur traditio: quod etiam scribunt Eusebius lib. VII. H. Ec. cap. 3. Hieronymus in Dialogo adv. Luciferianos, Vincentius Lirinensis lib. I. Commonit. cap. 9. & alii. Sicut ergo antiqua Traditio probat solum baptismum *in nomine Trinitatis* collatum; ita Stephanus baptismum duntaxat istum non repetendum esse sancivit. II. Neque Firmilianus, neque Cyprianus ita Stephanum interpretati sunt, quasi ratum tradiderit baptisma datum *in solo Christi nomine*, sed quasi voluerit Christi nomen prodesse baptizatis *in Trinitate*, licet Trinitatem ipsam nequaquam crederent hi, qui baptizant. Firmilianus enim hæc de Stephano scribit ab Cyprianum: *Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti. At quis est in Ecclesia perfectus & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quod invocatio hac nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem: cum hæc tum utique proficiant, cum & qui baptizat habet Spiritum sanctum, & baptisma quoque ipsum non est sine Spiritu sancto constitutum?* Ex quibus liquido apparet litem Stephanum inter, ac Rebaptizantes non fuisse *de forma baptismatis*, sed *de fide baptizantium*; ipsumque Firmilianum fateri persuasum Stephano sufficere *nudam*, idest, absque fide, sanctæ Trinitatis invocationem. Idem infertur ex Epistola Cypriani ad Pompejum: in qua adversus Stephanum probat, aut probare nititur baptisma hæreticorum esse nullum, quoniam *heretici nihil aliud, quam adversarii & antichristi nominantur*: quoniam effectus baptismi solummodo tribuendum non est *majestati nominis*: quoniam *ineptum est, ut cum nativitas secunda spiritalis sit, qua in Christo per lavacrum regenerationis nascimur, dicant quod possit quis apud hæreticos spiritaliter nasci, ubi spiritum negans esse*: quoniam dici nequit, *in nomine Jesu Christi remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem, & in Dominum Deum Christum*. Hæc aliaque multa demonstrant Cyprianum hoc unum in Stephano reprehendisse, quod S. Pontifex ratum vellet baptismum Christi, idest, *forma* a Christo præscripta datum, tametsi baptizantes Christum Deum, aut sacrosanctam individuamque Trinitatem, aut alia fidei capita denegarent. III. Sententia Stephani ea est, quam tradiderunt Apostoli, & modo universa tenet Ecclesia. Ergo Apostolica, inconcussa, orthodoxa. Antecedens probatur; nam S. P. Augustinus lib. v. de Baptismo cap. 23. num. 31. ait Stephanum non improbasse in hæreticis *Baptisma Christi, quod in eorum perversitate integrum mansisse cognovit*. Lib. 2. contra Gaudentium Donatistam cap. VIII. num. 8. ait: *Dic mihi utrum illo tempore Ecclesia, quando secundum vos omnium criminum reos sine baptismo recipiebat per Stephanum, & ejus innumerabiles toto orbe collegas, qui ejusdem sententiæ participes erant, malorum contagione perierat, aut non perierat?* Vincentius Lirinensis loco citato, *Intelligebat enim vir sanctus*

& pru-

& prudens, inquit de Stephano, *nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi omnia quæ fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet Antiquitas, explosa novitas.* Facundus Hermianensis lib. x. cap. 3. pro defens. trium Capit. scribit Cyprianum a Stephano *jure culpatum*. Et contra Mocianum, *Stephani potius, quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia*. Stephani itaque sententiam innumerabiles toto orbe Episcopi propugnarunt, antiqua traditio corroboret, & nunc tenet Ecclesia Christi. Atqui nunquam universa Ecclesia probavit, nec probat modo baptisma non consecratum *Evangelicis verbis*. Igitur nec tale baptismum ratum habuit beatus Stephanus.

Opp. I. Stephanus inquit: *Si quis ergo a quacunque hæresi venerit ad nos*; ergo probavit baptismum hæreticorum omnium, etiam Paulianistarum, aliorumque *in adunata Trinitate* non baptizantium. II. S. Cyprianus hoc sensu decretum Stephani interpretatus est, scribens epist. 74. ad Pompejum: *A quacunque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, idest, omnium hæreticorum baptismata justa esse, & legitima judicavit.* III. Idem Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum ait, probari a Stephano etiam baptismum Marcionis, quod hac ratione oppugnat: *Dominus post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instruxit & docuit dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ite ergo, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Insinuat Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet?* Et in præcitata ad Pompejum Epistola, *In tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini & Apelletis, & ceterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios Deo nasci, & illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem, & in Dominum Deum Christum.* IV. Etiam S. P. Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum cap. 14. num. 23. *Stephanus*, inquit, *baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat*. Cum vero, ait Launojus, idem Augustinus lib. III. de Baptismo cap. xv. num. 20. integrum fateatur baptismum, quod in nomine Trinitatis confertur, procuidubio sententiæ Stephani recipientis baptisma hæreticorum omnium, etiam absque invocatione Trinitatis baptizantium, se adversari, ac repugnare significat. V. Ex honore, cultuque præstantiori, quo Ecclesia prosequitur Cyprianum, ut apparet ex antiquis Litaniis, ex vetusto Kalendario edito a Frontone, aliisque Ecclesiasticæ Historiæ monimentis, infertur Stephanum gravius peccasse, ideoque resistens Cyprianus in errorem oppositum prolapsus est: quod etiam fatetur Benedictus XII. in Responsione ad objectiones Fraticellorum.

Resp. ad primum, nego consequentiam; Stephanus enim præscribens, ut non rebaptizentur venientes *a quacunque hæresi*, sed ut servetur Apostolorum traditio, ita accipiendus est, ut nolit iterari baptismum *a quocunque*, *& ubicunque* collatum in nomine sanctissimæ Trinitatis; non enim, ut diximus, *de forma baptismatis* tunc disceptabatur, sed *de fide baptizantium*. Nec quidquam in contrarium probat ea particula, *a quacunque hæresi*; pronomen siquidem universale cum saliva accipiendum est, & in subjecta materia; modo scilicet hæretici conferant *baptismum Christi*, adhibeantque materiam & formam ab eo præscriptas. Sane Eusebius lib. VII. cap. 2. pag. 251. de controversia ætate Stephani excitata scribit: *Per id tempus non mediocris controversia exorta est, utrum eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo purgari oporteret; quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur*: nec tamen dixeris id moris servatum in recipiendis hæreticis, *in adunata Trinitate* non baptizatis. Similiter S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos Tom. IV. pag. 305. *Quod si negandum quispiam putaverit hæreticos a majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat beati Cypriani Epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. Legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos de hæreticis rebaptizandis edidit; & ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri, a Julio, Marco, Sylvestro, & ceteris veteribus Episcopis, similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos.* En & Hieronymus sola manuum impositione, & sine Rebaptismo ait recipi *omnes hæreticos*; quod tamen paullo infra negat de Pauli Samosateni discipulis, tingentibus absque invocatione Trinitatis, subjiciens: *Synodus quoque Nicæna cujus paullo ante fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Etiam S. P. Augustinus lib. v. de Baptismo cap. 5. num. 6. ait, *Homines occulta nescio qua inspiratione Dei detestantur, si quis iterum baptismum accipiat, quem ubicunque jam acceperat*: nec tamen aliquem fore arbitror, qui dicat probatum hoc loci ab Augustino baptismum apud Paulianistas receptum. Ad secundum dicimus Cyprianum, utpote existimantem singulas hæreses proprium habere baptismum, ex quo Stephanus *Baptismum Christi* a quocunque hæretico datum probaverit, intulisse probatum quoque a sancto Pontifice baptismum hæreticorum illorum, qui non baptizant in Trinitate, quoniam in sententia Cypriani sicuti penes neminem hæreticorum est vera fides, ita penes neminem hæreticorum est verum baptisma. Ad tertium respondet Antonius Charlas, & cum eo quidam Scholasticorum recentiorum, Marcionem, Valentinum, & alios hæreticos, quorum baptisma probatum a Stephano narrant Firmilianus, & Cyprianus, baptizasse *in nomine Trinitatis*: quam responsionem probant, quoniam Augustinus lib. VI. de Bapt. cap. 25. scribit, *facilius inveniri hæreticos, qui omnino non baptizent, quam qui verbis Evangelicis non baptizent*. Et quidem stare potest, ut hæretici *in Trinitate* baptizent, etiamsi non credant Trinitatem esse unam substantiam, aut tres distinctas personas; quemadmodum baptizant *in nomine Christi*, tametsi non credent Christum esse simul verum Deum, verumque hominem. Verum huic responsioni undequaque non subscribo, nam complures hæreticos *formam* baptismatis temerasse, licet pauci id facerent ætate Augustini, certissimis testimoniis ostendi cap. VIII. prop. 3. Marcionitas vero olim rebaptizatos, nec debita *forma* tinctos, constat ex Timotheo presbytero apud Balsamonem pag. 1050. Cypriani ergo sensus est, eo prorumpere sententiam Stephani, ut credat *baptismum Christi*, idest, *in nomine Trinitatis* collatum remittere peccata, etiamsi baptizent hæretici, Marcionis, Valentini, Basilidis, aut cujusvis hæresiarchæ discipuli, Christum etiam, aut Trinitatem blasphemantes, non instituendo quæstionem, an hi hæretici, aut illi debitam adhiberent *formam*, quia apud quemcumque hæreticum ipse Cyprianus putabat illegitimum fore baptismum, qualicunque formula datum; sed culpando Stephanum quod crederet *nudam invocationem Trinitatis* prodesse absque fide baptizentium. Qua in re (cum debita in Cyprianum reverentiæ dictum volo) non videtur assecutus sententiam Stephani. Nunquam enim is docuit baptizantes hæreticos dare Spiritum sanctum, remissionem peccatorum, & spiritualem regenerationem a se baptizatis, quemadmodum Stephanum interpretabantur Firmilianus & Cyprianus; sed tantum ait baptizatos ab hæreticis iterum non esse tingendos, quoniam hæretici non *proprium* baptismum tribuunt, sed *Christi*: atque apud illos Ecclesia sibi parturit filios, si non *ex utero suo*, quemadmodum parit regeneratos in Catholica communione, saltem extra se, atque *ex semine viri sui*; ut præclaro exemplo filiorum Jacob, qui ei nati sunt ex ancillis, explicat Augustinus lib. I. de Baptismo cap. x. num. 14. Dicam brevi, Stephanus de *charactere* baptismatis, non de *gratia* loquebatur, nec eum latebat nefarium esse extra Catholicam baptizari; nisi a culpa aut bona fides excusaret, aut ætas. Adde, quantum spectat ad Epistolam Jubajani nullam in ea factam mentionem Stephani, quemquam id affirmant Pamelius & Baronius, sed *cujusdam*, quem Cyprianus nequaquam nominet: nec credimus Stephanum scribentem adversus Cyprianum, Jubajano, non ipsi Cypriano dedisse literas, quod & Alexander Natalis, & alii observarunt. Quartum argumentum primo retorqueatur in Launojum: siquidem per Augustinum in eodem Opere de Baptismo lib. I. cap. 23. Stephanus in hæreticis probavit baptisma Christi, *quod in eorum perversitate integrum mansisse cognovit*. Sed per Augustinum, asserente etiam Launojo, *integrum* non est baptisma, nisi *consecratum Evangelicis verbis*, idest, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, ex lib. III. de Bapt. cap. 15. Ergo Stephanus ejusmodi duntaxat baptisma in hæreticis legitimum judicavit. Deinde respondeo, juxta Augustinum illud tantum dici *baptisma Christi*, quod Christum habet auctorem, quod datur secundum Evangelium, quod consecratur invocato nomine Trinitatis. Ita S. Pater lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 24. num. 57. lib. de unico Bapt. cap 8. num. 13. & epist. contra Donatistas, sive de unit. Eccles. cap. 23. num. 65. Itaque verissimum est, Stephanum judicasse *in nullo* iterandum *baptisma Christi*, quia in nullo iterandum censuit baptisma datum juxta Christi institutionem, & in nomine Trinitatis. Postremum argumentum nimis est futile: majorem siquidem venerationem Cypriano illustrior sanctitatis fama, non sanior doctrina comparavit; ut recte Natalis Alexander dissert. XIV. 3. sæculi, & Pagius ad annum 256. num. VIII. scribunt sententiis, verbisque iisdem: Lucii quoque, Melchiadis, Aniceti, aliorumque memoria minori celebritate recolitur, nec tamen hos dixeris errore aliquo imbutos. Responsiones autem Benedicti XII. insertæ Directorio Inquisitorum a Nicolao Eymerico, fuerunt conscriptæ anno 1330. cum ille adhuc Cardinalis esset; & apud Bzovium in Annal. non præferunt titulum Benedicti, sed Jacobi Fornerii Cardinalis, quia nimirum ita Fornerius inconsiderate de Stephano pro-

Pronuntiavit, priusquam conscenderet Patri Cathedram.

PROP. V. Stephanus nec Cyprianum, neque Firmilianum ob errorem Rebaptizantium a sui communione removit.

Hanc thesim juniores fere omnes propugnant, inter quos Nat. Alexander dissert. XII. seculi 3. Pagius ad annum 256. num. 12. H. Valesius Annot. ad VII. libri Eusebii cap. 5. atque viri de Re Sacramentaria optime meriti, Juenin, Tournely, Habert, Ledroit, alii: sed quoniam Baronius ad annum 258. numer. 45. Joannes Cabassutius in Notitia Concil. cap. 3. Lupus noster tom. I. in Can. Concil. pag. vet. edit. 243. aliique perpauci affirmant disparem esse causam de Cypriano, & de Firmiliano, de utroque agendum est singillatim. Ergo in Cyprianum intortum nequaquam fuisse anathematis fulmen, probatur primo; etenim nullus veterum latæ in Cyprianum excommunicationis meminit, sed affirmant tantummodo, Stephanum Cypriano, aliisque excommunicationem fuisse comminatum. Videsis Eusebium lib. VII. cap. 3. & 5. pag. 252. Vincentium Lirinensem Com. I. cap. 9. pag. 18. Facundum Herm. adversus Mocianum pag. 577. Immo haud obscure innuunt Staphanum provide a ferenda anathematis sententia abstinuisse. Eusebius enim eo loci narrat S. Dionysium Aleaandrinum se per literas sequestrum fecisse apud Stephanum, ne excommunicaret rebaptizantes; quod dicam paullo infra pertractans de Firmiliano. II. S. Pater Augustinus lib. v. de Baptismo cap. 25. num. 35. ait: *Stephanus autem etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur: iste autem* (idest Cyprianus) *quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis caritatis visceribus largissime præditus, in unitate cum eis manendum qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignaretur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur.* Lib. IV. cap. 1. *Ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus salva caritate atque unitate altercantibus discutiebatur.* Et lib. de unico baptismo cap. XIV. num. 23. ita Donatistas Augustinus perstringit: *Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant: duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet, & Carthaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti; quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat: Cyprianus autem in hæresi, vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes. Si ergo verum est quod isti dicunt* (Donatistæ) *& unde causam suæ separationis asserere, vel excusare conantur, in una communione Sacramentorum mali maculant bonos, & ideo corporali disjunctione a malorum contagione recedendum est, ne omnes pariter pereant; jam tunc Stephani & Cypriani temporibus periisse Ecclesiam confitendum est, nec aliquam posteris derelictam, ubi Donatus ipse spiritaliter nasceretur.* Eamdem unitatem commendat idem Cyprianus in fine Epistolæ 73. ad Jubajanum, laudantque in Carthaginensi tertie Synodo Episcopi alii Africani. Profecto si hi a Staphano fuissent excommunicatione separati; falso a se teneri unitatem jactassent, & falso Augustinus scripsisset vicisse in hac controvesia *pacem Christi*, discussamque causam istam *salva caritate atque unitate*. Inepta quoque, ac pueriliter disputasset Augustinus postremo loco adversus Donatistas, si Stephanum inter ac Cyprianum servata non esset *communio Sacramentorum*. III. Ex vita S. Cypriani a Pontio conscripta apud Ruinart in Actis Martyrum pag. 185. constat Xystum Romanum Pontificem Stephani successorem litteras ad Cyprianum dedisse paullo ante utriusque martyrium, idest, Coss. Tusco & Basso, sive anno 258. quod invictissimum argumentum est intercessisse tunc temporis Cyprianum inter, Romanumque Pontificem communionem, atque unitatem, adeoque non latam in Cyprianum sententiam excommunicationis, aut certissime revocatam. Hæc de Cypriano.

De Firmiliano vero primum constat Dionysium Alexandrinum, Stephanum a sententia excommunicandi Orientales Rebaptizantes officiosis literis removisse, interposita quoque opera Dionysii, & Philemonis presbyterorum. Vide Epistulam ejusdem Dionysii Alexandrini ad Xystum lib. VII. H. Eccl. Eusebii cap. 5. pag. edit. Valesii 252. Ibidem nota de Dionysio & Philemona presbyteris scriptum a Magno Dionysio, συμψήφοις πρότερον Στεφάνῳ γενομένοις, *qui prius idem cum Stephano senserant*; ex quo loco Joannes Launojus infert hos presbyteros in Cypriani concessisse sententiam. Sed perabsurde; non enim de dogmate, sed de excommunicandis Rebaptizantibus loquitur ibidem S. Dionysius, laudans presbyterorum istorum operam, qui irritatum animum Stephani flexerint ad lenitatem: quod & animadvertit in vita Cypriani §. XXX. accuratissimus Monachus S. Mauri. II. Probant hanc thesim Pagius, Alexander, & alii ex quo Firmilianum æque ac Dionysium Antiocheni Patres in Epistola Synodica anno 269. appellaverint *beatæ recordationis virum*, illumque Ecclesia Græca die 28. Octobris in Sanctorum Fastos retulerit (quamquam Firmiliani nomen inscriptum non sit Græcorum Menologio typis Urbinatibus cuso opera Cardinalis Albani), & ex quo Firmilianus adfuerit duobus Antiochenis Conciliis celebratis adversus Paulum Samosatensem anno 265. & 269. III. Ut his argumentis, quæ trita & communia sunt, addamus & nostra, principio si Stephanus Firmiliano dixisset *anathema*; videtur nobis eadem excommunicatione illigandum fuisse, imo & illigatum etiam S. Cyprianum: tum quia dum aliquod dogma proscribitur lata in assertores excommunicationis sententia, ferit hæc omnes, & qualescunque propugnantes idem dogma: tum etiam quia communi Ecclesiæ praxi, phrasique judicialium definitionum antiquissima, auctores omnes, cujuscunque conditionis existant, in damnatis assertionibus, universali ponus, quam speciali appellatione interdum solent comprehendi, & solum hæretici pervicaciores, atque signiferi nominantur, nunquam sequacibus a pœna post latam sententiam immunibus. Neque vero Rebaptismum a Firmiliano primum dixeris contra avitam traditionem invectum, cum id attentarit prædecessor Cypriani Agrippinus, ac Cyprianus ipse asseruerit vetustissimam consuetudinem per Agrippinum *cœpisse corrigi*. Vide Augustinum lib. 2. de Baptismo cap. VII. num. 12. Aut nullos itaque, aut Orientales simul & Africanos, aut Africanos potius, quam Orientales, æquissimus ac sanctissimus Pontifex privavit Ecclesiastica communione. IV. Augustinus, ut dictum supra, scribit agitatam quæstionem de Rebaptismo, *salva pace, unitate, & Sacramentorum communione*. Vide lib. I. de Bapt. cap. 7. lib. v. cap. 5. lib. VI. cap. 1. lib. de unico baptismo cap. 15. &c. Nec affirmari potest servatam unitatem tantum in Africa, quoniam & Augustinus loquitur generali assertione, & si alicubi communio fuisset discissa, infirmo telo petisset Donatistas; ac denique tum Africanos, tum Orientales comprehendit priori loco citato, scribens: *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna caritate præditos patres Episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare atque fluctuare, ut diu conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius orbis concilio quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* V. Idem S. Pater de unico baptismo cap. XV. inquit: *Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum & ipsius Cypriani literæ ostendunt, &c.* Quinam erant alii Episcopi, præter Cyprianum, qui literis mandarunt voluisse Stephanum anathemate in Rebaptizantes animadvertere, nisi forte aut Firmilianus, aut Dionysius? Igitur tam ex Cypriani, quam ex Orientalium literis istud unum colligimus, Stephanum *censuisse* quidem *excommunicandos* esse Rebaptizantes, eos autem nequaquam excommunicasse.

Opp. I. Augustinus citato libro de unico baptismo cap. 14. post verba nuper producta ait: *Tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit*. Similia de Firmiliano non leges. II. Ipse Firmilianus in Epistola inter Cyprianicas LXXV. aperte se a Stephano excommunicatum fuisse testatur, scribit enim pag. 310. novæ edit. Stephanum *cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, abscindere se a caritatis unitate, & alienum se per omnia fratribus facere*. III. Narrat eo loci Firmilianus, a Stephano legatos Episcopos *nec ad sermonem colloquii communis fuisse admissos*, ac præcepisse illum *fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur*. IV. Testatus paullo supra Firmilianus pag. 304. jampridem a se explosum hæreticorum baptisma *in Iconio, qui Phrygiæ locus est*, collecta Synodo: quare merito in ipsum, tamquam in erroris auctorem Romanus Pontifex animadvertit. V. Etiam Cyprianus in Epistola ad Pompejum pag. 293. Stephanum tamquam rumpentem unitatem his verbis vellicat, *Ille utique unitatis oblitus mendacia & contagia prophanæ tinctionis usurpat*: & infra pag. 296. *Dat honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens hæreses contra Ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus & inimicus Christianorum Sacerdotes Dei veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat?* Ex quibus verbis potest colligi etiam Cyprianum excommunicatum fuisse a Stephano.

Resp. ad primum, singillatim ab Augustino ibidem commemorari Cyprianum, quoniam probat permansisse in Africa Ecclesiam, servatamque Sacramentorum communionem ex quo hæc viguerit usque ad tempora Cæciliani & Majorini; hanc tamen unitatem etiam extra Africam cum Rebaptizantibus custoditam Augustinus aliis in locis affirmat, & in argumentatione, qua urget hoc in loco Donatistas, manifesto supponit. Ad secundum respondemus verba Firmiliani, etsi rem magnopere exaggerant, nullum exhibere prolatæ a Stephano excommunicationis indicium, ut observant in Notis ad Eusebium pag. 141. Valesius,

& Pa-

& Pagius ad annum 256. n. xi. De dissensione doctrinæ, seu disceptatione loquitur Firmilianus. Verum enim vero pag. 303. Cyprianum alloquens inquit: *Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, &c.* & nihilominus juxta Baronium, cujus est hæc argumentatio ad an. 258. num. xvi. Cyprianus a Stephano excommunicatus non fuit. Scribens idem Firmilianus pag. 310. Stephanum *cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in meridie estis*, commonstrat loqui se oratorum more: nam si revera Stephanus Afros, & Orientales excommunicasset, non *vario discordiæ genere*; sed uno, eodemque pacto pacem fregisset. Ad tertium dicimus in hoc etiam falli Baronium, quod velit legatos, de quibus Firmilianus, missos ab Orientelibus communione privatis, cum apertum sit eosdem legatos fuisse Africanos, ac missos, ut supra diximus, post Synodum Carthaginiensem secundam; verba enim Firmiliani sunt, *Modo vobiscum, qui in meridie estis, a quibus legatos Episcopos, patienter sane & leniter suscepit &c.* Vides missos legatos ab iis, qui *in meridie* sunt, scilicet ab Africanis? Supra etiam scripserat Firmilianus per Stephani *inhumanitatem effectum, ut fidei & sapientiæ* Afrorum caperet *experimentum*. Appellat ergo *inhumanitatem*, quod cum Afris Romæ factum acceperat a Rogatiano. Si quid igitur evinceret argumentatio illa, probaret Africanos, non Orientales excommunicatos a Stephano. At nec illud evincit; nam Firmilianus conceptis quidem verbis negat legatos *ad colloquium* admissos, sed quod attinet *ad tectum & hospitium*, exprobrat minas tantum & jusse, non rem ipsam; quod nempe Stephanum linire studuerint Philemon ac Dionysius, ut acute expendit Auctor vitæ Cypriani num. xxx. & ex Epistole Cypriani ad Pompejum conjecerat antea Valesius. Quamobrem Stephanus quod præconceperat animo, non mandavit executioni. Ad quartum ex dictis constat, ante Iconiensem Synodum, invectum Rebaptismum a Carthaginensi sub Agrippino. Ad ultimum dico, ea Cypriani verba, *Unitatis oblitus, &c.* unitatem significare *baptismatis*, non unitatem *communionis*: quod ex eodem textu manifestum est; ait quippe Cyprianus: *Et cum singulæ hæreses singula baptismata, & diversa peccata habeant, hic cum omnium baptismo communicans universorum delicta in sinum suum coacervata congessit. Et præcepit nihil aliud innovari nisi quod traditum est; quasi is innovet, qui unitatem tenens unum baptisma uni Ecclesiæ vindicat, & non ille utique, qui unitatis oblitus mendacia & contagia profanæ tinctionis usurpat.* Et altero ex eo testimonio solum concluditur Stephanum *putasse* excommunicandos, non actu excommunicasse Rebaptizantes, quod verbis Augustini de Unico Baptismo, necnon Eusebio, Vincentio Lirinensi, Facundo, aliisque magnopere est consentaneum.

PROPOSITIO VI. Non est certum, quod Cyprianus aut Firmilianus e propria de Rebaptizandis hæreticis sententia recesserint.

Probatur 1. Nam post receptum Stephani decretum S. Cyprianus non acquievit, sed illud oppugnare studuit scribens ad Pompejum, & ad Firmilianum, tertiamque Synodum Carthaginensem indicens pro recepta in Africa novitate stabilienda & confirmanda. Post tertiam autem illam Synodum persecutione exorta alio animum S. Martyris caritas & solicitudo distraxit. Etiam Firmilianus in Stephanum plura iterus effudit, & quæ commonstrant ejus in propugnanda priori sententia firmitudinem, & contentionem acerrimam. II. Post Cypriani martyrium fuerunt in Africa Rebaptizantes, & Donatistæ quarto vertente sæculo, qui sese S. Martyris exemplo & auctoritate nitebantur defendere. In Cappadocia pariter usque ad tempora Magni Basilii, & centum saltem annorum intervallo obtinuit Rebaptisma, cum Rebaptizantibus accesserit ipse quoque Basilius, Cypriani ac Firmiliani, ut in Epist. Canonica te[...]ut, vestigiis insistens. III. Quamvis Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 4. & in Epist. 93. ad Vincentium Rogatistam scribat fortasse *tam sanctam, & tam pacatam* Cypriani *animam* tandem veritati cessisse, fatetur tamen non posse id certissime asseri, quoniam revera *correxisse istam sententiam non invenitur*. IV. Animadverti supra, & inferius repetam, Cyprianum ac Firmilianum in hoc deceptos, quod crederent tribui a Stephano hæreticorum baptismati *remissam peccatorum*, & conferri Spiritum sanctum cuique etiam in hæresi permanenti; qua falsa opinione sanctorum virorum menti inhærente, videntur mihi, ut explicabo, digni aliqua excusatione, si Romano Pontifici obstiterint; eademque opinione permanente vero non est simile palinodiam cantasse, & ex prava intelligentia sententiæ Stephani in errorem nefarium, absurdissimumque fuisse delapsos.

Oppones: Orientales omnes ad concordiam rediisse, scribit Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Stephanum apud Eusebium lib. vii. H. E. cap. 5. Ipsos Orientales rescidisse judicium, *quo eis placuerat de ista baptismi quæstione Cypriano, atque illi Africano Concilio consentire oportere*, inquit Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 2. De Africanis etiam scribit Hieronymus adversus Luciferianos, *ad antiquam consuetudinem revolutos novum emisisse decretum*.

Resp. Dionysium in ea Epistola, quam Juenin, aliique male consignant anno 259. cum ante biennium Stephanus coronatus sit martyrio, aperte loqui de unitate, ad quam reversæ sunt *cunctæ per Orientem, & ulterius positæ Ecclesiæ, quæ prius erant discissæ*, ideoque de compresso schismate Novatiano, quod omnes fere Ecclesias turbaverat, non de controversia baptismatis, quæ nec attulerat discissionem, nec ante magni Basilii ætatem fuerat finita. Idem Eusebius paullo supra ait Dionysium ad Stephanum literas conscripsisse, quibus certiorem ipsum fecerat, Ecclesias omnes *mollito jam persecutionis furore, Novati turbulentam novitatem detestantes inter se pacem iniisse*. At Augustinus Cresconium Grammaticum ex suis principiis revincit: cum enim Donatistæ redarguerentur ab Augustino, quod ab Orientalium communione se discrevissent, & Donatistæ reponerent, factum id, quoniam Orientales judicium rescinderant quo statuerant Rebaptisma; valide insurgit Augustinus, debuisse majores Donatistarum, & separationis hujus auctores cum Orientalibus etiam diversa sentientibus tenere communionis unitatem, quemadmodum in suis literis fecisse legimus Cyprianum; aut ipsos Orientales imitari, qui retractantes sententiam contra tot millia Episcoporum, quibus displicuit in toto orbe, judicium suum non rescidisse dicendi erant, sed correxisse. Hæc fusiori stilo Augustinus: quamquam si dicamus eo temporis Orientales communi adhæsisse sententiæ, quod utique verum est, non idem est asserendum de Firmiliano, decursuque sæculi præcedentis. Ad testimonium Hieronymi respondet Tournelius, aliquos Africanos Episcopos, qui Concilio Arelatensi primo interfuerunt, et non Cyprianum, sententiam retractasse: quod non probo, nam tertia Synodus Carthaginensis aut anno 256. aut anno proximo celebrata est, Synodus autem Arelatensis anno 314. quo Episcopi prioris Synodi decesserant, aut saltem decrepita senectute laborabant. Episcopi insuper Afri, qui interfuerunt Arelatensi Concilio, sunt Cæcilianus Carthaginensis, Lampadius de Utine, Victor Uticensis, Faustus Tuburbitanus, & ex Numidia Victor de Civitate Legisvolumini, Tom. 1. Concil. Harduini pag. 267. At Carthaginensi Synodo interfuerunt e Carthagine Cyprianus, ex Utina Felix, ex Utice Aurelius, a Tuburbo Sedatus, & ex Numidia Victor Octavensis, non Victor Legensis. Vide eodem volumine pag. 159. Alii ergo respondent Hieronymum asserere, quod ignoravit Augustinus degens in Africa, neque illum posteritati commentaria aliqua commendasse, ubi id legerit: quod est Hieronymum officiose dimittere. Nos arbitramur dici e Hieronymo *illos ipsos* Episcopos habita Ecclesiarum, non personarum ratione; loquitur enim de traditione Majorum, quam pullulantes quandoque errores supprimere nequeunt, plurimis semper contra novitatem pugnantibus.

PROP. VII. Multa sunt, quæ Rebaptizantium, & præsertim Sancti Cypriani excusant errorem, maxime ante Stephani Papæ decretum.

Quamvis id supra propositione tertia significaverim; exigunt tamen egregia merita Cypriani, ut hoc in loco idem persequar argumentum. Facit ergo primum ad excusationem Martyris præclarissimi, quod etsi pugnabat adversus antiquam traditionem; non erat ea traditio ex earum genere, quas omnium auribus quotidiana prædicatio inculcat; nec ipse Cyprianus novam induxerat consuetudinem, sed ejus decessor *Agrippinus, & nonnulli per Africam Coepiscopi, etiam per Concilii sententias*, majorum traditionem deserere ausi fuerant; quod nisi præstitissent, nec adversus eam *tam sancta Anima ratiocinari ausa esset*. Vide Aug. lib. 2. de Baptismo cap. viii. num. 13. Deinde non ipse solus Rebaptismum propugnabat, sed *cum eo consenserant octoginta ferme antistites Afri*, &, si nonnulli contrariam consuetudinem opponebant, non afferebant tamen ejusdem consuetudinis tales defensiones, *quibus illa talis Anima moveretur*, ex Augustino ibidem, & lib. 1. de Baptismo cap. xviii. num. 28. Præterea rationibus a Cypriano adductis talis verisimilitudo, splendorisque vis inerat, ut ipsemet Augustinus affirmarit, se quoque in ea sententia nutaturum, nisi firmatus esset *Ecclesiæ concordissima auctoritate*, lib. 2. de Baptismo cap. iv. num. 5. Insuper nunquam Cyprianus ob doctrinæ suæ defensionem deseruit unitatem, nec pacis vinculum rupit, ut omni jure S. P. Augustinus illius auctoritate atque exemplo exagitaverit Donatistas, lib. 1. de Baptismo cap. xviii. num. 27. lib. 2. cap. v. num. 6. lib. 3. cap. xix. num. 26. lib. iv. cap. 8. num. xi. Epistola 93. num. 15. 37. 42. lib. 2. contra Cresconium cap. 33. & seq. nec verbis tantum, re quoque, & opere Cyprianum servasse unitatem ostendit ejus Epistola 82. ad Successum, & quod in ejus vita narrat Pontius de literarum commercio cum Xysto. Rursus nondum *eliquata veritate*, maluit Cyprianus prædecessorum suorum inventa defendere, quam inquirendo amplius laborare, quasi fessus acquiescens *in lectulo auctoritatis*, ex Augustino

lib. 2.

lib. 2. de Baptismo cap. VIII. num. 13. & licet magnam adhibuerit diligentiam, at non summam perfectamque rei inquisitionem, ideoque laboraret ignorantia *vincibili*; quia nihilominus nulla lege ad majorem diligentiam adhibendam obstringebatur, ipsa ignorantia immunem illum reddebat a culpa, ut de sanctis viris Semipelagianismo imbutis disputat in scrupulis Anonymi evulsis & eradicatis Tom. III. pag. 971. vir summus Norisius. Denique post Stephani rescriptum, ad Cypriani excusationem plurimum valere arbitror, quod in hac quæstione nondum satis distinctum esset inter usum & effectum Baptismi: quare Cyprianus, aliique Rebaptizantes putabant Stephanum tradere veram apud hæreticos *remissionem peccatorum*, & consecutionem salutis *extra unitatem Ecclesiæ*: quod mirum est accuratiores Theologos non observasse. Sanctus enim Cyprianus in Epistolis de Rebaptizandis hæreticis in id toto nisu incumbit, ut accitis undique Scripturarum locis demonstret apud hæreticos neminem posse consequi remissionem peccatorum, quia non est ibi fides, Spiritus sanctus, & immaculata Agni sponsa: & præsertim scribens adversus Stephanum, hunc, eique consentientes redarguit, quod *effectum baptismi majestati nominis tribuant*, affirmatque *baptizatos apud hæreticos non posse Christum induere, & multo magis Spiritum sanctum, quem Christus misit, accipere*, hæresim, quæ Christi sponsa non est, *nec purgari posse, nec sanctificari lavacro ejus*, ac multa his similia, & in eumdem finem spectantia. Firmilianus quoque reprehendit in Stephano, quod contenderet *remissionem peccatorum, & secundam nativitatem* ex hæreticorum baptismo procedere, ut constat ex illius Epistola ad Cyprianum. Audiatur Augustinus initio libri sexti de Baptismo: *Nec ob aliud illis temporibus, quando ista quæstio contra utilem consuetudinem disputationibus salva caritate atque unitate altercantibus discutiebatur, visum est quibusdam etiam egregiis viris antistitibus Christi, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti: & quia ejus effectus, atque usus in liberatione a peccatis & cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur*. Ex his concludendum censeo, quod si Cyprianus potuisset cum Stephano congredi, & percepisset S. Pontificem distinguere characterem baptismatis a gratia, nec asserere hæreticorum baptismate purgari hæresim, aut peccatum baptizatorum permanentium in hæresi, facile Stephano consensisset; nam venientes ab hæreticis ab Ecclesiam Catholicam, quamvis non rebaptizatos, gratiam consequi *propter unitatem Ecclesiæ* idem Cyprianus non denegavit. Vide Augustinum lib. 2. de Baptismo cap. XIV. Ex non accurata itaque explicatione sententiæ tam gravis controversia manavit.

PROP. VIII. Ex quo beatissimus Cyprianus decreto sancti Stephani obluctatus sit, nequit inde labefactari Romanorum Pontificum in rebus fidei, vel morum, judicium irreformabile.

Quoniam ex facto Cypriani non solum heterodoxi, verum etiam nonnulli Parisienses Theologi nituntur ostendere, in rebus plane non discussis judicium summi Pontificis non esse firmissimum, nec habendum esse irreformabile, nisi Ecclesiæ, aliorumque Episcoporum accedente consensu, Missorius autem hinc etiam, ne lædatur Romani Pontificis auctoritas, a se fabricatæ suppositionis quædam proferat munimenta; ostendam hoc in loco, quantum ponderis habeant productæ ex tam celebri disceptatione inter Cyprianum ac Stephanum ratiocinationes adversus Apostolicæ cathedræ firmitatem. Ac primum certissimum est, Cyprianum ante exortam de Rebaptismo controversiam & cum Stephano dissensionem, non uno in loco Romano Pontifici debitum honorem detulisse; siquidem in Epistola 52. ad Antonianum scribit eum, qui non communicat cum Romano Pontifice, *nec communicare cum Ecclesia Catholica*: Epist. 55. ad Cornelium in eo agnoscit *Petri cathedram, & unitatem Sacerdotii*: Epist. 67. ad Stephanum hujus auctoritatem implorat, oratque ut scribat in Arelatensem provinciam, *ut abstento Marciano alius in locum ejus substituatur*; & Epistola 69. ad Florentium Pupianum, docet oriri schismata & hæreses, *dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur*, ubi de Romano utique Pontifice instituit sermonem. Hinc Antonius Charlas lib. X. de libert. Eccles. Gallicanæ cap. X. & P. Joseph Augustinus Orsi de Auctor. Rom. Pontif. cap. 3. contendunt ad hæc potius, quæ pacato animo edidit Cyprianus, quam ad ea, quæ scripsit disputationis fervore commotus, esse attendendum. Verum cum soli hæretici denegent Romani Pontificis primatum, ejusque communionem flocci faciant; at Meldensis Episcopus Jacobus Bossuet p. 2. Defens. declarat. Cler. Gallicani lib. XIV. cap. 2. aliique Galliarum Theologi fateantur primatum Pontificis, ejusque cathedra nullam esse augustiorem & altiorem, tenendam cum illo communionem, & nisi gravissimæ emergant difficultates, ei quoque ab omnibus obtemperandum; nos prætitatis Cypriani testimoniis utimur tantum ad revincendos hæreticos, qui ex Cypriano probare nituntur Romanum Pontificem esse urbicum Episcopum, nulla extra Romanam provinciam præditum auctoritate, ut præ ceteris jactant Vossius, Fellus, & Goulartius. Contra defensores autem declarationis Cleri Gallicani id unum illinc inferimus, Cyprianum nullatenus pertimescentem intentatum a Stephano anathema, adversus illum cogentem Synodos, nullumque inspicientem periculum schismatis, aut alium a se videri, aut caussam hanc non adeo gravem, ut adversarii arbitrantur, existimasse.

Censeo itaque eo temporis, quo apud quosdam orthodoxos Patres obtinuit opinio rebaptismatis, hanc ad disciplinam, non ad fidei decreta retulisse Cyprianum, ejusque collegas. Negant id quidem complures, inter quos Ludovicus Habert Tom. V. pag. 97. Auctor Operis de Re Sacrament. lib. I. q. 6. §. 4. & Jacobus Bossuet lib. XIV. cap. 7. & 8. sed probatur nihilominus ea sententia Theologis præclarissimis, inter quos e Gallis connumerantur Natalis Alexander dissert. 12. sæculi 3. art. 4. Jo. Claudius Somier in Hist. Dogm. S. Sedis lib. 2. cap. 8. Matthæus Petitdidier de Rom. Pontif. cap. 6. Gaspar Juenin dissert. 2. de Baptismo q. 6. art. 3. §. 3. Jacobus Hyacinthus Serry de Rom. Pontif. falli & fallere nescio cap. 8. Honoratus Tournely in Prælect. de Sacr. in genere q. 7. art. 2. aliique permulti. His vero nec repugnat Pontificiæ auctoritatis infensus hostis, & apostata Casimirus Oudinus de Scriptorib. Eccles. Tom. I. pag. 269. In hanc sententiam principio me trahunt pervulgata argumenta, quæ promuntur ex ipsis Epistolis Cypriani. Hic enim in Epistola ad Jubajanum ait: *Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quominus unusquisque Episcoporum quod putaverit faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem*. In Epistola ad Stephanum: *Ceterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere: qua in re nec nos vim cuipiam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesia administratione voluntatis suæ arbitrium unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus*. Nec aliter loquuntur Episcopi alii Africani in Præfatione Concilii tertii Carthaginensis. Cyprianus ergo, ac Rebaptizantes alii existimabant quæstionem illam ad meram disciplinam pertinere; alias non solum Domini judicium, sed etiam Ecclesiasticum formidassent, nec cum adversariis pacis vinculum & concordiam servassent, nec denique asseruissent habere unumquemque Episcoporum in istiusmodi rebus propriæ voluntatis arbitrium.

Resp. Auctor de re Sacram. Tom. I. pag. 82. noluisse Doctorem humillimum legem alicui præscribere, ideoque communionem cum adversariis servasse, quod veritas nondum discussa esset & eliquata, sed tali difficultate involuta, ut liberum esset unicuique in re universalis Ecclesiæ supremo judicio non definita sententiam suam propugnare; quod apertissime docet Augustinus lib. V. de Baptismo cap. 17. Equidem hoc asserere Augustinum, imo & affirmare Concilii plenarii auctoritate controversiam hanc eliquatam ac finitam, concedimus: ipsum autem Augustinum loqui de quæstionibus fidei, negamus. At de hoc infra. Interim si Auctor iste contendat, fas esse re non discussa *plenaria in Synodo*, ut Augustinus ait, invicem disceptare, etiamsi judicium tulerit Romanus Pontifex; nil aliud affirmabit, quam in gravi dissensione idoneum non esse ad caussam finiendam Romanum Pontificem, ut tenent Bossuet iisdem Augustini testimoniis productis citato lib. XIV. cap. 2. Si autem id affirmet non accedente definitione Pontificis, adeo, ut sentiat Stephani decretum non fuisse *ex Cathedra*, omnique latum auctoritate, quod Bossuetius negat proximo cap. 6. & seq. jam ex facto Cypriani nil adversarii concludent adversus supremam in definiendis rebus fidei auctoritatem Pontificis. Atque nos utraque in parte a Bossuetio, ceterisque Declarationis Cleri Gallicani defensoribus dissentimus, negantes judicium Stephani fuisse definitivum, atque, ut inquiunt, *ex cathedra*; & judicium Pontificis *irreformabile* non esse in omnibus, etiam gravissimis, fidei quæstionibus. Profecto Cyprianus ait omnes Episcopos habere libertatem faciendi quicquid libuerit *in Ecclesia administratione*; & ait salvo vinculo pacis retineri ea, quæ usu & consuetudine *usurpata sunt*. Hæc vero quænam sunt, nisi res ad disciplinam spectantes? Addo, quod etsi caussa Rebaptizationis perplexa admodum erat, & ambigua, Cypriano tamen videbatur certissima, quod idem Auctor probat præcedenti pag. 81. ex laudibus, quibus suam sententiam exornat, & ex conviciis, quibus onerat sententiam oppositam: at nemo consultus ab altero in rebus, quæ sibi videntur certæ, & pertinentes ad fidem, responderet posse unumquemque tenere quod libeat, nec alicui præjudicandum: ideoque Cyprianus similia respondens sententiam suam aut certam non reputabat, aut non pertinentem ad fidem. Si primum dicas; cur vir humillimus in re sibi dubia, tanta animositate con-

suetu-

suetudinem antiquiorem, traditionem, & rescripta Stephani lacerabat? Si reponis alterum; quomodo non arbitrabatur vir sanctissimus agi tantummodo de re spectante ad disciplinam? Accedit quod Firmilianus in Epistola ad Cyprianum, dum conqueritur Stephanum intentasse rebaptizantibus excommunicationem, ut probet injuste comminatum hanc pœnam ob præsens dissidium, ait apud Romanos *circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta esse aliquas diversitates, nec observari illic æqualiter omnia, quæ Hierosolymis observantur: secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum sit*. Quemadmodum ergo controversia de die Paschatis, diversitas rituum in Sacramentis, & quæ in plurimis provinciis salva unitate variantur, ad solam attinent disciplinam; ita ad meram disciplinam spectare eo temporis credebatur Rebaptizatio.

Nec illo dumtaxat tempore; etiam post Concilium Nicænum, quod in sententia multorum, & maxime Jacobi Bossuet cap. 9. ejusdem libri pag. 268. est illud *plenarium*, quo hæc controversia juxta Augustinum eliquata est, non ad fidei decreta, sed ad disciplinam hæc quæstio pertinuit, nec forte transiit in dogma fidei ante Tridentinum Concilium: cujus extat de hac re canon xi. sess. vii. Profecto nec a Nicæna Synodo definitam tamquam de Fide censent laudato in loco Natalis Alexander, Pagius ad an. 215. numer. 2. Antonius Boucat de Sacram. in genere pag. edit. Paris. 393. quod & probatur, ex quo S. Basilius, qui floruit post Nicænam Synodum, natus anno Domini 328. ac mortuus anno 379. in Epist. Canonica ad Amphilochium pag. 759. censet rebaptizandos hæreticos, & hoc disciplinæ esse, non fidei.

Doctissimus Meldensis Episcopus respondet cap. 8. pag. 267. p. 2. se de Cypriano & Firmiliano pertractare, non de Basilio. Sed facile hæc responsio refellitur. Primo, quia S. Basilius Cypriani & Firmiliani sententiam amplectitur, commonstrat se permoveri iisdem rationibus, quod scilicet hæretici omnes sint extra Ecclesiam, nec valeant gratiam conferre, qui ea carent. *Verum enim vero* (inquit Basilius) *antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano eos omnes uni calculo subjicere: quoniam separationis quidem principium per schisma, qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent amplius in se gratiam Spiritus*. Addit *eos non posse amplius Spiritus sancti gratiam aliis præbere, a qua ipsi exciderunt*. Qui ergo Firmiliano & Cypriano adhæret, iisdemque innititur principiis, eodem sensu quæstionem illam pertractat. Deinde, si post *plenarii Concilii* definitionem potuit quæstio inter *adiaphora* computari, & tamen eadem censeatur quæstio fidei, jam non solius Pontificis, sed & Synodi universalis in discrimen advocatur auctoritas. Respondet præterea Bossuet Basilium non satis hactenus intellectum, nec hæsitasse an valeret baptismus ab hæreticis debita forma collatus, sed quinam hæretici Evangelicis verbis uterentur, quinam perverso, adulterato, sibique proprio baptismate. Verum hæc responsio imbecillior est præcedenti: putavit namque Basilius *omnes hæreticos subjiciendos eidem calculo*, nec adeo desipuit, ut crederet nullum hæreticorum uti verbis, quibus consecratur baptisma. Addidit quoque rationem, non a *forma* defectu petitam, sed quam urget frequentissime Cyprianus, non esse apud hæreticos *gratiam Spiritus*. Tandem diserte Basilius ait agi de sola disciplina, non de fidei dogmate scribens: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem eorum baptisma suscipi, suscipiatur*: & paullo post de Encratitis, *Quod si hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, & sequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent, providerunt*. En aperte Basilius docet quæstionem de Rebaptismo spectare ad consuetudinem, ad œconomiam, ad disciplinam.

Multa quoque sunt ex Augustino, quæ veritatem istam confirmant. Libro enim 2. de Baptis. cap. 3. ad excusandum Cyprianum ait, etiam *Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat*. Quo in loco defensores Declarationis Gallicanæ, ne etiam plenariorum Synodorum elevent definitiones, ajunt Augustinum aut *humano more*, aut *ex Donatistarum sententia* locutum, cum tamen S. Pater aperte loquatur de dissensionibus, quæ *rerum experimento*, exploratæque consuetudine dignoscuntur, idest, ad disciplinam spectantibus; nec ipsi Donatistæ præfracte negarent Synodorum universalium auctoritatem, immo, ut constat ex Collatione tertiæ diei, negarent potius Cirtensem, & Romanam Melchiadis in causa Cæciliani celebratas, aut traditionis crimen opponerent Episcopis, ne harum judicio cedere cogerentur, aliam denique Synodum ampliorem peterent a Constantino. Ad hæc Augustinus cap. 9. ejusdem libri ait non tantum de

consuetudine disceptatum fuisse, verum & solam consuetudinem Cypriano objectam, ideoque illum obstitisse, quia in Africam invecta fuerat consuetudo contraria, quænam autem censenda esset universalis Ecclesiæ nondum innotuerat; quod factum plenaria in Synodo. *Consuetudinis robore* (inquit) *tenebatur orbis terrarum, & hac sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem*. Infra: *Hanc autem fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus perspecta veritate plenario Concilio confirmata est, &c.* Ea plenaria itaque Synodo per Augustinum consuetudo, non dogma fidei, firmata fuit. Mitto quod S. Pater rebaptizationem hæreticorum appellat *humanum errorem*, rebaptizationem vero Catholicorum *diabolicam præsumptionem*, libro de unico Baptismo cap. 13. quod in ea nova consuetudo præponeretur antiquæ, in hac Ecclesiæ Sacramentum rejiceretur. De re itaque Cypriani ætate agebatur, in qua etiam *plenaria concilia a posterioribus emendantur*, & consuetudo opponitur, consuetudo investigatur, consuetudo est dirimendæ controversiæ lydius lapis. Illiusmodi res pertinet ad disciplinam. Ergo de re pertinente ad disciplinam ætate Cypriani disceptabatur.

Dato tamen gratis, quæstionem hanc *tanquam fidei dogma* agitatam, nego decretum Stephani fuisse solemne & *ex cathedra*. Præclarus Scriptor de Auct. Rom. Pontif. lib. 3. cap. 5. docet quatuor ad dogmaticam definitionem discernendam notas haberi. I. Si contra Refractarios indicat anathema. II. Si eos declaret hæreticos. III. Si expresse asserat propositam definitionem ab omnibus tamquam fidei dogma tenendam esse. IV. Si juxta antiquam disciplinam res in aliqua Synodo sit discussa. Ita Tom. 1. laudati Operis pag. 277. Atque has omnes in decreto Stephani desiderari probat vir doctissimus, idque perspicuum est ex hactenus dictis. Vereor tamen, ne vir præstantissimus nimium adversariis indulgeat. Nam Jacobus Bossuet citato lib. xiv. cap. 2. & 3. fatetur non quavis suborta quæstione solicitandum urbem terrarum, & convocanda generalia Concilia; sed tantum *ex certa causa, si graves per orbem dissensiones oriantur, si aliter nequeat pax coalescere*: unde infert causam Pelagianorum potuisse terminari judicio Apostolicæ Sedis, causam vero Rebaptizantium nonnisi judicio plenariæ Synodi. Quod cum nos prorsus rejiciamus; non possumus hanc notam supremæ definitionis probare, *Si in Synodo res discussa sit*; tunc enim certam esse caussam, nec solicitandum orbem, sed quæstionem finitam Rescripto Pontificis, annuit clarissimus adversarius. Mitto quod re *in Synodo* non discussa innumeræ definitiones prodiere, de fide quidem tenendæ: quas excludere possent Refractarii omnes, (ut faciunt perditissimi Jansenistæ) si characterem illum, notamque exigamus. Verum si notas illas quatuor, vel earum aliquam probes; nullam profecto earum invenies in decreto beati Stephani. Dictum a me Vol. iii. pag. 50. notam definitionis *ex cathedra* esse, quod Pontifex illam cuique, palam, solemnique ritu proponat, & tanquam de fide credendam singulis fidelibus tradat: quod etiam docet Matthæus Petitdidier cap. 8. pag. 251. aliique a me ibidem laudati. Character iste in decreto Stephani deerat, quia non damnabat Rebaptisma proponendo traditionem *dogmatis*, sed *consuetudinis*, & forte ad solum Cyprianum, ejusque collegas fuerat directum. Discrimen vero causarum a Bossuetio traditum optime refutatur a laudato Petitdidier cap. 6. Quod enim Augustinus scribit serm. 2. de verbis Apostoli, nunc 131. numer. 10. epist. 157. ad Optatum, nunc 190. num. 22. lib. iv. contra duas Epist. Pelag. cap. xii. num. 34. & lib. 2. Operis Imperfecti contra Julianum numer. 103. causam Pelagianam finitam esse Innocentii & Zosimi rescriptis, superbe Pelagianos hanc gloriam captare, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur, nec ulterius causam Pelagianam examinandam ab Episcopis, sed a Potestatibus coercendam; id, inquam, etiam, in causa Rebaptizantium dicendum esset, si Stephanus plena auctoritate & *solemniter* decrevisset, & quæstio non spectasset ad disciplinam, ut Meldensis Episcopus arbitratur. Enim vero falsum est quod ille ait, causam Pelagianam fuisse certam, & ab omnibus communiter refutatam, si loquamur ante Rescriptum Romani Præsulis; cum potius Pelagius in Jerosolymitano congressu, & in Synodo Diospolitana abierit immunis, & evaserit damnationem. Falsum quoque est quæstionem de Gratia & libero arbitrio perspicuam esse, non obscurissimam, ac perdifficilem ad solvendum. Si ergo causa Pelagii & causa Rebaptizantium æque spectassent ad fidem, & tam Innocentius, quam Stephanus sententiam definitivam pronuntiasset; utraque causa finita esset *Apostolicæ Sedis Rescripto*. Sic finitam causam Pelagianam affirmat Bossuetius; sic finitam causam Rebaptizantium negat Bossuetius. Aut ergo causa Rebaptizantium non spectabat ad fidem; aut Stephanus illam ex cathedra non definivit.

Postremo si reciperemus sententiam Ludovici Maimburgi in Tract. de Statu & prærogativis Eccl. Rom. & Jacobi

Hyacinthi Serry de Rom. Pontif. contendentium *irreformabile* esse Papæ judicium, dum rem decernit fusis ad Deum solemnibus precibus, præmisso accurato examine, & præhabita Ecclesiæ Romanæ, constitutæ intra ambitum Urbis, consultatione; fieret consequens decretum Stephani, supposito quod versaretur circa fidei dogma, omni fuisse præditum auctoritate, ac debuisse recipi ab omni Ecclesia: illud enim tulit Stephanus *cum ceteris collegis suis*, ut supra diximus, & in 1. Commonit. cap. 9. ait Lirinensis. Ideoque hi Theologi, ne Cyprianum insimulent violatæ fidei, ejus controversiam nobiscum referunt ad disciplinam. Nos quidem hanc postremam sententiam putamus falsam, nec aliam consultationem existimamus Pontifici necessariam, nisi quam exigit prudentiæ regula, sive Cardinalium sit, sive Theologorum virorum, cum per se omnem plenissimamque habeat auctoritatem: illius tamen sententiæ meminimus, ut appareat hac etiam probata, nullum ex facto Cypriani adversarios nostros habere præsidium.

Constat ex dictis argumenta eorum, qui ex controversia Rebaptizationis impetunt Romani Pontificis τὸ ἀσφαλὲς, invictissime refutari, non desumptis e scholastico pulvere distinctiunculis. Opponit primo Bossuetius quod scribit Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 4. controversiam, de qua agimus, *altercationum nebulis involutam*, perductamque *ad plenarii concilii luculentam illustrationem & confirmationem*: quæ S. Pater repetit eodem libro cap. 9. Ait citato cap. 4. Augustinum de se profiteri, *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ auctoritate firmati, &c.* Atque hinc infert in rebus difficilioribus, nebulisque altercationum, posse aliquos reluctari Pontificiæ definitioni, ut Cyprianus obstitit Stephano præcipienti, & anathema comminanti. Ad hæc respondemus accipiendum S. Patrem de controversiis spectantibus ad disciplinam, in quibus duntaxat superiora *Concilia plenaria emendantur a posterioribus, & in quibus opponitur tantum consuetudo*, quod Augustinus disertissime affirmat iisdem in locis, quæ objiciuntur. In his ergo perduci aliquando controversiam ad robur & & discussionem concilii plenarii ultro concedimus, quippe *num consuetudinis robore teneatur orbis terrarum*, nonnisi collatione Episcoporum potest dignosci; ideoque & Asiatici, quamvis in eos anathema Victor intentasset, nunquam a sententia recesserunt, nisi discussa a Nicænis Patribus controversia. At in rebus fidei *rescripto Apostolicæ Sedis* finiri causam, Augustinus non uno in loco affirmat pertractans de Pelagianis, id Meldensi Episcopo non denegante, sed causarum discrimen supra dispunctum comminiscente. Adde ex Bellarmino lib. IV. de Romano Pontifice cap. 2. necnon ex Natali Alexandro citato loco, in fine art. 4. Catholicos omnes convenire, quod sive errare possit Pontifex, sive non, ab omnibus fidelibus sit audiendus. Quare si de dogmate fidei Cyprianus se pertractare agnovisset, non inquinasset se veniali culpa, sed exitiosa, & gravissima. Atque hinc exploditur illatio altera scriptoris eruditissimi cap. 5. pag. 264. Si dicas, Augustinus agnoscit in Cypriano veniale peccatum: *Ergo Pontifici decernenti infallibilitatem detrahere, veniale peccatum est*. Etenim S. Pater veniale peccatum dixit, quoniam Cyprianus de consuetudine disceptabat, & non de fide: quamquam nec illud prætereundum est, fateri hac illatione virum, alioqui satis probum, susceptam a se causam, quæ nequeat omnino inculpate tractari; unde & tenebris opus damnaverat, quod postea in lucem editum vacillantium quorumdam labefactavit ingenia.

Opp. 2. Cyprianus & Firmilianus controversiam talibus coloribus pingunt, ut sententiam suam recenseant inter fidei dogmata, & nihilominus decreto Stephani restitere. Igitur in causa nondum discussa exitiosum non est recedere a sententia Pontificis. Prob. ant. nam Cyprianus in Epistola ad Jubajanum probat hæreticos baptizare non posse, *quia fides est una, & unum baptisma*: quia non habet baptismum Christi, *qui est extra Ecclesiæ unitatem*: quia in sola Dominica ordinatione *licet baptizare, & dare peccatorum remissam*. Idem cum Collegis in Concilio 87. Episcoporum inquit evacuare baptismum nostrum, *qui recipit baptismum hæreticorum*, fieri *a regno cælesti alienum* quisquis ab hæreticis tinctus non fuerit rebaptizatus, nec vindicare fidem & veritatem Ecclesiæ *qui concedit hæreticis Ecclesiæ baptisma*: atque hæc asserta non humanis rationibus, sed divinis testimoniis communiebat. Similia Firmilianus. Resp. etiam Basilium, ut vidimus, iisdem momentis excludere omnium hæreticorum baptisma, & tamen docet apertissime quæstionem talem esse, ut servanda sit consuetudo, & statuta a Patribus œconomia. Polycrates etiam, aliique Asiatici controversiæ de die Paschatis hærebant pertinaciter ob auctoritatem veteris, novique testamenti, quum luna XIV. Moses festivitatem Azymorum instituerit, eamque Christus Corporis, & Sanguinis sui mysteriis reddiderit celebriorem; & nihilominus ad disciplinam, non ad fidem pertinebat ea quæstio. Cyprianus itaque, & alii Rebaptizantes testimonia divina opponebant, unitatem fidei & baptismatis deprædicabant, hæreticos alienos ab Ecclesia, & a Spiritu sancto asserebant; ut ex his, quæ fide catholica certa sunt, inferrent Ecclesiæ suæ disciplinam doctrinæ fidei magis esse conformem, non quod illa certa esset ac revelata, ut certum & revelatum est fidem esse unam, hæreticos alienos esse ab Ecclesia, non habere illos Spiritum sanctum; de his enim, quæ Cyprianus assumebat ad probandam sententiam nullum erat dissidium; de sententia autem, quam his probationibus confirmabat, fatebatur posse omnes Episcopos salvo pacis vinculo dissentire.

Opp. 3. Stephanus proculdubio credebat sententiam de non rebaptizandis hæreticis spectare ad fidem, & tamen Rebaptizantes non privavit communione. Igitur & Cyprianus potuit tenere communionem cum non rebaptizantibus, quamvis crederet ad fidem pertinere quæstionem illam. Respondent aliqui, si Stephanus non excommunicavit Cyprianum, aut non definivit ex cathedra, aut etiam Stephanus ratus est de consuetudine disceptari, non de re fidei. At ego respondeo, Theologos non consentire, num Stephanus causam definierit tanquam pertinentem ad fidem. Nonnulli quidem hoc affirmant, inter quos Tournelius pag. 215. primo quia Stephanus gravissimam excommunicationis pœnam Rebaptizantibus fuit comminatus, quod non fecisset in re ad meram disciplinam pertinente. Secundo quia in Concilio plenario, de quo Augustinus, sententia Stephani fuit approbata, ac definitum spectare ad fidem baptismi dati ab hæreticis validitatem. Tertio quia id affirmat Vincentius Lirinensis in 1. Commonit. cap. 9. At sunt rationes istæ fractæ admodum, & infirmissimæ. Prima quidem, nam etiam in rebus ad disciplinam universalem, & antiquitus derivatam spectantibus, potest Romanus Pontifex *anathema* comminari, quod fecit Victor in Quartadecimanos: atque id paullo supra idem Tournelius animadverterat. Altera, quod nec in Concilio Nicæno, (hoc enim esse plenarium de quo Augustinus, censet eruditus Theologus) definitum est causam Rebaptizantium spectare ad fidem, ut liquet ex his, quæ diximus de Basilio: nec aliud Augustinus ait, quam in plenaria Synodo rem esse eliquatam & discussam, quod tenet æque de fidei, & de consuetudinis disceptatione. Tertia, quoniam etiam Lirinensis de Stephano hoc tantum inquit, *Sanxit nihil novandum nisi quod traditum est*: sunt vero traditiones in Ecclesia quamplurimæ ad solam disciplinam spectantes. Hæc de argumentis propositis, non de Stephani sententia, dicta sint. Alias enim non inficias ibo, optime perspectam Stephano quæstionis naturam: sed a vibrando anathemate abstinuit, operam navante Dionysio, quod Afri nondum inter dogma & consuetudinem discrevissent; quamadmodum se gessit Victor erga Asiaticos acerrime pro nova disciplina pugnantes, interpellante pro his Irenæo. Sperabat quoque Stephanus Cyprianum ad veritatem pertrahere; quod fecisset utique, si diu vixisset, neque persecutio Valeriani turbasset Ecclesiæ pacem.

PROP. IX. Nonnulli sunt Patres, quorum de Rebaptismo sententia est obscura admodum, & ambigua.

Primus horum est S. Dionysius Alexandrinus: hunc adhæsisse Rebaptizantibus affirmat S. Hieronymus de Script. Eccles. cap. 69. p. 2. Tom. IV. pag. 119. scribens: *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma consentiens de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit Epistolas, quæ usque hodie extant*. Subscribunt Hieronymo Baronius ad annum 258. n. 48. Henricus Vales. in Notis ad Hist. Eusebii pag. 243. Nat. Alexander cap. 4. art. 6. H. Ec. sæc. III. Joannes Cabassutius in Notitia Concil. cap. 3. aliique permulti. Abierunt tamen recentiores Theologi in sententiam oppositam his subnixi momentis. Principio, inquit Gaspar Juenin q. 6. de Bapt. cap. 7. art. 3. nusquam Rebaptizantes in suæ opinionis patrocinium vocasse ipsum Dionysium secundæ sedis antistitem, & sacrorum canonum peritissimum. Deinde si Dionysio comprobata fuisset Rebaptizantium sententia, eam & facto & verbis amplexati fuissent Episcopi sedi Alexandrinæ subjecti; cum tamen nullibi legatur Ecclesias Ægypti & Lybiæ iterum hæreticos redeuntes tinxisse. Præterea S. Basilius in Epistola ad Amphilochium asserit Dionysium ratum habuisse baptismum Pepuzenorum; inquit enim Canonica prima, *Pepuzenorum baptisma nullam mihi habere rationem videtur, & miratus sum quomodo hoc magnum Dionysium, qui fuit canonicus, præterierit*. Et infra: *Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt; quare etiamsi hoc magnum Dionysium latuerit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio*. Ad hæc Dionysius sequester ac mediator extitit pro Rebaptizantium pace cum Apostolica Sede redintegranda. At ineptus pacis fuisset conciliator, si ipsemet in eodem errore versatus esset. Hæc Juenin.

Verum hæc argumenta nil probant. Num enim Firmilianus & Cyprianus ad Dionysii patrocinium confugerint, incertum est: nec videtur inverisimile id fecisse, saltem Firmilianum; nam Dionysius pro Rebaptizantibus Orientalibus valida interposuit officia. Secundum argumentum probat oppositum: siquidem, si Juenino subscribamus; etiam S. Athanasius rejecit hæreticorum baptisma.

Fuit

Fuit autem Athanasius ejusdem Alexandrinæ Sedis Episcopus: ideoque obtinuit aliquando in Ægypto, & in ipsa Alexandrina Ecclesia rebaptizatio. Verum ego de Athanasio aliter sentio, quamvis rebaptismus apud Orientales fuerit, teste Dionysio, frequentissimus. Tertium item argumentum infirmissimum est: si quid enim probaret, probaret S. Dionysium ratum habuisse baptismum Pepuzenorum, seu Montanistarum, qui, teste Basilio, nec tingebant *tradita forma*, idest, invocatione S. Trinitatis: quod nec Cyprianus, nec Firmilianus existimavit. Deinde respondeo, Dionysium ratum habuisse baptismum collatum a Pepuzenis, non ubique locorum, sed ubi juxta diversam disciplinam hæretici non rebaptizabantur, nec absolute, sed dummodo Pepuzeni tingerent in nomine Trinitatis. Cataphrygæ etiam & Montanistæ baptizando nequaquam præscriptam *formam* servabant, idemque ob testimonium Basilii dicendum de Pepuzenis: aliquod tamen inter Cataphrygas & Pepuzenos discrimen extitit, ut liquet ex Epiphanio h. 29. pag. 417. & ex Augustino de hæresibus num. 26. & 27. ubi Pepuzenis error iste de violata forma baptismatis non tribuitur. Prætermitto Basilium in aliis Dionysii sententiis dijudicandis minus fuisse accuratum, ut dum ei impingit Anomœorum hæresim epist. xlr. ad Maximum Philosophum pag. 803. Quo in loco deceptum Basilium constat ex Athanasio, & ex dictis lib. viii. cap. 6. Nec postremum argumentum est firmissimum: taliter enim Dionysius studuit Stephani indignationem compescere, ut scriberet sententiam Firmiliani *probatam in maximis Episcoporum Conciliis*, & rem esse gravem, & periculi plenam, ab ipsorum communione discedere: rebaptizandos hæreticos sancitum esse *non ab Afris solum, sed superiorum Episcoporum temporibus in Ecclesiis populosissimis, & in Conciliis fratrum apud Iconium & Synnada, & apud alios quamplurimos*. Vide Eusebium H. E. lib. vii. cap. 5. & 7. Si autem Dionysius penitus Stephano consensisset, debebat potius dare operam, ut Rebaptizantes æquo animo Pontificium decretum reciperent.

Honoratus Tournely pag. 200. & Ruinart in Actis Martyrum pag. 155. duo alia producunt argumenta. Primum est, quod Dionysius in Epistola ad Philemonem apud Eusebium pag. 253. ait: *Hanc ego regulam & formam a beatissimo Papa nostro Heracla accepi. Eos enim, qui ab hæreticis veniebant, tametsi defecissent, seu potius non defecissent illi quidem, sed in speciem cum fratribus communicantes, clam perversæ doctrinæ magistros adire delati essent, ab Ecclesia ejectos post multas tandem preces non prius admisit, quam quæcunque ab adversariis audierant palam exposuissent: ac tum demum ad communionem eos admittebat, nequaquam existimans iterato baptismate eis opus esse*. Alterum argumentum petitur ex Epistola ad Xystum apud eumdem Eusebium pag. 255. ubi ait Dionysius noluisse rebaptizare senem quemdam pedibus ipsius advolutum, ac dejerantem, Baptismum, quo apud hæreticos initiatus fuerat, nil cum nostro habere commune, proindeque orantem, ut purissimo lavacro, & verissima adoptione donaretur. *Quod equidem* (ait) *facere non sum ausus: sed diuturnam illi communionem ad se sufficere dixi*.

Ceterum neque ista evincunt aliquid: nam priori in loco agitur *de Apostatis*, qui baptismum in vera Ecclesia receperant, ut adnotavit Valesius, nec diffitetur Ruinartius, ostendit autem aperte idem textus, quem integrum consulto produxi. Immo cum Dionysius immediate subjiciat, ideo *Apostatis* redeuntibus non opus esse iterato baptismate, *Quippe jam antea Spiritum sanctum ab ipso acceperant*, videtur innuere aliam Apostatarum, aliam hæreticorum esse rationem. In altero autem loco non scribit Dionysius icirco noluisse iterum tingere senem illum ingemiscentem, quoniam etiam baptisma hæreticorum ratum haberet, sed quia diu in Ecclesiæ communione vixerat, & Corporis & Sanguinis Domini diutissime particeps fuerat, ut ibidem ait Dionysius. Rebaptizantes siquidem fatebantur, admissos olim ad altare *per ipsum unitatis vinculum* etiam absque iterato baptismate gratiam consequi. Vide Augustinum lib. 2. de Baptismo cap. xiv. num. 19. Profecto nisi Dionysius adhæsisset rebaptizantibus, non scripsisset non ausum se iterum tingere senem illum, qui ante Heraclæ episcopatum semper cœtus fidelium particeps fuerat, *quia ei sufficiebat diuturna communio, & ad sacram mensam diutissime adstiterat*; sed quia etiam baptismus hæreticorum ratus est, ac legitimus. Videtur itaque mihi potius Hieronymo, qui integras, suoque ævo extantes Dionysii epistolas pervolutavit, quam recentioribus, qui sola earumdem epistolarum fragmenta legerunt, assensum præbendum esse, præsertim cum fragmenta ipsa non prorsus rejiciant, ut dixi hactenus, *Rebaptismum*.

Quid vero de Athanasio? Hunc, ut dixi, Gaspar Juenin, aliique recentiores accensent Rebaptizantibus: non tamen Natalis Alex. dissert. xxiii. sæculi tertii, neque PP. S. Mauri Præf. in Opera Athanasii pag. 21. & in Notis ad 2. Orat. adversus Arianos pag. 510. quibus subscribimus. Argumentum contrariæ sententiæ est, quod sequitur. S. Athanasius oratione tertia, nunc 2. contra Arianos ait: *Qui* (*quæso*) *igitur non plane vanum ac inutile fuerit baptisma, quod ab illis datur, cum id nonnisi speciem sit, & inane simulacrum? Sicut igitur creatura diversum quid est a Filio: ita diversum quiddam a vero baptismate est quod ab illis existimatur dari*. Distat igitur in sensu Athanasii baptisma Catholicorum a baptismo hæreticorum, quemadmodum differt Creator a creatura. Hoc quidem argumentum non elidunt, qui reponunt loqui Athanasium de Arianis, qui *debitam formam* nequaquam servabant; quoniam ætate Athanasii Arianos præscriptam baptismi formam temerasse non constat, & paullo post idem Athanasius nullum Arianorum baptismum pronuntiat, *etiamsi qui cum Ario sentiunt, quæ scripta sunt recitent, proloquanturque ipsa nomina*.

At alia ratione argumentum istud diluimus: respondemus enim Athanasium *vacuum & inutilem* appellare baptismum Arianorum quantum *ad effectum*, non quantum *ad characterem*. πῶς (inquit Athanasius) οὐ παντελῶς κενὸν, καὶ ἀλυσιτελὲς τὸ παρ' αὐτῶν διδόμενον ἐστι, προσποίησιν μὲν ἔχον, τῇ δὲ ἀληθείᾳ μηδὲν ἔχον πρὸς εὐσέβειαν βοήθημα; idest, *Qui fieri potest, ut prorsus vacuus ac inutilis non sit Baptismus, qui ab illis datur, in quo quidem insit religionis simulatio, sed revera nihil ad pietatem queat conferre?* Ubi non ait baptisma Arianorum esse Sacramenti *inane simulacrum*, sed habere *simulationem* religionis: nec ait *omnino nullum* esse, sed *vacuum*, *inutile*, *& non conferre ad pietatem*; quod subinde Athanasius demonstrans, docet non solum baptismum, sed etiam fidem, *quæ oritur ex recta doctrina*, ex præcepto Domini ad salutem requiri, ideoque inutilem esse aquam, quam hæretici donant, non quod ei desit ratio Sacramenti, sed quod ei desit pietas, propterea quod non prosit salutare lavacrum, si illud suscipiens inquinetur hæresi, ac impietate. Πολλαὶ (inquit) καὶ ἄλλαι αἱρέσεις λέγουσαι τὰ ὀνόματα μόνον, μὴ φρονοῦσαι δὲ ὀρθῶς, ὡς εἴρηται, μηδὲ τὴν πίστιν ὑγιαίνουσαν ἔχουσαι, ἀλυσιτελὲς ἔχουσι καὶ τὸ παρ' αὐτῶν διδόμενον ὕδωρ, λειπόμενον εὐσεβείᾳ, ὥστε καὶ τὸν ῥαντιζόμενον παρ' αὐτῶν ῥυπαίνεσθαι μᾶλλον ἐν ἀσεβείᾳ, ἢ λυτροῦσθαι. *Multa quoque aliæ hæreses nomina tantum pronunciant: verum cum recte non sentiant, uti dictum est, nec sanam habeant fidem, inutilis est aqua, quam donant, quippe cui desit pietas; ita ut quemcunque illi adsperserint, impietate fœdetur potius, quam redimatur*. Movet nonnullos, quod eo loci Athanasius comparat baptismum Arianorum cum baptismate Manichæorum, Phrygum, & Samosatensium, quorum lavacrum profecto *nullum* erat, cum nec debitam formulam hi servarent; sed in eo comparat, quod omnium hæreticorum baptisma *vacuum* est, & *inutile* iis, qui adhærent pravæ ipsorum doctrinæ: quo sensu Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum cap. vi. num. 8. inquit: *Nihil prodest hæreticis ad salutem quod extra Ecclesiam verum baptismum per ignorantiam & tradunt & tenent; immo & obest ad damnationem, quod in sacrilega iniquitate erroris humani etiam divini Sacramenti, non per quam mundentur, sed per quam severius judicentur, detineat veritatem*. Hinc S. Athanasius paullo post ait, ab Arianis eos, qui ab ipsis accipiunt baptismum, decipi & eludi, quia major est ipsorum impietas, quam ceterorum hæreticorum, ac *nullum* esse illum baptismum, quia cum filium Dei censeant rem creatam, nullum ab eo consequuntur auxilium, permanentque nudi plane, ac destituti divinitate; quæ omnia de effectu gratiæ proculdubio accipienda sunt. Ex alia parte Athanasius in Epistola ad Rufinianum, ubi pertractat de conditione hæretici recipiendi, non ait repetendum baptisma ab Arianis collatum, sed commonstrat se canonum Nicænæ Synodi, cui & interfuerat, tenere œconomiam, hæreticosque debita forma tinctos cum sola pœnitentia, & impositione manuum admittere.

Major difficultas videtur esse de Optato Milevitano, de quo, ut certum est ratum habuisse baptisma datum a schismaticis, ita est incertum, an probarit baptisma ab hæreticis collatum. Sunt qui id negant ea ducti ratione, quod Optatus in primo contra Parmenianum libro num. 12. scribat, recte Donatistas clausisse hortum hæreticis, *qui soli habent varia & falsa baptismata, quibus inquinatus non potest abluere, nec immundus emundare*: id vero non esse asserendum de *schismaticis*, qui licet non sint in catholica, *nobiscum tamen vera & communia Sacramenta traxerunt*. Hæc, & alia plura explicari nequeunt de *illicito*, non de *valido* baptismate; siquidem nec apud schismaticos fas est Sacramenta recipere.

Cum varia esse soleant Theologorum responsa, reponentibus aliis Optatum loqui de hæreticis, qui baptismi *formam* non servant, sive, aut idem ait, *falsaverunt symbolum*; dicentibus aliis sermonem instituere de fide, quæ ad consequendum effectum baptismatis requiritur, nec est apud hæreticos; expeditissimum mihi videtur, si reponamus Optati scopum hunc esse, Parmenianum revincere quod segregarit se a Catholicis æque, ac ab hæreticis, autumans apud utrosque *Sacramenta esse inquinata*: priori enim libro de origine & causa schismatis agit, non de unitate baptismatis. Ita nimirum ad refellendum schismaticum recta probat Milevitanus Episcopus, non

esse pertimescendam eam contaminationem, quæ contrahitur a Sacramentis hæreticorum ob pravitatem doctrinæ, si communicentur Sacramenta cum Ecclesia Catholica, unde illa iidem Schismatici hauserunt. Ceterum eodem libro 1. pag. 6. inquit Optatus: *In Trinitate baptismatis unionem defendimus*, scilicet, unus idemque est baptismus, modo conferatur sub invocatione Trinitatis. Et libro v. in quo pertractat de unitate baptismatis, producto circumcisionis exemplo, scribit pag. 80. *Semel enim factum servat salutem: si iterum fiat, potest afferre perniciem. Sic & baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam: si repetatur, facit vitæ jacturam*. Infra. *Aqua igitur sola & vera illa est, quæ non de loco, non de persona, sed de Trinitate condita est*. Post pauca: *Non licet post Trinitatem, in eadem Trinitate hoc iterum facere*, idest, baptizare. Verum est, eo loci Optatum appellare *mendacem* aquam Praxeæ & Patripassianorum, quia *ubi* (inquit) *veritas non est, ibi est aqua mendax*: sed *mendacem* appellat, quia ob fidei defectum non confert *vitam, reiminuit mortem, nativitatem immortalem, & cælestis regni comparationem, quam credentis fides, & Trinitas præstat*: Fides nimirum ut necessaria dispositio; Trinitas ut consecrans *elementum*. Hæc diluunt locum alium ejusdem libri pag. 83. *In hoc Sacramento baptismatis celebrando tres esse species constat, quas & vos nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima species est in Trinitate; secunda in credente: tertia in operante; sed non pari libramine ponderanda sunt singula: duas enim video necessarias, & unam quasi necessariam: principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non possit geri: hanc sequitur fides credentis: jam persona operantis vicina est, quæ simili auctoritate esse non potest*. Bene igitur habet: *Trinitas* necessaria est, *ut res ipsa geratur*, quoniam invocatio Trinitatis constituit *formam* baptismatis. Sequitur *fides suscipientis*, quæ pariter necessaria est, non ut geratur res ipsa, sed ut baptisma vitam conferat spiritualem. Perspicuum est loqui Optatum de fide suscipientis, ut dixi, non de fide ministri, siquidem *operantis*, ut verbis utar Optati, *est tertia species* non adeo necessaria, uti necessaria est *Trinitas* ad constituendum Sacramentum, *fides* ad consequendam salutem. Hæc nostra de Optato sententia est.

Restat S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui a permultis inter Rebaptizantes connumeratur, propterea quod scripserit Præfat. in Catecheses pag. 8. *Non licet bis, aut ter hoc lavacro uti, ut si semel fueris eo frustratus, deinceps corrigat: si enim semel illo frustraberis, amplius id correctionem non patitur: unus enim Dominus, & una fides, & unum baptisma. Nam soli hæretici rebaptizantur; siquidem prius illud non erat baptisma*. Ubi cum loquatur S. Cyrillus de omnibus hæreticis universe, non videtur de his accipiendus, qui *formam* vitiant ac temerant. Sed vereor, ne docti viri decipiantur hac interpretatione Prevotii, aut Grodecii. Extat Græce: *Μόνοι γὰρ αἱρετικοὶ ἀναβαπτίζονται, ἐπειδὴ τὸ πρότερον οὐκ ἦν βάπτισμα*. Male particula *ἐπειδὴ* redditur per *siquidem*; est enim idem, ac *ubi, simul ac, quum*, aut consimilis: & videtur mihi Cyrilli sensum hunc esse, unum esse baptismum, nec repeti unquam; rebaptizari tantummodo hæreticos, non semper, sed *quando* verum baptismum ob adulteratam *formam* non conferunt. Lupus in librum Tertul. de Præscript. cap. 41. censet S. Cyrillum in Synodo prima Constantinopolitana, cui interfuit, traditam in Catechesibus sententiam retractasse.

PROP. X. Concilium plenarium, de quo Augustinus adversus Donatistas affirmat, ad ejus auctoritatem & robur perductam antiquam unius Baptismatis consuetudinem, videtur esse Nicænum; sed non illud solum innuere vult Præsul sapientissimus.

Scribit Augustinus lib. II. de Bapt. cap. VII. num. 12. de controversia Rebaptizantium: *Post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est*; & cap. 12. num. 14. *Postea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur & quæritur, non solum inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque producta*. Inquirunt itaque de qua Synodo S. Pater intelligendus sit. Lovanienses Theologi, Balduinus, Nicolajus, Nat. Alexander, Norisius, Lupus, Bossuetius, & alii quamplurimi contendunt loqui S. Patrem de Concilio Nicæno: Marca, Sirmondus, Albaspinæus, Launojus, & PP. S. Mauri stant pro Synodo Arelatensi: in utramque partem disputant Merbesius, Habert, Juenin, Le Drou. Nos priori sententiæ adhæremus, ita tamen, ut cum Norisio nostro fateamur S. Patrem alias quoque Synodos adversus Donatistas celebratas indigitasse.

Ab Augustino itaque in Synodum Nicænam præcitatis in locis intendi digitum, demonstratur. S. Pater lib. 1. de Bapt. cap. VII. num. 9. ait magnos viros, & caritate præditos Episcopos diu in controversia baptismatis discepasse, *donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrima sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*. His verbis nullum aliud Concilium designatur præter Nicænum: primo quia istud solum appellari poterat eo temporis *plenarium totius orbis Concilium*, cum ibi convenerint Episcopi ex Oriente, & Occidente, CCCXVIII. deinde quia ætate Augustini sola Nicæna Synodus per antonomasiam plenaria & universalis dicebatur, nullo alio addito distinctionis vocabulo, quod haberetur nota satis, ac celebris; unde solo *universalis Concilii* nomine Nicænum designant in vita Augustini S. Possidius, & in Epistola 1. ad Himerium Tarraconensem Siricius Papa. Vide Norisium in Hist. Donat. pag. 178. Præterea in canone 19. Concilii Nicæni legitur: *De Paullianistis ad Ecclesiam catholicam confugientibus definitio probata est, ut baptizentur omnimodis*. Respondent post Launojum adversarii, eo in Canone Nicænum Concilium, dum solos Paullianistas rebaptizari jubet, nullam in admittendo ceterorum hæreticorum baptismate præscribere conditionem. Sed facile excutitur hæc responsio: primum, quia S. P. Augustinus existimavit Concilium Nicænum reprobasse baptismum Paullianistarum, quod minime præscriptam *formam* servarent, quam tamen custodiunt hæreticorum permulti: *Istos sane Paullianos* (inquit Augustinus de Hæres. num. 44.) *baptizandos esse in Ecclesia Catholica Nicæno Concilio constitutum est: unde credendum est eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt*. Existimavit itaque Augustinus ita Concilium Nicænum reprobasse baptismum Samosatensium, ut simul probarit baptismum hæreticorum illorum, qui unam, eamdemque cum Catholicis tenent regulam. Præterea Hieronymus in dialogo sæpe laudato adversus Luciferianos scribit, *Nicænam Synodum omnes hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis*; ac S. Innocentius Hieronymi & Augustini scriptis commendatus in Epist. 22. ad Episc. Macedoniæ versans laudatum Nicænum canonem, *Numquid* (ait) *cum de Paullianistis jubent, omnes, qui ab hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi?* Erat ergo ætate Augustini compertum, Nicæno canone Paullianistas rebaptizandos, non item alios quoscumque hæreticos. Tertio Arelatense Concilium in sensu Augustini dici nequit *plenarium*, ac *totius orbis*; quamquam phrasi Afris familiari quælibet Synodus collecta ex universa Africa, immo ex una tantum provincia, appellari possit aliquo sensu *plenaria*; igitur Augustinus nomine *Concilii plenarii* non intellexit Arelatense. Antec. probatur; primum quia ad Synodum Arelatensem soli Episcopi ex Occidentali Imperio, quod Constantino subjectum erat, anno 314. convenire potuerunt: at non aliquis ex universo Oriente, neque ex Ægypto, neque ex Africa usque ad Tripolitanos, immo neque ex Illyrico, & Græcia, quæ ad Romanam sedem pertinebant; per id enim temporis amplissimæ hæ provinciæ subjiciebantur Licinio Augusto: quare nec Synodus Arelatensis erat *plenaria*, nec talis existimabatur ab Augustino, cui, sicut & Optato Milevitano, ejus acta fuisse ignota, demonstrat pag. 186. illustris Norisius. Deinde S. Pater sæpenumero Donatistis obtrusit Romanam Synodum Melchiadis, Gesta proconsularia, Constantini literas, ipsorumque adversariorum Conventum Bagaitanum: numquam vero, nisi memoria me fallit, gesta sententiasque Synodi Arelatensis: duotarat in Epistola 43. ad Glorium, & Eleusium n. 20. & in Epist. 53. ad Generosum num. 5. meminit *judicii Arelatensis*: sed ex iisdem locis constat non esse illud *plenarium*, de quo in libris de Baptismo; priori enim Epistola, nec *concilii* nomine utitur, nec judicium *plenarium* appellat, sed judicium *aliorum Episcoporum*, idest, non omnium, sed quorundam, inter quos non erant qui jam in causa Cæciliani sententiam pronuntiaverant. In altera item Epistola, *Alios* (inquit de Constantino) *Episcopos voluit apud Arelatum judicare*. In sententia itaque Augustini Synodus Arelatensis non *plenaria* & universalis erat, sed consessus aliquorum tantum Episcoporum. Ad hæc S. P. prælaudata ad Glorium & Eleusium Epistola, num. 19. pertractans de causa Cæciliani Romæ discussa, & inquirens an interpellantibus Donatistis eadem causa fuerit in aliquo plenario Concilio iterum dijudicata, inquit: *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint probent: nos enim non factum esse facile probamus, ex eo quod totus orbis non eis communicat: aut si factum est, etiam ibi sunt victi, quod ipsa eorum separatio manifestat*. Revera si Concilium illud *plenarium* fuisset Arelatense; neque Augustinus dubitasset num causa Cæciliani agitata iterum fuisset in plenario Concilio, nec firmitatem judicii Romæ lati commonstrasset ex Donatistarum separatione, & unitate Catholicorum: sed absque tali dilemmate affirmasset, plenariam illam synodum reipsa peractam, eamque esse Arelatensem. Præterea in Collatione Carthaginensi tertiæ diei nunquam Catholici pro Cæciliano produxerunt *plenariam* illam Arelatensem Synodum, sed Romanam Melchiadis: quod impetrare fecissent, si ad manus habuissent acta Synodi Arelatensis, quippe causantibus Donatistis exiguum numerum Episcoporum prædictæ Synodi Romanæ, cui interfuere tantummodo XIX. poterant opponere Arelatensem, ad quam Launojus convenisse putat Epi-

Episcopos DC. adeo ut fuerit, si illi adhibeatur fides, duplo major Nicæna. Si ergo Concilium Arelatense non fuit adversus Donatistas in ea Collatione productum; vel ab Africanis ignorabatur, vel non habebatur tanquam plenarium, & ad finiendam Cæciliani causam aptissimum. Tandem S. Pater in IV. libro contra Cresconium num. 32. *Nec forte auditum* putat nomen Cæciliani *in Ecclesiis Apostolico labore fundatis, Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Colossensium, Philippensium, Thessalonicensium, ceterarumque in sacris litteris conscriptarum*; quod utique non scripsisset, si Cæcilianum *in plenario totius orbis concilio* diffamatum a Donatistis, & absolutum existimasset; cumque pro Cæciliano latum scribat judicium Arelatense, nequit illud appellari ab Augustino judicium Synodi totius orbis plenariæ.

Verum tamen est Augustinum ab aliis quoque Synodis, præter Nicænam, asserere explosam sententiam Rebaptizantium. Nam lib. 2. contra Parm. cap. 13. num. 30. inquit: *Hoc enim jam in ipsa totius orbis unitate discussum, consideratum, perfectum, atque firmatum est*: & lib. 3. cap. IV. num. 21. de Donatistis ait: *Quosdam paucos in Africa damnaverunt, a quibus totius orbis judicio superati sunt*. Et in eodem libro cap. 6. num. 30. scribit ipsos Donatistas *totius orbis auctoritate convinci*: quæ loca cum aliis consimilibus indicant Tom. IX. pag. 103. PP. S. Mauri ad confirmandam Joannis Launoji opinionem. Sed ego per *unitatem & auctoritatem totius orbis*, non plenarium aliquod & universale Concilium arbitror intelligendum, sed communionem Catholicorum in eamdem sententiam conspirantium, aut si Concilium, non unum, sed multiplex, puta Nicænum, Capuanum, & forte etiam Arelatense. Nam S. Pater lib. VI. de Baptismo cap. 7. num. 10. consuetudinem Ecclesiæ, a qua Rebaptizantes discesserant, dici *Conciliis universalibus roboratam*, ibique de Cypriano, & collegis, inquit satis a se disputatum *pro universitate catholica consensionis, atque Concilii, in cujus unitate isti tamquam pia membra manserunt*: unde apparet non in uno Concilio causam Donatistarum discussam, atque aliud in sententia Augustini esse *Concilium plenarium*, aliud *unitatem Ecclesiæ*, siquidem Cyprianus, qui nunquam recessit ab unitate, consuetudinem unius baptismi in nullo concilio probavit, in pluribus conciliis rejecit.

Opp. 1. Concilium Arelatense primum recte appellatur *plenarium*. Ad illud enim convenerant plurimi ex diversis, *ac prope infinitis locis*, ut scribit Constantinus ad Chrestum Syracusanum. Eidem Concilio interfuisse DC. Episcopos inquit Ado Viennensis in Chronico. confirmatque id Epistola ad Silvestrum, quæ juxta antiquissimum Codicem Corbejensem habet: *Domino sanctissimo fratri Silvestro cœtus Episcoporum sexcentorum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi*. Præterea Concilium ex una tantum provincia collectum appellari *plenarium*, constat ex canone 65. codicis Africani. Ipsum concilium Donatistarum Bagajense dicitur ab Augustino *plenarium* lib. 2. contra Ep. Parmen. cap. 3. num. 7. aliisque in locis, quamvis ad illum convenerint soli Episcopi Donatiani, numero CCCX. Potiori itaque jure *plenarium* dici poterat ab Augustino Concilium Arelatense, ex omnibus Episcopis transmarinis collectum.

Resp. nequaquam a nobis institui quæstionem, an Synodus Arelatensis dici possit *plenaria*; disceptamus, an sit ea plenaria, de qua loquitur Augustinus: id vero negamus, quoniam *plenaria & universalis* per antonomasiam dici non potest, ac multo minus *totius orbis*; immo nec *Concilium*, sed tantum *judicium Arelatense* appelletur a S. Patre in literis ad Elusium, & *judicium transmarinum* lib. 3. contra Cresc. cap. 13. num. 16. Quot Episcopi convenerint ad Synodum Arelatensem, nobis incertum est. XXXIII. invenimus in subscriptionibus; sed non inficiabor deesse aliquos. Ducentos Episcopos ibidem convenisse scribit Baronius ad an. 314. n. 16. idem tenet Pagius ad eumdem annum, num. 22. nec aliter Nat. Alexander dis. IV. sæc. 4. quæst. 2. Id colligunt ex Augustino scribente lib. 1. contra Epistolam Parmen. cap. 5. *Usque adeo* (Donatistæ) *dementes sunt homines, ut ducentos judices apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos*. At habet castigata lectio, *contra judices*, non, *ducentos judices*; eaque verba, *esse postponendos*, contra omnium fere exemplarium fidem addita sunt. Eo item loci de Concilio Melchiadis, in quo novemdecim tantum adfuerunt Episcopi, non de Arelatensi, loquitur Augustinus. Frustra ergo inde colligas numerum ducentorum Episcoporum. Corbejensis, & Morbacensis Codices, qui habent *sexcentos*, & unde Ado in errorem fortassis inductus est, emendari debent ex Colbertino exemplari, quod fuit olim ipsius Ecclesiæ Arelatensis, & in quo legitur tantum, *cœtus Episcoporum*, omisso, *sexcentorum*. Incredibile est autem majorem Episcoporum numerum convenisse Arelate, quam Nicææ ad Synodum œcumenicam, & superato Licinio celebratum; quamquam ad Arelatensium Patrum multitudinem exaggerandam, Constantinus illos convenisse scribat *ex infinitis prope locis*; ne singulas Gallicanas urbes, unde Episcopi acciti erant, epistolæ ad Chrestum insereret. Adde ἀμυθήτων, ut est in Græco, non valere, *ex infinitis*, sed, *quæ necessum non est recensere*: μυθεῖσθαι enim est *dicere, eloqui*; unde Joannes Nicolai putat, *indicibilibus*: Sirmondus legit, *ex diversis compluribus*. Bagajensem vero Synodum Augustinus non dixit *absolute* plenariam, sed plenariam Donatistarum; vel ut inquiunt Nat. Alex. diss. 24. sæc. 3. & Tournelius de Sacram. in gen. q. 7. art. 2. Augustinus *ironice*, non ex propria sententia locutus est. Addimus citato cap. 3. eodemque in loco, S. Patrem Bagajense Concilium appellasse *plenarium trecentorum decem* Donatistarum, *qui cum universis provinciis Africæ convenerunt*; non vero *plenarium totius orbis*.

Opp. 2. Plura in Augustino inveniuntur, quæ demonstrant ab illo plenarium Concilium, de quo disputatur, non aliud intelligi præter Arelatense. Principio illud appellat *Transmarinum*, lib. 2. de bapt. cap. 8. num. 14. *Transmarinum* autem dici nequit Nicænum, in Bithynia quæ Asiæ minoris regio est, celebratum. Deinde epistola 167. ad Festum, nunc 89. num. 3. judicium Arelatense pronuntiatum dicit *ab omnibus transmarinis Episcopis*. Nec aliter Conc. 2. in Psal. 36. num. 22. Victos etiam, ac superatos Donatistas *totius orbis auctoritate, totius orbis judicio* affirmat S. Pater lib. 3. contra Parmen. cap. 4. num. 21, & cap. 6. num. 3. Insuper in Epistola ad Eleusium 43. postea quam de causa Donatistarum scripserat, *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari*, &c. num. 20. inquit; *Dedit ille*, idest Constantinus, *aliud Arelatense judicium*: ideoque Concilium Arelatense est illud plenarium, transmarinum, ac totius orbis, in quo universæ Ecclesiæ circa baptismum hæreticorum consuetudo certa evasit & confirmata. Demum si Concilium illud plenarium in mente Augustini est Nicænum, cur suo nomine non appellavit, dum id causæ catholicorum prodesse poterat, obesse, inquit Launojus, non poterat?

Solet ad primum responderi cum Joanne Nicolai, & Nat. Alexandro etiam Concilium Nicænum Afris dici *transmarinum*: quoniam S. Pater lib. 2. contra Cresconium cap. 37. num. 47. plurimis enumeratis Ecclesiis, inter quas recenset *Ecclesias Ponti, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*, inquit de Afris, *Habent cum illis transmarinis Ecclesiis societatem*, &c. Ubi proculdubio Augustinus *transmarinas* appellat omnes Ecclesias extra Africam, quæ mari Lybico, Arabico, & Atlantico clauditur, constitutas. Ego tamen non nego Augustinum *transmarinum* dicere etiam Concilium Arelatense; siquidem de Cæciliano inquit in Psalmum 36. *Purgavit se ille in transmarino judicio*: & lib. 3. contra Cresconium cap. 13. num. 16. *Factum est pro Cæciliano posterius judicium transmarinum, vestris apud Constantinum Imperatorem ut fieret instantibus*: quibus in locis agi de judicio Arelatensi perspicuum erit legentibus. Sed quid inde? Lib. 2. de Baptismo cap. 8. non ait S. Pater, ætate Cypriani nondum factum Concilium universale ac totius orbis transmarinum. Tantummodo disjunctive loquitur, *Nondum autem factum erat transmarinum, vel universale Concilium*, idest, nondum factum erat vel *transmarinum* Capuanum, a quo statutum *ne fiant rebaptizationes* habetur in Cod. Concil. Africæ num. 15. vel transmarinum aliud, vel *universale* Nicænum; ex quibus Conciliis, sive ex universa Ecclesia collectis, sive ex provinciis saltem transmarinis, potuisset Cyprianus antiquam agnoscere consuetudinem. Neque in Epistola ad Festum ait S. Pater ad Arelatensem Synodum convenisse *Transmarinos omnes Episcopos*, sed ait Donatistas non ad transmarinos Episcopos, sed ad Constantinum causam Cæciliani detulisse post latum Arelatense judicium; qua in re S. Præsul illorum pertinaciam & iniquitatem redarguit: *Apud quem*, inquit de Constantino, *ultro Cæciliani accusatores fuerant, cujus auctoritatem omnibus transmarinis Episcopis prætulerunt, ut non ad illos, sed ad illum Ecclesiæ causam deferrent*. Quare *Transmarini omnes Episcopi* non sunt Arelatenses, qui ad Constantini nutum judicarunt causam Cæciliani, sed sunt Episcopi omnes Occidentales, ad quorum potius quam ad Tribunal Imperatoris, erat eadem causa deferenda. Sermone autem 2. in Ps. 36. non ait Augustinus purgatum Cæcilianum in Concilio totius orbis, sed, *Purgavit se*, inquit, *in transmarino judicio. Consensit huic judicio universus terrarum orbis*. Consensit autem, non interfuit; consensitque communicans Afris, & fide tenens Ecclesiam extra Africæ fines diffusam verum habere baptismum. *Sed dicturus es mihi*, (ait paullo infra Augustinus) *numquid Donatistas millia Episcoporum damnaverunt de toto orbe terrarum? Optime, non damnarunt. Quare non damnarunt? Quia judicio non interfuerunt. Si judicio non interfuerunt, propterea non damnaverunt, quia causam illam penitus nescierunt*. Ac subinde damnasse demonstrat, quoniam nec Mesopotami, nec Syri, nec Pontici, nec alii longius constituti rebaptizantur. Hinc apparet, quo sensu scribat Augustinus superatos Donatistas *judicio, atque auctoritate totius orbis*, nec

nec tamen Arelatense Concilium sit illud universale, ac plenarium, de quo disputamus. At quod ex Epistola ad Eleusium depromitur, facere contra adversarios ostendimus paullo supra. Adde ibi Augustinum num. 20. appellare judicium Arelatense, *judicium aliorum Episcoporum*: superiori autem numero egerat de Concilio *plenario Ecclesiæ universæ*, ubi causa agitaretur cum iisdem Episcopis, *qui Romæ judicaverunt*. Ibi etiam scripsit devictos Donatistas e toto orbe terrarum, quoniam *cum Cæciliano permansit orbis terrarum communio, & ad eum a transmarinis Ecclesiis communicatoriæ literæ missæ sunt, non ad illum, quem ipsi scelerate ordinaverant*. Atque ita omnia sententiæ cohærent nostræ. Tandem Augustinus Concilium Nicænum proprio nomine non appellavit, quoniam nullum aliud erat eo temporis universale ac plenarium totius orbis; neque hoc tantum, sed & aliis judiciis Episcopalibus opinio rebaptizantium fuerat eliminata & explosa.

Opp. ultimo: Si rebaptizantium opinio Nicæno canone fuisset proscripta, id neque S. Basilius, neque Athanasius, neque Epiphanius ignorassent: quorum primus docuit omnes hæreticos rebaptizandos in priori ad Amphilochium canone; & canone 47. de actis. Synodi Trullanæ spectante ad Encratitas, inquit & istos non admittendos nisi rebaptizentur, & si aliqui oppositum sentiant, oportere *ut plures simul sint Episcopi, & sic canonem exponant*: quod utique Basilius non affirmasset, si nosset rem in Nicæna Synodo definitam. Athanasius pariter Orat. 2. rejecit baptismum Arianorum: & Epiphanius in Expositione Catholicæ fidei ait controversiam Rebaptizantium nondum *Synodi judicio* decisam.

Resp. illud nos principio ab adversariis quærere, quomodo Basilius, Athanasius, Epiphanius ignorarint definitionem Synodi Arelatensis, si fuit illud *Concilium plenarium totius orbis*, collectum *ex infinitis prope locis*, atque *ex omnibus mundi partibus*, majus Nicæno *fere duplo*, & Constantinopolitano 1. *quadruplo*, *sexcentorum* denique *Episcoporum*, ut contra Nicolajum clamitat Launojus? Deinde asserimus hoc argumento nihil evinci. Primum, quia nisi Patres aliqui existimarint actum in Nicæno Concilio de solis Paullianistis, non sequitur eamdem fuisse sententiam Augustini, quemadmodum non fuit Hieronymi, & Innocentii. Præterea Basilius subrogatus in sedem Firmiliani, qui statuerat omnes hæreticos rebaptizandos, inhærens insolitæ Cappadocum consuetudini, existimavit Nicænam Synodum non ut regulam dogmatis, sed disciplinæ juxta regionum consuetudinem variabilis, decimumnonum canonem edidisse. Nam Basilius canone 1. ait nonnullos Asiaticos probare hæreticorum baptisma *propter multorum œconomiam & dispensationem*, ut diximus prop. VIII. & præcitato canone 47. *Si autem*, inquit, *prohibita est apud nos hæc rebaptizatio, sicut & a Romanis, alicujus œconomiæ gratia*, &c. Vid. edit. Sonnii pag. 782. Idem ad Epiphanium respondet Norisius Tom. IV. pag. 182. sed arbitror Epiphanium de solis Arianis pertractare, quos utique rebaptizandos *nullius Synodi judicio* decisum est. De Athanasio autem aperui mentem meam prop. præcedenti.

PROP. XI. Præter Nicænum canonem, multæ aliæ Ecclesiasticæ definitiones probarunt baptisma hæreticorum, verbis Evangelicis, idest, invocatione S. Trinitatis collatum.

Etenim anno 313. Romana Synodus sub Melchiade damnavit Donatum a Casis nigris, *quod confessus sit rebaptizasse*, inquit Optatus lib. 1. n. 24. Dixi id factum anno 313. licet Optatus scribat *Constantino quater, & Licinio ter Consulibus*. Fuit enim Constantinus IV. Consul anno 315. non solum post Romanam, sed etiam Arelatensem celebratam Synodum: quare Augustinus libro post Collat. cap. 33. n. 56. inquit, *Nam Melchiades judicavit Constantino ter & Licinio iterum consulibus, sexto nonas Octobres*, idest, anno 313. in quem concurrit Consulatus tertius Constantini, & secundus Licinii, aut si numeretur Consulatus Licinii suffectus anni 313. tertius ipsius quoque Licinii: atque ita scriptum e pluribus absque mendo, *Constantino ter, & Licinio ter Coss.* quod moneo, ne Augustini verba censeas castiganda. II. Sequitur Synodus Arelatensis celebrata anno 314. cujus extat VIII. canon: *De Afris autem, quod propria lege sua utantur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis hæreticus venerit, interrogent eum symbolum, & si perviderint eum in Patre, Filio, & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur: quod si interrogatus symbolum, non responderit Trinitatem, tunc merito baptizetur.* III. Deinde Concilium Nicænum, de quo supra, canone 8. Catharos, sive Novatianos in Ecclesiam admittendos jussit sola manuum impositione, canone autem 19. rebaptizandos Paullianistas, regulam baptismatis non tenentes, ut superiori propositione disserebamus. IV. Synodus Laodicena celebrata, ut inquiunt, anno 364. canone 8. *omni industria institui & baptizari* præcepit Montanistas, & Cataphrygas, quos non servasse præscriptam formam baptismatis diximus octavo capite. Ambiguum tamen est quod canone 7. ejusdem Synodi habetur, Novatianos, Photinianos, & Quartodecimanos, *edoctos fidei symbola, & inunctos sacro oleo fieri participes sancti mysterii*; cum Photiniani vix discreparint a Paullianistis: unde vel Photiniani, ut censet Binius, præter fidem antiqui codicis, intrusi sunt; vel saltem illorum aliqui cum Samosatensibus dogmate, non ritu baptismatis convenerunt. V. Rebaptizandos *Eunomianos, Montanistas, & Sabellianos*, non vero Arianos, Macedonianos, & Novatianos, statuit anno 381. Constantinopolitanum primum, sive secundum generale Concilium, canone 7. non alia ratione, nisi quia primi tingentes verbis Evangelicis non utebantur. VI. Siricius Papa anno 386. in Synodo Romana sancit, *ut venientes a Novatianis, vel Montensibus* (idest Donatistis) *per manus impositionem recipiantur*, hac ratione addita, *Quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati*. Vide Innoc. Epist. ad Victricium cap. 8. & quam ad Africanos dedit ipse Siricius, vindicatam e Cl. P. Coustantio Tom. 1. Epist. Rom. Pontif. VII. Anno 389. Concilium Capuanum, quod Synodus III. Carthag. can. 38. appellat *plenarium*, & eod. can. Afric. can. 68. *transmarinum*, decrevit canone 38. *Non liceat fieri rebaptizationes*. VIII. Synodus Hipponensis anni 393. confirmata in Concilio Carthaginensi anno 397. edidit decretum, ut in recipiendis Donatistis *invitata pacis compensatione & sacrificio caritatis aboleantur quæ majorum suorum auctoritatem sequentes repetitione baptismatis commiserunt*. IX. His, aliisque insistens sacrosancta Synodus Tridentina sess. VII. can. 4. ita statuit: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit*.

PROP. XII. Postremo etiam Augustorum legibus proscriptus est Rebaptismus.

Non est animus in medium proferre leges singulas in Donatistas ab Imperatoribus latas. Eas in unum collectas vide in Append. Tom. IX. Operum S. P. Augustini, in monumentis additis ad libros Optati, & in historia Donatistarum Norisiana. Seligam quæ ad præsens attinet institutum. I. Est lex Valentiniani senioris an. 373. die 20. Febr. quæ declarat *Sacerdotio indignum antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit*. II. Gratiani an. 377. die 17. Octob. in qua habetur: *Eorum condemnamus errorem, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis sacramenta sortitos alios rursus baptismate non purificant, sed inquinant, lavacri nomine polluentes*. Laudatur ibidem divalis Constantini, Constantii, & Valentiniani. III. Lex Honorii anno 405. die 12. Februarii: *Rebaptizantium non patimur levior errorem*. IV. Lex ejusdem Honorii lata per idem temporis: *Quisquis posthac fuerit rebaptizasse detectus, Judici, qui provinciæ præsidet, deferatur, ut facultatum omnium publicatione mulctatus, inopiæ pœnam, qua in perpetuum afficiatur, expendat*. V. Est lex consimilis eadem die, eodemque fine ab ipso Honorio emissa, ne *divinam gratiam sub repetito baptismate pollutam Donatistarum secreta violarent*, &c. Vid. Cod. Theodosianum lib. XVI. Tit. 6. *Ne sanctum baptisma iteretur*. Hactenus de historicis circa Anabaptismum velitationibus.

CAPUT XIV.

Demonstratur baptismum ab hæreticis, & a paganis collatum esse validum ac legitimum.

INstituitur quæstio, ut ex præcedentibus dissertationibus manifestum est, de baptismo Evangelicis verbis, idest, præscripta in Evangelio formula consecrato, & collato cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quæritur etiam de baptismatis *charactere*, non de gratia: nam enim, si hæreticorum baptismus ratus est, certo consequuntur infantes, necnon adulti, qui bona fide, alio ministro destituti, neque hæreticis communicantes, ab his recipiunt regenerationis lavacrum; illi vero, qui hæresi consentiunt, aut baptismum extra Ecclesiam sponte suscipiunt, nec dare, nec habere possunt remissionem peccatorum: *Corporalia enim sacramenta, quæ portant & celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis. Virtus vero pietatis invisibilis & spiritalis ita in eis non potest esse, quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum, quando amputatur a corpore.* Causa 1. q. 1. cap. 49.

PROP. I. Valet baptismus datus ab hæreticis *in nomine Trinitatis*.

Luculenter hanc propositionem confirmant producta præcedenti capite munimenta, ac præsertim Ecclesiasticæ definitiones. Ecclesiæ consuetudo, atque traditio Patrum, quibus accedunt divinæ Scripturæ testimonia, pluraque argumenta Augustini Donatistas naviter oppugnantis. I. Priorem tenent locum Conciliorum canones, de quibus paullo supra. His accedunt decreta Romanorum Pontificum collecta e Gratiano de Consecrat. dist. IV. nimirum cap. 27. *Si qui apud illos*, ex Epistola S. Leonis 2. alias 29. scripta anno 443. in Galliam: cap. *Qui bis*

ignoran-

ignoranter, n. 98. ex Epist. Felicis III. data anno 488. ad universos Episcopos: cap. 19. *Quamvis unum baptisma*, ex Epistola Pelagii ad Gaudentium conscripta anno 557. cap. 43. *Non in vobis*, ex Epist. S. Gregorii 61. lib. IX. ad Quirinum, in Iberiam directa an. 601. cap. 51. *Sive hereticus*, ex Epist. I. cap. I. Gregorii III. missa an. 738. ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum. Præscribitur hisce decretis, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizati sunt, nullatenus novo baptismate tingantur, & ad Catholicam venientes sola reconciliationis impensa gratia recipiantur, ut inquit S. P. lib. 1. de Baptis. cap. I. num. 2. sive juxta Ecclesiæ consuetudinem per impositionem manus, sive per unctionem chrismatis, ut habetur in cap. *Ab antiqua*, præcitata dist. IV. de Consecrat. Definitionibus igitur Ecclesiasticis perspicuum est valere hæreticorum baptisma.

Idem demonstratur Ecclesiæ vetustissima consuetudine. Hæc, primum comprobatur Stephani decreto, de quo prop. 4. superioris cap. ipso enim decreto in Romana Synodo emanato declaratur in more positum a primordiis Ecclesiæ, ut hæretici manuum impositione, non repetito lavacro susciperentur. Quod perpendens Lirinensis cap. 4. Common. recte scripsit, Agrippinum omnium primum censuisse rebaptizandum, *contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem & instituta majorum*. Eamdem consuetudinem commonstravit plenarium Concilium Nicænum, & quæ postea sunt consecrata. Ejusdem testis Hieronymus, scribens adversus Luciferianos de Epistolis Cypriani: *In quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis, lacerat errorem*. Augustinus perantiquam consuetudinem illam in libris de Baptismo invicte commonstrat: ac primum lib. 2. de Baptismo cap. VII. num. 12. ait consuetudinem ipsam *ex Apostolorum traditione* derivatam; idque probat, quoniam *quæ per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur*. Addit ex confessione Cypriani, *hanc saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum quasi cœpisse corrigi*: sed verius credendum, *corrumpi cœpisse, non corrigi*. Cap. IX. ejusdem libri num. 14. ipsiusmet consuetudinis vetustatem ex ipso Cypriano confirmat, ex quo scilicet sanctus Martyr adversus illam pugnaret, quoniam *hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem*. Libro autem tertio cap. XII. num. 17. probat Augustinus, nec post Agrippinum in Africa Rebaptismum communiter obtinuisse, atque ita ratiocinatur: *Si permanebat ab Agrippino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt a Cypriano de hac re Concilia? Ut quid eidem Jubajano dicit, non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agrippino constitutam? Cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per auctoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus collegæ in Concilio dixerunt rationem & veritatem consuetudini præponendam, ac non potius dixerunt eos, qui aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra consuetudinem facere?* Exhibent hæc Augustini verba aliud vetustæ consuetudinis argumentum depromptum ex ipsis rebaptizantibus. Revera S. Cyprianus Ep. 71. ad Quintum, *Non est* (ait) *de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum*: & 74. ad Pompejum: *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est*. In Epist. etiam ad Jubajanum 73. inquit: *Sed dicet aliquis, quid ergo fiet de iis, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt?* Quo in loco, ut peracute notat Augustinus lib. 2. de Bapt. cap. 9. *Aperte indicat fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ*. Consuetudo itaque, ac traditio majorum demonstrat valere baptismum ab hæreticis in nomine Trinitatis collatum.

Divinæ Scripturæ testimonia priori loco, ut solemus, non produximus; non enim expresse dirimunt quæstionem illam, & bene ac sapienter ajebat Augustinus in primo adversus Cresconium num. 39. *Quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum; earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas*. Faciunt tamen ad rem nostram ea loca, quæ ostendunt Christum, non aliquem ministrantium, esse illum, *qui baptizat in Spiritu sancto*, ut Joan. 1. 33. de quo loco plura disseruit pertractans de probitate eorum, qui Sacramenta dispensant, sectatu; quæ S. P. docet Tract. V. in Joannem. Hinc deprompsit hujus asserti rationem præcipuam S. Thomas q. LXIV. art. 9. ubi demonstrat fidem ministri non requiri ad Sacramentum perficiendum, quoniam ille non in propria, sed in Christi virtute operatur.

At ne scholasticæ methodi omnino videamur obliti, Catholicam veritatem confirmabimus nonnullis Theologicis ratiocinationibus. Quarum sit prima: Baptismus *propria sanctitate ac veritate constat*; ergo neque improbitate, neque infidelitate ministrantium potest labefactari. Probat antecedens Augustinus lib. III. de Bapt. cap. 10. num. 15. *quia Sacramento divina virtus assistit*; quia neque lucernæ lux, *cum per cœnosa diffunditur*, inde aliquid sordium contrahit; quia etsi res visibiles, quibus sacramenta tractantur, corruptibiles sint, *tamen quod per illas agitur non potest corrumpi, quamvis homines, per quos agitur, pro suis moribus vel præmia percipiant, vel pœnas luant*. Confirmat S. Pater idem argumentum lib. V. cap. 19. num. 27. quoniam per Cyprianum in Epist. ad Jubajanum valet baptismus ab eo datus, qui malevola invidia tabescit, & quem *homicidam*, & *in tenebris esse* testatur Epist. 1. 2. 3. Joannes. Objicienti ergo, quod hæresis Sacramentum inficiat, his occurrit S. P. Augustinus: *Quomodo aquam mundat & sanctificat homicida? quomodo benedicunt oleum tenebræ?* Quasi ita ratiocinetur: Ex confessione Rebaptizantium crimen odii & invidentiæ non labefactat Sacramenti sanctitatem. Ergo error & hæresis non tollit Sacramenti veritatem. Idem confirmat S. Pater lib. V. cap. VIII. num. 9. eptissima comparatione: Sicut de lege dixit Apostolus, *Bona est lex, si quis ea legitime utatur; ita de Baptismo recte dicere possumus, Bonus est baptismus, si quis eo legitime utatur: & sicut non faciebant tunc, ut lex bona non esset, aut omnino nulla esset, qui ea non legitime utebantur; sic nullo modo facit, ut baptismus bonus non sit, aut ut omnino baptismus non sit, quisquis eo, sive quia in hæresi, sive quia in pessimis moribus vivit, non legitime utitur*. Brevi comparationem ipsam propono: Prævaricatoris impietas legem impiam non reddit; igitur neque error ministrantium reddit Sacramentum nullum & fallax. Altera ratiocinatio sit: Unus baptismus est, qui vel in hæresi, vel in Catholica datus; Baptismus itaque hæreticorum repeti nequit. Consequentia est legitima, siquidem præcipua Rebaptizantium ratio petitur ex quo baptisma sit unum, ideoque diversa baptismata nequeant approbari. Antecedens autem ab Augustino probatur præcitato Tractatu V. in Joannem num. 18. quia Christi, non ministrorum baptismus est, & ideo *quos baptizant ebriosi, adulteri, homicidæ* (idem dic de hæreticis) *Christus baptizat*, & confertur unus idemque baptismus. Corroborat Augustinus eamdem argumentationem lib. 2. contra lit. Petil. num. 57. quoniam Baptismus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *Christum habet auctorem, non quemlibet hominem: & Christus est veritas, non quilibet homo*. Similia in lib. de Unit. Eccl. cap. 23. n. 65. Utitur ad idem confirmandum in libro de unico baptismo contra Petilian. cap. 8. num. 13. argumento a pari: *Hic fortasse dicat, jam non esse Christi sacramentum, quod a sacrilegis datur. Cur non ergo dicit non esse etiam nomen Christi, quod a sacrilegis dicitur?* & post pauca: *Sicut illud nomen est Jesu Christi, ita & iste baptismus Jesu Christi*. Continent hæc Augustini verba enthymema illud: Unum est ac idem Christi nomen prolatum ab Apostolis, & a Pseudoprophetis; igitur unus pariter idemque baptismus est, sive a Catholicis collatus, sive ab hæreticis. Urget S. Pater lib. VII. de Baptismo cap. 14. num. 27. sententiam Rebaptizantium, præsertim Cypriani approbantis baptismum iniquorum, & ait: *Cur non etiam ille duos baptismos facit, qui dicis quia & iniqui baptizant?* quæ verba aliud nobis enthymema suppeditant, videlicet: Unus est baptismus, sive a bono, sive a malo collatus; igitur & unus est, sive ab infideli conferatur, sive a fideli. Ratiocinatio tertia sit: Potest baptismus conferri extra catholicam Ecclesiam: Ergo conferri potest ab hæreticis. Antecedens probatur ab Augustino lib. I. de Baptismo cap. I. num. 2. quoniam *recedentes, qui prius quam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur*; ideoque extra unitatem Ecclesiæ baptismus non amittitur. *Quod si haberi foris potest, etiam dari cur non potest?* Addit lib. III. cap. XVI. num. 20. petitam ex scripturis divinis comparationem, dicens: *Sacramenta si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi prave intelliguntur, & discordiose tractantur: sicut scriptura ipsius Evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsorum opinionum varietate asseratur*: quasi diceret, Asservari potest scriptura in manu hæreticorum, igitur & baptismus. Insuper acutissime Augustinus demonstrat posse generari Ecclesiæ filios per baptismum Christi etiam extra Ecclesiam, quemadmodum Abrahæ ex Agar Gen. 16. 15. natus est Ismael, & Rachel uxor Jacob filios sibi acquisivit ex utero ancillæ suæ Balam: Lia quoque obtinuit filios ex utero Zelphæ Gen. 30. 3. 9. *Cum tales a spiritualibus evangelizantur, & sacramentis imbuuntur*, (inquit Aug. lib. I. de Bapt. cap. XVI. num. 25.) *tamquam per se ipsam Rebecca eos parit, sicut Esau: cum autem per illos, qui non caste annuntiant Evangelium, tales in Dei populo generantur, Sara quidem, sed per Agar. Item boni spiritales, quando evangelizantibus vel baptizantibus carnalibus generantur, Lia quidem vel Rachel jure conjugali eos, sed per ancillarum uterum parit*. Sed oporteret, si argumenta omnia colligenda forent, exscribere universum fere Tomum IX. sive Augustini Polemicas contra Donatistas lucubrationes.

Facile ex dictis objecta omnia solvuntur: quæ cum permulta sint, ad tria tamen capita revocantur, ad scripturas, ad auctoritatem majorum, atque ad rationem. Ex scripturis hæc opponuntur. I. Baptismus unus est, scriben-

scribente Apostolo ad Ephes. iv. 5. *Una fides, unum baptisma;* ut ergo hæretici non hebent fidem, ita nec baptismum. II. Una pariter est Ecclesia: de qua Cant. iv. 12. *Hortus conclusus, fons signatus*, & vi. 8. *Una est columba mea, perfecta mea.* Nequeunt hæretici in hortum istum conclusum ingredi, utpote qui extra Ecclesiæ unitatem ejecti sunt; ideoque eumdem fontem aquarum viventium non poterunt nobiscum habere communem. III. Ait Apostolus ad Galetas iii. 27. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Christum non induunt, qui eb hæreticis tinguntur; ergo nec vere baptizantur. IV. De hæreticis prænuntiatum a Jeremia ii. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam.* Quomodo ergo habent hæretici *fontem aquæ vivæ, & salientis in vitam æternam*, idest salvificam undam baptismatis? Accedit quod aqua hæreticorum profana est & adultere. V. De his, qui eb hæreticis tinguntur, Ecclesiasticus prædixit xxxiv. 30. *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Inane est itaque lavacrum hæreticorum. Huc spectant, quæ de ministro improbo diximus lib. xxx. cap. xiv.

Resp. ad 1. utique unum esse baptismum Christi, sed esse unum tam in manibus hæreticorum, quam Catholicorum, ut *de Scriptura*, etque *de Christi nomine* dictum supre. Quod objicitur de Fide, retorquetur ab Augustino lib. v. de Baptismo cap. xxvi. n. 37. nam Apostolus eo loco etiem ait unam esse spem: *Vocati estis*, inquit, *in una spe vocationis vestræ. At ipsis Apostolorum temporibus* fuerunt *quibus una spes non erat*, & tamen *erat unum baptisma*, cujus generis erant, *qui negabant resurrectionem mortuorum*, & nihilominus baptizati erant, ex 1. ad Corinth. xv. 12. Igitur unum pariter erit baptisma in iis, qui non habent eamdem fidem. Ratio autem, cur fide ableta permaneat baptismus, est quia Sacramentum baptismi spectat ed Ecclesiam, tanquam signum, nota, & character Christifidelium: notæ vero, & characteres permanent quoque in transfugis & epostatis; ut lib. 2. contra Parmen. cap. xiii. n. 29. idem Augustinus declarat. Ad 2. respondetur cum S. Patre cit. libro v. cap. 27. n. 38. si hortum conclusum, fontemque signatum intelligamus Ecclesiam Sanctorum, non esse *in avaris, & fraudatoribus, & raptoribus, & fæneratoribus, & invidis, qui tamen cum justis baptismum habent communem:* itaque eumdem baptismum eodem pactu habere possunt hæretici. Si vero *hortum conclusum* dicas Ecclesiam hujus temporis, in qua mali cum bonis permixti sunt, in ipsa Ecclesia sunt quædam propria sanctorum, ut caritas; quædam communia sanctis & improbis, ut fides; quædam permanentia extra Ecclesiæ corpus, *ut sacrosancta mysteria*: & consequenter hæretici, quemvis caritate & fide careant, hebere possunt nihilominus sacramenta. Adde Cep. 45. de Consecr. dist. iv. *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem ejus baptismum homines etiam foris recipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt.* Ad 3. hæc sit responsio: Aveii non sunt templum Dei; ait enim Apostolus 2. ad Corinth. vi. 16. *Quæ societas templo Dei cum idolis?* & avaritiam *idololatriam* esse Paulus ipse, necnon Cyprianus affirmant. Baptizati tamen ab evaris induunt Christum. Cur illum induere non possunt baptizati eb hæreticis? Adde homines *induere Christum duplici modo; quantum ad sacramenti perceptionem, & quantum ad vitæ sanctificationem:* quorum primum bonis & malis commune est, alterum proprium bonorum & piorum. Vide Augustinum eodem libro cap. xxiv. num. 34. Præmonui capite superiori, Cyprianum aliosque Rebaptizantes in istiusmodi ergumentis discrimen inter sacramentum, & gratiam sedulo non advertisse. Ad quartum reponimus, eos etiam, qui profitentur fidem, & vitiis indulgent, dereliquisse Deum fontem aquarum viventium: *Neque enim pedibus, ac non corde relinquitur Deus.* Præterea dicimus nec istos, neque hæreticos habere aquam viventem, *quantum ad sanctificationem vitæ;* quamquam illam habent *quantum ad participationem sacramenti.* Adeas librum 2. contra Parmenianum cap. x. num. 20. Affirmamus quoque non esse aquam profanam, *super quam nomen Dei invocatur*, quia nec ipse creatura, nec ipsum nomen profanum est. Ita c. *Non est aqua*, 50. de Consecr. dist. iv. & S. P. lib. iii. de Bapt. cap. 10. n. 15. Ultimum sic diluitur: Si mortui non baptizant, quare Donatistæ fatebantur in schismate baptizasse Felicianum? quare susceperunt, *quos ille mortuus in schismate baptizavit?* atque, ut elloquamur rebeptizantes alios, quare beptizant invidi, & odio habentes fratrem suum, *qui manent in morte?* Directe entem respondeo primum, baptizari e mortuo paganos, qui homines colunt, *in quorum nomine baptizantur*, ite Augustinus cit. libro 2. num. 22. deinde affirmo non baptizari a mortuo, *qui baptizantur a Christo;* ita S. Pater lib. 2. contra Cresconium Donatistam cap. 15. num. 30. De ipso Ecclesiastici loco vide quæ scripsimus pag. 207. hujusce voluminis.

Ex mejorum auctoritate objiciuntur primo Cypriani, aliorumque testimonia, de quibus puto me satis superque disseruisse. II. Objiciuntur canones Apostolici 45. & 46. quorum primus est: *Episcopum vel presbyterum, qui hæreticorum baptismum, vel sacrificium admiserit, deponi jubemus:* alter vero, *Episcopus vel presbyter eum, qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur.* III. Leo I. Epist. ad Nicetam. Urbanus II. Epist. ad Lucium, aliique Pontifices tradiderunt hæreticorum Sacramenta non posse sanctificationem conferre, & formam quidem, & speciem quamdam hebere, non eutem virtutem Sacrementorum.

Resp. ad primum ipsos Patres, qui steterunt pro Rebaptismo, minime denegasse contrariam vetustissimamque consuetudinem, postea plenariis Conciliis, Romanorum Pontificum statutis, reique matura discussione corroboratam. Ad secundum vulgeris est responsio, prædictos canones editos in eliqua Synodo Rebaptizantium, scilicet in Iconiensi, vel Synnadensi, ac deinde alicujus collectoris inscitia in numerum Apostolicorum intrusos: siquidem nec Cyprianus, nec Firmilianus, nec Rebaptizantium eliquis eosdem canones laudavit ad sententiam suam confirmandam, quod non solum Theologi Scholastici observarunt, verum etiam Zegerus Van-Espen. p. 3. Tract. Historico-canonici cap. 3. §. 4. & viri alii quamplurimi. Si genuini probentur, accipiendi erunt iidem canones de hæreticis baptismi *formam* edulterantibus. Ad 3. dicimus Leonem, Urbanum, & elios locutos de sanctificatione, non eutem de perceptione Sacramenti. *Ceterum*, inquit Gretianus dist. xxxii. c. 6. §. 4. *schismaticorum & hæreticorum sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta sanctorum Patrum traditiones, scilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, & Hieronymi, formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi, vel eorum sacramentis initiati, per manus impositionem ad Catholicam redierint unitatem.* Vid. Aug. lib. iv. contre Donat. cap. 4. num. 5. lib. 2. contre Permen. cap. xiii. num. 30. & Epist. 164. ad Emeritum, nunc 87. num. 9.

A ratione hæc præsertim objiciuntur. I. Per baptismum, & sacramentum regenerationis homines gignuntur filii Dei: atqui filii Dei generari non possunt nisi a Christi sponsa, idest, eb Ecclesia Catholice: Igitur in sola Ecclesia Catbolica est baptismus, & sacramentum regenerationis. II. Hæreticus Ecclesiæ membrum non est: nec ergo minister. Item hæreticus non habet Spiritum sanctum; quomodo ergo potest Spiritum sanctum conferre? Rursus penes hæreticum in Christi sacramenta nullum jus est: irritum est ergo collatum ab hæretico Sacramentum. III. Rebaptizatum est post baptismum Joannis, ex Act. xix. 5. Ergo multo magis rebeptizandum est post baptismum hæreticorum.

Resp. ad primum dist. mi. Sola Ecclesie Catholica generare potest Christi filios, vel proprio utero, vel utero encillarum suarum, concedo; utero duntaxet proprio, nego. Explicavimus supra responsionem istam exemplo filiorum Abraham, & Jacob, quorum aliquos procrearunt Agar, & Zelpha. Ad secundum, nego conseq. minister enim Sacramentorum est causa instrumentalis, & Deus tam uti potest instrumentis sibi caritate, eut fide conjunctis, quam instrumentis e se per culpam, vel epostasiam separatis, ut sæpenumero iisdem usus est in perpetrandis miraculis ad gloriam nominis sui, fideique ergumentum: & ex quo minister sit instrumentalis causa Christi baptizantis, necessum non est, ut habeat Spiritum sanctum; quem non virtute sua minister ipse communicat, sed virtute Christi, & vi Sacramenti producentis gratiam efficientia sua, non ex meritis operantis. Verum tamen est, impium & hæreticum sibi jus conficiendi sacrementa arrogare: vult enim Deus, ut sancta pie fideliterque tractentur; sed id probat administrationem sacrilegam, non irritum, nullumque sacramentum. Vide quæ supre diximus ex Augustino libro v. contre Donatist. cap. 8. n. 9. Ad ultimum constet ex dissertatione de Baptismo Joannis cap. 2. hujus libri, maximum esse inter Joannis baptismum, & baptismum Christi discrimen; ac sat est, si repetamus cum Augustino: *Dedit Judas, & non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem: quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat.* Tract. v. in Joan. num. 18.

PROP. II. Tenet quoque Baptismus a pagano sub præscripta *forma* collatus.

Sequitur ex dictis: Si enim ad regenerandum sufficiens est aqua, supra quam Dei nomen invocetur; si quemadmodum hæresis hæreticorum est, ita baptismus, e quocunque ministretur, est Christi: si, aut Judas, eut Paulus, eut quilibet hominum tingat, Christus est, qui baptizat: si baptismus talis est, qualis est ille in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur: quæ omnia sunt verba Augustini dist. iv. de Consecr. relate in canones; procuidubio baptismus datus a non baptizato hujus errore ac perfidia nequit inditam sibi e Chri-

sto

sto virtutem deperdere. II. Nicolaus Papa anno 866. ad consulta Bulgarorum cap. 104. *A quodam Judæo* (inquit) *nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis; & quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, ... baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos*. In cap. etiam *Romanus*, de Cons. dist. 4. num. 23. desumpto aut ex Isidoro, aut ex lib. IV. Capitularium c. 6. habetur, *Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat*. Similiter Conc. Florentinum in decreto Eugenii: *In casu necessitatis etiam paganus & hæreticus baptizare potest*.

Opp. 1. Nicolaus eodem rescripto affirmavit quoque valere baptismum *in solo Christi nomine*, quod minime nos asseruimus. Non habet ergo idem rescriptum plenam ac firmissimam auctoritatem. Præterea Concilium Illiberitanum celebratum, ut inquiunt, anno 315. edidit canonem num. 38. *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum*. Igitur qui lavacrum non habet, baptizare etiam urgente necessitate non potest. Insuper Gregorius III. anno 738. scribens ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, ait: *Quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus*.

Resp. Nicolaum consultum a Bulgaris, num valeat baptismus a pagano datus, non de forma baptismatis; ideoque quod ait de baptismo in nomine Christi, esse opinionem insertam; quod vero docuit de pagano baptizante, esse Pontificium Rescriptum, & hoc omnino tenendum. Vide supra cap. 12. Canon Illiberitanus ita exponitur a Bellarmino, ut probet baptismum collatum a non bigamo & baptizato, nil vero de non baptizato aut bigamo statuat. Interpretantur eumdem canonem Suarez, & alii, non de necessitate, sed condecentia. Albaspinæus tamen, Mendoza, Martinus Lopez, & Van-Espen ajunt supponi eo canone non unum laicum adesse, sed plures: quo in casu lavacrum subministrare debeat, qui publicam pœnitentiam non subierit, nec sit bigamus: atque his subscribunt Theologi recentiores. At Gregorius III. rebaptizationem mandavit, quia pagani formam nequaquam servaverunt, caute usus animadversione, *si ita habetur*; unde Glossa in cap. *Quos a paganis*, inquit: *Scilicet in forma Ecclesiæ non fuerant baptizati*.

Opp. 2. Augustinus lib. 2. advers. Parmen. cap. XIII. num. 30. ait: *Et hæc quidem alia quæstio est, utrum & ab iis, qui numquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit*. Similia scribit lib. VII. de Bapt. cap. LIII. num. 102. Immo cum Donatistas frequentissime urgeat, ex eo quod Baptizati non possint sacramentum amittere quod in Catholica susceperunt, ac dari possit baptismus ubi potest haberi; videtur S. Pater aliud sentire de hæreticis, aliud de non baptizatis, qui cum baptismum non habeant, consequenter nec dare poterunt.

Resp. laudandam esse Augustini moderationem, dum in re, nondum Ecclesiæ auctoritate, & judicio definita, sententiam dicere detrectavit; quod modo post Romanorum Pontificum, & Conciliorum statuta, nequaquam faceret. Verum etsi dubitavit, ostendit tamen se ita affectum, ut crederet ratum, legitimumque baptismum, *ubicunque, & a quibuscumque verbis Evangelicis consecratum*: ita nimirum profitetur citato cap. 53. Imo dum adversus Donatistas demonstrat, Baptismo propriam inesse virtutem, esse illum Sacramentum Christi, non ministrantium, & alia hujus generis plurima, ubique propositionem istam confirmat. Quod Donatistas refutaverit, ex quo extra Ecclesiam non amittatur baptismus, id fecit ex eorum principiis, commonstrans, quod si extra Ecclesiam habetur, extra Ecclesiam & datur. Dicebant enim Donatistæ: *Recedens ab Ecclesia baptismum non amittit, jus dandi tamen amittit*, eodem num. 30. nuper citato. Sed, inquis, quomodo dat qui non habet? *Si loqueris de elemento sensibili*, idest, aqua; hanc habet & paganus: si *de forma*, hoc est de Evangelicis verbis, & hæc proferre potest, si didicerit. At si de gratia, cujus Sacramentum est signum visibile; illam non homo baptizans dat, sed Christus, in cujus nomine baptizat; cujus est baptismus: cujus virtus assistit signo a se divinitus instituto. *Redeo nunc ad illud vestrum quod dicitis, Qui non habet quod det, quomodo dat?* (inquit S. Optatus lib. V. de Schism. Donatist. num. 6.) *Unde hæc vox est? de qua lectione recitari potest? Vox est de vico collecta, non de libro lecta: Qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba in lege scripta non sunt, nam si, ut vultis homo dat, Deus vacat; & si Deus vacat, & apud vos est quod dandum est, ad vos fit conversio; quos baptizatis, in nomine vestro tinguntur. Erubescite beato Paulo clamanti, & suam gratulationem profitenti, numquid in nomine meo baptizati estis?* Ita pag. 86. postremæ edit. Parisiensis.

CAPUT XV.

Explicatur quando in praxi baptismus sit repetendus.

Sequitur ex præcedentibus dissertationibus, numquam iterandum esse baptismum rite, & *in nomine Trinitatis* collatum: quoniam baptismus unus est, una spiritalis regeneratio, & una Christi mors, cujus hoc Sacramentum gerit similitudinem; & quoniam id præscribit consuetudo ab Apostolis derivata, auctoritas canonum, definitio Apostolicæ cathedræ: idem commonstrat denique permanens in transfugis & apostatis nota, & character. Pollueret ergo se nefario sacrilegii crimine, qui iterum tingeret jam baptizatum, sacramentum Christi pessumdans, ac nullum reddens. Fieret etiam irregularis, & a suscipiendis Ordinibus arceretur, ut omnes Theologi & Jurisconsulti unanimiter docent; quum ex cap. 2. de Apostat. lib. V. Decret. acolythus, quamvis illum *minor ætas, & intentio fraterna salutis excusare videatur*, si rebaptizanti *publice astiterit*, ad superiores Ordines minime sit promovendus; si autem *occulte*, cum eo tantum valeat dispensari, *si ad religionem transire voluerit*. Quanto ergo magis eadem pœna mulctandus est sciente, & data opera rebaptizans? Is etiam, qui rebaptizantur, *si ignoranter id fecerint*, nequeunt secundum canones ordinari, *nisi magna aliqua necessitas cogat*, ex cap. *Qui bis ignoranter*, de Consecrat. dist. IV. num. 117. si vero bis baptizantur *ex industria*; in pœnitentia jacere illos convenit *usque ad exitus sui diem*, ex canone proximo, *Eos, quos Episcopos*. Atrocioribus quoque pœnis corporis subjici Rebaptizantes legibus imperatoriis, dictum est ad calcem capitis tertiidecimi. Generalis ergo sit regula: numquam repetatur baptismus, nisi post diligentiam adhibitam de priori baptismate gravis emergat dubitatio; atque in eo casu, non *absolute*, sed *conditionate* baptizetur; ut diximus pertractantes de Sacramentis in genere, decrevitque Alexander III. cap. *De quibus dubium est*, lib. III. Decret. tit. 42.

II.

Quid ergo agendum, si ad Catholicam Ecclesiam veniat, qui se in aliqua hæresi asserat baptizatum? Respondeo, *si in sanctæ Trinitatis nomine baptizatus sit*, instruendum esse, quo sensu in Ecclesia ejusdem Trinitatis mysterium teneatur, & purgatum fidei integritate confirmandum manus impositione; ut habetur cap. *Si qui apud illos*, de Consecrat. dist. IV. num. 28. *Si tantum in nomine Domini* se tinctum profiteatur, sine dubitationis ambiguo *in nomine sanctæ Trinitatis* est iterum baptizandus, cap. *Si revera*, ibidem num. 30. Si nesciat, num sit baptizatus, nullaque extent indicia, baptizandus est; quoniam *non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum nescitur*, ut alibi diximus, & liquet ex cap. *Cum itaque*, ibi. num. 112. Quod si certo sciat baptizatum se in nomine Trinitatis; omnino abstinendum est a baptismo, nisi aliqua perfidia hæresum præcedens lavacrum reddiderit nullum aut forma vitiata, aut contra Ecclesiæ consuetudinem pronuntiata ab aliquo, qui non fuderit aquam. Solent enim recentiorum hæreticorum quidam, ut demonstrent verba *concionatoria* esse, *non consecratoria*, ita profanare baptismum, ut unus aquam fundat, alter Evangelica verba pronuntiet: quod animadvertens Synodus Mechliniensis celebrata anno 1607. & proximo anno a Paulo V. approbata, statuit tit. 3. cap. 6. *ut ab hæreticis, (qui non sunt ad baptismum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est) baptizati, iterum sub conditione baptizentur*.

III.

At si domi ab obstetrice, urgente necessitate, baptizatus sit infans; est ne iterum sub conditione baptizandus? Affirmat citato loco Synodus Mechlin. necnon Iprensis tit. 12. cap. 5. neq. aliter sentiunt Joannes Molanus Tract. IV. cap. 3. Sylvius in q. 66. art. IX. & Farvacques de Bapt. q. VIII. Horum ratio est, quod mulieres subito necessitatis casu turbari possunt, & Parocho interroganti aliter referre, quam in ea perturbatione fecerint, aut dixerint. Fieri etiam potest, ut malitiose errent, maleficis & sortilegiis dæmoni inservientes. Verum quia baptismus iterari non debet, nisi adsit de illius nullitate prudens suspicio; extra controversiam positum arbitror, non repetendum baptismum, si obstetrices diligenti Parochorum examine deprehendantur idoneam adhibuisse materiam, præscriptam callere formam, hanc protulisse; nec responsis suis nutent, nullamque exhibeant peractæ rei ambiguitatem: si demum nulla prudens hæsitatio oriatur, illas aut ignorantia, aut malitia, aut negligentia peccasse; atque hoc sensu accipiendos esse puto cum præcitatis Synodis Farvacquesium, Sylvium, Molanum. Eam ob rem qui audit se infantulum fuisse baptizatum ab obstetrice, nulla angi debet sollicitudine, & firmi-

ter tenere Parochum baptismi sui explorassa rationem; ac memoria repetere, quod cap. *Veniens*, de Presb. non baptiz. ait Innoc. III. *De illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur quod fuerit baptizatus, ut hac præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.*

I V.

De infantibus denique expostitiis quæstio instituitur, an sub conditione baptizandi sint, si deferant collo appensam schedam, qua asseratur baptizatos fuisse? Respondent Theologi paullo supra laudati, utique istiusmodi infantes esse baptizandos, quoniam incompertum est, num scheda illa a rualefica muliere, ab atheo, a Judæo, a perditissimo aliquo homine sit appensa. Haud aliter statuit Rituale Romanum editum jussu Pauli V. tit. de baptizandis parvulis: *Infantes expositi, & inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur*. Quibus tamen verbis monemur, a baptizando parvulo abstinendum, si scheda illa a fide digno inveniatur conscripta; propterea quod, ut sæpe diximus, & præcedenti titulo ejusdem Ritualis cautum est, *conditionali forma non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, & ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum.*

C A P U T XVI.

Pertractatus de Pædobaptismo, idest, de baptismate parvulorum.

PRoximum est, ut postquam egimus de Rebaptizantibus, *de subjecto baptismi*, sive de baptizandis, dicere instituamus. Ac principio indubitatum est, posse baptizari omnes filios Adæ, qui generatione carnali contrahunt originalam reatum; cum ad hunc expiandum baptismus sit a Christo institutus: quod generale Christi mandatum Mat. XXVIII. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* universalis redemptio, participatio meritorum Christi, & aa, quæ da baptismi necessitate postea dicturi sumus, aperta confirmant. In quæstionem venire potest, an baptizari potuerit, & baptizata sit purissima Dei Genitrix nullo originali peccam, ut pie creditur, inquinata, idque de creatura alia, quæ extra consuetum naturæ ordinem, & absque polluto viri semine procrearetur, eadem ratione subjici posset disputationi. Nec vereor, quin multi assarant, nec Deiparam, nec innoxiam aliam creaturam fore baptizandam, propterea quod Augustinus de Præd. SS. cap. XIII. num. 25. scribat, *In eis, qui nullum habent omnino peccatum, falsus est baptismus, qui in remissionem traditur peccatorum*: & Walafridus Strabo de Reb. Eccl. cap. 26. de Pelagiano dogmate, *Si verum esset*, (inquit) *vel parvuli non baptizandi essent, vel si extra necessitatem baptizarentur, imperfectum & non verum in eis esset baptismi Sacramentum: quod in symbolo confitemur dari in remissionem peccatorum*. Euthymius tamen in caput 3. Joannis ex Majorum traditione refert, Chritum manibus suis tantummodo baptizasse *Petrum & Virginem matrem*: quamvis Evodius ætati Apostolorum proximus apud Nicephorum lib. II. cap. 3. litteris tradiderit, *solum Petrum* a Domino baptizatum. Certe Augustinus & Walafridus loquuntur de Baptismatis primario effectu, de remissione scilicet originariæ culpæ, quam negabant hæretici Pelagiani, non da initiatione, & cooptatione in Christi Ecclesiam, atque de visibili signaculorum consortio: quarum rerum intuitu, salvo meliori judicio, affirmarem Virginem, tametsi nulla contaminatam labe, sacra unda perfusam, quemadmodum, licet non pepererit *suscepto semine*, neque fuerit immunda ob sanguinis menstrui defluxum, secundum legem Moysi adiit templum, obtulit par turturum, aut duos pullos columbarum, servata aliarum puerperarum consuetudine.

Hac prætermissa parvi momenti quæstione, utilius disputatur, an ante rationis usum baptizari possint infantes: quod negant Valdenses, Petrobruissiani, Cathari, ac præsertim Anabaptistæ, de quorum secta diximus supra. Tribuunt quidam hanc hæresim & Hieracitis, de quibus Epiphanius hær. 67. & S. Pater August. h. 47. sed hi pueris negabant solummodo ante rationis usum salutem, *eo quod nullum certamen obierint*; & potius errasse videntur circa baptismi effectum, quam circa tempus administrationis. Solet & idem error tribui Tertulliano; sed, quemadmodum constabit infra, prorsus immerito. Recentiorum hæreticorum complures contendunt olim neminem baptizatum, *nisi ætate jam adulta*, neque invicte demonstrari antiquam esse & derivatam ex Apostolis consuetudinem pædobaptismi. Ita censent Salmasius in Epistola ad Justum Pacium, data sub nomine Simplicii Verini, Vitringa de Pædob. Vandale in Hist. Baptism. & in animadv. ad Augustinianam Epistolam 166. Joannes Phereponus, ubi more suo in S. Patrem iniquissimus, ait: *At Augustinum oportuisset proferre locum aliquem Scripturæ, ex quo liquido constet infantibus necessario impositum esse baptismum, ita, ut sine eo damnentur, qualis locus nullus est*. Similia ad epist. 175. His nil poterat dici absurdius, nam S. Pater, quæ ex Scriptura adduci poterant, attulit & exornavit, devicitque Pelagianos etiam traditione, quam hi minime denegabant. Id ex hac dissertatione patefiet. Quantum ad Scripturam attinet; Vossius disput. X. de Baptismo conqueritur Bellarminum lib. IV. de Verbo Dei cap. 4. Collerum in Enchiridio, & Gretserum in defens. Bellarmini tit. 1. cap. 9. lib. 4. asserere Baptismum infantium probari contra Anabaptistas non posse, *seclusa traditione non scripta*, & nihilominus Bellarminum lib. de Bapt. cap. 8. hanc veritatem ex Scripturis demonstrare; quod, inquit, & præstant Eckius, Suaresius, Gregorius de Valentia, aliique. Verum, dum Catholici ajunt baptismum parvulorum non evinci ex Scripturis, id tradunt de veritate, quæ in Scriptura contineatur expresse, perspicue, & nequeat seclusa Ecclesiæ auctoritate, ab iis qui jactant se duci privato spiritu, facile eludi: non de veritate, quæ ea Scripturis recte inferatur, maxima si Ecclesiæ judicium, consensus Patrum, & robur traditionis accedat: nec mirum ita loqui Vossium, qui solis Scripturis dogmata firmari putat, more cetrrorum hæreticorum. Præter Sectarios autem *neminem olim admotum sacro baptisterio, nisi adulta ætate*, affirmavit Annot. in librum primum de Civit. Dei cap. 27. Ludovicus Vives; nec aliter Walafridus Strabo de Rebus Eccl. cap. 26. Hi tamen, licet in historia temporum erraverint, & quorundam consuetudinem differendi baptismum crediderint esse universalem & perantiquam; minime tamen negarunt licite, ac valide parvulos baptizari, ut ostendunt præcitata verba Walafridi. Consulto Ludovici Vives opinionem ex præcitatis Annotationibus expunxerunt Theologi Lovanienses. Erasmus in Epistola, quæ præmittitur illius Paraphrasi in Matth. docuit parvulos, *cum adoleverint interrogandos, an ratas habeant promissiones per eorum sponsores factas*, neque ad Christianam vitam cogendos, si illas noluerint confirmare: quam sententiam anno 1527. proscripsit Facultas Parisiensis, immo & Tridentinum Concilium sess. VII. canone 14. de Baptismo. Ex iis demum, qui probarunt parvulorum baptismum, Fidus, quem Pamelius Episcopum putat, Morellius autem presbyterum, voluit nonnisi die octava baptizandum infantem, apud Cyprianum Ep. 59. quod non utiqua propter necessitatem, sed propter mysterium alii etiam commendaverunt. Nonnulli ad quadragesimum diem, quidam ad triennium differendum baptismum existimarunt, nisi tamen immineat vitæ periculum, inter quos Orat. XL. sanctus Gregorius Nazianzenus. Quærimus ergo quid hac in re facere æquum sit, atque expediat.

PROPOSITIO. Licitum, & congruum est parvulos baptizare.

Id priori loco evincitur ex Scripturis. I. Ut olim Deus mandavit *indefinite, ac universim* circumcisionem Gen. XVII. ne *anima* incircumcisi *deleretur de populo suo*: ita Joannis III. 5. præscripsit unicuique & absolute baptismum, ne a regno Dei excluderetur, dicens, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Quemadmodum ergo circumcisioni subjiciebantur pueruli, ita & nunc sunt baptismate regenerandi. Consequentiam demonstrant quæ diximus cap. 3. ubi ostendimus ex Augustino, Prosper, Gregorio Magno, Innocentio III. atque ex ipsis Scripturis, tam circumcisionem, quam baptismum ad delendum Originale peccatum fuisse instituta. Atque hoc argumentum confirmatur, quoniam sicut olim nemo reputabatur absque circumcisione inter semen Abrahæ, quia Deus circumcisionem præceperat in signum fœdris, dicens Gen. XVII. 7. *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fædere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te*; ita in baptismate facta est tam parvulis, quam adultis promissio gratiæ: unde ait Petrus Act. II. 39. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio & filiis vestris, & omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster*. Accedit quod sicut capax erat circumcisionis quilibet masculus, ita capax est regenerationis quisquis materno ex utero natus est: & ideo Christus post ea verba, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* addidit, *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, demonstrans posse renasci spiritu, quisquis natus est carne. II. Argumentum alterum est, quod Christus redemit omnes, nec est mortalium aliquis, qui redemptionis fructum nequeat percipere. Scribit enim Apostolus ad Rom. V. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*. At non moriuntur parvuli in Adam, nisi ab illo per carnalem generationem oriantur; Igitur nequeunt in Christo vivificari, nisi per Christum regenerentur, neque ad vitam spiritualem resurge-

surgere, nisi cum Christo sepeliantur in mortem. Est autem baptismus *lavacrum regenerationis* ad Titum III. 5. & id, quo *consepulti sumus* cum Christo *in mortem*, ad Rom. VI. 4. Nec enim requiritur, ut parvuli spiritaliter reviviscant, ipsorum fides, ac motus arbitrii; quia nec illorum assensus interfuit, ut peccarent in Adam. Vide quæ scripsimus volum. III. pag. 113. Hinc est, quod etiam parvulis Christi beneficia collata sunt: Matthæi quippe XIX. 13. *Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret*; & discipulis increpantibus eos, qui parvulos offerebant, inquit: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cælorum*. Immo ab Apostolis etiam parvulos baptizatos haud obscure colligitur ex Act. XVI. 15. ubi legimus baptizatam integram familiam, domumque Lydiæ purpurariæ, & versu 33. *domum omnem* custodis carceris: Paulus etiam 1. ad Corinth. 16. testatur se baptizasse *Stephanæ domum*. In tota autem domo, ac familia universa comprehenduntur & parvuli. III. Non tantum adulti, verum etiam infantes Hebræorum transierunt mare rubrum, ut liquet ex libro Exodi XII. 37. Omnia autem in figura contingebant illis, & *omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari*, ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. X. 2. Debet ergo typo veritas respondere, & parvulis conferri baptismus. Ad revincendam Phereponi temeritatem obiter nota hæc argumenta non uno in loco pertractari ab Augustino: primum de Circumcisione lib. IV. de Baptismo cap. XXIV. num. 31. de Peccat. Origin. cap. XXX. num. 35. lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. XI. num. 24. Contra Julianum lib. 2. cap. VI. num. 18. & lib. 1. Op. Imperf. num. 50. Alterum de Christi Redemptione, morte, ac sepultura lib. 1. de peccat. meritis cap. 27. num. 41. ac lib. 3. cap. V. num. 10. lib. VI. contra Jul. cap. IV. n. 8. 10. 13. & in Op. Imperf. lib. 2. num. 172. Tertium quoque Tract. XLV. in Joan. num. 9. in Psal. LXXII. num. 5. & LXXX. n. 8. Serm. IV. num. 9. & CCCLII. num. 3. de Catechiz. rud. cap. XX. num. 34. ubique iisdem Scripturæ locis productis.

Deinde propositio demonstratur ex Traditione, quam adversus Pelagianos urget S. Pater serm. X. de Verbis Apost. nunc 176. num. 2. his verbis: *Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit: hoc a majorum fide percepit: hoc usque in finem perseveranter custodit*. Superiori serm. 174. num. 9. morem baptizandi parvulos appellaverat *antiquam fidei regulam*. Commendat Augustinus eamdem traditionem lib. X. de Genes. ad literam cap. XXIII. num. 39. Compertam & inconcussam esse traditionem illam inde liquet, quod illam nec Pelagiani ausi sunt denegare, comminiscentes baptizandum quidem parvulum, sed non ut mundetur ab originali peccato: unde S. Pater lib. 1. de peccat. merit. cap. 36. num. 39. de Pelagianis inquit. *Porro quia parvulos baptizandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, proculdubio per Dominum & Apostolos traditam, venire non possunt: concedant oportet eos egere beneficiis Mediatoris, &c.* Profecto si hæc traditio ætate Augustini ambigua & inexplorata fuisset; nunquam illam probassent Pelagiani, ingenia bona & peracuta, nimium ab Augustino argumentis petitis a baptismate parvulorum vexati. II. Revera hæc traditio lectione Patrum redditur manifesta. Auctor libri de Eccl. Hierarch. cap. ult. ait θεογενεσίας idest, divinæ, ac spiritalis generationis participes fieri *etiam pueros, qui nondum divina mysteria percipiunt*. Scriptor Constit. Apostolic. cap. 15. libri 6. pag. edit. Cotel. 344. *Sed & baptizate* (inquit) *vestros pueros, atque eos educate in disciplina, ac monitis Dei*. Irenæus lib. 2. adversus hæreses cap. 39. & ea edit. Massuet. 22. ait: *Omnem ætatem Dominus sanctificat: omnes, inquam, omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores*. Similia Origenes in cap. VI. ad Rom. & hom. 8. in Levit. S. Cyprianus Epist. 59. ad Fidum, Chrysostomus hom. ad Neophytos, Ambrosius lib. II. de Abraham cap. XI. n. 81. aliique omnes.

Accedunt Ecclesiæ definitiones: inter quas connumerari potest Cypriani Epist. ad Fidum, olim LXVI. Episcoporum, postea Hieronymi in fine Dialogi III. adversus Pelagianos, & Augustini lib. IV. contra duas Epist. Pelag. cap. VIII. num. 23. & lib. 1. contra Jul. cap. III. num. 6. suffragio probata. Concilium Africæ plenarium celebratum Carthagine anno 418. edidit proximum canonem num. 2. *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, anathema sit*. Tribuitur Tom. 2. Concil. Concilio Milevitano celebrato an. 416. sed vide Append. Tom. X. Op. Aug. pag. 106. Gerundensem, & Barchinonensem Synodum protert Tournelius pag. 155. Senonensem anni 1524. Parisiensem an. 1557. Bituricensem an. 1584. Aquensem an. 1585. nec non capitularia Caroli Magni an. 789. producit Martenius de Antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. 1. art. 8. num. 11. Adde caput, *Parvuli*, aliaque a Gratiano collecta, de Consecrat. dist. IV. sive a Turrecremata lib. 1. p. IV. tit. 2. rubr. 9. Contenti erimus definitione Tridentini sess. VII. canone 13. de Baptismo: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos; aut præstare omittere eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit*.

Confirmatur propositio rationibus Theologicis. Ac prima petitur ex damnationis æternæ periculo, cui subjectos esse parvulos non regeneratos liquet ex dictis. Adeo est hæc ratio urgens, & valida, ut S. Carolus Borromæus in Concilio 1. Mediolanensi *excommunicationis pœna mulctandos censuerit, qui natum infantem ante nonum diem ad suscipiendum baptismum deferendum non curent*. Idem in Synodali mandato præstitit anno 1645. Rothomagensis Antistes Franciscus Harlæus. Innuerat olim eamdem rationem Alcimus Avitus scribens in Consolatorio carmine ad Fuscinam Sororem:

Omnibus id vero gravius, si forte lavacri
Divini expertem, tenerum mors invida natum
Præripiat, dura generatum sorte gehennæ.

Profert rationem alteram citata Epist. ad Fidum S. M. Cyprianus: quod nempe *omnes, sive infantes sint, sive majores natu*, habere possint *eamdem divini muneris æqualitatem*: ad quod comprobandum versat ingeniose factum Helisei, *qui super infantem viduæ filium, qui mortuus jacebat, ita se Deum deprecans substravit, ut capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisei membra singulis parvuli membris, & pedes pedibus jungerentur*. Ubi æqualitas divina & spiritualis exprimitur, cum naturaliter adulto infans non possit æquari. Affert quoque Cyprianus circumcisionis exemplum, necnon unctionem postium, quæ rebus sensu carentibus adhibita primogenitis tribuit salutem. Postrema ratio sit, quam insinuat S. Gregorius Nazianzenus Orat. XL. optimum esse, percommodum, & summopere utile, si, ne occasionem arripiat improbitas, *infans sanctificetur, & spiritu consecretur ab ipsis unguiculis*. Apposite laudato Carmine Avitus:

Nulla Deo siquidem est acceptior hostia, quam quæ
Immaculata sibi primis offertur in annis.
Sic quondam cum prima novo splendesceret ortu
Terra nitens, pulchrasque darent sua semina fruges,
Viventem ducens ad sancta altaria fœtum
Innocuis sonuisse Deum balatibus agnum
Insinuante Deo justus cognoverat Abel.

Huc spectat cura adhibenda, ne filii Adam diu vivant mancipia diaboli.

Opp. 1. Præcepit Christus Mat. ul. ut soli adulti, & qui Evangelicam doctrinam audierint, sacro abluantur baptismate: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Non sunt ergo parvuli ante rationis usum tingendi; siquidem doceri nequeunt, & Evangelium percipere. Corroboratur argumentatio; nam Marci ult. ait Dominus, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: debet ergo fides baptismum præcedere. Idem affirmari potest de pœnitentia, quandoquidem Petrus Act. 25. 28. ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Infantes vero quam pœnitentiam agent, quam fidem concipient, quam proferent confessionem? Hoc Anabaptistarum argumentum non diluunt, inquiunt Vitringa & Vandale, quæ in oppositum e sacris litteris fuerunt producta. Non sententia illa, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* etenim cum parvuli præceptorum vi obstringi nequeant, nec ad illos spectat hoc mandatum, quemadmodum nec aliud Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis carnem, &c.* Non Evangelica verba Mat. XIX. *Sinite parvulos venire ad me*, eo enim loci parvuli dicuntur παιδία nimirum adolescentuli; qui propria voluntate, ut demonstrat complexio verborum, accedunt. Non denique Apostolica consuetudo totam domum baptizandi: siquidem *domus tota* dicitur, parvulis quoque seclusis. Nam 1. ad Corinth. XVI. 15. postquam Paulus domum Stephanæ commemoraverat, quam a se baptizatam scripserat cap. 1. ait: *Et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos*; quod certe nequit parvulis convenire. In 1. etiam Paralip. X. 6. legitur: *Interiit ergo Saul, & omnis domus illius pariter concidit*, & tamen in Gelboe non interiit Isboseth, neque Esbaal, neque Miphiboseth. Ita phrasi Scripturarum *omnis domus* minime significat *universam familiam*.

Ad primum respondet clarissimus Auctor de Ingeniorum moderat. lib. III. cap. 2. Matth. ult. μαθητεύειν esse idem, ac *discipulos facere*, sive in scholam, ac professionem admittere, eorumque verborum sensum esse, *Colligite discipulos, baptizate, ac docete*: ibi enim Evangelista doctrinæ post baptismum iterum meminit. Videtur hæc responsio deprompta ex Vossio disput. XIII. num. 6. Verum huic responsioni non acquiescent Anabaptistæ, quoniam, & Græcum illud vocabulum significat etiam *docere*; & fieri discipulum non aliud est, quam *discere*, utque ad doctrinam admitti: & negari non potest prædicandum prius fuisse Evangelium, quam conferendum baptismum, Veteres cum Illiberitano Canone 42. & Au-

ctore Constit. Apost. (quæ objectat Grotius in Matth. pag. 286.) docent prius *inferendam esse pietatem*, *fidemque credulitatis*, deinde conferendum baptismum : dedique Vulgara nostra habet, *Docete*. Respondendum est igitur, Matth. ac Marci ultimo, mitti Apostolos ad gentes idololatras, quæ utique ante baptismum docendæ erant, quia nemo ad Christianam religionem trahitur invitus: sed non prohibentur hoc mandato baptizari infantes eorum, qui crediderunt ; parentibus enim & adultis Christi corpori insertis, tota domus, ac parvuli, majoribus annuentibus, sunt inferendi. Prædicandum est ergo Evangelium omnibus, baptizandi sunt omnes, & ab omnibus, qui credere & pœnitentiam agere possunt, fides & pœnitentia exigenda, non ab iis, qui nondum credere & pœnitentiam agere possunt. Id exemplo, & ratione fit manifestum. Ut circumcideretur Abraham adultus, fides præcessit ; non præcessit autem, ut circumcideretur Isaac. Ipse Abraham justus omnes masculos circumcidere, proculdubio adultos prius de hac ceremonia, Deique mandato instituit. Numquid parvulos incapaces hujus institutionis reliquit incircumcisos ? Mutuatus sum exemplum illud ex Augustino lib. IV. de Baptismo cap. XXIV. Vide paginam hujus voluminis 60. Rationem quoque suppeditat ipse Augustinus. Cum enim parvuli detineantur solo originali peccato ; congruum est, ut quemadmodum alieno facto vulnerantur, ita ad aliena verba sanentur. Hinc S. Pater lib. I. de peccatorum meritis cap. 19. num. 25. docet parvulos recte fideles, ac pœnitentes vocari, *quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, atque per eorumdem verba gestantium diabolo, & huic seculo renuntiare monstrantur*. Lib. III. cap. 2. numer. 2. inquit : *Sicut ergo eorum, per quos renascuntur, justitia spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt : sic eorum, per quos nascuntur, carne peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo generat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generaverat peccatores*. Item serm. XIV. de Verbis Apostoli, nunc 294. numer. 12. *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum ? fit interrogatio : respondetur, Credit. Pro non loquente, pro silente, pro flente, & quodam modo ut subveniatur orante, respondetur, & valet. An etiam hoc serpens ille persuadere conatur quia non valet ? Absit a cordibus qualiumcumque Christianorum. Ergo respondetur, & valet ; renspiratione quadam communicat spiritus : credit in altero, quia peccavit in altero. An vero invenit vitam præsentis sæculi, quem parturivit infirmitas ; & non invenit vitam futuri sæculi, quem parturivit caritas ?* Hactenus Augustinus.

Nec enervant Anabaptistæ argumenta a nobis e Scripturis petita. Etenim sententia Domini, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. ostendit necessitatem baptismi, quia ex carne nascitur caro, idest, quia generatione noxa originalis trajicitur ; & per hanc, non ob transgressionem baptismatis, parvuli non baptizati cælorum regno privantur : quemadmodum, inquit Estius dist. IV. §. 27. phrenetico necessarium est pharmacum, non propter præceptum, cujus phreneticus non est capax, sed quia sine tali pharmaco curari non potest. At præcepti Dominici *Nisi manducaveritis*, &c. diversa prorsus est forma, quoniam Christus his verbis non absolute, ac in tertia persona loquitur, sed in secunda compellat adultos : quamquam & ad parvulos mandatum illud spectat, si de spirituali manducatione loquamur, per quam fidelis Christi corpori inseritur. De qua re alibi. In verbis autem illis, *Sinite parvulos venire ad me*, &c. designari infantes ante usum rationis constat, quia non solum dicuntur παιδία, *pueri*, apud Matthæum & Marcum, sed etiam βρέφη, *recentes ab utero*, Lucæ 18. 16. Confer Græca Act. VII. 19. & 1. Petri II. 2. Utitur quoque his verbis Ecclesia in parvulorum exequiis. Adde quod & parvuli ad Christum veniunt ; quia, ut Augustinus scribit serm. X. de verbis Apost. nunc 176. num. 2. *Accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur : ut quoniam quod ægri sunt, alio peccante prægravantur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur*. Ex quibus concurrunt alia argumenta Anabaptistarum, opponentium non esse baptizandos incredulos ; infantes quippe non increduli dicendi sunt, sed fideles, cum fidem profiteantur eo modo, quo profiteri possunt, idest, ore gestantium, aut sanctæ matris Ecclesiæ. Postrema denique cavillatio retunditur ; quoniam in 1. ad Corinth. XVI. in ministerium sanctorum ordinati dicuntur Stephana, Fortunatus, & Achaicus, non singuli familiæ eorumdem ; tametsi & parvuli, qui actu ministeria exercere non valent, deputari possint ad ministerium. Præcitato autem loco Paralip. nominantur tres filii Saul, qui interierunt, Jonathan, Abinadab, & Melchisua, ideoque proximis verbis, *Et omnis domus concidit*, nequeunt designari alii filii, qui non processerant ad pugnam, nec isti, qui in objectione commemorantur ; sed Saul, tres isti, familiares, famuli, & auxiliarii : unde legit Syrus, *Mortuus est Saul cum tribus filiis suis, & armigero suo, & strenuissimi quique milites ejus simul occubuerunt*. Tom. 2. Bibl. Walt. pag. 658. Addo Miphiboseth non fuisse filium Saulis, sed Jonathæ, 1. Paralip. IX. 40. & 2. Regum IV. 4.

Opp. 2. Canon VI. Neocæsariensis rationem reddens, quare cum muliere prægnante nequeat baptizari fœtus : ait : *Quod proprium uniuscujusque institutum ac propositum in confessione ostendatur*. Non potest ergo parvulis prodesse fides parentum. Revera si illis nocere non potest parentum malitia ; quomodo prodesse potest parentum fides ?

Respondeo ideo juxta Neocæsariensem canonem fœtum in utero matris inclusum non habere cum matre communem baptismum, quoniam baptismus matris non afficit puerum nondum natum, ut in hunc canonem adnotarunt Balsamon, Zonaras, & Aristenus : nam ad verba, quæ objiciuntur, hæc præcedunt, *Neque enim ea quæ parit cum fœtu qui paritur ea in re aliquid habet commune*. Verbis autem proximis innititur, quod nec fides salvare potest in utero matris existentem puerulum ; quoniam fides uniuscujusque propria est, atque ideo pristinis Ecclesiæ sæculis *catechumeni*, inquit in illum canonem Albaspinæus, *se baptizari velle magna voce contestabantur*. Itaque puer materno in utero nec baptismo matris, nec fide salvatur : non baptismo, quia illi non applicatur ; non fide, quia istam non profitetur. At enim, inquis, profitetur mater : cur illi non prodest ? *Quia, ut possit regenerari infans per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus : non enim scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide, sed, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Aqua igitur exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ regenerant hominem in uno Christo ex uno Adam generatum* ; ait Augustinus epist. 23. ad Bonif. nunc 98. num. 2. Non prodest ergo parvulo sola parentum fides ; quoniam gratia regeneratrix non ipsi fidei, sed Sacramento fuit divina institutione alligata. Atque per hæc diluitur postrema instantia. Fides enim parentum non ita prodest infantibus, ut illos regeneret ; sed ut offerantur regenerationis lavacro, atque ita connumerentur inter credentes, dum illos extrinsecus abluit aqua, & intrinsecus sanctificat Spiritus. Quare parvuli, etsi non recta intentione a parentibus offerantur, dummodo celebrentur necessaria mysteria & verba Sacramentorum, intelliguntur offerri *ab universa societate sanctorum*, & sanctificantur a Spiritu, *qui agit quod agit etiam per servitutem aliquando non solum simpliciter ignorantium, verum etiam damnabiliter indignorum*. Vide eamdem Epistolam num. 5. Ex hujus lectione etiam percipies, quomodo non communicetur culpa per alterius voluntatem, communicetur autem gratia per sancti Spiritus unitatem : quia nimirum, *potest & in hoc, & in illo homine esse unus Spiritus sanctus, etiamsi invicem nesciant, per quem sit utriusque gratia communis. Non autem potest spiritus hominis esse & hujus & illius, per quem peccante altero, & altero non peccante, sit tamen culpa communis*.

Opp. 3. Tertullianus de Baptismo cap. 18. baptismum parvulorum his verbis improbat : *Itaque pro cujusque personæ conditione aut dispositione, etiam ætate cunctatio baptismi utilior est. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri ? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus, Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur, fiant Christiani quum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum ?* Et S. Hieronymus in fine Commentarii in Mat. *Non potest fieri*, inquit, *ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei receperit veritatem*. Tom. IV. pag. 144.

Resp. ex ipso textu Tertulliani evinci pædobaptismum. Si enim tunc temporis in baptismate *sponsores* aderant, certe baptizabantur qui non poterant ore proprio fidem profiteri, & Evangelicæ legis observationem promittere. Loquitur ergo Tertullianus de baptizandis infantibus extra casum necessitatis, & quando parentes infideles sunt, ac magnum urget periculum, ne baptizati, si *sponsores* decedant, injuriam faciant Sacramento. Ita in hunc locum Jacobus Pamelius, ac noster Morean Tom. 2. pag. 134. Quod revera Tertullianus accipiendus sit extra casum necessitatis, demonstrant ea verba, *Si non tam necesse*, & quod supra scripserat cap. 12. *nemini sine baptismate competere salutem*. Quod vero loquatur, dum pueri in potestate permanent infidelium, constat, quia si vivant in Christianorum societate, nulli periculo subjiciuntur sponsores. Nec moveat quemquam Tertulliani effatum illud, *Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum ?* Si enim ætatem infantium dixit innocentem, idest, sine originali reatu, deferendus est, & privatæ opinioni nimium indulsit, inquit Auctor de Moderat. Ingeniorum loco citato : si innocentem dixit, idest, absque actuali peccato, nil urget instantia. Hoc postremum mihi

hi

hi probatur, quod sint illustria Tertulliani testimonia, quibus adstruit damnationis traducem, & originariæ labis transfusionem, a nobis producta Volum. II. pag. 5. & quod in baptismate ceremoniæ permultæ ad idololatriam, mundique illecebras ejurandas, quibus pueruli minime inquinantur, antiqua peragantur consuetudine. Ad has itaque testimandum non esse parvulis illis, quos nondum polluit infidelium societas, asseruit, ut opinor, Tertullianus. Hieronymus vero sapientissime scribit infideles utiliter non baptizari, nisi antea fidem susceperint: quod accipiendum de adultis, inde patet, quia parvuli *negative* tantum infideles sunt, nulloque *[illegible]* vitio laborant, & quia idem Hieronymus in Epist. ad Lætam 2. p. Tom. IV. pag. 593. inquit *filios, si baptisma non acceperint, reos esse peccati, & etiam scelus referri ad eos, qui dare noluerint*: & in fine tertii Dialogi adversus Pelagianos, pag. 546. *etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos in similitudinem prævaricationis Adam.*

Opp. ultimo: Æquum est, ut imitemur exemplum Christi, qui ad baptismum venit anno tricesimo. Nam & multi præclari viri, ut Constantinus, Ambrosius, Augustinus, Paulinus, Christi exemplo baptismum ad grandævam ætatem distulerunt. Deinde si parvuli tingendi sunt; cur saltem postquam ad justam ætatem pervenerunt, non interrogantur, an in religione Christiana, quæ nullum cogit invitum, permanere velint, ut post Zuinglerum existimavit Erasmus? Si demum tingendi sunt recenter ab utero exemplo circumcisorum; quare octavo die, ut Fidus contendebat, non baptizantur?

Respondet ad primum S. Gregor. Nazianzenus Orat. XL. pag. 658. *Cum Deum dixisti, quæstio a te soluta est; nam ille purgatio ipsamet erat, nec purgationis indigebat: verum tua causa purgabatur, quemadmodum & carnem ferebat, cum carnis expers esset. Nec vero quicquam periculi ei metuendum erat baptismum proroganti: quippe qui passionis quoque suæ arbiter esset, quemadmodum & nativitatis. Tibi autem non leve periculum imminet, si hinc corruptioni soli genitus, nec incorruptibilitate indutus excesseris.* Ex quibus constat quam male exemplo Christi Michael Servetus, & aliqui Anabaptistæ, dissentientibus tamen ejusdem sectæ aliis, baptizarint anno tricesimo. Cur vero nonnulli baptismum distulerint, dicam capite XX. Sufficiat modo animadvertere hæc exempla nullatenus juvare Anabaptistas: nam Constantinus, si baptizatus est Romæ anno 324. a Silvestro, cum natus sit anno 273. Aureliano imperante, ad baptismum accessit anno ætatis suæ 21. & si baptizatus est Nicomediæ morti proximus, id contigit anno 337. & vitæ ejus LXIV. Ambrosius baptizatus est anno 374. ætatis suæ 35. aut 42. nam quidam illum natum scribunt anno 340. quidam vero annum ejus natalem statuunt 333. Augustinus baptismo regeneratus est anno ætatis suæ 33. aut inchoato, aut completo; ac S. Paulinus anno circiter duodequadragesimo. Nullus horum aut tricesimo anno, ut optabat Servetus, aut primis annis exserentis sese rationis, ut vellet Anabaptistarum pars major, accessit ad saluriferum baptismi lavacrum. Ad alterum respondemus interrogandos non esse, qui ad ætatem perveniunt adultam, an velint in religione persistere; quia nec olim interrogabantur circumcisi octava die: quia eorum utilitas postulat, ut in Christiana religione permaneant, nec danda est illis optio in animarum suarum perniciem: quia parentibus non obluctantibus indelebili Christianorum militum nota sunt insigniti: quia demum non proprii juris sunt, sed per Sacramentum regenerationis Ecclesiæ nati, emptitii, subjecti. Vid. Innoc. III. in cap. *Majores*, §. *Verum*, canonem 45. Concilii Tolet. IV. & Trident. de Bapt. 14. Ad ultimum respondet ep. 59. S. Cyprianus: *Nam quod in Judaica circumcisione carnali octavus dies observabatur, sacramentum est in umbra, atque imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate completum. Nam quia octavus dies, idest, post sabbatum primus dies, futurus erat quo Dominus resurgeret, & nos vivificaret, hic dies octavus, idest, post sabbatum primus & Dominicus præcessit in imagine: quæ imago cessavit superveniente postmodum veritate, & data nobis spiritali circumcisione.* Non negamus tamen aliquos observasse in baptismo octavum diem, ut constat ex Epistola 44. Ambrosii ad Horontianum, atque ut moris est, auctore Allatio, apud Græcos: aliquos protrahere baptismum masculorum ad quadragesimum diem, & feminarum ad octuagesimum, ut solent Chaldæi, Indorum aliqui, & Moschi: aliquos etiam annum tertium commendare, ut Gregorius Nazianzenus, aliique apud Martenium loco cit. num. 10. Sed horum consuetudinem sequi non tenemur, primo quia & ipsi quacunque die baptizant parvulum, si immineat periculum; deinde quia privatæ consuetudini præferenda est universalis, & Œcumenicis Synodis comprobata; tum quia infinita baptizandorum multitudo, aliam modo postulat a priscis sæculis disciplinam: demum quia cum omnes parvuli contrahant per Adam originale peccatum, æquum est ut omnes vivificentur in Christo: unde Prosper περὶ [illegible]:

Immortalem hominem factum si creditis, & nos
Credimus: inciderit mortem peccando, suamque
Progeniem culpa, & letho devinxerit omnem:
Nullus non egeat sacro baptismate Christi,
Infantesque etiam purgentur fonte lavacri.

CAPUT XVII.

An infidelium pueri baptizandi sint parentibus reluctantibus atque invitis?

EX quo plura nos compellunt ad parvulos baptizandos, Ecclesiæ nimirum consuetudo, auctoritas Patrum, atque Theologica ratio, ut dictum est hactenus, nemo inferat tingendos puerulos a Judæis, vel paganis progenitos, dominio parentum vi sublatos. Tenet id quidem Scotus in IV. dist. 4. q. 9. ac probabile censet Esthius dist. VI. §. 2. sed videntur nobis melius sentire, qui cum S. Thoma q. LXVIII. art. 10. & 2. 2. q. X. art. 12. negant hujusmodi pueros licite baptizari. Atque hæc sententia inter Scholasticos communior est, eamque propugnant etiam nostrates laudati a Frid. Gavardi q. V. de Bapt. art. 1. Ad partes tamen Scoti accesserunt ex Lovaniensibus nostris Farvacques de Bapt. cap. VI. q. 3. §. 2. Vanroy cap. 2. q. 9. & Aurelius Piette q. pariter 9. ita, ut recentior Scotista Henno disp. IV. q. 3. scripserit Augustinianos *communiter* Scoto adhærere: at non sunt Augustinenses omnes pauci illi Lovanienses. Ut brevi solvatur quæstio, prænotandum est non pertractari de baptismi validitate; nam certum est ratum esse baptismum ubicunque, & a quibuscunque verbis Evangelicis consecratur, nec requiri voluntatem parentum, ut possit infans regenerari: quod opus esse Spiritus sancti *intrinsecus operantis beneficium gratiæ*, non semel cum Augustino tradidimus. Certum quoque est licite baptizari parvulum ex infidelibus parentibus natum, in extrema constitutum necessitate; si id absque Christianæ plebis detrimento fieri possit, & mors sit certo consecutura; quia tunc jure patriæ potestatis non violato, nec Sacramento injuria aliqua illata, ad spiritalem, æternamque vitam parvulus, alioqui periturus, regeneratur. Indubitatum præterea filios infidelium licite baptizari, si posteaquam ad usum rationis pervenere, baptismum petant; cum in iis, quæ spectant ad jus naturale ac divinum, tunc incipiant esse potestatis suæ, habeantque liberi arbitrii exercitium. Postremo fatentur omnes licite parvulos hujusmodi baptizari, si Christianorum principum sint mancipia, quoniam eo in casu possunt jure gentium vendi, manumitti, inter libertinos adsciscì, ideoque etiam a patria potestate separari; quia postquam servitus invasit, pueri etiam curæ parentum relicti, dominorum manui ac potestati subjiciuntur. Fiunt autem mancipia ac servi, vel nativitate, dum nascuntur ex ancillis, vel jure gentium, idest, ex captivitate, vel jure civili, dum liber homo major viginti annis sese venumdari patitur ad pretium participandum. Ita Justin. de Jure Personarum tit. 3. Remanet ergo difficultas de pueris infidelium, qui Christiano principi non *serviliter*, & tamquam mancipia, sed *civiliter* tantum, idest, ut cives atque indigenæ, subjiciuntur.

PROP. Licitum non est baptizare pueros infidelium, ipsorum parentibus invitis & reluctantibus, casibus, qui subjicientur, exceptis.

Etenim idem de Baptismo, & de circumcisione videtur esse asserendum: præsertim quod Scotus hanc institutam fatetur ad delendum originale peccatum, utrique præcitati Lovanienses ad sententiam suam corroborandam solent proferre quod legitur in primo Machab. II. 46. de Mathathia, ejusque commilitonibus: *Et circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel, & in fortitudine.* At neque facta sibi a Domino permissione, neque recepta unquam consuetudine, circumciderunt Hebræi subjectas sibi nationes civili duntaxat politia, si aut pro se, aut pro puerulis repugnaverunt adulti. Idem ergo in baptismate initiandis est observandum. Quod de circumcisione dixi nuper, liquet ex Genesis XVII. 19. quo in loco præcepit Deus Abrahamo, ut circumcideretur omnis infans, *tam vernaculus, quam emptitius*, & de ejusdem stirpe non procreatus, sed aut domesticus, aut serviliter subjectus: nam indigenis aliis, & colonis pudenda non debebant abscindi, nisi voluissent Judæis permisceri, & una cum illis Phase Domini celebrare, ex libro Exodi XII. 48. Hinc lib. XIII. Antiquit. Judaicarum cap. VIII. num. 1. narrat de Hircano Josephus, quod subactis omnibus Idumæis permisit in regione sua permanere, si præputium circumcidere, Judaicisque legibus uti vellent, eosque sponte patriæ suæ amore admisisse circumcisionem. Similia narrat de Aristobulo post Ituriam debellatam, multamque hujus regionis partem Judææ addictam, lib. XIII. cap. XI. num. 3. nec aliud de quibusdam Trachonitis, in libro de vita sua pag. 11. hac producta ratione, *Hominem quemque oportere ex animi sui voluntate Deum colere, & non ad id faciendum cogi.* Quæ cum valeant de hominibus ratione utentibus, suique juris, tenent proculdubio & de parvulis sub patria potestate degentibus. Nec vero ad rem facit exemplum Mathathiæ, qui circumcidit pueros vel Israeli-

tico

tico genere natos, vel sibi jure belli subjectos, nec amplius sub parentum potestata constitutos, ut dixi ex Justinianeis Institutionibus. II. Neque Christus Dominus præcepit Apostolis, ut aliquem initiarent lavacro regenerationis invitum & reluctantem; sed jussit, ut prædicarent Gentibus Evangelium, & baptizarent credentes, Mat. ult. 19. Æquum est autem, ut imitemur exemplum Apostolorum, ac Domino obtemperemus: qui nemini vult vim inferri; sed quemadmodum sub peccato stant filii Adam propriæ voluntatis arbitrio, ita sponte debent se Domino mancipare. Neque vero dicas id quidem valere de adultis, qui libertatis suæ usum habent, non de parvulis: quoniam hi, donec ratione utantur, sunt aliorum potestatis ac juris; & ideo, si adulti cogi nequeant ut baptizentur, nec baptizandi erunt qui ipsis subjiciuntur. Alteri enim vis infertur non in propria duntaxat persona, verum etiam in iis, qui ad ejus pertinent potestatem. Hinc si fas est baptizare infantes invitis parentibus, licebit quoque vi adultos ad fidem suscipiendam compellere: quare Estius unam quæstionem alteri cognatam recte appellavit, & Scotus in utraque pro affirmante parte complexus est argumenta. III. Revera illinc adversarii complures petunt propriæ sententiæ præsidium, quod Rex Hispaniarum Sisebutus, Carolus Magnus, aliique Religiosissimi Principes ad suscipiendum baptismum vi paganos, Judæosque coegerint. Sed nil adjumenti ex hujusmodi exemplis possunt capessere; siquidem Toletana IV. Synodus anno 633. canone 57. præcepit nemini ad credendum vim esse inferendam: *Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante gratia Dei propriæ mentis conversione quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi*. Vide Tom. 2. Conc. Hisp. pag. 488. Docet similia S. Gregorius Magnus epist. 45. libri 1. nunc 47. ad Arelatensem, & Massiliensem Episcopos. De Sisebuto autem, aliisque Catholicis principibus, qui vi infideles ad Christianam religionem traxerunt, dicam infra: nam regulam formamque rerum agendarum præbent nobis Ecclesiæ statuta, non aliquorum regum exempla. IV. Ipsi tamen religiosissimi Principes, necnon Pontifices summi, sanctitate, doctrina, & zelo religionis clarissimi, quamquam construxerint pro Neophytis, & Catechumenis domus amplissimas, nunquam tamen parentibus a fide alienis subripuerunt infantes, sed invitando singulos, neminem repellendo, cogendo neminem, servaverunt Christi instituta, & propugnatam a nobis sententiam perpetua consuetudine comprobarunt. Reponit Augustinensis quidam: Cur infensissimos illos Christi hostes, idest, Judæos in sua civitate tolerat Romanus Pontifex, cur eos inde non amandat? Sicut ergo suas habet rationes gentem illam abominabilem tolerandi, ita & rationem habet infantes Judaica stirpe procreatos ab invitis parentibus non avellendi. Bene ac sapienter id dictum est: sed rationem nostram firmat potius, quam diluat. Tolerare enim Judæum, ut illi conversionis non desit occasio, Christianam præfert pietatem; vi autem illum compellere non sinit Christi institutio, arbitrii libertas, & jugum religionis suave. Sed qualiscunque summorum Pontificum animo insideat agendi ratio, quam esse optimam, æquissimamque non dubito; si tolerandi sunt pervicaces Judæi, quoniam ab illis tolerantur: igitur quia non baptizantur eorum pueri, hi non sunt baptizandi. V. Quis vero Principum id præter inveteratam consuetudinem attentabit? Profecto aut Ecclesiasticus, aut Politicus, aut utraque præditus potestate. Non debet hoc sibi arrogare Princeps Politicus, quoniam ejus auctoritas extenditur tantum ad regimen populi instituendum juxta naturalis, humanique juris præscriptiones. Neque Ecclesiasticus Princeps; quippe ad eum non spectat de iis, qui foris sunt, judicare, ut inquit Apostolus in priori ad Corinth. v. 12. Qui vero utraque pollet auctoritate, nihil aliud exequi potest, quam quod uisi sejunctim. VI. Postremo, ne prætermittamus tritam communemque argumentationem, puerulus invitis parentibus baptizatus aut sub eorum cura relinqueretur, aut hinc subtraheretur vi illata parentibus ipsis invitis. Primum includit manifestum fidei periculum, filii enim a parentibus infidelibus educati eisdem imbuerentur erroribus. Alterum lædit jus naturæ, quod tribuit parentibus potestatem in filios; quippe donec hi ad usum rationis perveniant, ita subjiciuntur patriæ potestati, ut a cura parentum subtrahi nequeant, quemadmodum inquit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 12. animalia destituta ratione, atque res aliæ dominorum suorum arbitrio subjectæ.

At opponunt Scotistæ. I. Potius Deo, quam hominibus obediendum est, ex Act. v. 29. Atqui Deus præcepit, ut omnes bpatizentur. Igitur omnes pueri, etiamsi parentes repugnent, baptizari possunt. II. Apud Lucam XIV. 23. ait Dominus servo: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Vi ergo possunt infideles ad baptismum compelli. III. Machabæi invitis parentibus circumciderunt pueros in finibus Israel repertos, & quidem parentibus, ut inquit Tirinus, invitis & reluctantibus. At circumcisionis, & baptismi eadem est ratio. IV. Dum parentes nolunt baptizari filium suum, non utuntur jure naturali, sed eo abutuntur; possunt ergo eodem jure privari. Atque hoc argumentum confirmatur, nam si parentes velint filium occidere, aut filiam ad stuprum impellere, aut vi cogere ad furtum, aut alia facinora; filius, & filia a patria potestate subtraherentur. Subtrahi ergo quoque possunt, si parentes nolunt eos baptizari; cum inde proveniat mors animæ, quæ magis est pertimescenda, quam carnis interitus. Confirmatur præterea idem argumentum ex quo Augustinus in Epist. ad Vincentium Donatistam 93. alias 48. laudet *leges ab Imperatoribus latas adversus sacrificia Paganorum*, producto decreto Nabuchodonosoris, de quo Danielis III. 96. Si ergo Imperatores impedire possunt sacrificia paganorum; cur non poterunt infantes ab impia eorum educatione subtrahere? V. Non violatur jus naturale, si a parentibus invitis puer subtrahatur, ac baptizetur. Corruit ergo præcipuum momentum superius productum. Probatur antecedens, tum quia parentes non habent ex jure naturali potestatem impediendi baptismum suorum filiorum, si ipsi velint baptizari; tum etiam quia potior est ratio juris divini, quam juris gentium: si ergo jure gentium titulo servitutis possunt filii infidelium baptizari invitis parentibus, non violato jure naturæ; multo magis baptizari poterunt vi juris divini baptismum omnibus præcipientis. VI. Si desit consensus Genitorum, adest consensus Conditoris & Auctoris naturæ, qui omnem puerum ad fidem supernaturalem ordinavit, & vult, ut cuique media applicentur, quibus fidem suam possit adsequi: ad ipsa quoque media pueri omnes jus habent; ideoque si culpa parentum iis mediis exspolientur, irrogatur illis injuria, nec divina adimpletur voluntas.

Respondetur ad 1. falsam esse minorem propositionem; siquidem vult Deus omnes baptizari, servato, non violato naturæ ordine, qui in adultis exigit eorum assensum, in parvulis consensionem unius, vel alterius parentis, ut demonstrat ratio, auctoritas, & consuetudo. Major etiam propositio æquivocatione laborat; nam qui vim non infert parentibus, illis subtrahendo puerulos, non transgreditur Dei præcepta, sed implet, cum a Deo sit quoque lex naturæ indita hominibus universis, atque ob nullum positivum præceptum violanda. Ad 2. respondetur eatenus Gentiles compelli ad fidem, quatenus ad Evangelii prædicationem ex nolentibus fiunt volentes, accedente ea gratia, quæ a nullo duro corde respuitur, persistente tamen liberi arbitrii facultate & optione. Alioqui ex eo loco inferretur, impios quoque in sceleribus pervicaces ad cælestis regni hæreditatem violenter perduci. Ad tertium jam dictum est pueros a Machabæis in finibus Israel circumcisos, fuisse filios Judæorum: quod recte observatum est a Lyrano, Estio, clarissimisque aliis interpretibus. Præcedenti enim cap. 1. 51. legimus præcepisse Antiochum, ut Judæi filios suos relinquerent incircumcisos, eique multos ex Israel consensisse. Hos itaque pueros, quos parentes aut mortis timore, aut apostasia a lege non circumciderant, Mathathias & socii ejus ad pristina instituta revocando Israelitas, secuerunt præputio: & si id fecerunt in filiis gentilium justo bello manu captis, vicem rependentes Antiocho, qui Judaicæ stirpis pueros ad gentium inquinamenta coegerat; nec illud, ut liquet ex prænotatis, nostræ adversatur propositioni. Ad quartum distinguendum est antecedens: Abutuntur parentes infideles jure naturali, adversus debitum justitiæ naturalis, nego: adversus debitum religionis, concedo: sed quantum ad religionem attinet, ipsi parentes infideles nondum alicui hominum subjiciuntur. Non debet autem exspoliari potestate sibi naturali jure collata, qui ipsum jus naturale non frangit. Hac vero ratione diluitur prior confirmatio; siquidem si parentes velint filium interficere, aut prostituere filiam, abutuntur jure naturali in iis, quæ ad ipsius juris debitum ac rectitudinem spectant, ideoque merito privantur potestate, quam habent in filios jure naturæ: at dum renuunt filios suos baptizari, peccant adversus jus supernaturale, in quo nulli hominum subjiciuntur, ideoque ab homine exspoliari nequeunt ea potestate, qua ex naturali jure fruuntur. Diluitur eadem ratione confirmatio altera; etenim potest ac debet princeps Christianus impedire sacrificia paganorum, qui sibi civiliter subjecti sunt, quoniam cultus disparitas, ac publicum idololatriæ exercitium potest subditorum suorum, quos continere debet, mores labefactare, ac turbare tranquillitatem. At non potest idololatras, aut Judæos vi ad baptismum compellere; quia ad religionem homines non trahuntur inviti: tantummodo si Christianæ plebi scandalo sint, potest ac debet ex propria ditione expellere, si baptizari detrectent, aut illos separato contubernio concludere. Hinc Augustinus non laudat leges Imperatorias, quæ vi ad Christianam religionem compellant, sed quæ profanarum religionum cohibent cultum publicum: quæ duo longe diversa sunt,

sunt, ac plurimum discrepant. In decreto pariter Nabuchodonosoris posita fuit lex, ne aliquis loqueretur *blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago*, non ut quilibet in cultum ipsius Dei per circumcisionem inviti & obluctantes initiarentur. Ad quintum negandum est antecedens, cujus futiles afferuntur probationes: nam ad primam dicimus, puerum cum ad usum rationis pervenit, in iis, quæ pertinent ad jus naturale, ac divinum esse potestatis suæ, ideoque non est deinceps penes patriam potestatem illum impedire, si velit baptizari; ante usum autem rationis idem puer jure naturali patriæ potestati subjicitur. Ad probationem alteram dicimus, non quocunque jure gentium licitum esse puerum baptizare invitis parentibus; sed eo tantum jure, quo a potestate ipsorum parentum subtrahitur, idest, si captivus fiat, si mancipium, si servus: quo in casu etiam Jus divinum baptisma puero collatum laudat & comprobat. Ad sextum argumentum respondemus, consensum & voluntatem Dei esse ut impii ad Christianam religionem invitentur, ut nemo expellatur, ut singulis venientibus exhibeantur remedia salutis; non vero ut pertrahantur inviti, nec ut violetur jus naturale, vel patriæ potestati inferatur injuria. Hinc Augustinus de Ecclesia inquit, de vera Religione cap. vi. n. 10. *Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit: omnibus autem gratia Dei participanda dat potestatem, sive illi formandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi*. Nota, quod omnia fere argumenta ab adversariis producta, si aliquid efficerent, probarent quoque non solum posse principes illata vi baptizare pueros infidelium, verum etiam ad hoc omnino teneri, quemadmodum tenentur dare operam, ne pagani, aut Judæi filios suos interficiant, ne Christianæ plebi sint scandalo, ne Jus naturale, aut civile ab illis quoquo modo violetur.

Opponunt insuper: Sisebutus Hispaniarum Rex apud Baronium ad annum 614. num. 39. Judæos vi ad baptismum coegit: nec id improbatum est a Toletano Concilio iv. quin potius citato canone 57. Sisebutus summis laudibus celebratur, ac præcipitur, ut Judæi *qui fidem Christianam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur*. II. Lege iii. Visigothorum lib. xii. tit. 3. Judæi sub pœna exilii compelluntur, ut filios suos baptizandos mittant ad Sacerdotes; idemque statuit Chintillanus Rex, ut constat ex canone 3. Concilii vi. Toletani. III. Carolus Magnus circa annum 804. Saxones, & Hunnos vi ad baptismum compulit, litteris Adriani primi Pontificis plurimum commendatus. IV. Idem de Chilperico, & Dagoberto refert in dissert. de hoc argumento Launojus. V. Addunt Farvacques, & Pietre Epistolam S. Francisci Xaverii ad Franciscum Henricum, ubi hæc habentur: *Noli mirari, frater, quod minus in istorum Neophytorum cultura proficias; quippe cum & gens ipsa, ut scribis, idolorum cultui dedita sit, & Rex a Christi religione alienus acerbe insectetur Christianos. Plus itaque proficis, quam tu putas, infantes diligentissime conquisitos per baptismum cœlo pariendo*.

Resp. adversarios in hisce historiis colligendis parum fuisse oculatos. Sisebuti enim factum reprobatur eodem canone a Synodo Toletana. Dum autem ibidem Sisebutus *religiosissimus* appellatur; zelus religionis, ac statuta alia adversus Judæos laudem istam promeruarunt. Mandavit quippe Sisebutus lib. xii. tit. 2. l. 12. ne Judæi Christianum mancipium circumciderent, l. 14. ne Christianum liberum tanquam servum, mancipiumque tenerent, l. 16. ut quicunque Christianus exercuarit Judaicos ritus, morte turpissima plecteratur. Vide has, aliasque leges Sisebuti Vol. 1. legum antiq. Profecto Judæos baptizatos ad retinendam religionem, in qua Sacramenta participarunt, cogendos esse, licet metu mortis ad baptismum venerint, recte definitum est canone præcitato; quum in illis fuerit intentio *interpretativa*, ut dixi cap. xviii. præcedentis libri, confirmata etiam, ex eodem canone, susceptione *Chrismatis*, & participatione *Corporis & Sanguinis Domini*. At lex Wisigothorum præcipit, ut Judæi, qui noluerunt subire exilii pœnam, promittentes se potius recepturos baptismum, *decalvati susceptisque centum flagellis*, statuta pœna mulctentur, *si aut se baptizari distulerint, aut filios suos, vel famulos nullo modo ad Sacerdotem baptizandos remiserint, vel se suosque de baptismo subtraxerint, vel unius anni spatium*, post legem illam editam, *quispiam illorum sine gratia baptismatis transierit*. Vide præcit. Vol. 1. legum antiq. pag. 223. Adde ex lege 4. præced. tit. 2. pag. 213. Judæos, pro quibus edita fuit lex illa 3. *Cum veritas*, fuisse forsitan filios Judæorum illorum, qui perceperant *sacræ Religionis Christianam fidem unctione baptismatis*. Etsi ergo statui non debeat Ecclesiasticæ disciplinæ regula in una lega Wisigothorum: hæc tamen imperite profertur pro sententia, quam refutamus. Idem asserendum est de Carolo Magno: Saxones enim a Carolo rebellarant anno 776. iterumque in ditionem redacti baptizati sunt cum uxoribus & infantibus suis, & anno proximo in Synodo Paderbornæ jurarunt servaturos se Christianam fidem, passuros alioquin dispendium bonorum omnium. Anno tamen 795. iterum a Carolo defecerunt, sed paullo post eidem se se dederunt cum Hunnis, qui pariter baptismum susceperunt. Hæc non tantum Baronius, sed & Ado Viennensis, Albinus Flaccus in Epistola ad Paulinum Patriarcham Aquilejensem, Francorum Annales, Regino, & alii. Jure ergo Carolus Saxones, Hunnosque compulit ad retinendam Christianam religionem, quam libere susceperant. Chilperici factum improbat Gregorius Turonensis lib. vi. Hist. Francorum cap. 17. Dagobertus vero literas quidem dedit ad Amandum Trajectensem Episcopum, ut infideles cogeret ad baptismum, sed sanctus Antistes neminem baptizavit, nisi credentem, & Evangalii prædicatione ab infidelitatis erroribus revocatum. Vide Amandi Acta apud Bolland. Tom. 1. Februarii pag. 850. Denique etiam epistolam S. Francisci Xaverii nimium oscitanter adversarii legerunt. En quippe in loco, pag. Rom. edit. 67. ita Xaverius prosequitur: *At memento te octo mensibus, quibus istic versaris, plures animo conservasse moribundis infantibus baptizandis*. Non ergo laudat Xaverius Franciscum Henricum, quod paganorum infantes repugnantibus parentibus baptizaret: sed quod baptizaret morti proximos, & a parentibus derelictos.

APPENDICULA.

Excipiendi sunt ergo infantes morti proximi, quos Apostolici viri solent etiamnum apud Sinas, Indosque baptizare, non explorato parentum infidelium consensu. Eo quippe in casu nulla infertur injuria Sacramento, consulitur sempiternæ infantium saluti, ac mors potius, quam minister baptismi, genitoribus filios eripit. II. Idem asserendum de infantibus, qui a parentum contubernio ita separantur, ut omnino patriæ potestatis cesset usus, puta si a piratis capiatur Turcarum triremis, eaque vecti pueruli ad nostra trahantur litora: nam hoc in casu liberi parentibus suis perierunt. Si injuria tamen ac per vim filius separaretur a patre, E. G. puerulus Judæus furtim ab homine Christiano sublatus domi retineretur; idem puer parentibus foret remittendus, quia per violentam illam separationem nullum jus patria potestas amisit. III. Baptizari potest infans, si consentiat parentum alteruter, eo quod consensus tunc præstatur ab eo, qui naturale jus habet in puerum; & quamquam repugnet parentum alter, prævalere debet assensus ille, qui cedit in favorem religionis, maximamque pueri utilitatem. Hinc canone xiv. Concilii iii. Toletani celebrati anno 589. præcipitur, *ne Judæis liceat habere Christianas uxores, vel concubinas, & si qui filii ex tali conjugio nati sunt, adsumendos esse ad baptismum*. Et Synodus Toletana iv. celebrata anno 633. præcepit canone 63. ne pater Judæus impedire valeat baptismum filii a se procreati ex Christiana muliere, jussitque, ut *ex talibus nati fidem atque conditionem matris sequantur*. Idem habetur cap. *Ibi, qui Christianas*, xxviii. q. 1. Gregorius quoque IX. cap. *Ex literis*, Extra, de Conv. infidel. mandavit, ut a matre in Judaismo relicta traderetur viro ad fidem converso puer adhuc infans, *cum filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, & non matris, & in ætate tali* (quadriennis erat) *quis non debeat apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti, vel vitæ insidientur illius*. Addit Pontifex, *si puerum remanere contingeret apud matrem, posset illum adducere ad infidelitatis errorem*; & ideo *in favorem maxime fidei Christianæ patri eumdem puerum esse assignandum*. IV. Quod dixi de patre, de avo dicendum est, cui competit cura nepotum: ideoque baptizandum esse infantem matre Judæa reluctante, si defuncto patre id velit avus paternus, censet Sylvius q. 68. art. 12. concl. 6. & ait idem a Gregorio XIII. fuisse statutum. V. Postremo si filii infidelium, etiam invitis parentibus baptizati sint, debent ab illis separari. Ita definitum est canone 60. Concilii iv. Toletani, extatque cap. *Judæorum*, c. xxviii. q. 1. Idem decernitur cap. *Contra*, in Sexto lib. v. tit. 2. & ratio est, quia cum Christo sint regenerati, curandum est ne paterno detineantur errore: nec potest obtendi jus potestatis paternæ adversus injuriam, qua tunc afficeretur Sacramentum, Ecclesia, & Deus hominum Conditor, & Reparator.

CAPUT XVIII.

De infantibus materno in utero adhuc existentibus.

QUod attinet ad infantes nondum ex alvo matris egressos, quæritur an baptizari debeant, si partus appareat difficilis, immineatque grave periculum ne vivi prodeant in lucem. Tres autem hac in re adinvenio sententias: quarum prima est Cajetani contendentis periclitantibus illis pueris impendendam esse benedictionem in nomine Trinitatis, & causæ discussionem divino Tribunali reservandam, concepta spe Deo hujusmodi baptismum in voto parentum acceptum iri, cum nulla incuria, sed so-

la

la impossibilitas impediat Sacramenti executionem. Hæc sententia parum ab ea differt, quam diximus libro XIII. cap. 9. traditam a Gersone, aliisque perpaucis docentibus Deum singulari quodam privilegio exaudire tali in casu parentum vota, & supplere baptismi defectum: quamquam hi non asseruerint adhibendum esse exterius signum, sicut, affirmasse dicitur Cajetanus. Hanc vero sententiam, licet postea ab omnibus refutatam, in Tridentino Concilio nulla censura fuisse perstrictam opera præsertim Seripandi nostri, auctor est in Historia ejusdem Concilii libro IX. cap. 8. Pallavicinus. Nunc ergo videndum est, an per baptismum exterius collatum, aut par signum, vel benedictionem prægnantis mulieris consulatur periclitantium puerorum saluti; nam ad hanc non sufficere parentum vota, ostendimus tertiodecimo libro, idque repetendum est paullo infra. At secunda sententia est eorum, qui cum fateantur ipsum infantium corpusculum esse abluendum, docent id fieri non posse, nisi materno ex alvo infans aut caput, aut saltem partem visibilem aliquam emittat: in qua sententia fuerunt Scholastici omnes antiquiores, necnon ex recentioribus Theologis Juenin quæst. VII. de Bapt. cap. I. art. 2. Felix Veranus lib. V. Theol. Polemicæ cap. 7. Natalis Alex. cap. VII. prop. 2. Ludovicus Habert Tom. V. pag. 199. Nicolaus L'Herminier de Bapt. cap. 10. Tournelius quæst. 3. art. 3. Martinus Orelli in peculiari de hoc argumento dissertatione, & Cardin. Gotti Tom. XII. pag. 260. Sententiam tertiam propugnant Florentinus de Cocq. de Baptis. sect. 7. Franciscus Henno disp. 3. q. I. concl. 2. Farvacques noster de Sacram. pag. 251. necnon Aurelius Piette quæst. 8. operosius vero Gabriel Gualdus Clericus Regul. in opusculo de hac re accurate conscripto: qui tenent in puerperio, dum mulier nititur parere, & interdum nonnullis antea diebus aperiri uterum, & etiam infantium involucra discindi, adeo, ut obstetrices, vel manu, vel saltem syringia, aut siphunculo possint illos salutari aqua perfundere. Tribus itaque propositionibus quæstio hæc erit expedienda.

PROP. I. Baptismus matris, aut signum aliquod ei applicatum, nec pertingens ad abluendum puerum, quem gestat in utero, ad hunc regenerandum nequaquam sufficit.

Probatur I. Ex cap. *Si ad matris*, de Consecrat. dist. 4. n. 114. quod desumptum est ex Augustino lib. VI. contra Julianum cap. XIV. num. 43. *Si ad matris corpus, id quod in ea concipitur, pertineret, ita, ut ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est, aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. Nunc vero cum etiam ipse baptizatur, non utique bis baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus cum esset in utero pertinebat*. Habentur similia cap. *Si quicquid*, eadem dist. IV. quod depromptum est ex eodem Augustini libro cap. XVII. num. 52. Idem definitur cap. *Si qua mulier*, in eadem dist. ex canone sexto Neocæsariensi. II. Petitur ex his locis Theologica ratio, quam affert q. 68. art. XI. sanctus Thomas, quoniam nempe fœtus animatus non est pars aliqua materni corporis, sed est propria ac distincta persona; ideoque proprio, distinctoque baptismate est abluendus. III. Illud externum signum, aut benedictio, neque ex sua institutione, neque vi fidei, votorumque parentis potest infantibus afferre salutem: non quidem institutione sua, quoniam fatente Cajetano Sacramentum non est, nec remedium a Christo pro originali peccato institutum; neque ex opere operantis, atque vi fidei, votique alieni, siquidem nemo potest aliis promereri gratiam primam, nisi *de congruo*, orando scilicet, ut Deus excitet in impiis piam animi affectionem, fidem, & virtutum exordia, quorum incapax est puer ille miserrimus. IV. Rejecta est communi Theologorum consensione opinio Cajetani, a Dominico Soto in IV. dist. V. q. un. art. 2. connumerata inter hæreses, & jussu Pii V. Pontificis Maximi a Cajetani commentariis expuncta. V. Tandem Cajetani argumenta fracta nimium sunt, & infirma. Quod enim inquit post effusum Christi sanguinem facilius esse salutem consequi, quam in lege veteri, in qua interdum supplebat Sacramenti defectum fides sola; id refutatum ait capite 2. libri XXX. ubi affirmavimus longe facilius esse remedium præsens, positum in elemento communi & obvio, atque habens ex se efficientiam; nunquam pueros absque visibili Sacramento regeneratos, & decedentes maternis in uteris nullo aut legis, aut naturæ tempore purgatos fuisse ab originariæ labis reatu. Addebat Cajetanus fore in sententia nostra statum aliquem hominum ineptum ad recipiendam justitiam, latitantium nempe in alvo matris, quod ait repugnare remedio taliter instituto, ut prodesse valeat hominibus universis; sed neque id firmum est, quoniam docente Augustino in I. de peccat. meritis cap. 21. & de Dono persev. cap. 12. non tenetur Deus servare parvulum in hac vita, ut possit per baptismum regenerari; & cur uni baptismate subveniatur, alius non solvatur ab originali impietate, reservatum est supernis judiciis: impossibilitas autem illa, neque naturalis est, cum natura procreet homines singulos ut nascantur; neque inducta ex speciali providentia, cum pro universis Deus salutare remedium instituerit ac præparaverit, sed orta ex tali serie causarum, quam ipse Deus non tenetur avertere, nec vult, in uno justitiæ æquitatem, in altero gratiæ beneficium exercens. Atque ex his alio in loco, nec semel commonstratis etiam diluitur quod Cajetanus inquit de divina misericordia; quam nemo nostrum in dubium revocat, sed affirmat duntaxat cum justitia esse conjunctam, ac plenissima potestate & providentia mirabili eligere unum, alterum in massa perditionis relinquere. At de opinione Cajetani dictum hactenus.

PROP. II. Nequit infans in utero matris ante apertionem partus per Baptismatis sacramentum regenerari.

Probatur I. Auctoritate Augustini innixa verbis Evangelicis Joan. III. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo*, & versu 7. *Oportet vos nasci denuo*, quæ ibidem explicantur de renascentia spiritali *ex aqua & Spiritu sancto*. Ait ergo Augustinus in Epist. ad Dardanum 57. nunc 187. *Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit*: & paullo infra, *Non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati*: & rursus, *Illa sanctificatio, qua efficimur & singuli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt*. Respondet Gualdus cap. VIII. deserendum Augustinum, quemadmodum in quæstionibus Philosophicis, in sententia de pœnis parvulorum, & in iis quæ spectant ad prædestinationem & gratiam. Repetit eadem in additamento *de Auctoritate Augustini*, vulgato sub nomine Angeli Cupetioli. Addit non requiri nativitatem ex utero, modo infans ablui possit, cum huic nativitati Christus non alligaverit baptismum, sed sufficere nativitatem in utero, qualem commemorat Matthæus cap. I. 2. *Quod enim in ea natum est*. Inquit, cap. tertio Joannis nativitatem ex aqua dici *secundam*, non comparate ad nativitatem ex utero, sed ad generationem carnalem, ut liquet ex versu 6. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est*. Subjicit, nec futurum esse capacem baptismi partum *Cæsareum*, qualis fuit S. Raymundi *Nonnati*, partum scilicet eductum e mortuæ matris dissecto latere, si necessaria sit ad baptismum propria ex alvo nativitas. Similia reponunt Farvacques, & Piette si excipias quod Gualdus ait de auctoritate Augustini: atque ne sanctum Patrem deserant, inquiunt ejus scopum fuisse demonstrandi infantes existentes in uteris non posse baptizari baptizata matre, ut docet S. Pater contra Julianum loco paullo supra producto. Concludunt aperto ostio uteri partum jam inchoative natum esse, & posse aquam ad illum pertingere. Verum hæc nequeunt labefactare Augustinianam argumentationem. Enimvero quod Gualdus ait de auctoritate S. Patris, non facit quin ejus dogmata de puerorum pœna, ac de prædestinatione & gratia a nobis inconcussa non habeantur. Deinde hæc Augustini de baptismate infantium sententia tradita est, inquit Gualdus ipse cap. I. n. 3. *per plura sæcula ab antiquis tum Theologis, tum Canonistis, tum Casuistis unanimi consensu*; ideoque temere quorumdam novitas contra exploratissimam vetustatem obtenditur. Præterea Augustinus non imbecilli ducitur ratiocinio, sed auctoritate Scripturæ. Ipsius denique doctrinam, ut ex dicendis erit manifestum, comprobat universalis Ecclesia. Corruunt & responsa cetera: siquidem Joannis III. de nativitate *ex utero*, non *in utero*, sermo instituitur. Primo, quia illa duntaxat est propria nativitas, & nativitas *in utero* ab illa non distinguitur, nisi ut rei alicujus exordio ab ipsius complemento: *Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit tamquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero. Sed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua & spiritu*: ait citata Epistola S. Pater. Ad hæc homo in utero generatus non dicitur natus absolute, sed *natus* in matre, atque ita legitur citato cap. I. Matthæi, *Quod enim in ea natum est*: idque ob proprietatem verbi γίγνομαι, quod utrumque significat, *nascor*, & *gignor*, Sed *natus* non dicitur, nisi qui ex utero prodiit, ut liquet ex Gen. IV. 26. XXXVIII. 4. L. 22. Matth. II. I. 6. Igitur & *renatus* nemo dici potest, nisi proprie *natus* sit, idest, ex utero egressus. Quod ajunt fore in sententia nostra incapacem baptismi partum *Cæsareum*, futile nimium est, nam & apud Grammaticos *nasci*, & in *lucem edi* synonyma sunt; & accidentarium est, quod partus vitam hanc & lucem ingrediantur non protrudente muliere, sed extrahentibus aliis; quare Augustinus logomachiam omnem citata Epistola evitans ait loqui se *de hominibus adhuc intra materna viscera constitutis*. At Christum opponere nativitatem carnalem spirituali, non solum Gualdo concedam; sed ulterius affirmabo, id Theophylactum, Cyrillum, Chrysostomum, Augustinum ipsum tradidisse: sed quærimus modo, an nativitatis spiritalis sit capax, qui carne nondum sit natus. Stat ergo Augustini argumentatio contra Cupetiolum, sive Gualdum immobilis. Nam Farvacques & Piette non recte distinguunt quæ S. Pater contra Julianum, & quæ ad Dar-

danum

danum scripsit. Pertractare Augustinum priori loco de baptismate matris, verum est: hac in re versari scribentem ad Dardanum, falsum est penitus. Agit enim hic de exultatione Joannis in utero matris suæ, disputatque num illic queat infans sanctificari. Dices fortasse: Sed de sanctificatione Joannis male sensit Augustinus: at solvimus hunc nodum lib. XIII. cap. 9. Addo pertractari in præsentia, non de sanctificatione singulari Dei privilegio peracta, sed de ea, quæ habetur ordinaria via, & per instituta Sacramentorum remedia. Denique ante aperitionem partus non potest aqua pertingere ad abluendum infantem ut adversarii fatentur. *Facta enim conceptione uterus ita clauditur, ut nec cuspidem acus admittat*, inquit Gualdus cap. 3. n. 39. recitato Hippocratis testimonio. Itaque ante aperitionem partus, ac nondum puerperio inchoato, quod nunc asserimus, frustra de baptizandis pueris subit cogitatio. II. Ex his, quæ dicta sunt modo, confirmatur propositio. *Est enim de necessitate baptismi*, inquit S. Thomas q. 66. art. 1. & quæst. 68. art. 11. *ut corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur*: ideoque si corpus infantis non possit ablui, nec etiam poterit baptizari. Tandem de Consecratione dist. IV. c. 115. legitur: *Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest*. Desumptum est ex Isidoro de summo Bono cap. 24. Qui ergo adhuc materno in utero clauditur, natus non est, nec baptismi capax; ut ajebat paullo supra Augustinus.

PROP. III. Licet initio puerperii aperiatur uteri ostium, & infans possit per siphunculum, aut clysterem aqua perfundi; attamen nisi secundum aliquam corpusculi partem sit egressus ex alvo, baptizari non debet.

Hæc propositio sequitur ex præcedenti: infans quippe ille juxta Augustinum, juxta Isidorum, juxta communem sensum non est *natus*: igitur nec potest *renasci*. Probatur tamen peculiari ratione. Adsciscí inter Ecclesiæ membra, quod fit per baptismum, est duntaxat eorum, qui prodierunt in lucem, qui fruuntur hominum ceterorum consortio, qui ad forum Ecclesiæ pertinere possunt, qui in Ecclesiæ visibilis cœtum possunt coadunari. Atqui infans nulla sui parte ex utero egressus, in lucem non venit, non versatur in foro Ecclesiæ, & cooptari nequit tanquam membrum visibile in mysticum Christi corpus. Igitur infans adhuc materno in utero existens baptizari non potest. Innuitur argumentum istud ab Augustino scribente in eadem epistola ad Dardanum, natos duntaxat homines dum renascuntur per gratiam, transferri *in compagem corporis Christi, tanquam in vivam structuram templi Dei, quod est Ecclesia*. Eruitur ex ipsa idea Sacramentorum, quæ sunt visibilia signa, quibus homines in unum religionis nomen adunantur. Traditur a Sancto Thoma citato articulo XI. ad 1. his verbis: *Pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant: unde non possunt subjici actioni humanæ, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem*. Profertur a S. Bonaventura in IV. dist. 6. art. 1. ubi distincto triplici hominum statu, inquit: *Primus est in utero: secundus extra uterum in statu infantiæ: tertius in statu naturæ adultæ. In primo ergo statu, cum soli Deo sit notus, potest per ejus voluntatem sanctificari, non per nostram operationem, cum non agnoscat eum Ecclesia, nec sit de foro Ecclesiæ*. Eamdem rationem inconcussam firmissimamque existimant Theologi gravissimi, Suarez disp. IV. sect. 1. in quæst. 61. 3. p. Paulus Comitolus quæst. XIII. Resolut. moral. antiquiores Scholastici ibidem laudati, Auctor Theologiæ ad usum Seminarii Petrocorensis Tom. 3. pag. 149. aliique innumeri. Non ergo eadem ratio talis est generis, ut illi præferri debeant commenta quorumdam recentiorum. II. Movet tamen me ratio altera longe robustior, praxis nimirum Ecclesiæ, præcipientis ne infantium aliquis *in utero matris* baptizetur; sed hoc fiat tantum, *si caput emiserit*; si emiserit autem *membrum aliud*, quod indicet vitalem motum, baptizetur quidem, si mors immineat; at si natus vixerit, *baptizetur iterum sub conditione*. Ita Rituale Romanum tit. de Baptiz. parvulis: de quo ubi egimus de modo ablutionis pag. 361. Respondent adversarii, id in Romano Rituali præscribi, ex suppositione, quod infans in utero existens ablui nequeat, cum tamen ætate nostra hoc falsum esse ostenderint obstetrices, & peritissimi Medicorum: miraturque Gualdus hæc Natalem Alexandrum non didicisse ex Francisco Mauriceau lib. 2. cap. 33. Parisiis ætate sua laude artis Medicæ celeberrimo. Sed potius miror ego, Medicorum observationes proferri adversus Ecclesiæ praxim. Ac primo hæc de aperitione uteri observatio non est posterioris ætatis; cum de illa scripserint Hippocrates de nat. puer. aliique Medici vetustissimi apud ipsum Gualdum cap. 5. & tamen nunquam Ecclesia docuit, ut infantes baptizentur in utero, sed contra præscripsit ne baptizentur, si non *caput*, aut saltem *membrum aliud* emiserint. Non vult ergo Ecclesia, ut in Sacramentis conferendis nobis philosophi ac medici præbeant regulam, sed ut consulamus Patres, canones, vetustamque consuetudinem, quod scite monet Paulus V. in Bulla *Apostolica*, quæ præmittitur Rituali. Deinde, si docere nos debeant Medici quando administranda sunt Sacramenta, quare cum nulli jam dubium sit, quin in puerperio possit infans nedum ablui, verum etiam contrectari manu obstetricis, non deletur ex Jure Canonico cap. *Qui in maternis*, atque in re tam gravi, dum agitur de sempiterna infantium salute, non præcipitur in Rituali, ut baptizetur fœtus etiam in utero, quamquam foras nullam amiserit partem corpusculi, nec mulier obstetricis fungatur munere, nisi ad baptismum deferat syringias, ac fistulas? Damnat præterea Adversariorum responsio non solum Rituale Romanum, sed Ecclesiarum omnium consuetudinem. Etenim ne baptizetur infans, cujus nulla pars apparet extra uterum, præcipit Sacramentale Ambrosianum editum jussu sancti Caroli pag. edit. Mediol. 9. his verbis: *Si vero foetus ex utero matris, quæ in partu periculose laborat, vel manu, vel pede, vel aliqua parte extans, in necessitate in ea ipsa parte ab obstetrice baptizatus est, cum superstes erit, sub eadem conditione baptizetur. Si vero in capite, quod primo ex utero prodiit, &c.*, ut in Rituali Romano: de quo supra, pag. 361. Præcipit *Manuale Parochorum* pro Provincia Salisburgensi: in quo pag. 59. edit. Ingolst. habetur: *Nullo modo infans in utero materno adhuc existens, matre etiam periclitante, baptizari debet, propterea quod qui natus non est, ex aqua & Spiritu sancto renasci non potest*. Præcipit *Pastorale* editum pro Ecclesia Mechlinensi jussu Joannis Hauchini Archiepiscopi: præcipit *Rituale Sacramentorum* ad usum Ecclesiæ Bononiensis, olim editum cum Annotationibus Itala lingua conscriptis: præcipit ejusdem Ecclesiæ Antistes eximius, & nunc supremus Ecclesiæ Pastor, in Notificatione primum edita die 30. Septembris anno 1732. ac semel, iterumque, hoc etiam anno Romanis typis recusa: præcipit *Liber Sacerdotalis* his verbis: *Puer in ventre matris existens, nec apparens extra, non est baptizandus*: præcipit Rituale Gregorii XIII. pag. 17. præcipit vetustissimum *Sacramentale* Angelicæ Bibliothecæ, lit. I. E contra baptizandum puerum, qui *extra uterum* nullam corporis sui emiserit partem, nullius Ecclesiæ, quos noverim, Rituales libri permittunt. Et modo Gualdus, & cum eo juniores quidam litteratuli, Anatomici potius, quam Theologi, & Augustini argumentationem nituntur eludere atque elevare. Non Augustinus solus, sed magistra veritatis Ecclesia docet baptizandos non esse infantes maternis in uteris consistentes, nec posse renasci, nisi aliqua sui parte sint extra alvum. Igitur etiamsi ope syringiæ, aut siphonis possent perfundi aqua, baptizari tamen non debent.

Oppones I. Instante partu infans ablui potest. Igitur baptismatis capax est. II. Exorta dubitatione, an mulier validum inierit matrimonium ob impedimentum frigiditatis, obstetrices ex cap. *Fraternitatis*, de frigid. & malefic. inspicere debent feminam; idemque faciendum est, si oriatur suspicio, num mulier sit gravida, ex l. *Temporibus*, ff. de Insp. ventris. Numquid vero, inquit Gualdus cap. 2. num. 32. major cura pro matrimonio, quam pro baptismate est adhibenda, aut majus negotium est filios generari mundo, quam cælo renasci? III. Non ex Theologis, sed ex Medicis & Chirurgis petenda est quæstionis hujus solutio. Iccirco namque Scholastici in sententiam abierunt contrariam, quod putarent ante nativitatem *ex utero* infantes ablui non posse. Docent autem oppositum Medici, Anatomici, obstetrices; quibus attendendum esse demonstrat, inquit Gualdus cap. 4. illud Propertii,

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

IV. Sat est ad quodlibet Sacramentum, si adsit materia, forma, & intentio quæ tria haberi possunt in casu, de quo disputatur. V. Aperto uteri ostio fœtus est sufficienter visibilis; nam aliquando manibus immissis extrahitur; atque etiam in alvo existens, si tenellum illius caput lædatur, inquiunt Farvacques & Piarte, cataplasmata juvari potest, & forte curari: quid ni etiam juvandus non erit spirituali remedio? VI. Infans in utero inficitur originali peccato: igitur expiari, & regenerari potest. VII. Aliquando Deus in utero sanctificavit infantes: sunt ergo illic existentes spiritalis regenerationis capaces. VIII. Baptizatum in utero, *& antea cælo, quam terris natum* sanctum Aloysium Gonzagam, narrant ejusdem Acta.

Resp. hæc argumenta ex dictis falsa apparere, ut in illorum solutione parum nobis sit immorandum. Primi itaque falsa est consequentia, quoniam ut infans sit capax baptismi, non sufficit quod ablui queat; sed requiritur etiam, ut natus sit, ut versetur in foro Ecclesiæ, ut in visibilem corporis Christi compagem possit aptari. Alterum adversus Gualdum retorquetur: nam quia matrimonium per impedimentum frigiditatis solvi potest, mandat Ecclesia ut hujus impedimenti suspicione suborta, obstetrices, honestæque mulieres inspiciant uxorem. At Ecclesia, dum mulier laborat in partu, non præcipit, ut interrogentur obstetrices & medici, an infans capax sit ablutionis; sed districte mandat ne baptizetur, *nisi caput aut saltem membrum aliud emiserit*. Censet

ergo Ecclesia infantem, cujus nulla pars *extra uterum* prodiit, non esse subjectum idoneum baptismatis: alioqui magis de matrimonio, quam de baptismo, & magis de carnali generatione, quam de spiritali foret sollicita. Retorquetur & argumentum, quod consequitur: quippe, *Si navita de ventis, de tauris narrat arator*; medici & obstetrices de corporeo partu, non de regeneratione spiritus, de medicamentorum applicatione, non de administratione Sacramentorum narrare debent: de hac vero Ecclesia primum, deinde Theologi sunt audiendi; quorum argumente persistunt, si primum petitum ex impossibilitate ablutionis referatur ad tempus, quod præcedit puerperium; alterum ad puerperium ipsum, nondum infantulo *extra uterum* prodeunte. Resp. ad IV. tria, quæ assignantur requiri ad perficiendum Sacramentum, sed præsupponendem esse subjecti capacitatem. Ad argumentum proximum, negamus fœtum in utero ita esse visibilem, ut censeatur versari in foro, & notitia Ecclesiæ, cum plerumque dignosci nequeat an sit mortuus aut vivens, an sit homo vel monstrum: & quamvis id tactu perciperetur, non esset tamen talis vita, per quam infans in hominum contubernio, & in Ecclesiæ foro quomodolibet verseretur, & ideo licet capax esset emplastri, non foret capax baptismatis. Præterea quemadmodum emplastrum apponendum non esset periclitante vita corporis, si Medici id inhiberent; ita in casu non est ministrandum baptismum, cum id prohibeet Ecclesia. Sexti argumenti inepta est consecutio: nam peccatum originale contrahitur generatione carnali, ideoque animeto statim fœtu; diluitur autem visibili regenerationis Sacramento, & consequenter postquam fœtus prodiit in lucem. Ad VII. liquet ex dictis proposit. 2. infantes in uteris matrum sanctificari quidem posse singulari privilegio, ac per potestatem divinam; non autem ordinata via, & per Ecclesiæ visibilis ministerium. Respondeo denique ad VIII. scripsisse utique nonnullos Divum Aloysium baptizatum in matris utero, ac plures fuisse commotos, dum in quadam Academia, de qua citato loco Martinus Orellus, recitaretur hoc Epigramma,

Astra prius, Ludovice, vides, quam lumina terræ:
Ante Deum cernis, quam videare puer.
Sic dum non visus sacrato fonte lavaris,
Non vivis terris, vivis at ipse polo.

Nemo tamen aut S. Aloysii baptismate, aut postremo argumento debet permoveri, qui de Aloysio legent apud Annibalem Marchetti lib. I. cap. I. *Cum Medici rem ex arte pensantes negarent eum puerperio fore superstitem, ut animi saltem incolumitati mature consuleretur, ubi puer corpusculi partem, qua sacri baptismatis fonte tingi posset, emisit, obstetrix lustralibus aquis aspergere maturavit.*

CAPUT XIX.

Quo continentur quadam circa baptisma infantium problemata.

CUm dixerimus periclitantem puerum non esse baptizandum, nisi caput emiserit, aut saltem membrum aliquod præditum vitali motu; oritur quæstio, an mater prægnans aperiri debeat, præsertim si medici de ejus vita desperant, ut saltem spiritali infantis saluti consulatur. Sed nunquam fas est aliquem, etiam periclitantem, occidere, ut alteri subveniatur; ideoque tunc dissecto matris utero extrahendus est fœtus, cum mater extremam obierit diem. Id vero, quoniam Rituales libri, Theologi omnes, ipsaque naturalis legis rudimenta inconcussum, atque exploratissimum esse declarant, non est prolixiori disquisitione expendendum. Duntaxat si mater esset ad mortis supplicium damnata, scripserunt quidam posse quamcitius auctoritate judicis mandari executioni sententiam mortis; sed haud dubium, quin satius sit, magisque consonum æquitati, post partum executionem illam differre.

II.

At mulier enititur monstrosum fœtum: quid agendum est eo in casu? Dispiciendum, an humanam naturam, speciemque præseferat, quod potissimum dignosci potest ex capite, utpote corporis suprema parte, in qua vigent sensus omnes, extatque domicilium rationis, immo judicio philosophorum complurium residet animus immortalis. Atque id in Instructionibus Baptismi docuerunt sanctus Carolus, & Rituale Romanum, necnon in IV. Sent. Landolphus, & Sotus, Sylvius in quæst. 68. Angelus in Summe, aliique permulti. Quod si dubitetur, an fœtus sit homo; nisi immineat mortis periculum, monet sanctus Carolus, ut consulatur Episcopus: si extrema urgeat necessitas, ratio postulat ut baptizetur adhibita conditione. Si gemelli eo in monstro adnati sint, quod discernunt, si plura præsertim distinguantur capita, aut plura pectora, sunt distincto baptismate regenerandi, nisi extrema necessites compellat, ut tingantur simul pronomine multitudinis sub hac forma, *Ego vos baptizo, &c.* Si vero duarum personarum nequeat dignosci discrimen; una absolute erit baptizanda, & altera sub conditione, ut vitetur reiterati baptismatis sacrilegium.

III.

Quale autem judicium ferendum erit de spuriis? Isti sunt ne baptizandi? Utique, & absque ulla prorsus dubitatione: pro omnibus quippe instituta sunt gratiarum remedia, nullumque ex Eva procreatum repellit S. Mater Ecclesia. *A baptismo, atque a gratia Dei, qui omnibus misericors, benignus, & pius est, neminem prohibendum*, scripsit ad Fidum Cyprianus. Similia Augustinus in Epist. ad Auxilium 75. nunc 250. Nec evincit oppositum, quod legitur Deut. XXIII. 2. *Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus in Ecclesiam Domini, &c.* hoc enim in loco *ingredi in Ecclesiam* idem est, ac fungi Levitarum officio, sive, ut placuit Maimonidi, habere in populo Dei jus connubii. Revera Jephte, de quo Jud. XI., *filius erat meretricis*, & tamen non solum circumcisus est, verum etiam ad Hebr. XI. 32. inter eximios viros connumeratus. Adde ampliorem Evangelicæ legis, quam Mosaicæ, munificentiam. Zanchius, Boquinus, Tremellius, aliique hæretici scripsere apud Vossium disputat. XV. th. 5. spurios non esse baptizandos, *si a parentibus impœnitentibus præsententur*, ne videantur pastores præceptum de obsignandis consecrandisque Deo infantibus contempsisse: sed est hæretica, cæterisque similis ludificatio: quippe nullo præcepto arcentur e baptismate impiorum filii, neque ab hominum sanctimonia pendet virtus Sacramentorum.

IV.

Baptizandi ne erunt pariter filii excommunicatorum? Neque id jure in dubium vertimus; quippe, ut citata Epistola ad Auxilium ratiocinatur Augustinus, hoc est discrimen inter corporalem, & spiritalem pœnam, quod corporali pœnæ aliqui contemptores divinorum præceptorum subjiciuntur etiam cum omnibus, *qui ejusdem impietatis participes non fuerunt*, quin ad terrorem viventium aliquando mortalia corpora perimuntur *quandoque utique moritura*. At spiritalis pœna infligi non potest, nisi ob proprium peccatum, cum Ezech. XVIII. 20. scriptum sit, *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*. Hinc S. Pater infert, non recte anathematizari *pro patris peccato filium, pro mariti uxorem, pro Domini servum*, hortaturque Auxilium, ut certis rationibus, vel Scripturarum testimoniis ostendat, quomodo, si puer *eodem tempore, qua universa domus est anathemate obligata, nascatur, non ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri*; testaturque se nunquam id facere ausum fuisse. Atque hæc Augustini doctrina in canonem relata est, cap. *Si habet*, XXIV. q. 3. num. I. Immo nec in Generali Interdicto inhiberi baptismum, constat ex cap. *Quoniam* de sent. Excommun. in VI. atque ex omnibus JCC. in caput, *Quod in te*, de pœnit. & remiss. Ea autem ratio Augustini commonstrat quam imperite Farellus errorum filios non intingeret, *nisi prius ad omnem impietatem abnegandam adigerentur parentes*, ut ipse scripsit ad Calvinum; & quam impie Gerardus Vossius cit. disput. XV. th. 7. contenderit non posse filios sine profanatione Sacramenti ad baptismum admitti, *nisi mundi fuerint utrinsque, aut alterutrius parentis ratione*; nemo siquidem spiritali regeneratione privandus est propter aliena flagitia.

De Expositiis, aliisque, de quibus dubium est an fuerint baptizati, diximus supra post confutationem Anabaptismi, capite XV.

CAPUT XX.

In quo agitur de dilatione baptismatis, atque de Catechumenis.

BAptizandos esse parvulos ostendi cap. XVI. sed pervenerunt tamen ad gratiam baptismatis permulti adulta jam ætate, non solum ii, quibus Evangelii lumen serius effulsit, verum etiam quidam imbuti jam fide, & aliqui etiam Christianis parentibus procreati. Constantinus Magnus, qui Christum agnoverat ante annum 312. si Baronio subscribimus, Romæ anno 324. baptizatus est a Silvestro; si Eusebio, aliisque assentimur, prope vitæ suæ finem, Nicomediæ anno 337. Secutus est exemplum patris Constantius, qui suscepit baptismum Antiochiæ paullo ante mortem, quæ contigit anno 361. Theodosius quoque baptizatus est Thessalonicæ in gravem delapsus morbum, a quo tamen convaluit. S. Ambrosium paucis diebus ante Ordinationem suam baptizatum, narrat in ejus vita Paulinus Notarius. Augustinum Parentem nostrum regeneratum anno ætatis suæ tertio ac tricesimo, consentiunt

tiunt omnes. Nolanus Episcopus Paulinus tinctum se, cum ageret annum duodequadragesimum, innuit epist. xli. in qua S. P. Augustinum ita alloquitur: *Nolo in me corporalis ortus, magis quam spiritalis exortus ætatem consideres: quippe ætas mihi secundum carnem ea jam est, qua fuit ille ab Apostolis in porta Speciosa verbi potestate sanatus* (idest annorum supra xl. ex Act. iv. 22.) *in natalibus autem animæ illius adhuc mihi tempus infantia est, quæ intentatis Christo vulneribus immolata digno sanguine Agni victimam præcucurrit*; Bimatus scilicet Innocentium.

Hæc, aliaque dilati exempla baptismatis nonnullis quæstionibus locum aperiunt: quarum prima est, quid causæ fuerit tot, tantisque viris tandiu Sacramentum summopere necessarium differendi. Multas itaque dilationis hujus causas invenio: ac præcipuam illam puto, quam tradidit Tertullianus lib. de Baptis. cap. 18., ubi ait utilem esse cunctationem baptismi, quia sponsores possunt promissiones suas destituere, & proventu malæ indolis falli; & cetera, quæ produximus cap. 16. op. 3. Hinc aliqui ad usum saltem rationis differendum baptismum existimarunt; & ipse Gregorius Nazianzenus, qui orat. lx. in sanctum baptisma, etsi dilationem baptismatis valde improbet, censet tamen expectandum *triennium, aut aliquanto brevius, aut longius temporis spatium, quo tingendi audire ac respondere possint, & si minus plane & exacte intelligant, imbui tamen & informari*. Alteram longioris dilationis causam invexit hæresis Novatiana; quæ ex male intellecto loco Apostoli ad Hebræos vi. 4. colligebat nullam illis supresse spem veniæ, qui semel illuminati, & accepta baptismi gratia, iterum deliquissent; quare laudatus Nazianzenus ita eos, qui studio baptismum distulissent, alloquitur: Ἀλλὰ φοβῇ μὴ διαφθείρῃς τὸ χάρισμα, καὶ διὰ τοῦτο ἀναβάλλῃ τὴν κάθαρσιν, ὡς δευτέραν οὐκ ἔχων, idest, *Sed times, ne gratiam amittas, & idcirco purgationis moram inducis, utpote nullam aliam ulterius habens*. Tertia causa fuit voluptuosa quorumdam vita, ob quam considerantes quantum seiræniat esse debeant mores baptizatorum, noluerunt sese initiare spiritali lavacro, ne florente ætate illecebris vale dicerent, & arctiori vivendi genere obstringerentur. Insedit enim multorum animo, quod literis mandavit Ambrosius lib. ii. de Pœnit. cap. xi. num. 104. *Nemo in peccato positus arrogare sibi debet auctoritatem, aut usurpationem Sacramentorum*: cujus rei hanc subinde rationem profert, *Si enim caro menti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo & mentis imperio, aliena est terra, quæ non domatur exercitio cultoris, & ideo non potest fructus caritatis, patientiæ, ac pacis afferre*. Eam ob rem Monicam distulisse baptismum Augustini, quod putaret non esse maturandum tempus in adolescente, qui æstu cupiditatum abripiebatur, adnotarunt in hunc Ambrosii locum PP. S. Mauri. Fuerunt differendi baptismatis causæ aliæ, timor, ne parvulis sub paganorum aut hæreticorum tyrannide ab Ecclesia divulsis Sacramentum afficeretur injuria; suborta in Episcoporum exilio laxitas disciplinæ, & adultorum socordia; ipsorum denique negligentia baptizandorum, nata sive ex insolita vitiorum consuetudine, sive ex persuasione, quod in hora mortis baptizati facile consequerentur patratorum omnium scelerum remissionem. Atque hæ quidem causæ, non singulæ unumquemque, sed quædam unum, quædam alterum ad differendum baptismum impulerunt.

Oritur hinc quæstio, expediat ne ob allatas, similesve rationes etiam modo sacrum baptismum differre. Verum quæstionem hanc dirimunt quæ produximus de Pædobaptismo disputantes, præsertim periculum damnationis, servitus diaboli, labisque originariæ reatus, quæ oportet ut, quamcitius fieri potest, abjiciamus atque expellamus. Nec sunt productæ rationes adeo validæ, ut aliquem probum virum debeant permovere. Nam prior ex Tertulliano & Nazianzeno petita, (etsi hi duo non probent dilationem baptismatis ad provectam usque, & senescentem ætatem) refellitur traditione perpetua, ceterisque momentis alibi adductis: quamquam Tertullianus loquitur de parvulis degentibus sub potestate infidelium, & Nazianzenus expectari non vult pleniorem ætatem, *propter inopinatos & repentinos periculorum impetus; quæ ratio*, inquit dist. v. §. 38. illustris Estius, *non minus, imo etiam magis militat pro eo tempore, quod est minus triennio*. Nec injuria infertur parvulis, si baptizentur in infantia, tum quia illorum saluti consulitur, tum etiam quia per susceptores ad id tantum adstringuntur, quod illi, si ratione uterentur, utique deberent suscipere. Verum de his plura cap. xvi. Infirma est etiam causa altera a Novatianis inducta; quoniam nec Apostolus negat lapsis pœnitentiæ remedium, ut suo loco dicemus; nec sani consilii est procrastinando pœnitentiam, & contemnendo Sacramenta thesaurizare sibi iram in futurum; nec denique melius est versari in continuo damnationis periculo, quam sit innovari, remissionem accipere, supernoque auxilio communiri, ac, si labitur humana fragilitas, habere aditum, & jus ad spiritalia remedia. Tertia autem causa, quemadmodum commendat studium eorum, qui ad Sacramenta non admittunt pravis consuetudinibus irretitos, abreptosque fluctibus cupiditatum; ita illos condemnat, qui baptismum in seram usque ætatem differentes peccatis indulgent, ac se in tali statu constituunt, in quo difficulter Sacramenta cum recta dispositione suscipiuntur. Quare citata oratione xl. in sanctum baptisma ita hujusce generis homines compellat Nazianzenus: *Baptizemur hodie, ne cras vi aliqua cogamur: ne beneficium tamquam injuriam differamus; nec expectemus ut plura peccata congeramus, quo plura nobis condonentur: nec Christo, cauponum & negotiatorum ritu, abutamur; nec graviori sarcina oneremur, quam vires nostræ ferre queant, ne una cum ipsa navi demergamur, ac gratiam naufragio amittamus; dumque plura spe, atque animo concipimus, omnia perdamus*. Causæ denique postremo loco productæ eadem refelluntur ratione, qua ingens stupor, supinus error, & culpabilis negligentia reprehenditur. Nemo ergo debet baptismum differre in adultam ætatem, & adversus praxim universalis Ecclesiæ obtendere aliquorum exempla: sed infantes suos baptizando profiteri adversus Pelagianos originale peccatum, & in illis consepultis in mortem Christi delere damnationis chirographum: detestari insuper Anabaptistas, qui ajunt *præstare omittere parvulorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ*; & quos sess. vii. can. 13. de Baptismo anathematizat Synodus Tridentina.

Nunc quoniam illi, qui ætate adulta statuerunt Christum induere, aliquo tempore inter Catechumenos morabantur, de iisdem Catechumenis dicere instituo. Κατηχούμενος ergo, *Catechumenus*, græcum vocabulum est, sive participium passivum verbi κατηχέω, *instruo, doceo, elementis religionis imbuo*: quare idem sonat *Catechumenus*, ac *Ille, qui instruitur*, & *Catechizans* idem, ac *Qui instruit*, traditque viva voce sacræ Religionis elementa: unde Apostolus ad Gal. vi. 6. inquit: Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis*. Hinc pariter Institutionem in fide Græci κατήχησιν, *catechesin*, Latini, *Catechismum* appellant a κατηχίζω, ejusdem cum verbo κατηχεῖν significationis. Dicuntur tamen *Catechumeni* etiam pueri recens nati, qui ad baptismum offeruntur, eo quod in iis servetur ordo veteris disciplinæ, nominis impositio, innuctio, signum crucis, exorcismus, & alia, de quibus infra. Pluribus id demonstrat in Glossario Du-Cangius tom. 2. pag. 887. Dividit eo loci Cangius Catechumenos in tres classes, *Audientium*, *Genuflectentium*, *Competentium*. Secuti sunt eamdem partitionem recentiores Theologi, Tournelius pag. 177. & Auctor Op. de Re Sacram. pag. 195. sed *Genuflectentes* distinctam classem non constituere tenet lib. 1. cap. 1. art. 6. de Antiq. Ritibus Martenius, affirmans *Genuflectentes* fuisse catechumenos lapsos, qui Dei verbum flexis genibus audirent. Ad hanc opinionum diversitatem componendam faciunt Canon xiv. Nicænus, & v. Neocæsariensis: quorum primus mandat, ut catechumeni lapsi *tribus annis sint inter Audientes, post hæc autem cum Catechumenis orent*; alter vero distinguit Catechumenorum stationes duas, *Audientium*, & *Genuflectentium*, qui manuum impositione expurgabantur cum substratis pœnitentibus commorantes: atque hos lapsos mandat rejici ad *Audientiam*, illos de *Audientia* expelli. Ex quibus intelligimus *Genuflectentes* non fuisse diversos a *Competentibus*, qui crebris orationibus, ac pœnitentiis subjiciebantur. Nos itaque Catechumenorum classes ita distinguimus, ut prior sit *Audientium*, *Competentium* altera, tertia *Electorum*, tametsi laudatus Martenius *Competentibus* præponat *Electos*, Tournelius vero *Competentes*, *Electosque* confundat. Sane partitio nostra comprobatur ipsius Catechumenatus explicatione.

Qui ergo Christianam religionem cupiebant amplecti, præiscutati Episcopis inter *Catechumenos* recipiebantur, facto illis signo Crucis in fronte, & alicubi etiam in pectore, in oculis, in ore, in scapulis, in auribus, addita cum precibus manuum impositione, necnon insufflationibus & exorcismis, de quibus infra, ubi pertractabo de ceremoniis baptismi, quæ sunt antiquæ disciplinæ vestigium. Hoc pacto ad audiendum verbum Dei admittebantur in eam Ecclesiæ partem, quam hodie *navim* appellant, & in qua certum est olim habitas fuisse conciones. Quare idem locus, in quo Catechumeni consistebant, κατηχουμενεῖον, idest, *Auditorium*, dictum est, ipsique Catechumeni, *Audientes*. Hinc etiam superiores Ecclesiæ porticus olim dicebantur *Catechumenia*, quod ibi starent mulieres auditu conciones, sacrasque Liturgias excipientes: immo illic locarunt Catechumenorum stationes Baronius, Wolphius, & Meursius, decepti fortasse *Catechumenii*, idest, *Auditorii* vocabulo. Ubicunque tamen *Audientes* constiterint, sive in νάρθηκι, *navi*, sive in tabulatis, ac porticibus supernis; primam illi classem constituunt, & si vim nominis attendamus, proprie sunt *Catechumeni*, nimirum *Edocti*; quamquam eo nomine late accepto designentur *Competentes quoque*, & *Electi*. Non denegatas Catechumenis Eulogias dixi pag. 246. Concione audita Catechumeni ab Ecclesia dimittebantur, clamante

clamante ex ambone Diacono, *Catechumeni discedite*, ne illis mysteria proferrent, ob disciplinam arcani, de qua vide pag. 170. hujus Voluminis. Interrogabantur ante discessum, an vellent sectari illam vivendi rationem, fusisque pro ipsorum salute precibus, iisdemque abeuntibus, sequebatur Missa Fidelium, incipiens ab Offertorio: atque hinc pars Missæ præcedens *Missa Catechumenorum* appellabatur.

Expleto Catechumenatus, sive *Audientia* tempore, pro Episcoporum discretione, & qualitatu initrandorum, longiori, aut breviori, qui baptismi desiderio flagrabant, ad illum admitti supplici demissione petebant. Hi sunt, qui secundam Catechumenorum stationem tenent, scilicet *Competentes*. Isidorus lib. VIII. Orig. cap. 4. *Competens*, inquit, *vocatur, qui post instructionem fidei competit gratiam Christi. Inde a petendo Competens vocatur.* Igitur vel ipsum nomen demonstrat *Competentes*, ut supra dixi, post *Audientes* locandos esse. Petebant Catechumeni baptismum in terram prostrati, ut scribit Gregorius Turonensis lib. V. cap. 7. unde in Ecclesia Mediolanensi infans humi prope Baptisterium solet collocari. Tunc, non *Audientiæ* tempore, Catechumeni nomen dabant. *Baptizandi*, inquit Conc. IV. Carthag. can. 85. *nomen suum dent*; ac S. Pater Augustinus de Fid. & Op. cap. 6. *Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt*: ac de se ipso, utique jam Catechumeno, lib. IX. Confess. c. 6. *Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, &c.* Ferrandus quoque Carthaginensis in Epist. ad Fulgentium, de quodam Æthiope baptizando ait: *Propinquante solemnitate Paschali inter Competentes offertur, scribitur, eruditur.* Ex his infertur nomina Catechumenorum inscripta fuisse Ecclesiasticis tabulis ante Pascha duabus, aut tribus hebdomadibus, atque, ut plurimum diebus quadraginta, & aliquando Dominica in Palmis: qua die Catechumenos ad *Competentium* classem adscendisse, putat Lupus Parte 2. pag. 1024. Interim *Competentes* assiduis orationibus dabant operam. *An usque adeo dissimulamus*, scribit Augustinus citato cap. 6. de Fid. & Op. *quantum fuerimus attenti atque solliciti quid nobis præciperent a quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur?* Citato etiam Confessionum loco, fletus, cordisque sui motus, excitatos hymnis & canticis, commemorat S. Pater. Tertullianus de Baptismo cap. 19. scripsit, ingressuris baptismum sedulo incumbendum *orationibus crebris, jejuniis, geniculationibus, pervigiliis*. Similia Gregorius Nazianzenus Orat. XL. Cyrillus Jerosolym. Catech. 3. & alii; qui etiam scribunt eo temporis Catechumenos confessos patrata crimina, non Confessione Sacramentali, sed ea, quæ ipsorum conversionis, meliorisque propositi foret indicium: atque ita omni conatu se præparabant ad gratiam regenerationis percipiendam. Ecclesia e contra omnem adhibebat diligentiam, ne initiarentur indigni, instituto circa Competentium mores examine, quod appellabant *Scrutinium*. Septem vero ex Ordine Romano scrutinia celebrabantur, a tertia hebdomada in Quadragesima usque ad Sabbatum sanctum: & si quis Catechumenorum interea temporis perpetrasset flagitium aliquod, remittebatur, ut supra diximus, ad classem *Audientium*. Præcipuum tamen scrutinium habebatur feria IV. majoris hebdomadæ, quæ propterea dicebatur *dies scrutinii*, ut scribunt Rupertus de divinis Officiis lib. IV. cap. 18. Hugo Victorinus I. de Sacram. cap. 17. Casalius de Antiq. Rit. cap. 5. Dufresne in Glossario, Vicecomes, Martenius, alii.

Nisi prioribus scrutiniis *Competentes* inventi fuissent indigni, illis Symbolum tradebatur, & dicebantur *Electi*: quo nomine designantur qui initiandi, aut consecrandi sunt, priusquam initientur, aut consecrentur, ac præsertim Episcopi. Hoc nomine appellantur Catechumeni in Ordine Romano, ubi agitur de *die scrutinii*, idest feria IV. majoris hebdomadæ, ad quam fideles omnes invitantur his verbis, *Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo Electi nostri divinitus instruuntur, imminere cognoscitis: ibidem solita devotione, succedente sequenti quarta feria, circa horam tertiam convenire dignemini.* Majori itaque hebdomada accepto Symbolo *Competentes* dicebantur *Electi*: immo Casalius contendit *Competentes* appellatos fuisse *Electos* eo tantum die, quo baptizabantur, ex Siricio epist. I. ad Himerium cap. 2. Ut ut sit, pertinent *Electi* ad classem Catechumenorum sublimiorem. Symbolum tradebatur in die Palmarum, ex Alcuino de divinis Offic. cap. de Dominica Palm. & Isidoro lib. I. cap. 27. Idcirco Dominica Palmarum *Pascha Competentium* appellabatur, extatque sermo S. Patris 115. de Tempore, nunc *de Traditione Symboli*, habitus eadem die. Amalarius tamen Fortunatus lib. I. cap. 8. scribit traditum Symbolum Catechumenis feria 2. post Dominicam tertiam Quadragesimæ: eamque consuetudinem inductam a S. Gregorio existimat Lupus in Canonem LXXVIII. Trullanum. Reddebant Catechumeni symbolum in Ecclesia Romana Sabbato sancto, paullo ante baptismum, ex Ordine Romano, & Amalario, citato loco: nec aliter in Africa ex Homilia XLII. Augustini, cap. 1. Præcitato tamen canone Trullano, & 46. Laodicensi præcipitur, ut Catechumeni reddant Symbolum *feria quinta*. Idem habetur cap. *Non licet ante*, de Consecr. dist. IV. num. 59. Est autem *reddere symbolum* illud memoriter recitare, & Christianam fidem ante susceptionem baptismatis profiteri. Una cum Symbolo tradebatur Catechumenis *Oratio Dominica*, quam tamen reddebant non Sabbato sancto, sed in proxima Paschali solemnitate post Eucharistiam, ut scribunt citata homilia Augustinus, & in libro de Baptis. cap. 28. Tertullianus. Quo autem rito mergerentur Catechumeni dictum supra in Appendice cap. VI. Hæc itaque de Catechumenis, eorumque classibus verisimiliora nobis videntur, atque possunt ex dictis facile comprobari.

CAPUT XXI.

Solvuntur quæstiones aliquæ circa adultorum baptisma.

Quæritur modo quid agendum sit, si baptismum petat adultus, paganus, aut baptizatus in hæresi absque præscripta *forma* verborum? Respondeo non statim, & absque delectu tingendum esse; sed ejus voluntate explorata, dandam operam, ut rite ad justificationis gratiam disponatur. Pertractat de hac dispositione Synodus Tridentina sess. VI. cap. 6. nonnullaque a me dicta sunt lib. XIX. cap. 4. Excitanda est ergo in catechumeno fides per Evangelicam Institutionem: nam inquit Apostolus ad Rom. X. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Exigit hanc fidem Dominus in Evangelio, dicens Mat. XXVIII. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*. Et Marci XVI. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. De Petro etiam legitur Act. II. 41. *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt*. Philippus pariter Eunucho baptismum petenti, Act. VIII. respondit, *Si credis ex toto corde, licet*. Fidem comitari debent spes, timor, ac pœnitentia: quod citato in loco demonstrat sacrosancta Synodus verbis Christi alloquentis paralyticum Matt. IX. 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: tum recitata sententia Eccli. I. 27. *Timor Domini expellit peccatum*: concione insuper Petri Act. II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum*. De hac pœnitentia inquit Augustinus serm. 351. num. 2. *Omnis, qui jam suæ voluntatis factus est arbiter, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cum baptizantur, soli parvuli immunes sunt; nondum enim uti possunt libero arbitrio*. Haud secus in Epist. 265. ad Seleucianam alias 108. num. 7. & uterque locus extat in Decreto cap. *Omnis*, & cap. *Agunt homines*, de Consecr. dist. IV. n. 96. & 97. Quo autem sensu etiam parvuli credere, & pœnitentiam agere dicantur, scripsi Vol. II. pag. 159. ac paullo supra Pædobaptismum propugnans. Requirit etiam Tridentina Synodus, ut adulti, qui se ad justificationem disponunt, Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*; ut habeant nimirum amorem saltem inchoatum, de quo prolixius agemus disserentes de Pœnitentia. Paucis hæc complectitur Rabanus Maurus lib. I. de Instit. Cleric. cap. 27. *Primum interrogatur paganus, si abrenunciat diabolo: & omnibus damnosis operibus ejus, atque fallacibus pompis, ut primum respuat errorem, & sic appropinquet ad veritatem; possitque juxta Apostolum deponere veterem hominem secundum pristinam conversationem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, abnegans impietatem & sæcularia desideria*. Inserta hæc sunt cap. *Primum*, cit. dist. IV. num. 95.

II.

Præterea quæritur, quo tempore solemnis adultorum baptismus sit celebrandus. Respondeo autem, jure præscribere Rituale Romanum, ut id fiat *in Sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes*, nisi obstet impedimentum aliquod, aut ad fidem post Pentecosten conversi, ac plene doctrina Evangelica instructi, dilationem baptismatis in longum tempus ægre ferant. Primo enim Romani Pontifices ex perantiqua traditione statuerunt, ut nonnisi prædictis diebus, *exceptis ægritudine laborantibus*, præsumant Episcopi baptismum Catechumenis tradere. Ita definiit Siricius epist. I. ad Himerium cap. 2. anno 385. S. Leo epist. 16. ad Episcopos per Siciliam constitutos cap. 3. anno 447. Gelasius epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ cap. 10. circa annum 493. quorum decreta extant de Consecrat. dist. IV. capp. *Non ratione. Proprie in morte. Baptizandi*. num. 11. 13. 18. Accedit antiquarum Ecclesiarum consuetudo. Thessalicas olim baptizasse in festo Paschatis, testatur Socrates lib. V. H. E. cap. 26. Africanas in Paschate, & Pentecoste, Tertullianus de baptismo cap. 19. iisdem diebus Gallicanas, Gregorius Turonensis lib. V. Hist. Franc. cap. 11. Addi poterat congruentia, quam profert citato loco Tertullianus: *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat, cum & passio Domini,*

in

in qua tingimur, adimpleta est: exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus sancti dedicata, & spes adventus Domini subostensa. Similiter Leo Magnus laudata Epist. xvi. *Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis, &c.* Ea de causa, non quavis hora Paschalis Sabbati conferebatur baptismus, sed nona, *propter mysterium sepulturæ Christi*, inquit Amalarius Fortunatus lib. iv. de Offic. Eccl. cap. 29. Plura de baptismi tempore Josephus-Vicecomes de Antiq. Baptismi ritib. lib. 1. cap. 22. Barnabas Brissonius in lib. Observat. divini, & humani juris, Martenius lib. 1. cap. 1. Vossius etiam disput. xvi. thesi 6. Ob antiquæ igitur disciplinæ venerationem, æquum est, ut adulti prædefinito tempore baptizentur: quod tamen, ut dixi, non est necessario servandum; quoniam ea, quæ ad disciplinam pertinent, sæpenumero patiuntur variationem. Invenimus quippe aliquando collatum fuisse baptismum in die Epiphaniorum, ut in lib. de Rebus Eccles. cap. 26. testatur Walafridus Strabo: ea die ab Eugenio Carthaginensi cæcum illuminatum, dum Catechumenos baptizaret, auctor est in libro 2. de Persecutione Vandalica Victor Vitensis: collati eo tempore baptismatis meminit quoque in Prato Spirituali cap. 214. Joannes Moschus; & Clodovæum Francorum regem eo die baptizatum, *quo natum Cæli Dominum mundus accepit*, scripsit Epist. vii. Avitus Viennensis. Exortam de more conferendi baptismum in solemnitate Epiphaniæ controversiam inter duos Parisienses Theologos refert Ludovicus Habert cap. xii. de Baptismo, & consuetudinem illam sæpe fuisse prohibitam animadvertit Gerardus Vossius citata th. 6. Sed facile poterat dissidium illud componi. Nam S. Leo præcitata Epist. xvi. cap. 14. scribit: *Si quis autem Epiphaniæ festivitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat privilegium habere baptismatis; quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum sancti Joannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eamdem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur.* Ac Petrus Blesensis serm. xiii. pag. 343. narrat fuisse quosdam hæreticos, *qui dicerent super illum locum*, Jesu baptizato & orante, *Jesum oculsse, ut hi tum acciperent Spiritum sanctum, qui eadem die baptizarentur, quo & Christus.* Si ergo interdixit Ecclesia baptismum in die Epiphaniorum, id fecit propter eos, qui baptismati Joannis, & Christi eamdem tribuerunt virtutem, vel soli baptismo ea die collato gratiam adoptionis alligarunt; potuitque in illa solemnitate baptizari, ubi inaudita essent hujusmodi errorum portenta. Certe apud Hibernos & Anglos traditum baptisma etiam in Epiphania, constat ex Epist. 30. libri vii. sancti Gregorii Magni. Atque hinc sequitur præfinitum illud tempus Paschatis & Pentecostes non esse prorsus necessarium ad Catechumenorum baptisma. Ait enim Tertullianus de Baptismo cap. 19. *Ceterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo:* ac Basilius Exhortat. ad Baptismum, *Tempus aliud alii opportunum negotio: ad baptismi vero salutem quodlibet tempus accommodum est; sive dies sit, sive nox, sive hora, sive quodcumque temporis momentum, etiam minutissimum: πᾶς χρόνος εὐκαιρίαν ἔχει, πρὸς τὴν τοῦ βαπτίσματος σωτηρίαν, κἂν νὺξ ᾖ, κἂν ἡμέρα, κἂν ὥρα, κἂν στιγμὴ χρόνου, κἂν τὸ βραχύτατον.*

III.

Oritur quæstio tertia, quid observandum sit circa adultum Catechumenum, qui ante expletum catecheseos tempus corripitur infirmitate, præsertim si obmutescat, neque divinum munus expostulet. Respondeo Catechumenum illum baptizandum esse, ut definiunt canones, docent Patres, suadet ratio. Etenim Concilium Arausicanum 1. can. 12. inquit: *Subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* S. Cyprianus Epist. 13. *Si qui fuerint*, ait, *periculo præventi, vigilantia vestra non desit.* Ratio ex eo petitur, quod ad suscipiendum baptismum sufficiat intentio *interpretativa*, de qua diximus præcedenti libro xxx. cap. 28. Ex eodem capite constat quid dicendum sit de amentibus, & energumenis; qui tingendi sunt, si aliquando baptismatis ostenderint desiderium. Si tamen habeant lucida, ut inquiunt, intervalla, in iis regenerandi sunt, ut percipiant quod in eis perficitur: si numquam compotes sui fuerint, eadem omnino illorum est ratio, ac sit parvulorum. Quod si adultus implicatus peccati consuetudine corripiatur morbo, nec ullum pœnitentiæ signum exhibeat, utrum baptizandus sit, videtur gravior difficultas. Atque illum baptizandum non esse, si constet cum voluntate baptismi habuisse voluntatem permanendi in peccato, ob quam sese ostenderit indignum percipiendæ gratiæ, docent in art. xii. quæst. 68. celebres, probique Theologi, quoniam cum tali obice prorsus inutiliter ablueretur vitæ lavacro. Augustinus tamen in capite ultimo de adulterinis conjugiis, baptizandos censet Catechumenos retinentes *adulterina consortia*, (tametsi salvi corpore in iis permanentes ad baptismum non admittantur,) *si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec per se respondere potuerint*, ea permotus ratione, quoniam credibile est, nolle ipsos ulterius *carnis illecebra detineri*. Et quidem si tali in casu baptizandi sunt, quamquam nondum reddiderint symbolum, nec ore abrenunciaverint diabolo, quoniam in catechumenatu commorantes creduntur id esse facturi; baptizandi sunt quoque conjugiis illicitis copulati, dum hæc a se dimittenda fore ipsum catechumenatus studium, officiumque promittit. Verum, cum impœnitentes lapsosque in Catechumenorum classibus passa numquam sit vetus Ecclesiæ disciplina; præcipuum catechizantium est munus, baptismi cupidos instruere simul, & a carnis illecebris removere.

IV.

Postrema quæstio est de illis adultis, qui simulato animo, idest, fide interna destituti, & cum peccati mortalis affectu accedunt ad regenerationis Sacramentum. Ab his, modo non baptizentur inviti & prorsus coacti, perspicuum est recipi characterem, non autem gratiam: unde Augustinus lib. iii. de Baptis. cap. xiv. num. 19. *Non interest*, inquit, *cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest.* Vide cap. *Sicut in Sacramentis*, de Consecrat. dist. iv. num. 151. Ad gratiam itaque percipiendam debet baptizatus credere, & agere pœnitentiam: remota enim fictione Sacramentum baptismatis reviviscere, & gratiam justificationis conferre, tradidit S. Pater, affirmantque Theologi universi. *Tunc valere incipit ad salutem*, ait de Baptismo Augustinus lib. 1. cap. 12. *cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Idem docet S. Pater de hæreticis, lib. iii. cap. 13. asserens tunc illis baptismum valere ad dimittenda peccata, *cum ad Ecclesiæ pacem venerint*: nec aliter de Christianis, qui solis verbis, & non factis renuntiant sæculo, scribit lib. iv. cap. 3. affirmans hoc illis veram conversionem præstare, *Ut sacramentum, quod non mutatis valebat ad perniciem, mutatis valere incipiat ad salutem.* Hic nota falli Morinum, qui lib. ix. de Pœnit. cap. 13. scribit reviviscere duntaxat baptismum extra Ecclesiam collatum; cum idem de hæreticis, ac de improbis Catholicis tradat Augustinus. Indefinite pariter loquitur cap. *Tunc valere*, de Consecr. dist. iv. num. 152. Hujus *reviviscentiæ* probationes petunt Theologi ex regeneratione, quæ baptismati tribuitur, Joan. iii. 5. & ad Titum iii. 5. Cum ergo ficte baptizatus nondum regeneratus sit, & ab originali peccato solutus; dum remota fictione consequitur gratiam, hæc suscepto baptismati est tribuenda, ideoque Sacramentum, quod erat *informe*, tunc effectum sortitur suum. Hinc Augustinus citato cap. 12. libri 1. de Baptismo confirmat quod scripserat, ex quo nemo possit Christum induere, nisi sit baptizatus in Christo, ficte autem baptizatus nequeat accipere Spiritum sanctum, productis verbis Apostoli ad Galatas iii. 27. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*, & Sapientiæ 1. 5. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Accedit in hujus argumenti confirmationem, quod baptismus iterari non potest, ideoque ut salutem afferat baptizatis sine prævia dispositione, debet in pœnitentibus vim propriam exerere, quod præstare non potest in hæresi, schismate, & contaminatis moribus persistenti; ut S. Pater exquisitis testimoniis demonstrat duobus aliis in locis prælaudatis. Atque hinc apparet Vasquesium nimia confidentia scripsisse disp. 159. cap. 3. ab Augustino nulla ratione fuisse comprobatam *reviviscentiam* istam baptismatis. Alteram addunt Theologi probationem, quod nempe peccata baptismum præcedentia non sint *materia* Sacramenti Pœnitentiæ, instituti ad dimittenda peccata post baptismum commissa, ut docet Tridentinum sess. vi. cap. 14. & sess. xiv. cap. 1. Necessum est ergo, ut peccata illa deleantur per baptismum, qui fictione remota reviviscat. Solet opponi, quod baptismus, dum removetur obex, non amplius existat; quod ipsa baptismatis susceptio fuerit in simulantibus *opus mortuum*, ideoque reviviscere nequaquam possit; postremo quod fictio ipsum baptismum præcedat, & tamen per solam pœnitentiam possit remitti. Sed hæc facile diluuntur. Ad primum enim responsum est pag. 237. hujus Voluminis. Ad alterum diximus baptismum non reviviscere, quatenus est sacrilega actio baptizati; sed in quantum est Sacramentum Christi virtute collatum, & in se non *mortuum*, sed efficax, quamvis perseverante fictione gratiam non conferat, ad instar seminis, cui ariditas terræ est impedimento ne germinet. Ad ultimum reponimus fictionem actu, vel affectu perseverasse in ipsa susceptione baptismatis, ideoque remitti per Pœnitentiam, quemadmodum remittuntur peccata, in quæ regenerati post

baptismum labuntur: & quod affirmamus de fictione, afferendum est de quolibet peccato, cujus affectu detineatur accedens ad sacrum spiritalis regenerationis mysterium, ut docent in quæstionem lxix. art. 10. Sylvius, aliique Theologi.

CAPUT XXII.

De baptismate mortuorum, arisque Campani.

Baptismata duo remanent expendenda, quorum unum nos in antiquis hæreticis condemnamus, alterum hæretici recentiores reprehendunt in nobis: mortuorum illud, istud vero signorum quæ *Campanas* consuetum nobis est appellare. Ac de baptismate mortuorum dicam primo quinam mortuos, aut vivos pro mortuis baptizaverint, deinde cur id fecerint, tandem an recte gesserint, an male. Baptizarunt itaque vivos pro mortuis vetustissimi hæretici Cerinthiani, & Marcionitæ: quorum ductor Cerinthus vixit Apostolorum temporibus, ut constat ex Irenæo lib. III. adversus hæreses cap. 3. & Eusebio lib. III. H. E. cap. 22. alter, idest, Marcion fuit successor Cerdonis, ex eodem Irenæo lib. 1. cap. 27. alias 28. vixitque Hygini Papæ, & Antonini temporibus, ut ex priori Apologia Justini, & Epiphanio hæresi XLII. demonstrat ad annum Christi CXLIV. num. 3. Antonius Pagius. Et de Cerinthianis quidem id refert Epiphanius h. XXVIII. *Ex traditione res quadam ad nos pervenit, quod ut quidam apud ipsos de vita decesserunt morte præoccupati citra baptisma, alii pro ipsis in nomen ipsorum baptizentur, ne ubi resurrexerint, illi in resurrectione pœnas luant, eo quod non acceperunt baptisma, & subditi fiant potestati, quæ mundum condidit.* De quo loco plura Estius in Paulum Tom. 1. pag. 387. necnon Vossius disput. XII. de Baptismo, thesi 2. Idem de Marcionitis scribunt Chrysostomus hom. xl. in 1. ad Corinth. cap. 15. Theophylactus eumdem in locum, & ex Latinis Tertullianus lib. v. contra Marcionem cap. 10. & de Resurrect. carnis cap. 48. Horum vero testimonia, & quæ scripsit Ambrosiaster in Paulum, & Walafridus de rebus Eccles. cap. 26. cum apertissima sint, & omnia a Vossio producta, brevitatis gratia prætermittimus. Addimus Constantium Hermenopulum libro de Sectis cap. 11. e Vossio quidem omissum, sed laudatum a Lupo ad Canonem 83. Trullanum, atque hæc de Marcionitis, & Manichæis scribentem: *Quoties apud ipsos non baptizatus aliquis moritur, sub lectulo defuncti virum quemdam occultant, lectulum adeunt, ac mortuum interrogant, an baptizari velit. Respondet occultatus ab imo, velle: ita loco defuncti eum baptizant.* Hi ergo hæretici, idest, Cerinthiani, ac Marcionitæ, viventem aliquem pro mortuo tingebant. Cataphrygas autem, quorum in hoc Opere sæpe mentionem fecimus, exortos juxta Epiphanium h. XLVIII. circa annum Antonini Pii XIX. idest, Christianæ Æræ 165. auctore pseudopropheta, perditissimoque Montano, Cataphrygas, inquam, baptizasse mortuos, scribit Brixiensis Episcopus sanctus Philastrius h. XLIX. pag. novæ edit. 37. his verbis: *Hi mortuos baptizant.* In quem locum Auctor Not. lectorem remittit ad Vossium supra laudatum, ad Grotium in 1. ad Corinth. xv. 29. & ad Historiam Pædobaptismi editam Anglica lingua. At Vossius Philastrium quidem laudat, observatque errasse Alphonsum de Castro, qui ait Cataphrygas non baptizasse mortuos, sed vivos pro mortuis, ut fecerunt Cerinthiani ac Marcionitæ: at Grotius plura eo loci tractans de baptismate mortuorum, nec Philastrii, nec Cataphrygum fecit mentionem ullam. Hujus præterea erroris non meminit agens de Cataphrygis Epiphanius h. XLVIII. nec Augustinus de hæres. num. 26. nec Irenæus lib. III. cap. 11. ubi suppresso nomine Montanistas exagitari animadvertit Massuetus. Hæc tamen talia non sunt, ut dicamus erravisse Philastrium; cum ex alia parte constet mortuos a nonnullis hæreticis baptizatos, præsertim ex canone Synodi III. Carthaginensis, de quo infra. Videntur Cataphrygis accensendi Archontici; nam de his scribit Theodoretus lib. 1. hæret. fabul. cap. 11. pag. 202. *Post mortem oleum & aquam mortuorum capitibus injiciunt, sic fore dicentes, ut ipsi invisibiles sint, superioresque evadant interjectis dominationibus, & potestatibus.* Atque hi sunt hæretici, quos invenimus baptizasse mortuos, aut viventes pro mortuis.

Cui bono, & qua intentione id fecerint, perdifficile est edisserere. Nam si baptizare mortuos positum fuit in consuetudine aliquorum hæreticorum, ante exortam Cerinthi hæresim, ut quidam conjectant ex verbis Pauli 1. ad Corinth. xv. 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* probabile est inductum morem illum ex frequentissimis lotionibus Pharisæorum, apud quos fertur usu fuisse receptum, ut si quis mortuus esset legaliter immundus, pro ipso alius ablueretur, eaque cæremonia fieret ne immunditia noceret mortuo, simulque fides excitaretur futuræ resurrectionis, quam Sadducæi denegabant. Visum ita Francisco Turriano, qui id ex Apollinari, Ephræm Diacono, & Eustratio presbytero conatus est demonstrare apud clarissimum Estium in Paulum pag. 388. Sed ambigua sunt, sacrorumque Interpretum ingenia torquent præcitata Apostoli verba. Si autem dixerimus Apostolum de perverso illo more nequaquam fuisse locutum, nec obtinuisse consuetudinem baptizandi mortuos, quando scripsit ad Corinthios priorem Epistolam, idest, circa annum V. Æ. LVII. haud inverisimile erit exortum tingendi mortuos abusum ex prava Apostolicorum verborum intelligentia. Postquam itaque reprobavero mortuorum baptisma, proferam nonnulla de obscuro illo, ac perdifficili Apostoli testimonio.

Sane mortuos baptizandos non esse probatur auctoritate, & ratione. Etenim in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ c. 18. legitur: *Placuit ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Scriptum est enim, Accipite & edite; cadavera autem nec accipere possunt, nec edere. Et ne jam mortuos homines baptizari faciat presbyterorum ignavia:* sive, ut habetur in Collect. Conciliorum, can. 6. Conc. III. Carthaginensis, *Cavendum est, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat.* Ratio etiam evidens est, quoniam mortuorum cadavera recipere nequeunt spiritalem regenerationem, & gratiam, cum anima rationali sint destituta. Neque potest vivus baptizari pro mortuo, quia cum ille renasci debeat ex aqua & Spiritu sancto, qui natus est carne, baptismus prodesse non potest nisi suscipientibus; præterquamquod defunctis absque baptismo, & ab Ecclesia alienis, nequeunt aliquid præstare suffragia viventium. De Eucharistia data mortuis disserendum est alibi: sufficit modo animadvertere & hanc vetari citato canone Carthaginensi, LXXXIII. Trullano, aliisque; imperite autem a nonnullis receptam in usu, quod antiqui Patres ad compescendas diabolicas grassationes in fidelium cadavera, iis aliquando applicuerint Dominici corporis Sacramentum. Vide in præcitatum canonem Trullanum Christ. Lupum P. 2. vet. edit. pag. 1044.

Restat ergo, ut dicamus de perdifficili illo textu, *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, &c.* Varias loci hujus interpretationes affert, expenditque accuratissime Estius in Paulum, & in peculiari dissertat. de Baptismate mortuorum Augustinus Calmet Tom. 2. pag. 203. Plura etiam de hoc argumento Raynaudus, Albaspinæus, Poncius noster, atque, ne de Vossio, & Grotio aliquid repetam, Epistolarum Pauli Interpretes universi. Tres tamen sunt expositiones, quæ videntur mihi ceteris præferendæ. Prima est eorum, qui asserunt ex consuetudine aliquorum, qui viventes baptizabantur pro mortuis, demonstrare Apostolum futuram corporum resurrectionem, argumento, ut inquiunt, *ad hominem*, non consuetudinem illam approbando, sed ex illa adstruendo fidem resurrectionis. Pugnat pro hac interpretatione acerrime Calmet: eamque præter ea, quæ diximus de more Pharisæorum, confirmant verba Tertulliani lib. v. contra Marcionem cap. 10. scribentis, Paulum non fuisse baptismi pro mortuis auctorem & confirmatorem, sed ea scripsisse, *Ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent.* Altera interpretatio est eorum, qui censent loqui Paulum de iis, qui decumbentes in lecto, & morti proximi baptismum suscipiunt, & reipsa declarant se baptizari *pro mortuis*, idest, ut baptismus prosit sibi vita functis, & pro eo statu, ad quem accesserant: quod pariter ad probandam resurrectionem invictum est argumentum, quia dum Sacramentum impenditur corporibus, consecrantur immortalitati; ideoque suscipientes baptismum ex hac vita migraturi sperant se fore resurrecturos. Ac de hac interpretatione legendus Estius, nec prætermittendus Gerardus Vossius. Expositio tertia est eorum, qui interpretantur τὸ *pro mortuis*, pro corporibus morti obnoxiis, ita, ut verborum Apostoli sensus sit, Si futura non est carnis resurrectio, cur in spe & fide resurrectionis baptizantur corpora, ita addicta morti, ut nunquam sint immortalitate donanda? Amplectuntur interpretationem illam Chrysostomus, Isidorus Pelusiota, Theophylactus, & Œcumenius, ut præteream juniorum complures: & in ejus confirmationem observat Chrysostomus, baptizandos recitatis verbis symboli, *credo carnis resurrectionem*, in hac fide regenerari. *Hoc ergo* (inquit hom. xl. in 1. ad Corinth. pag. edit. Commel. 688.) *in memoriam revocans Paulus dicebat, Si non est resurrectio, cur baptizaris pro mortuis, idest, corporibus? Propter hoc enim baptizaris, mortui corporis credens resurrectionem, idest, quod non maneat mortuum.*

Hanc Chrysostomi explicationem præpono ceteris: prima siquidem, licet non levibus conjecturis innixa sit, inde refutatur, quod vero non videtur simile, Apostolum adstruere fidem resurrectionis ex perversa quorumdam consuetudine. Hanc præterea consuetudinem ante annum LXX. & Cerinthianæ hæreseos primordia, certo non constat obtinuisse. Insuper Sadducæi, aliique resurrectionem negantes potuissent eludere argumentationem Apostoli, reponentes mortuos, aut vivos pro mortuis baptizari, non in spem resurrectionis, sed ne defunctis

obs-

obesset immunditia legalis. Secunda pariter expositio non videtur invicta; quoniam in spem resurrectionis non solum baptizantur Clinici & decumbentes, sed omnes omnino qui baptizantur, sruentes quoque bona valetudine: contra interpretatio Chrysostomi quadrat optime scopo Apostoli de resurrectione disserentis, & cohæret præcedenti argumento inde petito, quod *sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*. Respondet Calmet, incertum esse quod Apostoli ætate baptizandi recitarent illum articulum, *Credo carnis resurrectionem*: Addit Estius hæc verba *pro mortuis* ægre trahi ad sensum illum, *pro corporibus morti obnoxiis*, sive, *pro fide & spe resurrectionis corporum*, ut visum Chrysostomo. Sed quod ait Calmet refellitur ex his, quæ diximus lib. xxii. cap. 6. de Symbolo Apostolico: & insuper baptizandos, nisi ore, saltem corde professos fuisse resurrectionem carnis, adeo apertum est, ut non indigeat probatione. Estio autem primo respondemus, si τὰ *pro mortuis* coacte referatur ad corpora *moritura*, & nondum mortua, coacte etiam accipi ab ipso Estio pro decumbentibus & *moribundis*. Deinde asserimus recte corpora subjecta mortis necessitati ab Apostolo dici *mortua*; siquidem idem Paulus ad Rom. viii. 10. inquit: *Si autem Christus in vobis est; corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem*: quem in locum scribit pag. 83. ipsemet Estius: *Mortuum corpus vocat, quod paullo post mortale: sed ideo dicit mortuum, quia non tantum tale est, ut mori possit, sed quod corruptionem in se habeat, qua perpetuo & inevitabiliter tendat ad mortem. Unde & corpus mortis ipsum appellavit superiori capite. Quo pertinet etiam illud vulgatum, Nascentes morimur*. His itaque vindicata a nobis est interpretatio Chrysostomi, investigatus sensus Apostoli, & dissertatio de mortuorum baptismo ad umbilicum perducta.

Agendum est modo de Campanarum baptismo; quem, ut diximus, hæretici damnant superstitiosi ritus, Magdeburgenses cent. a. cap. 6. Hospinianus lib. 1. de Templis, Vossius Tract. Theolog. tom. 6. pag. 300. aliique apud Joannem Georgium pag. 343. Horum argumenta sunt. I. Quod hujus ritus inventor fuit Joannes XIII. qui anno 968. omnium primus sacris ceremoniis consecravit Lateranensis Ecclesiæ Campanam. II. Eumdem ritum proscripsit Carolus Magnus in Capitul. pag. edit. Moguntinæ 266. hac Constitutione, *Ut clocas non baptizent, nec chartas per porticas pendant propter grandinem*. III. Quoniam Campanæ sunt omnino baptismatis incapaces. IV. Quia ridiculum ac superstitiosum videtur in Campanarum baptismo ea omnia adhiberi, quæ in baptismate hominum usurpantur, impositio nominis, inunctio, lavacrum, candida vestis, necnon *Patrinorum* præsentia.

Verum hæc ad eliminandum sacrum Ecclesiæ ritum infirma nimium sunt, & futilia. Principio enim, quantum attinet ad usum Campanæ, quovis tempore ad Ecclesiam signo aliquo fideles congregati fuere: in veteri lege tubis argenteis, ac ductilibus, ut habetur in Num. x. 2. pro quibus substitutas Campanas scribit Albinus Flaccus de div. Off. pag. Rom. edit. 66. Et licet incompertum sit, quo præcise signo primis Ecclesiæ sæculis convocarentur, neque, ut opinor, signum duntaxat unum fuerit in usu; convocatos tamen signo aliquo sonoro, scripsit sæculo iv. S. Ephrem Edessæ in Syria Diaconus Parænesi 43. & alii apud Casalium de vet. Rit. Christ. cap. 43. Et quidem Græci, antequam Ursus Participatius Dux Venetorum circa annum 865. Campanas quasdam dono mitteret ad Michaelem Imperatorem, consueverunt plebem evocare ad templa, nunc lignea tabula, quam malleis duobus pulsabant, nunc vero lamina ferrea malleo pariter percussa, quæ instrumenta describit, delineatque in Opusculo de Tintinnabulis Hieronymus Magius, ubi quoque ait primum appellatum σύμανδρον, *Symandrum*, alterum Ἁγιοσίδηρον, *Hagiosidirum*. At in Ecclesia Occidentali Campanæ longe antea fuerunt in usu: siquidem earum meminit Auctor Ordinis Romani tit. de Sabbato sancto, S. Audoenus in Vita S. Eligii scripta circa annum 650. lib. 2. cap. 21. & sub initio sæculi vii. Ven. Beda lib. iv. Hist. Gentis Anglorum cap. 13. Quis vero Campanarum invexerit usum, arduum est definire. Sabiniano ad Petri cathedram evecto anno 604. id tribuunt Polydorus Virgilius lib. vi. de Rer. invent. cap. 12. Genebr. in Chronico, Panvinius noster in Epitome Rom. Pontif. Ciaconius, & quidam alii. At vellent eruditi hujus ævi, protulissent viri illi percelebres assertionis hujus momentum aliquod: nam si sola Polydori ducantur auctoritate; de illo haud illepide Joannes Audoenus Epigram. 49.

> *Virgilii duo sunt: alter Maro, tu Polydore*
> *Alter; tu mendax, ille poeta fuit.*

Fert vulgaris, & communior opinio Campanas initio sæculi v. usurpatas a S. Paulino Nolano Episcopo, ac propterea *Campanas*, & *Nolas*, a Nola Campaniæ urbe fuisse dictas. Sed & opinionem hanc refellunt plurimi, quibus novissime accesserunt Sandinus in Notis ad Sabinianum, & Joseph Catalanus in Pontif. Romanum P. 2. tit. 23. ea ducti ratione, quod nullus veterum, qui scripsere de Paulino, nec Paulinus ipse describens in Epist. ad Severum partes omnes Basilicæ a se constructæ, inventionem istam laudaverit. Addunt vocabulum *Nola* tribus fere ante Paulinum sæculis usurpatum a Quintiliano lib. viii. cap. 6. ubi ait: *In cubiculo nola*. Ego utique non ausim id definire; contemnendum tamen non est argumentum petitum a nominum etymologia. Puto enim Sandinum labi, dum post Magium, aliosque putat Quintilianum adhibuisse vocem *Nola* ad significandum tintinnabulum. Fefellit viros doctos Cælius Rhodiginus lib. xix. cap. 11. & *nola* est femina, quæ in triclinio simulat se paratam ad venerem, ad quam non vult in cubiculo adduci: unde est ænigma illud apud Fabium, *In triclinio coa, in cubiculo nola*: de quo Vossius lib. iv. Instit. Orat. cap. xi. & in Etymol. pag. 99. Non arbitror autem a re tam obscœna nomen sacrorum signorum derivasse; præsertim cum nomen aliud *Campanæ*, nonnisi a Campania sit derivatum; quemadmodum trutina, sive statera constans scapo lineis distincto, ex quo reperta sit in Campania, *Campana* & ipsa dicitur ab Isidoro lib. xvi. cap. 24. & a Græcis καμπανός. Derivari Campanæ nomen a κωπαία, *galea*, inserto M. demonstrari non potest; & Vossius, qui hanc præmiserat etymologiam, ait postea, plus illam argutiarum habere, quam veritatis. Certe Walafridus Strabo de div. Off. cap. 5. *Campanas* a Campania, *Nolas* a Nola dici absque ulla hæsitatione pronuntiat. Solemnem Campanarum benedictionem antiquiorem esse Joanne XIII. consentiunt recentiores, probantque ex Ritualibus libris editis ante eumdem Pontificem. Vide Bonam lib. 1. de Rebus Liturgicis cap. 22. nostrum Angelum Roccam Tom. 1. pag. 162. Martenium de Antiq. Eccl. ritibus lib. 2. cap. 21. Catalanum citato loco, & Sandinum in Vitis Rom. Pontif. pag. 309. Etsi Joanne XIII. ritus ejusmodi recentior esset, nil evincerent Ecclesiæ hostes, cum sit in Ecclesia novos instituendi ritus plena potestas. Profecto Campanæ non baptizantur, quasi fidei & gratiæ sint capaces, sed ut nos sacra quadam voce ad Ecclesiam convocemur, ac benedictione æris tinnientis percipiat populus invitari se ad fidei verbum, confortetur in Domino convocatus, crescat in eo devotio, procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, & impetus tempestatum: quem ob finem consecrari Campanas docent ipsa verba Pontificalis Romani, & cap. 14. Concilii Coloniensis Tom. xiv. Labbei pag. 549. necnon Confutatio Claudii De-Vert §. I. confirmantque admiranda, quæ de Campanis consecratis collegerunt Gretserus lib. 2. de Benedict. cap. 45. & Angelus Rocca cap. vii. pag. 166.

Ad primum ergo hæreticorum argumentum, dicimus Joannem XIII. non esse institutorem consecrationis sacrorum signorum, nec nomen suum imposuisse Campanæ Lateranensi, ut inquiunt Vossius, & Balæus; sed consecrasse Campanam illam, imposito ei S. Joannis nomine, ritu jam antea instituto: quamquam si hunc primo induxisset Joannes XIII. frustra heterodoxi garrirent. Ad 2. dicimus reprobasse Carolum Magnum consecrationem Campanæ peractam superstitioso quodam ritu, non recepto ab Ecclesia, ut animadvertit Vitus Amerbachius apud Roccam pag. 163. etsi fidei norma non sit a Carolinis Capitulis repetenda. Ad tertium reponimus benedictionem Campanæ dici *baptismum* lata significatione, quatenus idem est, ac ablutio, ut in exemplis productis supra pag. 293. non *baptismum* consecratum *forma* verborum, & sacramentum producens gratiam. Ad iv. respondemus in Campanarum baptismo non adhiberi *formam*, quæ Sacramentum constituit, nec instructionem & catechismum, ut recte ait Bellarminus lib. iv. de Rom. Pontif. cap. 12. Imponitur vero Campanæ nomen, ut quasi voce alicujus Sancti christiana plebs convocetur: benedicitur, & inungitur, inquit Durantus lib. 1. cap. 22. quemadmodum lapis, quem Jacob erexit in titulum, nempe quia consecratus in Dei cultum: extergitur linteo mundo in sacri olei venerationem; admittuntur denique in quibusdam Cataloniæ partibus, non tamen ubique, nec ex Pontif. Romani præscriptione, in hoc baptismo *patrini*, ut sacrorum signorum præsint custodibus, atque hi ea pulsent juxta Ecclesiæ consuetudinem, atque ob finem pervulgato distichu expressum,

> *Laudo Deum verum, plebem voco, congrega Clerum,*
> *Defunctos ploro, nimbum fugo, Festaque honoro.*

CAPUT XXIII.

Quatenus baptismus ad salutem sit necessarius, & per votum, aut martyrium suppleri possit.

AMpla, ac perdifficilis foret præsens quæstio de Baptismi necessitate, nisi variis partibus harum lucubrationum pertractata esset, atque expedita. Nam antiqui hæretici, Cajani, Archontici, aliique baptismum aquæ ad salutem necessarium denegantes, quibus accessere discipuli cujusdam Gandulfi Itali anno MXXV. damnati in Synodo Atrebatensi, capite xv. hujus libri exagitantur & refelluntur. Pelagiani negantes originale peccatum, & asseren-

ferentes parvulos non propter salutem & propter vitam æternam, sed duntaxat propter regnum cælorum, quod perperam distinguebant a vita æterna, sacro baptismate esse abluendos, lib. XIII. refutantur prolixa dissertatione. Calvinus, aliique Novatores autumantes filios baptizatorum salvos fieri absque generationis lavacro, adultos autem justificari per solam fidem, eodem libro XII. cap. 4. libro XIX. cap. 2. & 5. data opera revincuntur. Sociniani quoque nullum aliud baptisma necessarium affirmantes, præter institutionem atque doctrinam, confutantur cap. 1. & 4. hujus libri. Denique infantes salutem non consequi per solam fidem, votumque parentum, ut visum est nonnullis Catholicis, capite nono libri XIII. secundo, tertio, & quarto libri eex. necnon libri hujus duodevicesimo, satis, quantum arbitror, commonstravimus. Compendio itaque, ne sæpe eadem repetamus, nobis de necessitate baptismatis est pertractandum.

PROP. I. Baptismus omnibus *necessitate medii*, & adultis, qui libero utuntur arbitrio, & Evangelicæ legis notitiam habent, etiam *necessitate præcepti*, necessarius est ad salutem.

Illud enim necessarium est ad salutem *necessitate medii*, sine quo finis obtineri non potest. At sine baptismate sempiterna salus obtineri non potest. Ergo baptismus necessarius est ad sempiternam salutem obtinendam *necessitate medii*. Minor probatur I. ex Scripturis: nam Joan. III. 5. ait Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti*. I. Petri III. 21. *Quod & vos nunc similis formæ salvos fecit baptisma:* aliaque hujus generis in superioribus disputationibus producta & explicata. II. Confirmatur Ecclesiasticis definitionibus. Etenim in Concilio Palæstino, idest, Diospolitano Pelagius Ecclesiastico judicio *anathematizare compulsus est, infantes etiamsi non baptizentur habere vitam æternam*; ut refert S. P. Augustinus epist. 106. ad Bonifacium, nunc 186. ad Paulinum. Concilium Carthaginense IV. in Epistola Synodica ad Innocentium, inter Augustinianas 90. nunc 175. prope finem hæc habet: *Quicunque negat parvulos per baptismum Christi a perditione liberari, & salutem percipere sempiternam, anathema sit:* & Tridentinum Concilium, ut cetera brevitatis gratia prætermittamus, sess. VII. can. 5. ait: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit*. III. Corroboratur perpetua Patrum traditione. Cyprianus Epist. LXIX. alias VII. libri IV. *Si Fide Trinitatis*, inquit, *mundatus non fuerit, in resurrectione apud sanctorum collegium immundus erit:* loquitur autem aperte de Sacramento visibili, subjiciens, *aspersionem aquæ instar salutaris lavacri obtinere*. S. Pater Augustinus lib. I. de Peccat. meritis cap. XVI. num. 21. *Quisquis ex concupiscentia carnis, & lege peccati & mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, ut non solum ad regnum Dei perducatur, sed etiam a damnatione peccati liberetur: sicut enim per primum hominem in peccata & morte nascuntur, sic etiam per Christum in justitia & vita æterna in baptismo renascuntur*. Lib. II. cap. 27. num. 43. *Sicut generatio carnis peccati per unum Adam in condemnationem trahit omnes, qui eo modo generantur, sic generatio spiritus gratiæ per unum Jesum Christum ad justificationem vitæ æternæ ducit omnes qui eo modo prædestinati regenerantur. Sacramentum autem baptismi profecto Sacramentum regenerationis est, &c.* Chromatius Aquilejensis hom. in Matth. apud Justum Fontanini in Hist. Aquil. lib. III. cap. 4. *Non potest quis gratiam doni cælestis accipere, nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde peccati per donum baptismi salutaris*. Laudantur hæc verba sub nomine Joannis Chrysostomi apud Gratianum de Pœnit. dist. I. cap. 41. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. XXVII. num. 68. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati, sine Sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos; quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, tamen originalis peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt*. Hæc ex innumeris Patrum testimoniis selegimus, quoniam singula inter canones dist. IV. de consecr. relata sunt; aliorumque Patrum consensio liquet ex præmissis dissertationibus.

Probatur altera pars. Omnes quippe tenentur adhibere ea media, quæ ad consecutionem finis sunt necessaria; nec aliam, si ea media negligant, & aspernentur, habere possunt excusationem, nisi latæ legis invincibilem ignorantiam. Adulti itaque habentes libertatis usum, si illis enuntiatum sit Evangelium, præcepto suscipiendi baptismatis obstringuntur. Comprehendi autem in Evangelica lege præceptum baptismi, constat ex cap. XXVIII. Matth. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* ex praxi Apostolorum, Act. II. 38. VIII. 12. 36. ex Epistola prima ad Corinth. I. 14. 16. quæ loca vindicavi ab interpretamentis Socinianorum supra pag. 295. & 297. Urget eadem loca prælaudatum Concilium Atrebati cap. I. ubi etiam hæretici, qui usurpabant lotionem pedum, baptismum autem damnabant, gravi hac ratiocinatione revincuntur: *Quid sibi vult illa materialis aquæ alluvio, quam lavandis pedibus invicem exhibere soletis? Nam si hoc ab Evangelio vos accepisse dicitis, ut quia Dominus discipulorum pedes lavans hoc illis exemplum reliquisse legitur, & vos quoque hujus rei gratia facere vos invicem dicatis; stultum est, imo sacrilegum cetera, & multo majora repudiare, quæ ab ipso rerum auctore Domino sunt constituta, ab Evangelio nuntiata, ab Apostolis tradita, sine quibus nostra salutis plenitudo non potest consistere: quæ quidem ipse Dominus & ante resurrectionem, & post resurrectionem discipulis suis servanda instituit*. Extat tom. XI. Concil. collect. Venetæ pag. 1154.

Opponunt hæretici. I. Deus Gen. XVII. 7. statuit pactum cum Abraham, & semine ejus, *fœdere sempiterno*. Atqui hæc promissio per fidem spectat ad filios baptizatorum, ex Apostolo ad Rom. IV. 13. & IX. 8. Igitur filii baptizatorum per solam fidem, & absque visibili Sacramento æternam promissionem poterunt adipisci. II. Ex eodem Apostolo ad Rom. XI. 16. filii credentium sunt *Rami* ex radice sancta pullulantes, & ex prima ad Corinthios VII. 14. sunt *sancti*, & *mundi*. Nullo ergo egent salutari lavacro. III. Act. X. 44. Cornelius, & omnes, qui audiebant verbum loquente Petro, nondum suscepto baptismate receperunt Spiritum sanctum. Non est ergo necessarium ad sanctificationem & gratiam lavacrum aquæ. IV. Ecclesia priscis sæculis consuevit orare pro Catechumenis absque baptismo defunctis; ut constat ex Canon. 89. Concilii IV. Carthaginensis celebrati anno 398. & ex canone 12. Concilii II. Arelatensis celebrati anno 452. Ex veteri ergo disciplina Ecclesiæ pro Catechumenis istis preces & sacrificia offerentis, constat quamplurimos absque unda baptismatis salutem consequi.

Resp. ad primum nego consequentiam: nam quemadmodum Judæi procreati ex semine Abrahæ participes non erant sempiterni fœderis, *nisi accepto signo circumcisionis*; ita filii credentium non sunt filii promissionis, nec reputantur in semine, nisi *per exspoliationem corporis carnis* sint consepulti Christo in baptismate: & sicut delebatur anima pueri incircumcisi de populo Dei, ob præscriptum legis, *Masculus, cujus præputii caro, &c.* ita excluditur a regno Dei quisquis non regeneratur baptismo, juxta Evangelicam sententiam, *Nisi quis renatus fuerit &c.* Vide supra lib. XX. cap. 3. prop. 5. Ceterum Apostolus ad Romanos IV. loquitur adversus Judæos circumcisionem, legisque Mosaicæ observationem jactantes, demonstratque homines justificari *per fidem Christi*, minime seclusis Evangelicis institutis, virtutum operibus, & sacramentis, ut diximus disputantes de Justificat. lib. XIX. cap. 4. & 5. Ad 2. & 3. diximus lib. XIII. cap. 4. *radicem sanctam* esse religionem Christianam, & *ramos insertos* filios gentilium, baptismate regeneratos, qui appellentur *sancti* ob renascentiam spiritalem, & Sacramenti virtutem: unde poterit lector dicta eo loci repetere, aut recta adire præstantissimum Augustinum lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 25. & 26. Ad tertium respondeo, ex Cornelii facto nullum accedere heterodoxis præsidium; primo quoniam etiam Cornelius, aliique gentiles jubente Petro *baptizati sunt*, eodem cap. X. 48. quare licet idem Cornelius *ante visibile Sacramentum cum suis qui aderant acceperit Spiritum sanctum; veruntamen nec visibile Sacramentum contemni potuit*, inquit Augustinus quæst. XXIII. in Num. num. 9. Secundo, quoniam hoc in facto *singulari privilegio* sanctificatio præcessit baptismum, ac propterea id nihil deroget hujus Sacramenti necessitati; sicut nec tollitur necessitas circumcisionis, ex quo Abraham ante ipsam circumcisionem justificatus fuerit ex fide. Videatur S. Pater quæst. LXXXIV. in Leviticum, & serm. 269. num. 2. necnon lib. IV. de Bapt. cap. 24. Tertio, quia *licet eleemosynæ mundaverint Cornelium ad quemdam modum, restabat tamen, ut tamquam cibus mundus incorporaretur Ecclesiæ*: ita Eximius Doctor serm. 149. num. 7. Tandem quia exorta dubitatione, utrum incircumcisi baptizandi essent, ideo accidit illapsus visibilis Spiritus sancti, ut ipse rei magnæ attestatione perciperent ex circumcisione fideles, etiam in gentes effundi gratiam ejusdem Spiritus, & Petrus manifesta Dei virtute animatus regnum Dei nationibus aperire. Traditur hæc ratio ab ipso Augustino serm. XCIX. num. 12. ab Œcumenico pag. 99. in Acta & a prædicta Synodo Atrebatensi cap. I. ac videtur certa, & planissima, modo conferatur cum Apostolica historia. Ad ultimum respondeo, non ubique locorum viguisse consuetudinem orandi pro Catechumenis sine baptismo defunctis, &, ubi id fuit in usu, pro iis Catechumenis oblatas preces, qui decessissent cum vehementi baptismatis desiderio.

PROP. II. Baptismus *flaminis*, idest, ardens baptismi votum supplet in adultis, non autem in parvulis, qui per se votum illud nequeunt concipere, necessitatem baptismi *fluminis*, hoc est, aquæ.

Demon-

Demonstratur prima pars ex Scripturis, quæ in Deum credentibus ac sperantibus, & eum ardenti caritate diligentibus salutem promittunt æternam. Legimus quippe Joelis II. 32. Act. II. 21. & ad Rom. X. 13. *Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Is. XXVIII. 16. & ad Rom. X. 11. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Ps. L. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* 2. Paralip. XXX. 19. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum; & non imputabit eis quod minus sanctificati sunt.* Lucæ II. 14. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Ex quibus constat remissionem peccatorum cum fide, & conversione ad Deum esse conjunctam, si voluntas humana vehementer expetat sacramenta, eaque ob rerum circumstantias elemento, aut administris deficientibus, percipere reipsa non valeat; ut de Judæo quodam injecta arena baptizato dixi pag. 262. Accedunt definitiones Tridentinæ Synodi: quæ sess. VI. cap. 4. posteaquam justificationem descripsit, *ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum*, addit, *Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit, &c.* Similia leguntur sess. VII. can. 4. de Sacram. in Gen. ubi pariter ad justificationem S. Synodus requirit præter fidem, a qua dumtaxat hæretici justitiam repetunt, *aut sacramenta*, aut saltem *eorum votum*. Confirmatur propositio Patrum auctoritate. Sanctus enim Ambrosius in Oratione de obitu Valentiniani n. 51. inquit: *Audio vos dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam venisset, initiaretur, & proxime baptizari se a me velle significavit: & ideo præ ceteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet quam poposcit? Certe quia poposcit, accepit.* Plura ibidem ad rem nostram aptissime Præsul sanctissimus. Augustinus quoque lib. IV. de Baptismo cap. XXII. n. 29. affirmat, *non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Et infra ait, *sine visibili Sacramento impleri invisibiliter, quod ad Rom. X. 10. inquit Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, quando mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Et cap. XXV. ejusdem libri num. 32. scribit, *aliud esse Sacramentum baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri: nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut & alterum desit, quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi, & baptismus quidem potest inesse, ubi conversio cordis defuerit: conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo; sed contempto baptismo non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.* Habentur hæc omnia cap. *Baptismi vicem*, de Consecrat. dist. IV. num. 34. Etiam S. Bernardus Epist. LXXVII. ad Hugonem Victorinum, *Si quis voluerit,* (inquit) *& petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequiverit, dum non desit fides recta, spes pia, caritas sincera, huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam, omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere caritatem, tantum si aquam non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas.* Productis deinde testimoniis Ambrosii & Augustini, *Ab his duabus columnis*, ait, *difficile avellor; cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor, credens & ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi sacramenti; si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviaverit.* Vide Bern. Tom. IV. pag. 118.

At in parvulis non suppleri baptismum per fidem, votumque parentum, ostendi lib. XIII. cap. 9. & hoc ipso, in quo versamur, cap. 18. Etenim aliena fides & caritas nihil in parvulis operatur, eosque relinquit a Deo aversos, pollutosque ea labe, quam contraxerunt generatione carnali, quoadusque abluantur, & renascantur per lavacrum spiritalis regenerationis. Eatenus quippe adulto sufficit fides, & caritas propria, quatenus per has potest Deo conjungi, & averti a peccato; cum ex adverso fides & caritas nostra nequeat, ut alibi dictum est, ad aliorum justificationem prodesse, nisi eis promerendo pios illos arbitrii motus, quorum incapaces sunt parvuli. Ad hæc Christus instituit medium, per quod sancta mater Ecclesia possit fidem suam infantibus accommodare: ac medium illud est baptismus; in quo *os maternum* Ecclesia parvulis præstat, illosque parit quidem & enititur, sed *ex aqua*, tanquam ex alvo & matrice. Frustra itaque fidem præstaret suam, nisi regeneraret ex aqua; cum fides sit, quasi nisus, ac dispositio ad emittendum partum, baptismus vero sit regenerationis mysterium, & quasi uterus parientis. Recte Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. XXIII. num. 33. *Nulla igitur ex nostro arbitrio, præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.* Habet similia epistola 187. ad Dardanum num. 33. epist. 166. ad Hieronymum num. 10. & 25. lib. 3. de Origine animæ cap. IX. num. 12. & VI. contra Julianum cap. IV. num. 10.

Oppones contra primam propositionis partem. S. Ambrosius serm. 3. in Psalmum 118. num. 14. & lib. de Myst. cap. IV. num. 20. docet neminem consequi salutem, *nisi per Sacramentum baptismi*. Idem repetit lib. 2. de Abraham cap. XI. num. 79. & 84. ubi recitata Evangelii sententia, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* inquit: *Nullum excipit, utique non infantem, non aliqua præventum necessitate.* S. P. Augustinus pluribus in locis negat Catechumenum justificari sine baptismo. Illustriora sunt Tract. IV. in Joan. num. 13. & Tractatu XIII. num. 7. Ecclesia demum per quinque priora sæcula nunquam consuevit sacrificia & preces offerre pro Catechumenis defunctis absque baptismo. Votum ergo baptismi nequaquam supplet ejusdem Sacramenti necessitatem.

Resp. Ambrosium, & Augustinum accipiendos de infantibus; atque de Catechumenis, qui cum sibi justi videantur, contemnunt Sacramenti virtutem; & in quibus licet sit fides aliqua, & etiam caritas initialis, cum non sit illa conversio cordis, quæ inesse non potest *contemnenti baptismum*, nec etiam est tale votum, quod salvet hominem inopinata morte præventum. Atque hæc responsio constat ex præcitatis Ambrosii, & Augustini testimoniis, atque ex iisdem tractatibus IV. & XIII. in Joannem. Expedita ergo est via ad has, aliasque Patrum sententias percipiendas, si dicamus *baptismi* nomine comprehendi etiam baptismi desiderium, quando necessitas excludit actualem ipsius perceptionem, ut in dist. IV. §. 28. inquit Estius. Ob ipsam negligentiam, & contemptum Catechumenorum procrastinantium baptismum ad provectam ætatem, ut diutius improbis moribus indulgerent, jure canone 17. Concilii Bracarensis an. 563. aliisque Ecclesiæ statutis definitum est, ne Catechumeni illi decedentes absque sincera cordis conversione, fruerentur communione sanctorum; atque hujusmodi disciplina consultum ceteris, ut quamprimum salutaribus undis expiarentur. Non fuit tamen hæc disciplina universalis, ut apparet ex præced. propositione.

Adversus partem alteram propositionis objicies: Fides adultorum supplet fidem in parvulis: Quare votum adultorum non potest supplere votum iisdem in parvulis? Deinde, nonne instituta circumcisione parvuli ante octavam diem decedentes salvebantur per voto parentum? Num fides suam modo vim, ac præstantiam deperdidit?

Resp. fidem adultorum non regenerare parvulos, id enim *aquæ & Spiritus sancti* proprium est; sed illis applicare *Sacramentum regenerationis*, sine quo fides aliena non prodest infantibus, & cum quo etiam sine fide aliena salvantur, ut dixi pag. 308. Idem ergo dicendum est de parentum voto, quod infantibus absque applicatione *Sacramenti visibilis* non potest spiritalem vitam, salutemque conferre. Accedit, quod nec adultis potest fides opitulari absque cordis conversione & caritate, quam habere nequeunt infantes. Quocunque ergo tempore originale peccatum *visibili Sacramento* oportuit expiari, ut cum Augustino scripsimus præcedenti libro XXX. pag. 174. & 183. ubi etiam de puerulis ante diem octavum demortuis, quando circumcisio obtinebat. Vide etiam supra cap. XVIII. pag. 312.

PROPOSITIO III. Martyrium quoque supplet baptismi vicem, non tantum in adultis, verum etiam in parvulis.

Demonstratur 1. ex Scripturis. Matth. enim X. 32. legitur: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:* & cap. XVI. 25. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* quæ duo loca ingeniose versans Augustinus lib. XIII. de Civit. Dei cap. 7. ait: *Nam quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: alia sententia istos fecit exceptos ubi non minus generaliter dixit. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Et alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam. Hinc est quod scriptum est, Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?* II. Confirmatur thesis veterum traditione. Ac primo Auctor Constit. Apost. lib. V. cap. 6. pag. 304. hæc habet: *Qui vero martyrio dignus est habitus, lætitia in*

Domino efferatur, quod tantam coronam nactus fuerit, ut per confessionem ex hac vita migret. Quamvis Catechumenus sit, sine tristitia excedat: passio enim pro Christo perlata erit ei sincerior baptismus; quandoquidem ipse revera, & periculum faciendo, Christo commoritur: reliqui vero, hoc est, qui baptizantur, figura tantum. Cyprianus Epist. lxxvii. ad Jubajanum de Catechumenis pro fide occisis inquit: *Sciant Catechumeni nec privari baptismi sacramenta, utpote qui baptizentur gloriosissimo & maximo sanguinis martyrio, de quo & Dominus dicebat habere se aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos, & passione sanctificatos consummari & divinæ pollicitationis gratiam consequi declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem & confitentem loquitur, & quod secum futurus sit in paradiso pollicetur.* Vide pag. postremæ edit. Ven. 286. Cyrillus Jerosolym. Catech. viii. Joanne Grodecio interprete pag. 60. hæc habet: *Redimens terram Salvator per crucem, & in latere vulneratus sanguinem & aquam emisit: ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur; alii vero tempore persecutionis in propriis sanguinibus. Quod vero etiam is recte baptismus vocatur, vide Salvatoris testimonium qui dicit: Potestis bibere calicem, quem ego bibam, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* S. Basilius de Sp. S. cap. xv. pag. 178. edit. Morel. *Sunt nonnulli,* inquit, *qui in certaminibus pro pietate, revera pro Christo mortem perpessi, nihil hujusmodo Sacramentis, quæ sunt in aqua, opus habuerant ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine.* Vertit Erasmus *Christi mortem*: sed habetur in Græco, ὑπὲρ Χριστοῦ θανάτου. Ambrosius prælaudata Orat. de obitu Valentin. num. 53. hæc habet: *Si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet: ergo nec martyres, si Catechumeni fuerint, coronentur: non enim coronantur si non initiantur. Quod si suo abluantur sanguine; & hunc* (Valentinianum) *sua pietas abluit, & voluntas.* Augustini locum insignem produximus paullo supra: testimonium aliud ex lib. iv. de Baptismo laudavimus præcedenti propositione. Vide & epist. 108. ad Seleucianam, nunc 265. num. 4. necnon libro 2. de Anima & ejus orig. cap. xii. num. 17. Accedit tertio loco ratio convenientissima; siquidem ad Rom. vi. 3. legitur: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Qui ergo pro Christo fundunt sanguinem, cum non tantum *figura*, sed etiam *re, ac veritate* referant Christi mortem, non baptizari tantum, sed baptizari baptismo *gloriosissimo, maximoque* dicendi sunt. Quæ sane ratio insinuatur a S. Thoma q. 66. art. 12. atque præcitatis Sanctorum sententiis fulcitur ac roboratur.

Tenent hæc omnia de infantibus pro Christo necatis; quoniam & hi proprio sanguine baptizantur: ad quod nec requiritur nativitas *ex utero*; cum martyrium non sit secunda nativitas supponens primam, & etiam in utero clausi possint in se recipere stigmata Christi, ut dixi Tom. ii. pag. 26. Hinc Ecclesia semper infantes Bethlehemiticos tamquam martyres venerata est. Irenæus lib. iii. adversus hær. cap. 18. ex distinct. Massuet. 16. num. 4. de puero Jesu ait: *Ipse infans cum esset, infantes hominum martyres parans, propter Christum, qui in Bethleem natus est Judæ, in civitate David, interfectos secundum Scripturas.* Ambrosius lib. 1. de Officiis Ministr. cap. xli. num. 213. *Quid de Bimulis loquar, qui ante palmam victoriæ acceperunt, quam sensum naturæ?* Et Epistola ad Horantianum xliv. num. 9. *Una mihi stella abundat pro omnibus, stella splendida & matutina: cujus ad exortum seminata est, non frugum, sed martyrum seges; quando Rachel ploravit filios suos, ut lacrymis ablutos suis, pro Christo offerret infantulos.* S. Pater Augustinus lib. iii. de lib. arbit. cap. 23. num. 68. *Non enim frustra,* inquit, *etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.* Similia lib. x. de Gen. ad lit. cap. xxii. num. 39. in Psal. xlvii. num. 5. serm. 199. alias 34. de temp. num. 2. & serm. 375. alias 9. ex Vignerianis, aliisque in locis. Consentiunt Patres universi, accedente auctoritate Ecclesiæ, & antiqua sanctorum Innocentium solemnitate; de qua plura Baronius in notis ad Martyrol. Romanum v. Kal. Jan. pag. Rom. edit. 631. Mitto brevitatis gratia Hymnum xii. Prudentii Cathemerinon: unde excerpti sunt quos canimus in Transfiguratione Domini, & in ipsa SS. Innocentium solemni die, atque in Epiphania ad Laudes. Adde H. x. περὶ στεφάνων, ubi de Infante, qui cum Romano passus est, cecinit ipse Prudentius:

Hic, hic bibendus, nate, nunc tibi est calix,
Mille in Bethleem, quem biberunt parvuli.

Nec repetam epigramma Prosperi, de quo pag. hujus Volum. 249. Alios quoque, præter necatos ab Herode, puerulos Ecclesia tamquam Martyres veneratur; ut Modestum, & Ammonium, in Rom. Martyr. pridie Idus Februarias, pag. 89. decem alios Idibus Julii, pag. 343.

Ex his inferimus probabiliorem esse sententiam Theologorum illorum, qui censent Martyrium per se, atque, ut ajunt, *ex opere operato* efficax esse ad peccata abluenda. Id enim in primis evincitur ex martyrio Infantium: in quibus *singulari quodam privilegio*, non *per se* martyrium contulisse salutem, affirmant quidem nonnulli, sed istud nullo valido argumento demonstrant. Deinde Augustinus supra laudatus diserte docet, *tantum* martyrium valere ad delenda peccata, *quantum* valet si quis abluatur *sacro fonte baptismatis*. Alii insuper præcitati Patres martyrium appellant *baptismum* lavacro aquæ *præstantiorem*, utpote in quo, *non figura*, sed *re* homines Christo commoriuntur.

Patitur tamen postremum assertum illud quasdam difficultates, quæ in oppositam sententiam viros celebres pertraxerunt. Ac prima est, quod ex Apostolo in priori ad Corinthios xiii. 3. tradere corpus ad flammam ei, qui caritatem non habeat, *nihil prodest*. S. quoque Thomas 3. p. q. lxvi. art. 12. ad 2. negat effusionem sanguinis habere rationem martyrii, *si sit sine caritate*. Præterea Cyprianus Epist. liv. ad Cornelium pag. 172. eos redarguit, qui absque Sacramentis subeunt martyrium, dicentes: *Qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur.* Idemque docet scribens ad Hugonem S. Bernardus. Accedit, quod si martyrium *ex opere operato*, conferret gratiam, foret inter sacramenta connumerandum. Tandem imbecillis videtur ratio petita ex infantium martyrio, cum prinsquam jussu Herodis occiderentur, sanctificati fuerint circumcisionis mysterio.

Verum his facile occurritur. Ad Apostoli enim auctoritatem dico, requiri ad martyrium caritatem in adultis, tamquam dispositionem ad gratiam, quemadmodum requiritur fides, & cordis conversio; præsertim cum mors, corporisque cruciatus nequeant dici *martyrium*, nisi pro Christo, ejusque honore perferantur. Hinc autem non consequitur martyrium non esse *per se* efficax ad peccata delenda; nam & fides, & initialis amor, & cordis conversio requiritur in adultis ad baptismum, cum nec Sacramentum accipientibus prosit, *nisi intrinsecus vera conversione mutentur*, auctore Augustino libro iv. de Baptis. cap. 3. numer. 4. Hæc autem non valere de pueris, qui solo originali peccato, non voluntatis propriæ irretiti sunt culpa, manifestum arbitror ex capite sextodecimo. Nec aliam esse mentem Doctoris Angelici, infertur ex q. 87. art. 1. ad 2. ubi docet passionem pro Christo susceptam obtinere vim baptismi, & purgare ab omni culpa, *nisi actualiter voluntatem peccata invenerit inhærentem*: nec aliter docet præcit. quæst. lxvi. art. 12. in Corp. ubi inter baptismum *flaminis*, & *sanguinis* hoc statuit discrimen quod in illo passio Christi operatur *per quandam affectionem*, in isto autem *per imitationem operis*. Dirimit vero difficultatem, quod scribit ad Annibaldum in iv. dist. 4. art. 4. ubi cum tertio loco objecisset, *Baptismus sanguinis habet efficaciam solam ex opere operante, unde sine caritate non prodest. Sed in pueris nihil habet efficaciam ex opere operante, quia usum liberi arbitrii non habent. Ergo in his baptismus sanguinis non supplet vicem baptismi*: cum, inquam, id objecisset, respondit: *Ad tertium de baptismo sanguinis dicendum, quod baptismus sanguinis non habet supplere effectum baptismi flaminis ex opere operante, sicut objiciebatur; sed ex imitatione passionis Christi: unde de martyribus dicitur*, Apoc. vii. *Laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Ad Cypriani & Bernardi testimonia dico, eum, qui properat ad martyrium, debere se se Ecclesiæ Sacramentis munire, si possit; quoniam, ut dictum est supra cum Augustino lib. iv. de Bapt. cap. xxii. num. 29. non est sincera pietas, animique conversio, *ubi contemnitur Sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur*. Quod sequitur, hoc pacto diluitur: Sacramentum exhibetur *Christi nomine*, & constat *rebus ac verbis*; ideoque martyrium, in quo deest utrumque, non est verum, propriumque Sacramentum. Ad postremam dico invictum esse argumentum, quod promitur ex Innocentium cæde; tum quia inverisimile est omnes fuisse circumcisos, cum interfecti fuerint quotquot *erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu, & infra*, Matt. ii. 16. tam quia Ecclesia non eos tantum commendat tamquam regeneratos, sed etiam tamquam *in honorem Martyrum receptos*, eos appellans *primam Christi victimam, tenerum gregem immolatorum*, & frequenter de illis repetens: *Laverunt stolas suas in sanguine Agni*, Apoc. vii. 14.

CAPUT XXIV.

Notationes quædam in postremam de Martyrio propositionem.

Supponunt quæ modo asserui *de baptismo sanguinis*, aliquam saltem de vero Martyrio notitiam, eamque servata brevitate, quam postulat liber ad extrema progrediens, tradere nonnullis notationibus excogitavi. Erit autem notatio prima de *Martyrii* vocabulo, atque etymologia. *Martyrium* Græce, Latine *testimonium* dici a verbo μαρτυρέω, *testis sum*, norunt omnes. Ubi legimus Mat. xxiv. *In testimonium omnibus gentibus*, Joan. 1. 7.

His

Hic venit in testimonium, aliisque in locis compluribus, habent ubique Græci εἰς μαρτύριον. Hinc *Martyr* proprie testem significat: unde Act. 1. 8. habet Versio nostra, *Eritis mihi testes*, & Græca ἔσεσθέ μοι μάρτυρες: atqua Apocalypsis 1. 5. illa, *Qui est testis fidelis*; hæc varo, ὁ μάρτυς ὁ πιστός. Eam ob rem *Martyres* illos appellamus, qui propter testimonium Christi mortam oppetierunt. Præclare Augustinus serm. 12. in Psal. 118. num. 2. *Testimonia Græce martyria nuncupantur, quo verbo jam utimur pro Latino: unde illos, qui propter testimonium Christi diversis passionibus humiliati sunt, & usque ad mortem pro veritate certarunt, non Testes, quod Latine utique possemus, sed Græce Martyres appellamus*. Nec aliter Ammianus lib. 27. Isidorus lib. 7. cap. 11. Du-Cangius in Glossario, Vossius in Etymologico, Du Mortier in Etymologia sacra, & alii. Cyprianus tamen Epist. XXXVII. pag. 115. *Martyres* vocat atiam Confessores morientes in carcere: & Epist. LII. ad Antonianum pag. 151. da Cornelio nondum martyrio ejus consummato inquit: *Nonne inter Confessores & Martyres deputandus, qui tantum temporis sedit expectans corporis sui carnifices, & tyranni ferocientis ultores?* Ad omnem vero ambiguitatem tollendam, quidam distinguunt inter Confessores, & Martyres, ut *Confessores* sint, qui coram tyrannis confessi Christum, tormentis superstites obierint tranquillam mortem; ac *Martyres*, qui ad mortam usque cum suppliciis decertant. At modo *Confessores* eos dicimus, qui absqua martyrio, singulari exercitatione virtutum Deum sunt contaisi: Martyres vero alios *designatos* appellamus, quibus sententia mortis indicta est: *consummatas* alios, qui vitam in tormentis profundunt; alios *vindicatos*, quorum felix axitus discossus, & approbatus est ab Ecclesia; atque id inculanter tradit lib. 1. de Servorum Dei beatificatione & Beatorum Canonizatione cap. 2. Scriptor nostri ævi doctrina, eruditione, dignitata res maximus. Appellabantur olim *Martyres* etiam qui innoxii quacumque ex causa necabantur, ut Carolus cognomento simplex, Edwardus rex Angliæ, & Dagobertus rex Galliarum, apud illustrem Mabillonium Præf. 2. in sæculum III. Benedictinum num. 9. aliique plurimi apud Dufresne Tom. 2. pag. 471. A Martyrum nomina etiam sacra ædes, ac templum constructum in Martyrum memoriam, necnon altare Martyrum impositum cineribus, dictum suisse *Martyrium*, recte observatum est a Walafrido Strab. lib. da rebus Eccles. cap. 6. Altaria constructa supra martyrum tumulos commemorant Gesta Pontificum in Felice primo, Hieronymus advarsum Vigilantium Tom. IV. pag. 284. Augustinus lib. XXII. de Civit. Dei cap. 10. Prudentius hymno X. alias IV. περὶ στεφάνων, siva de Passiona S. Hyppoliti, aliique permulti: de quibus legi poterit vir eruditus Joan. Chrysost. Trombelli Abbas Congregationis Rhenanæ dissert. VII. de Cultu SS. cap. 37.

II.

Dixi quid sit *martyrium*: modo agam *de martyrii causis*. Ac prior causa martyrium inferens est persacutor: nemini quippe fas est sematipsum occidara. Nam Matth. X. 17. de Martyribus suis inquit Christus: *Tradent enim vos in Conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos; & ad præsides & reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus*: quibus in verbis martyribus *afflictiones*, tyrannis *affligendi potestatem* tribui scribit Chrysostomus Homil. XXXIV. Patro etiam Joan. ult. 18. ait Salvator: *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis*: quæ axpendens S. P. Augustinus Tract. LI. in Joan. num. 10. ait: *Satis expressit, non a seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi*. Idem Augustinus lib. 1. contra Gaudentium Donatist. cap. XXX. num. 34. refellit Circumcellionum spontaneam mortam scribens: *Non est hoc consilium, sed furor; non est sapientia, sed amentia*. Proximo cap. XXXI. axpendit factum Raziæ, qui sese præcipitavit a muro, 2. Machab. XIV. 43. damonstratque hinc nullo pacto spontaneam mortem laudari, eo quod Razias non *habuit liberam fugam*; additque laudari, *quia fuit amator civitatis*, non quod sancte sa gesserit, animadvertens legi in sacra historia, occubuissa illum *viriliter*, ac *nobiliter*: quibus verbis laudamus *viros fortes hujus sæculi, non martyres Christi*. Etiam de Civit. Dei lib. 1. cap. XXII. & seqq. probat occisionem voluntariam ad magnitudinam animi non pertinere, & Catoni Marcum Regulum præfert: ac Fæminas sanctas, quæ occidarunt se, ut devitarent pudicitiæ suæ insectatores, non alia rationa excusat, nisi quia *hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; nec errantes, sed obedientes: sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere*. Lage & Ambrosium lib. III. de Virg. cap. VII. num. 32. ac notas ibidem appositas. Nac inter Martyres vera connumerantur, qui aut martyrii desiderio flagrarunt, aut acerbissimum animi dolorem justa ax causa fuarunt experti; quamvis *martyres analogia quadam* dicantur, & juxta caritatis ardoram sint præmium a Domino consecuti. Deest quippe in iis exterior passio, quæ fidei exhibuerit *testimonium*, singularis nota, & charactar martyrii, ut comprobat ipsum *martyrii* nomen. Eos etiam, qui inserviendo laborantibus pestilentia, illa inficiuntur & obeunt, ot constat ex Sancto Aloysio Gonzaga, Ecclasia martyribus non accenset, quoniam illos infecti non proprie necant in fidei odium immanitate sua, animique proposito; sed pestifero halitu afficiunt morte, quam causa naturalis infligit. Quare sententiam Theophili Raynaudi de martyrio *per pestem* oppugnamus posteriores Theologi; nec defendi potest, nisi Fidei Parsecutor sarvitio pesta laborantium addiceret Christianum hominem: ut contagione attracta periret.

De variis pœnarum generibus, siva *instrumentis martyrii*, non opus est disseramus. Ea sub oculis statuerunt pictis quoque imaginibus Gallonius in libro de sanctorum Martyrum cruciatibus, Verstegans in Theatro crudelitatis hæreticorum, atque in picturis suis ad Romanum templum *Rotundum* S. Stephani, & ad Collegium Anglorum, Nicolaus Circinianus. Conspiciuntur ibidam Martyres damnati ad bestias, consumpti flammis, saxis obruti, verubus, sudibusque transfixi, affectique suppliciis aliis teterrimis, quæ modo vix nomina nota sunt: *numellis*, idest, lignais machinis, in quorum foramina immittebantur, ibiqua constringebantur pedes & colla: *trochleis*, ligneis scilicet tractorii generis; *uncis*, idest, hastis instructis retorto ferro: *ungulis*, scilicet, forcipibus excavatas habentibus axtremas partes, *sartagine* a patella nempe, oleo, pice, sulphure plena: *scorpionibus*, nimirum virgis vulnera arcuata infligentibus: *plumbatis*, hoc est, flagellis, quorum loris, aut catenulis alligabantur plumbeæ glandes; & *equuleis*, siva machinis ad modum equi compactis, ubi varie martyres, reique excruciabantur. Quæ vocabula, notioribus missis, in gratiam tyronum descriptionibus hisce posuimus. Qui in suppliciis moriuntur, sunt, ut diximus, martyras *consummati*: si supravixerunt, ut Joannes Evangelista, Tecla, Felix Nolanus, & quos laudibus prosecutus est Cyprianus apist. LII. tanquam martyres non habentur, nisi certissime constat illos mortem divinitus evasisse, nec superatis tormentis axcidisse a caritate & a gratia. Solet propterea Ecclesia in istiusmodi Martyribus virtutum potius præstantiam, earumque ad obitum usque perseverantiam inquirera, quam non axplatam consummatamve passionem; servavitque hanc disciplinam adscribens Beatorum albo Josephum a Leonissa post *unci* cruciatus superstitem, ætate nostra, anno scilicet MDCCXXXVII. a Clemente XII. P. M. tali honore condecoratum.

Sequitur *causa motiva*, siva ad martyrium impellens, de qua Augustinus serm. 285. in Natali SS. Casti, & Æmilii, num. 2. & sarm. 1. in Psalm. XXXIV. num. 13. ait, *Martyres non facit pœna, sed causa*; quæ verba in proloquium transiere. Ac prior ex parte martyris causa ast *fides*, sive Christianæ religionis universim, quam fidelis profiteatur coram persecutore pagano; siva unius duntaxat articuli, quem propugnat contra hæreticos vir Catholicus. Nam Martyres, ut diximus, *testes* Christi sunt; de quibus ipse Dominus Lucæ XII. 8. *Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*. Act. V. 41. de Apostolis legitur: *Digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Et Petrus Epist. 1. cap. IV. 15. 16. ait: *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine*. Hinc Augustinus in Psalm. LII. num. 9. *Martyres perdiderunt animam suam*, inquit, *fidem ne amitterent*. Et Ecclesia universa, *Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit*. Appellatur propterea Staphanus *Protomartyr*, quia, ut idem Augustinus aic serm. 314. num. 2. *Pro Christo primus sanguinem fudit*. Alia martyrii causa est cujuscunqua virtutis officium, quod Deus requirer, ideoque virtutem illam exercens, & pro defensione tradens animam, factis testatur sa verum Deum profitari, ajusque cultum tenera. Quare Matt. V. 10. *Beati* dicuntur, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Ideo Ecclesia tanquam Martyrem veneratur S. Joannem Baptistam occisum, *Pro lege quidem veritatis, pro æquitate, pro justitia; sed non tamen pro illo nomine, quo Christiani sumus*, ait S. Pater in Ps. CXL. n. 26. Permulta axempla SS. Martyrum, qui propter virtutem aliquam occubuerunt, proferunt Cardinalis de Lauræa dispot. XX. in 3. p. art. 7. & Sylvius in 2. 2. q. 124. art. 5. plura, & exquisitiora BENEDICTUS XIV. lib. III. cap. 19. Atqua ax his constat accensendum non asse martyribus illum, qui aut pro veritate, quæ ad fidem credendorum, agendorumqua regulam non attinet, aut pro peculiari revelatione sibi facta, aut pro qualicunqua dogmate nondum definito ab Ecclasia, oppeterat mortem. In primo anim casu religio, cultusque Dei non apparet: in reliquis deest Ecclesiæ auctoritas, quæ nobis unice exhibet normam fidei, ut ostendimus libro XXIII. cap. 2. Docuit propterea sapientissimus Pontifex eodem cap. n. 10.

non fore martyrem, qui vitam pro illibata Virginis Conceptione profunderet; quod ex dictis infertur manifesta consecutione. Mirum, quanta hinc moliuntur, qui votum alicubi pro ea sententia propugnanda, effuso quoque sanguine, emissum aut defendunt, aut oppugnant. At Benedictus eos, qui hac de causa subirent mortem, optime negat futuros Martyres; de voto autem illo nihil pronuntiat. Consilium autem est mihi hanc imitari prudentiam, quod illa de Conceptione Virginis disceptatio non pertineat ante Ecclesiæ definitionem ad quæstionem Martyrii, aliosque inveniaris aut magis pios, aut magis credulos tractatores. Quæ dixi de causa ex parte martyris, eadem dicenda videntur de causa martyrii ex parte persecutorum. Permoveri itaque hi debent aut odio fidei, aut patrocinio iniquitatis: ideoque tyranni non tantum pagani, idolorumque cultores, verum etiam iniqui Christiani, necnon sanguine conjuncti, esse possunt. Dictum a Domino Matth. x. 18. *Ad præsides, & ad reges ducemini propter me*; deinde versu 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium*. Priora verba a Patribus referuntur ad persecutores Gentiles; postrema vel ad seductures hæreticos, vel ad malos improbosque Christianos. Videsis Chrysostomum Hom. xxxiv. pag. 325. edit. Commel. Hieron. com. iv. pag. 37. Augustinum in Psal. ix. num. 27. & lib. xviii. de Civit. Dei cap. 32. ubi S. Pater omnia persecutorum genera enumerat.

Causa denique *finalis* est Dei gloria, ad quam referenda virtutum opera, diximus alio in loco. Ajebat de pseudomartyribus Augustinus Epist. 185. num. 8. *Insaniunt qui dividunt membra Christi, & exsufflant sacramenta Christi, & de persecutione gloriantur; & jactant fallaciter innocentiam suam, & quam non possunt a Domino accipere, ab hominibus quærunt Martyrum gloriam*. Neminem præterea latet quod de captantibus laudes hominum scriptum est Matth. vi. 5. *Receperunt mercedem suam*.

III.

In proximum est, ut agam *de dispositionibus*, quæ requiruntur in Martyre. Harum prima est *aut baptismus, aut saltem baptismi votum*; de quo plura propositione 2. præcedentis capitis. Altera est *libera acceptatio mortis*; cum nemo mereri, & coronari possit invitus. Tertia est *Ecclesiæ unitas*; de qua Cyprianus lib. de Unit. Ecclesiæ pag. 401. sermonem de iis instituens, qui sunt extra Ecclesiam, *Tales*, inquit, *etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur*: & post pauca, *Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est*; ac rursus: *Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel objectis bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus*. Similiter Augustinus præter verba paullo supra laudata ex Epist. 185. inquit Epistola alia, idest, 173. num. 6. *Foris autem ab Ecclesia constitutus, & separatus a compage unitatis, & vinculo caritatis æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris*. Atque libro iv. de Baptismo cap. xvii. num. 24. recitata altera Cypriani scribentis ad Jubajanum sententia, *Neque baptisma hæretico prodest, quamvis Christum confessus extra Ecclesiam fuerit occisus*, subjicit Augustinus: *Hoc verissimum est; extra Ecclesiam quippe occisus caritatem non habuisse convincitur*. Accedit quod, sicut olim extra arcam Noe, ita modo extra Ecclesiam non datur salus. In martyre præterea requiritur *caritas*, non quidem *habitualis*, nec adeo vehemens, quæ secum trahat gratiam sanctificantem, sed quæ dicat *sincerum aliquem affectum erga Deum*, ut eum Nostratibus docet Sylvius 2. p. q. 124. art. 2. Inquit enim Apostolus 1. ad Corinth. xiii. 3. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: quibus allatis, S. Pater serm. xv. de verbis Apostoli, nunc 169. cap. 12. num. 15. ait: *Si ergo ille non potuit santa perferre sine amore, nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Sed quæro, quo amore? Non sit cupiditas, sed sit caritas*; paucisque interjectis, *Si in te fuerit caritas Dei, communicabis Christi passionibus, & verus eris martyr, in quo caritas coronatur*. Item sermone 138. num. 2. *Ecce venitur ad passionem, ecce venitur ad sanguinis fusionem; & tamen nihil prodest, quia caritas deest*. Similia citato libro iv. de Baptismo numer. 24. Nec aliter docuit sanctus Thomas; nam 2. p. qu. 124. art. 2. demonstrat martyrium esse quidem *actum fortitudinis*, sed a caritate dirigi, atque *imperari*: ac 3. p. q. 66. art. 12. ad 2. *Effusio sanguinis*, inquit, *non habet rationem martyrii, si sit sine caritate*. Quantum tamen spectat ad Ecclesiæ judicium, ipsa vitæ profusio est maximum caritatis argumentum; quum nullam rem habeamus vita pretiosiorem, cujus contemptu manifestari possit dilectio Dei. Requiruntur insuper in martyre, qui antea lapsus sit, *ut Deo per Sacramentum Pœnitentiæ reconcilietur*, si adsit copia Confessarii; sin autem, de patrato scelere conteratur, nec ullatenus sive lapsus sit, sive justus, Christi Sacramenta contemnat. Cujus rei petitur ratio ex supradictis; quoniam juxta Augustinum lib. iv. de Baptismo cap. 22. non est interioris hominis pietas, *ubi contemnitur Sacramentum*. Accedit ratio altera, quam insinuat Cyprianus Epist. liv. pag. 172. quoniam *idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit*. Consimilis est ratio subsequens S. Martyris: *Quomodo potest ad confessionem paratus & idoneus inveniri, qui non prius pace accepta receperit Spiritum Patris, qui corroborans filios suos ipse loquitur, & confitetur in nobis?* Has tamen dispositiones non esse necessarias in parvulis, qui vel recens nati, vel etiam in uteris matrum in odium fidei trucidantur, constat ex capite præcedenti.

IV.

Martyrio coronari non posse *hæreticos & schismaticos*, infertur ex tertia conditione, scilicet, *unitate*, & ex iis, quæ præcedenti numero ex Cypriano & Augustino protulimus. Addimus modo cap. *Firmissime*, de hæreticis 3. depromptum ex Fulgentio de Fide ad Petrum, cap. 39. pag. Rom. edit. 497. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hæreticum vel schismaticum, quamvis pro Christo sanguinem fundat, cum diabolo, & angelis ejus participandum, nisi ante finem hujus vitæ, Catholicæ fuerit incorporatus, & redintegratus Ecclesiæ*. Quisquis ergo extra unitatem est, *occidi potest, coronari non potest*; inquit cit. pag. 172. Cyprianus. Nulla itaque habenda est ratio illorum martyrum, quos Donatistæ olim, deinde Anabaptistæ, ceterique hæreticorum enumeraverunt, nec promeretur martyrii laudem hæreticus, si pro aliqua veritate necetur; si quidem cum veritatem illam non profiteatur *ob auctoritatem Ecclesiæ*, ac proinde veram non habeat fidem, ut ostendi libro xxiii. 10. neque continet occisio illa *veræ fidei testimonium*. Aliquod tamen donum Dei agnoscit Augustinus lib. de Patient. cap. xxvii. num. 24. in eo, *qui ab Ecclesia separatus, non pro errore, qui eum separavit, sed pro veritate Sacramenti, seu verbi, quæ apud eum remansit, timore pœnarum æternarum pœnas patitur temporales*. At numer. proximo distinguit S. Pater inter *dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra*; & inter dona alia, *quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & schismatici vel hæretici comparantur*. Atque donorum istorum discrepantiam accurate Augustinus exponit *hæreditate* Isaac, & *muneribus* ab Abrahamo collatis Ismaeli, Gen. xxi. 10. Hinc infert, patientiam illam *hominis separati* ab Ecclesia donum Dei quidem esse, sed donum absque caritate, & absque arrha sempiternæ retributionis; *donum* scilicet, inquit ille, *exhæredatorum, non hæredum*. Quare Augustiniana illa de dono patientiæ doctrina evertit potius, quam statuat martyrium in hæresi vel schismate commorantium.

V.

Adhibuit propterea quovis tempore Ecclesia maximam diligentiam ad veros a falsis martyribus discernendos, ut Mabillonius Præf. 2. in sæcul. v. Benedict. n. 93. Ruinartius Præf. in Acta Martyr. nu. 71. aliique viri clarissimi commonstrarunt. Hujus diligentiæ principio argumentum sunt characteres, & notæ a priscis fidelibus insculptæ aut appositæ Martyrum tumulo, signum crucis, Christi nomen monogrammate expressum, palmæ, columba cum ramusculo olivæ, vitrea aut figlina vasa cum sanguine, instrumenta martyrii, aliaque plura; de quibus legendi Severanus, Bosius, Aringhus. Accedit cura Notariorum in consignandis, pervestigandisque Actis Martyrum, jam a Clementis I. temporibus; scribente sectione iv. Anastasio: *Hic fecit septem regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicite & curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent*. Similia in libro Pontificali ex vetustissimis monimentis concinnato, ut dissert. iii. tom. i. Antiq. Eccl. demonstrat Em. a Schelestrate, & in Examine ejusdem libri Joannes Ciampinus: eademque ibidem leguntur de Antero, & Fabiano. Præterea etiam Patres hanc in colligendis actis martyrum diligentiam commendaverunt. Cyprianus epist. 37. pag. 155. *Dies*, inquit, *quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus*. Et Pontius Cypriani Diaconus apud Ruinart. pag. 179. *Majores nostri plebeis, & catechumenis martyrium consecutis tantum honoris pro martyrii sui veneratione dederunt, ut de passionibus eorum multa, aut, prope dixerim, pene cuncta conscripserint*. Profert Beneinus in not. ad Clementem tom. 2. Anast. pag. 42. etiam Tertullianum scribentem de Corona milit. cap. 13. *Habes tuos census, tuos fastus; nihil tibi cum gaudiis sæculi*. At ibi, ni fallor, de libro vitæ, non de martyrum catalogis fit sermo. Insuper ad memoriam martyrum servandam consueverunt olim

aliæ

aliæ Ecclesiæ ad Romanam Acta transmittere: ut de Actis S. Benigni Discipuli Polycarpi demonstrat in absolutissimo, ac sæpe laudato Opere de Canon. SS. lib. i. cap. iv. num. 15. Prosper Cardinalis Lambertinus, & præcitata Præfat. 2. ad v. sæculum Bened. Joannes Mabillon ex Actis S. Virgilii Episcopi Tridentini, qui martyrium subiit Consulibus Aureliano, & Stilicone, idest, anno 400. Sunt ejusdem diligentiæ invictum argumentum tum epistolæ encyclicæ, quibus una Ecclesia aliis suorum Martyrum gesta significabat; qualis est Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio Polycarpi, apud Eusebium lib. iv. H. E. cap. 15. pag. edit. Valesii 135. & Epistola Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis de Martyrio S. Pothini aliorumque complurium apud Ruinart pag. 57. tum etiam recitatio nominis Sanctorum Martyrum *ad altare*, prout ex *Ecclesiastica disciplina* fidelibus nota, tradit serm. 17. de verbis Apost. nunc 159. n. 1. præstantissimus Augustinus. Idem infertur ex sollicitudine, qua Ecclesia dedit operam, ne apocrypha Martyrum acta pro genuinis intruderentur. Degradatum enim in Asia a Joanne Apostolo presbyterum, qui commentus est acta quædam Pauli, innuit in lib. de Bapt. cap. 17. Tertullianus. Lucillam factiosam feminam reprehensam a Cæciliano Archidiacono, quoniam ante Eucharistiam, *os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur*, (Martyris scilicet ab Ecclesia non vindicati,) narrat lib. i. contra Parmenianum, num. 16. sanctus Optatus. Vagos, otiososque, *qui membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant*, carpit Augustinus de Opere Monach. cap. 28. num. 36. Gelasius in Romana Synodo an. 494. de apocryphis actis Martyrum ait, *Secundum antiquam consuetudinem singolari cautela in Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua aut minus apte, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur*. Quinisexta, sive Trullana Synodus anno 692. can. 63. de confictis Martyrum historiis, *In Ecclesia*, inquit, *non publicari jubemus, sed eas igni tradi*. Vide in hunc canonem Christianum Lupum P. 2. pag. vet. edit. 978. S. Martinum Turonensem Episcopum, ut narrat Sulpicius Severus in ejus vita cap. 8. falsi cujusdam Martyris detexit larvam, cultumque prohibuit. Vide alia hujusmodi exempla apud Mabillonium, & Ruinartium prælaudatis in locis.

VI.

Ex his consequitur haud immerito gloriari Ecclesiam de veracitate, ac immensa propemodum multitudine suorum Martyrum. Postquam temerario ausu hanc studuit evertere Henricus Dodwellus dissert. 11. Cyprianica: hominis audaciam, errorem que castigarunt viri præclari, Pagius ad an. lxiv. num. 3. Ruinart Præf. in Acta Martyrum, Ludovicus Muratori Tom. 2. Anecdot. pag. 199. ubi vindicat Catalogum Martyrum, qui Romæ sub Gregorio Magno quiescebant, BENEDICTUS Papa XIV. lib. i. cap. iv. num. 14. & lib. iii. cap. 20. num. 10. Nos vero hæc pauca adversus Dodwellum proferimus. Principio legimus Apocalyp. vii. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*: quibus verbis designari Martyres, qui obtulerunt, ὑπὲρ τοῦ διδασκάλου τὴν ἰδίου αἵματος ἔκχυσιν, *pro Magistro sanguinis proprii effusionem*, non solum scribunt antiqui Interpretes, Andreas Cæsareensis, & Arethas, pag. post Œcum. 368. verum etiam constat ex vers. 13. & 14. ejusdem capitis vii. ubi habetur: *Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & unde venerunt? Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni*. Hinc fortasse Martyres olim sepeliebantur induti *colobiis*, vestibus scilicet candidissimis. Confirmant multitudinem sanctorum Martyrum Patres. Cyprianus lib. de Mortal. pag. 470. *Martyrum*, inquit, *innumerabilis populus ob certaminis, & passionis victoriam coronatus*. Similia repetit Epist. ad Fortunatum, pag. 522. Prudentius in lib. περὶ στεφάνων Hippolyti Passionem sic incipit:

Innumeros cineres sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, & singula quæris
Nomina? difficile est, ut replicare queam.
Tantos Justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troja Roma Deos.

Hieronymus Algasiæ scribens, tom. iv. pag. 198. ait: *In novo Instrumento, in quo bonitas est atque clementia, innumerabiles extiterunt Martyres*. S. Paulinus Natali ix. pag. 604. ita cecinit:

Vos quoque corporibus cæsis, & sanguine fuso
Occisum & verum testati Martyres Agnum,
Omnes divinis a fontibus una propago,
Quos pius Abraham, sacer Isac, lenis Jacob
Progenuere Deo per non numerabile semen.

Augustinus denique, cui posteriores omnes subscribunt, serm. 51. alias 63. de diversis num. 8. inquit: *Pro ista fide interfecta sunt millia Martyrum toto orbe terrarum*: & serm. 255. alias 5. de diversis, num. 8. *Unus dies passionis Martyrum si computetur, millia hominum inveniuntur coronatorum*. Refellunt præterea Dodwellum Romanorum Imperatorum crudelissimæ persecutiones. Et quoniam contendit ille, perpaucos persecutos fuisse Ecclesiam, & paucissima esse Imperatorum edicta lata adversus Christianos; optime animadvertit Ruinartius, num. 24. & seq. in persecutionibus non tam numerum, quam universitatem, immanitatemque spectandam esse, nec ex edictis tantum Imperatoriis, sed etiam ex Romanarum legum præscripto, atque ea arbitrio Præsidum innumeros Martyres fuisse necatos. His addimus caput lii. libri xviii. Augustini de Civit. Dei ad confutationem Dodwelli aptissimum; & quod totum foret hic exscribendum, nisi singulorum manibus versaretur. Dodwellum denique refellunt antiqua Martyrologia; quibus perperam illum detrahere fidem, demonstrarunt Pagius ad annum 64. num. 6. & Ruinartius §. 2. Præfationis suæ: suppeditantque hujus rei palmaria argumenta admonitiones Florentinii præviæ ad Martyrologium Occidentalis Ecclesiæ.

VII.

Postremo loco de fuga persecutionum, & de gloria Martyrum dicendum esset: at de illa satis egimus libro xxiii. cap. 8. De hac autem gloria, cum humanum excedat eloquium, disserere non valemus. De Martyribus quippe dicitur mystice in Apocalypsi ii. 17. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum*. iii. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*. vii. 15. *Sunt ante thronum Dei*. Huc animum intendens Tertullianus scripsit Scorp. 12. *Victori cuique promittit nunc arborem vitæ & mortis veniam secundæ: nunc latens manna cum calculo candido, & nomine ignoto; nunc ferrea virga potestatem, & stellæ matutinæ claritatem; nunc alba vestiri, nec deleri de libro vitæ, & columnam fieri in Dei templo, nunc residere cum Domino in throno ejus, quod aliquando Zebedæi filiis negabatur. Quinam isti tam beati victores, nisi proprie Martyres?* Adeat qui plura de Martyrio scire desiderat, eximios viros in his animadversionibus laudatos, atque illum præsertim, qui est super omnes laudes, quique ceteros perlegit, libravit, excussit, idest, BENEDICTUM XIV.

CAPUT XXV.

Effectus Sacramenti Baptismatis recensentur.

JAm vero sermo instituendus est de effectibus baptismi; quos inter principem tenet locum gratia sanctificans, delens vere ac proprie quamcumque peccati maculam. Id a nobis supra pag. 232. & sequentibus demonstratum est multiplici genere argumentorum, quæ non opus est repetamus: ibi etiam solutæ sunt cavillationes hæreticorum, una duntaxat prætermissa, de concupiscentia permanente in renatis: quæ tamen objectio libro xiii. cap. 4. fuit excussa; ubi ostendimus concupiscentiam a reatu, & a peccati vinculo per gratiam baptismatis separari. Hanc quoque gratiam inhærentem esse adversus Novatores prolixe ostendimus libro xix. cap. 2. Sufficit ergo, si de hoc priori effectu repetamus decretum Tridentinæ Synodi sess. v. num. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; sed illud dici tantum radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes: innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus, non valet: quinimo qui legitime certaverit, coronabitur.*

Comitantur hanc baptismi gratiam singulares quædam prærogativæ: quarum prima est, quod homo carne antea genitus, natus mundo, filius iræ, & mancipium diaboli; dicitur, ac est regeneratus ac renovatus Spiritu sancto, ad Titum iii. 3. natus ex Deo, Joan. i. 13. ex aqua & Spiritu sancto renatus, Joan. iii. 5. Dei filius, ad Galat. iii. 26. Dei hæres, & cohæres Christi, ad Rom. viii. 17. Aspersus a conscientia mala, ad Heb. x. 22. ablutus, sanctificatus, justificatus, i. ad Corinth. vi. 11. membrum Christi, ac templum Spiritus sancti, Ibid. 15. 19. Quare Chrysostomus Hom. ad Neophytos ab Augustino libro i. contra Jul. cap. vi. num. 21. lau-

data & exscripta, *Benedictus*, inquit, *Deus, qui facit mirabilia solus; qui fecit universa, & convertit universa: Ecce libertatis serenitate perfruuntur qui tenebantur paullo ante captivi, & cives Ecclesiæ sunt qui fuerunt in peregrinationis errore, & justitiæ in sorte versantur qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti: non tantum sancti, sed & justi: non solum justi, sed & filii: non solum filii, sed & heredes: non solum heredes, sed & fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed & coheredes: non solum coheredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates: & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere; nos autem honores computavimus decem*. Quibus verbis nihil dici poterat magnificentius ac præstitatis scripturis magis conforme.

Ex quo Baptismus nos Christo, *tanquam membra Capiti*, conjungat, sequitur per illum patere nobis ad Sacramenta reliqua accessum, & quodam modo ex illo, tanquam ex incorporatione in Ecclesiam, ac novæ generationis primordiis, conferri nobis gratiam ad evitanda peccata; & si in ea prolabamur, expiari quidem per Pœnitentiam, sed hanc futuram fuisse inutilem, nisi baptismum ipsum, aut saltem votum ejus supponeret. Hinc cap. *Nulli est*, de Consecr. dist. IV. n. 131. quod Gratianus tribuit Chrysostomo, Fontaninus autem Chromatio, legimus, *tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, nec alienari ab illius Panis, calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione non privatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum est, invenit*. Augustinus lib. I. de Nupt. & Concup. cap. 33. numer. 38. in Epist. ad Bonifacium 50. nunc 185. num. 39. ait, *eodem lavacro regenerationis omnia prorsus mala regeneratorum mundari, atque propter ipsum lavacrum dimitti*: quod utique non ita accipiendum est, quasi Augustinus deneget, ut hæretici autumant, *Sacramentum Pœnitentiæ*; sed ita, ut quemadmodum homini nato ex Adam non daretur per medicinam sanitas, nisi antea per generationem collata fuisset vita; ita renato nulla daretur remissio, nisi prius per spiritalem regenerationem resurrexisset cum Christo. Atque ideo S. Pater priori in loco addidit, *Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet?* & in altero pariter, *Neque enim aliquid prodest non baptizato dicere, Dimitte nobis debita nostra*.

Ad cumulum istum gratiarum consequitur cujusque pœnæ apud Deum luendæ remissio. *Morientes* (inquit de baptizatis Florentina Synodus in decreto pro Armenis) *nascentes antequam culpam aliquam committant; statim ad regna cælorum, & Dei visionem perveniunt*. Ita ut, addit prælaudata Synodus Tridentina, *nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur*. Augustinus item lib. 2. de peccat. meritis cap. 28. num. 46. *Si continuo*, inquit de baptizatis, *consequatur ab hac vita migratio; non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quæ tenebant*. Profert congruam, aptissimamque rationem S. Thomas quæst. LXIX. art. 2. quoniam cum baptismus sit Sacramentum regenerationis, ac mortis & resurrectionis Christi imitatio, baptizato applicatur per baptismum virtus passionis Christi plenius, quam per quodlibet aliud Sacramentum. Insinuat rationem istam Catechismus Rom. de Baptis. num. 47. eamque probant communi consensione Scholastici. Animadvertendum est tantum, plenum hunc effectum baptismi non haberi ex solo ejusdem baptismi voto; quod tradit S. Thomas quæst. LXVIII. art. 2. ad 2. demonstratque luculenter Estius in IV. dist. 4. §. 19. Hujus sententiæ argumenta sunt, quod Scripturæ productæ supra cap. XXIII. prop. 2. debitum persolvendæ pœnæ minime excludant; quod Deus præsumatur id tantum supplere, quod necessarium est; & quod Ecclesia, ut supra diximus, consueverit preces offerre pro Catechumenis cum baptismi voto demortuis. Si quis tamen in illo baptismi desiderio, vehementi flagraret caritate; hunc protinus ad cælestem patriam evolaturum, virtus ipsa caritatis demonstrat. Atque id affirmat etiam Innocentius III. cap. *Debitum*, in III. Decretalium, tit. XLII. nu. 3. de quodam Judæo, qui in mortis articulo constitutus in aquam seipsum immersit: & de quo supra pag. 283.

Remanent tamen in baptizatis concupiscentia ad agonem, moriendi necessitas, nec non aliæ vitæ hujus miseriæ, ut docet experientia, affirmetque Augustinus lib. 2. de Peccat. remiss. cap. 2. 27. 28. 29. lib. VI. contra Julianum cap. 4. atque in aliis locis permultis. Legi poterunt quæ scripsimus de hujusmodi pœnis lib. XII. cap. 13. Hinc tamen inferri nequit, quod non deleatur in baptismo omnis culpa, & omnis reatus pœnæ subeundæ in altera vita; aut nobiscum non reconciliatus Deus, qui adhuc sinit nos post baptismum innumeris animi, corporisque jactari perturbationibus. Remittitur profecto pœna omnis, sed *propter futurum judicium*, inquit Augustinus cap. 66. Enchiridii: *& quantum ad exclusionem a gloria, non quantum ad necessitatem corporaliter moriendi*, ait qu. LII. art. 5. ad 2. Doctor Angelicus. Cur vero Deus velit concupiscentiam, mortem corporis, & alia hujusmodi remanere in renatis, non unam rationem tradidit Augustinus. Factum id primo, ut potissimum intelligeremus ad alterum sæculum prodesse quod renascamur, hujus autem sæculi dispositionem propter vitium superbiæ hominis, per quod apostatavit a Deo, diversis malis peragi in jugo gravi super filios Adam a die exitus de ventre matris. Deinde, ut virtus gratiæ in infirmitate perficeretur, & circumferret homo testimonium peccati, memoriam pristinæ damnationis, & argumentum humilitatis. Præterea, ut relinqueretur animæ experimentum separationis a corpore, ac fidei robore superaretur mortis timor, quod in sanctis Martyribus maxime eminuit. Hæc iisdem plane verbis S. P. Aug. lib. III. contra Julianum cap. 6. lib. VI. Operis Imperfect. numer. 29. & lib. XIII. de Civit. Dei cap. 4. Ceterum hæ quoque *pœnalitates* virtute baptismatis in resurrectione sunt auferendæ, quando, ut ait Apostolus I. ad Corinth. XV. 54. *Mortale hoc induerit immortalitatem, & fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria*.

Si quis autem ob contritionem caritate perfectam ante susceptum baptismum consequeretur cum voto Sacramenti remissionem peccatorum; adhuc tamen per ipsum regenerationis lavacrum, quod nemo debet contemnere, plura perciperet emolumenta gratiarum, idest, characterem, incrementum gratiæ, plenam remissionem pœnæ in altera vita subeundæ, majorem conscientiæ tranquillitatem, cooptationem in visibilem Christi Ecclesiam, & jus ad Sacramenta cetera, quibus fideles in idem religionis nomen coadunati roborantur in fide, nutriuntur, sanantur; uberesque passionis Christi fructus uberrimos consequuntur. Atque hæc ex dictis hactenus arbitror satis obvia. Et quoniam gratia sanctificans, ut definit Tridentina Synodus sess. VI. cap. 7. minuitur, atque augetur, *secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*, quod & a nobis demonstratum est postremo capite libri XIX. nullum dubium est, quin, licet *character*, necnon peccatorum remissio in omnibus baptizatis æqualis sit, modo gratiæ non ponant obicem, ipsa tamen *inhærens gratia* ob adultorum cooperationem, non sit in illis inæqualis, ac dispar: quod & de effectibus accidentariis baptismi, quos nempe divina virtus in baptismo miraculose operatur, jure, meritoque decernit q. LXIX. art. 8. magnus Aquinas.

Characterem quoque inter baptismi effecta nuper commemoravi: de quo, cum plura dixerim cap. 22. præcedentis libri tricesimi, necessum nequaquam est, ut iterum sermonem instituam. Innuam tantummodo, quantum studii adhibere debeamus, ne tanta cælestium donorum copia in nobis magis magisque redarguat scelerosam vitam, ingratique animi vitium. Ac primo idem *character*, cum sit *nota Imperatoris nostri*, & signum Christianæ militiæ, nos in fidelium castris, ac supremi Pastoris obedientia continere debet; ne tanquam desertores & apostatæ illum circumferamus *ad nomen criminis*, nec de nobis repetantur ea verba Augustini de Symbolo cap. VIII. numer. 15. *Quomodo desertor habet characterem, ita & isti habent baptismum: habent, sed unde damnentur, non unde coronentur*. Hæc aliaque saluberrime monita ex *sigillo isto indelebili* potest quisque deprehendere, si attente præcitatum caput 22. perlegerit, & legenti inspiraverit Dominus caritatem. Laudata etiam gratiarum munera ostendunt quanto jure clamet Apostolus, ablutos nos esse, sanctificatos, justificatos, & vocatos in partem sortis sanctorum in lumine, cooptatos insuper in templum Dei, & consepultos cum Christo in mortem; ideoque nobis in luce ambulandum esse, & secundum hominem, qui a Deo creatus est in justitia & sanctitate, glorificandum & portandum Deum in corpore nostro, servandam denique spiritus unitatem; quoniam in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Atque hæc, aliaque hujus generis plurime ab iis, qui doctrinam Baptismi sint assecuti, legi in Apostolicis litteris absque pietatis sensu non possunt.

CAPUT ULTIMUM.

De ceremoniis in solemni Baptismatis administratione servandis.

ACturus postremo loco de ceremoniis solemnis Baptismi, illas primum, quas in præmissis dissertationibus explicavi, silentio arbitror prætermittendas. Quisquis ergo tempus, quo solemni olim ritu baptizabatur, inquirit; adeat caput hujus libri vicesimum primum; qui Catechumenorum exercitamenta, in præcedens caput vicesimum conjiciat oculos: qui sacri fontis benedictionem, & varia mersionum genera, perlegat caput quartum, ac sextum. Ceremonies etiam, quæ in desuetudinem abierunt, brevi oratione complectar. Ac primo

certum

certum est traditam aliquando baptizatis *Eucharistiam*; adultis quidem sub utraque specie, parvulis autem sub specie vini, digito Sacerdotis intincto, & quibusdam infantulis admoto etiam calice. Meminerunt Eucharistiæ baptizatis infantibus datæ Tertullianus de Bapt. cap. ult. Ambros. de Initiandis cap. 8. Paulinus epist. 12. ad Severum, Augustinus disputans adversus Pelagianos multis in locis, Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 29. aliique plurimi. De Eucharistia parvulis administrata, recte definitum est sess. xxi. Synodi Tridentinæ, cap. 4. non damnandam esse antiquitatem, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit, cum sanctissimi illi Patres probabilem sui facti causam pro illius temporis conditione habuerint; nulla tamen necessitate parvulos illos usu rationis carentes obligari ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: *Siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt*. II. Deinde baptizatis *mel & lac* degustanda fuisse exhibita, constat ex Clem. Alexandr. lib. 1. Pædag. cap. 6. Tertull. de Corona Milit. cap. 3. Hieronymo adversus Luciferianos, necnon ex Ordine Rom. aliisque monimentis apud Vicecomitem, Casalium, Martenium: Additum etiam alicubi *vinum dulce*. Ad hunc, & ad præcedentem baptismi ritum videtur respexisse S. Agnes, ita tyrannum alloquens, ac baptismum & Eucharistiam sub ænigmate commonstrans: *Mel & lac ex ejus ore suscepi, & sanguis ejus ornavit genas meas*. Significabatur eo ritu divina misericordia, gratia regenerationis, legisque Evangelicæ suavitas: de quibus ajebat Petrus 1. Epist. cap. 11. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite*; atque hæc verba Dominica in Albis repetit Ecclesia ex vetustis ritibus Neophytorum. Legi poterunt præter tres eximios Antiquorum rituum scrutatores paullo supra laudatos, aliosque de divinis Officiis pertractantes, Albaspinæus lib. 11. antiq. Observat. cap. 36. & Lupus in dissert. de Actis S. Leonis IX. P. 111. pag. 871. antiq. edit. III. Imponebatur baptizatorum capiti sertum; ut apparet ex Orat. al. Nazianzeni in sanctum lavacrum, & ex Ordine Baptismi Æthiopum, qui Severo Alexandrino tribuitur. Animadverto hujus serti mentionem cap. 110. in Explicatione divin. Offic. Joannem Belethum Parisiensem Theologum, qui floruit juxta Caveum circa annum 1162. unde infertur perdurasse morem illum imponendi capitibus baptizatorum coronas, ad sæculum usque XII. Martenius profert lib. 1. art. xv. num. 7. ad demonstranda serta baptizatis imposita sarcophagum Neapolitanum, de quo Mabillonius in Itinere Italico pag. 73. At ibidem exprimuntur baptismus Regis, & Reginæ Longobardorum, & aquæ actualis immersio atque infusio, ut dixi supra pag. 265. impositio autem coronæ erat ritus baptismum consequens: unde in altero sarcophago ejusdem antiquitatis, apud Ciampinum tom. 2. Vet. Monim. cap. 9. nullum *coronæ* apparet indicium. Corona erat lætitiæ symbolum, Evangelicæ libertatis, & sacræ, regalisque initiationis; ob quam fideles appellantur, 1. Petri 11. 9. *Genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. IV. Dabantur quoque baptizatis ex Ord. Rom. & Albino Flacco, decem *siliquæ*. Erat autem *siliqua* pecunia minimi valoris, ex Isidoro lib. xvi. cap. 24. *vigesima pars solidi*, ex aliis pars decimoctava drachmæ. Eo ritu demonstrabatur, inquit Casalius, *apud Christianos res divinas non haberi venales*; sive potius servanda decem legis præcepta, juxta Evangelicam parabolam Lucæ XIX. 13. Tradebantur baptizatis & *calceamenta*, ob mortis imaginem, inquit Rupertus libro VII. cap. 1. ceræ denique Agni cælestis imagines, sive in Christi, sive in gregis Christiani symbolum; siquidem *Agni* etiam Neophyti e sacro fonte emergentes dicuntur a Paulino Epist. XII. ad Severum eo versu, *Circumdatque rudes festis balatibus Agnos*: immo & Apostoli sub *Agnorum* typo cernuntur depicti in vetustis musivis Romanæ Urbis, sicut in Crypta Narniensi sanctus Cassius, & Fausta ejus conjux. At de his plura Panvinius, & Joseph Maria Suaresius. His itaque commemoratis, ad ceremonias Baptismi, quæ etiamnum obtinent, recensendas, vindicandasque progredior.

DE SUSCEPTORIBUS PARVULORUM, IDEST, PATRINIS.

Itaque in Baptismate infantium eliguntur primo qui illos levent e sacro fonte, & qui *Susceptores* dicuntur, *Sponsores*, *Compatres*, *Patrini*, & a Græcis Ἀνάδοχοι, ob ἀναδέχομαι, *excipio*. De his initio quæritur, num recte adhibeantur. Atque huic quæstioni respondemus affirmative; quoniam baptismus est *Sacramentum regenerationis*, ac docet eos, qui Christo gignuntur, instrui ac doceri: quam rationem tradit S. Thomas q. lxvii. art. 7. Addo parvulos fidem *per verba gestantium* profiteri, & Ecclesiam eis per fideles suos præstare *os maternum*, ut inquit S. Pater Augustinus Epist. 23. nunc 98. ad Bonifacium, lib. 1. de peccat. meritis cap. xix. num. 25. & cap. xxv. n. 38. Meminit Sponsorum baptismi etiam Tertullianus lib. de Baptis. cap. 18. Vide quæ supra de Pædobaptismo produximus cap. xvi. S. Thomas cit. art. 7. Estius dist. 6. §. 7. Sylvius, aliique censent Patrinos adhiberi *ex traditione Apostolica*, ob testimonium Dionysii Areopagitæ id asserentis de Eccles. Hierarch. cap. 2. Idem nos affirmamus, sed alia ducti ratione; quia nimirum consuetudo hæc est ubique recepta, vetustissima, nec illius adinvenitur post tempora Apostolorum institutio. Id enim Apostolicæ traditionis argumentum esse, diximus libro xxiii. cap. quinto. II. Vetus fuit circa Susceptores disciplina, ut *nec viri feminas, nec feminæ viros lavarent*, ut liquet ex canone 22. inter Nicænos Arabicos, tom. 2. Concil. pag. 298. atque ex lib. III. Const. Apost. pag. 288. ubi permulta adnotavit Cotelerius. Verum spectabat id antiquam consuetudinem denudationis baptizandorum; de qua pertractavi in Appendice cap. 6. Circa numerum Compatrum statuit Tridentina Synodus sess. xxiv. cap. 2. *ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant*. Instituta Canonum habentur de Consecr. dist. iv. cap. *In Catechismo*, num. 100. & cap. *Non plures*, num. 101. Definitum id, ne inter multos contrahatur spiritualis cognatio, quæ est impedimentum Matrimonii, ut eo loci declarat Synodus Tridentina. III. In Susceptoribus requiritur ex canone 3. Concilii Metensis, celebrati anno 888. *ut teneant professionem Christianæ fidei*; ex cap. *In Baptismata*, de Consecr. dist. iv. num. 102. & antiquo Rituali Lemovicensi, apud Marten. tom. 1. pag. 203. atque ex Concilio Mediolanensi III. an. 1579. necnon ex Rituali Romano, *ut sint sacro Chrismate confirmati*. Prohibentur ibidem, & in Concilio Antissiodorensi ann. 578. cap. *Non licet*, de Consecr. dist. iv. num. 103. *suscipere de baptismo filios, aut commatres habere*, Monachi & cujusvis Ordinis regulares. IV. Ad quid teneantur Patrini, expressit Auctor sermonis inter Augustinianos de Temp. 163. nunc 168. Append. num. 3. scribens: *Quicunque viri, quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fidejussores apud Deum extitisse; & ideo semper illis sollicitudinem veræ caritatis impendant, & admoneant ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, a maledicto vel perjurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non invideant, iracundiam vel odium in corde non teneant, auguria non observent, &c.* Apparet, hinc esse depromptum caput *Vos ante omnia*, de Consecr. dist. iv. num. 105. & non aliunde petitam Exhortationem Catechismi Rom. P. II. cap. 2. num. 28. hinc pariter derivatum canonem VII. Synodi Parisiensis ann. 829. Habet ergo præcitatus sermo, quamvis nunc inter spurios rejectus, suam adhuc auctoritatem.

DE NOMINE BAPTIZANDIS IMPONENDO.

Imponendi baptizandis nomina consuetudo exorta est ex antiquo ritu Catechumenorum; qui, ut supra vidimus, ante baptismum *nomen suum dabant*. Nomen vero cuique hominum ob distinctionem personarum est imponendum; unde & in Adamo, ejusque filiis observatum id est a mundi incunabulis. Romani olim maribus nomen imponebant nono post nativitatem die, & feminis octavo. Interdum nomen initio datum immutabatur; quod & modo usu receptum est, in Romanis Pontificibus a Sergio II. sive potius a Joanne XII. electo anno 956. in Monachis alicui instituto addictis: plerumque etiam in mulieribus Latinis transeuntibus ad connubia Græcorum, inter quas legimus Pytiscam, & Bertham post nuptias fuisse appellatas *Irenes*; & Agnetem conjugem Alexii Comneni, *Annam*: in Catechumenis denique, natis præsertim a paganis. II. De nomine baptizandis imponendo, servandum censemus Arabicum canonem xxx. tom. 2. Conc. pag. 299. *Fideles nomina Gentilium filiis suis non imponant*. Primo, quia *veteres filios suos vocabant Sanctorum nomine*, ut testatur Chrysostomus Hom. 32. in Epistolam 1. ad Corinth. pag. vet. Parisiens. edit. 432. ac primis Ecclesiæ sæculis communia fidelibus erant nomina Apostolorum, maxime *Petri*, *Pauli*, *ac Joannis*, auctore Dionysio Alex. apud Eusebium lib. VII. H. Ec. cap. 25. pag. edit. Vales. 275. Deinde, quia Sanctorum nomina deserviunt ad tutelam, atque ad virtutum exempla: notiora quoque sunt, quam sint domestica & propria; unde Theodoretus serm. VIII. de Græc. affect. tom. iv. pag. 606. *Martyrum nomina, inquit, notiora sunt omnibus, quam familiarium. Quia & nascentibus filiis eorum vocabula studemus imponere, securitatem inde ipsis, tutelamque comparantes*. Laudandus propterea est Carolus Thomas Cardinalis de Tournon, qui in celebri decreto dato Pudicherii an. 1704. jussit, ut baptizandis apud Sinas *imponatur nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti*, prætermissis nominibus illis Sinensibus, de quibus legendus Aloysius Maria Lucinus in defensione ejusdem decreti pag. secundæ Rom. edit. 82. III. Nomina Sanctorum veteris testamenti repudianda

non

non sunt: quinque enim sub nomine *Moysis* celebrantur in Romano Martyrologio; *Danieles* sex; quatuor *Hieremiæ*, Propheta excepto; tres *Zachariæ*, præter Prophetam, ac Petrum Præcursoris; alterum quoque ab insigni rege, *Davidem*; *Samueles* item martyres duos. Quinque Ægyptios Martyres abjecisse indita sibi e parentibus nomina, *Eliæ*, *Hieremiæ*, *Esaiæ*, *Samuelis*, & *Danielis nomen sibimet adsciscentes*, scribit lib. VIII. cap. 22. Eusebius: extantque illorum Acta apud Ruinartium pag. 290. Hi sunt, quorum memoria in Martyrologio recolitur XIV. Kalendas Martias. Observetum tamen a Martenio tom. 1. pag. 74. ex Concilio Burdigalensi an. 1582. Novatores hæreticos *affectare nomina sanctorum Patrum veteris Testamenti*; sive quia sanctos debito honore non prosequuntur, ut inquit idem Martenius; sive, quod censeo probabilius, quia fidem solam deprædicant, Testamente æquiparant, Romanamque Ecclesiam veteri Synagogæ postponunt. Æquum est igitur, ut baptizandis filiolis *nomina tribuamus Sanctorum virorum, qui virtutibus fulserunt, plurimaque apud Deum gratia valuerunt*, ut ait Chrysostomus hom. 2. in Gen. pag. 235. Sanctorumque novi testamenti nomine præferamus veteribus; non quidem in istorum contemptum, sed in hæreticorum hominum execrationem.

DE ABRENUNCIATIONE SATANÆ, EXORCISMIS, ET EXSUFFLATIONIBUS.

Hæc tria præsertim, *Abrenunciationes*, *Exorcismos*, & *Exsufflationes* in administratione baptismi rejiciunt ac damnant heterodoxi. Attamen prorsus immerito. Quantum enim *ad Abrenunciationem* attinet; de illa inquit Tertullianus de Corona cap. 3. *Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus*. Et de Spectaculis cap. 4. *Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo, & pompæ, & angelis ejus ore nostro contestamur*. Cyprianus Epist. VI. ad Rogatianum, pag. 38. *Seculo*, ait, *renuntiaveramus, cum baptizati sumus*. S. Basilius de Spiritu sancto cap. 27. pag. edit. Morelli 211. demonstrat hanc eamdem *abrenuntiationem* esse ex Apostolica traditione his verbis: ἀλλὰ δὲ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα, ἀποτασσόμεθα τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; *Reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare diabolo, ex qua Scriptura habemus?* Ambrosius de Mysteriis cap. 2. num. 5. ait: *Ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis. Renuntiasti diabolo & operibus ejus, mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus*: quem in locum adnotarunt PP. S. Mauri, neminem fere Patrum hujus ceremoniæ non meminisse. Hieronymus Epist. 97. de Virginitate servanda, tom. IV. pag. 789. ita Demetriadem alloquitur: *Nunc autem, quia sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu, inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, Renuntio tibi, diabole, & sæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis: serva fœdus, quod pepigisti*. Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 34. num. 62. ex hac abrenunciatione demonstrat in parvulis originale peccatum, scribens: *Vellem aliquem istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi futurus responsurus pro eodem parvulo, quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo, cujus in eo nihil esset?* Ac in libro de peccat. orig. cap. XL. num. 45. *Excepto enim quod in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis, & exsufflatur potestas contraria: cui etiam verbis eorum, a quibus portantur, se renuntiare respondent*. Hanc denique ceremoniam confirmant Rituales libri a Martenio collecti libro 1. art. 17. & Ecclesiastica monumenta, ex quibus accepimus *Speratum*, unum Martyrum Scillitanorum dixisse Saturnino Proconsuli: *Tunc deliberavimus nos a cultura Christi non deserere, quando baptismi gratia renovati diabolo abrenunciavimus, &c.* Vide Acta Ruinart. pag. 77. Tot vero, tantisque momentis, si quis reponat parvulos ratione non uti, nec percipere gestantium verba, respondebimus cum Augustino in postremo Opere contra Julianum lib. II. num. 224. *Homo contentiose, recole quemadmodum in Ecclesia Christi, in qua baptizatus es, baptismatis mysteria celebrentur: & invenies quod abrenuntient & parvuli per ora gestantium, sicut credunt per ora gestantium*. Similia lib. 1. de peccat. meritis, & remiss. cap. XIX. num. 25.

De exorcismis pariter, & exsufflationibus invicta produci possunt veterum testimonia. Ac primo nequit in dubium verti, quin Catechumeni quibusdam ante baptismum diebus *ad purgationem exorcismi concurrerent*, ut habetur cap. *Ante XX. dies*, de Consecrat. dist. IV. num. 55. Deinde, præter Catechumenos adultos, de quibus legi poterunt Martenius lib. 1. art. 6. num. 8. Vicecomes lib. 2. cap. 19. Casalius cap. V. pag. 47. in omnibus baptizandis, etiam parvulis, adhiberi exsufflationes atque exorcismos, tradiderunt eximii Patres Ecclesiæ. Etenim Optatus lib. IV. num. 6. pag. 75. ait: *Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur*. Hinc pariter S. P. Augustinus demonstrat adversus Pelagianos originale peccatum, scribens libro 1. contra Julianum cap. 4. num. 14. *Si verum est, quod audivimus, te infantulum baptizatum, etiam tu, quamvis a tuis propriis peccatis innocens, tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate traxisti, & in iniquitatibus conceptus es, profecto exorcizatus & exsufflatus es, ut a potestate erutus tenebrarum, transfereris in regnum Christi*: Et infra cap. V. num. 19. de Catholica Ecclesia inquit: *Ubique parvulos exorcizando & exsufflando de potestate eruit tenebrarum*. Docet similia in Epist. 105. ad Sixtum, nunc 194. num. 43. de Peccat. Originali cap. 40. & in op. imperf. lib. 1. num. 50. 56. 57. 60. &c. Etiam Cælestinus ad Episcopos Galliæ cap. 12. *Illud*, inquit, *quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis & exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur*. Vide App. tom. X. Op. Aug. pag. 134. Accedit ratio, quam tradit S. Thomas q. LXXI. art. 2. atque ex præmissis Ecclesiæ documentis consequitur; Diabolum nempe hostem humani generis truculentissimum, & potestate præditum in filios Adæ originali noxa inquinatos, vi arcendum esse, *ne salutem hominis impediat*. Postremo Novatores refelluntur antesignanorum suorum confessione. Lutherus enim in Catechismo suo ita statuit: *Dicit Sacerdos audito N. nomine, Exi immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto. Deinde signum Crucis figurat in fronte & pectore dicens, Accipe signum sanctæ Crucis in fronte, & pectore. Deinde susis Ecclesiæ nostræ precibus addit Sacerdos, Adjuro te immunde Spiritus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut discedas atque recedas ab hoc famulo Jesu Christi N. Amen*. Idem extat in *Ordinatione* Ecclesiæ Witthembergensis impressa anno 1564. a Ducibus Brunswycense & Lunemburgense, nec aliter in *Confessione* Saxonum, seu Wimariensi fol. Y. 2. Hinc infert Lindanus in altera parte Apologiæ pag. 255. Anonymos Confessionis Augustanæ Patronos, dum impietatis & idololatriæ damnant exorcismos Romanæ Ecclesiæ, insimulare eodem pacto Saxones, Witthembergenses, ipsumque Lutherum. Calvinus lib. IV. Instit. cap. 14. antiquam harum ceremoniarum institutionem nequaquam negat, ita se omnibus priscis Patribus temere & audacter opponens: *Quasi res esset contemptibilis ex Christi præcepto aqua baptizari, inventa est benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pollueret*; ac recensitis exorcismis, exsufflationibus, aliisque ritibus, *Etsi autem*, inquit, *me non latet quam vetusta sit hujus farraginis origo, respuere tamen mihi, & piis omnibus fas est quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines*. Jacobus Vedrosius Minister Curiensis Rat. 11. docum. 9. haud negat e veteribus exorcismos fuisse adhibitos recte ac provide; sed ait, usurpatos duntaxat tamquam umbras, quibus significaretur efficacia baptismi, recitatis versiculis,

> *Sal, oleum, chrisma, cereus, cum veste, saliva,*
> *Flatus, virtutes baptismatis ista figurant;*
> *Hæc cum Patrinis non mutant esse, sed ornant.*

Quibus verbis suadent imperitis, nos exorcismos, aliosque ritus adhibere, tamquam ejusdem virtutis sint, ac ipse baptismus, cum tamen nos fateamur Ecclesiæ ceremonias *mysticas* esse; & licet exorcismis tribuamus virtutem expellendi dæmonem, idque *per modum impetrationis*; non tamen asserimus illis inesse vim sanctificandi, & delendi maculas peccatorum: quam si hæretici in Sacramentis agnoscerent, illos quidem hujusmodi conviciorum, ineptiarumque puderet. Bullingerus denique Decade V. serm. 8. ceremoniarum istarum vetustatem agnoscens plura ex Augustino loca producit, de quibus vide Joannem Georgium in Conversione sua pag. 38. nec aliter Bucerus in deliberatione Lipsica an. 1539. apud Callendrum in consultatione ad articulum 9. Confess. Augustanæ.

Quamquam vero agere hoc in loco de exorcismis extra baptismum, ratio hujus instituti non postulet; ex dictis tamen illorum usus comprobatur, in rebus etiam inanimatis, puta, *oleo*, *sale*, *aqua*, &c. Nam & in his insidias nobis struere nituntur dæmones. Quare Althelmus Schireburnensis Episcopus in libro de laude Virginum cap. 21. Tom. XIII. Biblioth. PP. pag. 9. de sancto Narcisso cecinit:

> *Mox fontana jubet Narcissus flumina lymphæ*
> *Fidens in Dominum, sacros haurire ministros,*
> *Et complere cavum cum glauco gurgite vitrum.*
> *Funditur interea per cunctas unda lucernas,*
> *Sic exorcizans lychnos benedicit aquosos.*

Commendant sane exorcismorum virtutem, antiquitatem,

tem, & usum, quæ scribit Justinus in Dialogo cum Tryphone pag. 247. de Christo Jesu: *Opitulatorem ipsum & Redemptorem nominamus, cujus etiam nominis potentiam dæmones tremunt & reformidant, & hodie quoque illi per nomen Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, qui Judææ procuratorem egit, adjurati nobis parent.* Similia pag. 302. edit. Sonnii. Lactantius quoque lib. IV. Instit. cap. 27. *Sciet*, inquit, *qui viderit, quatenus adjurati dæmones per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant.* Ac Julius Firmicus Maternus in libro de errore profanarum Religionum illudens idololatris ajebat: *Sic apud nos, Deos vestros, cum hominibus nocere cœperint, Religionis sermonis flagella castigant*, Hos vero ex multis laudavimus, quoniam adversus Christiani nominis hostes stilum exercentes narrabant rem adversariorum experimento compertam. Posset huc referri Exorcistarum munus: de quo Cyprianus Ep. LXXVI. ad Magnum, pag. 323. *Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas voce humana, & potestate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus, &c.* necnon Paulinus Nat. IV. pag. 545. edit. Antuerp. scribens de S. Felice inter Clericos cooptato,

. . . . Primis Lector servivit in annis:
Inde gradum cepit, cui munus voce fideli
Adjurare malos, & sacris pellere verbis.

At de exorcismis dictum satis.

DE SIGNO CRUCIS, MANUS IMPOSITIONE, SALE, OLEO CATECHUMENORUM, ET SALIVA.

Pluries Sacerdos parvulum *signo Crucis* communit: eo quippe signo receptos olim Catechumenos, dictum est supra. De eodem signo illustria occurrunt testimonia apud Basilium de Spiritu sancto præcit. cap. 27. Augustinum Conc. 3. in Psalm. XXX. de catechizandis rudib. cap. 20. aliisque in locis, (quorum aliqua mox proferam,) necnon apud omnes antiquos Patres. Constat autem ex superiori paragrapho, hujus ritus antiquitatem neque a Luthero, neque a Calvino, neque ab aliis hæreticis denegari. In fronte potissimum imprimitur signum salutare, *tanquam in sede pudoris*, ne in Christi nomine erubescamus. II. Additur *manus impositio*; cujus ritus meminit S. Pater lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 26. ubi ait num. 42. *Nam & Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Crucis, & orationem manus impositionis puto sanctificari.* Et Ivo Carnot. serm. inter Augustinianos 19. de Sanctis, nunc 247. Ap. *Hujus crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, ejusdem Crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt.* III. Sale non uti Græcos in baptismate, advertit eruditus Menardus in Sacram. Gregorii Tom. III. novæ edit. pag. 377. & licet Joseph Vicecomes de Antiq. Bapt. ritibus lib. 2. cap. 42. laudet homiliam sextam Origenis in Ezechielem Prophetam; illam tamen fœtum esse hominis Latini, demonstrat aperte Lupus in expulsione XIII. Calumniæ Michaelis Cerularii P. 3. pag. 873. Antiquissimus est tamen ritus ingerendi salem in os baptizandorum, cum de illo, tamquam de ceremonia ætate majorum recepta, sermonem instituant Ordo Romanus, Amalarius Fortunatus, Walafridus Strabo, aliique omnes veterum rituum Illustratores. Ac nos ejusdem ritus hæc monumenta producimus. Extat in tertia Carthaginiensi Synodo canon V. *Placuit ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal.* Habita fuit hæc Synodus Attico & Cæsario Coss. anno scilicet 397. Legendi de hoc canone Lupus citato in loco, & Albaspinæus lib. 2. observat. cap. 36. Præterea Ambrosius hunc tangens ritum, ita loquitur de Aqua baptismatis, lib. X. in Lucam num. 48. *Per te fœtor tabidæ carnis aboletur; & pereuntia situ viscera adsperso sale in multam servantur ætatem*: ubi recte notatum a PP. S. Mauri tom. I. pag. 1514. ceremoniam, de qua differimus, longe tempora Ambrosii præcessisse, quod & observatum a Vicecomite lib. 2. de antiquis Rit. pag. 195. Insuper S. Pater Augustinus in primo Confession. cap. XI. num. 17. ait: *Signabar jam signo Crucis, & condiebar ejus sale*: quo in loco, cum enarretur quod peragi solet in Catechumenis, non debet *sal* accipi mystico tantum sensu, pro *sale sapientiæ*. Huc spectant quæ S. Pater scribit de Catech. rudib. cap. XXVI. num. 50. verba faciens de Catechumenorum initiatione, *Dicendum etiam quid significet & sermo ille, quem audivit, quid in illo condiat, cujus illa res similitudinem gerat.* Putant quoque PP. S. Mauri eo loci, idest, tom. VI. pag. 293. ubi legitur, *de Sacramento sane*, restituendum, *de Sacramento salis*. Isidorus libro 2. de Offic. cap. 20. Ivo Carnotensis in serm. de Sacram. Neophyt. & Hugo Vict. libro 1. de Sacram. cap. 18. non tantum meminerunt hujusce ritus, verum etiam hanc ejusdem rationem protulerunt: *Sal propterea Catechumenis datur in mysterio, ut nos esse sal terræ, idest, Dei sapientiam noscamus.* Neque vero quidquam refert, ceremoniam hanc non servari a Græcis; cum ritus pro locorum, temporumque conditione mutari possint, & in Ecclesia Romana aliarum magistra, cum perpetua successione Pontificum, etiam dogmata, & perantiqua disciplina perstiterint. IV. *De oleo Catechumenorum*, quo baptizandi in pectore, & inter scapulas liniuntur, præter Isidorum, Magnum Senonensem, & antiquum Auctorem qq. ad Orthodox. inter opera Justini, q. 137. quos omnes laudavit Martenius lib. I. art. 6. num. 15. hæc vetustiora momenta adinvenio. Auctor Constit. Apostolic. lib. III. cap. 17. pag. 288. *Baptismus*, inquit, *in mortem Jesu datur: & aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu sancto, signum crucis pro cruce, Chrisma confirmatio est confessionis*, & lib. VII. cap. 22. pag. 368. *Unges autem prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua, & tandem signabis unguento.* Cyrillus Jerosolymit. Catech. Mystag. 2. pag. 516. scribit: *Deinde vero jam exuti exorcizato oleo peruncti estis*: & infra, *Illud ergo exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ.* Ostendens vero hanc inunctionem præcessisse baptismum, sequitur: *Postea ducebamini ad sanctum divini baptismi lavacrum.* Chrysostomus Hom. VI. in Epist. ad Coloss. pag. 1358. de accedente ad baptismum, inquit, *Ungitur, sicut athletæ stadium ingressuri.* Ambrosius pariter lib. 1. de Sacram. cap. 2. num. 4. *Venimus ad fontem, ingressus es: considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi levita, occurrit presbyter: unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam hujus sæculi luctaturus.* Eadem fere lib. 2. cap. 7. num. 14. Augustinus adhiberi *oleum visibile* in signum invisibilis unctionis, scribit in Ps. XLIV. num. 19. De unctione Catechumeni ante baptismum inquit Tract. XLIV. in Joan. num. 2. *Inunctus est, nondum lotus.* Et post pauca: *Sed non eis sufficit ad quod inuncti sunt; festinent ad lavacrum, si lumen inquirunt.* Denique Venantius Fortunatus lib. V. carmine 5. de Judæis conversis per Avitum Episcopum, ait:

Hinc olearii ovium perfunditur unguine vellus,
Aspersuque sacro fit gregis alter odor.

Ex his quoque percipiuntur hujus olei mysteria: ungitur siquidem baptizandus in pectore, *ne lateant in eo ullæ inimici reliquiæ*, atque inter scapulas, *ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.* Ita Rabanus lib. I. de Instit. Cleric. cap. 27. in can. 70. de Consecr. dist. IV. *Deinde a Sacerdote.* V. Saliva non tangunt Græci baptizandorum nares, nec aures, ut ex silentio Patrum, & Euchologiorum observavit Menardus in Sacram. Gregorii Tom. 3. pag. 381. Lucinus quidem egregie vindicans Decretum Cardinalis de Tournon pro abolitione Rituum Sinensium, producit pag. 66. Euchologium Jacobi Goarii, in quo pag. 338. legitur: *Insuffla igitur, & expue in illam.* Sed hæc sunt verba Sacerdotis Catechumenum alloquentis, ut ipse quoque exsufflando & expuendo abrenunciationem a se factam Satanæ confirmet, atque a se adversarium expellat, illum insufflans & conspuens. Etenim exsufflationes olim ab ipsis quoque Catechumenis fiebant; ut docti viri observarunt ex cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia Dionysio Areopagitæ attributa; ubi pag. Platin. edit. 253. jubetur baptizandus manibus Occidentem versus protensis, *Satanam insufflare, atque insuper abrenuntiationis verba proferre.* Ceterum hujus ritus probationes habemus alias. Enimvero in illum intendens mentem Ambrosius lib. de Myst. cap. I. num. 3. inquit: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite: quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium diceremus Epheta, quod est adaperire.* Et lib. I. de Sacram. cap. I. num. 2. *Ergo quid egimus Sabbato? nempe apertionem: quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit Sacerdos, & nares. Quod significat in Evangelio Dominus noster Jesus Christus, cum ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures ejus, & os ejus; aures, quia surdus erat; os, quia mutus; & ait, Epheta, &c.* Augustinus etiam præcitato Tract. XLIV. ad mysteria baptismi scite accommodat illuminationem cæci a nativitate, scribens: *Venit Dominus: quid fecit? Magnum mysterium commendavit. Exspuit in terram; de saliva sua lutum fecit. Et inunxit oculos cæci, &c.* Neque enim apud nos ob alium finem oculi Catechumenorum liniuntur *saliva*, nisi ob mysticam spiritalis luminis significationem, ut diximus pag. 244. & habetur cap. *Postea tanguntur*, de Consecr. dist. IV. num. 68. Haud secus Rabanus Maurus præcitato cap. 27. Quantum ad Sinenses attinet, dispensatum quidem fuerat anno 1656. ne apud illos omnia adhiberentur *Sacramentalia*: sed ad eliminandum inolitum errorem, quod saliva sit res immundissima, nec religiosa esse queat ceremonia, quæ saliva ipsa peragitur, statuit Cardinalis de Tournon cap. 3. prælaudati decreti, *Ne in baptizandis tam pueris, quam adultis, cujuscumque sexus & conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, & signanter saliva, sal, & insufflatio, &c.* De hoc autem decreto vide quæ scripsimus lib. XXIII. cap. 9. in dissertatione de Sinensium Ritibus, tom. II. pag. 311.

DE UNCTIONE CHRISMATIS, LINTEOLO ALBO, ET CANDELA ACCENSA.

Ceremoniæ prædictæ præcedunt omnes baptismum: quo peracto Sacerdos *sacro Chrismate* inungit verticem baptizati. Constat ex Apostolicis Constitut. paullo supra laudatis, unctionem Chrismatis factam fuisse post ablutionem. De hac unctione scribit Innocentius I. Epist. ad Decentium cap. 3. *Presbyteris, seu extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paraclitum*. Habetur in cap. *Presbyteris*, de Consecr. dist. IV. n. 119. Etiam Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 26. n. 46. inquit de dono gratiæ, *Quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia*. Similia tradunt alii Patres. Plurium tamen testimonia ambigna sunt; nec satis apparet, an loquantur de hac unctione, an de Sacramento Confirmationis. Istud enim statim post baptismum olim conferebatur, quando baptizabant Episcopi, ac, ut plurimum, in sabbato tantum Paschæ, vel Pentecostes. At cum presbyteris munus baptizandi demandatum fuit; ut omnes antiquæ complerentur ceremoniæ, inducta fuit hæc *verticalis unctio*, a Sacramento Confirmationis distincta. In libro Pontificali legimus de Sylvestro: *Et hoc constituit, ut baptizatum liniret presbyter chrismate levatum de aqua*. Quem locum citant Rupertus Abbas lib. V. de divinis off. cap. 16. Amalarius lib. I. cap 27. aliique complures. Ergo Patres antiquiores Sylvestro, dum laudant unctionem Chrismatis factam baptizatis, accipi possunt de Confirmatione, posteriores autem Sylvestro ceremoniam istam commendant, præsertim illam tribuentes presbyteris baptizantibus, & asserentes fieri in vertice, non in fronte. Ad hunc modum loquitur Fortunatus præcitato carmine .V.

Abluitur Judæus, odor baptismate divo,
Et nova progenies reddita surgit aquis.
Vincens ambrosios suavi spiramine rores,
Vertice perfuso Chrismatis efflat odor.

Intelligimus ex dictis, quare presbyter baptizans non debeat chrismate signare frontem: quod etiam prohibuit Gregorius epist. 9. libri III. ad Januarium Episcopum Calaritanum, cap. *Presbyteri baptizatos*, animadvertitque Theodulphus editus a Sirmondo, & a Menardo insertus notis in Sacram. Gregorii, in libro *de Ordine baptismi*, n. 17. Cautum nempe id est, ut hæc inunctio secernatur a Sacramento Confirmationis. Hujus unctionis mysterium exponit Ivo Carnotensis serm. IV. de Sacram. scribens, Christianos illitos in capite chrismate post baptismum esse, *ut caritas, quæ per Spiritum sanctum datur, semper abundet in corde secundum verbum illud*, Ecclesiastici IX. 8. *Oleum de capite tuo non deficiat*. II. Post inunctionem verticis imponitur baptizato *linteolum candidum* loco vestis albæ, qua olim induebantur Neophyti, sive *propter gratiam regenerationis*, ut in Officio de Sab. S. inquit Albinus Flaccus; sive ad commonstrandum, oportere, ut regeneratus perpetuo incedat in vitæ innocentia, animique candore, quemadmodum eruitur ex Catech. IV. Mystag. Cyrilli, atque ex verbis hanc ceremoniam comitantibus. De albo hoc indumento ait Ambrosius lib. de Myst. cap. 7. n. 34. *Accepisti post hæc vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum*. Augustinus serm. 223. alias 81. de diversis n. I. inquit: *Infantes isti, quos cernitis exterius dealbatos, interiusque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium præfigurant, cum peccatorum suorum nocte premerentur, tenebræ fuerunt. Nunc autem, quia mundati sunt lavacro indulgentiæ*, &c. Citari etiam solet sermo 157. de tempore, & liber quartus de Symbolo ad Catech. sed supposititii sunt ambo. Pervulgati sunt & versus Paulini Epist. 12. ad Severum pag. 145.

Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes, niveos corpore, corde, habitu.

Laudatur item carmen de Resurrect. quod tribuitur Lactantio; sed est revera incerti auctoris. Mitto Victorem Virensem, Venantium Fortunatum, Joannem Moschum, Theodulphum, aliosque collectos ab erudito viro Hugone Menardo, not. 326. in Sacram. Gregorii. III. Traditur præterea baptizato *candela accensa*, ex vetustissima consuetudine. Ritus hujus mysterium exponit Ivo Carnotensis serm. de Sacram. Neophyt. his verbis: *Ad ultimum datur cereus ardens in manus baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelii, Sic luceat lux vestra coram hominibus*, &c. Plura de hoc ritu Vicecomes lib. V. cap. 21. ac sequentibus. Eumdem ac præcedentem ritum complectitur Fortunatus prælaudato quinto carmine, pag. edit. Mogunt. 124.

Undique rapta manu lux cerea provocat astra,
Credas ut stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor,
Ducitur & vario lumine picta dies.

His ergo ceremoniis, quarum & antiquitatem vindicavi, & mysticas significationes ex probatissimis Auctoribus exposui, absolvitur Sacramenti BAPTISMATIS solemnis administratio, ita Ministro baptizatum alloquente, *Vade in pace, & Dominus sit tecum*: atque istud quoque indicium est veteris ceremoniæ, qua olim baptizans pacem Neophytis apprecabatur, addito quibusdam in locis osculo, ut colligimus ex Epistola LIX. S. Cypriani ad Fidum, pag. 212. Iisdem verbis, quibus Sacerdos ritus Baptismi, nos librum istum absolvimus; haud inepte quidem, cum ipsum perlegentibus nihil tam sanctum, ac tam utile precari possimus, quam Spiritus sancti communicationem, caritatem, & pacem.

S C H O L I O N.

„ Baptismatis cæremonias universim S. Basilius commendat in libro de Spiritu Sancto cap. 27. his verbis: *Dogmata & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina Christo prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, idest, in occulto tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem; nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere; imprudenter gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus*. Paucisque interjectis, *Consecramus autem aquam Baptismatis, & oleum unctionis, præterea ipsum, qui Baptismum accipit: ex quibus scriptis? nonne a tacita, secretaque traditione? Ipsam porro Olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem unde ex Scriptura haustum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptismo, veluti renunciare Satanæ, & angelis ejus, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minime publicata, & arcana hac traditione? nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto, minimeque curioso servarunt?*

„ Egregius est hic locus, & ad refellendos Heterodoxos aptissimus. Hinc enim, non solum Patrum nostrorum *Traditiones* universim comprobantur, ut diximus libro 23. cap. 5. verum etiam laudantur, & a majoribus derivatæ dicuntur plures ex cæremoniis in Catholica Ecclesia servatis, dum solemniter administratur Baptismatis Sacramentum. De trina vero mersione, quam hic ex *Traditione* derivasse docet Basilius, plura diximus, quæ scrupulum omnem possunt eximere, hoc ipso libro tricesimo primo, capite sexto. Recte insuper S. Basilius docet, oportere, ut istiusmodi ritus cæremoniasque revereatur, neque his sese opponat, *quisquis vel tenuiter expertus est quæ sint jura Ecclesiastica*. Erui inde potest, quam sedulo diligenterque cæremoniæ a sancta Romana Ecclesia præscriptæ in Baptismi administratione, sint observandæ. Placet modo necessarium monitum proferre verbis eruditi gravisque Theologi Francisci Sylvii Comment. in 3. p. q. 71. art. 5. „ Duo sunt (inquit) circa Baptismum observanda. Prius, peccatum esse mortale baptizare aliquem, sive cum cæremoniis & solemnitatibus, sive sine illis, extra Ecclesiam ad hoc Fontes specialiter deputatos habentem, nisi Regum, ac Principum Filios, aut in ea necessitate, propter quam non possit ad Ecclesias accessus haberi. Patet id ex *Clementina* unica de Baptismo. In Diœcesi Cameracensi tit. 2. *Statut. Antiq.* lata est Excommunicatio in contrafacientes reservata. Casu autem, quo petatur, ut Regum & Principum Filii baptizentur extra Ecclesiam Fontes habentem, baptizandi sunt in eorum Oratoriis, seu Capellis, in aqua baptismali de more benedicta. Quod si contingat ejusmodi aquam in Ecclesia deesse, potest etiam extra Sabbatum Paschæ & Pentecostes, sine cantu benedici eo ritu, qui præscribitur in Rituali Romano. Ex his bene advertant Parochi, nequaquam sibi licere ad instantiam eorum Nobilium, qui neque sunt Reges, neque Principes, ipsorum pueros vel in domo, vel in Capella domestica, aut in alia quacunque, si non sit Ecclesia habens Fontem Baptismalem, baptizare, vel solemniter, vel non solemniter. Sed nec eis licet, illos pueros in Ecclesia Fontem habente ad assecurationem, ut vocant, interea dum patrinus expectatur, baptizare sine cæremoniis. Partim quia obstat allegata *Clementina*: partim quia recepta est Navarri cap. 22. nu. 7. Ledesmæ cap. 6. De Baptis. & aliorum sententia, peccatum esse mortale Sacerdoti cuique, baptizare sine solemnitate extra casum necessitatis; sive quia fit contra ordinationem & morem Ecclesiæ in re notabili; sive quia magna fit injuria & irreverentia Sacramento: non est autem casus necessitatis, quando puer tuto potest ad Ecclesiam ferri, ibique more consueto baptizari „. Hæc, & quidem apposite, sapienterque Franciscus Sylvius.

„ Pertractavi de Benedictione *Fontis*, seu Aquæ Baptismatis paullo supra, nimirum cap. 4. prop. 2. & SS. Cypriani, Cyrilli Hierosolymitani, Basilii, Ambrosii, & S. P. Augustini verba, quibus eadem benedictio commendatur, eo loci produxi. Non videbatur prætermittendus his antiquior Tertullianus, qui de Baptism. cap. 4. ait: *Supervenit enim Spiritus de Cælis, & aquis superest sanctificans eas de semetipso; & ita sanctifica-*

„ ta

te vim sanctificandi combibunt; quamquam hæc superveniens Spiritus sancti virtus, & sanctificandi potestas aquæ baptizandos abluenti rursus immittatur, dum verbum accedit ad elementum, idest, *forma* ad spiritualem effectum producendum *materiam* elevat, & extullit. Sed revera Tertullianus morem illum indicat perantiquum, quem nunc etiam servat S. Mater Ecclesia, cujus in Aquæ Baptismalis benedictione hæ sunt preces: *Ad recreandos novos populos, quos tibi Fons Baptismalis parturit, Spiritum adoptionis emitte: Ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces: Descendat in hanc plenitudinem Fontis virtus Spiritus Sancti, totamque hujus aquæ substantiam regenerandi fecundet effectu*; aliaque his consimilia verba, ex quibus haud obscure deprehenditur quam grave sit scelus in baptismi lavacro aquam non consecratam, præciso necessitatis casu, adhibere.

,, Circa *Patrinos*, de quibus plura dixi hoc eodem postremo capite, quæsitum est a me nuper, an si a ministro Catholico baptizetur filius parentum hæreticorum, admitti possit susceptus, sive patrinus item hæreticus. Sed incunctanter respondi id nefas esse; primum quoniam id inhibent, nullo discrimine apposito, Ritualia quælibet Catholicarum Ecclesiarum, damnantque omnes, quotquot hactenus legi, Theologi, sacrorumque Canonum Collectores atque Expositores: deinde quia patrini sunt *Sponsores*, qui etiam *periculo ingeruntur*, ut inquit Tertullianus de Baptismo cap. 18. Ulterius, quia fidem profitentur parvuli *per ora gestantium*, ut SS. Augustini ac Thomæ verbis ostendimus: insuper quia ideo patrini baptismo interesse debent, ut veris parentibus mortem obeuntibus, aut impotentibus, susceptores parvulis in iis, quæ ad corpus, & ad animam præsertim attinent, opem ferant: ac postremo, quoniam participatio Sacramentorum est quædam tessera communionis & unitatis Ecclesiæ. Quam autem orthodoxam & Catholicam fidem profiteri potest, qui a Romanæ Ecclesiæ communione sejunctus est? quomodo hujus fidei sponsor esse potest, & vas? qua ratione spiritualia subsidia, & salutis monita subministrare indigenti? *quæ* demum *participatio*, (ut verbis utar Apostoli in Epist. 2. ad Corinth. 6. 14.) *justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?*

,, Quod diximus prohiberi 30. Nicæno canone Arabico, ne baptizandis imponantur *Gentilium nomina*, non est intelligendum de iis nominibus, quæ Christianorum evaserunt, ut Lucii, Marci, Antonii, Hadriani, Marcelli, Publii, aliorumque complurium. Inter cæremonias, quæ in desuetudinem abierunt, non commemoravimus *Redditionem symboli*, nempe illam, quam ante baptismi susceptionem emittebant, professionem fidei, recitando *Symbolum* Apostolicum, quod tradebatur *Competentibus*, postea memoriter recitandum: De qua *traditione Symboli* estant sermones 58. & 59. postremarum Editionum S. P. Augustini, & ritus, quo peragebatur, lib. 8. Confessionum cap. 2. ubi describitur conversio nobilissimi Romani Rhetoris Victorini. Diximus tamen de *Competentibus*, & de *Traditione*, ac *redditione symboli* satis superque capite 20. hujus libri 31. At hanc cæremoniam in desuetudinem abiisse capite isto postremo non diximus; propterea quod illi *redditioni Symboli*, fideique solemni professioni respondet modo ea, quam ad interrogationem Sacerdotis facit ante receptionem Sacramenti baptizandus, vel per se, si fuerit adultus, sive per susceptores, ac patrinos, si fuerit infans. Quoniam vero præcitato cap. 20. affirmavimus etiam traditam Catechumenis *Orationem Dominicam*, quam non Sabbato Sancto reddebant ante Baptismum, sed in proxima solemnitate Paschali post susceptam Eucharistiam; idcirco juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ post *Symbolum* Apostolicum etiam *Oratio Dominica* recitatur. De hac *Oratione* nonnulla extant in Constit. Apostolicis lib. 7. cap. 45. quarum auctor, licet non sit S. Clemens Romanus Pontifex, ut olim multi crediderunt, antiquus scriptor est tamen, atque ad priorum temporum *Traditiones* percipiendas opportunus admodum, ac perutilis.

,, Sane de *Oratione Dominica* a baptizandis recitanda inquit splendidissimum Ecclesiæ Græcæ lumen S. Joannes Chrysostomus Hom. 6. in Pauli Epistolam ad Colossenses, *Cum primum enim ascenderis* (idest e sacro Fonte neophytus) *hæc verba loquitur, Pater noster, qui es in cælis, &c.* & S. P. Augustinus serm. 59. alias 135. de Tempore, *Reddidistis*, inquit, *quod creditis: audistis quod oretis: quoniam invocare non possetis, in quem non credidissetis, Apostolo dicente, Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Ideo prius Symbolum didicistis, ubi est regula fidei vestræ brevis & grandis; brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum: Oratio autem, quam hodie accepistis tenendam, & ad octo dies reddendam, sicut audistis cum Evangelium legeretur, ab ipso Domino dicta est discipulis suis, & ab ipsis pervenit ad nos.* De ceteris autem ritibus, & cæremoniis etiam nunc a Catholica Ecclesia in collatione Sacramenti Baptismatis servatis, video mihi quantum ad institutiones pertinet Theologicas, satis paullo antea disseruisse.

Explicit Liber primus ac tricesimus.

